OPERVM THEOLOGICORVM D. HIERONYMI ZANCHII,

TOMVS SEPTIMVS,

MISCELLANEORVM PARTES DVAS COMPLECTENS: QVARVM posterior nunc primùm prodit in lucem.

Additi INDICES *quinque.* 1. *Librorum & capitum.* 2. *Locorum S. Scripturæ, qui accuratè explicantur.* 3. *Rerum, Phrasewn & vocum insignium.* 4. *Auctorum præsertim Ecclesiasticorum, quorum dicta citantur.* 5. *Quæstionum quarundam illustrium.*







SVMPTIBVS SAMVELIS CRISPINI.

M. DC. XVIII.



AMPLISSIMO SENATVI ANTVERP. ET ECCLESIIS QVÆ ANTVERPIÆ PVRIOREM PROFITENTVR religionem, Belgicæ, Gallicanæ, Anglicanæ, & fratribus Italis:

HIERONYMVS ZANCHIVS GRATIAM ET PACEM à Deo Patre, & à Domino nostro Iesu Christo P.



NON sum immemor, amplissimi viri, & Fratres obseruandi, beneuolētiæ erga me vestræ, & honoris quo me affecistis: Cùm post cōditionem à magnificis Dominis Leidensibus in sua celeberrima Academia mihi oblatam, quibus itidem hoc nomine nō parum debeo, vos quoque non semel & iterum, per literas & per nuntios, vt ad vos venirem, & istic ad propagandam veram Christi doctrinam, meam quoque opellam in commune conferrem, mecum egistis. Vobis persuasissimum esse velim, Domini & fratres colendiss. cur aut ad Academiam Leidensem, aut ad vos non venerim, multis cæteroqui rationibus, me ad oblatam istam à vobis conditionem suscipiendam excitantibus, nihil aliud fuisse in caussa, quàm quòd talem Principem, & talis tantique honorificæ M. Principis Friderici Tertij, olim Electoris Palatini filium Ioannem Casimirum D.M.C L. negligere, aut honestam stationem, in qua me benignè collocauerat, sine bona illius gratia, neque per conscientiam, neque per existimationē meam vllo modo deserere potui: idque eo minus tum potui: quòd & Schola, quanquā recens instituta, pro qualitate tamen loci erat frequentissima: Et, si discessissem, vnum tantū in ea reliquissem Theologiæ Doctorem, eúmque haud firma valetudine præditum. Iustissimam hanc fuisse excusationem meam, inter viros bonos & prudentes, qui non dicturus sit, credo fore neminem. Neque dubium est, quin tam quod factum non est, quàm quod factum est, totum hoc diuina prouidentia ita temperatū fuerit, vt secus fieri non potuerit: quemadmodum & Scripturæ docent, & euentus comprobat, & nonnulla, quę consecuta sunt, pia opera manifestè confirmant. Suo quæque tempore, & loco, & modo, quibus vt fiant definitum est, tandem vt constant, inuitis etiam inferorum portis, necesse est: idque propter salutem Electorū & propter gloriā regni Dei. Quid autem Christiano homini suauius, iucundius, vtilius, quàm bona conscientia ita tuā traducere vitam: & ita constanter tuam sequi conditionem, vt interim rerum omnium euentum Deo nostro committas: & in æterna, sapientissima, & immutabili eius prouidentia, toto corde conquiescere? Quod itaque præsens corpore (semper enim apud vos sum animo) & coram præstare non potui: illud absens hac epistola, & hisce Miscellaneis meis ad vos missis, aliqua ex parte compensare volui: quæ idcirco etiam recusa, & non parum, atque adeo vno etiam libro aucta, vobis consecrare constitui: vt perpetuum apud omnes, eóque apud totam posteritatem monumentum relinquerem obseruantiæ erga vos meæ. Quos vicissim, vt me meósque liberos in vestris precibus commendatos habere, & vero etiam meum nomen, in bona caussa, aduersus calumniatores, si quando opus fuerit, pro sua quisque virili & conditione tueri velitis: rogo atque obsecro. Causam igitur quandam, quanquam non magni momenti, neque etiam ad iudicandum difficilem, talem tamen, quæ vt ab omnibus bonis cognoscatur, haud est indigna: vobis piisque omnibus iudicandam propono. nouisse enim varia hominum ingenia, & à quo quisque Spiritu ducatur, inutile non est: præsertim in hoc tempore, quo multi Antichristi in mundum venerunt: qui prætextu & simulatione piæ concordiæ, vniuersam turbant Ecclesiam. Caussa autem est huiusmodi.

Annus iam agitur vigesimus secundus, ex quo tempore Argentinæ quidā iniqua aduersus me, ibi sacras literas profitentē, instituta de variis hæresibus accusatione, admirabile excitarunt in Schola & in tota vrbe incendium. Quod idcirco etiam biennium ferè durauit: quia legitima illius extinguendi ratio, publica nimirū, aut priuata disputatio, vel saltem amica collocutio, nunquam ab accusatoribus impetrari potuit. Cuius rei caussa, & ego primùm ad Academias Ecclesiásque confugere, virorum doctorū iudicia audire, testimonia colligere, eáque vna cum meis thesibus, atque aliquot tractationibus, tandem in lucē dare coactus fui: Et deinde Senatus etiā, videns rem inter nos definiri non posse, quòd nec aduersarij mei vellent colloquium: nec ego, nisi caussa legitimè cognita, cedere vellem: ad extremum, aliunde Theologos, vnà cum quibusdam politicis, qui caussa cognita ac definita, omnem ea Schola & vrbe tollerent offensionem, accersere compulsus fuit.

Quomodo isti se gesserint, résque fuerit vtcunque cōposita: suo in Miscellaneis narratur loco. huic enim libro, quem cur Miscellanea appellarim satis constat, per Oporinum Basileæ affecto, per Crispinum autē Geneuæ perfecto, adieci postmodum, & quæ compositionem præcesserunt: & quæ illam consecuta sunt acta: idque illis necessariis de caussis, quæ suis locis in libro sunt explicatæ. Prodierūt itaque in lucē perfecta hæc Miscellanea, magno illi Principi Philippo Lantgrauio dedicata, anno Dom. 1566. A quo tempore in hanc vsque diem (effluxerunt autem iam anni circiter septemdecim) nihil aduersus me, meúmve librū aduersarij, quod sciam, scriptum reliquerunt, id quod ab illis prudentissimè factum fuisse, nemo, qui aliquo valeat iudicio, non mecum fatebitur. Quid enim imprudentius simul & impudentius, quàm vel simplicem rerum gestarum, toti non vrbi Argentinensi, sed orbi Christiano notissimarum, quarúmque te-

ſtes fide digniſſimi plerique adhuc viuunt,narrationẽ negare:vel eius doctrinæ, quã nec accuſatores hæreſeos conuincere,nec arbitri ac compoſitores damnare potuerunt,veritatem denuo oppugnare?

Accedit,quod ſuo ſilentio effecerunt,vt ego quoque nihil amplius aduerſus eos ſcribere in animo habuerim:ſed quæ alioqui iam parata,& in promptu erant,ea omnia ſuppreſſerim: contentus patefacta iam ſatis aduerſus calumniatores rerum geſtarum veritate:Et verò etiam memor pietatis ac modeſtiæ Chriſtianæ. Nam præterquam quod à rixis & pugnis natura abhorreo : quid etiam obſecro magis indignũ eſt homine Chriſtiano,quàm modò hunc,modò illum laceſſendo,noua quotidie bella excitare,& quoſuis ad certamen prouocare,atque etiam pertrahere? Tali ingenio video nunc non paucos eſſe homines inquietos & veros incendiarios,qui ſuas accenſas faces in cuiuſuis ædes iniicere , idque impune, non deſinunt. Tales fuerunt & inimici,non tam Dauidis quàm Dei,de quibus in Pſal.120.Ego (vir) pacis: & quam loquor ipſi(commouentur)ad bellum.

Sed aliter certè nos docuit Chriſtus ſua doctrina & ſuo exemplo:aliter & Apoſtolus qui ait:Seruum autem Dei non oportet pugnare,ſed placidum eſſe erga omnes. Vult quidem vt obſiſtentes ſanæ doctrinæ refellamus & doceamus:ſed quomodo?cum lenitate,inquit,erudientem eos qui contra ſunt affecti.

Quæ cauſſa eſt,cur & olim in virulentis quorundam aduerſus me ſcriptis refellendis,contentus fuerim modeſta ac ſimplici calumniarum depulſione:Et nuper etiam,cùm duo acerbi homines in libris aduerſus optimum ac reuerendum,etiamſi rumpatur ilia Codro,ſenem puræ religionis amantem,& ſanæ doctrinę ſtrenuum defenſorem , déque Scholis & Eccleſiis optimè meritum hominem D. Iohannem Sturmium ſcriptis,me etiam ſine cauſſa grauiter perſtrinxerint,ego contrà maluerim talium hominum vanos latratus ſilendo contemnere,quàm reſpondendo eos magis ac magis rabioſos efficere: Precatus Deum,vt hos male feriatos homines ad ſe conuertat,donatos Spiritu Chriſti,à quo in viam veritatis deducantur.

Hæc de tempore & neceſſitate datorum olim in lucem Miſcellaneorum meorũ:déque cauſſis cur poſtmodum de illis præteritis actionibus neque ſponte,neque ab aliis non ſemel & iterũ prouocatus, aliquid planè in hanc vſque diem ſcribere voluerim. Cur enim illud parum quod mihi reſtat vitæ,& quod totum in dulciſſima planéque neceſſaria ſacrarum literarum lectione ac meditatione inſumendum eſt: in vanis ac pernicioſis altercationibus,cum omnium bonorum offenſione conteram? Odi ex animo tales conflictus & talium ſcriptionum genera:cùm enim hæ pugnæ dedeceant omnes Chriſtianos, tùm verò maximè Chriſti miniſtros:quos propriè alloquitur Apoſtolus,cùm ait:τὰς δὲ μωρὰς καὶ ἀπαιδεύτους ζητήσεις παραιτοῦ εἰδὼς ὅτι γεννῶσι μάχας.

Pugnent ergo qui volent:ego certè,vt confido in Domino,præter ordinariam meam in Schola docendi functionem,& præter modeſtas ſcriptiones,quibus ſanam pro mea virili parte tuear doctrinam : dabo operam,vt liberos meos in vera pietate inſtituam,& ad pugnam contra diabolũ ſpiritualibus armis muniam:me verò ad mortem,hoc eſt,ad felicem beatámque ex hoc mundo ad Chriſtum, & in illud cœlum, vbi & ipſe viuit,atque ad dexteram Patris reſidet,tranſitionem præparem: Calumnias omnes atque iniurias,ſi quæ factæ mihi ſunt,aut porrò fient,Domino Ieſu Chriſto, omnium iudici iuſtiſſimo , ſicut ipſe fieri iubet,vlciſcendas relinquens.

Nam quòd,qui præcipuus fuit inter compoſitores illius veteris diſſidij Argentinenſis , quíque toti illi actioni præfuit:qui in meis exhibitis lectionibus,ſcriptis,confeſſionibus,atque à ſe perlectis,nullam contineri hæreſin palàm profeſſus eſt:qui me noluit formulæ doctrinæ à ſe conceptæ,niſi iuxta explicationẽ, à me Dominis compoſitoribus exhibitam ſubſcribere noluiſſe ,qui illas meas in articulos cõcordiæ conceptas & traditas notulas,quæ poſtea impreſſæ ſunt, non reprehendit,qui & mihi & Sturmio dixit,nobis antequam ſubſcribamus licere proteſtari,& ſe ac ſuos collegas,cùm opus fuerit,noſtrę proteſtationis teſtimonium daturos pollicitus eſt:qui meas præterea proteſtationes coram toto illo celebri conuentu factas audiuit,ac ne vllo quidem verbo,vel reiecit,vel improbauit: qui meam in illam formulam doctrinæ conſenſionem & ſubſcriptionem,iuxta prædictas meas explicationes factam,ſine vlla contradictione admiſit:qui de hac mea ſubſcriptione nihil porrò vnquam aut coram,aut per literas conqueſtus eſt:qui denique totam illius actionis hiſtoriam,meæque ſubſcriptionis declarationem, à me annis abhinc plus minùs octodecim typis expreſſam & euulgatam legit , certè potuit , neque tamen per totum illud tempus quidpiam aduerſus illam ſcripſit:Quòd inquam talis vir bonus,qui per quadriennium,quo paſtorem egi Clauennę,qui per decennium,quo docui Heidelbergæ:qui denique per triennium,& ampliùs,ex eo tempore(agitur autẽ iam annus quintus)quo doceo Neuſtadij ſub Illuſtriſſ.Principe Iohanne Caſimiro,ſemper tacuit,nuper contra Iohannem Sturmium calamum ſtringens, meam etiam illam tot annorum ſubſcriptionem(vt amici retulerunt:Germanica enim non intelligo)perſtrinxerit:ego quidem facilè condono,& æquo animo fero:ſed viderit ipſe,quo Spiritu ad hæc ſcribenda adductus fuerit. Nemo eſt vel mediocri iudicio præditus,qui illo etiam tacente non intelligat. O Egregios concordiæ autores,& charitatis Chriſtianæ prædicatores,qui noua ſemper excitant incendia,& nouas ſicas in viros nõ ſe peiores exacuunt:qui dicunt:eſto ἀμνηστία omnium iniuriarum: & tamen ipſi,quę nullę ſunt , eas tanquam ſummas, quàm poſſunt crudeliſſimè vlciſcuntur. Quid ego vnquam vel egi vel ſcripſi aduerſus hoſce homines:qui me de re tot annis ſine dolo & ſincerè geſta,per ſe bona atque honeſta,nunc primùm,tanquã de ſummo ſcelere,coram toto mundo libris editis accuſant? Quando vnquam à me fuerunt vel verbulo vno laceſſiti? Scripſi aliquid,bonam defendens pro mea virili parte cauſſam,ſicut omnibus licet:Sed ſemper,vt mei libri teſtificantur,modeſtè:res,omiſſis perſonis,ſimpliciter tractans. Quæ igitur eſt illa barbara rabies, quis furor,quæ furię:vt qui ſua ſorte ac conditione contenti,in ea, ſine vllius iniuria, quierè ac modeſte ſe gerunt:& qui,quoad eius per conſcientiam fieri poteſt, amicitiam ac pacem cum omnibus colunt : & qui denique de vita potius Chriſtianè defungenda,quàm protrahenda cogitant:hos etiam ſemimortuos laceſſere,calumniis irritare,& ad pugnam prouocare non vereantur?

At Zvvinglianus es & Caluinianus.hoc ſanè totum eſt. Vt Lutheranus non ſum,nec eſſe volo:quanquã

Lutheri

Lutheri scripta & libenter, & non sine fructu iam inde à mea iuuentute legi, & modò etiam, cùm vacat, lego: sic etiam aut Zvvinglianum aut Caluinianum, aut quouis alio sectario nomine me quis appellet, ncesse pernego: licet horum quoque, ac aliorum Doctorum virorum, scripta magni semper fecerim & faciam: idque non alia de caussa, quàm quia doctrinam, quam à Christo acceperunt, sincerè & perspicuè explicarunt. Christianus igitur sum, non sectarius.

At amicus etiam es Sturmij, qui nobis est inimicus. Ego verò persuasum habeo, optimũ virũ D. Ioannẽ Sturmiũ, nemini hominũ esse inimicũ, sed diabolo duntaxat & angelis eius, hostibus Ecclesiæ, hæresibus, vitiis. Magnæ autẽ laudi & honori mihi duco, quòd amicitiam 30. circiter annorum constanter inter nos semper in Domino coluerimus: & nunc magis quàm vnquam illum venerandum senem colo, quòd eum videã in hac sua decrepita ætate nihil non propter Christum, próque veritatis defensione, forti animo sustinere: mortémque ipsam nedũ exsilia & omniũ bonorũ amissionẽ, contemnere. De talis igitur ac tãti viri amicitia non glorier? quã nemo bonus nõ expetit: qua optimi & verè Christiani Principes delectantur? Sed facessant tales ineptiæ: Socius es Sturmij: non igitur aduersus illũ scribemus, quin te etiã perstringamus. Et quanã obsecro in re? in illa tua ambigua subscriptione, quæ non fuit boni & candidi viri: Hãc doctrinæ formulã vt piã agnosco, ita etiã recipio. Sed si in ea re peccaui: cur non tũ, aut saltẽ paulo pòst me monuerunt isti boni & candidi viri? Si me tũ de sensu interrogassent: in ipsomet tot celeberrimorũ virorũ consessu, eodem modo liberè explicassem, quo postea in supplicatione ad Senatũ, quę in primo Miscellaneorum libro exstat, explicaui: Et caussas, cur non simpliciter, vt alij, subscripserim, omnes intellexissent. Ago tamen gratias, quod æquius mecũ in hac parte egerunt isti boni viri, quam cum beatæ memorię Philippo Melanchthone actum fuit. Olim Philippus in colloquio VVormatiensi cum esset, non obscurè Brẽtio dixit, se cum Luthero, in eo quod de Sessione ad dexteram quodam in loco ille scripserat, nõ sentire.

De hoc responso nunquã, dum vixit, à quopiã fuit, vt audio, reprehensus aut monitus: nunc demũ mortuus, à nescio quo contra Sturmium scribente damnatur: quemadmodum & in multis aliis rebus, ille sanctus vir, tantùm non vt blasphemus in Deum, cruci affigitur. Atque hic ego, dum factum hoc perpẽdo, video aut me esse valde imperitum rerum æstimatorẽ: aut istos Melanchthonimagistas nullã vel valde sauciatam habere conscientiam: & à meris carnis affectibus, ad suos abripi anathematismos. Si nõ sentire cũ Luthero in doctrina, pręsertim de carnali præsentia, & de Vbiquitate, est esse omnibus Turcis & Mahometanis peiorem, qui nullo modo in Ecclesia ferendus sit: Cur Melanchthonem illud ingenue profitentem, & Brentio in faciem sine dissimulatione aientem, tot annos in Ecclesia tulerunt, summo honore affecerunt, pro optimo viro ac præceptore habuerunt.

Ego non intelligo istam reformatorum mundi Theologiã. Redeo igitur ad mea, Gratiam, vt dixi, habeo, quòd mecum æquiùs, quàm cum Philippo, ab istis hominibus actum sit. Nã me saltem, antequã moriar, post annos à subscriptione circiter decem & octo, ex Christiana scilicet caritate monuerunt, nempe vt, Deo sic omnia sapientissimè disponente, meliùs & clariùs, quam hactenus à me factum sit, totũ illud negotium Argentinense toti posteritati explicarem. Neque enim dubito quin hæc omnia Dei prouidẽtiã facta sint: vt plura nimirum & maiora inde bona Ecclesiæ obuenirent, quàm mala nobis creare per suos molitus sit ac moliatur Satan. Quorsum Semei ad conuitia in Dauidem cõiicienda excitauit? vt Dauid in patientia, veráque pietate, quæ nobis omnibus in omnem æternitatem esset exemplo, exerceretur. Quorsum Arium ad blasphemandum Dei filium? vt inde per Athanasium vera & æterna illius Deitas clarius explicaretur, & firmioribus rationibus assereretur. In quem verò etiam finem excitauit Nestorium aduersus doctrinam Niceni consilij, de vna Christi persona ex diuina & humana naturis constante? Vt ea per Cyrillum accuratiùs explicaretur: pluribus sacrarum literarum testimoniis confirmaretur: & longiùs latiùsque propagaretur. In eundem finem alios quoque excitat Nestorios: quibus alios contrà opponit Cyrillos, vel saltem fideles Cyrilli discipulos. Fuit Nestorius homo indoctus, superbus, contemtor Patrũ, sed audax & magnæ loquentiæ: qua vnica fretus, nihil non audebat: & quidem sæpenumerò feliciter, quod volebat, obtinebat: ita vt ipsum quoque Theodosium Imp. seduxerit, effeceritque vt optimum Cyrillum Episcopatu abdicarit. Quanquam re postea melius cognita, illum maiori cum honore suo restituit locos damnato hypocrita Nestorio. Periit ille quidem, sed Spiritus eius nunc etiam in nonnullis viuit. Age ergo, quando hæc voluntas Domini est, caussam eius & nostram tueamur: & eam æquis iudicibus iudicandam relinquamus.

Duo hominum genera meam illam subscriptionẽ Argentinensem improbarunt: fratres & hostes: illi primùm, deinde isti. Fratribus ideo illa displicuit, quòd me simpliciter subscripsisse putarint: cùm tamẽ rẽ longè aliter se habere, ipsa meæ subscriptionis verba nõ obscurè doceant. Quorsum enim tot verba, cùm nuda nominis mei subscriptio, vt petebatur, satis supérque fuisset? Ex horum igitur animis vt omnẽ eximerẽ scrupulum: simul ac factus fui de nonnullorum offensione certior, subscriptionem statim explicaui, eã paulò pòst in lucẽ dedi: quæ in primò horum Miscellaneorum habetur libro, in Supplicatione ad Senatum Argentinensem: de qua non est cur plura dicam, cùm eam quisque legere possit atque Vt legat rogo. Credideram omnibus ita fuisse satisfactum, vt ampliori explicatione nũquam opus foret: Si qui tamẽ sint, qui vel de pietate, vel de candore animi mei, cùm ea verba subscriberem, nonnihil dubitẽt: hi si quæ modò aduersus meos calumniatores subiiciam, legerint, nihil in me amplius credo desiderabunt. Illi profectò falluntur, qui me à carnis affectu, ad concipiendam illam subscriptionis formam adductum fuisse existimant, quasi ideò illa subscribendi ratione vsus fuerim, quòd cupiuerim ita Argentinensem meã stationem retinere, vt tamen à veritate doctrinæ nihil me mea subscriptione recessisse, ambigua illa dicẽdi forma, vt ipsi vocant, quoties vellẽ, tueri possem. Caro certè me non detinuit Argentinæ, neque ad illam subscriptionem impulit, sed Spiritus: quemadmodum in historia suo narratur & demõstratur loco. Memor enim eram literarum Caluini, beatæ memoriæ, qui nõ semel & iterum me monuerat: nihil non esse agendum, salua tamen conscientia, & veritate quò meam retinerem stationẽ, cùm nihil aliud molirentur

Aduersarij, quàm vt cederē loco:ne porrò quempiā ampliùs,qui se sibi opponeret,haberēt. Hoc igitur ipsum vnū me ad illā permouit actionē:vt ne scil.temerè & cōtra voluntatē Dei,Argētina discederē.Quid enim mihi alioqui gratius fuisset & optatius,quàm vt relictis tot támq; acerbis hostibus,à quib.nihil vnquā sinceræ amicitiæ,Christiani solatij,& veræ cōsolationis sperare poterā:me Tigurū,quò in locū Martyris,beatæ memoriæ vocabar,ad illos optimos,veréque pios,doctos & humanos fratres,apud quos & minus laboris,& plus etiā stipendij(si hæc quoque alicuius æstimanda sunt)habiturus erā,quàm Argentinæ, vicinior patriæ & amicis,me conferrem? Scio autem me & bona conscientia illi formulæ subscripsisse:& ea subscriptione,nihil veritati doctrinæ derogasse:cùm neque articulis per se impiis subscripserim: neque simpliciter illam docendi formam,sed conditionaliter, nimirum, vt ego illam piam esse iudicabam, probarim atque admiserim.Quotus enim quisque est in latina lingua vel mediocriter versatus,qui illud, Vt,in mea subscriptione non videat idem valere,quod Prout.

Vt me voles,dicebat,ille apud Plautum,ita habebis:hoc est,Prout & qualem me esse volueris,talem habebis.Et alius,vt me tractaueris,ita tibi operam ego præstabo meam.Hæc meo iudicio satisfacere debebant fratribus,vt ne quidpiam sinistræ de me conciperent opinionis.Animi est non prorsus amici, quod in bonam partem accipere possis,illud in peiorem interpretari.

Venio iam ad aduersarios,qui me nunc tandem,idque editis libris carpunt:improbè calumniātes,quòd ambiguè subscripserim,eóque fecerim,quod neque boni, neque candidi fuerit viri ? Vnde verò hæc & quorsum,& qua leuitate,post annos decem & octo aduersus socium Sturmij,hoc est,aduersus me scribūtur? Duo satis confidenter pronunciant,sed neutrum probant.De primo vt dicam cōstat, vt modò ostendi,locutionem illam meam,non esse inusitatam:Proinde si obscura visa est,imperitis est visa.

Nulla verò ratio est quamobrē illis,qui non solū totā illam actionē Argentinensem apprimè norūt:sed etiam ei præfuerunt,obscura aut ambigua videri debuerit subscriptio mea: sed quę inter nos acta fuerāt ea omnia cōcludere istis hominib.debuerūt,me nō alio sensu ,quàm quē illis nō semel,& corā,& scripts exhibitisque notulis apertè candidéque explicarā,& explicatū porrò in lucē dedi,subscripsisse. Si quis ea diligēter legat,quæ ad exhibita Sturmio & mihi formula doctrinę,vsque ad subscriptionē acta inter nos & cōpositores fuerūt(continētur autē in Epistola ad Landgrauiū pag.34 & deinceps vsque ad 39.) is perspicuè videbit rē ita se habere,vt modò de aperto sensu meæ subscriptionis à me dictū est:nec verba mea aliter à cōpositoribus,quàm ego explicaui, intelligi potuisse aut debuisse. Primū enim cū legissem tū articulos ab ipsis cōceptos,tū formulā de cœna propositam, quæ post verbū Dei cōstabat Augustana Confessione,Apologia,& articulis concordiæ inter Lutherū & Bucerū:Annon semper & constanter,idque apertè & candidè dixi,mihi illam doctrinæ formulā,ad doctrinam quod attinet,non improbari:propterea quòd,si habeat æquū interpretē,nihil per se impiū in ea contineatur? Quod igitur toties & cōstanter affirmaui:méne illud,& posse negare cū liberet,& posse affirmare cū expediret,ambigua subscriptione voluisse? Quisnā eorū,qui mecū versati sunt,& qui ꝓbè norunt mores meos, me talis esse ingenij affirmare poterit. Deinde cùm,quæ proponebantur nostra subscriptione comprobāda,meis notulis declarassem, quatenus probare, & quatenus non probare possem:Annon multis & grauibus rationibus demonstraui, me nō posse simpliciter subscribere:aut si subscribēdū omninò esset,id mihi cū exceptionib.facere liceret.

Annon expresse petij,vt mihi liceret totam illam doctrinam,tum de prædestinatione,tum de cœna formulam,iuxta explicationes Buceri,& confessiones Argentinensium interpretari: & vt harum exceptionū aliqua in subscriptione fieret mentio? Annon ipsi præter alia responderunt,mihi licere voce protestari,& se mearum exceptionum,& constantiæ in recta sententia,cùm opus fuerit,daturos testimoniū: modò ne harum rerum,vt petebam,fieret mentio in subscriptione? An non præterea Sturmius ipse,nomine Consilij,ad compositores scripsit Epistolam,in qua præter alia hoc etiā inerat:Consilium velle, vt antequā ad subscriptionē veniatur,sibi liceat articulos propositos,& formā de cœna interpretari iuxta declarationes & libros Buceri,aliorúmq.præceptorum nostrorum,qui scil.anteà docuerāt Argētinæ? An nō accepta hac epistola,venerunt duo præcipui cōpositores in ædes Sturmij,& suo ac reliquorum nomine responderunt, se,quod petebamus,cōcedere:neque se velle illa sua formula quidquā derogatū esse cōfessioni fidei, & religioni nostri Magistratus, & maiorum nostrorum:séque permittere,vt hæc in acta referrētur? An nō ex iis liquidò potuit constare cōpositoribus,neque me,neq. Cōsilium formulæ illi doctrinę simpliciter, sed cum illis,quas explicaui,exceptionib.subscribere voluisse? An nō verò,aliis petitioni arbitrorū acquiescētibus,idq. propterea,quòd de illorum fide & promissionib.nō dubitabant:ego semper in ea perstiti sententia,Dominis compositorib.non ignota me nolle articulis subscribere,nisi aliqua illarum exceptionum quas nobis sæpè concesserāt,fieret mētio? An nō hęc fuit etiā caussa totius altercationis nostrę de subscriptione,quòd ego volebā, vt quas à me fieri voce permittebāt exceptiones,earum etiam in subscriptione mētio fieret,propter causas tunc explicatas:ipsi verò recusabant,hac tantū allata ratione,quod non expediret? caussæ videlicet aduersariorū.& ipsorū cōsiliis. An nō in ipso publico omniū, Dominorū vrbis,Legatorū,Cōpositorū,Ministrorū,Professorū consessu,prelectis articulis,quibus erat subscribendū,interrogatus,an ego quoque vellē subscribere,nécne,respondi,quia nihil illos per se impiū cōtinere agnosco,idcircò pacis & cōcordię gratia me subscripturum esse:sed certis de caussis me priùs ꝓtestari? Illa nimirum tria capita,quæ in historia explicata sunt,& quarum protestationum seu exceptionum mihi posteà dederunt testimonium,necessariis de caussis cùm transirē Basilea,Clauennā proficiscēs,duo ex cōpositoribus, Sulcerus nimirū & Coccius,quod testimoniū idcircò nō subiicio,quia illis promiserā me illud nō facilè euulgaturum:in eum enim duntaxat finē dederunt,vt eo aduersus calumniatores,me, meúmq. ministeriū tueri possem:nēpe mea subscriptione nihil derogatum fuisse doctrinæ cōtrouersę, præsertim cū meas præmiserim exceptiones,quę à Dominis cōpositorib. nequaquam reiectę fuerunt. Quomodo verò ex iis omnib.nō euincitur,quisnā sensus fuerit subscriptionis meę,ipsos cōpositores ignorare nō potuisse? Repetā hic cōfirmationis caussā nōnulla,quę,cū alij collegæ,tū pręsertim vir clariss.Dominus Ioannes Sturmius

mius,tūc tēporis præpositus toti⁹ cōsilij,& Scholæ Rector,vt me ad simpliciter subscribēdum,cùm iā hora instaret subscriptionis,permoueret,ad me fecit verba:quę ego postmodùm retuli in historiā,& quæ ēt à nemine adhuc alicuius falsitatis aut conuinci aut etiā accusari potuerūt.Præter alia hęc etiā ibi habentur: Cùm admissa sit(inquiebat ad me Rector)nostra totius cōsilij protestatio,nobisque concedatur, vt & Augustanā Cōfessionē,& istos articulos interpretemur iuxta explicationes & scripta Buceri,aliorúmque maiorū nostrorū,& iuxta Cōfessiones,Apologiámq.ciuitatis:cùm itē ista nostra subscriptione nullū fiat prę iudiciū caussæ nostræ,vt ipsi quoq. fatētur arbitri:cùm tibi etiā liceat publicè,antequā subscribas,excipere,& huius tuæ exceptionis,licèt mētionē fieri nolint in subscriptione,testimoniū tamē daturi nos simus; cùm volueris: Quid tādē caussæ est,quòd tā diu detrectes, propositis articulis citra mētionē tuarum exceptionū subscribere?Hæc tū ad me Sturmius,testib.aliquot collegis. Quæ cùm ita se habeant,quis non videat,mihi per cōpositores licuisse voce protestari, eáq; excipere quæ excepi:Et cōtrouersiam tātùm inter nos fuisse,an aliqua mearū exceptionum in subscriptione fieri deberet mētio,necne: me illā tāquā necessariā petēte,& ad finē vsq; cōstāter vrgēte,illis autē tāquā nō impediētē,vt dicebāt,denegātibus?inter illas autē exceptiones erat etiā hæc,quā ad cōsilij protestationē,nobis omnib.cōcesserūt arbitri:nēpe vt illā doctrinæ formulā interpretari liceret iuxta regulā verbi Dei,doctrinam Augustini, Lutheri & Buceri: Nā iuxta hāc interpretādi regulā facilè agnoscebamus, illā doctrinæ formulā, quā nobis arbitri præscripserāt,pro pia haberi,& vt piam a nobis admitti ac defēdi posse. Qui fieri igitur potuit,vt Domini cōpositores,cùm viderent me nō simpliciter,quēadmodum semper petierant:seu in hæc verba,Hanc doctrinæ formulam,vt piā agnosco,ita etiā recipio,subscripsisse:non intellexerint,me eo sensu,quem explicaui,subscripsisse?nempe eatenus eam formulam à me recipi,quatenus eam iuxta regulam verbi Dei,& doctrinam Augustini, Lutheri,atque Buceri, piam esse agnoscebam,atque etiamnùm agnosco. Quid hîc doli,quid versutiæ,quid tricarum,quid ambiguitatis?Ergo licet fortassis alicui alij, & præsertim imperito, obscura atque ambigua videri potuerit subscriptio mea:ipsis certè arbitris,nec debuit,nec potuit videri.

At clariùs scribere potuisses,sicut posteà explicasti:quod cùm non feceris,non fecisti tunc,quod viri erat boni atque candidi.Quasi verò ideo etiam Prophetæ & Apostoli non fuerint viri boni atque candidi:quia multa clariùs,quàm fecerint,explicare potuerunt. Num ideò etiam Christus non fuit bonus & candidus vir,quia ad multa,tum interrogata tum obiecta,clariùs respondere potuit Iudæis,quàm responderit? Cuius generis propè infinita ab Euangelistis recitantur:Et quidem vbi,veluti cum de ipsius Deitate agebatur,clarior responsio omninò necessaria esse videbatur. Num ideò & Paulus non fecit officium viri boni atque cādidi:quia clarioribus verbis,quàm fecerit,ipsum Antichristum eiúsq; aduentū describere potuit: Quod de Iohāne dicā in Apocalypsi,an nō potuit apertiùs multa explicare,quæ variis tātùm ęnigmatib. indicauit?Num ideo eum accusabimus,quòd nō fecerit officium boni atq. cādidi scriptoris?Sed quid ego cum ineptis hominibus ineptio Cur nō etiā cōpositores de eodē crimine accusantur: qui cùm in Senatu ad Dominos,præter alia,se in scriptis & cōfessionib Zāchij nullā reperisse hæresin retulissēt: nō subiecerunt:in libris verò & scriptis aduersariorum multas à se repertas fuisse: sed hoc dissimulato dixerunt,animorum potiùs fuisse offensiones,quàm in doctrina dissensiones? Verum quis fuit illo Senatu tam cæcus, qui non viderit,aut tam imperitus,qui non intellexerit,si Zāchij doctrina,à suis accusatorib.dānata,nō hęretica,cōtrariā igitur erroneā & hęreticā esse? Itaque cùm res esset perspicua, nisi quis voluisset in mediā luce cęcutire, facilè se hac ratione tuebuntur arbitri aduersus suos accusatores : quod per se necessariò ex relatis consequebatur, illud sua relatione aut explicatione non eguisse. Si quis etiam eosdem velit neglecti officij, quod bonos ac candidos viros decebat, ideò perstringere, quia in nonnullis articulis à se conceptis & nobis exhibitis ita locuti sunt, vt nonnihil clarioris lucis in illis desideretur: respondebunt imperitis duntaxat : & malignis illos esse obscuros atque ambiguos, bonis autem & sincerè omnia interpretantibus omnia esse perspicua atque aperta.

Idem respōdere potuerunt defensores AugustanęConfessionis:in qua nōnulli articuli,in quorū numero est etiā ille de Cœna,ita cōcisis & ambiguis verbis cōscripti sunt: vt de industria ita cōcepti fuisse videātur,quò & à Pōtificiis pro sua,& vicissim à ptestātib. p sua sentētia accipi,interpretari & intelligi possent.

Si hac ratione illi,& meritò quidē,sese tueri possūt:cur nō & mihi,eadē defēsione aduers⁹ hosce meos suggillatores vti liceat?Cū mea pręsertim verba clariora sint,& minus habeant ambiguitatis, quàm multi tū nostrorū cōpositorum,tum autorum ConfessionisAugustanæ habeant?Nam quod vsus sim, Vt,cū potuerim clariùs dicere,Quatenus,vel,Quēadmodū:hoc feci,tū breuitatis caussa:tum etiam,vt ne, re tam apertè posita,& ab illis, qui intētis oculis quid scriberē,intuebātur,statim percepta, calamū mihi è manib. ne alterū adderē mēbrum,nēpè,Eatenus recipio,eriperent:eóque nouæ orirentur altercationes.Quę caussa etiā fuit,cur nomē meum non præposuerim, sed postposuerim : nimirum ne illi videntes meū iā nomē esse subscriptū, mox,ne quidpiā aliud quàm ipsi volebant,adderē,me impedirēt.Sed quis hoc arguat?Cui enim hominum fraudi hoc fuit?aut quid ea ratione de veritate detractū est,& contra gloriā Dei admissū? Imò propter gloriā Dei,ac veritatis defensionem,& promotionem salutis multorū, illud à me factū fuit.

Cùm igitur verba subscriptionis meæ per se sint perspicua, ipsis verò cōpositorib.nullo modo obscura esse potuerint:cúmq; etiā nō ex omni sermonis ambiguitate,qui ita loquitur,eū nec bonū nec cādidū virū esse cōsequatur:luculēter apparet, hosce meos calūniatores aliūde,quàm ex mea subscriptione, ad calamū cōtra me quoq; stringēdū,permotos fuisse. Vndenā ergò?Ego ignoro:Domin⁹ nouit:ipsi viderint Spiritū certè,à quo multi adscribēdū hoc tēpore,calūniādo,errores tuēdo,noua incēdia excitādo,Ecclesias turbādo, agitantur : Spiritum non esse Christi, sed Spiritum, non dicam autLutheranum, ne Lutherum sanctum virum hac ignominia afficiam, aut vbiquitarium, quemadmodum ipsi nostros aiunt agitari à Spiritu Zvuingliano & Sacramentario : sed Spiritum hunc, Spiritum esse vertiginis, quo Deus grauissimam iniuriam, quæ facta est, & quæ quotidiè magis ac magis fit Christo, vlciscitur, persuasum habeo. Soli enim Christo hunc à nobis deferri honorem voluit Pater : vt ei simpliciter credamus, eúmque solum inter homines, adeóque inter omnes Spiritus à se creatos, esse agnoscamus, qui errare nequeat,

Quò ſpectant illa, Hunc audite: Vnus eſt Magiſter veſter Chriſtus: Doctrina mea non eſt mea, ſed eius, qui me miſit, Patris: Omnis homo (qui non etiam ſit Deus) mendax, Deus autem (ſolus, ſimpliciter) verax eſt. Cùm igitur hominem aliquem, vt vt magnis Dei donis ornatum, hoc honore, qui ſoli Chriſto debetur, afficimus, vt quicquid is docet, illud pro diuino oraculo ſimpliciter amplectamur, Doctorémque ipſum, tanquam qui non potuerit errare, ſuſpicimus, colimus, & tantùm non, vt Deum, adoramus: an non ſumma ignominia afficimus Chriſtum filium Dei, vnicum Doctorem noſtrum? an non hoc eſt hominem Deo exæquare? An non hoc eſt Chriſto de ſua cathedra detruſo, purum hominem in ea collocare? Non poſſum hîc tacere, quod olim meis auribus ſumma cum admiratione & animi offenſione audiui. Cùm recens ex Italia Geneuam veniſſem, & P. Viretus B.M. vir concionibus habendis excellentiſſimus, qui eò tũ certis de cauſſis venerat, per ſeptimam vnam eadem hora in ſancto Petro, qua Caluinus in S. Geruaſio, concionaretur: atque ego ſicut in Caluino inſignem doctrinam, ſic in Vireto ſingularem eloquentiam & in commouendis affectibus efficacitatem admirarer, qua de cauſſa illius concionibus ſummoperè delectabar: amicus quidam Gallus qui nullam vnquam Caluini concionem, vt alium, quiſquis eſſet, audiret, omittebat: interrogatus à me, & cur tandem non ſemel ſaltem audiret tam præſtantem & excellẽtem Chriſtianum oratorem Viretum? Apertè in hæc fermè verba, ſed Galliceè reſpondit: Si veniret ſanctus Paulus, qui eadem hora concionaretur, qua & Caluinus: ego relicto Paulo, audirem Caluinum. Seriò autem loqui mihi videbatur: quanquam illa in reſpondendo grauitas vultus & vocis, potuit me fallere. Hoc exempli cauſſa referre volui: vt quonam tandem rapiantur, qui præſtantes viros nimium admirantur, oſtenderem. Ex hominibus in ſumma, faciunt ſibi Deos: ita vt, licèt hoc verbis non fateantur, in animo tamen ſuo eos Chriſto exæquent, & qui ſoli Chriſto debetur, hunc illis honorem deferant, nempe quòd quæcunque illi dicunt & ſcribunt, ea nihil aliud ſint, quàm Dei oracula. Quid hac contra Chriſtum iniuria grauius? Hãc certè contumeliam, ἀνθρωπολατρείαν inultam non fert, nec feret Deus: præſertim cùm ea non vnus cor, ſed multorũ iã animos, eorũ in primis, qui præſunt Eccleſiis, & gubernacula habẽt Reip. Chriſtianæ, occuparit, atque ita occuparit, vt qui aliter, quã ipſi ſentiunt, eos gladio & igne perſequantur: nõ fert inquã, nec feret hanc iniuriam Chriſtus: ſed eam ſeueriter, vt ſolitus eſt, vlciſcetur: idque variis flagellorum generibus atque inprimis ſpiritualib. peccata peccatis, blaſphemias blaſphemiis, hæreſes hæreſibus puniendo: & Spiritu vertiginis, eos qui talia agunt, agitando: & per eos, ipſorum quoque cœtus in dies magis ac magis perdendo, tandem penitus, niſi reſipiſcant, euerſurus. Cùm enim dixerit, Gloriam meam alteri non dabo, nunquam autem errare erraréve poſſe, ſolius Dei & Chriſti ſit gloria: quicunque hanc aut ſibi ipſi, aut aliis tribuunt, eos dementat, & Spiritu ſeductionis in varios & tetros impellit errores Deus, quibus maniſeſtiſſimi conuincantur mendacij: quemadmodum è ſacris literis, tum teſtimoniis, tum exemplis abundè demonſtrari poteſt, vt iam de hiſtoriis Eccleſiaſticis taceamus. Quis obſecro non videt, quid tum Mahometanis, tum Romanis Eccleſiis hanc ob cauſſam contigerit? Omnes illæ ampliſſimæ & feliciſſimæ regiones quæ iam occupantur à Turca, erant olim florentiſſimis Eccleſiis refertiſſimæ. Poſtea verò quàm illi populi, Mahometi Neſtoriano tantum honoris tribuerunt, vt ei tanquam Spiritu Dei pleno, & à Deo ad mundum reformandum miſſo, ſimpliciter in omnibus credendum eſſe iudicarint, quòd neque falli, neque fallere poſſet: quantum errorum, quantum hæreſeôn, quantum denique blaſphemiarum, vitiorum ac ſcelerum conſecutum ſit, quis eſt qui neſciat? Nam penitus tandem defecerunt à Chriſto. Quando verò vnquam Eccleſia Romana pluribus, grauioribúſque contaminata fuit erroribus, ſuperſtitionibus, idololatriis: quàm cùm ſuum Papam, tanquam vicarium Chriſti, atque adeò Deum quendam in terris, ita adorare cœpit, vt ſiquis eum in fide errare poſſe diceret, hunc anathemate feriret, ignéque & gladio perſequeretur? Dignum certè tali blaſphemia flagellum: vt qui falsò contra honorem filij Dei aut ſe, aut ſuos præceptores errare non poſſe gloriantur & illi & iſti Spiritu mendacij, ſeductionis, vertiginis agitentur, idque vt ſoli tandem Chriſto, ſicut debet, integra & ſarta tecta maneat gloria. Valdè vereor, ne hoc idem cõtingat Germaniæ: vbi nunc plerique omnes Lutherum, tanquam tertium, vt ipſi vocant, Eliam, ita adorant, vt ſi quis quid in eius doctrina, præſertim in ſententia de reali corporis in pane, & vbique præſentia, qua in re totius religionis puppim & proram collocatam eſſe putant, reprehendat, aut etiam modeſtè ſe non probare, dicat: hunc tanquam Turcis, & quouis hæreticorum genere peiorem ac peſtilentiorem, non ſolùm ferre nullo modo poſſint, ſed nullo etiam non dignum ſupplicio eſſe arbitrentur, dicant, ſcribant, re ipſa declarent, quaſi Lutherus in his, quæ ad religionem pertinent, & in interpretationibus Scripturarũ errare nequiuerit. Cur igitur ipſe Lutherus hanc in Pontificibus Romanis impiam arrogantiam damnauit: ſi hoc de ipſo ſentire impium, & dicere blaſphemum non eſt? Vt multa, reuerentiæ erga tantum virum cauſſa, omittam: An non columnæ Germaniæ, atque inprimis Lutherus, & putidiſsimè errarũt, & turpiſſimè ſe dederunt, cùm illud ſanctiſſimum ſcilicet conſilium dederunt fortiſſimo illi & optimo Principi Philippo Landtgrauio, cui hæc mea dedicaueram Miſcellanea, vt viuente adhuc priore, legitima nimirũ, vxore duceret alteram, hoc eſt adulteram? Hoccine fuit conſilium Eliæ & Eliſæi? Hoccine eſt non poſſe non errare in doctrina fidei? perperam certè tum interpretati ſunt Scripturas quæ ſunt de coniugio, ea in parte, cur non & in aliis hallucinari potuerunt? Detur ergo, detur gloria Deo, & vnum ſolũ Ieſum Chriſtum ſimpliciter errare non poſſe, ingenuè fateamur. Illam itaque blaſphemiam, atque vnius creaturæ idololatriam vlciſcitur quotidie Dominus: dum ſuo iuſto iudicio efficit, vt horum idololatrarum nonnulli quotidie proficiant in peius, & magis ac magis in dies dementententur. Quænam obſecro maior eſt dementia, quàm ſic argumentari: Tu non ſentis cum Luthero in interpretatione verborum cœnæ, HOC EST CORPVS MEVM, id eſt, (inuerſa tota propoſitione) corpus meum eſt ſub, in, & cum hoc: item, non credis cum eodem, & Brentio, Corpus Chriſti naturale, ſua ſubſtantia realiter eſſe vbique locorum, imò & extra omnia loca: Ergo non es Chriſtianus, nec ferendus in Eccleſia: imò ne in ditionibus quidem noſtris, tanquam hæreticus, & peior Turcis atque Iudæis.

Quid, inquam, hac argumentatione dementius? Si enim hæc argumẽtatio valet, oportet hanc theſim veram eſſe ac neceſſariam, nempe: Quicunque à condito orbe cum Luthero non ſenſit, ſentit, aut ſenſurus

eſt, in

est, in his duobus articulis: ille Christianus esse nō potuit, nō potest, nunquā poterit. Itáne verò hæc fuerit regula, qua Christianus à nō Christiano dignoscatur? O indoctos Apostolos, imperitósque Patres omnes, qui in vestris Symbolis, quibus, quomodo Christiani à nō Christianis discerni possent, docuistis, hāc nouā notā ignorastis! Christiani igitur non fuerunt, quicunque dixerunt, panem esse figuram, & signum, & ἀντί-τυπον corporis Christi, vt Tertullianus, vt Augustinus, vt Græci Patres. Exterminandi item omnes fuerint ab Ecclesia, qui Christum docuerunt per id, quod homo est, esse tantùm in cœlo: per id autem quod Deus est esse vbique. Fridericus etiam III. (vt domi nostræ maneamus) laudatissimæ semper memoriæ non ita pridem Elector Palatinus, per vos exhumandus fuerit, & eius ossa in Nicrum proiicięda, vel Vulcano tradenda, quia cum Luthero in his articulis non consensit. Date, date gloriam Deo. An non hoc ex vestris concluditis? Taceo enim iam de Philippo Lantgrauio maiore, qui cū Tigurinis, hęreticis illis, si Deo placet, atque diabolis, amicitiam ad extremum vsque coluit. Taceo & de reliquis Principibus ac Respublicis, qui isti nouo doctrinæ corpori, in quo vterque hic articulus Ecclesiis sub anathemate obtruditur, non subscribunt, nec subscribere volunt, sed constanter subscribere detrectant, idque meritò. Fuerintne igitur (vt fortè nonnulli cupiunt) è finibus Germanię pellendi? Taceo etiam de omnibus aliis nationibus extra Germaniam, quæ sunt innumerabiles. Vbiquitas enim vestra non ita vbique est, vt extra Germaniam inueniat locum. Sed in vno Friderico tertio Electori Palatino, ne procul vagemur, persisto. Si vestra regula & thesis vera est: constet autem, eum cum Luthero in illis duobus articulis, in quibus tota controuersia totúmque præsens bellum consistit, ad mortem vsque nō consensisse: annon sequitur, vobis etiam præ metu filiorum tacentibus, eum mortuum esse hæreticum & nullo modo Christianum, quippe non Lutheranum: eóque non in cœlum, sed aliò (malum) migrasse? Qui animis fortè annuunt, propter profligatam impietatem: verbis propter filios negabunt, ac dicent, vt dicere solent : Fridericus tertius fuit optimus Princeps, sanctissimus Princeps, religiosissimus Princeps. Absit, vt sinistrè quidpiam de illo Principe sentiamus. Interim tamen in doctrina pugnante cum Lutheri sententia mortuus est. Mortuus igitur per vos non Christianus. non pius, non religiosus, quia non Lutheranus. At fuit seductus. Sed siue seductus siue non seductus: profectò quicunque moritur non Christianus, illi in cœlum non patet accessus. Quid hic ais Catilina? Si estis boni & candidi viri, cur non dicitis apertè, id quod in animo de illo Principe sentire videmini, atque si, cum moreretur, non sensit cum Luthero, omnino concluditis? At hoc non dicimus.

Quid ita? annon, quia magnus Princeps fuit, & magnorum Principum parens? O, nolo dicere, Adulatores! nam de bono & paupere Philippo, qui apertè in his articulis cum Luthero se non sentire professus est, déque aliis eius similibus id pronuntiare multi fortè non verebuntur. Est igitur magnum Dei flagellū hæc dementatio, hic furor, hoc odium, quo aduersus omnes, qui cum Luthero & Brentio in illis nouis fidei articulis consentiunt, isti quarti Eliæ feruntur. Vnde autem hæc diuina dementatio? Ex illa in filium Dei ignominia, de qua satis dictum est.

Ex hac itaque ira Dei, qua punit peccata peccatis, & blasphemiam in filium Dei aliis blasphemiis, ita vt iā multos non pudeat, editis etiā libris, appellare se Lutheranos, parū memores Apostolicæ reprehēsionis, aduersus eos qui dicebant, Ego Cephæ, Ego Pauli, ego Apollo: Ex hac, inquam, ira Dei, totam etiam hanc effrenem in quemuis debacchandi libidinem proficisci, persuasum habeo : quoniam sic solet Deus sua exercere iudicia. Cuius rei recens exemplum afferre iam possem, si mihi animus esset quempiam perstringere: & non potius quorundam, qui mihi perditi esse videntur, exemplo, reliquos, vt resipiscant, tacitè monere: ac fratres omnes, vt ab hoc grauissimo crimine, quo mortales homines pro diis immortalibus adoramus, per Iesum Christum diligenter sibi caueant, rogare. Deum immortalem, qualem ego librum hoc anno, & quidem recens, nolo dicere vbi aut à quo editum, nuper legi! Vix Angelis parcitur & Deo. Oportuit ad extremum ipsum quoque Bucerum, beatæ memoriæ, denuò exhumari & concremari. Quousque tandem isti Catilinæ abutentur patientia, non nostra, sed Dei? Quandiu istorū furor Ecclesiā Christi turbabit? Quē tādē finē effrenata horū audacia, calūniādíq; & cōuiciādi capiet libido? Sed res, vt video, desperata est.

His igitur omissis, cùm satis supérque de mea illa subscriptione aduersus calumniatores dixerim, ídque non sine animi mei & dolore & indignatione: spectata tum rei indignitate, tum horum malè feriatorum, vt modestè loquar, hominum vanitate, æquum est, vt ad vos, amplissimi Domini, & Fratres obseruandi, mea reuertatur oratio. Caussam, quam initio vobis viri clarissimi iudicandam proposui, satis, vt puto, perspicuè explicaui: ac cur sentiam hosce meos aduersarios à Spiritu vertiginis agitari, rationes non infirmas attuli. Vos vt prudentes, & tum sacrarum literarum, tum iuris diuini atque humani, tum denique rerum peritissimi, facilè ex iis, quæ dicta sunt, facere potestis de tota hac caussa iudicium.

Nunc gratulor vobis ex animo, totíque Belgio, istam singularem Dei, qua vos dignatus est, benedictionem : nempe, quòd vbi antea tyrannus Satan, suum custodiens regnum omnia sua in pace possidebat, filios autem Dei crudeliter affligebat: ibi nunc Christus, eiecto tyranno, vtpote fortior illo, & erecto sui Euangelij vexillo atque sceptro, sedem sui regni collocauit, felicitérque regnat. Et in medio inimicorum suorum, ciuibus suis è manibus Satanæ eripiendis, à seruitute peccati liberandis, vera conscientiarum & Spiritus libertate donandis, dilectione inter se cōciliādis, spe ad æternam vitā erigēdis, fide cōtra omnia aduersa sustētandis, vi sui Spiritus in dies magis ac magis, renouandis, varijs beneficiorū generibus afficiendis, & ad perfectam æternę vitæ possessionem disponendis ac perducēdis, fremente Satana, dominatur.

Quid enim hoc incomparabili & multiplici beneficio maius? quid præstantius? quid vestræ, vestrorúmque liberorum, ciuiúmque omnium saluti conducibilius desiderari à vobis poterat? Magnum est è potestate crudelissimi tyranni liberatum esse: maius, liberè sub optimo, sapientissimo & potentissimo Principe viuere: maximum, multis & præclaris beneficiis quotidie cumulari. Quid verò, si etiam regni sui participē ac consortē te efficiat? Hæc autem à Christo apud vos iam regnante accepistis, & quotidie magis ac magis accipitis : siquidem verbum eius, quod vobis purè prædicatur, attentè auditis, ac vera fide percipitis : & ab eiusdem Christi Spiritu vos ipsi regi ac duci, sine repugnantia & reluctatione permittitis.

De iis enim intelligitur, præter alia, illud Apostoli ad Ephesios: Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. Eratis tenebræ, hoc est, vt antea explicarat, versabamini in vanitate mẽtis vestræ, cogitationem habentes obtenebratam, & abalienatam à vita Dei, propter ignorantiam quæ in vobis erat, ex obduratione cordis vestri, &c. Tenebræ igitur istæ tria summatim complectuntur, ignorantiam Dei, animíque cæcitatem: alienationem à Deo, cordísque obdurationem & impœnitentiam atque ex consequenti, extremam maximámque infelicitatem & damnationem æternam. Hoc sanè sensu eramus omnes tenebræ: Nunc autem lux in Domino. Lux quidem: hoc est, vera Dei cognitione, vera in Christum fide, vera iustitia & sanctitate præditi, & veræ æternęque felicitatis participes effecti: in Domino autem, tum quia in ipso, tanquam in capite. per imputationem tales sumus: tum quia per ipsum, suo in nobis Spiritu operantem, horum beneficiorum reapse participes simus. Quid igitur felicius, quam esse in regno Christi, & ab hoc cœlesti Monarcha gubernari? Omnes siquidem boni & veri Principes ac Reges in hoc intenti sunt & esse debent, vt nihil prætermittant, quo sui ciues sint verè boni, honesti, iusti ac religiosi, & in pace ac charitate cum proximo, eóque feliciter viuant, quemadmodum de officio eorum docet Apostolus: sed licet, ad externa pietatis, honestatis & iustitiæ opera quod attinet, vtcunque retinere suos ciues in officio possint: reuera tamen ab innata impietate, iniustitia & cordis impuritate eos purgare, & verè bonos atque iustos per se efficere nũquam potuerũt. Quid ita? quia ius quidem habent & potestatẽ in corpora: in animas autem nullam, vt eas vel occidere, vel viuificare queant: & externis quidem legibus præcipere possunt, sed eas in cordibus scribere, vt Christus, non valent: & externo etiam gladio scelera compescere, sed gladio Spiritus vitia è cordibus tollere, vt facit Christus, minimè possunt. Solius enim nostri cœlestis Regis est illa vox: Auferam cor lapideum, & dabo cor carneum. Sub quo igitur Principe feliciùs, quàm sub Christo & in Christi regno, viui potest? Est præterea noster Rex, & semper & vbique cum suo populo præsens, omnésque nostras videt necessitates, audit gemitus, inuocantes exaudit: quæ certè pręstare Reges mundi non possunt.

Compendiosa quoque & facilis est ratio, qua suos regit populos Christus. Omnia enim agit suo verbo & Spiritu: Verbo, inquam, nunc nudo, nunc Sacramentis vestito. Ipse item solus omnia agit & regit, id quòd certè Principes mundi facere non possunt. Etsi enim dedit Apostolos, Prophetas, Doctores, Pastores, ad instaurationem Sanctorum, & ædificationem Ecclesiæ, ipse tamen est qui omnia agit in omnibus: in Paulo plantat, in Apollo rigat, per se ipsum dat incrementum. Proinde omnia in isto regno bene succedunt, & omnia in electis cooperantur in bonum.

Quid, quòd non solùm & spiritualia bona liberalissimè in hoc regno, omnibus ciuibus, pro mensura doni Christi, distribuuntur: sed etiam bonorum huius mundi tantum cuique suppeditatur, quantum ad piè sanctéque viuendum sit satis? in quem finem diaconos quoque in hoc suo regno instituit, vt per eos bona pauperibus, pro cuiúsque necessitate, dispensentur. Huic beneficio accedit, quod suo verbo & Spiritu efficit, vt quisque sua sit sorte contentus, & in vitæ genere, ad quod vocatus est, læto animo permaneat.

Adde iam & aliam ingentem & suauissimam benedictionem, quòd hic Rex suo verbo & Spiritu efficit, vt ciues sese sincera charitate complectantur, vt hoc vinculo vnum fiant, sicut & Pater & Filius vnum sunt. Quæ res certissima est nota, qua veri ciues huius regni à non ciuibus discernuntur, dicente Rege Christo: In hoc cognoscent homines, quòd sitis mei Discipuli, si dilectionem habueritis ad inuicem.

Coniugia item suorum ciuium sanctificat, & thoros reddit immaculatos, efficitque vt vir & vxor non tam corpore quàm animo reuera vnum sint in Domino, vt filios procreent non mundo, sed Christo, quibus eius regnum in finem vsque mundi impleatur. Hoc verò mirabile est in hoc regno, quòd iste Rex vult & efficit vt regna mundi suo regno subiiciantur: & vicissim vult ac efficit, vt suum quoque regnum regnis mundi subdatur. Regna mundi regno suo subiicit, dum efficit vt reges cum suis populis tracti à Patre, sese Christo sponte subiiciant, eique tanquam Regi Regum, fidem & obedientiam promittant. Baptismatis Sacramento obsignentur, regno eius incorporentur, ita vt, licet fiant nutritores & protectores Ecclesiæ, omnibus tamen Christi legibus & institutis, tanquam suaui iugo, non minus quàm reliqui ciues sua ex animo subdant colla.

Suum verò regnum subiicit mundi regibus, dum efficit, vt quemadmodum ipse, cùm in mundo versaretur, sublimioribus potestatibus, quibus tamen ipse vt Deus gladium dederat, vt homo subiectus fuit: ita etiam eisdem ciues sui omnes, nemine excepto, subiiciantur: iuxta mandatum, Omnis anima potestatibus sublimioribus subiecta esto? Sed quousque? Dum subiectio quam debent suo Regi Christo, non violatur, & libera manet conscientia, ita nunquam nisi Christo, spiritu ac conscientia subiecti sunt ciues huius regni.

Regnum autem hoc, ideo regnum cœlorum in sacris literis appellari solet, quia licet in terris quoque sit, & in hoc mũdo: non est tamen è terra, nec de hoc mũdo, vt Christus apertè Pilato protestatus est: sed è cœlo est, cœlestia tractat, ad cœlum ducit, in cœlo cõsummabitur: vt πολίτευμα nostrum semper sit in cœlo. Quanta igitur in hoc regno felicitas?

Etsi verò vbicunque sunt electi, siue pauci, siue multi in nomine Christi congregati, ibi regnum Christi est: speciatim tamen, vbi publicè sonat purum Christi verbum, puráque eius Sacramenta administrantur: ibi solium suum habere Christus Rex noster verè dici ac prædicari potest. Hoc cùm iam vobis, ipsius Christi beneficio, concessum sit quomodo possum vobis, quos singulariter amo, non ex animo gratulari?

At variis premimur calamitatibus, domi & foris. Audimus: & dolorem vulnerum vestrorum sentimus: & toto corde Deum, qui vos liberet, precamur. Sed quam ob causam ista patimini? Propter Euangelium, propter Christum, propter iustitiam. Beati ergo: & meliùs est, si Deus velit, vt bene agentes patiamini

ini quàm malè agentes. Ipsum etiam regem Christum oportuit pati, & ita intrare in gloriam suam: tiam rum igitur, si nos quoque eâdem viâ in gloriam nobis præparatam adducere velit? Prædestinauit qui, vt essemus conformes imagini Filij eius, Christo igitur passo in carne: & vos eâdem cogitatione armemini. Quotquot enim piè volunt viuere, in Christo persecutionem patientur. Nec decet, vt sub capite spinis coronato, viuant membra in delitiis. Hæc est perpetua sors Ecclesiæ: vt qui filius est secundum carnem, persequatur eum, qui est secundum Spiritum. Vobis igitur donatum est pro Christo, non solùm vt credatis in eum, sed etiam vt patiamini pro illo: & vt stigmata Domini nostri Iesu Christi feramus in corporibus nostris. Sed non sinit Deus vos tentari supra id, quod potestis sustinere: sed dabit etiam vnà cum tentatione euasionem, vt possitis sufferre. Iudicamur enim à Domino, ne cum hoc mũdo damnemur. Cruce enim mortificatur vetus homo: huius mortificationem sequitur noui viuificatio. His autem duobus promouetur salus nostra. Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet: si autem mortuum fuerit, multum fructum adfert.

Neque frumenta in horreum reponuntur, nisi flabellis benè à paleis, aristis & glumis repurgata: Neque lapides in templo Salomonis collocantur, nisi scapellis & malleis benè cæsi, nec coronabitur, nisi qui legitimè certauerit: & quos Deus diligit, corrigit & castigat: Et si compatimur ac crucifigimur cum Christo, cum illo etiam resurgemus & conregnabimus. Nec sunt condignæ passiones huius seculi, ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis: Incredibiles & innumerabiles sunt fructus, quos parit & profert hæc arbor crucis Christi. Quibus? Ciuibus regni Christi: idque benedictione Spiritus eiusdem Regis Christi: qui suâ potentiâ efficit, vt omnia cooperentur in bonum, iis qui diligunt eum, id est, ad hoc regnum electis, & in illud cooptatis. O beatos, qui in hoc degunt regno, & conciues sunt Sanctorum, ac Domestici Dei.

1. Quid igitur nobis restat? Hoc vnum, vt Christum vero, & qui ei placeat, cultu colamus.

2. Nullus autem ei placet, quem ipse non instituerit. Coloss. 2. Omnes enim ἐθελοθρησκείαι ab ipso per Apostolum, & per Prophetas damnantur.

3. Quemnam verò ille instituerit, ex solo eius verbo cognosci potest.

4. Verbum autem Domini docet Deum inprimis coli fide: corda purificâte: deinde operibus ex fide proficiscentibus: ita vt nihil cultus Dei verè dici possit, nisi & actio seu opus sit, lege Dei mandatum, & fiat ex fide per charitatem efficaci: quemadmodum & de primo ait per Prophetam: Frustrà colunt me docentes doctrinas & mandata hominum: Et de altero per eundem Prophetam prædicat, dicens: Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè est à me. Item Apostolus: Sine fide impossibile est placere Deo. Quibus duobus additur tertium, nempe gloria Dei, in quam, tanquam in finem vltimũ tendat opus, quod fit ex fide: dicente eodem Domino per Iesaiam: Omnem, qui inuocat nomen meum, in gloriam meam creaui eum, formaui eum, feci eum: & Christo, Sic luceat vestra lux coram hominibus, vt videant opera vestra, & glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est, &c. Et Apostolo confirmante, cùm ait, Omnia in gloriam Dei facite. Finibus enim, non officiis, vt rectè Augustinus docuit, à vitiis discernuntur virtutes. iis tribus partibus verum Dei cultum constare, tradunt Scripturæ.

5. Distinguunt autem eædem sacræ literæ cultum hunc, in internum & externum. internus est animi, externus corporis: qui sine illo cultus rationem non habet: vt etiam cadauer sine anima, homo dici verè non potest. De vtroque Apostolus: Glorificate Deum in corpore vestro, & in spiritu vestro, quæ sunt Dei. Quia enim Deus vtrumque nobis dedit, & animam & corpus: ideo vtroque etiam se sanctificari velle docet per Apostolum.

6. Est autem internus cultus, motus seu actio cordis fide purificati, cum lege Dei congruens: Externus verò, actio, seu externum, à tali corde proficiscens, cum eadem lege Dei consentaneum: quocunque in statu Deo placente quis viuat.

7. Totum verò hunc cultum, tam externum quàm internum, ideo spiritualem sacræ literæ vocant, quia à spiritu nostro, per Spiritum sanctum, quo fideles aguntur, renouato, totus proficiscitur. quo illud Christi: Tales quærit Deus adoratores, qui adorent eum in Spiritu & veritate: hoc est, qui à Spiritu Dei acti, omnia sincerè, ex fide, secundùm Dei voluntatem, & ad eius gloriam agant.

Præter ergo actiones & opera, toti Ecclesiæ in publico cœtu Ecclesiastico communia, quæ communi etiam & recepto nomine cultus Dei appellari solent: tota quoque vita nostra, omnésque nostræ actiones, cultus Dei esse possunt, si ex fide, si iuxta legem Dei, si ad eius gloriam fiant.

8. Christus porro, sicut totus secundùm vtramque naturam Rex noster est: sic totus etiam nobis est, nulla facta naturarum, vel per animi cogitationem, distractione, colendus & adorandus.

Hæc pauca de regno Christi, déque nostro erga hunc Regem officio, quanquam minus quàm fortassis decuit, elaborata, vt pote quæ à me cùm variis animi molestiis affecto, tum multis occupationibus, propter hanc communem & vrbis calamitatem, & Scholæ, distento, raptim & succisiuis horis concepta ac conscripta fuerunt: æqui tamen & boni consulatis rogo.

Exiguum verò hoc, quod ad vos mitto, munusculum Miscellaneorum meorum, quæ idcirco vobis, vt antè dixi, dedicaui, vt toti orbi Christiano meam erga vos obseruantiam testatam facerem, grato accipiatis animo etiam atque etiam obsecro. Dominus Iesus vos diu incolumes seruet, Ecclesias regat, totamque regionem ab omni hostium genere tueatur, atque in vera pace ad gloriam sui nominis custodiat. Neustadio octauo Septemb. Anni 1582.



SVMMA PRIORIS PARTIS.

Libro primo insunt hæc:

I. EPistola ad Philippũ Maiorem Lantgrauium: in qua historia prioris dissidij Argentinensis, quod a Ioh. Marbachio seniore, accusatione aduersus Hieronymum Zanchium instituta, excitatum fuerat, describitur.

II. Epistola ad Iohan. VVolfium Tigurinum: in qua, & quænam ad Tigurinos, examinanda miserit autor, & cur miserit, de singulis ratio redditur.

III. Supplicatio ad ampliss. Senatum Argentinensem: in qua articuli aliquot Augustanæ Confessionis: Et articuli à Compositoribus pro concordia conscripti explicantur.

Libro secundo hæc:

I. Theses Zanchio obiectæ, & ab accusatoribus damnatæ: Ab Academiis autem & Ecclesiis, virisque doctis comprobatæ.

II. Academiarum & Ecclesiarum, Doctorúmque Theologorum de thesibus iudicia.

III. Prælectiones, quæ fuerant ab aduersariis suggillatæ.

De Fine seculi, sex capitibus comprehensa tractatio.

De Perseuerantia Sanctorum, absoluta tractatio. Tria enim capita, quæ in priori editione desiderabantur, adiecta sunt: Adiecta item primo capiti cõfirmatio doctrinæ, ex scriptis Philip. Melanch. Summa item argumentorum quorundam, quæ, cum exspectaretur disputatio, autor sibi parauerat.

De libro vitæ.

De gradibus nostræ salutis, & in primis de gratia Dei.

De prædestinatione in genere: & Sanctorum, capita quatuor.

De impiorum excæcatione, induratione, & ad interitum prædestinatione: quæstiones quinque.

De Redemptione Ecclesiæ, certitudinéque nostræ salutis, ac prædestinationis ad vitam æternam: Cum explicatione vaticinij Iesa. 9. Populus, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam.

De Christo aduocato.

De peccatorum remissione.

De studio Christiani hominis: atque in primis vitandi peccata, seruandæque legis diuinæ.

IV. Calumniarum de variis doctrinæ Christianæ capitibus, quorum postremum est de Cœna, breuis depulsio.

Summa prælectionum, de quibus suprà, certis thesibus comprehensa.

Libro tertio continetur.

Confessio de Prædestinatione, Perseuerantia, Cœna Domini, olim Magistratui Argentinensi Latinè & Germanicè exhibita: quæ nunquam, nisi nunc primùm in lucem data fuit: in qua multa scitu dignissima, ex variis Ecclesiæ Argentinensis Confessionibus, Synodis, Disputationibus tempore Buceri habitis, bona fide iuxta αὐτόγραφα, quæ erant apud sanctum virum Conradum Hubertum olim Buceri amanuensem, collecta, continentur.

Confessio de prædestinatione sex habet capita.

In capite primo

Fundamenta continentur, ad doctrinam de Prædestinatione rectè intelligendam, cognitu pernecessaria, & certis thesibus breuiter comprehensa nempe de

Dei { Sapientia: / Voluntate: / Immutabilitate, atque constantia: / Omnipotentia, Actionéque in omnibus rebus: / Iustitia: / Misericordia.

De vocibus { Amoris & Odij in Deo: / Electionis: / Præscientiæ: / Prædestinationis.

Triplex item prædestinationis definitio.

In cap. secundo:

De æterna Dei prædestinatione in genere. Singulis autem thesibus subiiciuntur, primum demonstratio à posteriori: deinde testimonia sacrarum literarum, Augustini, Lutheri, Buceri.

In cap. tertio.

De prædestinatione Sanctorum: eadem methodo explicata & confirmata.

In cap. quarto.

De Reprobatione & Prædestinatione impiorum, non dissimili methodo tractata.

In cap. quinto.

De prædicanda hac doctrina: déque multiplici huius doctrinæ vsu.

In cap. sexto.

Confirmatio totius huius doctrinę ex Confessionibus, & Apologia Ecclesiæ Argentinensis: Disputationibus item Buceri, & decretis Synodalibus.

Confessio de Perseuerantia habet capita tria.

In primo cap.

Explicantur hæ voces, Fides, Gratia, Sanctus.

In secundo cap.

Quæ non controuertantur, & quæ controuertantur in hac quæstione.

In tertio cap.

Hæ quęstiones explicantur: Prima, De duplici homine in renatis. Secunda, De modo, quo Sãcti volentes peccãt: & quî fiat vt idem sanctus vir, quod non vult malum, illud tamen agat, eóque & velit: & rursus, quod vult bonum, id non faciat, eóque & nolit. Tertia, De qualitate peccatorum in renatis. Quarta, An Sancti perseuerent in peccatis. Quinta, An Sancti in fide semel donata perseuerent in finem vsque.

Confessio de Cœna hæc habet capita.

I. De communione cum Deo & Christo.

II. De iis quæ in Cœna exhibentur.

III. De horum omnium vsu.

IV. De officiis hominis Christiani in Cœna Domini.

V. De verbis Cœnæ.

VI. Confirmatio doctrinæ ex Confessionibus & decretis Ecclesię Argentinensis. Vbi contra oralem (vt vocant) & impiorum manducationem non pauca.

Accesserunt Orationes duæ.

I. De aperiendis in Ecclesia Scholis, déque opera sacrarum literarum studiis cum primis danda.

II. De dignitate studij Theologici, in promotione Doctorum Theologiæ habita.

Item,

Iudicium de dissidio in Cœna Domini.

Theses Analyticæ de vera reformandarum Ecclesiarum ratione, seu de regula Concilij.

HIERON.

HIERON. ZANCHII

MISCELLANEORVM LIBER PRIMVS.

EPISTOLA

AD ILLVSTRISSIMVM PRINCIPEM H. M. PHILIPPVM SENIOREM LANTGRAVIVM, CVI LIBER dedicatus fuerat:

IN QVA

Continetur historia de prioris dissidij Argentinensis ortu, progressu, exitu, compositione, déque his quæ compositionem consecuta sunt.

CVm annos non paucos, Illustrissime Princeps, sacras literas sinceriorémque Theologiam Argentinæ professus essem, nihil verò, vt alij solent professores, lucubrationum mearū, præter προγυμνάσματα quædam in Physica Aristotelis, quem extra ordinem aliquot annos ibidem interpretatus sum, foras dedissem: superiori tandem anno quædam αὐτοσχέδια, nimirum hæc Theologica miscellanea, cuidam singulari amico, & optimo viro atque typographo, imprimenda dedi: eáque T. Illustrissimæ Celsitud. certis de caussis, quas postea explicabo, dicaui. Verū liber cùm esset sub prælo: operâ quorundam, qui autoritate valebant, in medio cursu interruptus atque suppressus, prodire in lucem nisi nunc primùm recusus, non potuit. Caussa verò, cur illum supprimendum curauerint viri illi: non fuit quòd aut vllam contineret hæresin, aut in quempiam esset contumeliosus: quemadmodum facile videre est, si quis Librum inspiciat: sed, si licet dicere quod facilè est στοχάζεσθαι, imò quod postea rei euentus docuit, ea fuit, vt maculæ quorundam amicorum, quorum existimationem omnino sartam tectam esse debere iudicabant, luce veritatis sepultâ, perpetui silentij tenebris contegerentur. Atque id quidem rectè & prudenter: si citra aliorum, etiam quàm plurimorum, quorum existimatio non minùs quàm illorum paucorum erat curanda, infamiam: si citra ipsius veritatis iniuriam: si citra apertum Ecclesiæ damnum: si denique citra gloriæ ipsius Dei periculum celari veritas potuisset. Fuerant enim ab illis amicis, quorum causâ Liber meus fuit suppressus, primùm quidem propositiones aliquot piæ omnino atque Christianæ, vnà cum autore qui eas in Schola palàm non semel tradiderat: apertis scripturarum testimoniis comprobauerat: autoritatibus Patrum, atque imprimis Augustini, confirmauerat: doctissimorum etiam nostri seculi virorum, Buceri præsertim, sententiis communierat: tandem non modò nouitatis sed etiam hæreseos, tum voce tum scriptis damnatæ: idque pertinaciter per multos supra annum menses. Deinde verò nonnullæ eiusdem sui Collegæ lectiones, illæ nimirum vnde Theses excerptæ fuerant, ita in vniuersum apud multos traductæ, vt eas prorsus intolerabiles esse dixerint. Postremò grauissimæ, illæque penè innumerabiles calumniæ, contra eundem fratrem & nouem annorum Collegam, quibuscunque fieri potuit modis, in vulgus sparsæ. Contrà verò hic Liber continebat tria scriptionum genera: nimirum Iudicia multarum Academiarum & Ecclesiarum, earúmque Germanicarum, quibus Theses ab amicis illis damnatæ, omni hæreseos crimine liberabantur: Lectiones ipsas de quibus erat quæstio: ac demum calumniarum multarum depulsionem.

Neque verò hæc inuulganda curaueram aut temerè, aut præcipitanter, aut inuidiose, malóve in accusatores meos animo. Principiò enim graues caussæ ea vt in lucem darem, me compulerunt, gloria Dei, amor veritatis, vtilitas Ecclesiæ, existimatio multorum, qui meam doctrinam non refutatam, neque legitimè cognitam, condemnari nolebant, denique meæ innocentiæ meíque ministerij defensio. Deinde non statim de principio hæc inuulganda curaui: sed tum demum, cùm vidissem omnia à me frustrà tentata fuisse remedia, eaque honesta, amica, Christiana, quibus sublato omni dissidio, veritas suo restitueretur loco: nimirum biennium ferè post factam contra me accusationem. Nullo verò malo in quempiam animo me, vt hic Liber in lucem prodiret, curasse, inde satis luculenter apparet: quòd & perpetuò quæsiui, vt articuli mihi obiecti, hæreseósque damnati, aut publica disputatione in Schola, vt moris vbique est, discuterentur: aut amico colloquio cognoscerentur, totáque materia dissidij tolleretur. Et in ipso Libro, nemo vllis conuitiis ac contumeliis à me afficiebatur, imò ne nominabatur quidem: quanquam ego fuerim ab illis, multis & iniuriis & contumeliis affectus atque lacessitus. Neque enim ignorabam illud ab ethnico etiam homine traditum & multis rationibus confirmatum: βέλτιον ἐστι τὸ ἀδικεῖσθαι ἢ ἀδικεῖν. Multò minùs me latebat illud Salomonis: non esse in conuitiatores regerenda conuitia, ne vnà cum illis nos etiam stultescamus: & præceptum Christi saluatoris nostri: Ἐγὼ δὲ λέγω ὑμῖν, ἀντιστῆναι τῷ πονηρῷ, animo obseruabatur meo. Sed vicissim etiam è Scripturis didiceram, neque boni esse viri ad iniusta obiecta crimina prorsus tacere, neque boni Doctoris, sanam doctrinam damnantibus nihil respondere. Qui enim dixit: Ne respondeas stulto iuxta stultitiam eius, ne

similis ei fias etiam tu: idem mox subiecit, Responde STVLTO iuxta stultitiam eius: ne sit sapiens in oculis suis. Et qui dixit μὴ ἀποκρίνου τῷ ἄφρονι, idem suo exemplo docuit calumnias esse depellendas. Apostolus verò de Episcopis & Doctoribus tradit, eorum officium esse non solum ἀντέχεσθαι ἐν τῇ διδασκαλίᾳ τῇ ὑγιαινούσῃ: sed etiam τοὺς ἀντιλέγοντας ἐλέγχειν.

Cæterùm quo, Illustriss. meus Princeps meliùs & clariùs ceu in picta tabella videre possis, iurène, an iniuria Librum hunc, & anno superiori ante compositum dissidium, cudendum curauerim, & nunc post illam qualemcunque compositionem, recusum in lucem miseram, exorsus à mea in Scholam Argentinensem vocatione, principiò breuiter ostendam, tum quibus legibus eò fuerim vocatus, & post biennium confirmatus: tum quo pacto me in officio meo, fideliterne an secus, gesserim. Deinde explicabo, quæ initia, quos progressus, & quem tandem finem habuerit dissidium illud molestum sanè ac diuturnum. His subiiciam, quæ post illam & propter illam qualemcunque compositionem contigerunt: nimirum quæ nouæ contra me calumniæ, verbis & scriptis sparsæ: quæ noua crimina mihi obiecta: & quid de iis actum fuerit. Ad extremum referam quæ nuper aduersum me vnus ex meis aduersariis, nullo à me prouocatus verbulo, scripserit: & edito etiam Argentinæ libro in vulgus sparserit falsa crimina, conuitia, maledicta. Nam hæc nouis illis superioribus post compositionē contra me dictis & scriptis calumniis atque criminationibus addita: tandem coëgerunt me, vt hic Liber recuderetur curare: totiúsque tum prioris tum posterioris dissidij historiam breuiter in hac epistola explicare, eóque totam meam caussam, Tibi in primis, deinde & aliis omnibus Principibus & Ecclesiis Christi, iudicandam proponere: quando nulla alia ratione defendere me contra taléfque accusatores mihi vnquam licuit, aut etiam spes est fore vt liceat. Non fuerit autem inutile etiam posteris, talem historiam legisse.

Duæ ita præcipuæ sunt res quæ Argentinam vrbem per se multis nominibus celebrem, celeberrimam reddiderunt: Schola itimitum, hoc est, celeberrimi viri qui eam Scholam feliciter aperuerunt, inque ea felicissimè docuerunt, Bucerus, Capito, Caluinus, Martyr, Hedio, &, vt de aliis aliquot taceam, Ioannes Sturmius, primarius formæ illius Scholæ autor, nunc autem vnicum totius Scholæ ornamentum. Deinde ipsa religionis Christianæque doctrinæ puritas, quæ ibi tum maximè viguit, cùm ibidem etiam verum ageret Episcopum doctissimus simul atque piissimus, honorificæ memoriæ Martinus Bucerus. Has duas præcipuis laudibus accedit tertia: nempe ipsius Magistratus rum pietas, qua omnes ad se religionis ergò confugientes, humanissimè excipiebat: tum æquitas, qua illorum neminem ad vllum doctrinæ genus aut formam præter eam quæ expressa est apertè in Sanctis literis, vel recipiendam vel tractandam astringebat. Hæc triplex Argentinæ laus effecit, vt à tempore recepti Euangelij, infiniti propriè, non vulgares tantùm homines, sed viri etiam insignes, non tantùm ex variis Germaniæ prouinciis, sed etiam ex omnibus ferè totius Europæ Nationibus, in eam vrbem confluxerint, atque etiamnum, saltem bonarum literarum gratiâ, confluant. Eadem etiam hæc laus effecit, vt ego quoque, cùm in eam Scholam docendi gratia vocarer; eò non solùm venire non recusarim, sed etiam libenter venerim; & eo libentiùs, quòd omnino sperabam, futuram mihi cum aliis professoribus Theologis perfectam in doctrina consensionem, propter Bucerum: cuius & illi fuerant auditores, & ego absens discipulus. Illius enim scripta auidè legeram in Italia: & ex illis cum primis profeceram in vera Theologia. nam & Martyri, & deinde etiam mihi visus fuerat, omnium qui in Germania docebant, doctissimus Theologus. Mea autem vocatio in hunc se habuit modum. Anno M.D.LIII. cùm in demortui Doct. Hedionis locum Theologus aliquis esset sufficiendus, qui Sacras Literas in Schola profiteretur, vir ille non tam sanguinis nobilitate quàm eruditione & virtute clarissimus, Iacobus Sturmius, tunc temporis primarius Scholarcha, & duo alij clarissimi illius Scholæ præfecti, Iacobus Mejer, homo pius, & Fridericus Gottesheimius, vir prudentissimus, adhibitis in deliberationem Rectore & Visitatoribus, Ioan. Sturmio, Petro Dasipodio, & Christiano Herlino, viris non tantùm doctissimis, sed etiam scholæ amantissimis & studiosissimis Patribus: decreuerunt Italum aliquem, qui non multùm absimilis esset Martyri, in locum demortui Hedionis vocare. Atque huiusce rei curam Cælio Secundo Curioni, homini Italo, & politioris literaturæ in celeberrima Basiliensium Academia tum temporis professori eximio, literis ad eum datis, iniunxerunt & commendarunt.

Ego tum recens egressus eram Italia, religionis caussa, idque prouocatus exemplo illustris Comitis Martinengi Maximiani, viri pij & docti, fratrísque in Domino charissimi, quo cum familiarissimè annos fermè XII. in sancta amicitia vix eram; ambo enim fueramus Canonici Lateranenses, quos Regulares vocant: ambo eiusdem ætatis, & ferè eiusdem ingenij ac voluntatis: ambo in iisdem studiis simul versati, Aristotelis, Linguarum, & Scholasticæ Theologiæ: ambo denique simul, cùm Martyrem Lucæ, Epistolam ad Romanos publicè interpretantem, & Psalmos priuatim suis Canonicis explicantem audiremus: cœpimus animum adiicere ad studium S. literarum; deinde etiam ad longè meliorem ipsis Scholasticis libris atque Doctoribus, Patrum, atque in primis Augustini, ac demum nostri etiam temporis doctissimorum quorumque Interpretum lectionem. Ac per annos quidem aliquot Euangelium Christi, quàm potuimus purissimè, prædicauimus: quanquam ille, vtpote maiori spiritu Dei præditus quàm ego, liberiùs semper & apertius: ac proinde etiam prior me, cum Mediolani structas sibi insidias sensisset propter Euangelium, Italia valere iussa, concessit ad Rhetos: ac non ita multò pòst Geneuam; vbi etiam primus pastorem Ecclesiæ Italicæ aliquot annos fidelissimum egit: ac demum, vbi venit hora, obdormiuit in Domino optimus vir, clarissimus frater, beata anima.

Cœlius itaque, vt eò vnde digressus sum redeam, perspecta Præfectorum Scholæ Argentinensis voluntate: egit primùm per literas cum comite Martinengo, vt conditionem Argentinensem acciperet. Cùm verò ille, quòd nollet suam Ecclesiam deserere, recusasset: cœpit me, cùm per Paulum Gaddium virum pium & doctum, tum Geneuæ degentem, & postmodum Telliensis Ecclesiæ in valle quam Latini scriptores Volturrenam, vulgò Valtellinam vocant, Pastorem effectum, ad illud honorificum munus hortari: tum deinde ipso coràm & per se, tot rationibus exstimulare & permouere, vt tandem assensus fuerim: sed ea conditione & lege, vt liber tantisper manerem, donec ea fide, quàm ego Martyri (huic enim promiseram me in Angliam, quò inuitabar, venturum) & quam fortè fidem Martyr Archiepiscopo Cantuariensi pro me obstrinxerat, liberarer; totúmque hoc cum bona vtriusque illius gratia fieret, id quod postea etiam factum fuit. Iacobus igitur Sturmius, & alij duo Scholarchæ, cum intellexissent de Cælio quæ mea esset erga se voluntas: hasce ad me dederunt literas, tribus, hoc est, suo cuiusque sigillo obsignatas.

[Scripsit ad nos Cælius Secundus, te animum à nostra Republica, Hieronyme Zanche, non alienum gerere: neque recusare nobiscum viuere ea quæ fuit Petrus Martyr conditione. Gratissimum id nobis fuit cognoscere: præsertim notatis istis virtutibus quas in te Cælius esse scribit & affirmat. Primùm igitur, quod officij nostri est gratiam habemus de hac tua voluntate: deinde idem tibi, quod Petro Martyri, & quod felix faustúmque sit Ecclesiæ & Scholæ nostræ, munus, eandémque disciplinæ functionem damus atque committimus. Promittimus etiam eadem stipendia & laborum consimiles fructus. Et quantum in nobis est, curabimus vt non minus apud nos libenter futurus sis, quam Petrus Martyr fuerit. Itaque rogamus, vt & libenter venias, & venias quam primum. Viaticum, quantum iter illud requirit tibi à procuratore Brechtherorum, Martino Voglero, Venetiis in ædibus Germanorum numerabitur, cùm primù postulabis. Vale Argentorati 25. Februarij anno LIII. Iacobus Sturmius suo & Collegarum nomine]

Hanc Scholarcharum Epistolam, hic intertexram ic[illegible]co volui, vt omnes intelligant, & quàm beneuolentiam mihi promiserint, & quibus conditionibus me vocarint Argentinenses. Ac quod ad promissam beneuolentiam attinet: non habeo quod de meis Argentinensibus conquerar. Nam ante dissidium, fuit ea mihi multis officiis & beneficiis præstita ac declarata: post exortum autem dissidium, permulti, certè tam ex nobilibus, quàm ex plebe, caussam meam bonam, strenuè defenderunt, & omni humanitatis officio me sunt ad finem vsque prosequuti: forem autem ingratus simul & iniquus, si propter pauculos aliquot, de tota, & præsertim tali ciuitate, vellem conqueri: præsertim cùm quod ad reliqua

attinet,

ab ipsis semper fuerim liberaliter ad finem vsque ... qua de re sicut egi coram ita etiam nũc ago immortales gratias. Cæterùm quod attinet ad ipsas, quibus ... sui, conditiones: principiò apparet ex literis Stur-... & ipsius Collegarum, iisdem planè conditionibus me Argentinam fuisse vocatum, quibus etiam ibi ... fuerat, vixerat & docuerat Petrus Martyr. Ille autem, quamdiu docuit Argentinæ tempore Buceri, nunquam coactus fuit vel Augustanæ Confessioni vel alicui alij formulæ, vt vocant, doctrinæ, subscribere; sed semper liberè pro suo iudicio, iuxta Analogiam fidei, licuit ei sacras literas interpretari; modò quæ doceret, publicis etiam disputationibus, vt moris est in omnibus rectè institutis Scholis & Academiis defenderet. Idem mihi licuit totum priorem annum. Hoc elapso anno, & mortuo iam clarissimo Iacobo Sturmio, Mecœnate meo: postulatum à me fuit, vt si vellem in Schola docere, Augustanæ Confessioni subscriberem. Ego posteaquam meas rationes attulissem cur non simpliciter & absolutè subscribere vellem, quòd præter alia is hunos debeatur solis S. literis; quippe quæ etiam solæ norma & Canon sunt, & esse debent, omnis doctrinæ Christianæ: tandem cum hac exceptione subscripsi: *modò orthodoxè intelligatur.* Quia verò id, cuius potissimùm gratiâ à me subscriptio petebatur, erat ille benedictus articulus de Cœna Domini: ideircò ne quempiam fallerem, meam volui de hoc articulo breuiter explicare sententiam: quæ hæc fuit, tribus constans capitibus. Primò: Verum Christi corpus pro nobis traditum, & verum eius sanguinem in peccatorum nostrorum remissionem effusum, in Cœna verè manducari & bibi. Secundò: Verùm id non ore & dentibus corporis, sed vera fide. Tertiò, idcóque à solis fidelibus. Cui explicationi ita assensi fuerunt Domini Scholarchæ: vt & nobilis Petrus Sturmius honorificæ memoriæ, & Iacobus Meier, ambo piissimi senes, mihi arridendo in hæc verba responderint: *Hæc quoque est nostra fides: non enim est cibus ventris, sed mentis.* Rem autem ita se habere, Deum optimum, coram quo sancti illi viri nunc beatè viuunt, in testem voco. Neque mirum illud videri cuipiam debet, sic enim didicerant à veteribus patribus, Capitone, Bucero, Zellio, & aliis. Si itaque contingeret, vt de Cœna mihi disserendum esset: recepi me à quæstionibus abstenturum inutilibus: atque extra hæc tria capita non euagaturum: contra verò Augustanam confessionem, orthodoxè intellectam, nihil traditurum: curaturum autem, vt quantum in me esset, consensus in sana doctrina retineretur in Schola. His igitur conditionibus, postquam biennium mei meæque doctrinæ periculum fecissem, & rationem, quam seruabam tum in docendo tum in disputando, probassent, vtrinque receptis: & in officio confirmatus, & in Thomeuse Consilium cooptatus fui: ibique ab initio anni LV. vsque ad finem ferè LXIII. Canonicus vixi. Quomodo verò me cum eo Consilio & Canonicis omnibus gesserim, & quam vitam duxerim: malo ab ipsis & ab aliis ciuibus, quàm à me dici & scribi. Hoc tantùm dicam ipse: quòd defensione caussæ, non tam meæ, quàm Christi, non me ad illorum, qui hoc fortè cupiebant, pedes proiecerim, quòd non me præter decorum demiserim, quòd non cesserim, quòd non, vt petebant, dixerim Amen: hoc non fuisse ex superbia, vt quidam dictitabant, profectum, sed inde, quòd & talem caussam, quę heroicum, non plebeium, in sui defensione, animum requirebat, & defensorem ipsum, huiuscemodi viles actiones omnino dedecere videbam. Ac proinde considerandum puto diligenter, magnum esse discrimen inter ὑπερηφανίαν, quæ nullum decet Christianum, & μεγαλοψυχίαν, quam in suis Prophetis atque Apostolis requirebat Dominus: & inter αὐθάδη, ἀντεχόμενον τοῦ πιστοῦ λόγου: quorum vnum abesse vult Apostolus ab Episcopo & Doctore Ecclesiæ: alterum verò necessarium illi esse pronuntiat. Certè quòd Mardochæus non adorauerit Amanum: illud non fuit superbi, sed pij potiùs atque excelsi animi testimonium. Quàm facilis fuerim in ferendis & condonandis propriis iniuriis omnibus, norunt ipsi de quibus ago: norunt etiam magistratus, apud quem per totum illud tempus, quo vixi Argentinæ (vixi autem annos fermè vndecim) neminem vnquam accusaui, & de nullis iniuriis conquestus sum: quamuis occasiones atque adeò caussæ sæpenumerò non defuerunt. Cæterùm vbi vindicanda est gloria Dei: vbi defendenda est doctrina Christi: vbi denique pugnandum est pro Christo: hic certè opus est animo non plebeio & vili: sed nobili, excelso atque heroico. Tantum igitur abest vt me pœniteat illius, quemadmodum quidam vocant, superbiæ: vt etiam doleam, me ad extremum nimis fuisse facilem. Nunc tantùm videndum est, an ego in Schola ita me gesserim, vt illis quibus confirmatus fueram, conditionibus, steterim, necne. Principiò quàm fuerim pacis atque concordię studiosus: præterquam quòd testes habeo omnes bonos Collegas & Professores: inde etiam liquidò apparet, quòd de illo articulo, de quo potissimum metuendæ erant contentiones per totum illud tempus quo docui Argentinæ, nullam habui tractationem: nullámve proposui quæstionem aut disputationem: idque non tam quia mihi Prophetas interpretanti nullus apertus ea de re locus occurrebat, quàm quoniam nullam, quantum in me erat, volui dare cuipiam turbandæ pacis atque excitandi dissidij occasionem. Si vero contigit vt aliquando vel in disputationibus argumentis disputantium prouocatus: vel in lectionibus obiter de ea re aliquod fecerim verbum: nunquam egressus sum tria illa capita, intra quæ me mansurum Dominis Scholarchis promiseram. Neque certè putaui vllum potuisse eâ doctrina in Argentinensi Schola offendi: quòd eam scirem à Bucero, vt de aliis taceam, constanter etiam post concordiam cum Luthero factam, in ea Schola & Ecclesia traditam fuisse: quemadmodum in variis eius libris, Epistolis, Confessionibus abundè videre est, imò & confessio eius vrbis, aliarúmque trium ciuitatum, & eiusdem confessionis Apologia, eandem planè continent doctrinam. Neque etiam videre vnquam potui, quomodo hæc doctrina cum Augustana Confessione pugnet: cùm ibi nullum fiat verbũ quòd corpus Christi aut ore & dentibus corporis, aut ab impiis & fide destitutis verè comedatur. Doctrina autem illa quam de cœna professus fueram: est certa, perspicua, minimè intricata, salutaris: & quâ si omnes essemus contenti, omnes sublatæ essent contentiones, idque cum magna Ecclesiarum ædificatione. Quin & felicis memoriæ Petrus Martyr, reuersus ex Anglia, tandem tradidit in eadem Schola Argentinensi doctrinam: cùm explicarent librum Iudicum, vt etiam videre est in ipsius in eum librum Commentariis, cap. 13. ad calcem: *Quibus addas, inquit, etiam eos qui credunt Christo & certo sibi persuadent, eum sua caussa esse mortuum, & comedere carnem Christi & bibere eius sanguinem: ad quē vsum Symbola dum sensum excitant, plurimum conferunt: non quòd caro Christi & sanguis in panem & vinum infundatur, aut elementis illis aliquo modo concludantur: sed quòd res illæ vera fide à credentibus percipiantur. Sunt enim inuisibilis alimonia quæ mente solùm capitur, vt Augustinus fideliter monuit: Quid, inquiens, dentem paras, & ventrem? crede & manducasti.* Hæc ille. Non fuit tamen vnquam ab vllo accusatus aut reprehensus Martyr: quòd contra Confessionem Augustanam docuerit, contráque suum chirographum fecerit: imò meus aduersarius dat D. Petro Martyri testimonium seruatæ fidei, in quadam oratione. Postquam enim recitasset testimonium D. Petri, in quo promiserat, se nihil quod cum Augustana Confessione rectè & commodè intellecta pugnaret, docturum: subiicit hæc verba: *Huic compromisso D. Petrus qua est integritate & fide praditus, postea etiam constanter satisfecit, vt in omnibus & lectionibus, & disputationibus, nihil ab ipso auditum aut animaduersum fuerit, quod vero nostro consensui in doctrina aduersaretur. Itaque etiam vt collega & frater charus & dilectus fuit, cùm mihi, tum reliquis Scholæ & Ecclesiæ praeceptoribus atque ministris omnibus.* Hæc ille. Cùm hæc ita habeant: concludo igitur, neque me de Cœna quidpiam docuisse cum Augustana Confessione pugnans, ideóque nec contra meum compromissum fecisse: quare nullam etiam caussam, mea doctrina, turbandæ pacis cuipiam me dedisse.

Sententiam eorum qui scribunt corpus Christi esse vbique, si ita intelligatur, quòd ipsum verum Christi corpus sua naturali substantia, seu, vt Scholastici loquuntur, secundùm suum Esse naturale sit vbique: per duas septimanas in Schola vt impiam refutaui Scripturis, argumentis Patrum: & Buceri testimoniis, idque multò antè, quàm cœpissent contra eam scribere doctissimi illi Patres Bullingerus & Martyr, qua de re fui etiam accusatus apud Scholarchas: sed ostendi me id iure fecisse, nihilque contra Augustanam Confessionem peccasse: quod ea de re ne vllum quidem verbum in Augustana Confessione habeatur.

Imagines in templis & sacellis, quæ aut solitæ fuerunt adorari, aut ad quas adorandas vulgus inclinare facilè posset: & in lectionibus & in publica disputatione confu-

taui ac damnaui, qua de re etiam fui accusatus: sed hic quoque demonstraui, me & secundùm verbum Dei, & secundùm antiquos patres docuisse: neque quidpiam contra Augustanam confessionem admisisse.

Quæ docui de vltimo Antichristo, déque fine seculi: & consentanea sunt sanctis literis, & non pugnant cum Augustana Confessione.

De prædestinatione docui, & quidem abundè, quia subinde etiam occurrebant loci, in Prophetis. Sed hîc etiam nunquam egressus sum S. Scripturæ terminos: nihilque docui, quod ante me non docuerint & scripserint post Augustinum & alios Patres piæ memoriæ, Lutherus & Bucerus, vt de aliis taceam omnibus. De hac autem, nihil Augustana confessio. quare neque hâc doctrina contra illam peccaui.

De ipsa verò Sanctorum in fide perseuerantia, priori anno satis luculenter in primum Psalmum, vbi iustus cóparatur arbori satæ ad riuos aquarum, cuius folia non defluunt, & quæ fructum dat in tempore suo, disserui: deinde etiam publicè disputaui. Sed hic etiam nihil, quod post Scripturas Augustinus quoque, Lutherus & Bucerus, & alij quamplurimi, tum Patres, tum nostri temporis homines non scriptum reliquerint, docui: quemadmodum partim in hoc meo libello videre licet, partim aliàs, Deo fauente, clariùs, fusiùs, & absolutius, ad omnium Ecclesiarũ ædificationem demonstrabo. Atque hanc doctrinam ita sæpe in meis lectionibus reperij, vt eam nemo non intellexerit: & tamen ante Heshusij librum de Cœna, nemo vnquam vel se ea offensum fuisse significauit, vel me hæreseos accusauit. Quòd verò quidam postea contenderint, eam pugnare cum Augustana confessione in articulo de pœnitentia, vbi damnantur Anabaptistæ, qui docét, semel iustificatos non posse amittere Spiritum sanctum: falsi fuerunt, cum ego de electis verè sanctis veráque fide præditis, semper locutus sim, idque apertè & clarè: Augustana Confessio autem cùm de omnibus temporariis, tum speciatim de quibusdam Anabaptistis, qui nefanda admittebant, & tamen interim, se non solùm habere spiritum sanctum: sed etiam se ab hoc spiritu sancto ad ea admittéda impelli, seu, vt ipsi loquũtur, inspirari, iactabant, & mentiebantur. Quare satis constat viris doctis, neque in hac doctrina de Perseuerantia Sanctorum, seu de perpetuitate fidei in electis, quidpiam à me traditum fuisse quod cum Augustana confessione pugnet.

Nihil est præterea, quod sciam, de quo fuerim siue in doctrina, siue in vita & moribus, per totum illud tempus quo vixi & docui Argentinæ, accusatus. Nam quòd quidam crimen turbatæ pacis & Scholæ à se in me transtulerunt: satis perspicuè constabit esse calumniosum, si quis ab vna parte in memoriam reuocet & intelligat, me nó fuisse accusatorem, sed accusatum: ab altera vero parte legat hunc Librum, & doctrinam de qua tanquam impiâ & hæreticâ accusatus fui, & propter quam turbatã fuisse Scholam dixerunt, piam atq; orthodoxã esse videat. Nam si meâ doctrinâ turbata fuit Schola, doctrina autem hoc non est impia sed Christiana: culpa igitur turbatæ Scholæ non potest hærere in mea doctrina, neque ego possum iure turbator scholæ appellari, nisi fortè eo modo, quo etiam Elias vocatus fuit turbator totius Israëlis, & Apostoli totius orbis.

Credo itaque satis hinc perspicuum esse factum, tam tibi Illustrissime Princeps, quàm omnibus aliis quicunque hæc legerint: me illas etiam præstitisse conditiones, quibus in meo officio confirmatus fui, & nihil contra meum chirographum, seu, vt vocant, compromissum fecisse.

Venio nunc ad illud turpissimum dissidium, cuius historiam minimè hic cogito totam conscribere, sed eatenus tantùm summam illius perstringere: quatenus breui illius explicatione, partim tu Illustrissime Princeps, & alij faciliùs videre possint: an iustis & necessariis causis coactus fuerim entare vt primò, & nunc etiam secundò, hic meus liber in lucem prodiret, necne: partim etiam ego vt nouam quandam, eámque grauem criminationem à me depellam. Etenim post compositum vtcunque dissidium, cùm in nostro Consilio Thomensi, eóque tunc non solùm Canonicis & Vicariis, vt vocant, refertissimo, sed etiam præsentiâ clarissimorum Scholarcharum ornato: interrogatus de quadam fidei confessione, semel iam meam modestè dixissem, & simul etiam necessariis de causis, vt postea ad extremum explicabo, repetiissem, quibus exceptionibus in formulam Compositionis consensissem: ibi tunc quidam, præter alia, hoc etiam in me dixit: *Ecce* inquiens, *Doct. Zanchius pro suo ingenio, nouum nobis indicit bellum*, quasi verò & vetus: quia de hæresi accusatus me defendebam, indixerim: & nouum, quia interrogatus sententiam modestè eam dixeram, indicerẽ. Hoc ipsum tamen alius etiam, edito nuper libro, confirmat: præter aliàs innumeras contumelias rusticum me hominem appellans. Sed hæc suo loco: nunc ad institutam narrationem, ex ea enim liquidò apparebit, an ego, qui neque quempiam accusaui, neque vllius doctrinam in Schola damnaui, sed meam tantùm defendi. & accusatus accusatores meos non tantum ad disputationem, sed ad amicum etiam colloquium inuitaui, atque ne illud recusarent, non semel & iterum rogaui, quemadmodum rum Acta docent, cum Collegæ testificari possunt, idque quò & scandalum tolleretur, & veritate cognitâ, finis tam turpi dissidio imponeretur: apparebit, inquam, an ego, qui eum ad modum me gessi, bellum cuipiã indixerim: an verò autores huius mali fuerint multi alij, qui coniunctis simul copiis & omnibus præsidiis, quibuscunque potuerunt modis, in exterum hominem, atque eum quidem, & illius rei, de qua accusabatur, innocentem, & ab humanis fauoribus & auxiliis inopẽ, maximo impetu de improuiso irruerunt.

Initium igitur Argentinensi dissidio dedit Heshusij de Cœna Domini libellus. Nam antequam ille contumeliosissimis, à nescio quo ornatus scholiis, cœpisset Argentinæ sub nomine Magdeburgæ recudi idque operâ eorum qui postea, occasione huius libri, facti fuerunt mihi inimici & hostes: tametsi in doctrina de Cœna, de Prædestinatione, déque Certitudine salutis, non omnes essemus omni ex parte consentientes: tanta tamen fuit inter nos animorum consensio & pax atque amicitia, vt sicut ego nemini vnquam de vlla re, sic nemo vnquam me de hæresi accusarit: fueram quidem semel accusatus, vt antè dixi: partim de Cœna, partim de Prædestinatione, partim de Imaginibus, partim quòd errorem perniciosum esse docuerim dicere, corpus Christi esse vbiq;: sed quia ibi nulla mentio hæreseos: ideircò postquam me defendissem, & quæ docueram, iuxta verbum Dei & Patres me docuisse demonstrassem: iniuriam ita dissimulaui & tuli, vt amicitiam & pacem propterea cum omnibus colere non desierim: quæ etiam, vt antè cœpi dicere, vsque ad Heshusij librum, integra ac inuiolata permansit. Heshusij itaque libellus de Præsentia, bellum inter nos excitauit: quo pacto, non est opus longa explicatione. Illud tantùm dico, me non curasse illum supprimendum à Senatu, propter doctrinam de qua penes Ecclesiam iudicium est: sed tantùm propterea, quòd in præfatione magnus quidam & pius & opt. Princeps, & in libro sanctissimus ille vir, déque tota Germania, omnibusque literatis optimè meritus Philippus Melanchton, aliique innumerabiles & insignes Ecclesiæ doctores grauissimè perstringerentur: & quòd quicunque Heshusij de crassa præsentia & manducatione, vt vocant, Orali & impiorum, phantasiam non sequuntur: hæreseos & atheismi nimis audacter & superbè ab illo homine damnarentur. Suppressionem verò illius libri ianuam aperuisse toti nostro dissidio: inde satis liquet, quia simul atque amici isti mei resciuissent, me operam dedisse, vt liber, qui iam erat sub prælo, supprimeretur: statim illi à me abalienati, alios etiã abalienare, me auersari, colloquio atque salutatione dedignari, ad vulgus traducere, apud Dominos accusare, vt diligenter obseruarer in lectionibus, curare: commentariolos studiosorum, qui meas scribebant lectiones, euoluere: quæ etiam multis ante annis docueram, examinare: occasionem accusandi & traducendi me vndique captare: calumnias de me spargere: denique nihil omittere, vt aut sponte discederem, aut à Dominis dimitterer: vt verum fuisse illud ex iis omnibus posteà reipsa deprehenderim, quod paulò antè relatum ad me fuerat: nimirum homines illos omninò apud se constituisse, vt non ampliùs Zanchium ferrent: id quod etiã de principio facilè olfecit vir quidã prudens, qui cùm vidisset, quorsum ista tenderent, semel quendam sic compellauit. *Si quæras Zanchium quoque eijcere è Schola inauditum sicut factum est cum D. Petro Martyre: cogitare debes: me simul quoque cum eo eijciendum esse.* Accusabar de Cœna Domini: cum tamẽ de ea toto quadriennium nihil docuissem. Sed occasio huius occasionis capta fuit ex quadã epistola, quam pacandæ cuiusdam contentionis gratiã, ad quendam eram missurus. Hanc antequam mitterem, amicè & candidè cũ quodã collega & amico contuleram: vt is videret an sibi probaretur néne: & si quid emendatum vellet, emendaret, & posteà vtriusque nomine mitteretur. At bellus homo & fidus amicus, paulò post

propter

propter suppressum Heshusij librum factus mihi inimicus: ea abutitur Epistola ad me apud Dominos accusandum, quòd de cœna Domini aliter doceam & scribam, quàm habeatur in Augustana confessione: & tamen in ea Epistola probabam & Augustanam confessionem & verba Recessus Francofurtensis: ac simul etiam Iudicium Philippi ad illustrissimum Electorem Palatinum. Venit tunc mihi in mentem illius Siracidæ de illis quatuor iniuriis quæ omnem dirimunt amicitiam, ὀνειδισμοῦ, ὑπερηφανίας, μυστηρίου ἀποκαλύψεως, καὶ πληγῆς δολίας. ἐν τούτοις ἀποφεύξεται πᾶς φίλος. Quædam etiam docendi regulæ non minùs iniquæ quàm callidæ, ab eo mihi præscribebantur: cuius erat potiùs mecum discere quomodo sit docendum, quàm docendi præcepta aliis tradere. Accusabat quoque de Fine seculi & de Antichristo, ac non ita multò post de Prædestinatione & de Perseuerantia: cuius etiam inchoata tractatione fuit mihi statim interdictum. Atque has quidem omnes graues contra me accusationes instituerunt amici illi mei: antè quàm illis de rebus mecum contulissent. Id quod tolerabile etiam fuisset, si saltem post accusationem aut illi venire mecum in collocutionem voluissent: aut mihi doctrinam meam in Schola explicare & defendere licuisset. At cùm vidissem accusatoribus licere sanam doctrinam in Schola oppugnare, mihi verò minimè eam propugnare, decreui (neque enim aliter poteram per conscientiam) non ampliùs in Scholam docendi gratia redire, donec ea mihi libertas ad propugnandam veritatem restitueretur, quæ aduersario ad oppugnandam permittebatur. quod quia nunquam fuit factum: idcircò in Scholam ampliùs non reuerti. Dissidium igitur Argentinense hoc habuit initium. Venio nunc ad eius progressum.

Re & nomine Christianus Herlinus, felicis memoriæ, vir non tantùm Latinè & Græcè doctissimus, & cui parem in cognitione historiarum ego vidi neminem, sed etiam vitæ inculpatæ homo, & sanæ doctrinæ puræque religionis studiosissimus, cùm esset etiam Scholæ partim Professor Mathematicus partim Visitator diligentissimus, & in Thom. Consilio Canonicus, atque Scholasticus: de hoc dissidio retulit ad Consilium nostrum Thomanum, die III. Martij anno M.D.LXI. in hæc ferè verba præfatus: Magno se dolore percepisse, inter duas præcipuas Capituli personas grauem ortam esse controuersiam. Itaque se primùm ab illis petere, vt non grauentur caussas suæ controuersiæ Capitulo exponere: deinde à Capitulo, vt suam interponat autoritatem: & quantum fieri possit, hoc dissidiũ studeat componere. Nam & grauem, déque re grauissima esse controuersiam: & iam eam non ampliùs intra priuatos parietes agitari, sed etiam ad plurimos alios peruenisse. Præterea pertinere hoc nõ solum ad Capituli officium, eò quòd legem habeat de eiusmodi controuersiis inter personas Collegij obortis, componendis: sed etiam honestatem capituli hoc requirere, nimirum vt non patiatur inter suos, simultates aliquas aut controuersias locum habere Tunc accusator, sibi non esse graue respondit, totum negotium capitulo exponere: sed alio tempore, quòd tunc esset imparatus. Ego verò & gratias egi Herlino propter illud pietatis officium, & me paratum esse respondi quocunque tempore negotium explicare: imò me totum illud Consilio committere. Consilium autem ipsum & laudauit Herlini studium, & operam quoque suam in componendo dissidio promisit.

Die insequenti. Consilium duos ex Collegis misit tum ad meum accusatorem, tum ad me, atque vtrunque rogauit: principio quidem vt neuter grauetur in alterius præsentia suam Consilio exponere caussam (hanc enim facillimam & breuissimam viam fore, neque meliorem inueniri posse:) deinde vt vterque suam caussam Consilio velit componendam committere, non vt iudici, sed vt arbitro. Ad hæc accusator, se paratum esse Consilio totam controuersiam exponere, sed tria petere: Primùm, vt sibi liceat suam caussam explicare absente Zanchio: idque ne er illius aspectu animus dicentis aliorsum rapiatur: deinde, vt sibi liceat secundo loco dicere: postremo vt aduersę parti solùm præcipua capita narrationis indicentur, ea nimirùm, quæ ad ipsam caussam sunt necessaria: reliqua verò si quæ fuerint πάρεργα, reticeantur, vtpote quę ad pacificationem non sint futura vtilia. Ergo verò vtranque Cõsilij petitionem probaui. & me ita facturum recepi: atque omnino efficerent. vt suam quisque caussam, altero etiam præsente, diceret rogaui. Consilium gratificari voluit meo aduersario in primo postulato: ac proinde statuit vt vterque nostrûm seorsum audiretur: in altero non potuit, quòd nimis esset iniquum, vt reus primo loco diceret, actor verò secundo: Tertium verò vt æquum & vtile probauit. Atque vtinam contra illud suum tertium postulatum, accusator ipse non paulò pòst prior peccasset, & totum Consilium, vt contra suum officium faceret, penè coëgisset: non enim dubito quin controuersia & facilè & citò fuisset composita.

Primo igitur loco, accusator suam habuit narrationem, idque ex scripto, me absente, die Martij VI. Qua absolutâ, duo scriptorum genera dedit Consilio: propositiones quasdam ex meis lectionibus collectas, quas improbabat: deinde illas docendi formulas quæ postulata vocauit, & quæ anteà sua autoritate mihi proposuerat, nomine Scholarcharum mihi exhibendas tradidit: ad quas si vellem affirmatiuè respondere, omnem controuersiam sublatam esse aiebat. Habui deinde ego meam duobus diebus insequentibus. Quâ finitâ, Consilium duo illa aduersarij scripta mihi exhibuit, vt & propositiones cognoscerem, an ita docuissem nécne, & ad quinque illa postulata responderem, idque scripto. Propositiones duobus in locis emendatas, pro meis agnoui: & quia singulæ nimis erant prolixæ & confusæ, eas redegi in eum numerum & ordinem quo in hoc libro sunt collocatæ: & remisi ad meum collegam: orans atque obsecrãs, vt quasnam damnet & quas ob caussas damnet, candidè & apertè respondeat: me enim paratum esse credere veritati, modò ea mihi è Scripturis demõstretur: & ad argumenta, locos Scripturarum & Patrum autoritates, quibus mea probaui, respondeatur. Ad postulata, quia nomine Scholarcharum iubebar respondere, respondi atque ostendi, ea partim fuisse iniqua, partim calumniosa, partim inepta: omnia verò non tam ad libertatem mihi vni eripiendam, quam ad stabiliendam in omnes deinceps Professores tyrannidem spectare: ac proinde me neque velle neque posse per conscientiam & per meam existimationem. petitiones illas concedere. Volebat Consilium, quemadmodum par erat, & ego exoptabam atque petebam, vt audita iam vtriusque narratione, & acceptis thesibus à me recognitis, acceptis etiam meis, cùm de Fine seculi, tum de Perseuerantia Sanctorum, lectionibus tãdem ad caussæ discussionem & cognitionem veniretur: & ea cognita citò componeretur. Proinde principiò decreuit, vt cõtà quàm petierat accusator, ordine ageretur; hoc est, vt ille tanquam actor, priore loco ageret, ego verò tanquam reus, secundo. Deinde quia de principio detrectauerat accusator mecum agere coràm, quod non posset ferre faciem meam: idcirco Consilium misit ad eum tum scriptum meum de Eucharistia, quod dederam ad primum illius postulatum: tum meas lectiones de fine seculi: & Theses à me recognitas: atque ab illo petiit, vt scripto indicaret, an omnia improbaret, an verò partem aliquam, & simul rationes adferret cur hoc probaret, illud verò improbaret. Atque hoc factum fuit die Martij XI. Idem Consilij decretum confirmatum fuit die XVIII. eiusdem mensis Martij: ordinem non esse inuertendum, caussam non posse meliùs cognosci, quàm si vtrinque audiantur responsiones & refutationes; accusatorem debere ad propositiones & argumenta accusati respondere: & cur hoc probet, illud improbet, rationes adferre, ad quas deinde accusatus respondeat. Tandem die XXI. misit ad eum etiam prælectiones meas de Perseuerantia Sanctorũ, ac petiit, vt ad eas responderet, & argumenta mea refutaret. Erat autem Consilio propositum, vt si ego conuincerer, quemadmodum accusabar, hæreseos & talis esse deprehenderer, qualis fueram accusatus: reijcerer ex Collegio, & nullum in eo ampliùs locum haberem, antequam resipiscerem & per Senatum restituerer: si verò non possem conuinci, vt interim in falsos accusatores nihil statueretur: sed seruatâ tam meâ quàm illorum existimatione, pax fieret, dissidium componeretur, amicitia confirmaretur: id quod cùm ex tota actione, tum ex iis quæ habentur in Actis diei XVIII. mensis Martij, liquidò apparet: *Si Zanchius*, inquit clarissimus Ioannes Sturmius, Præpositus Collegij, *sit hæreticus, & talis qualem dominus Decanus accusat: non is ferendus est in ista societate: imò si sit hæreticus, non dignus est vt quisquam cum eo cibum capiat*, clariùs verò ex iis quæ in responsione Capituli ad primam aduersariorum meorum contra me orationem leguntur: *Nihil*, inquiunt, *in hoc tempore gratius atque iucundius Capitulo, quam vt sublato dissidio, ciuem, amicum, collegam cum vxore & liberis, & existimatione, nobiscum in eadem ciuitate atque collegio retineamus. Illud verò eò studiosius Capitulũ expetit, quòd grauior & periculosior caussa domini Zãchij sit, quàm vestra. Vos enim etiamsi caussam vestram defen-*

dere non possetis. quod non speramus: tamen aduersus vos iudices futuri non sumus. Zanchius verò si superabitur, si de ijs criminibus, de quibus accusatur, conuinci poterit: in nostro Capitulo certè locum nullum habiturus est: antequam per Senatum restituatur, & resipiscat. Hæc ibi. Quibus ex verbis illud etiam euincitur: immeritò atque iniuriâ accusatum traductúmque postea etiam fuisse Capitulum ipsum, ab iisdem meis aduersariis, quod esset, vt eorum vtar verbo, partiale. Certè si fuit partiale, ipsorum fuit, non meum partiale: & si qua in re peccauit, in eo certè peccauit, quod plura quàm æquitas postulabat, meis aduersariis propter ipsorum autoritatem concessit, & quantû potuit, studuit gratificari: quanquam hîc non simpliciter damno Capitulum: scio enim hoc ab illo fuisse factum ea mente & consilio, vt aduersarij quos videbat difficiliores, perspecta voluntate Capituli erga se, & quòd ipsi, quoquò res caderent, extra omnem essent aleam, faciliùs et permitterent caussam cognoscendam & componendam.

Cæterùm quò magis Consilium hortabatur, rogabat & vrgebat aduersarios, vt tandem aliquãdo venirem ad caussam ipsam, & si nollent mecum venire in collocutionem, saltem scripto & sua probarent & mea refutarent, me etiã idem omnino factum: eo magis ille quærere fugas & diuerticula, & per ambages extra caussam euagari, ipsumq; Consilium nouis quæstionibus implicare, nugisque occupatum tenere, idque à principio Aprilis vsque ad mensem Iulium, donec scilicet tandem caussa indiscussa atque incomposita, vitio & culpa aduersariorum, translata fuit à Consilio Thomano ad Senatum XIII. Virorum: id quòd, præter ea quę dicta sunt, planum etiam facient ea quę sequuntur, ex ipsis Actis in hanc Epistolam relata. Cùm enim, post auditas vtriusque partis Narrationes, veniẽdum esset ad statum caussæ, aduersarius contra tuum de principio datum consilium, imò factum postulatum, ita cœpit à Consilio flagitare totam meam narrationem, vt non desierit flagitare à x. Martij vsque ad diem XXII. donec sua tandem importunitate quod voluit, Consilio etiã extorserit. In eam autem narrationem meam, tam fœda & tam pudita exspuit, vt Capitulum puduerit ea audire: ac proinde etiam mihi noluerit communicare: in illa enim responsione nihil ferè continebatur nisi nouæ contumeliæ, nouæ criminationes, nouæ calumniæ, noua conuitia.

Porro duo ex accusatoribus, qui hactenus sedebant inter alios arbitros, neque vnquam à me fuerant reiecti, vsque adeo fidebam bonæ caussæ, cùm vidissent Consiliũ seriò agere, & omnino velle caussam legitimè tractari, discuti, cognosci secessionem fecerunt à Consilio in cognitione huius caussæ, professi se in ea, vt ipsorum iterum verbis vtar, esse partiale. Primarius autem accusator adferre caussas, cur nollet amplius in Consilio hanc caussam persequi, sed primùm ad Ecclesiasticum conuentum, deinde ad Magistratum referre. Atque hoc postremum contigit die XII. Aprilis, cùm tamen nihil adhuc egisset, nisi quòd me de grauissimis criminibus accusauerat, nullum autem probauerat: lectiones suas, quas contra me habuerat, simplices Consilio exhibuerat: ad argumẽtum verò nullum eorum, quibus mea probaueram, responderat, neque etiam ad meas propositiones quas probaret, vel improbaret, vllum responderat verbum. Vrgebat autem simpliciter, vt errorem deponerem, cuius me nondum conuicerat. Consilium itaque hominem hortari & rogare vt pergeret, mihi responderet, mea argumenta refutaret: fore hoc vtile caussæ quæ agitatur: agi etiam de ipsius existimatione. Cùm enim me accusârit multarum hæreseon, nisi me conuincat, fore illum infamem: debere eum spectare quodnam munus sustineat, eius videlicet, cuius proprium est aduersariorum argumenta refutare, atque, vt Paulus ait, τοὺς ἀντιλέγοντας ἐλέγχειν: suorum etiam antecessorum Buceri & Capitonis exempla sibi esse imitanda: & eandem qua illi quoque in huiuscemodi controuersiis vsi sunt rationem vsurpandam: conscientiis etiam collegarum nondum esse ab ipso satisfactum: cùm nullum adhuc argumentum eorum quibus aduersarius suam probauit doctrinam, refutatum sit. Iis de caussis Consilium decreuisse, vt iis argumenta Zanchij quæ de certitudine fidei, hoc est, de perseuerantia Sanctorum attulit, diligenter inspiciat ac refutet: Zanchium etiam ad argumenta illius responsurum. Ad hæc ille: se persistere in sententia, quòd scilicet nolit ampliùs in posterum cum Zanchio coram Capitulo agere, se etiam existimare quòd satisfecerit Capitulo, quod doctrinam Zanchij satis refutârit, & suam comprobârit, neque se recusare alio tempore, vbi plus otij habuerit, Capitulo pleniorem suæ doctrinæ probationem adferre: idque in gratiam Capituli non Zanchij. Displicuit vehementer hoc responsum Capitulo, quod, cuius in primis erat curare vt leges Consilij, in quas omnes recens iuraueramus, seruarentur: ipse prior contra eas faceret: & quod, cuius in primis erat cuiusuis aduersarij argumenta refutare, is recusaret ad argumenta sui collegæ respondere: cùm tamen Consilium sępiùs hoc ab illo postulasset: interim verò ipse cerneret, Collegam publicè etiam in concionibus perstringi, & plurimarum hæreseon apud omnes passim accusari. Rogauit igitur iterum hominem, vt pro suo officio & caussam retineret in Consilio, & ad argumenta mea de Perseuerantia Sanctorum responderet. Hoc idem officium fecerunt etiam Domini Scholarchæ. At homo ille, qui quidvis aliud malebat, quam ad mea argumenta respondere: aliam elabendi viam excogitauit. Nam qui antea solus caussam contra me agere in Consilio solitus erat: is XVI. Aprilis non solus ampliùs, sed stipatus aliorum quorundam catervâ, in Consilium ingressus, suo suorúmque nomine habuit orationem: cuius hæc fuit conclusio. Etsi nullo iure teneantur caussam quam contra Zanchium habent persequi in Consilio: vt tamen Consilium videat, se non fugere lucem, & paratos esse omnes Consilio morem gerere, idcircò se constituisse, iuxta petitionem consilij coram illo in hac caussa progredi: ad hunc modum tamen vt Zanchius, quas nudas dedit propositiones, declaret & cõfirmet sacræ scripturæ testimoniis & Patrum autoritatibus: sed ita, vt cogitet sibi non esse replicandum: eodem modo se etiam suam ita confirmaturos doctrinam, vt nulla ampliùs opus sit replicatione: tũc verò se meas propositiones declaratas & confirmatas accepturos & examinaturos: & si quid boni in illis fuerit, quod sacræ Scripturæ & Augustanæ Confessioni consentiat, libenter agnituros: reliqua quæ in illis fuerint repugnantia suæ doctrinæ, confutaturos absque vlla vlteriore replicatione. Hæc fuerunt ipsorum verba. Consilium autem grauiter admodum & sapienter respondit ad totam illam orationem: & propter reliquos qui tum aderant, actionibus autem nunquam interfuerant, vt complecteretur summam eorum quæ eousque acta fuerant, principio ostendit caussam, cur per VIII. iam septimanas compositum non sit dissidium, imò ferè nihil actum, hærere in ipso primario accusatore: qui neque, sicut petierat Consilium, venire vnquam voluit in collocutionem cum suo aduersario: neque etiam ad illius argumenta scripto saltem, sicut promiserat se facturum, respondere: imò qui sua importunitate ipsum etiam Capitulum secus quàm constituerat, agere, & penè contra suum officium facere coëgit. Deinde grauissimis rationibus demonstrat, debere aduersarios pati vt hæc caussa à Consilio cognoscatur: neq; curare, vt aliorsum transferatur, quod fiat contra leges Capituli. Tertiò, quia accusator dixerat, se & officio suo & petitioni Capituli, respondendo ipsi Zanchio, satisfecisse reliquum nũc esse, vt caussam transferat ad cõuentũ Ecclesiasticũ primùm, deinde ad Magistratũ: Cõsilium ostẽdit, illum neque suo officio neque Consilio satisfecisse cũ Zanchium nondum conuicerit, sed accusârit hæreseos & neque illius refutârit, sed sua tantùm exhibuerit: ac proinde nullam esse rationem cur caussam debeat à Cõsilio ad alios transferre: imò cõtrà grauissimas esse caussas, cur debeant ad argumenta mea de Perseuerantia Sanctorũ, quæ præcipua erat controuersia, respondere. Rogauit autem eos, vt hanc suam caussam non accusatorio explicarẽt aut descenderent animo: sed pastorali studio: & voluntate nõ eiiciendi ciuem cum liberis & vxore per dedecus è ciuitate: sed retinendi, si probus sit & sinceram retineat doctrinam. Postremò quod ad exitum orationis accusatorum attinet, de qua suprà, ita respondit: Non esse illam commodam rationem componendi dissidij: tum quòd rediretur ad ipsum principium, & quidquid actum eousque fuerat, totum fore inane: tum etiam quòd accusatus cogeretur priore loco caussam dicere, qui posteriore debet respondere: & videretur prouocare eos à quibus ipse fuerat accusatus. Neque etiam opus esse ea, quam petunt, explicatione & declaratione: cùm iam habeant aduersarij argumenta, & probationes earum rerum de quibus est controuersia, de Fine seculi, de Cœna Domini, de Perseuerantia Sanctorum: imò non opus esse de omnibus istis tribus disceptare, si de tertio constet: quòd de quæstione de Cœna Domini, toto quadriennio Zanchius nihil locutus sit: de fine autem seculi, liberum semper fuerit iudicium. Consilium igitur adhuc ab

illis

illis postulare, imò rogare: vt sicut Zanchio tradita sunt illorum argumenta refutanda, contra perseuerantiam Sanctorum: sic ipsi refutent illa quę ipse pro Perseuerantia exhibuit: ex eorum autem comparatione, consilium sperare, videre, & intelligere posse, vtra pars probabilioribus & melioribus nitatur rationibus, atque hac ratione neque rediri ad primum exordium, & neutri fieri iniuriá, & posse breuiter perueniri ad exitum controuersiæ & ad Christianam concordiam, & vitari etiam illam quam metuant infinitatem argumentandi & refutandi. Tantum verò abest vt illa oratione, & amica obsecratione potuerint flecti ad morem consilio gerẽdum, vt potiùs magis exacerbati fuerint illorum animi. Proinde responderunt, se iam videre, sibi non tam cum Zanchio in posterum, quàm cum ipso Consilio negotium fore. Deinde petierunt sibi illam orationem dari, vt ad eam responderent. Consilium præter alia respondet, non cupere sibi ad illud scriptum responderi: sed vt accedatur ad caussam ipsam, & respondeatur ad Zanchij argumenta: neque se adhuc posse, sicut ipsi postulabant, apud Zanchium efficere vt consentienter cum illis doceat, quod neque illius argumenta essent adhue ab ipsis refutata, neque ipse conuictus, quod sit hæreticus, Anabaptista, Catharus, Schwenckfeldianus, Nouatianus, Chiliastes.

Ad hæc illi, se velle de iis omnibus deliberare, sed ante omnia velle respondere ad scriptum quod sibi iam sit recitatum. Consilium igitur quoniam flagitarunt illud scriptum, & se vlterius minime progressuros in caussa indicarunt, nisi ad illud priùs responderent: tandem illis concessit quod petebant, rogatis tamen priùs, ne longiorem moram amplius iniicerent. Cæterùm illi accepto scripto, discesserunt: & à sexto Maij, vsque ad decimum tertium Iunij nunquam in Consilium redierunt. Tandem autem reuersi ad orationem quidem Consilij, Germanicum dederunt responsum, illudque prolixum: ad mea vero argumẽta nullum, sed se tamen parasse respõsionem ad meas propositiones aiebant, cupere se eam Consilio recitare. Quia verò ea sic prolixior quàm vt paucis horis possit recitari: videri sibi consultum, vt singulis diebus vna hora aut altera illius responsionis recitationi impendatur. Statuat igitur Consilium quo tempore velit audire.

De responsione autem quod dixerunt ad propositiones & lectiones, res ita se habet: Inter meos accusatores, vnus est, qui quoniam cæteris exercitatior est in lingua Latina & Græca & artibus, cæteris etiam eruditior apud omnes habetur, & qui plura possit solus scribendo, quàm reliqui simul omnes. Hac de caussa ego etiam pluris illum faciebam quàm reliquos, præsertim quia etiam liberior est, neque amabat vulpis ingenium. Cæterùm in doctrina de Prædestinatione, de Gratia & libero arbitrio, minoris erat iudicij (an nunc meliùs sentiat nécne, ignoro) quàm alij inter suos permulti, vt qui apertè damnaret Augustinum in ea doctrina. Huic primarius accusator, quo cum tantùm mihi principio erat controuersia, propositiones illas, quas abs se mihi obiectas, à me verò recognitas & digestas, ad eum remiseram, vt notaret quas improbaret, & quas non improbaret: inspiciendas & refutandas exhibuerat. Is verò, siue solus, quod magis probo, siue ab aliis adiutus, strenué fecit officium. Nullam enim reliquit, cuius singula prope verba non oppugnarit, idque prolixè admodum & verbosè. Simul verò etiam oppugnauit quascunque potuit habere meas de Prædestinatione lectiones, multis etiam annis antè à me in Scholis habitas: suam verò contrariam doctrinam, multis conatus est confirmare. Interim tamen ad autoritates & argumenta de Perseuerantia Sanctorum, ad quæ sæpenumero rogati à consilio fuerant vt responderent, neque ipse neque alij vnquam responderunt. Non contentus autem & theses meas & lectiones, immo nominatim Augustinum oppugnasse: propè etiam infinitas inseruit in illa responsione calumnias, vt de conuiciis & iniuriis, quibus in singulis ferè paginis afficior, nihil dicam. E quibus calumniis sunt etiam illæ, quarum depulsionem exhibui primùm Dominis in mea Supplicatione: deinde in hunc librum retuli. Hæc est illa responsio, quam recitare voluerunt Consilio: sed neque illi neque mihi exhibere legendam aut examinandã, multo minus refutandam: sine vlla autem, vt illi loquuntur, replicatione, volebant vt consilium ex ea tantùm audita pronunciaret.

Consilium porro, quod ad Germanicum illud responsum attinet, datum suæ orationi: iudicauit pro eo tempore nihil esse respondendum, sed relinquendum in suo genere: atque ne dicere possent aduersarij, consilium occasionem aliquam moræ dedisse, ea de caussa omnia esse dissimulanda: & partim tempori, partim illorum stomacho concedenda. Quantum autem ad illam paratam responsionem, & ad modum agendi in caussa attinet: iudicauit ipsis esse indicandum, consilio videri commodiorem hanc rationem esse, vt ad mutuam cum Zanchio collocutionem veniant: sic enim fore, vt se mutuo meliùs possint intelligere, & non opus sit tantum temporis in lectionem & recitationem eorum quæ iam lõgo tempore cõscripserunt, insumere. Etenim si ipsi hæc omnia quæ iam per aliquot menses collegerunt, velint, absente Zanchio, in cõsilio recitare: necesse fore, vt eadem postea etiam Zãchio exhibeantur, eique tantum temporis, aut etiam plus cõcedatur, vt ad ea respondere possit: præsertim quum ipse non habeat tot scriptores, quorum opera perinde vti possit, sicut ipsi ex duobus collegiis, & priuatis conuictoribus habere potuerunt. Atque sic fore vt quę hactenus in quintum ferè mensem acta sunt, rursus in alium quintum, aut sextum mensem protrahantur. Quòd si verò ad mutuum colloquium descendant: fore hoc non solùm caussæ vtile & necessarium: sed ipsis etiam honestum: alioquin enim videbuntur disputationem detrectasse, quã antea visi sunt expetere. Quòd si tamen omnino constituerint scripto agere, & cum Zanchio sermonem conferre detrectent: consilium velle ipsis morem gerere, sed petere vt omnia quæ collegerunt, Consilio dent, vt singuli priuatim possint legere, nec opus sit singulis diebus cõuenire: præsertim cùm alioquin illa recitatio superuacanea sit futura, & personæ Collegii aliis quoque negotiis sint implicatæ, vt non ipsis vacet quotidie conuenire. Hæc iudicauit & decreuit Capitulum decimoquarto mensis Iunij. Illi tamen qui delecti fuerant, vt hoc Consilij decretum ad accusatores referrent: ostenderunt Consilio inutilem omnino futuram recitationem illam, quam accusatores promiserunt: proinde omnino vrgendum esse & postulandum ab ipsis, vt cũ Zanchio disputent. Nam etiamsi omnia recitauerint, necesse tandem fore, vt veniant ad mutuam disputationem. Igitur decimo septimo Iunij facta fuit optio hæc accusatoribus, vt aut coram Consilio, nemine alio, qui de consilio non sit, adhibito, disputent cum Zanchio: vel etiam adiunctis aliis ex Senatu doctis viris, qui ipsos possint intelligere: aut disputent in conuentu Ecclesiastico, adhibitis primùm omnibus Ministris & Diaconis: deinde Presbyteris & aliis doctis viris è Republica: postremò professoribus & classicis præceptoribus, qui hactenus huic caussæ interfuerunt. Præterea illis indicauit, si cupiant habere vel ex Senatu, vel ex aliis ordinibus doctos viros, qui disputationi intersint: vt vel ipsi priuatim à Magistratu hoc petant: vel vnà cum consilio. Ad hæc illi decimo octauo Iunij: se mirari cur Consilium nolit vt scripto agant: cùm tamen antea ipsis fuerit concessum, & ipsi iam sint parati. Itaque se rursus petere vt liceat sibi scripta sua quæ collegerunt, recitare. Quod verò ad disputationem attinet, aut ad tributos à Magistratu postulandos, se nihil velle affirmare: esse hoc consilio liberum à Magistratu petere, vel non petere: facturos se in hac re quidquid à Magistratu iussi fuerint. Et adiecerunt, se omnia ista, quæcunque faciunt, in gratiam capituli facere: cum Zanchio nihil sibi amplius esse negotij. Audita hac responsione, posteaquam Rector Scholæ & consilij Præpositus dixisset, se mirari cur accusatores dicant, à Magistratu petendum prius esse vt liceat disputare: cùm tamen disputationes illi Scholæ ab initio fuerint concessæ, & ante ea tẽpora, hoc est, ante dissidium, frequentissimæ semper fuerint, neque quisquã adhuc eas prohibuerit: rursus rogati fuerunt accusatores: vtrũ velint stare iudicio Magistratus nécne: nimirũ si Cõsiliũ à Magistratu disputationem & arbitros impetret, vtrùm ipsi velint cum Zanchio tũ disputare? Responderunt illi ad hęc vigesimosecundo Iunij, se neque disputationẽ neque arbitros à Magistratu postulaturos: sed permittere illud Consilio, deinde facturos se quidquid à Magistratu iussi fuerint. Eodẽ igitur die: missi à Consilio fuerunt tres ad Dominos XIII. Viros: qui breuiter quid eousque actũ fuisset in caussa, indicarunt, & quæ de illa esset Cõsilij sẽtẽtia, significarũt, & vt disputatio institueretur postularũt.

Ego qui tribus abinde mensibus nunquam fueram in Consilio, nostræ caussæ gratia, quòd totum illud tempus fuisset consumptum altercationibus inter Cõsilium & Actores exortis: vbi audiui, Consilium nihil potuisse ab aduersariis obtinere quo caussa cognosceretur ac componeretur, ac proinde rem totam ad Dominos tredecim Viros retulisse, & quid in ea actum esset significasse, & vtri bonam caussam haberent, suam sententiam

dixisse, disputationem etiam postulasse, & omnia acta ad eos referre constituisse: curaui vt per Præpositum conuocaretur Consilium. me enim habere quæ exhibeam & quæ petam. Decimo igitur Iulij. attuli in Consilium refutationes omnium argumentorum aduersæ partis contra doctrinam de Perseuerantia Sanctorum, quæ mihi antè exhibuerant refutanda, vt illa quoque vnà cum Actis traderentur Dominis XIII. Viris. Petij verò vt orationes illæ duæ contumeliosæ nimium, & grauissimis criminationibus plenæ, quas aduersarius pridem habuerat contra meã primam Narrationem, & quas Consilium noluerat mihi tum refutandas, ne aditus ad caussam retardaretur, exhibere: iam tandem aliquando translata cùm sit caussa ad Dominos, mihi darentur, quò possem in tempore meam defendere existimationem: quòd alioquin si exhiberentur Dominis sine mea responsione, foret id mihi & meę caussæ fraudi. Consilium noluit meæ annuere petitioni, sed rogauit vt aliquantisper adhuc exspectaré donec in caussa aliquid certi à Dominis pronunciaretur: posteà se illas mihi concessurum, vt meam existimationem, honorem atque famam, quacunque fas esset ratione, defenderem.

Hæc est summa illius, quem in Thomano Consilio cõtrouersia nostra habuit infelicis progressus, fideliter ex ipsis Actis necessariò à me contra nouas aduersus me dictas criminationes, recitata: vt tu ex illa, Illustrissime Princeps, aliíque etiã omnes intelligant, vbinam culpa hæserit tantæ moræ: & cur non fuerit compositũ à principio dissidium nostrũ, in Consilióne, hoc est, in arbitris, an in Reo, an verò in Actoribus. Non certè in Consilio, nisi fortè ex accidenti, quatenus videlicet ab initio caussæ, vt antea dictum est, nimium concessit actoribus. Cæterùm liquidò apparet, Consiliũ, sicut nihil non est passum propter hanc caussam, laborum, molestiarum, iniuriarum & calumniarum: sic etiam nihil non egisse, nihil studij & diligentiæ non adhibuisse, quò aut disputaremus, aut in collocutionem veniremus, aut saltem scripto alter ad alterius argumenta responderemus. Neque enim vidit sapientissimum Consilium quanam alia bona & iusta ratione posset controuersia, aut verè cognosci, aut benè solidéque componi. Silentio certè non debebat sepeliri: erat enim controuersia de religione, eóque de communi omnium salute, neque etiam citra disceptationem poterat cõponi. Quomodo enim contradictoriæ sententiæ: hæc doctrina est hæretica: & hæc doctrina non est hæretica: conciliari simpliciter queant? Erat igitur opus, vt aut illæ diuersæ sententiæ disceptarentur vel coram, disputatione aut colloquio: vel scriptis vtrinque probationibus & refutationibus: aut alterutra pars sine altercatione cederet veritati. Illi perpetuò meam damnare sententiam in Scholis & in templis: Ego vltrò ab illa recedere, nisi priùs per Scripturas conuincerer erroris. neque volebam, neque etiam poteram aut debebam. Quid igitur aliud faciendum fuit Consilio, quàm quod fecit? Egòne ad simplicem accusationem dãnandus, aut ad simpliciter subscribendum sententiæ aduersariorum adigendus? Proinde quod quidam dicebat Consilio, *Subscribat Zanchius meis postulatis, & sublata mox erit omnis controuersia*: & illud, *Efficite, vestra autoritate, vt Zanchius deponat errorem, & consentienter nobiscum doceat*: itẽ illud pontificiũ fulmen, *Itaque nisi hos iam recitatos errores Zanchius dãnet, & vera agat pœnitentiã, promittátque se deinceps in omni sua doctrina non recessurũ ab Augustana cõfessione eiúsque apologia: pro fratre & collega meo in posterũ neque agnoscã neque habebo*: & quod alius quidã proponebat, *Zanchius*, inquiens, *dicat Amen. & factum est pax*: prudenter Consiliũ vidit, dicta fuisse nõ tantùm iniquè, sed etiam ridiculè & pueriliter. Quales etiam sint illæ compositiones, quàm veræ, quàm firmæ, quàm salutares: quæ sine vllo partiũ colloquio, sed tantùm cõsensione in nouos, nescio quos articulos, ab hominibus compositos, & ad caussam, de qua est controuersia, nihil aut parum facientes, fieri aliquando solent: ídque tantùm vt errores non reuocentur: sed dissimulentur: reipsa videmus & experimur. Non potest, non potest verè tolli vlla de religione controuersia: nisi demõstratis priùs ex verbo Dei, deinde etiam condemnatis & reuocatis erroribus. Sic semper solitæ fuerunt tolli in primitiua Ecclesia & in veris legitimísque Conciliis. est enim pluris semper facienda veritas, Deíque gloria & Ecclesiæ salus: quàm omnium hominum quantumuis charissimorũ, adeóque & propria cuiusque nostrũ existimatio, & verò etiam vita. Et in religione nulla vnquã probanda est dissimulatio. Quare Consilium Thomanum non potuit nec debuit aliter sese gerere in nostra controuersia tollenda, quàm se gessit: aduersarios videlicet vrgendo, vt hominem ab se accusatum hæreseos, hæreseos etiam conuincerent: idque vel coràm per colloquium aut disputationem, vel datis in scripto non tam suæ sententiæ probationibus quàm etiam argumentorum aduersæ partis refutationibus: id quod cùm perpetuò fecerit, euincitur nullam in eo hæsisse culpam quò minùs controuersia fuerit composita.

De reo autem, hoc est, de me, mallem certè ab aliis & quidem ab ipso Consilio scribi quomodo me gesserim in caussa quàm à meipso. Quia tamen propter nouas criminationes pro me dicere cogor: rogo te, Illustrissime Princeps, & quotquot hanc legerint Epistolam, vt me habeant excusatum, si de me, & hic & infrà, ea retulero, quæ non tantùm ad meam defensionem, sed etiam ad laudem aliquam faciunt. cogor enim id facere: sicut etiam Apostolus à suis aduersariis nonnunquam coactus fuit multa de se prædicare. Sed non referã nisi certissima atque verissima, quæ etiam ex Actis demonstrari, & ab omnibus Collegis meis, qui me ex continua annorũ XI. familiarissima cõsuetudine, optimè norũt: quíque omnia quæ sunt acta in mea caussa apprimè tenent: possunt confirmari. Hoc igitur in præsentia dico: sicut à me non fuit excitatum dissidiũ (vt antè etiã demonstraui:) sic neque per me fuisse cõtinuatũ. Cæterùm si illi propriè dicuntur dissidia excitare in religione, qui non contenti doctrina a Prophetis & Apostolis in sacris literis tradita, & à Patribus explicata, & ab Ecclesia Dei recepta, noua etiã dogmata vel à se excogitata, vel ab aliis hominibus accepta veteri autẽ ecclesiæ inaudita, tanquã ad salutẽ necessaria populis obtrudũt: illi autẽ dissidia continuare qui pertinaces in suis sententiis, nullam volunt admittere disceptationem, aut collocutionẽ, qua veritas discussa innotescat, & refutatis damnatísque erroribus, in sana doctrina, vera solidáque consensio fiat: sed simpliciter volunt & iubent, vt alij omnes suæ subscribant doctrinæ, id quod proprium est Antichristi: rogo. Tu ipse iudices, Illustrissime Princeps, verùm Zanchius dissidij Argentinensis fuerit autor & cõtinuator, an verò illius accusatores. De primo facilè fieri potest iudicium ex qualitate meæ doctrinæ, quam illi damnarunt hæreseos: hoc est, ex meis tũ thesibus, tũ lectionibus, tum ad calumnias responsionibus, quę in hoc habentur libro. De secundo verò, ex iis quæ partim retuli, partim referam ex nostris Actis. Ac proinde patefiet, quàm verum sit illud quod post factam vtcunque compositionem, mihi publico in loco & multorum consessu obiectum fuit: me videlicet nouũ indicere bellum pro meo ingenio: & illud quod alter in me nuper scripsit conuitium, me hominem esse [illegible]. Principiò constat apud amicos permultos, cùm primùm eos vidi, quibus cum colueram amicitiam & familiaritatẽ annos non paucos, post & propter suppressionem Heshusiani libelli, statim à me fuisse ita abalienatos, vt obliti omnis veteris amicitiæ, societatis, sodalitij, pietatis aliorũ etiam tam Dominorum & ciuium, quàm meorum auditorum & collegarum animos, à me quotidie abalienarent: partim calumnias contra me spargendo: partim doctrinã etiã sanã damnando: Constat, inquam, quãtum animo dolorem perceperim ex illa, tum animorum abalienatione, tum sanæ doctrinæ oppugnatione, id quod etiam vnum est ex præcipuis meæ narrationis capitibus: de quibus expostulo cum meo aduersario: quòd videlicet sine vlla legitima caussa, pacem & concordiam multorum annorum vno momẽto violarit. Constat deinde ex Actis, cùm Herlinus caussam retulisset ad Consilium: me & gauisum fuisse, & gratias illi pro hoc officio egisse, & tum etiam paratum fuisse statim totum negotium à consilio cognosci atque componi. Neque illud est obscurum, nihil à me Cõsilium pro cognitione & compositione dissidij petiisse, in quo non ei libenter obtemperauerim. Petiit vt vterque suam caussam in alterius præsentia Consilio exponeret, & eidem vt arbitro, componendam permitteret: vtrique petitioni libenter ego assensus sum, & vt ita fieret, rogaui. Iussit me respondere ad postulata aduersarij, & ad propositiones mihi obiectas, an pro meis agnoscerem nécne: vtrunque feci. Iussit sibi dari conclusiones meæ Narrationis, quòd ad eas vellet respondere aduersarius: dedi. Iussit deinde dari etiam totam Narrationem: non recusaui. Postulauit lectiones meas de fine seculi, de Perseuerãtia sanctorum, & scriptũ de Eucharistia, vt exhiberentur accusatori: attuli. Dedit mihi lectiones aduersarij contra doctrinam de Perseuerantia Sanctorum: atque vt ad omnia illius argumenta & autoritates responderem, mandauit: respondi. Quòd autem petij, vt prima oratio aduersarij

mihi

mihi daretur refutanda: hoc feci coactus & illius exemplo prouocatus: alioquin non petiturus, ne cognitio caussæ in longum protraheretur. Cùm vero illas duas contumeliosas aduersarij orationes quas petieram, quò me possem purgare, consilium denegasset pro eo tempore, idque ne accessus ad caussam impediretur: acquieui eius voluntati. Quoties vero ego sponte petierim vt tandem ad caussam veniretur, & ordo in agendo seruaretur, ne vlla oriretur confusio: satis etiam liquet. Per totum illud tempus quo caussa fuit in Consilio, ego bis tantùm pro me dixi: cùm aduersarij perpetuò ibi contra me agerent, méque & in concionibus ac Scholis, meo tamen suppresso nomine, traducerent. interim æquo animo omnia tuli, & tacui, ne caussæ cognitio, mea culpa impediretur. Quoties autem petierim non tantùm de principio, sed deinceps etiam vsque ad finem, vt disputatio haberetur, aut saltem amicum colloquium, imò quoties etiam obtulerim priuatam cum vno quoque collocutionem: notum est collegis omnibus, & Acta prorsus non tacent. Taceo hic reliqua quæ post translatam à Consilio ad Dominos caussam, egi, quò lis omnis, salua tamen vera doctrina tolleretur. Testimonia etiam Consilij non tantùm de bonitate meæ caussæ, sed etiam de reliqua doctrina, & de meo ingenio, de moribus & vita, quæ decreueram hic recitare: differo in alium locum. Satis est nunc demonstrasse, id quod etiam de Consilio antè conclusi: nimirum sicut per me non fuit accensum dissidium, sic etiam non stetisse, quo minus statim fuerit extinctum. Consilium, huius quod de me conclusi, apertum dat mihi testimonium in Actis, & in suis tum responsionibus ad orationes aduersariorum meorum, tum supplicationibus ad Senatum. Eant igitur & dicant, Zanchium ingenij esse contentiosi & bellum indixisse. Si hoc est, bonam caussam & sese defédere, ad falsas accusationes respondere, ad disputationem aut colloquium inuitare, conuitia & calumnias depellere: fateor quod dicunt. sin verò est, falsò aliquem accusare, sanam doctrinam damnare, de rebus non necessariis litem mouere, ac denique conuitiis & calumniis lacessere: iudicium esto penes eos qui me & meos aduersarios, meam & illorum caussam, meas & illorum actiones, meum & illorum ingenium norunt.

Nunc igitur à Consilio vnà cum caussa egressus, transeo ad progressum quem illa fecit extra Consilium:

Translata caussa ad XIII. Viros, aduersarij quidem pergebant doctrinam controuersam, tanquam iudicatam ad plebem è suggestis inuidiosè proponere atque damnare: ita vt animi ciuium in dies magis ac magis à me abalienarentur. Tredecim verò, quinque viros doctos & rerum peritos delegerunt: qui & Acta perlegerent, & quid ad componendum hoc dissidium facto opus esset, suam quisque sententiam dicerent. Etsi autem tum Consilij antea audiuissent & sententiam & petitionem, tum etiam quid horum quinque doctorum virorum pars maior atque sanior consuluisset, intellexissent, nimirum instituendam aut esse disputationem, aut saltem amicam collocutionem: non visum est tamen ipsis, nec reliquo postea Senatui, illud vnum optimum audire Consilium. id quod tamen non dubito illos facturos fuisse, si animaduertissent aduersarios meos hoc cupere, aut saltem non recusare. Quæ enim alia compendiosior via excogitari poterat ad finem illis molestiis imponendum: quam si iuberet, vt iuxta consuetudinem Scholarum, rem ipsi inter nos professores & collegæ aut in Schola, aut in Consilio decideremus ac componeremus. Ego ab amicis aliquot solicitabar, vt redirem in Scholam, ita tamen vt de controuersa doctrina, initiò nihil verborum facerem: quòd si posteà alius de eadem re occurreret locus, mihi non prohiberi, quin pergam in mea tractatione, modò rem ipsam tantùm modestè tractem, in personas autem non inuehar. Scholarchis enim & Dominis satis perspectam esse meam caussam. Hic respondi: si hoc nomine Scholarcharum aut Dominorum mihi significetur: facturum id me perlibenter, & mihi nihil esse optatius. sin minus: non facturum: quòd nollem si de controuersa doctrina loquerer, vel in Dominos peccare, vel occasionem dare aduersariis mei de nouo crimine accusandi: si verò tacerem, nollem silentio meo committere vt vel prodere veritatem, vel illam non audere defendere, vel sententiam mutasse viderer.

Interim non solùm ego ipse in Consilio cùm dabatur occasio, sed etiam extra Consilium per amicos rogabam aduersarios, vt mecum vellent de rebus controuersis amicè vbiubi liberet, colloqui. me sperare, si boni viri essent, & nihil aliud quàm veritatem quærerent, futurum, vt ex familiari colloquio intelligant, doctrinam, quam defendo, non esse, vt ipsi putabant, impiam & hæreticam. Viuunt adhuc illi qui hæc norunt, & quorum opera ad id obtinendum vtebar.

Cæterum cùm vidissem nihil mihi responderi, ac proinde colloquium tacitè denegari: profectus per Germaniam ad alias Ecclesias atque Academias, & quidem adhibito delectu, ex quo nihil aliud quam veritatem & pacem me quæsiuisse omnes intelligerent: contuli cum piis Theologis & aliis viris doctis, de hac controuersa doctrina, atque exhibitas theses rogaui diligenter examinarent: ac si quid in illis minùs orthodoxum deprehendissent, me vt fratrem, seposito omni humano affectu, admonerent. sin verò quæ docui, consentanea esse sacris literis iudicassent, ne grauarentur testimonium, & quidem scriptum, dare veritati: idque partim vt meus Magistratus perspicuè videat, à me nihil in sua Schola impium atque hæreticum traditum fuisse: partim vt delecti à Magistratu, siue arbitri, siue iudices, ex multis certísque piarum Ecclesiarum & celeberrimarum Academiarum iudiciis, tuta conscientia & sine vllo iustæ reprehensionis metu, de tota nostra caussa iudicare & pronuntiare liberè possint. Secutus sum autem hac in re exempla aliquot Patrum, Basilij, Athanasij & aliorum: qui cùm de doctrina accusarentur, persecutionémque à Tyrannis paterentur: conferebant se ad Ecclesias alias: & illarum iudicia exquirebant & audiebant. Quid dico exempla Patrum? Imò Pauli exemplum imitatus sum: quem Paulum ad Apostolos Hierosolymam profectum fuisse legimus, vt cum illis de suo Euangelio conferret: non quòd de eo ipse dubitaret, sed vt illud testimonio etiam reliquorum Apostolorum comprobatum, faciliùs à Gentibus & Iudæis reciperetur. Illi itaque Academiarum & Ecclesiarum patres tum diligenter examinatis Thesibus, tum attentè perlectis quibusdam meis scriptis: illa tandem dederunt testimonia quæ hic inserui, atque tandem euulgari, maxima necessitate coactus, curaui.

Dum ego cum Theologis per Germaniam communico doctrinam controuersam, & illorum iudicia exquiro: Argentinæ Senatus id dant operam, vt Acta & vtriusque partis scripta (erant autem non pauca) à delectis ad hoc munus, diligenter legantur, summa referatur, & quid quisque ipsorum sentiat, factúque necessarium pro componenda controuersia iudicet, significetur. Delecti strenuè suum faciunt officium. Accusatores autem, sicut à principio cœperant, sic etiam pergunt. Quibuscunque possunt modis, priuatim & publicè, verbis & scriptis controuersam doctrinam, impietatis atque hæreseos damnant: & hominem accusatum, inuisum, odiosum atque exsecrabilem omnibus reddunt. Atque hunc stilum & sonum ad extremum vsque, hoc est, vsque ad tempus compositionis continuant. Licet enim post meum reditum, cùm sparsa iam esset fama, doctrinam meam ab Academiis & Ecclesiis aliquot fuisse comprobatam, cœperint eorum nonnulli dicere, tolerabiles esse theses: aiebant tamen adhuc lectiones ipsas esse intolerabiles, & in eis latere venenum. Ac proinde licèt Senatus non semel & iterum iussisset eos modestius agere, doctrinam traditam per Bucerum non damnare, neminem etiam, nisi apertè hæreticum, & omnium verarum Ecclesiarum iudicio damnatum, perstringere, omnes potiùs sermones ad concordiam & ædificationem accommodare. illi tamen ab instituto non destiterunt.

Ego verò cùm hæc partim audirem, partim viderem, & cuperem caussam cognosci atque componi: principiò rogaui Dominos, efficerent vt veniremus ad aliquam amicam collocutionem: sperare me futurum, vt intra horam agnoscant aduersarij, doctrinam, quam damnant, non esse, vt ipsi putant, hæreticam aut nouam: eos idcirco hallucinari, quòd me meámque doctrinam non intelligant: non dubitare me, si boni sint viri, quin, posteaquam me audierint, aliam de me concipiant opinionem, & doctrinam quam malè intellectam damnant, eandem explicatam probent. Deinde idem supplicaui magno, & magnæ non tantùm potentiæ atque autoritatis, sed etiam prudentiæ & virtutis Principi: Duci nempe Vuirtembergico, curaret apud Senatum, vt colloquium institueretur, me nihil aliud cupere, quàm vt veritas cognoscatur. Quin & Theologum magni nominis Ioan. Brentium, qui cum illo erat principe, non semel per Christum rogaui, vt

suam vellet interponere autoritatem, quò caussa componeretur & dissidium tolleretur: me illum deligere arbitrum: deligant & aduersarij quemcunque velint alium. vsque adeò fidebam bonitati caussæ. Atque hoc contigit mense Februario anno M. D. LXII. Tandem mense Martio, obtuli Supplicationem Magistratui, eamque Latinam & Germanicam. Quidam enim fratres eam conuerterunt in linguam popularem, propter Senatores illos qui Latinè non intelligebant. In ea Supplicatione, explicaui primùm, quantum dolorem animo perceperim ex illo dissidio, tum propter Scholam vulneratam, amicitiam inter collegas violatam, Magistratum nostris contentionibus perturbatum, denique etiam propter læsam meam meique ministerij existimationem.

Deinde etiam quæ me in illis animi molestiis recrearent atque reficerent, bonitas caussæ, testimonium bonæ conscientiæ, æquitas Magistratus, placiditas populi Argentinensis, communis sors rectè docentium, testimonia collegarum & omnium bonorum virorum, qui me intus & in cute, ex longa multorum annorum consuetudine, norant.

Tertiò, LXII. calumnias ex libro contra me ab aduersariis scripto, mihi verò nunquam ab ipsis communicato, Magistratui autem, vt antè dictum est, clam me exhibito, à me semel per quandam occasionem intra noctem vnam perlecto, exceptas refutaui.

Postremo petij atque rogaui: quòd ad conuitia atque contumelias & calumnias attinet, curarent vt ea omnia aduersarij mihi probarent, idque coram Dominis, quo possem me defendere. Quòd si illi vel nolint, vel non possint præstare: curent igitur Domini, vt mea mihi existimatio restituatur, declaretúrque, me talem non esse, qualis per vrbem fui traductus. me enim propter muneris mei rationem pluris facere nomen & existimationem meam, quàm diuitias multas, vitámque ipsam. Quod verò attinet ad eam doctrinam quam fateor me in Schola docuisse, quæque quatuordecim thesibus comprehensa est: hæc in verba feci meum postulatum: [Quoniam propter illam doctrinam vocarunt me Anabaptistam, Catharum, Schvvenkfeldianum, Nouatianum, hominémque plenum hæreseon: peto secundo loco, vt aduersarij sistantur, & mihi probent, talem doctrinam esse hæreticam, & deinde me esse hæreticum. Neque enim satis est dicere, sed oportet dicta confirmare. alioquin si satis sit accusare, nemo poterit esse innocens. Neque satis est dicere, Probauimus Dominis, tum verbis tum dato libro: sed oportet etiam probare mihi, vel saltem propositiones mihi dare, vt me defendere queam. Quod si hoc noluerint, aut non potuerint præstare: protestor, doctrinam, quam docui, esse orthodoxam: ac proinde magnā mihi factam esse ab aduersariis iniuriam, quòd talibus me affecerint calumniis atque conuitiis. Quamobrem obsecro Dominos, vt & Christi doctrinam iniquè damnatam vindicent, ioque suam & Scholam & Ecclesiam restituant, & meam innocentiam declarent atque defendant sua sententia, aut quacunque fas erit ratione.] His tum verbis Senatui amplissimo supplicaui, quibus etiam hoc adieci: [Peto præterea, vt neque iuxta librum aduersariorum, quem contra omnes Theses ab ipsis mihi obiectas scripserunt, ego iudicer. Non est enim ęquum, vt iuxta tantum aduersariorum scripta de me iudicium fiat, antequàm illa videam ad eáque respondeā. Ad hæc, præterquàm quòd infinitas continet calumnias, liber ille, debet etiam vobis esse suspectus, tum quòd Capitulo relinquere examinandum noluerunt, tū quòd nullum ad me miserunt exemplum, vt viderem & responderem. Certè si veris & solidis rationibus meas theses refutassent, & ipsi suam doctrinam contra meam satis confirmassent, non grauati fuissent illum dare & mihi & Capitulo: id quod amor veritatis postulabat. Postremò, in eo apertè damnant Augostinum in doctrina de Prædestinatione, & fatentur meam doctrinam eandem esse cum Augustini doctrina. Oro itaque vt illius libri mihi copia fiat.] Hæc etiam ibi ad verbum. Ad extremum petij disputationem aut collocutionem, aut saltem vt mihi liceret aut verbis in Schola, aut scriptis extra scholam, meam caussam modestè & Christianè defendere, in hæc planè verba: (Quòd si hæc non sunt satis ad iustificandam doctrinam hanc, propter quam hæreseos accusor, curetis vt mecū veniant in collocutionem, coram doctissimis quibusque huius ciuitatis hominibus. Est petitio hæc iustissima. Ea enim antiquissima omnium scholarum & Academiarum per totum terrarum orbem consuetudo est: vt si quid altercationum de doctrina inter professores oriatur, illud in Scholis ipsis disputando discutiatur. Quòd si altera pars disputationem detrectet aut diu subterfugiat, illa tanquam tacitè euicta & superata damnatur. Hoc si in hac quoque vrbe, principio quo excitata fuit hæc cōtrouersia, sicut petieram, factum fuisset: non fuisset huc vsque extracta hæc plus quàm hostilis perniciosáque contentio, non tot tantásque molestias Domini mei perpessi fuissent, non tam diu dissipata fuisset Schola, non tantæ exortæ fuissent inter multos inimicitiæ, non denique tot tantáque negotia toti ciuitati facta fuissent. Peto itaque curetis, vt tandē aliquando publica disputatio instituatur, cui intersint Domini & doctissimi quique ciuitatis: est enim necesse, vt tādem huc veniatur. Qui secus cōsulunt, nec veritatem nec vestram existimationem amant. Peto postremò, vt dum lis pendet, efficiatis, vt aut, sicut ego cogor tacere, sic etiā vestri concionatores de iis rebus controuersis taceant: aut si vultis liberè illis licere sententiam nostram publicè additis etiam conuitiis, impugnare: mihi quoque liceat sine conuitiis vel verbis in Schola, vel scriptis extra Scholam: non meam, sed tot tantarúmque Ecclesiarū doctrinā, quā esse Christianam & orthodoxam profiteor, propugnare. Nequaquam enim ęquum est, vt accusatoribus liceat pro sua libidine calumniari: reo autem non liceat, calumnias depellendo, se & suam innocentiā defendere atque tueri. Hortor ergo & obsecro, cogiteris diligenter quale initium & quales progressus habuerit hæc cōtrouersia, qualémque habitura sit exitum, nisi vos, vestra prudentia ac potestate, fortiter quod pium & iustum est defendatis, & quæ possunt inde consequi mala, maturè auertatis. Hæc sunt, Domini mei clementissimi: quæ pro me in hac controuersia semel tandem dicere & vobis supplicare constitui. Nihil narraui quod non possim probare. Proinde poteritis pro vestro arbitratu, hæc cum ipsis etiam Pastoribus communicare. Nihil enim in tenebris, sed omnia in luce volo agere. nam nihil magis odi quàm tenebras. Rogo boni consulatis meam in dicendo cum libertatem, tum prolixitatem.] Hæc fuit summa meę ad Senatū Supplicationis, vnà cum Iudiciis Academiarum & Theologorum, exhibitæ die vigesimo secundo Martij: anno M.D.LXII. ad hæc tandem responsum fuit, nomine Senatus in hanc sententiam: *Senatui vehementer dolere, tam grauem inter suos ciues, Doctores præsertim & Professores ortam esse controuersiam, curæ etiam sibi esse doctrinam pietatis, & omnium suorū ciuium ac Professorum existimationem, nec permissurū vt cuipiam vlla fiat iniuria, in hoc negotium versari, vt caussa cognoscatur & componatur: iubere igitur me quiescere & bono esse animo, donec, id quod breui futurum sit, finis controuersiæ imponatur.*

Non ita multo post exhibitam meam supplicationem, Ioannes etiam Sturmius, Rector Scholæ & præpositus Collegij, iudicium suum, de ratione qua possit dissidium componi, Dominis qui illud petierant, exhibet, die nimirum XXVI. Martij eiusdem anni M.D.LXII. Cuius iudicij præcipuum caput hoc fuit: *Se in hac esse sententia, non posse componi hoc dissidium, nisi veniatur vtrinque in collocutionem, & eam quidē eiusmodi, quæ doceat Christianos homines paucis ex Senatu prudentibus, & doctis viris adhibitis, idque ob graues caussas quæ ibi explicantur. Hanc viam sibi videri & facilem & æquam.*

Aduersarij post exhibitum longè anteà librum contra omnes meas theses: de quo antè non semel mentionē fecimus: Apologiam etiam quandam offerunt Senatui, & post eam, minorem, vt ipsi vocant, Confessionem, eámque Latinam, XXIIII. Iunij anno M.D.LXII. Illam non legi, hanc tandem paulò antè quàm Argentina discederem, vidi ac perlegi. In ea principiò agunt de Cœna, & nominatim damnant tum Bullingeri librum de Multis mansionibus: tum Martyris dialogum Pantachium, cum Bezæ explicatione de Cœna: quæ in Summa Christianæ religionis Synodo Gallicanę anno M.D.LX exhibita, continetur. Contendunt autem, corpus Christi verum & ore corporis percipi, & ab ipsis etiam indignis, hoc est, vt ibi explicant ipsi, impiis, & nulla vera fide præditis manducari. Et hanc iactant fuisse sententiam Buceri, Capitonis & omnium suorum in Ecclesia Argentinensi prædecessorum. Deinde agunt de Prædestinatione, atque hic initiò doctrinam Gulielmi Holbrachi tunc temporis Ecclesiæ Gallicanæ, quæ Argentinæ erat, Pastoris dignissimi, in certas redigūt propositiones, atque eas nunquam cum ipso autore cōmunicatas, damnant: & vocāt errores tetros, blasphemos, atque furores. Postremò inuehuntur denuò in omnes meas illas theses quæ sunt de Prædestinatione & de Vinculis, de Perseuerantia, & de Promissionibus. In horū autē refutatione, multa iterū per calumniā inferunt iniuriosa & calumniosa,

lumniosa, non tam contra me, quàm contra omnes eos qui mecum bonam causam defendebant.

Horum occasione permoti Rector, Visitatores & alij Professores (nouerant enim qualia ab aduersariis scripta exhibita fuissent Magistratui) ipsi quoque offerunt Supplicationem, mense insequenti, nempe Iulio. In ea principio dolent, dissidium ab aduersario meo contra me (sic enim omnes fatentur) excitatum, nunquam potuisse intra annum & sextum mensem componi, neque a Consilio, neque à XIII. Viris. Deinde conqueruntur de autore dissidij, quòd reliquos aduersarios in eam conspirationem pertraxerit, quòd grauibus calumniis Capitulum & Scholam clàm opprimere conatus sit, quòd nullum modum suæ iniuriæ & intolerabilis potestatis teneat, quòd eo deuenerit audaciæ, vt antequam caussa iudicata sit, pro suo arbitratu in quos vult, animaduertat: quòd ex duobus Collegiis propter hanc controuersam caussam, ignorantibus Scholarchis, aliquos stipendiis fundatorum spoliarit atque eiecerit: quòd non contentus Confessione Magistratus Argentinensis quam Cæsari anno trigesimo obtulit: non contentus etiam illis loquendi modis quibus Bucerus est vsus: non contentus Confessionibus aliis Maiorum Ecclesiæ Argentinensis, vt illâ quam conscripserunt anno M.D.XXIII. & quam anno XXXIX. & quam anno XLIIX. eiiciat qui in sua de Cœna Domini non iurent verba: quòd ipse cum aliis suis constituerit Diaconum quendam senem, doctum, pium, quia nobiscum eandem defendat caussam, ab Ecclesiastico conuentu excludere & alius in animum induxerit, cum eo in Cœna Domini non communicare. Hoc Consilium atque institutum, cupiditatem atque audaciam & violentam potestatem, iam ampliùs neque à Capitulo, neque à Visitatoribus, neque a Professoribus ferri posse. Tertio loco, aliquot graues calumnias, circiter nouem contra se ab aduersariis sparsas, iniuriásque factas commemorant, atque vt se ab iis Senatus defendat, dum eas probare accusatores non poterunt, postulant. Quarto loco, & de multis accusant aduersarios, tam in actionibus quàm in doctrina, & contrà, doctrinam quam in me illi damnarunt, contendunt consentaneam esse scriptis Prophetarum, Apostolorum, Augustini, Lutheri, Buceri, Capitonis & Confessionibus ciuitatis Argentinensis. Quinto loco, offerunt suam Confessionem etiam non requisiti: atque eam quidem ipsissimam quam composuerat & conscripserat Bucerus anno XXXIX: Capito autem & Hedio & Zellius sua ipsorum manu notauerant & comprobauerant. Continet autem illa Confessio summam doctrinæ de Prædestinatione, eóque & de Perseuerantia, & de Cœna Domini. Αὐτόγραφον verò erat tum Argentinæ apud optimum virum, verum & fidum Buceri discipulū, amanuensem, symmystam & amicum, Conradum Hubertum. Postremò hæc à Magistratu petunt & orant: primùm agant cum aduersariis, quò contenti sint quatuor vrbis confessionibus: vna. Magistratus quam Augustæ anno XXX. Cæsari obtulerunt, & quam Elector Saxoniæ, Tu Princeps Lantgraui, & Legati Principum, Vestræ Confessioni consentaneam esse dixistis atque approbastis. altera, quam Pastores, Capito, Hedio, Bucerus, Zellius cæterique parochi & ministri anno XXXIII. contra Hofmannum & hæreticos illius temporis proposuerunt. tertia, quam ediderunt anno XXXIX. in minore Synodo: quæ fuit concessa à Senatu, vt sexto quoque anno haberetur, ad retinendam puritatem & disciplinam Ecclesiæ. quarta, quam inuulgarunt anno XLVIII. cùm adhuc Bucerus adesset & viueret Hedio, cui etiam ipse aduersarius noster subscripsit. Alterum etiam petunt, nempe, vt si aliquod dubium oriatur in confessione Augustana Principum: illius dubij non cogantur responsionem accipere ex libris Heshusij, Vvestphali, aut ex sensu & vtilitate aduersariorum nostrorum, sed ex S. literis, ex Patribus, ex scriptis, disputationibus, lectionibus Maiorum nostrorum, & ex quatuor vrbis confessionibus: præsertim ex Apologia confessionis quatuor ciuitatum. Tertium, vt disputationes Collegio restituat: & aduersarij vel disputent nobiscum: vel desinant in concionibus de iis quæstionibus dicere quæ falsissima sunt: neque magnos viros aliásque innumeras nationes quæ Euangelium profitentur, propterea damnent, quòd aliter quàm ipsi, de Cœna & de Prædestinatione sentiant atque doceant. Quartum, vt decretum Senatus quod anno superiore fecerat: aduersarij seruent: hoc est, vt nihil decernant, aut noui aliquid instituant absque scitu Presbyterorum: neque hi aliquid absque consensu Magistratuum: & vt conuentus Ecclesiasticus reuocetur ad antiquam suam formam. Hæc enim decreuerat Senatus, & decretum legi iusserat in conuentu: sed aduersarij noluerunt ei obtemperare. Postremum postulatum ita habet ad verbum: *Vt quoniam in Capitulo librum ostēderunt contra conclusiones Doct. Zanchy, quē recitare quidē in Capitulo præcipitanter parati erant: sed relinquere Capitulo, vt diligenter examinaremus, noluerunt: & quoniam confessionem Senatui his diebus obtulerunt: Rogamus Dominos nostros, vt vtrūque scriptū nobis exhibeant: quo de vtroque possimus nostrā explicare sententiā. Quod ita faciemus, vt & rationē constituendæ concordiæ, & veritatis, & obedientiæ erga Magistratū nostrum, summā videamur habuisse. Et quoniā duas orationes aduersus Zanchiū habitas, nos neque Zanchio ostenderunt, concordiæ spe, neque nostram de his exposuimus sententiā in Actis nostris: si neque colloqui neque disputare volunt: vt nobis liceat ad has respondere, & huiusmodi responsionē, cum absoluta erit, ad Acta illa adiicere. Et quoniā ipsi Acta quædam sua XIII. Viris tradiderunt, quæ nos non vidimus, & illa liceat nobis cum nostris coferre Actis, quæ dicimus esse verissima, absque vna cōmutata sententiola. Atque istud postremū propterea petimus quòd absque hoc caussam nostrā non posse cōmodè iudicari arbitramur. Non pigebit nos huius laboris atque scriptionis: si vobis Dominis nō displicebit nostra petitio, quibus omnē in nostro ministerio diligentiam, studium, solicitudinem, obseruantiam, pacem atque concordiam pollicemur, quanquam isto postremo labore non esset opus, neque Magistratui in cognoscendo, neque nobis in scribendo si concederetur collocutio & disputatio, sine qua non videmus quomodo cōponi istud dissidium possit: vt veritas retineatur, & doctrina pura in Schola maneat.* Hæc fuit Professorum scholæ supplicatio Senatui eo, quo dixi, Mense exhibita.

XVII. Octobris noua excitatur controuersia in Thomano consilio: vbi eramus plerique omnes collegæ. Occasionē huic nouo dissidio dedit examen, quod duo ibi iuxta leges Consilij erant cum de rebus aliis, tū de religione in primis examinādi. Erat autē scriptū in legibus, examen esse faciendū iuxta nostrā Augustanā confessionē, Maior igitur pars per *Nostram*, intelligebamus confessionē Argentinensem quā Cæsari exhibuerant anno XXX. Aduersarij vero interpretabantur confessionem Principum, & iuxta hanc examen esse faciendū contendebant: minime verò standū confessioni Argentinensiū. quòd ab hac (sic enim aiebant) recessissent, cùm illā alterā receperunt. Nos contrà, cùm illa Principū minimè pugnet cū hac Argētinensiū, id quod nos demonstraturos pollicebamur, in dogmatibus fidei. non dicebamus consequi: Argentinenses à sua defecisse: propterea quòd alteri subscripserunt: quare vtrāque esse retinendā, & nobis licere breuiorē & obscuriorem, per eam quæ fusior est atque clarior, interpretari. Quare si quis examinatus de Prædestinatione, & de cœna, & de Perseuerantia, respondeat iuxta explicationē quę traditur in confessione cū sua Apologia Argentinensium præsertim si addat, se Augustanam quoque Principum, orthodoxè intellectam, admittere: eum non esse reiiciendū. Examinatores igitur omnes, numero quatuor, excepto quinto qui erat ex aduersariis, in ipso Consilio, præsentibus Scholarchis, propter voculas quasdam, contra se & maiorem melioremque Consilij partem in vulgus proiectas, protestati sunt ea quæ iam subiiciam, cui protestationi, ego quoque cum reliquis collegis subscripsi, eáque Senatui posteà exhibita fuit. Summa autem protestationis hæc fuit: *Nos protestamur, ita nos retinere Confessionem Augustanam nostræ ciuitatis, Cæsareæ maiestati oblatam anno trigesimo: vt etiam Augustanæ confessioni Principum subscribamus: imò pollicemur, eam orthodoxè intellectam, nos vnà cum nostra defensuros contra Pontificios, contra sectarios, contra omnes hostes Euangelij & veritatis.* Deinde addiderunt: Quòd Argentinensi confessioni nominatim vellent examinandos adstringere: id se facere multis iisque grauissimis de caussis: inter quas hæc vna quoque fuit: quòd ex Actis liquidò constaret, legatos Argentinenses cùm Augustanæ cōfessioni Principū Schvinfurti subscripserunt, anno XXXII. protestatos fuisse nomine ciuitatis, se ita confessioni Principum subscribere, vt à sua minimè recedant: atque hanc protestationem ab altera parte, hoc est, à Legatis Principum concessam fuisse. Cùm itaque Senatus hanc formam examinis iuxta suam confessionem, Thomano consilio & aliis Collegiis omnibus de principio præscripserit: se non posse, nisi cum iniuria Senatus, ab illa recedere, quando neque Senatus si-

ne decore infamiæ, à sua Confeſſione recedere poteſt. Ad hæc p roteſtantur,ſe non improbare modus loquendi Eccleſiarum Saxonicarum,*In pane Corpus Domini ſumi,in calice ſanguinemDomini bibi*:ſed ita,vt Lutherus ſe explanauit:vt iſte cibus non ſit cibus ventris,neque panis vertatur in corpus Chriſti, neque corpus Domini localiter includatur in pane, vel lateat in pane: & vt manducatio quæ fit ore corporis,pani propriè competat: corpori verò Domini, non niſi ob Sacramentalem vnionem tribuatur, & huic Sacramento nihil ex opere operato concedatur. Proteſtantur etiam ſe ſic examinaturos ſecundùm confeſſionem Vrbis, vt nihil contrarium ſtatuere velint vtrique confeſſioni & Principum & Vrbis: nihil etiam præſcripturi Senatus voluntati & poteſtati. id verò quod in omnibus minoribus iudiciis licitum eſt facere: id ſe ſibi aſſumere, vt ſcilicet iudicent ſecundum ſuam conſcientiam. Huic Examinatorum proteſtationi, noſtrum plerique omnes propria etiam manu ſubſcripſimus. Deprecabamur verò hoc vniuerſi vnum,propter quod ortum fuerat diſſidium: vt ne cogeremur Auguſtanæ confeſſionis interpretationem ab aduerſariis noſtris, partim diſcipulis,partim condiſcipulis accipere.Hoc autem petebamus, rogabamus, orabamus, obſecrabamus, vt in ea doctrina manere nobis liceret, in qua Capito, Zellius, Hedio, mortui ſunt: & quam Bucerus quoque ad annum vſque XLIIX.quo diſceſſit in Angliam,docuit,illuſtrauit, defendit, nec mutauit per reliquum vitæ ſpatium: & contrà ne paterentur Domini eam doctrinam, quam Maiores noſtri publico decreto ex ea vrbe eiectam voluerunt, & quæ eiecta fuit quando vixerunt Capito,Zellius, Bucerus,Hedio,nunc denuo reuocari:& concederent, vt illam quam eodem decreto mandauerant in templis doceri, & incorruptam retineri: retineremus & doceremus. Decretum autem illud mox ſubiicitur Germanicè, ex libro qui inſcribitur: *Ordinatio & Ceremonia Eccleſia Argentinenſis.* Demonſtratur etiam luce clarius in ea proteſtatione contra accuſatores,Senatum Argentinenſem à ſua Confeſſione minimè receſſiſſe. Sunt & alia in illa proteſtatione: ſed hæc eſt ſumma eorum quæ hic commemorari operæ pretium, imò neceſſarium fuit. Ex iis enim perſpicuum fit, quàm falſa fuerint illa quæ aduerſarij in vulgus ſpargebant, quæ ad aures vſque Principum & magnorum virorum peruenerunt: Sturmium,Zanchium, & ſuos,Auguſtanam confeſſionem non agnoſcere, imò impugnare, & inimicos eſſe doctrinæ Argentinenſis. Auguſtanam enim veſtram confeſſionem,Princeps Illuſtriſſime,ſemper amplexi ſumus: & obtulimus nos ipſi ad defendendam illam contra omnes aduerſarios, tantùm de intelligentia quorundam locorum fuit diſceptatio. Illi ſuam obtrudebant interpretationem, nos dicebamus petendam illam eſſe cùm ex ſcriptis doctiſſimorum Patrum in Germania: tum præſertim ex libris Buceri & aliorum Eccleſiæ & Scholæ Argentinenſis antehac Doctorum atque Paſtorum: eámque eatenus admittendam, quatenus conſentanea eſſet ſacris literis. Speciatim verò de doctrina Eccleſiæ Argentinenſis,quid opus eſt longa Apologia, cùm de ea te conqueſti ſimus perpetuò. quòd in nobis eam damnent doctrinam, quam apertè Bucerus & alij Eccleſiæ Argentinenſis Patres, vno & perpetuo conſenſu, & tradiderunt voce in Scholis & templis:& libris editis confirmarunt,& ad abſentes tranſmiſerunt atque poſteros? Propterea in Supplicationibus & Proteſtationibus illud ſemper viſimus: liceret nobis eam defendere doctrinam, quam Maiores noſtri nobis ſcriptam reliquerunt,& in qua ipſi mortui ſunt:& contrà,quam illi,vt impiam, damnarunt: eam reuocari in vrbem ne paterentur. Quid apud ipſos compoſitores,cùm in eo laborarent vt nos conciliarent, aliud vrſimus quàm hoc:Curate, vt aduerſarij concedant nobis doctrinam Apoſtolorum in articulis controuerſis, iuxta explicationes Buceri & Maiorum noſtrorum, & facta eſt pax? Sed ad inſtitutam narrationem redeo.

XXII. eiuſdem menſis Octobris, obtuli ego Senatui meam,ſicut petierant, de tribus articulis, Prædeſtinatione,Perſeuerantia, Cœna, confeſſionem, tam Germanicè quàm Latinè ſcriptam. In ea probaui meam ſententiam teſtimoniis Scripturarum,deinde Patrum, poſtremò doctorum noſtri ſeculi, atque in primis Lutheri & Buceri, confeſſionibus etiam Eccleſiæ Argentinenſis & Paſtorũ. Atque vt ſummam illius complectar, luculentiſſimè demonſtraui, de Prædeſtinatione quidem & Perſeuerantia me nihil docuiſſe, quod non ante me Apoſtoli primùm atque Prophetæ, deinde Auguſtinus & alij multi Patres, demum Lutherus & Bucerus (vt ne alios commemorem omnes) ſcriptum reliquiſſent:ac proteſtatus ſum, me non aliter ſentire quam illi docuiſſent,& iſti explicaſſent. De cœna verò:idem planè me ſentire ac docere,quod Eccleſia Argentinenſis in ſua, imò quatuor Ciuitatum confeſſione & Apologia docet: ac proinde nihil diſſentaneum à confeſſione Auguſtana Principum profiteri. Veſtri enim Legati,Princeps Illuſtriſſime, Anno XXX. in Comitiis Imperij Auguſtanis,viſa atque perlecta confeſſione, quam à Capitone,Bucero, atque Hedione compoſitam, Iacobus Sturmius,& alij Argentinenſes Legati,Cæſari exhibuerũt, apertè dixerunt Argentinenſibus,illam cum ſua in omnibus dogmatibus reipſa conuenire. Præterea vt omnis dubitatio tolleretur,demonſtraui,eandem doctrinam confirmatam fuiſſe in Synodo Argentinenſi anni XXXIII. item in confeſſione anni XXXIX. poſt ipſam etiam concordiam factam inter Lutherum & Bucerum & alios: nec non in cõfeſſione Buceri de cœna, quam anno XLIV. in Schola dictauit,& ad cuius finem hæc adiecit verba: *Martinus Bucerus, ita in Domino ſentio, & in hac ſententia opto venire ad tribunal Dei.* deinde in ipſo etiam compendio religionis & doctrinæ Paſtorum Argentinenſium,edito anno M.D.XLIX.vt confeſſionẽ quã Bucerus de eadẽ re ex Anglia miſit in Germaniam, omittam. imò planè idẽ docui quod Brentius in ſua Exegeſi in Ioan.c. 6. in tractatiuncula de cœna Domini. Proinde obſecraui Dominos, curarent vt doctrina ſuarũ confeſſionũ & Apologiæ,in ſua Eccleſia & Schola retineretur: me enim cognoſcere illam pro Chriſtiana,& vt Chriſtianam amplecti. Quòd ſi aduerſarij cõtendere adhuc velint, doctrinam tam de prædeſtinatione quàm de cœna, quæ habetur in confeſſionibus & Apologia ciuitatis,eſſe erroneã:cogant illos venire in diſputationẽ:me enim & meos collegas contrariũ defenſuros,& doctrinã veterẽ illius Eccleſiæ piã eſſe demõſtraturos. Ad extremum,obtuli me,ſi quæ dedi non ſatisfacerent, ad maiorem illorum trium articulorum explicationem: quando, vbi, & quomodo Domini iuſſiſſent. Sperabam itaque breui futurum, vt tandem aliquando vel crimine hæreſeos per Senatus ſententiam liberarer: vel cogerentur aduerſarij in diſputationem aut amicum colloquium venire:vel ſaltem mihi concederetur, vt poſſem ipſe mihi bona & honeſta aliqua ratione, labem illam hæreſeos in Schola & apud Eccleſias abſtergere.

Cæterùm cùm vna ex parte viderem, procurrente iam ad exitum anno ab excitata controuerſia altero,totam illam meam ſpem inanem prorſus eſſe ac deſperatam: altera verò ex parte audirem, aduerſarios minimè deſiſtere à ſemel ſuſcepto impunè inſtituto:conſulo amicos quid facto opus ſit. Illi arbitrantur omnino neceſſarium eſſe, vt quando voce non licet, ſcriptis in lucem emiſſis, & cauſſam bonam,& me meóſque defendam, ac crimine hæreſeos liberem.Senatum enim nunquam,quæ ſua eſt in politicis rebus prudentia, ſumturum ſibi vllum de religione iudicium:in hac præſertim cauſſa,quæ non inter vnum & alterum, ſed inter Profeſſores Scholæ & Paſtores Eccleſiæ tamdiu eſt diſceptata, & adhuc diſceptatur. Eundem etiã, vt me ipſe & cauſſam in Schola defendam,non conceſſurum,quòd maiores metuat tumultus. Iuſſurum verò, vt veniatur in collocutionem aut diſputationem, non debere me adduci,vt ſperem. cùm non ſemel animaduerterit, partem aduerſam hoc ſubterfugere. Nullam etiam ſpem eſſe futuræ alicuius in Germania pro hoc tempore Synodi: in qua hæc cauſſa cognoſci & componi queat. Nullam igitur aliam ſupereſſe,ſuo iudicio, rationem defendendæ bonæ cauſſæ, quàm vt ſcripta quæ ad illius defenſionem faciunt, inuulgem. Facilè ſe perſpicere eorum qui fauent aduerſariis. Conſilium eſſe, vt tota cauſſa ſilentio ſepeliatur. Sic autem non conſuli neque gloriæ Dei, neque veritati, neque Eccleſiæ Chriſti, neque exiſtimationi multorum & magnorum virorum.Senatum porrò iure non poſſe conqueri de me, quòd mea eulgem, cùm neque ipſe velit cauſſam iudicare, neq; vt diſputatione vel colloquio diſcutiatur, iubere, neque vt à me in Schola defendatur, permittere. Tum ego iis victus rationibus,ea quæ mihi viſa ſunt magis ad cauſſæ defenſionem pro eo tempore neceſſaria,collegi,& typographo imprimenda dedi: nempe iudicia Eccleſiarum de theſibus, prælectiones aliquot meas, vnde ſumtæ theſes, & calumniarum quarundam depulſionem.

Dum verò hæc cuduntur, proteſtantur contra Conſilium noſtrum Thomanum, principiò quidem primarius accuſator:deinde quatuor alij Canonici, ſeceſſione facta à Conſilio. Erant autem ij quinque tantùm in toto collegio mihi in hac cauſſa aduerſarij. Proteſtati verò fuerunt, cùm aliis de rebus ad Conſilium pertinentibus, tum de examinatione facta iuxta Confeſſionem Auguſtanam Argen-

Argentinensium de qua antè dixi.

De hoc vero importuno schismatico & intempestiua protestatione, Consilium conquestum est apud Senatum die iv. Ianuarij anni M.D.LXIII. deinde ad illam scripto responderunt. Summa responsionis quātum attinet ad caput protestationis de Examine, ac proinde de religione, hæc est: Protestantes ipsos facere iniuriam toti Ecclesiæ, nedū Senatui Argentinensi, dum aiunt illos à sua Confessione quam obtulerat Cæsari Augustæ, recessisse; quod hoc nihil aliud sit, quam dicere, illos à religione, quam professi sunt in Comitiis Augustanis, & in qua tot præclari viri mortui sunt, turpiter defecisse. Deinde luculentissimè permultis rationibus demonstrant, Argentinenses à sua Confessione, etiam in articulo de Cœna, nunquam recessisse, idque faciunt partim ex iis quæ transacta fuerant Augustæ inter Principum & Argentinensis Reipublicæ Legatos: partim ex ipso municipali examine: partim ex decretis aliquot Senatus, etiam post exhibitam Carolo Confessionem, factis: partim denique ex variis Synodis, Disputationibus, Actis Argentinensibus in caussa religionis: & testimoniis Buceri confirmant, falsū igitur esse crimē aduersarij: Examinatores & reliquū Cōsiliū mutasse aut infirmasse examē municipale. Deinde ostēdūt Cōfessionē Christophori Stipitij & Doctoris Marbachij, quorū occasione excitatū fuerat illud nouum dissidium, omnino consentaneam esse cū Confessionibus Capitonis & reliquorum Argentinensiū doctorum. Quatorum autem attinet ad caput de corrupta ab ipsis doctrina, in hæc verba respondit Præpositus.

[Quātū verò ad id caput attinet de corruptione doctrinæ, fatetur Præposit⁹, hāc querelā ad se pertinere, & se dixisse fatetur. Cōcionatores aliter & alia docere de Cœna Domini & de electione Sāctorū, quam Capito, Hedio, Bucerus, Zelli⁹, oēs Pastores & Diaconi docuerint, legerint, scripserint, disputarint. Imò amplius addit & dicit, eos in quæstione de prædestinatione docere contraria: & respōdet, si hoc illi credere nolūt, subscribat articulis doctrinæ Ecclesiæ Argētinēsis, quā Capito, Hedio, Bucerus, Zellius, Theobald⁹ Nigri, Iohānes Leglinus, cæteriq. anno XXXIX. tertio post cōcordiā ediderūt. subscribat summario doctrinæ Ecclesiæ Argētinēsis, quod factū est Anno XLIX. Subscribat Retractationib. Buceri quas Luther⁹ probauit. Subscribat his quę Bucer⁹ scripsit in octauū & nonum caput Epistolæ ad Ro. quæ cōsentiūt cū iis quæ Luther⁹ scripsit in præfatione Epist. ad Ro. & cōtra Erasmū Roterodamū. & Augustin⁹ & alij Patres antiqui cōtra hæresin Pelagianorū. Dicat, Dominos nō recessisse à Cōfessiōe & doctrina sua, neque Augustæ in Comitiis anno XXX neq; Schmalcaldiæ Anno XXXII. neq. vllo post tēpore. Si hęc dicat, vult culpā deprecari, & se errasse cōfiteri. dū autē sic agū vt agūt, nō se posse aliud credere. *Senatū verò in hūc rogāt modū:* Credim⁹, *inquiūt*, nos ad omnia respondisse, clarissimi Domini: & quanquā omnia diligenter cognosci & iudicari à vobis postulam⁹, tamē nihil peræque cupim⁹ cōsiderari atq. illā quæstionē quæ est de Cōfessione & doctrina maiorū nostrorū. Si vos iudicabitis Senatū & Legatos ciuitatis recessisse à suaCōfessione, h.e. doctrina quod factū est, irritū nos facere nō possum⁹: sin vero in eadē mansisse: petimus, vt in hac nobis manere & hāc defēdere liceat. De his duob. cognoscere atque iudicare, vestræ est autoritatis atque potestatis. *Ad extremum verò his verbis compellant primariū aduersarium:* A D. M. postulamus vt respondeat, verāne an falsa doctrina Maiorum nostrorum fuerit. Si vera, cur non subscribit? & cur vexat nos? si falsa, cur non colloquitur? cur non disputat? Item illud rogamus, si veram esse doctrinam maiorum nostrorum putat: an nos intelligere Maiorum nostrorum doctrinam arbitretur, necne intelligere? Si intelligere, cur nos idem loquitur quod nos? si non intelligere, cur nobis non explicat, vt intelligere possimus? Si ad hæc nobis respondere recusat, non protestamur, id nos fecisse & facere, quod viros bonos & memores suorū præceptorum fecisse & facere decet, & id pati, quod collegæ à collega pati non deberent, & id passuros retēta veritate, quod homines constātes & Christianos pati decet.]

Hic est progressus, quem communis caussa posteaquam à Consilio Thomano ad Senatum fuit trāslata, ante compositionem fecit. Ex iis autem omnibus, facile potes, Illustrissime Princeps, videre, grauissimam fuisse multis nominibus controuersiam, ac proinde grauem etiam postulasse cognitionem ac diiudicationem.

Cùm verò neque Senatus vellet vllum sibi de illa sumere iudicium neque aduersarij vllam vellent admittere disceptationem, aut amicam collocutionem, neque etiam ego vellem silentio caussam sepeliri. Coactus tandem aliquando fuit Senatus, nempe biennio post ab excitato dissidio, aliunde viros accersere, partim Theologos, partim legum & rerum peritos: qui caussam & diligenter cognoscerent, & sapienter componerēt. Venerunt igitur Argentinam circa medium mensem Februarium anni M.D.LXIII. alij Tubinga, alij Biponte, alij Basilea: Theologi quatuor, & politici totidem, honorificentissimè à Senatu excepti, magnifice per mensem & amplius tractati, ac tandem etiam liberaliter dimissi. Designatum illis fuit proprium & honorificum domicilium, atque eo omnia acta scriptaque in caussa, iussu Dominorum, perferuntur, vt ea legant & caussam cognoscant.

Dum verò in iis perlegendis occupantur arbitri: fit mihi à Sturmio certa spes futuræ disputationis, se enim accepisse à viris fide dignis: Senatum constituisse, vt tandem veniatur ad disputationem, vel saltem ad amicam collocutionem coram iis Theologis, ac designatum etiam esse locum vbi id fiat, & viros qui debeant interesse: debere igitur me ad illam præparare. Tum ego gratias agere Deo, quod tandem aliquando nos exaudiret: & tum mihi gaudere, tum Scholæ & Ecclesiæ gratulari quòd illis grauiter vulneratis bonam tandem Dominus faciat Medicinam. Si enim disputatio instituatur, veritatem vicisse. Magno igitur desiderio disputationem expecto, & me ad illam diligentius præparo.

Cæterum cum iam multi præteriissent dies, & nullum interim institueretur colloquium: scribo Epistolam ad duos ex compositoribus amicos: Quòd eos non inuisam: id a me fieri bonis de caussis: quod vero colloquium non instituatur, me mirari, & quid in caussa sit ignorare. Cum vero audirem, nullum omnino futurum colloquium, sed iudicaturos arbitros tantum ex Actis & vtriusque partis scriptionibus: dedi ad illos eumes Epistolam, cuius hæc fuit summa: [Scripta aduersariorum duplicis esse generis: alia, quæ meas coniunctas habeant responsiones: alia, ad quæ nunquam respondi, neq. propterea quòd partim sint Germanica partim quod nunquam fuerint ita mihi communicata, vt ad illa respondere licuerit: & quæ illa sint, ostendo. Ex prioris generis, iudiciū vt concipiant mihi placere, imo & vt faciant rogare: ex posterioris nō posse fieri: ipsos quoq. (quę sua est prudētia) videre. Statū verò principalis caussæ, facilē esse ad cognoscendum & iudicandū qui hic est: vtrum doctrina quam aduersarius accusauit nouitatis & hæreseos, & quam ego profiteor me in schola tradidisse, sit noua ac portentosa & hæretica, & proinde an ego fuerim turbator Scholæ nécne.] Scripsit ad eosdem etiam Sturmius Epistolam valde grauem & prudentem: qua suam explicat sententiam, quomodo possit firma ac diuturna constitui concordia, ita vt & salua maneat bona doctrina, & integra omnibus sua cuiq. seruetur existimatio. Non possum illius summam paucis complecti, totam autem hic inserere non expedit, & res nimis esset prolixa. Qualia etiam dogmata ex aduersariorum scriptis collecta idem ad eosdem retulerit, & quid responsum tandem fuerit: non refero, vt multorum parcam existimationi.

At vero arbitri, perlectis Actis, incipiunt tum vtraque parte seorsū agere. Quid egerint cū aduersariis, me latet. Mecum vero quatuor illi Theologi conferunt primo quidem die de Prædestinatione & de Perseuerantia. In quorum vtroq. articulo cùm vidissent sibi à me non tantum scriptis, quæ ante legerat, sed etiā voce fuisse satisfactum, dixerunt, inter aduersarios & me hos duos articulos facilè cōciliari posse: quod ipsi quoq. non improbēt Augustinū, Lutherū, Bucerū in hac doctrina. Altera die meā voluerūt coràm audire sententiā de Cœna. Non cōtenti enim mea Confessione, in qua satis fusè atq. perspicue meam de ea explicaueram fide, quatenus ea sacris literis niti potest: interrogarunt etiam de præsentia, quibus in hunc modum respondi: De præsentia corporis Christi in Cœna me non libenter disputare, neq. propterea, quod nullum de ea verbum in sanctis literis legam. Audire quidem me, cùm Cœna fit, hæc Christi verba: (Accipite, comedite, hoc est corpus meum, quod pro vobis frangitur:) Item Paulum hæc verba Christi interpretantem ac dicentem, panem quem frangimus, esse *κοινωνίαν* corporis Christi: sed nullibi legere, aut illum dixisse Hic est corpus meum, aut iussum docere, Corpus Christi in eo esse loco, vbi frāgitur panis. Interim tamē si aliquid sit dicendū de præsentia, me ita sentire, corp⁹ Christi esse præsēs, nō corpori, sed Spiritui meo, quod nullis sensib. corporis mei illud percipiā, mēte autē maxime, quod illud animæ & menti meæ se verè communicet, atq. ab hac verè percipiatur. Nā & oculis mentis à me videri, & manu Sp. contrectari, & ore animæ atq. fidei edi, mihiq. incorporari, & illius effecta in me sentire. Præsens igitur esse animæ atque menti, me non posse inficiari:

verò præsens esse corpori, admittere me non posse, totúmque hoc simili satis accommodato planum atque perspicuum feci. quibus auditis, Profectò, *inquit illorum vnus*, Vos idem sentitis quod & nos. Quid sentiam, *respondi ego*, audiuistis. si autem eadem est vestra etiam sententia: gratulor Ecclesiæ.) De dicto, Corpus Christi manducari ore corporis, ita conuenit. Non posse id propriè dici, cùm corpus Christi non tangat corpus aut os nostrum in Cœna, sed tantùm propter Sacramentalem vnionem vsurpari. De impiorum, vt vocant, Manducatione, non potuit conueniri. De hoc verò, an Augustana confessio in articulo de Cœna sit admittenda: sicut cum nemine vnquam disceptaui, sic neque tunc cum ipsis Compositoribus contendi. de interpretatione tantùm semper fuit disceptatio. Cùm igitur vidissent me libenter & anteà semper consensisse, & tunc etiam consentire in Augustanam Confessionem, sed orthodoxè intellectam: iudicarunt, facilè posse fieri inter nos conciliationem. Ita discessum fuit valde amicè. Ego verò tum ex hac actione, tum ex illis quæ non semel ex duobus Cõpositoribus audieramus, Sturmius, ego & alij nostrûm non pauci, putabam rem optimo esse loco. id quod mox ad Holbrachium Ecclesiæ Gallicanæ Pastorem retuli: idque vt particeps fieret meæ lætitiæ, & gratias simul Domino ageremus.

Ecce vero dum in hac bona spe viuimus, futurum videlicet, vt & nos & doctrina liberemur crimine hæreseos: quiddam præter omnem exspectationem contingit, Johanni Sturmio primùm, deinde mihi: articuli quidam de Prædestinatione, ab ipsis Compositoribus concordiæ gratia concepti atque conscripti exhibentur legendi: & significatur, si in hos consentiamus, compositum esse dissidium. Debere igitur nos statim & simpliciter, probentúrne an improbentur, & an velimus subscribere necne, respondere. Neque enim exspectandam nobis esse cum aduersarijs disceptationem, quòd non expediat: neque definitiuam ab arbitris sententiam, quòd non venerint ipsi judicatum caussam: sed tantùm amicè controuersiam cõpositum: neque etiam nobis licere in oblatos articulos diu multúmque commentari, quod Compositores non possint diutiùs Argentinæ commorari, sed domum redire quamprimum cogantur. Ego posteaquam vix tandem aliquando impetrassem, vt illos articulos domi meum diligenter expenderem: & posteaquam etiam formam docẽdi de Cœna, seorsum paulò post exhibitam percurrissem: in hanc sententiam respondi tam arbitris quàm collegis: Articulos & scriptum de Cœna, mihi quidem, quod ad doctrinam attinet, non improbari propterea quòd neque ipsi neque forma docendi de Cœna, si æquum habeant interpretem impium aliquid cõtinere videantur: vt iis tamẽ simpliciter subscribam, & huic docẽdi formæ me adstringam, nullo me adduci posse modo, propter multas easque grauissimas caussas: quòd articuli non sint de rebus controuersis, ac proinde nihil faciant ad compositionem controuersorum: quod licèt non sint per se impij, quidam tamen malè sonent, ac proinde indigeant explicatione: quòd metuam multorum piorum hominũ, quorum maxime habenda est ratio, offensionem, itaque hanc non posse me sine exceptionibus subscribere: quòd item fuerim ad plebem ab aduersarijs traductus, quasi quædam iis articulis contraria docuerim, vereri igitur, ne mea, ceu hominis qui sententiam mutarit, subscriptione, priores confirmentur calumniæ: quòd metuam etiam iniquos aduersariorum triumphos, quasi Zanchius retractarit doctrinam tamdiu à se defensam: quòd denique, si subscribam citra vllam exceptionem, mihi ipse laqueum iniiciam, quo aduersarius pro sua libidine collum mihi premere possit. esse enim mihi iam satis perspectum hominis ingenium: Me igitur petere & rogare, vel vt ne istis articulis subscribere cogar, vel vt si omnino subscribendum sit, cum exceptionibus subscribere liceat: præsertim verò vt liceat tam articulos de Prædestinatione, quàm doctrinam de Cœna interpretari iuxta explicationes Buceri & Confessiones nostræ ciuitatis: & harum exceptionum fiat in subscriptione aliqua mentio. Fuit mihi ad hæc responsum. hosce articulos non proponi: nisi vt finis aliquis controuersiæ imponatur. controuersos non esse iudicatos nec iudicari, neque ab ipsis Compositoribus iudicatum iri: hanc tantùm esse formulam quam deinceps sequamur in docendo, quo pax seruetur in Schola: non debere me ampliùs ab aduersario mihi metuere: illum posthac non ausurum aliquid contra me: fuisse hoc dissidium potiùs ex animorum exacerbatione: quàm ex magna diuersitate doctrinæ profectum: reconciliatis animis, fore mihi liberum docere ita liberè, vt etiam antè licuerat: nullam verò piorum offensionem esse metuendam: aut verendum ne ab aduersarijs spargatur me retractasse sententiam. Mihi enim primùm licere voce protestari: deinde, ipsos quoque arbitros & Consilium daturos mihi semper cùm opus fuerit, testimonium constantiæ in recta sententia: licere etiam tam Articulos quàm Confessionẽ Augustanam iuxta explicationes Buceri & Confessiones Ciuitatis interpretari. Cæterùm vt horum mentio fiat in subscriptione, non posse certis de caussis concedi, satis mihi esse debere, quod mearum exceptionũ testimonium mihi datum sint, & Compositores ipsi cùm opus fuerit, & nostrum Consilium cum voluero. Nihil igitur esse cur debeam grauari, post factam coram omnibus protestationẽ, simpliciter pacis & concordiæ gratia subscribere. Esse verò non paucas neque leues caussas cur illud debeam sine vlla deinceps cunctatione, citráque vllum metum præstare, nos enim habere quod desiderauimus, quod scilicet aduersarij concedant nobis doctrinam de Prædestinatione & de Perseuerantia, Augustini, Buceri, de Cœna, explicationes Buceri & Confessiones vrbis. facturos nos Senatui & Principibus rem cum primis gratam, Scholæ vtilem atque Ecclesiæ, magno æstimandam esse hanc pacem. Cogitandum etiam, si non subscribam, mihi omnino esse discedendum, & ipsam Ecclesiam Gallicam euertendam. Hæc ad me allata sunt partim ab arbitris, partim à collegis atque amicis. Ac quò magis permouerer, Iohannes Sturmius, Præpositus Collegij & Rector Scholæ qui caussam in primis constantissimè atque fortissimè mecum à principio ad finem vsque defenderat, Epistolam scribit ad Compositores, nomine Consilij, in qua hoc etiam inerat, antequam articulis Concordiæ subscribat, velle vt sibi liceat illos interpretari iuxta declarationes, retractationes, hoc est clariores explicationes, & libros Buceri aliorúmq. nostrorum præceptorum, ab anno XXXVII. vsque ad annũ XLIX. editos, cum ea protestatione & testificatione, vt nihil imminutum esse velit hac exceptione temporis, doctrinæ & autoritati eorundem Præceptorum: quam doctrinam & ante annos XXXVI. tradiderunt, & post abitum Buceri retinuerunt & defenderunt, & hoc quod attinet ad doctrinam de Cœna Domini, idem etiam de Prædestinatione absque vlla exceptione se postulare. Hanc igitur Epistolam ad illos misit per Conradum Hubertum. Hoc verò retulit posteà etiam in Consilio, cùm scriptum hoc accepissent arbitri, duos illorum, nempe Iacobum Andreæ & Simonem Sulcerum ad se venisse, & suo aliorúmque Compositorum nomine ita respondisse, se libenter nobis concedere interpretationem Articulorum secundum doctrinam Ecclesiæ Argentinensis & nostrorum Præceptorum, quæ apparet in declaratione, retractationibus, Confessionibus & libris, cum illa etiam testificatione, quòd neque ipsi velint quidquam derogatum esse hac formula Confessioni, fidei & religioni nostri Magistratus & nostrorum Maiorum, idque non solùm sibi respondisse semel & iterum, sed etiam idem confirmasse præsente Hieronymo Zanchio, & Theobaldo Theodorico, Quæstore Thomano. eosdem etiam permisisse vt hæc in Acta referrentur, illud prætereà permisisse, quoties opus nobis fuerit testimonio suo, testes se nobis fore harum rerum omnium. & quod de Cœna Domini concesserunt, idem etiam de Prædestinatione absque vlla exceptione concedi. Hæc omnia Sturmius in ipso Consilio dixit, & vt in Acta referrentur iussit XVII. Martij M. D. LXIII. Mox Collegæ, sicut anteà plerique illorum propriè, sic tunc vniuersi & singuli publicè & enixè me rogare, vt velim secum articulis Concordiæ, pacis gratia, simpliciter subscribere. Tunc ego in hæc verba respondi, *Protestor, me non detrectare ipsis articulis subscribere quatenus ad doctrinam ipsam attinet, si habeãt æquũ interpretem, sed me recusare subscribere simpliciter sine illa exceptione quam indicaui, nempe ne quidpiam mea subscriptione derogetur meis lectionibus, confessionibus, & testimoniis quæ ab Academiis attuli, idque non propter meam gloriolam, sed propter conscientiam.* Hæc ego in Consilio. Tum præpositus Iohannes Sturmius, auditis omnium sententiis, iterum me rogat velim subscribere, etiamsi non possit impetrari ab arbitris, vt aliqua meæ exceptionis mentio fiat in subscriptione, pro hoc tempore velim esse contentus promissione Consilij, se daturum mihi testimonium cùm voluero, exceptionis meæ. In hunc modum egerunt mecum optimi amici & charissimi Collegæ, quòd persuasi erant, nihil nostra subscriptione derogari sanæ

gari sanæ

gari sanæ & à nobis defensæ doctrinæ, & secum, iuxta prouerbium, Cũ bonis bene agier, ab omnibus bene agi. Hoc apud me omnem extra est controuersiam, Sturmium, vt de hoc vno speciatim, id quod est, dicam, fuisse persuasum, nihil hac nostra subscriptione detrahi de nostra caussa, déque sana doctrina, & nihil falsorum dogmatum concedi aduersariis: imò tacitè nobis, vt orthodoxa, confirmati quæ anteà damnabantur hæreseos: talem verò futuram inter nos pacem atque concordiam, vt nihil contra nos deinceps moturi essent turbarum aduersarij in iis controuersis quæstionibus: alioquin hominem non fuisse subscripturum, neque aliis, vt subscriberent autorem futurum persuasissimum habeo expetebat ille quidem pacem: quis hoc improbet? sed scio hoc cum primis summæ curæ illi fuisse, vt sana vetúsque doctrina in Schola retineretur. cuius rei fidem mihi facit & facere omnibus debet, patrocinium quod ille suscepit, & fortiter ad finem vsque sustinuit veritatis. verùm sperabat nostra subscriptione se vnà cum pace, illud etiam suum desiderium atque votum omnino consecuturum. hinc illæ ad subscribendum exhortationes persuasiones, obsecrationes. Ego vero, etsi in ipsis articulis impium agnoscebam: quia tamen in diuersa à Sturmij eram sententia, & multa mala videbar ex nostra simplici subscriptione exoritura videre: ideircò non poteram adduci vt simpliciter subscriberem, cupiebam quidem & ipse pacem, & amicis, quod rogabant, denegare mihi permolestum erat & graue: sed contra etiam conscientiæ stimulos hominibus morem gerere, sicut impium est, sic etiã prorsus erat intolerabile. Discessimus igitur omnes ex Consilio tristes; illi, quòd non potuerint à me, quod petierant, impetrare: ego verò, quod non potuerim illis, vt desiderabant, salua conscientia gratificari. Venerant eodem die in Senatum ciuitatis Compositores, & suum de vtriusque partis perlectis scriptis auditisque sermonibus iudicium retulerunt: ac quod ad meas attinet scriptiones, se nullam in eis hæresin deprehendisse. Tunc nobilis vir Præfectus vrbis atque primarius Scholarcha, honorificæ memoriæ Petrus Sturmius ad reliquos Senatores conuersus, præter alia, *vbi nunc*, inquit, *tot hæreses quæ Zanchio obiiciebantur*?

Die insequenti, qui fuit XVIII. Martij, qua die instituta fuerat articulorum subscriptio, iterum me aggrediuntur amici, partim ante, partim etiam post prandium, cùm iam hora instaret subscribendi, & precibus atque rationibus multis mecum agunt, vt vnà cum reliquis, propositis articulis sine vlla tergiuersatione subscribam, ac præter alios vnus, Cùm tu, inquit, Zanchi, probes Augustanam Confessionem orthodoxe intellectam, cíque & tu & Martyr de principio subscripseritis: cum articulos Concordiæ inter Lutherum & Bucerum, si rectè explicentur, non damnes: cùm hosce etiam oblatos à Compositoribus non improbes, ac sæpius fassus sis, nihil in eis impium, si æquum habeant interpretem, contineri: cùm admissa sit nostra totius Consilij protestatio, nobísque concedatur, vt & Augustanam Confessionem & articulos istos interpretemur iuxta explicationes & scripta Buceri, aliorúmque maiorum nostrorum, & iuxta Confessiones Apologiámque Ciuitatis: cùm ipsi etiam aduersarij iam admittant doctrinam Augustini, Lutheri, Buceri, de Prædestinatione, & de Perseuerantia: cùm ista nostra subscriptione nullum fiat præiudicium caussæ nostræ, vt ipsi quoque fatentur arbitri: cùm tibi etiam liceat publicè, antequam subscribas, excipere & huius tuæ exceptionis, licèt mẽtionem fieri nolint in subscriptione testimonium tamen daturi nos simus cùm volueris: Quid tandem caussæ est, cur tamdiu detrectes propositis articulis citra mentionẽ tuarum exceptionum subscribere? Itáne concordiam ac pacem Scholæ atque Ecclesiæ contemnis? Non detrecto, respondi ego, subscribere, quòd non amem atque percupiã pacem & concordiam inter nos bonam iniri atque firmari, tu nosti quàm huius sim percupidus: sed duo sunt, quemadmodũ autẽ etiam nõ semel ex me audiuisti, quæ me ab hac simplici subscriptione propellunt, offensio piorum, & confirmatio errãtium in suo errore. Nã audita aut etiam lecta mea cum aduersariis in hanc docendi formulam citra vllam exceptionem consensione, vereor ne & illi existiment me à priori sententia eáque verè Christiana recessisse: & isti mea abutantur ad suos confirmandos errores subscriptione. At facilè, inquit ille, iis potest occurri incõmodis, nimirum testimonio Consilij, & tua explicatione, quorum exempla poterunt multa, quocunque volueris, transmitti. Si vero non subscribas multò grauiora sequentur incommoda, & ea tu accipies vulnera: quibus haud facilè bona poterit fieri medicina. Tibi enim omnino deserenda erit tua statio: quam ob caussam verò, & quo tempore, & quibus, ac proinde qua conscientia, tu ipse perpende. itane prodis hanc Scholam? His atque aliis efficacissimis rationibus victus, constitui tandem subscribere, pacis & concordiæ gratia: sed præmissis priùs exceptionibus: deinde verò illa cõditione, vt si quẽ de me sinistrum forte sermonẽ spargi audirem, primo quoque tempore rationẽ meæ subscriptionis explicare, eamque explicationem primò offerre Magistratui, deinde, si probaretur, in vulgus mittere. sin minus, testimonium saltem mearum exceptionum à Consilio, vti promiserat se daturum, postulare, acceptúmque in diuersas regiones atque vrbes transmittere, & vt per amicos vbique spargeretur, curare mihi liceret: quò omnes intelligerẽt, me pacis quidẽ gratia oblatos articulos admisisse, sed ita tamen vt à recta priori sententia tam de Cœna quàm de Prædestinatione & Perseuerantia minime deflexerim.

Cùm itaque ad subscriptionem ventum esset, prælectáque omnibus fuisset illa doctrinæ formula cui erat subscribendũ: interrogatus à Cõpositoribus, vellémne & ego huic formulæ subscribere: respondi: quoniã in ea, si æquum habeat interpretem, nihil per se impium aut pugnans cum sacris literis agnosco, iccircò pacis & concordiæ gratia me subscripturum: sed certis de caussis me priùs hæc protestari. Principiò, me nolle hac mea subscriptione vllum fiat præiudicium aliis Ecclesiis & Academiis, quæ mihi dederunt testimonia: deinde ne aliquid derogetur doctrinæ quã hactenus docui Argentinæ, quæque in meis lectionibus, Confessionibus, Disputationibus continetur: postremò vt liceat mihi hanc doctrinæ formulam interpretari iuxta regulã verbi Dei, & doctrinam Augustini, Lutheri, Buceri. Verbũ *Protestari*, admirati sunt non nihil Cõpositores: at vbi illud explicui, & me non vt Iurisperitũ, sed vt Theologum locutum esse, & *Protestari* pro *excipere* vsurpasse: desierunt mirari. Cæterùm exceptiones ipsas, sicut non responderunt se admittere: ita neque dixerunt se reiicere. Tantùm ad tertiã exceptionẽ hoc responderunt: si velint permittere, vt suo quisque iudicio interpretetur articulos & Confessionẽ, nullam futuram inter nos concordiam. Ad hoc, me nolle, respondi, vt mihi liceat iuxta meum iudicium, sed iuxta regulam verbi Dei, Doctrinam Augustini, Lutheri, Buceri, illa interpretari. Hic tacitum est. Ego verò iuxta illam legem, *Qui tacet affirmat*, illorũ silentium pro asseueratione accepi, & omnino accipiendum iudicaui. Itaque bona conscientia accessi atque subscripsi: neque id simpliciter, sed quatenus ego forma illam piam esse iudicabam: idque feci in primis propter aduersarios: nimirum ne simplex subscriptio posset aliquando mihi apud illos esse fraudi: & vi meæ nudæ subscriptionis cogerent illi me aliquando ad suas interpretationes, pro ipsa Augustana Confessione & articulis Concordiæ, recipiendas, sic etiam antea conati fuerant. Vt igitur hac in re mihi cauerem, in hæc verba subscripsi: *Hanc doctrinæ formulam, vt piam agnosco, ita etiam recipio* Quis in hac mea subscriptione non videat expressam conditionem? nẽpe eatenus me illã doctrinæ formã recepisse, quatenus etiã piam esse illã, non mei aduersarij, sed ego ipse agnoui atque agnosco Deinde etiãsi non fuisset expressa, omnino tamen esset necessariò subintelligenda. Impius enim est, qui aliquid vt piũ recipit, quod tamen piũ esse non nouit. piam autem semper noui & agnosco Augustanã Confessionem, etiam in articulo de Cœna, cùm ait præsens esse corpus Christi, modò explicetur quibus & quomodo sit præsens, animis nimirũ nostris (hoc est, fidelium) fide actuali illustratis, & ex hoc mundo subductis, id quod fit sine vlla locali corporis vel Christi vel nostri mutatione. Certè præsens fuit Stephano, cùm accepta noua, hoc est, cœlesti oculorũ acie dixit, *Ecce video cælos apertos, & Iesum stantem à dextra virtutis Dei.* Corpus tamen Christi supra cœlos fuisse, ibique, nõ infrà, à Stephano conspectũ: ipsius Stephani verba luculẽter demonstrant. Aduersarij autem mei ita intelligunt: Corpus Christi præsens esse non tantùm nostris, sed etiam infideliũ corporibus in Cœna, vt nostri corporis manibus contrectetur, & ore tangatur ac comedatur. Ergo ne quispiam putaret, me Augustanæ Confessioni & illi doctrinæ formulæ iuxta horum hominum Papalem intelligentiam subscripsisse: de industria non simpliciter, sed conditionaliter subscripsi in eam quam suprà retuli formam. Atque hæc subscriptio facta fuit, vt antè dictum est, die XIIX. Martij Anni M.D.LXII.

Die insequenti conuenimus, iisdem in ædibus Com-

positorum, omnes, vt quando iam consensum fuerat ab omnibus in eandem doctrinæ formulā, omnium etiam offensarum fieret condonatio, & animorum conciliatio. In condonandis iniuriis, illisque multis & maximis (quas quia condonatæ sunt, commemorare nolo) haud me præbui difficilem, imò palàm protestatus sum, me iam inde ab initio illas condonasse, id quod inde omnibus luculenter constabat, quod cùm potuerim cū aduersario, magno eius periculo, ante Magistratū, illarū agere iniuriarū, nolui tamen, sed vt Christianum decebat hominem, propter Christum omnes deuoraui. Cæterùm cùm à me peteretur, vt dextram darem aduersariis, ibi nonnihil hæsi, idque nulla alia de caussa, nisi quòd sciebam, ex sacris literis, non esse dandas societatis atque amicitiæ dextras, nisi vbi apparet consensio in sana doctrina, damnata autē aduersariis fuerat hæreseos, certa & sana Christi doctrina. Ego igitur compositoribus dicere, me non posse bona conscientia manū dare aduersariis nisi prius in articulis etiam controuersis appareat consensio. Tum illorū vnus, ex hypocausto egressus, seorsum ad me, Duabus tantum de caussis, inquit, à vobis petitur vt detis mutuo dextras, nimirum vt hoc signo testemini, vos ex animo tū in articulos à nobis propositos consensisse, tum offensas inuicē condonasse. Quod vero attinet ad articulos controuersos, illi non sunt iudicati, sed in suo adhuc manent statu. Tū ego, Si ita res habet, minime grauabor, data etiam manu hæc duo confirmare, id quod mox factum à me fuit. Atque in hunc modum se habuit nostra compositio.

EAM verò compositionem quæ sint consecuta, nune operæpretium, necessariūmque est explicare, ea nimirum, quæ ego longè antè vt consequuturam metuera. Mox enim pij plerique omnes, præsertim qui meas Consilijque exceptiones ignorabant, offendi: aduersarij autem exsultare vt victores, ac triumphare, & laureatas spargere literas: ipsi etiā articuli subscripti, sed citra vllam nostrarū exceptionum mentionem, in diuersas Germaniæ partes disseminati: varij rumores spargi & voculæ, quasi succubuerimus, quasi in aduersariorum castra transierimus, quasi priorem mutauerimus sententiam. In balneis etiam Heluecticorum, quas vulgò Badenas vocant, & ad quas me contuleram cū animi, tum valetudinis gratia, diuersis ex locis ab amicis accipio literas, multò vero plures cùm redirem ex finibus Italiæ: quibus literis turpis accusabar inconstantiæ. Domū quoque reuersus complures reperio eiusdem argumenti Epistolas, ac præsertim vnam e Saxonia à magno viro ad me scriptam: qua monebat, aduersarios meos laureatis literis & victoriæ suæ fama totam ferè Saxoniam, imo Germaniam repleuisse. Eam Epistolam ostendi amicis aliquot: quorum nonnulli consulebant vt exhiberem Magistratui, quò videret placida quietaque meorū aduersariorū ingenia. Sed ego, ne me autore facta pax turbaretur, illud facere recusaui, & malui supplicationem componere, quā cogitabā Senatui exhibere, & in ea nouis istis calumniis me purgare, meā subscriptionem explicare, & in quem sensum, quóve animo, quibúsve exceptionibus in articulis compositionis consenserim, declarare: ac demū petere vt mihi liceret modestis scriptis meam defendere existimationem atque doctrinam: malui, inquam, supplicationem cōponere, in qua me simpliciter purgarem, quàm vllum accusare, & hac ratione pacem interturbare. Cæterum postea quam re diligentius perpensa animaduertissem, fieri posse vt hac etiā ratione, firmata iam pax rūperetur, perfectā iam absolutam supplicationē retinui apud me: & mutata priore sententiā decreui has etiam nouas maleuolorum calumnias, & inanes gloriosorum hominum voculas, falsásque otiosorum scriptationes potiùs contemnere, quàm me intempestiue defendendo vllam violandæ iterum pacis cuipiam dare occasionem: sperans fore vt post falsos rumores, ipsa etiam veritas bona aliqua ratione tandem pateficeret & piis hominibus omnis tolleretur offensio. Hanc meam Supplicationem, propter articulorum, quam continet, explicationem, iudicaui haud facturum me rem viris bonis ingratam, si cum reliquis hisce Miscellaneis imprimendam inuulgandámque curarem. Hanc igitur adieci huic libro. Vrgebatur per id temporis ipse etiam Gulielmus Holbrachus, Ecclesiæ Gallicanæ Pastor, vt articulis subscriberet. Consuluerat autem ille antea per literas Ioannem Caluinum, quid ea in re sibi esset faciendum. Caluinus vero in hæc verba ad eum respondit: *Quòd sententiæ, quæ malo & captioso artificio ad obscurandum veritatis lucem composita est, hactenus subscribere non ausus es, cordatè fecisti. præcisè tamen vt recuses, non consulo. De Prædestinatione nihil palàm impium protulerunt arbitri: tantùm vt illiberali assentatione placarent Marbachium, tenebras claræ luci obduxerunt. De Cœna verò ita pronuntiarunt, vt docendi libertas tibi sit erepta, nisi velis quotidianis calumniis te sponte obiicere. Nunc ergo exceptiones interponere necesse erit, quæ te molestia liberent, si admissæ fuerint quoad fieri poterit dandam operam censeo, vt tua moderatione Ecclesiam tuam conserues, ruinas dissipationem moliuntur: idque vt facere contendas, etiam atque etiam rogo.* Hanc Caluini, honorificæ memoriæ hominis (vt tota nouit Europa) non solum præstanti pietate & maxima eruditione, sed etiam singulari in rebus omnibus iudicio clarissimi, Epistola cum legissē, vidissemque, me & id præstitisse quod ille consulebat Holbracho, & in eum finem præstitisse, propter quem illud dabat Holbracho consilij: lætior factus quòd viderem me nihil Christiano homine indignum egisse, firmiùs in animum induxi meum, omnium eorum quæ per ora hominum de nostra subscriptione falsò ferebantur, vanitatē contēnere, illúdque ἀνέχου καὶ ἀπέχου omnino in ea re obseruare: & dū Deus ipse, quod breui futurum sperabā, meā patefaceret innocētiam atque caussā, forti animo exspectare. Obuersabatur enim mihi perpetuo ante oculos totus ille Psalmus XXXVII. *Ne succenseas propter malos. &c.* præsertim illa verba, *Deuolue super Iehouam viam tuam, & spera in eo: & ipse faciet, & educet quasi lumē iustitiam tuam, & iudicia tua sicut meridie. Tace Iehouæ & præstolare eū.* Neq. certe fefellit me hæc spes quam in Domino collocauerā. Cōmodum enim accidit, idque singulari Dei prouidentia, vt die XIV. Iulij Anno M.D.LXIII. in pleno Cōcilio Thomano nostro, interrogatus de quorundā cōfessione fidei, ita ex tēpore sententiā meā liberè dixerim, vt oēs intellexerint, me articulis Cōcordiæ ita subscripsisse, vt tamen neq. priore caussa cecidérim, neq. à sana veteri que, & ad extremum vsque haud male defensa doctrina, vel latum vnguem discesserim. Referam ad verbum totam illam historiam, quemadmodum Ionas Bytnerus, Argentinensis ciuis, Professor Scholæ collega charissimus, homo pius iuxta & doctus, eam literis commissam Scholarchis & aliis à Senatu ad hanc rem cognoscendam delectis, exhibuit. fuerat enim & ipse inter reliquos à Dominis iussus, quomodo se res haberet libere & fideli er explicare. In hunc igitur modum scripto respondit. [Doctor Hieronymus Zanchius die XIV. Iulij, cùm interrogatus fuisset à Doctore Marbachio Decano (vt moris est) de Confessione duorum, quorum vnus creandus erat Canonicus, alter Vicarius, corā Dominis Scholarchis, toto Capitulo, & omnibus ferè Professoribus, Pastoribus etiam & Diaconis permultis, in hæc propè verba ex tempore respondit. Quia interrogor sententiam meam: credo mihi licere eā dicere liberè & secundū meā conscientiā. nā in hunc finem interrogantur singulorum sententiæ. Ego libentiùs vero hoc faciā, quod nolo vt meū silentiū possit alicui esse fraudi, & mihi corā Deo ad condēnationē. Nihil autē habeo quod opponam, sed tantum quá cū quibus exceptionem quomodo possim quædam capita Confessionis istorū duorum probare. Dicam autem sine vllius præiudicio aut condemnatione. Rogo vt candidis & amicis animis omnia accipiatis. Quum attinet ad nostrā consensionē in huiusmodi articulos & formulas doctrinæ: semper cum conditione vel expressa vel tacita est consentiendū, nempe quatenus consentanea sunt S. literis. Ita etiam ego studio pacis & concordiæ studio adductus, in illa formulam consensi cum conditione, quatenus scilicet ego agnosco eam doctrinam esse piam, me illam admittere: & hanc etiam ob caussam præmisi meas exceptiones, quæ fuerunt hæ. Prima, Me nolle vt mea illa subscriptione vllum præiudicium fiat aliis Ecclesiis à quibus meæ doctrinæ acceperam testimonia & ipsi veritati. Altera, vt nihil derogetur doctrinæ quam docui hic per octēnium, & Confessionem quam exhibui. Postrema, vt mihi liceat totam illā formulam interpretari iuxta regulā verbi Dei, doctrinā Augustini, Lutheri & Buceri. Et hanc meam subscriptionem, cum iis exceptionibus factam, confirmo & ratā esse volo. Si itaq. & ipsi interrogati admittant eam compositionem, quatenus secūdū suā cōscientia & intelligētia agnoscunt eam esse piam (vt credo eos fecisse) & consentaneam sanctis literis, probo & iudico illos esse dignos qui admittantur. Quód verò speciatim attinet ad diuisionem peccati in Veniale & Mortale: ego illā distinctionē nō improbo. Sed quia peccatū potest dici Mortale, aut quia suapte natura digna est morte: aut quia imputatur ipsa ad mortē & cōdenationē: ideirco quod attinet ad ipsos impios, probo eorū responsionem: omnia videlicet peccata in illis esse mortalia, quia omnia nō solū digna sunt morte, sed etiā ad

mortem

morté æternā imputantur. Quantū autē attinet ad Renatos, sentio quidē in illis omnia peccata esse mortalia, h.e. digna morte in sese (quanquā etiā inter ipsorum renatorū peccata quædā sūt leuiora quædā grauiora, vt sūt illa quæ admittūtur ex aliquo cōsensu) sed quia lōgè aliter peccāt pij quàm impij, nēpe quò ad modū & animū quo peccāt: (impij.n. peccāt tota volūtate, pij semper ex imbecillitate fidei aut ignorātia) quia inquā electi renati sēper peccāt ex imbecillitate fidei aut ignoratia, nunquā autē plena volūtate aut destinata malitia, & nūquā reiiciūt verbū ex corde: Domino in illis sēper semē fidei, quòd est Verbū Dei, retinēte & cōseruāte: idcirco nō possū cōcedere Sāctos, electos penitus amittere fidē, ac proinde neq. peccata in illis esse mortalia, h.e. imputari ad cōdemnationē: quia etsi peccata per se digna sint morte, quia tamē personæ gratæ sunt Deo propter fidē, qua adhuc sūt prǽditæ, in Christū, licè: imbecillā: peccata sūt illis venialia, sicut etiā explicaui in mea Cōfessione. Sic itaq. ipsi etiā interrogati intelligūt suā respōsionē ad hāc quæstionem, in hūc sensum, h.e. quatenus cōformis est Verbo Dei, probo illorū Cōfessionē, quantū etiā attinet ad hūc articulū. De Cœna etiā dixerūt: Primū, Corpus Domini in Cœna verè & substātialiter exhiberi. Deinde sumi verè ab omnib. etiā indignis. Ergo nō improbo hāc respōsionē: si intelligatur, (quēadmodū intelligēda est) iuxta regulā verbi Dei & quēadmodum ego etiā explicaui corā Dominis Cōpositorib. quib. etiam probata fuit mea explicatio: ea autē hæc fuit. Corpus Domini in Cœna præsens esse vere & substātialiter ipsis fideliū mētibus, nō autē corporib. nō corporibus, quia illud eis nō cōmunicatur, neq. ab ipsis percipitur. Fideliū autē mētib. maximè: quia ipsis verè cōmunicatur, & ab ipsis verè percipitur. Eatenus igitur est præsens, quatenus percipitur & cōmunicatur. aliqua enim res dicitur nobis esse præsēs, quādo nobis aliquo modo cōmunicatur & percipitur. Exēplū quod corā Dominis Cōpositorib. attuli hic etiā corā vobis adferā. Dominus Decanus præsens est & præsens esse dicitur omnib. nobis, tā illis qui sunt ad porta (licet magis procul ab eis distet quòd ad locale spatiū attinet) quā mihi qui sum propiùs illū. Quāobrē: quia tā illi quàm ego eū vidēt & loquentē audiūt. Aliud simile adfero. cū Sol est supra nostrū hemisphæriū; quia cōmunicat nobis suū verū & substātiale corpus visendū, & per corpus calorē & lucē, & à nobis participatur; dicimus illū esse præsentē & adesse, & quidē verè ac substātialiter. Cū verò progressus est ad aliud hemisphæriū, quia nō amplius illum percipimus, dicimus eū esse absentē seu abesse. Ita dico de corpore Christi, illud nō esse præsens corporib. nostris, quia eis nō cōmunicatur aut ab eis percipitur. nā neq. oculis videmus, nec manib. tāgimus, nec vllis corporis sensib. percipimus corp⁹ Christi. Præsens autē esse dico mētib. nostris, quia illis cōmunicatur & ab ipsis percipitur. oculis enim mentis videmus. & eiusdē ore comedimus corpus Christi atq. ita comedimus, vt ipsius etiā effecta, h.e. virtutē redētionis peractæ in illo corpore in animis nostris sentiamus: ita vt hæc vis redūdet in ipsū nostrū corpus, ad maiorē sui sanctificationē & ad gloriosam resurrectionē. Sic sentio & sic explicaui meā sententiā de reali ac substātiali præsētia corporis Christi in Cœna corā Dominis Cōpositorib. & ea fuit admissa. Ita hoc argumēto ducto à definitione præsentiæ & à cōiugatis simul: cōfirmo Cōfessionē Augustanam & Apologiam de reali & substantiali præsentia, hoc modo: Verū & substantiale corpus Christi cōmunicatur fideliū mētib. & ab illis percipitur: ergo fideliū mētib. verè & substantialiter adest. Et hoc modo etiam Cōfessionē horū duorū probo. Quod ēt dixerūt illud manducari ab Indignis: nō improbo, si nomine Indignorū nō intelligantur hoīes prorsus impij, & spiritualiter omnino mortui. nō.n. est mortuorū comedere, sed viuentiū. Si autē nomine Indignorū, intelligantur homines qui præditi quidē sunt vera fide, sed imbecilliori, & qui vitæ sunt solutionis quam deceat Christianū hominē: cōcedo ab illis percipi, sed non tamen ita manducari ad salutē, sicut à dignis. Dignos autē intelligo eos, qui viua & actuali fide & vera resipiscētia accedūt ad Cœnam. Hoc modo Cōfessionē ēt istorū de manducatione Indignorū probo. Quare dignos iudico qui admittantur. Hic nemo respōdit, sed Dom. Decanus perrexit interrogare sentētias. Cū verò ventū fuit ad M. Melchiorē Speccerū: ipse ita respōdit. Viri clariss. & Collegæ obseruandi: video interrogari sentētiam meam de tribus de electione deque creatione horū duorū. alterius in Canonicū, alterius in Vicariū: postremò de Cōfessione quam ediderūt. Quod ad priora duo attinet: ego probo iudiciū Capituli. Quod verò attinet ad ipsorū Cōfessionem: quia Zanchius liberè dixit suam sentētiam: dicam & ego meam liberè. Ego simpliciter probo hanc Confessionē: quia est cōformis Verbo Dei & secundū Augustanam Cōfessionē. Sed D. Zanchius pro suo ingenio, nunc nouū nobis indicit bellū. contra cōpositionem factam: renouat enim ea quæ fuerunt cōposita, & vt video, vult ille omnia sua esse integra. Quorsum igitur opus fuit cōpositione? Est apertè inter articulos nostræ compositionis etiam articulus quod Renati quoque peccant contra conscientiam, & quòd amittant prorsus fidē & Sp. sanctum: & est ibi particula PRORSVS. Vos tamen audiuistis eum aliter nunc dicentē: nimirū quòd Electi renati non amittant fidē & Sp. sanctum: Est falsum quòd dicit: peccatum enim mortale nō potest stare cum fide. Adfert etiam quasdam suas exceptiones, quas dicit se fecisse coram Dominis cōpositoribus: nos autē hæc ignoramus. Sic de Cœna explicat suo modo Cōfessionē Augustanam. Et quod in Examine iterum atque iterum dicitur nostra Confessio: se, Melchior ait, intelligere Augustanam Principum: & veteres potiùs quadam incuria & negligentia vocē NOSTRAM addidisse, quàm voluisse aliquid hic singularis Cōfessionis significari. Sed hīc locum nō esse plura dicēdi & Zanchio respondendi, se cupere tamē aliàs de iis quæ Zanchius hīc dixit, colloqui & disserere. Hæc Melchior. Zanchius autem tunc noluit respondere Melchiori, ne impediret continuationē interrogationis Domini Decani. Cū autem singuli dixissent suam sentētiam: Zanchius surrexit, & conuersus ad Dominos Scholarchas, Præpositū & Decanū petiit vt sibi liceret duo verba facere. Hic fuit iussus tacere, non enim congregatum esse Capitulum vt disputetur. Respōdit ille, se nō disputandi gratia ita hoc petere: sed quia si taceret prorsus, quæ aduersus se dicta essent videretur cōfirmare: ideo se petiisse facultatē loquendi: in summa se petere vt sibi liceat cū isto homine disputare: sin minus, se petere cū bona venia missionē. Nō fuit responsum. *Ita res habet & agnosco mea ipsissima verba.*

Neque verò temerè in eo loco & tēpore meā ita liberè, fusè, perspicuè, explicaui tum de illa Confessione sententiam: tum meæ subscriptionis rationem: sed graues caussæ me vt id facerē, cōpulerunt. Principiò Christianus sum: tenebar igitur veritati Christianæ dare testimoniū, vbicūque & coram quibuscūque necessitas postulabat. Deinde sum Theologus. & tunc quidē apud Argentinenses S. literarum Professor. mea igitur conditio requirebat, vt veritatē explicarē coram Dominis & fratribus. Eram etiam Canonicus, vt vocant, illius collegij: cùm autem aliquis fit Canonicus, iureiurando promittit se semper suā dictutum sententiam liberè & ex conscientia: si quid faciat ad gloriam Dei & ad honorem vtilitatémque Consilij. tenebar igitur iuxta nostrum iusiurādum, meam interrogatus sententiā, libere & ex conscientia quid de illa Confessione sentirē, dicere: & quatenus posset admitti aut non admitti, rotundè explicare. Primus etiam post Præpositum interrogabat sententiam, quia Theologus: oportuit igitur me, vt Theologum, aliis, si qui fortè id cuperent, quid de ea doctrina sentiendum esset, quod mei erat officij præmonstrare. Doctrina etiam controuersa testimonium acceperat à multis Ecclesiis, Academiis, Theologisque doctissimis: cogebat igitur ita respōdere, vt mea respōsione omne tolleretur præiudiciū: quod mea dissimulatione fieri potuisset tum veritati, tum etiam illis Academiis atq. Ecclesiis. Cōsensio quoq nostra in articulos Concordiæ id vt facerem, flagitabat. Consenseram enim in illos articulos, non iuxta cuiusq. hominis interpretationem, sed quatenus cōsentaneos esse iudicaueram verbo Dei. Oportuit igitur me ita Confessionem illam probare, quatenus cum vera articulorum intelligentia nihil pugnaret. Fueram etiam traductus, quasi mea subscriptione mutassem doctrinam. si simpliciter Confessionem illam probassem: tacitè etiam confirmassem rumorem illum contra me sparsum: coactus igitur sui ita respondere, vt palàm omnes intelligerent, me nihil in doctrina per illam articulorū subscriptionē mutasse. His omnibus accedebat, quòd tū ex callida examinandi ratione, tum ex accōmodata ad examinatoris doctrinam responsione, subodoratus fueram, aduersariū captare triūphi, de oppressa veritate, agēdi occasionē. Coact⁹ igitur sui tam iniusto triūpho maturè occurrere. Olfecerūt idem & alij: ac Caluinus cū audiuisset factū hoc, apertè ad me scripsit iis verbis: *Tempestiuè*, inquit, *accidit, vt te balbus disertū redderet, necesse enim fuit, quod tibi extorsit, ingenue semel profiteri. Qualiscūq. sequetur euētus, non est tamen cur te importuni hominis vel proteruia vel versutia obuiam iuisse pœniteat, ne de oppressa veritate triūphum ageret, quod certum est ex silentio tuo captasse.* Hæc ad me Caluinus. Hoc verò iudicium, tū Caluini tum meum, illud etiam confirmat: quòd cùm pridie illius diei, quo habendum erat examen, præmonitus fuisset à Sturmio aduersarius, ne in examine interrogaret de articulis cōtrouersis,

quod nihil facturum hoc esset ad pacem, & ille promisisset se de illis articulis non interrogaturum: promissum tamen non præstitit. quam obsecro ob caussam, nisi quòd (vt antea dictum est,) suis callidis interrogationibus venabatur de oppressa veritate triumphum: aut saltem, si illum non posset consequi, prouocandi mei occasionem? Proinde Sturmius ei in faciem post habitum examẽ, Cõsilijque dimissum: *Quid istis tuis interrogationibus*, inquit, *de iis rebus, de quibus vt taceretur, constitutum erat, aliud effecisti, quàm quòd eridis pomũ in conuiuiũ Deorum proiecisti?* Liquet igitur, non solum commodum, sed etiam necessarium fuisse me ita respõdere: vt ansam præciperem aduersario & iniustè agendi triumphũ, & iustam cõtra me instituendi actionem. Nam meo, opinor, responso, & veritas defensa fuit: & nihil tamen, in factam compositionem, à me peccatum fuisse, perspicuum est omnibus rectè iudicantibus: cùm nihil aut in ea damnarim, aut concessum reuocarim, sed tantùm quomodo esset intelligenda declararim. Legantur articuli, legatur meum responsum, & iudicium esto omnium bonorum virorum. Proinde constat insignem mihi factam fuisse iniuriam in ipso Consilio, ab eo qui dixit, me meo responso nouum sibi & suis indixisse bellum contra compositionem factam, & renouasse ea quæ fuerant composita. Supra demonstratum est, & testimonio Consilij confirmatum, prius bellum non fuisse à me, sed contra me ab aliis excitatum. Nouum etiam vter indixerit: egóne qui, sine vllius iniuria, meam de Confessione illorum duorum examinatorum, sententiam modestè dixi: & quid mihi à Compositoribus concessum fuerit, bona fide retuli, quibúsve exceptionibus in propositos articulos consenserim, simpliciter, idque (vt ante visum est) coactus narraui: an verò alter ille, qui me, nulla lacessitus iniuria, præter decorum atque honestum, in frequenti Consilio, coram ipsis etiam Scholarchis, accusauit violatæ pacis & perfidiæ: iudicent omnes viri boni & rerum periti. Certè in eo quòd ipse asseuerauit, esse inter articulos nostræ compositionis etiam articulum: *Quòd renati quoque peccent contra conscientiam, & quòd amittàt fidem & Spiritum sanctum: & quod ibi sit particula* PRORSVS: turpiter se dedit: cùm apertè conuictus sit falsi. Legantur articuli: & vter verum dicat, quivis perspiciet. Quod verò dixit, sibi videri, me velle omnia mea esse integra: in eo certè falsus non est. Quidni enim illud voluerim & adhuc velim: cùm nemo vllius me conuicerit, in hanc vsque diem, erroris: cùm ipsi etiam compositores apertè dixerint, se nullam in meis scriptis deprehẽdisse hæresin: cùm tamen de multis accusatus fuissem? Quod si non omnia quæ ipsi & alij contra me scripserant, manserunt integra, non propterea sequitur mea non mansisse integra. Ad historiam verò vt redeam: animaduerterunt omnes, renouatum esse dissidium: Et alij quidem, vt aduersarij & malè erga me affecti, transferebant culpam in meum responsum. Alij viderunt apertè, renouatum fuisse culpa tum vafri examinatoris, tum iniuriosi illius in me criminatoris. Senatus itaque voluit rem cognosci, & si fieri posset, componi.

Dum noua tentatur compositio, venit ab Ecclesia Clauennensi, quæ est in foribus Italiæ, sub ditione Rhetorũ, nuntius: qui & mihi significet, me ab Ecclesia in Pastorem esse electum: idque in locum demortui Augustini Mainardi: &, si assentiar vocationi, supplicet Senatui vt mihi det veniam hanc alteram recipiendi conditionem. Fuerat Mainardus vir admodum pius & doctus, acutus disputator, & vitæ honestissimæ atque inculpatæ: primúsque illam collegit instituítque Ecclesiam, & aduersus multos hæreticos, fanaticos & turbatores homines, eam fortiter annos XXI. defendit, cõseruauit, gubernauit: scripsit lingua populari pium libellum de satisfactione Christi: & alterum de Missa, cui titulus est Anatomia Missæ. annum verò cùm ageret octuagesimum primum, sub finem Mensis Iulij, anni M.D.LXIII. concessit ad Dominum.

Senatus cùm audiuisset nuntium, me accersit, & rem in hanc sententiã per duos Senatores proponit: Venisse Legatum ab Ecclesia Clauennensi, qui narrarit, nuper defũctum esse illius Ecclesiæ Pastorem: in huius vero locum me fuisse electum: rogasse nomine Ecclesiæ me sibi concedat: iudicare enim multis de caussis meum ministerium multò magis necessarium esse illi Ecclesiæ, quàm sit nostræ Scholæ opus: facturum Senatum rem admodum gratam nationi Italicæ si in hac iusta & Christiana petitione ei morem gerat. Senatum itaque, iis à nuntio auditis, grauari quidem suis Professoribus Scholam priuari, sed tamen etiam cupere gratificari Italicæ nationi, in re præsertim tam honesta, atque vt orator aiebat, necessaria: cupere igitur de me quæ mea sit voluntas, intelligere. Ad hæc ego in hanc sententiam. Quæ mea sit erga Scholã voluntas, hinc Senatũ facilè & perspicuè posse colligere, quòd non semel & iterum à mea natione in Pastorem electus, modo illius quæ Geneuæ est Ecclesiæ, modò eius quæ erat Lugduni: ad Scholas etiam & Academias celeberrimas in Germania: honorificis conditionibus, & honestis stipẽdiis inuitatus, idque non solùm ante accensum dissidij ignem, cum læti tutam tranquillámque pacẽ traheremus, sed etiam postea cum optimam haberem occasionẽ discedendi cum honore, & scriptis meã caussam defendendi: nolui tamen vnquam Argentinensem Scholam sponte deserere, tantisper dum nossem meam operam tam Scholæ vtilem, quàm Senatui gratam esse, & dum spes fuit, tranquillam posse me Argentinæ, maximè cum collegis, vitam traducere: atque hac de caussa me toto hoc dissidij tempore, multa contra me dicta & facta tolerasse, multa incommoda atque damna pertulisse: in nouos denique articulos consensisse: quod in spe essem, fore vt post hanc consensionem, ita ad pristinam rediretur amicitiam, pacẽ ac concordiam, vt nulla deinceps futura esset contentio: & mihi tamen liceret sicut etiam antea, quibus vocatus fueram conditionibus, vti, frui: &, si ego neminem iniuria afficerem, alij etiam abstinerent ab iniuriis: eandem mihi adhuc manere voluntatẽ. Cæterum vt reipsa maneam, vereri me vt id fieri possit. Nullam enim iam ampliùs spem ostendi futuræ, me inter & aduersarios, firmæ pacis atque concordiæ: posteaquam iterum proteruè, idque in pleno Consilio nostro, cœpta sunt iaci in me probra & noua inferri crimina. Quamobrem autẽ id factum sit, facilè posse [illegible] quale fuerit meum in Consilio de illa Confessione responsum, modestúmne an immodestũ, liquido constare: interim tamen eũ qui me iniuria afficit, innocentem, quo iure [illegible] haberi velle: ac me contra omnium criminum reum. Haud difficilè me hinc prospicere, nihil posthac vnquam à me dici aut fieri posse, quod apud illos homines queat carere culpa: ac proinde, quomodo ampliùs pacificè cum ipsis possim viuere & docere, me non videre. Videre & Senatus perspicuè nõ minùs quàm ego, fore ἀδύνατον vt pacificè inter nos viueremus, & consentienter doceremus: quod licet omnes in certos articulos consensissemus, vtraq. tamen pars mordicus suam interpretationem ac doctrinam retineret. Proinde indicauit [illegible] consultius & mihi & Scholæ, vt si nollemus omnibus & per omnia (vt loquuntur) cũ suis consentire, & cõsentienter docere: ego vnus cederẽ, & Clauennensem acciperem conditionem. Assensus sum, neque enim poteram saluâ conscientia cum aduersariis in illis consentire rebus, & ita consentienter docere, in quibus rebus animaduertebam eos non consentire cum Prophetis atque Apostolis, neque cum piis Patribus, neque etiam cũ doctissimis huiusce ætatis doctoribus atque in primis cum Bucero. Ergo propter conscientiam & pacem, posteaquam annos vixissem Argentinæ fermè XI. actis Senatui gratiis pro suis in me beneficiis, & resignato in manus Scholarcharum Canonicatu, relicta etiam ibi vxore charissima, & quatuor liberis suauissimis, defunctis hac vita: & valere iussis amicis, neque id sine dolore, multas ob caussas, & maximè quòd viderem quo in statu relinquerem Scholam & Ecclesiam Gallicam, electo iam pastore Gulielmo Holbracho, viro optimo atque doctissimo, idque eandem ob caussam propter quam etiam ego discedebam, nimirum quod noluisset contra conscientiam in omnibus & per omnia cum aduersariis consentire, & consentienter docere: tandem ad finem Nouembris, anni M.D.LXIII. discessi Argentina, vnà cum fido non tam famulo, quàm amico & fratre, Friderico Syllæpurgio Hesso, municipe tuo, hoc est, tuæ gentis tuique populi, iuuene bonarum literarum studioso, & sanæ doctrinæ amanti.

Porro Clauennam cùm peruenissem, nón ita multò postquàm cœpissem concionari: id quod fuit initio Ianuarij, anni M.D.LXIV. grauis pestilentia inuasit oppidum: ac mense quidem Martio cœpit ita palàm & crudeliter grassari, vt intra menses circiter septem, sustulerit ex paruo illo oppido mille circiter & ducentos homines. Prædixerat hac calamitatem sæpenumerò Mainardus vir Dei, tum propter pertinaciam Papistarum in suis idololatriis: tum propter ingratitudinem nostrorum erga Euangelium. Sed, vt contigit etiam Prophetis, illius comminationes ab impiis & impœnitentibus contemnebantur. Cũ vero cernerent & reipsa sentirent, impleri vaticinium: tum omnes meminisse verborum viri Dei, & palàm fateri, illum Dei virũ, Spiritu diuino afflatum, vera prædixisse. Vrgebamus pœnitentiam & fidem, & tam diu fecimus offi-

cium

cium, dum & locus fuit vbi conueniremus, & qui audirēt non defuerunt. Cùm vero aliis peste sublatis, aliis propter imminens periculum, deserto oppido, ceu fracta naui, diuersos ad portus elapsis, vidissemus paucos admodum fratres nobiscum in oppido mansisse, atque hos etiā tū propter sæuitiam pestis quasi consternatos, tum in curandis ægrotis & oppido custodiendo occupatissimos: hosce paucos post mensem & amplius quàm locus vbi solitæ erant haberi conciones, fuisset infectus, quid facto opus esset consuluimus. Illi consultius esse censuerunt, vt nostro discessu in aliud tempus Ecclesiæ nos seruaremus, quàm vt temere & sine vllo fructu, in tam aperto vitæ discrimine permaneremus. Iudicauimus igitur, nos bona conscientia posse ad tempus, loco cedere: suffragantibus nostro iudicio non paucis & Scripturarum & Patrum autoritatibus atque exemplis. Me igitur cum tota familia contuli in sublimē quendam montem: non admodum quidem procul ab oppido, sed tamen ab hominū consortio, omnique strepitu remotū, eóque ad philosophandum accommodatissimum. Hic solitarius vitam traduxi meam in lectione Scripturarū, meditationibus precibus, scriptionibus, summa cum voluptate spiritus atque animi: optima semper Dei beneficio valetudine, menses tres cum dimidio. Hic etiam cœpi, cùm aliquid otij ab ordinariis studiis suppeditabatur, historiam hanc conscribere: partim vt ne excideret memoria, partim vt si quando ab aduersariis meis prouocarer ad scribendū (id quod facile futurum præuidebam) ea in lucē darē. Neque enim mihi animus erat illos prouocare: quemadmodū etiā in priorē controuersiā non ego illos, sed illi me inuitū pertraxerunt. Hoc liquet ex historia: illud sit hinc perspicuū, quod totū hoc bienniū & amplius, ex quo discessi Argentina, nihil contra meos scripsi aduersarios: cùm tamen non defuerint, qui me ad id solicitarent atque extimularent. Cæterum dum ab amicis obseruatur diligenter in nundinis, an aliquid contra nostram caussam, aut contra me scriptū prodeat in lucē: ecce librū de Cœna Germanice à meo primario accusatore compositū. Hunc ad me missum quum ego propter ignorationē linguæ non possem legere, nedum intelligere: do cuidam amico Germanicæ linguæ perito: legendū: ac mihi significet, rogo; & quæ summa sit illius libri, & quibus nitatur argumentis, & an aliquid contra me scribatur. Vix tres horas potuit vir ille bonus, & alioquin patientissimus, legere in eo libro: tū propter plus quàm Papalem (vt dicebat) doctrinam ac iactantiam quod iactaret eam fuisse doctrinam Buceri: mei tamen nullā se vidisse fieri mentionem. Contempsi igitur librū: præsertim quòd non dubitabam non defuturos, qui librum illum (vt dicebat) insulsum refutarent. Die vero Septembris xxxi. huiusce anni M. D. LXV. accepi aliū librū Latine & Græcè exaratū: nimirum Valentini Erythræi Lindauiensis, ethices in Schola Argentinensis professoris, & mei olim Collegæ. Titulus est. Augustana Confessio tabulis delineata & resoluta. Acceptum librum video, percurro, lego. Tandē inuenio, meum etiam de Cœna iudicium ab illo censore damnari, & me multis variisque conuitiis proscindi: quēadmodum etiam antea fecerat eius gentilis, alter videlicet Lindauiensis. Mirabar qui fieret vt hoc hominum genus, qui corpus Christi tam mitis, modesti atque humani, manibus contrectant, oraliter comedunt, & in stomachum traiiciunt, non possint scribere sine maledictis & contumeliis. Nam quæ ille prior Lindauiensis in me dixerit & scripserit probra atque conuitia, non commemoro, vt antè dixi, condonaui. Ille alter duabus paginis quas aduersus me exarauit, plus conuitiorum quàm argumentorum complexus est. principiò appellat me ἐριστικόν, fanaticum, furiosum, impudentem & blasphemum, nugatorem ac scurram: hominem malè sanum. Deinde quæ scripsi de cœna in meo iudicio ait diabolica esse portenta: atque hoc in primis quod dixi, corpus Christi non manducari à nobis propriè ore corporis, horribile esse clamat: Consecutionem meam qua infero. Si corpus Christi propriè ore corporis manducetur, consequi, illud dentibus conteri, in stomachum traiici, & per secessum ire, esse diabolicā: me & meos gregales vafrè quibusdam vti verbis ad simplices circumueniendos, nostrorum libros esse blasphemos. Sic noster ethicus, politicis scilicet præditus moribus & singulari modestia atque prudentia. Ego silebam, quiescebam, dormiebam, & multorum existimationi parcebam. Sed ecce hominem qui me vellicat, à somno excitat, & ad certamen prouocat: idque contumeliis, nullo vnquam ipse à me lacessitus verbulo. Hæc vero sine sodaliū suorum consensu ab ethico fieri, quum iudicatum fueri: fieri id ig non lucere, tum certò credemus. Ergo si ego etiā

incipiam contra meos scribere aduersarios, mei & sanæ doctrinæ defendendæ gratia: qui meritò me accuset turbarum, rixarum, contentionum? Apparet iam qui sint turbatores, & dissidiorum autores atque continuatores: apparet qui nouum pro suo iudicio, indicant bellū: apparet denique qui sint ἐρισταὶ δυσμαχώτατοι. Quid hic opus est argumentis & testibus, quibus illas depellam calumnias? iam res ipsa loquitur. Scripseram quidem ego, & importunitate amicorum dederam imprimendū illud meum de Cœna iudicium: sed id feceram ante compositionem, & partim vt vtriusque partis Ecclesias aduersus Episcopi cuiusdam iudicium defenderem: partim vt quo pacto posset hoc tam exitiosum incendium tandē aliquando extingui, meam indicarem sententiam: & scripsi modeste, cum vtriusque partis laude: At verò nunc, post compositionem, surgit iste noster ethicus & pacificus collega: & vt se insinuet in numerum Theologorum, censorem agit omnium Theologorum, qui huc vsque scripserunt de Cœna Domini. Nec contentus censura, quam sibi vltro assumit: ipsos etiam quos vult Doctores, quibuscunque libet conuitiis ac contumeliis lacerat, condemnat, deuouetque diris. Ego verò minimè miror hæc ab isto homine, & tanta immodestia scribi. Noui enim quæ scribit Salomon in Prouerbiis de stultis atque stultitia, quæ etiā αὐτόχθων est, & domicilium habere solet in minuum crassis capitibus. Sed miror sane vehementer, potuisse ab eo Senatu, qui semper habitus fuit in Germania, & extra Germaniam, ac meritò quidem prudentissimus pacis amantissimus, concordiæ inter discordes studiosissimus, & puræ religionis custos vigilantissimus, permitti, vt contumeliosi illi libri qui nihil aliud sunt quàm elea incendiorum, imo faces iam accensæ ad omnes Ecclesias, nouis dissidiorū & inimicitiarum flammis concremandas, in ea imprimerentur vrbe, quæ tempore Buceri solebat esse ceu mater Ecclesiarum omnium in religione, & mediatrix inter dissidentes, ex inferiori & ex superiori Germania doctores: quæ denique cū primum alicubi aliquod excitabatur incendium, prima omnium ad illud restringuendum accurrebat. Eò verò magis miror Senatum permisisse vt hæc in me scripta ederentur, & maxime Argentinæ; quod & sciat quoties petierim, efficeret vt veniretur ad disputationem aut ad amicam collocutionem: & noluerit aduersarios, cum ad neutrā sponte venirent, ad alterutrum saltem cogere. An hec satis æquum est, vt cui præsenti per biennium nunquam concessa disputatio cum aduersariis fuit: aduersus eum absentē, ab iisdē aduersariis & in eadē vrbe, scribatur, idque tam contumeliose? Cur, cum ibi essē, non fui conuictus errorum, hæresium, blasphemiarū: cur non fuit instituta disputatio? cur non colloquium? aut cur, saltē post compositionem & condonatas iniurias, permittitur tam barbarè contra me scribi? Sed non dubito hæc omnino inscio Magistratu scripta tā in alios quàm in me ab Erythræo fuisse. Veruntamen si semel vnum aut alterum incendiarium coerceret Magistratus, nec tā diu sineret illos sua abuti patientia atque clementia: discerent illi & reliqui meliùs sapere: & pacatiorem haberent ciuitatem. Ergo si ad certamen prouocatus, me meámque caussam, quacunque possum bona ratione, defendā, ne miretur Senatus: neq. propterea quispiā me vocet eristicum. non enim eristicus est, qui me suámque causam aduersus iniquos criminatores, modestè defendit. hoc enim speciatim Senatui illi ornatissimo, & omnibus piis bonisque in ea vrbe viris polliceor, me non conuitiis aut contumeliis, vt mei faciunt aduersarij, sed scripturis, sed argumentis sed Patrum tā veterum quàm recentiorum, atque in primis piæ memoriæ Buceri, patris illius Scholæ atque Ecclesiæ, testimoniis: denique etiam confessionibus illius vrbis, meam defensurū caussam. Scio enim hoc propriū esse cum rusticorum, tum Imperitorū hominū, vt quū desunt rationes & argumenta, recurrant ad conuitia. Scio & illud Salomonis, non esse stulto iuxta stultitiam suam respōdendum. Hoc idē norunt Argentinenses obseruatum à me fuisse in priori mea defensione: quēadmodum Acta, quæ apud illos sunt, testificantur: ac norunt quale discrimen sit inter mea & aduersariorum scripta, qui illa legerunt aut legi audiuerunt. Agnoscent etiam omnes, me non esse, neque eristicum (nisi ἐριστικὸς ille esse definiatur, qui accusatus de grauissimis criminibus conatur se defendere) neque blasphemum hominem nisi blasphemus ille sit, qui quæ tradunt sacræ literæ, & quæ saniorum Patrum testimoniis confirmari possunt, defendit: quæ verò neque scriptura apertè tradit, neque cum illa sunt consentanea, reiicit: & qui denique semper paratus est meliora doceri.

NVNC vt ad id quod principiò constitui demonstrare,

reuertar: potes, Illustriss. me Princeps, quæ tua est singularis prudentia, atque non solùm in re militari, sed etiam in religione & politicis negotiis sapientissimum iudicium, ex iis omnibus quæ narraui, quæ retuli, quæ dixi, facilè caussas colligere, propter quos Miscellanea hæc non solum cum Argentinæ essem, ante compositionem cudenda, sed etiam nunc recudenda, & totam hanc historiam euulgandam curauerim. Tametsi enim quæ nunc aduersus me scripsit aduersarius Erythræus, ea me nō permouerūt tantùm, sed etiam coegerunt vt non solum meū defendam de cœna iudicium, sed etiam totam nostri prioris dissidij, deinde & compositionis, & eorum quæ compositionē secuta sunt, historiam, vnà cum meis hisce Miscellaneis tandem in lucem emittam. idque quo appareat toti orbi, an talis sim néne, qualem & alij aduersarij antea prædicarūt, & iste denuò, edito etiam libro, apud omnes mortales traduxit, nempe non hæreticum tantum, sed etiam blasphemum: tamen ipsa quoque historia multas alias demonstrat caussas, propter quas æquum omnino, imò necessarium erat, vt tandem aliquando tam ipsa, quàm suppressus liber in lucem prodiret. 1. Nam doctrina quæ fuerat hæreseos damnata, nunquam fuit iudicata, neque spes vlla est fore, vt aliqua Synodo legitime iudicetur. Est igitur necesse (nisi velimus maneat condemnata) vt omnium Ecclesiarum iudicio subiiciatur 2. Quòd liber meus fuerit suppressus iudicare multi possent, illud propterea fuisse factum, quod aut aliquam saperet hęresin: aut in aliquem esset contumeliosus. Prodeat igitur in medium necesse est, quo omnes. qualē contineat doctrina, & an in quempiā sit cōtumeliosus néne videāt. 3. Accusati fueramus ego & qui à me stabant Argentinæ, quod Augustanam confessionem oppugnaremus, quòd ego cōtra illam docerem, adeóque quod contra meū fecerim (vt vocant ipsi) compromissum, oportuit igitur historiā quæ nostras continet Apologias, cognosci. 4. Conscriptus fuit contra me liber primus infinitis calumniis: isque non solum Magistratui exhibitus sed cum multis etia aliis communicatus: mea autem ad illas responsionem non omnes viderunt, qui illum legerunt: fuit igitur operæ pretium vt illarum etiam depulsio appareret. 5. Mirati fuerunt omnes dissidiū nostrū tā diu durasse, & nunquā intra bienniū potuisse cōponi. cur non æquum sit, vt in quibúsnā hæserit culpa, agnoscatur. 6. De meis quibusdam prælectionibus quid sparsum fuerit in vulgus, anteà dictum est, latere videlicet in illis venenum. Vt igitur hoc agnoscatur, coactus fui eas in lucem dare. 7. Contenderunt aduersarij, Senatum populúmque Argentinensem, recessisse à priori doctrina, cùm Augustanæ Confessioni vestræ subscripsit, falsum hoc esse, historia docet. cur igitur non eam euulgem, vt Senatus totáque illa inclyta vrbs hac infamia, ei a parum gratis ciuibus iniusta, liberetur? 8 De compositione multi sinistri sermones fuerunt in vulgum sparsi, præsertim contra me & Ioannem Sturmium, fuit igitur plus quàm necessarium, vt quomodo hæc facta sit, & quas præmiserimus exceptiones, & quibus subscripserimus articulis, toti orbi edita historia declararetur. 9. Quæ mihi falso fuerint obiecta crimina post compositionem, in pleno Consilio, propter quam caussam, & quid inde secutum tandem sit, nimirum meus, præter alia, à mea statione & ab vrbe charissima, discessus, paulò antè dictum est. Renouationem dissidij & meum discessum intellexerunt omnes: at vtriusque caussam non omnes norunt: neque etiam noua illa controuersia fuit vnquam aut legitimè cognita, aut iudicata, aut etiam composita. Erat igitur necesse propter dignitatem & autoritatem mei ministerij, vt quo se modo res habuerit, & cur Argentina discesserim, tandem vulgata ista historia explicaretur. Sunt omnes hæ caussæ tanti pōderis, vt etiāsi nulla alia accessisset, accusari tamen iure non potuerim, si tantùm propter has, aut etiam propter ipsarum aliquam, librum hunc meum antea etiam vulgassem. Nunc autem accedit illa postrema omnium grauissima, quam Erythræi liber attulit. Hac enim ita cogor (vt antè dixi) me meámque caussam defēdere, vt nisi id faciam proditor sim veritatis, negligens bonæ existimationis, ideóque in perpetuū infamis. Maledictum certe pronuntiat Salomon qui negligit famam suam: quanto magis si illa etiam cedat in infamiam ipsius ministerij & Euangelij & Christi? Spero itaque (opto quidē certè) me satis luculenter, Tibi, Princeps Illustriss. & omnibus bonis hac narratione demonstrasse, neque me talē esse qualem aduersarij prædicarunt, & voce & scriptis: id quod melius patefiet, lectis hisce Miscellaneis: neque sine iustis & necessariis caussis curasse, vt hic Liber vnà cū historia in lucē emissus, si non in promiscui vulgi, saltem in literatorum virorum manus perueniret.

NVNC autem quibus de caussis tudes hasce meas lucubrationes. Tibi tam magno Germaniæ Principi, ego homo Italus dedicare ausus fuerim, paucis aperiam. Si quibus de religione libri sunt dedicandi: dedicari omnino debent non tam Principibus illustribus & potentibus, qui suo splendore & potentia, aliquid gratiæ illis concilient, quàm viris optimis: pietate in primis & Christianæ religionis studio, doctrinæque salutis cognitione, deinde iustitia, prudentia, fortitudine, clementia, cæterisque Christianis virtutibus clarissimis: quique tum id genus libros intelligere atque tueri, tum etiam autores librorum defendere non tantùm possint, sed etiam velint: qui denique de Christiana religione deque literatis & piis hominibus sint bene meriti.

EGO verò quæ sit tua pietas, Princeps Illustrissime, quod studium religionis, quæ peritia rerum Christianarum, quę constantia atque fortitudo in defendenda doctrina salutis, protegendísque doctrinæ Christianæ Professoribus: non nunc primùm disco, sed iam olim in Italia adolescens adhuc, ex certis hominum sermonibus intellexi: quos sermones verissimos etiam fuisse, ex constanti deinceps omnium fama, & ex certissima Ioannis Sleidani incomparabilis viri historia deprehendi. Est enim certissimum: Te à prima adolescentia, nec periculis nec laboribus, nec sumtibus vllis, pro instauranda religione, pepercisse: Te Martinum Lutherum, sanctissimæ memoriæ, & alios fideles Ecclesiæ ministros fortiter semper defendisse: Te facinora Thomæ Monetarij, cuius seditiosis concionibus per totam ferè Germaniam plebs erat ad arma concitata, repressisse: Lutherum atque Zvinglium, & aliquot alios ex præcipuis Germaniæ Theologis, vt gliscens de cœna Domini pene iam exitiale dissidium, sub ipsa initia mature sopiretur, Marpurgum prudenter vocasse, ac liberalissime tractasse: Te inter multos alios, qui curabant vt Carolo V. Imperatori anno M. D. XXX. fidei confessio exhiberetur. qua confessione libertas deinceps religionis, Germaniæ obtineretur: non postremum autorem fuisse: Te vt cognatum illum tuum Principem, qui omnibus bonis spoliatus fuerat, patriæ restitueres, fortiter, celeriter atque etiam feliciter curasse: Te furorem & insaniam Anabaptistarum, quorum inaudita scelera vtinam possent perpetua obliuione sepeliri, in Monasteriensi bello fregisse: Te grauissimam illam & periculosissimam litem (vt alias omittam) quæ inter Ioannem Fridericum Electorem, & Mauritium exorta, ad ciuile bellum omnino spectabat, tuo pio & prudenti interuentu, cum magno totius Saxoniæ commodo, composuisse: Te multorum puræ religionis hostium petulantiam fortiter repressisse, atque inter alios, fortissimum quendam & potentissimum, sed doctrinæ Euangelicæ hostem crudelissimum Principem, tua incredibili prudentia, celeritate, virtute, eò redegisse angustiarum, vt tandem instar catelli non sine lacrymis in tuam sese vnà cū filio dederit potestatē: Te præcipuū autorem eundemque & defensorem fortissimum pij & sancti fœderis non contra Cæsarem, sed cōtra hostes Christi, ad tuendam veram religionem & Germaniæ libertatem, inter Germanos Principes atque Respublicas initi, fuisse: Te huiusce religionis atque libertatis gratia, fortunas omnes, liberos, vitam denique ipsam, omnib. periculis exposuisse: futurum etiam ea in re felicissimum, non dicam si penes Te vnum tota fuisset belli administratio (id quod tūc passim pro certo ferebatur, & nunc peritus quisque rei bellicæ, & illius historiæ non ignarus, meritò affirmasse posset) sed dicam sicut Christianus homo sentire & loqui debet: nisi Deus exercituū, omniumq. rerū moderator sapientissimus Dominus Iesus Christus, aliter in cœlo cōstituisset: Te denique etsi in multa propter Euangeliū incurristi incōmoda atque aduersa, omnia tamē, vt Christianū decebat Principem, heroica fortitudine sustinuisse, ita vt idem clemētissimus Christus, cuius caussā illa omnia sustinuisti, tuæ te libertati tandem etiam aliquando restituerit: cuius beneficij Te nunquam immemorem aut ingratum fuisse, pij omnes atque in primis ipsa Germania atque Gallia, certissimū dant Tibi testimoniū. Sed quid ego omnia à te præclarè gesta cōmemorem? Certè hæc pauca quæ breuiter narraui, luculētissima sunt testimonia eximiæ tuæ pietatis, maximarúmq. virtutū. Cur igitur tam pio támq. magno Principi, non me meamque cōmendem caussam? Sed accedunt aliæ caussæ quæ me, vt hunc tibi librum dedicarē, permouerunt, quarū hæc nō est postrema, quod sciam, quanta beneuolētia & reuerentia prosecutus fueris sanctæ memoriæ Martinum Bucerū, & quàm illius consuetudine propter pietatem, sin-

gularem

gularem eruditionem, virtutem, delectatus fueris, ita vt an doctrina tam de Prædestinatione & Perseuerantia, quàm de Cœna Domini, quam in iis meis αὐτοσχεδίως trado, & contra aduersarios defendo, fuerit etiam antè tradita atque defensa à Bucero necne, iudicare facile possis: agnitam vero non vereor quin defensam velis. Huic proxime adiungitur & iam alia, quòd Tu solus & alter, ex illis principibus qui confessionem illam fidei, quam nunc Augustana vocant, Carolo V. Augusto, Augustæ exhibuerunt, superstites estis. Nemo igitur melius quàm Tu, an doctrina de qua accusor, tà de Perseuerantia quàm de Cœna, cum Augustana pugnet confessione necne, videre potest. Sed & hac de caussa Tibi potissimum dicandus erat hic liber, quod tu primum optimè iudicare possis, vtri sint turbulenti homines: egóne qui de cœna docui sicut antea à me explicatum sum, Verum Christi corpus in Cœna sumi, & verum item eius sumi sanguinem sed id fide & a fidelibus tantum, & ab aliis inutilibus abstinui quæstionibus: an vero mei aduersarij qui non contenti ea Confessione, nisi etiam fateamur illud vbique esse, ore corporis edi, & ab ipsis etiam infidelibus manducari hæreseos nos damnant & blasphemos appellant. Tu enim in Colloquio cum Cæsare demonstrauisti nullum amplius inter nos esse dissidium de cœna, hac vsus es argumentatione. Fatentur omnes, in cœna corpus atque sanguinem Christi verè percipi: nullum igitur amplius est inter nostros dissidium. *De cœna Domini*, inquis ad Cæsarem *fuit quidem inter eos*, id est, nostros Theologos, *contentio verùm ea nunc est consopita. nemo enim est, qui non fateatur, ibi corpus atque sanguinem Christi verè percipi*. his verbis satis perspicuè tuam significasti sententiam: si omnes confiteamur, corpus Christi in cœna verè percipi, debere nos esse contentos: & proinde eos esse turbulentos homines, qui non hac contenti confessione, quæstiones præterea mouent nouas atque inutiles, ne dicam perniciosas: & hæreseos damnant omnes qui non secum fateantur vbiquitatem, oralem manducationem & manducationem impiorum Tu cùm dimitteres conuentũ Marpurgensem, præter alia dixisti illis patribus: Quando in præcipuis dogmatis idem sentirent, abstinendum esse deinceps ab omni contentione. Prudens & prudentissimo principe dignũ consilium. At nunc isti noui patres, & (si Deo placet) Te prudentiores, longè aliter & sentiunt & agunt. Hæc vero alia prætereunda non est, quòd qui primi meis hisce Thesibus testimonium dederunt, ij fuerunt docti & pij in tua Marpurgensi & Academia atque Ecclesia doctores atque Pastores, quorum sapientissimi iudicium alij quoque quàm plurimi non vulgares Theologi ac ministri verbi, secuti sunt. Erat autem æquum, vt Tu, quódnam & quale iudicium tui Theologi de Thesibus nulli obiectis fecerint, quantique ab aliis Theologis factum id fuerit, videres. Ad extremum dicam id quod est, libere. Cum nescio quo pacto, certe propter tuam virtutem & pietatem, maxima sit affectus erga te obseruantia & gratificandi voluntate, nolui concedas ad superos antequam aliquid huius mei erga te animi testimonium accipias.

Non defuerunt ergo caussæ, quæ vt hæc Theologorum iudicia, & mea αὐτοσχέδια Tibi, Princeps illustrissime, iùdicanda, & si probentur, tua autoritate protegenda traderem ac cõmendarem, me ita promouerunt vt cõpulerint. Quare te etiam atque etiam reuerenter rogo & obsecro, Generosissime Princeps, vt velis & præsentem libellum tuo nomini dicatum amanter amplecti, & meũ erga Te tuósque liberos omnes, atque in primis erga verè Illustrissimum, non sanguine tantũ & nobilitate, sed pietate etiã singulari, sed literatura, sed inuicta animi fortitudine, sed prudentia, sed æquitate atque iustitia, aliisque innumeris & excellentibus virtutibus Principem Gulielmum, cui etiam & me & meam caussam commendatam velim, amorem, obseruantiam, animum gratum habere.

Illud vero non solum Te & Gulielmum Principem, sed quotquot hunc legerint librum, viros pios & doctos per Iesum Christum obtestor, vt si quid in iis meis prælectionibus repererint, quod non vsquequaque dictum fuisse orthodoxe iudicent, illud mihi amicè & Christianè, siue coràm, si fieri possit, siue per literas significent. Omnium enim piarum Ecclesiarum & verè piorum doctorúmque virorum, hoc est, totius Ecclesiæ verè catholicæ & Apostolicæ iudicio hæc omnia submitto: quidquid erratũ est (si quid erratum est) emendaturus, modò mihi veritas amicè atque Christiane è sacris literis perspicuè demonstretur. Neque enim pudebit me ab eruditioribus discere, & si quid erroris vel didici vel docui (quod tamen nondum agnosco) illud dediscere & dedocere: præsertim cum ingenue profitear me esse in Schola Christi, vbi nemo præter doctorem Christum tã doctus est, cui non sit quotidiè magis ac magis in cognitione veritatis proficiendũ: Illud tantùm admonitos velim omnes pios, ne vlla nuda propositione, quæ est de Perseuerantia sanctorum, vllo modo offendantur: vel quòd cum ea multi loci Scripturarum pugnare videantur, vel quòd etiamsi vera sit, nullum tamen eius cognitio fructum hominibus, satis suapte natura securis, adferre videatur. Nam cùm mihi inchoatam tractationem in Schola absoluere non licuerit: ego neque Scripturarum loca in speciem pugnantia conciliare, neque quo pacto propositio illa esset intelligenda, declarare, neque denique vsum illius doctrinæ explicare tunc potui. Cæterùm, Deo fauente, totam illam tractationem aliis quàm plurimis tum Scripturarum, tum Patrum, tum Scripturarum nostri temporis virorum adiectis testimoniis, omnibus in speciem pugnantibus locis conciliatis, omnibus aduersariorum argumentis dissolutis, & huius salutaris doctrinæ vsibus explicatis, ita perficiam, vt nemo nisi planè perditus & in sensum reprobum traditus, doctrinam hanc tanquam veram, certam piam, salutarem, imò cuique etiam pio necessariam cognitu, non sit probaturus. Interim nemo damnet quod non intelligit: sed suum saltem iudicium, dum vel me planè audierit, vel perfectam tractationem legerit suspendat. Est enim illud Menandri sapientissimè dictum probè memoriæ retinendum omnibus qui sapientes & esse & videri volunt: [illegible]. Neque etiam illud Siracidæ Consilium aut negligendum aut contemnendum est, [illegible]. Dominus Iesus Te Tuósque liberos omnes in vera pietate custodiat promoueatque, diu nobis conseruet, fortunas quoque ipsas feliciter in omnibus dirigat. Ego enim vt cum diuo Ioanne loquar: περὶ πάντων εὔχομαί σε εὐοδοῦσθαι καὶ ὑγιαίνειν, καθὼς εὐοδοῦταί σου ἡ ψυχή. Clauennæ xv. Octob. Anno M. D LXV.

EPISTOLA AD LECTOREM TVM SCRIPTA.

Mirabetis, scio, cur has meas prælectiones non exposuerim priùs, quàm in lucem darem: sed ita rudes & eodem plane stylo, hoc est scholastico, quo etiam in Schola à me habitæ fuerunt emiserim. Sed si caussam huiusce facti audieris, pones admirationem. Ea autem hæc fuit: nimirum ne quispiam possit calumniari, me alia & aliis verbis in Schola docuisse, quàm modò in medium vulgus proferam. Multa quidem in iis libenter mutassem & correxissem: non, quòd impium aliquid in eis agnoscam, sed quod quædam potuissent meliùs disponi, & explicari. Sed quia (vt dixi) quæstio est, quid & quomodo docuerim: mihi non licuit neque in sententiis neque verbis quidpiam mutare. Qua de caussa omnes doctos rogo atque obsecro, vt quidquid in hisce meis paucis αὐτοσχεδίως deprehenderint vel superuacaneũ, vel nimis cõcisum, vel minùs elaboratum, illud totum mihi condonent, limatiora alia posthac (si Domino placuerit) & castigatiora fortas paulatim daturo. Cogor enim (vt quisque videre potest) non sine magno animi dolore hos meos immaturos & nondum bene formatos fœtus ante tempus edere, & quasi abortare. Cæterùm modo nihil in iis aut monstrosum aut inanimum, hoc est, quod non sit & antiquum in Ecclesia & orthodoxum, inueniatur, satis mihi in præsentia fuerit. Quanquam illud etiam excusare me debet apud viros bonos, quod ipse Moses narrat, Dominum Deum cùm crearet cœlum & terram, principio materiam quandam rudem, informem atque impolitam creasse, quam propterea Moses *Tohu vabohu*, & Poetæ Chaos appellarunt, deinde illam creata luce illustrasse, postea paulatim variis rerum formis distinxisse, expoliuisse, exornasse donec omnia fecisset perfecta atque absoluta: qua de caussa totã hanc machinam κόσμον ab ornatu Græci appellarunt. Si igitur imitatus exemplum Dei optimi maximi, post hoc meum χάος, si non elaboratissima & politissima (quod non valeo) saltem limatiora dedero, non deerit viris bonis cur me nunc excusatum habere debeant. Vale. Clauennæ 15. Octobr. 1565.

AD IOHANNEM VVOLPHIVM TIGVRINVM EPISTOLA.

Tv scis, doctissime Vvolphi, boni viri, multò verò magis verbi Dei Professoris esse, ita se & in officio & in

sermonibus totáque vita gerere, vt eum nemo vel de vllo facinore, vel etiam de alicuius facinoris suspicione accusare meritò possit. Quæ enim Apostolus ad Timotheum & ad Titum de Ecclesiastici præconis (quo nomine non tantùm Pastores, sed Doctores quoque & omnes verbi Dei ministros atque interpretes intelligo) scribat officio, optimè nosti. quid dico nosti? imò tu ipse me tua elegantissima oratione in ea Apostoli verba 2. Timoth.2. Stude teipsum probatum exhibere Deo, docuisti. Illud quoque te non latet, eiusdem viri boni esse, si sentiat se fieri τοῦ ... vt ait Chrysostom. siue ... siue ... immeritò atque falsò traduci (quanquã reuera omnis calumniator ... est) sese suámque existimationem, & ministerium, si quid obeat, tueri atque defendere. Quoties enim Apostolus à suis aduersariis pseudoapostolis, pigris ventribus & inflatis vtribus traductus, & variis grauissimisque criminationibus affectus, sese & suum ministerium defenderit, nouimus omnes. Sed vt id à nobis fiat cum modestia, idē Apostolus docet suo exemplo: & Salomon confirmat, cū inquit Prouerbiorum cap. XXVI. Ne respondeas stulto iuxta stultitiam suam: ne forte similis ei fias etiam tu. Proinde eleganter & piè (vt omnia) Chrysostomus inquit: ... siue in Ecclesia, siue in Schola, ...

Ergo quòd ego quoque multas in me, ideóque in meū ministerium sparsas criminationes, calumnias, ... non prorsus cōtemnam, sed meam existimationem, meúmque ministerium, quo ad eius fieri potest, & qua possum modestia, defendam, cutémque vt non solùm falsa crimina depellā, sed etiam criminum suspicionibus me liberem, nullus, credo, vir bonus, & iudicio præditus mirabitur. ... (inquit Chrysostomus) ... In hunc finem mitto ad Te, mi cariss. Vvolphi, has meas prælectiones, vt eas communices cum Domino Bullingero nostro, Petro Martyre & reliquis doctis piisque patribus & fratribus: & rogo, vt, sicut etiam fecistis de Thesibus, eas ad Lydium lapidem S. Scripturarum diligenter examinetis: atque si quid in eis deprehenderitis, quod non sit consonum sacris literis, illius me liberè admoneatis. Si verò omnia vobis orthodoxa esse videbuntur, id ipsum quoque mihi significetis per Epistolam: vt vestro de iis meis lectionibus iudicio Dominis ostenso, finis tandem aliquando huic nostræ controuersiæ imponatur. Neque enim videtur ampliùs quæstio esse de Thesibus, sed tantùm de iis prælectionibus: quòd has quidam dicant esse prorsus intolerabiles, cùm Theses vtcunque tolerari possint. Ergo si etiam lectiones vobis & aliis doctis Theologis probatæ fuerint (dico quod ad substantiam doctrinæ attinet: nam quod ad stylum, rerum dispositionem, & argumentorum explicationem, ego quoque multa in eis desidero, sed quia quæstio de illis est vt in schola à me habitæ fuerunt, præsertim de illis quas annis abhinc sex circiter de Prædestinatione habui: icircò nihil in eis potui aut debui pro hoc tempore immutare, immutaturus alioquin multa & elimaturus, si mihi licuisset:) Si igitur quod ad substantiam attinet doctrinæ, hæ quoque lectiones vobis probatæ fuerint, spero breui & Dominos nostros in primis, & deinde nos reliquos omnes, magnis liberatum iri molestiis. quod vt Dominus faxit, etiam atque etiam rogo, & verò etiam eum facturum confido. Neque enim potest Ecclesiam suam deserere, quanquam ad tempus permisit Sathanæ vt cribraret nos. imò verò hanc cribrationem futuram & Scholæ & Ecclesiæ vtilissimam. cribratione enim non perditur, sed purgatur frumentum.

Quæ autem ad Te mitto, hæc sunt: Tractatio de fine seculi; Inchoata tractatio de Perseuerantia Sanctorum in fide: non enim licuit mihi (vt scis) in Schola eam absoluere, sed absoluam aliàs Deo fauente. Has ego ipse Consilio nostro Thomano, cùm ibi caussa nostra agitaretur, sicut sunt, & sicut in Schola à me habitæ fuerunt, legēdas & examinandas exhibui: quoniam de principio hæ duæ tantùm ab amico in Schola & in Consilio damnatæ fuerunt, & controuersia nostra ab his duabus initium sumsit. Mitto deinde tractatiunculam de libro vitæ, item tractationem de Prædestinatione. Has duas habui annis abhinc sex aut septem, cùm Iesaiam interpretaretur. Nunc primùm autem, nimirum post excitatam hanc controuersiam, eas accusatores mei ex cōmentariolis studiosorum describēdas curarunt (sed qua fide aut illi scripserint, aut alij descripserint, nouit Dominus) atque Dominis nostris XIII. Viris, caussā iam à Consilio nostro Thomano ad illos trāslatā, tanquam impias legendas dederunt. Mitto præterea caput vnū cuiusdam meæ tractationis, quàm nuper, cùm Epistolam Ioannis interpretarer, habui de Christo aduocato nostro, hoc est, electorum. Item caput vnum ex tractatione de remissione peccatorum, quam habui in caput primum eiusdem epistolæ Ioannis, excerptum. Hęc etiam duo capita, tanquam absurda atque impiam doctrinam redolentia, aduersarij mei Dominis exhibuerunt. Ego verò certis de caussis adieci, primùm tractatiunculam de Gratia: deinde tractationem de excæcatione Impiorum: tertio, tractationē de redemtione Ecclesiæ per Christum: postremò, initium meæ interpretationis in 2. cap. epist. Ioan. cum ... de studio vitandi peccata, in illa verba: ... Cur adiecerim tractationem de redemtione Ecclesiæ, caussa hæc est præcipua: quia traductus fui quòd de Prædestinatione docuerim atque doceam, vt homines adigam ad desperationem: quòd nesciant an ipsi ex illorum sint numero quos doceo esse ad vitam æternam prædestinatos, néne. Contra hanc calumniam est septimum caput de redemtione Ecclesiæ. Etsi enim nego omnes in vniuersum homines esse ad æternam salutem Prædestinatos: & affirmo certum esse numerum electorum & certum reprobatorum, & quidem pauciores esse electos quàm sint reprobi, idque iuxta Scripturas: non doceo tamen hęc ita, vt homines adigam ad desperationem: cùm doceam etiam neminem debere de sui per Christum salute, ac proinde neque de sui in Christo ad salutem, æternamque vitam electione dubitare: imò omnes teneri credere se esse ex numero electorum. Quoniam autem hoc cùm alibi sæpiùs, tum speciatim & ex professo in illo septimo capite de redētione Ecclesię demonstraui: icircò vt illā me calumniā cum apud Dominos, tum apud omnes pios purgarem, tractationem hanc aliis de prædestinatione scriptis volui adiicere. Quæ verò est de excæcatione impiorū, icircò adiunxi, quòd infamatus fuerim quod docerē, Deum homines pro suo tantùm arbitrio, non propter illorum scelera excæcare. Contra hanc calumniam est caput illius tractationis tertium: vbi caussas cur Deus quos excæcat, excæcet, explico: atque doceo, caussam impulsiuam, seu à qua (vt ita loquar) mouetur Deus ad excæcandos quos excæcat, duplicem esse: Vnam in ipsis hominibus qui excæcantur: & hanc esse illorū scelera atque in primis peruicaciam contra Deum. Alteram in Deo: & hanc esse liberam ipsius voluntatem: qui cùm posse. iure omnes excæcare (in omnibus enim inuenitur caussa excæcationis) non omnes tamen excæcat, sed certos quosdam, nempe quos vult: sed id semper iustissimè, tum quia ipsius voluntas iusta semper est: tum quia qui excæcantur, iustissimā Deo suæ excæcationis caussam præbuerunt. Interpretationem porrò sectionis 1. cap. 2. Epistol. Ioann. contra aliam calumniam adiunxi. quidam enim sparserunt, me de Sanctorum fide & in ea Perseuerantia ita docere, vt sentiam & dicam, Peccatum regnans stare cū fide, hoc est, postquam semel quis accepit veram fidem à Deo & semel fuit iustificatus, etiāsi postea admittat quæuis scelera legémq Dei fetuare contemnat: nunquam tamen eū amittere fidē, sed semper manere fidelem, iustū & sanctū. Contra hanc grauissimam horrendámque calumniam, sunt multæ meæ prælectiones quas in lucem proferam, Deo volente, suo tempore: sed in præsentia volui contentus esse iis quæ docui in ista verba Ioannis: ... item, ... vbi doceo, duo esse studia in quæ Christiano homini perpetuò sit incumbendum: studium sanctitatis seu vitandi peccata, ac seruandi legem Dei: & studium pietatis seu fidei de remissione peccatorum in Christum, & per hunc in Patrem collocandæ & firmandæ: & hæc duo studia ita simul esse coniuncta, vt alterum ab altero separari non possit. Quare qui iactant se fidē habere in Christum, & interim non student legem Dei seruandæ, sed vltrò sese in omnis generis flagitia proiiciunt, in iisque perseuerant: eos iuxta Apostolum mentiri, propterea quod fieri nullo modo possit, vt fides vera à studio seruandæ legis Dei separetur. id quod idem est ac si dicam, fidem cum peccato regnante non posse consistere. peccatum enim in illis est, & dicitur propriè regnans, qui sine vlla contradictione aut repu-

antia, ex animo & plena voluntate, illius. cōcupis-, tanquam mandatis regiis, obtemperant, & obtem- semper parati sunt: id quod certè in electos & verè os nunquam cadit. Postremò adieci tractationem de a: hac de caussa: vt omnibus pateſiat, etsi doceo, to- alutem nostram ex sola Dei gratia pendere: me non n excludere à salute nostra, multa variáque media us hæc Dei gratia vtitur ad salutem vitámque æter- nobis communicandam: ac proinde me non esse Sa- nentorum, Ecclesiastici ministerij, denique bonorum nium contemtorem. Posui vero ad calcem sum- m cuiusque tractationis atque lectionis, certis thesi- s comprehensam: vt qui nolunt vel non possunt omnia a legere: saltem ex istis Thesibus, qualis sit mea doctri- a de his articulis, citò & perspicuè possint cognoscere. Iitto ad extremum depulsionem multarum calumnia- um non tantùm voce contra me sparsarū, sed etiam scri- to comprehensarum, & Dominis meis exhibitarū, aliis- ue nonnullis communicatarum. Habes mi doctissime ater, quænam ad te mittam, & quibus mittam de caus- sis. Etsi verò dolendū est vehementer, tales inter nos exci- tatas, & huc vsque, hoc est, vsque in menses 17. protractas fuisse controuersias: irasci tamen nobis minime debetis, sed potiùs pro nobis Deū orare, vt posthac tantā Satanæ vexandi nos autoritatem, sicut his 17. mensibus fecit, ne permittat, nostros etiam affectus, corda & corpora in sui amorem atque obsequium magis ac magis refingat, ita vt nihil nisi ipsius gloriam & Ecclesiæ salutem curemus. Si enim hæc duo tantū spectaremus semper omnes; procul- dubio vel nulla vnquam orirentur inter nos dissidia: vel exorta statim amicis colloquiis tollerētur. Quod si Deus velit his rationibus & veritatem suam illustriorē reddi, & nos in id genus pugnis exerceri, donet nos saltem Spiritu suæ sapientiæ & fortitudinis, hoc est, tanta sapientia forti- tudine atque constantia, vt veritatē ipsam, quæ est Chri- stus, non tantùm velimus, sed etiam sciamus & possimus non minùs sapienter quàm fortiter, aduersus carnē & san- guinem, imò aduersus principes & potestates tenebrarum harum, defendere: atque ita defendere, vt ea tandem, ex- pugnatis hostibus omnibus, sola vbique triumphet. Vale.

HIER. ZANCHII

SVPPLICATIO QVAM POST COMPOSITIONEM REVERSVS EX FINIBVS ITALIÆ, AMPLISSIMO SENATVI OFFERRE DECREVERAT: SED POSTEA, *ne denuo pax turbaretur, non obtulit: cum explicatione articulorum Concordiæ.*

QVANTA fuerit, ab eo tempore quo vester sum ciuis, mea erga vos, clarissimi Domini, obseruantia: quantúsue meus erga Scholam vestram amor: si non aliunde, hinc saltem colligere potestis: quòd cùm multæ, eæque honorificæ conditiones mihi non semel oblatæ sint, tam in Germania, quàm extra Germaniam: vos tamen semper omnibus aliis prætuli. Et licèt sæpenumero multa nimis grauia incommoda, quæ hic passus sum: inuidiæ etiam & odia multorum hominum, quæ hic sustinere coactus fui, me alio propellerēt: nunquam tamen vos, Scholámque vestram deserere potui. imò cum potuerim cum honore, & magno commodo meo, omnibus iis animi molestiis me liberare, & aliò, quò scilicet vocabar, concedere, scriptisque, & me & existimationem meam defendere: nolui tamen, cùm propter honorem ciuitatis, tum propter amorem Scholæ quidpiam horum efficere. Cæterùm æquum etiam est, vt qui vos amant, à vobis redamentur: & quibus vester honor cordi est, eorum etiam existimationem vos defendatis, aut saltem ab iis quorum interest defendi sinatis: cùm in hunc præcipuè finem datus sit vobis à Deo gladius, vt innocentum non minùs dignitatem & famam, quàm vitàm & fæculares defendatis. Nunc quorsum hæc benignè, rogo, audiatis.

Inter redeundum ex finibus Italiæ, partim ex auditis multorum sermonibus, partim ex lectis amicorum literis deprehendi duo præcipua calumniarum genera, post & propter compositionem illam, quæ inter Pastores & Professores vestros proximo mense Martio facta fuit, cùm de aliis meis collegis, tum speciatim de me, per Germaniam atque Heluetiam sparsa fuisse: nimirum me, & illâ caussâ, quæ biennium controuersia fuerat tandem cecidisse: & à priori, eáque recta, cùm de Cœna Domini, tum de Prædestinatione & Perseuerantia Sanctorum sententia, hac in articulos nouos consensione recessisse, ita vt quidam ausi fuerint dicere, mihi opus esse non noua explicatione, sed aperta & publica retractatione. Ego verò etsi non parùm dolebam has in vulgus spargi calumnias: confidebam tamen fore, vt sicut alias multas voculas, sic etiam has duas meras fuisse calumnias, omnes tandem apertè cognoscerent.

Ac quod ad primū calumniæ genus attinet, ago gratias Deo optimo & maximo, quòd cùm multi alij, tū vos prudentissimi Domini mei, optimè nostis de mea doctrinâ quid doctissimum nostrum Thomense Consiliū senserit, quid multæ celeberrimæ Academiæ, piæque Ecclesiæ iudicarint: quid denique etiam ipsi compositores ad vos, totúmque Senatum retulerint: eā nimirum neque nouā esse neque hæreticā. Quomodo verò tandem cecidi caussa: cùm ea neque vllum vnquam habitum fuerit inter partes colloquiū aut disputatio: neque vllum factum sit à Cōpositoribus iudiciū, aut pronunciata sententia? Quod autem nihil horum, quæ non solùm semper desideraui, verùm etiam non semel postulaui, nimiru vt doctrina cōtrouersa aut Scholastica disputatione discuteretur, aut amico colloquio explicaretur, aut sapientum arbitrorum iudiciis definiretur, assequi potuerim: hoc ipsum non ita ægrè fero, vt de Dominis meis vllo modo conqueri aut velim aut possim. Noui enim vestram, & totius Senatus pietatem, noui prudentiam: noui denique vestram erga ministerium Ecclesiasticum reuerentiam: ita vt sit apud me extra controuersiam, Senatum non sine rationabili caussa noluisse vt aut partes committerentur, aut certa sententia de rebus controuersis pronuntiaretur.

De conuitiis in me dictis & scriptis deq. factis iniuriis, quòd nullam vnquā quæsiuerim vindictā neque priuatam neque publicā: non est cur ideo quispiā me vilem honorisq. mei neglectorē appellet: cum hoc potius mihi maximæ ducā laudi, quod, exemplo cœlestis Patris, iniurias omnes de principio propter Christum condonarim. non enim iubet Apostolus nos esse imitatores mundi, sed Dei, qui propter Christū nostra nobis peccata nō imputat. Nihil igitur est (vt vos videtis) cur quispiā iactet, me caussā cecidisse, quæ nunquam fuit aut disputata aut iudicata.

Quod autem attinet ad alterum calumniæ genus, nempe, me mea subscriptione, à recta priori sententia recessisse: principio gratias ago Deo, quod neminem hic latet quantum & quamdiu, nimirum verè ad extremum vsque, restiterim, ne propositis articulis subscriberē: idque non propterea, quod articulos illos omnino impios esse iudicarem (imò non semel testatus sum, si habeant æquū interpretem nullius apertæ impietatis damnari posse) sed aliis multis iisque grauissimis de caussis: quarum non postrema hæc fuit, quòd metuebā ne hac mea subscriptione multi pij offenderentur, non pauci imperiti in sua imperitia confirmarentur: & alij ad me (quemadmodū iam reipsa experior) infamandū, alij ad simpliciores seducendos abuterentur. Deinde verò quòd tandem subscribere non recusarim: protestor, me id non fecisse quod vllus mihi animus fuerit, à priori, eáque recta sententia vel latum vnguem discedere: sed tantùm sincero pacis atque concordiæ studio adductum, subscripsisse. malui enim aliquam, etiam fortè meæ existimationis apud vulgus & homines malè iudicantes, iacturā facere, quàm Scholæ atque Ecclesiæ pacē cōmunionémque ego vnus inter tot tātósque viros, qui huius pacis atque concordiæ gratia ad subscribendū accesserant, impedire. Ad hoc verò illa me animabant, quæ à Dominis cōpositoribus non ego solus, sed alij quoque nonnulli mei collegæ non semel audiueramus, partem aduersam, totam quidem de Prædestinatione dē-

que Perseuerantia doctrinam, quam post S.literas D. Augustinus, Lutherus, Bucerus tradiderunt, admittere: ita vt nihil in ea superesse discordiæ inter nos, iudicarent: de Cœna verò eam quam post concordiā Bucerus scriptam reliquit, minime reiicere: nullum etiam hac subscriptione, doctrinæ controuersiæ præiudicium fieri, mihi quoque licere coram omnibus protestari: & se semper, cùm opus foret, daturos testimonium meæ protestationi. Porro ipsa protestatio quam palàm coram omnibus ad compositionem deputatis, aliisque multis grauissimis viris fecit: satis luculenter docet, me à priori doctrina nihil recessisse. fuit autem hæc. I. Me nolle vt hac mea subscriptione vllum fiat aliis Ecclesiis atque Scholis, ipsique veritati præiudicium. II. Ne quidpiam derogetur doctrinæ quam ego per octennium in hac Schola docui, quæque in meis lectionibus, disputationibus, confessionibus continetur. III. Postremò, vt mihi liceat tum hos articulos tum Confessionem Augustanam, Apologiam, & articulos concordiæ, quorum omnium in formula illa doctrinæ mentio fit, interpretari & explicare iuxta regulā verbi Dei, doctrinam Augustini, Lutheri, Buceri. Hæc fuit mea protestatio, quam etiamnum confirmo, & ratam esse volo. Postremò, formula meæ subscriptionis, annon satis liquidò indicat, verū à priori piáque sententia cum de Prædestinatione & de cœna Domini tū de aliis articulis doctrinæ Christianæ discesserim, néne? Subscriptionis formula hæc fuit: *Hanc doctrina formulam, vt piam agnosco, ita etiam recipio ego Hieronymus Zanchius.* Hac vsus sum subscriptionis formula, nō astuta malitia aut dolo: sed tātùm vt indicarem, me non aliter formulā doctrinæ recipere, nisi quatenus ego ipse piam esse illam iudicarem. Etsi enim subscribebam Confessioni Augustanæ, Apologiæ & Articulis: non scribebam tamen iuxta aliorum, sed iuxta meam, quam etiam verā & piam esse censeo: interpretationem: eademque plane est hæc subscriptio (ad sensum, in quod attinet) cum illa qua etiam alias subscripsi Augustanæ Confessioni, cum hac exceptione: *Modò orthodoxè intelligatur:* id quod quiuis vel mediocriter doctus facilè videre potest. Eò autē libētius hac subscriptionis forma vsus sum quòd illā iudicaui, tum conscientiæ meæ satis fuisse consultum: tum omnibus piis, si qui fortè (vt fieri in iis rebus solet) sinistri sermones de me spargerentur in vulgus, satisfieri: tum denique calumniatoribus omnibus ora occludi facilè posse. Ac reuera contigit id quod longè antè præuideram: multos scilicet offensum iri hac mea subscriptione, multos etiam sinistros de me sparsum iri rumores. Sunt enim qui putent me contra conscientiam subscripsisse: sunt contrà, qui iudicent, me verè priorem sententiam mutasse. Etsi igitur mea subscriptio satis apertè indicat, me à priori sententia non defexisse, ac proinde minimè etiam contra conscientiam subscripsisse: cogor tamen apertiùs eam explicare: vt si non omnibus in præsentia, vobis saltem & toti amplissimo Senatui, si qui fortè sint qui aliquid sinistri de me sunt suspicati, quod in me est, satisfaciam; & non solùm qua conscientia & mēte, sed etiam in quem sensum illam doctrinæ formulam admiserim, aperiam: ac proinde vos ipsi intelligatis, etsi, quemadmodum hactenus feci, sic etiam posthac à quæstionib. inutilibus abstinere mihi animus est: doctrinam tamē aliam me non traditurum, quàm hucusque etiam tradiderim: doctrinam inquam è sacris Scripturis haustam, Patrum testimoniis confirmatā, & cum aliorum præclarissimorum nostri temporis hominum, tum beatæ memoriæ, Martini Buceri, & aliorum huius Scholæ doctorū, Commentariis explicatam, & vestris Confessionibus consentaneam. Neque verò est cur doctrinam mutem: cùm quòd doctorum virorum iudicio, aut nouum aut hæreticum meritò appellari possit, nihil in ea adhuc sit deprehensum. Accipite igitur meæ subscriptionis explicationem.

Explicatio subscriptionis.

Hanc doctrina formulam, hoc est, eam de religione doctrinam, quæ in Augustana Confessione eiúsque Apologia, quæve in articulis Concordiæ inter Lutherum & Bucerum: quæ denique in articulis nostrorum Compositorum de Prædestinatione traditur: *vt piam agnosco*, hoc est, quemadmodum ego illam agnosco & iudico esse piam: *Ita etiam recipio*, hoc est ad eundem modum & sensum illam recipio: secus verò minimè. Agnosco autem & iudico ego eam esse piam, si ita intelligatur, quemadmodum mox explicabo. In eum igitur sensum, & non alium, doctrinam illam recipio & admitto.

Ac primum quidem, quod attinet ad doctrinam Augustanæ Confessionis eiúsque Apologiæ, de omnibus dogmatibus & articulorum Concordiæ inter Lutherum & Bucerum de Cœna: totam illam piam esse iudico, si isti obscuriores loci, quos mox subiiciam, ita explicantur vt deinceps videbitis. Quod vero attinet ad partem Confessionis Augustanæ de cæremoniis, seu externis ritibus: sicut eam maiores vestri non receperunt, ita neque ego recepi aut recipio.

ARTIC. V.

Damnantur item fanatici spiritus qui fingunt, Spiritum sanctum dari, aut efficacem esse sine verbo Dei.

Si aliquis hoc dictum ita intelligat, vt in vniuersum neget, cuipiam mortalium Spiritum sanctum contingere sine verbo audito: non recipio, quòd pugnet tum cum sacris literis, vbi legimus nonnullos, antequam audire possent verbum, fuisse in vteris etiam matrum sanctificatos: tum cum fide Christiana, qua credimus, infantes electos, cùm baptizantur, non aqua solùm baptizari, sed etiam Spiritu regenerationis donari. Si quis autem intelligat dictum hoc de adultis hominibus, & ordinariè iis scilicet Spiritum sanctum non contingere, sine verbo Dei externo auditio: pium agnosco, & vt pium recipio. Est enim fides ordinariè, & in adultis, ex auditu: auditus autem per verbum Christi, Rom. 10. Proinde iure damnantur qui aliter docent: præsertim verò qui docent, Spiritum sanctum contingere hominibus per ipsorum præparationes & opera: vt habet alia editio.

ARTIC. IX.

De baptismo docent, quòd sit necessarius ad salutem, tanquam (vt alia addit editio) *cæremonia à Deo instituta.*

Hic articulus si ita intelligatur, quasi nemo prorsus saluari queat nisi aquâ baptizetur: non agnosco pium, quòd pugnet cum sacris literis, historiisque Ecclesiasticis: si verò intelligatur aquæ Baptismus ita necessarius esse, vt qui illum contemnit, atque reiicit, saluari nequeat: articulum hunc pium esse agnosco. Cùm enim sit cæremonia à Deo instituta, & Christus mandarit omnes baptizandos: qui Baptismum respuit, mandatum Christi contemnit, & sciēs ac volens peccat: stipendium autem peccati mors est. Neque aliter intelligi debet articulus iste, si de singulis hominibus sit sermo. Quod verò ad vniuersam Ecclesiam attinet, simpliciter necessarium illum esse agnosco: cùm sine baptismo Ecclesia esse non possit.

ARTIC. X.

De Cœna Domini docent, quòd corpus & sanguis Christi verè adsint & distribuantur vescentibus in Cœna Domini, & improbant secus docentes.

Item alia editio.

De Cœna Domini docent, quòd cum pane & vino verè exhibeantur corpus & sanguis Christi, vescentibus in Cœna Domini.

Apologia verò sic:

Decimus articulus approbatus est, in quo confitemur nos sentire, quòd in Cœna Domini verè & substantialiter adsint corpus & sanguis Christi, & verè exhibeantur cū illis rebus quæ videntur, pane & vino, his qui Sacramētum accipiunt. Hanc sententiam constanter defendimus, re diligenter inquisita & agitata. Cùm enim Paulus dicat Panē esse participationem corporis Domini: sequeretur panem, nō esse participationem corporis, sed tantùm Spiritus Christi, si non adesset verè corpus Domini, & comperimus, non tātùm Romanam Ecclesiam affirmare corporalem præsentiā Christi, sed idem & nunc sentire, & olim sensisse Græcam Ecclesiam, id enim testatur Canon Missæ apud illos, in quo apertè orat sacerdos, vt, mutato pane, ipsum corpus Christi fiat. Et Bulgarius, scriptor (vt nobis videtur) non stultus disertè inquit, Panem non tantùm figuram esse, sed verè in carnem mutari.

Post recitatam Cyrilli sententiam, subdit.

Hæc recitauimus, nō vt hic disputatiené de hac re instituteremus (nō enim improbat hūc articulū Cæsarea Maiestas) sed vt clarius etiā perspicerēt, quicunque ista legēt, nos defendere receptā in tota Ecclesia sententiā, quòd in Cœna Domini verè & substātialiter adsint corpus & sanguis Christi, & verè exhibeātur cū his rebus quæ videntur pane & vino, & loquimur de præsentia viui Christi. scimus.n. quòd mors

mors ei vltra non dominabitur.

In articulis verò Concordiæ sic legimus:

1. Confitentur iuxta verba Irenæi, constare Eucharistiam duabus rebus, terrena & cælesti. Itaque sentiunt & docent, cum pane & vino verè & substantialiter adesse & exhiberi & sumi corpus Christi & sanguinem.

2. Et quanquam negant fieri Transsubstantiationem, nec sentiunt fieri localem in pane, aut durabilem coniunctionem extra vsum Sacramenti, tamen concedunt, Sacramentali vnione, panem esse corpus Christi: hoc est, sentiunt porrecto pane simul adesse & vere exhiberi corpus Christi: nam extra vsum, cùm asseruatur in pyxide, aut ostenditur in processionibus (vt fit à Papistis) sentiunt non adesse corpus Christi. (Quomodo igitur semper vbique præsens est?)

3. Deinde hanc institutionem Sacramenti sentiunt valere in Ecclesia, nec pendere ex autoritate ministri aut sumentis. Quare sicut Paulus ait, etiam Indignos manducare: ita sentiunt porrigi verè corpus & sanguinem Domini etiam indignis & Indignos sumere vbi seruantur verba & institutio Christi. Sed tales sumunt ad iudiciũ, vt Paulus ait: quia abutuntur Sacramento, cum sine pœnitentia & sine fide eo vtantur. Ideò enim propositum est, vt testetur, illis applicari beneficia Christi, & fieri eos membra Christi, & ablui sanguine Christi, qui agunt pœnitentiam & erigunt se fide in Christum.

Duo sunt præcipua capita in verbis tum Confessionis Augustanæ, tum Apologiæ, tum articulis concordiæ inter Lutherum & Bucerum de Cœna Domini, mihi, quomodo ea probare, aut non probare possim, explicandæ: Vnum est de Præsentia corporis Christi in Cœna, alterum, de Manducatione Indignorum.

Ad primum quod attinet: ego articulum Augustanæ Confessionis de præsentia corporis Christi in Cœna, quatenus à Papistis (vt refert Apologia) confirmatus fuit: nullo modo probare possum, propterea quod articulum illum non alia de caussa probarunt Papistæ, quàm quod iudicarunt ibi statui eam corporis Christi præsentiam, quam & ipsi fingunt, nempe quæ fit per mutationem substantiæ panis, in substantiam veram corporis Christi. Proinde quòd etiam Apologia probare videtur sententiam præsentis Romanæ & Græcæ Ecclesiæ de corporali præsentia Christi: Ego minime probare possum: quod vtraque sentiat non aliter corpus Christi esse præsens, quàm per transsubstantiationem. Quare non immeritò mentio canonis, vbi sacerdos orat vt panis fiat corpus Christi: & sententia Bulgarij quæ dicit, Panem in carnem mutari, in posterioribus Apologiæ editionibus sublatæ sunt. Deinde etiam non probo neque pium esse agnosco, si quis talem præsentiam corporis Christi imaginetur, vt illud dicat sua naturali substantia, seu (vt loquuntur Scholastici) secundum suum Esse naturale, aut esse vbique diffusum atque extensum, aut è cœlo in locum vbi celebratur Cœna, descendere, & se pani ita vnire, vt vere localiter, inclusiuè, aut vlla alia ratione physica, in pane, sub pane, vel circa panem esse dicatur: quòd hæc talis præsentia pugnet cum natura corporis Christi, & cum articulo fidei, *Ascendit in cœlos.* Si quis vero verba Confessionis Augustanæ & Apologiæ de præsentia corporis Christi in Cœna, ita interpretetur, vt sentiat corpus Christi ideò verè & substantialiter dici adesse seu esse præsens in Cœna, non solùm, quia mentibus fidelium præsens est, dum ab illis verè & realiter, fide percipitur: sed etiam, quia vnà cum Symbolis, in rei veritate omnibus offertur: articulum Confessionis & Apologiæ de Præsentia corporis Christi vera & substantiali, pium esse agnosco: & vt pium recipio. Rem enim aliquam tunc dicimus esse nobis præsentem, cùm sese nobis aliquomodo communicandam præbet, à nobis participatur, etiamsi non paruo loci interuallo à nobis distet: quemadmodum in Sole videre est. Cum supra nostrum hemisphærium est, tum dicimus eum nobis, hoc est, sensibus nostri corporis, verè & substantialiter esse præsentem. quamobrem? quia suum verum & substantiale corpus, & per illud suum splendorem atque calorem nobis communicandum præbet, & nos reuera participes illius simus. cùm vero ad aliud hemisphærium progressus, nobis seipsum non ampliùs communicat: tum dicimus, illum abesse & absentem esse. Et concionator dicitur præsens esse omnibus illis, à quibus videtur & auditur, tam illis qui propiùs, quàm illis qui magis è longinquo illum vident atque audiunt. Quibus exemplis perspicuum fit, magnum esse discrimen inter alicuius rei præsentiam aut absentiam: & inter eiusdem rei localem propinquitatem aut longinquitatem. Præsentia, est ipsa rei quæ præsens esse dicitur communicatio, siue res illa sit propinqua loco, siue procul distet ab eo cui communicatur. Absentia, est priuatio communicationis alicuius rei, etiamsi loci interuallo propinqua sit ei, cui non communicatur. Est autem extra controuersiam, verum & substantiale corpus Christi non solùm mentibus fidelium in Cœna communicari & ab ipsis sua manu atque ore, hoc est, fide, recipi & manducari, tametsi cœlo nõ moueatur: verùm etiam omnibus cœna communicantibus, verè & secundum suam substantiam offerri.

In hunc igitur sensum inficiari non possum, quin corpus Christi in Cœna sit verè & substantialiter præsens. Hoc etiam modo meam de Præsentia corporis Christi sententiam coram ipsis quatuor Theologis compositoribus explicaui, eáque recepta fuit. Tametsi igitur in caussa religionis abhorream à locutionibus & vocibus exoticis, hoc est, quæ in Scripturis non vsurpantur: propter concordiam tamen non damno has voces & locutiones, quibus tum confessio Augustana, tum ipsa Apologia vtuntur: nempe corpus Christi *vere* (vt habet confessio) *& substantialiter* (vt addit Apologia) adesse, seu præsens esse in cœna: dummodo eo, quẽ declaraui, modo explicetur. Sic etiam Bucerus post concordiam, cum alibi tum in confessione de cœna, dictata in hac Schola Argentinensi anno 44. hunc Augustanæ Confessionis, de Præsentia corporis Christi & substantiali in Cœna, articulum interpretatus est.

Ac primùm non esse præsentem, quatenus eius corpus sit vbique diffusum docet, Propositio vigesima: [DEFINITVM autem corpus Domini, & non vbique diffusum, credere & fateri Scriptura præcipit, quæ verum hominem prædicat, & ascendisse supra omnes cœlos, & ita rediturum, vt ascendit.]

Deinde non esse præsentem, quatenus corpus in locum vbi celebratur cœna, è cœlo descendat, & ita se vniat pani, vt sit in pane, circa panem, sub pane: docet Propositio decimaoctaua: ABSVRDA, inquit Bucerus, & dissentanea fidei quæ hic occurrunt, suggesta à ratione carnis: sic repello. Corpus & sanguinem Domini, Dominum ipsum, Ita in sancta Cœna exhiberi, percipi, adesse, vt nec moueatur loco, nec includatur loco, nec distrahatur locis, nec commisceatur aut alligetur Symbolis vlla ratione huius seculi, nec attingatur sensu vel ratione: non fiat cibus ventris: nõ patiatur aliquid huius Mũdi. Ad ipsum enim, in re, sola mens, subleuata fide, pertingit. His postremis verbis docet etiam illud quod supra dixit, Corpus Christi in Cœna præsens esse non corporibus aut sensibus nostris: sed tantùm fidelium mentibus, quod ipsæ solæ suo ore, hoc est, fide illud percipiant.

Postremo, ideo dici verè adesse, quia & omnibus in Cœna vere comedendum offertur, & à fidelium mentibus vere percipitur. docet propositio 22. VERVM quia etiã satis, faciendum est omnibus Christianis: quod me attinet, de mea circa hoc mysterium fide si incido in aliquem qui vereretur me non satis plene confiteri exhibitionẽ & præsentiam Domini in Cœna: Ego illi simpliciter expono quod sentio: VERE AC RE IPSA dari ac percipi hic, eóque vere adesse corpus & sanguinem Domini; ac verum corpus, id scilicet quod traditum est pro nobis, & verum sanguinem, nimirum qui pro peccatis nostris effusus est. siquidem ex institutione Domini celebretur Cœna sacra, & verbis quibus sese exhibet, fides solida habeatur.

Alibi quoque eadem tradit, in Confessione anni 50. proposit. 20. Est enim præsentia hic Christi (siue verbo ea tantum, siue etiam Sacramentis offeratur aut testificetur) non loci, non sensus, non rationis, non terræ, sed Sp. fidei, cælorũ: quatenus in hos per fidẽ subuehimur, & collocamur cum Christo, eúmq. in cœlesti sua maiestate apprehendimus & complectimur, eúmque speculo & ænigmate verborum & Sacramentorum sensibilium, iudicatum & oblatum.

Item prop. 22. Doceantur igitur dociles, præsentiã Christi in cœna nullam haberi, nisi in legitimo eius vsu, & quæ fide sola tum apprehenditur, tum tenetur.

Itẽ prop. 33. Definio igitur præsentiã, quæcunque à nobis percipitur vel Sacramẽtis, vel ex verbo Euangelij tantùm esse apprehensionem & fruitionem Christi Dei & hominis, vt nostri capitis regnantis in cœlis, & manentis atque viuentis in nobis, quam nulla ratione huius seculi, sed fide percipimus ipsam, & fruimur oblatã verbo & Sacramentis. præsens enim dicitur secundum aliquam eius, cui quis præsens dicitur, perceptionem.

Item prop. 39. Si quis vellet per *Adesse* Dominum realiter & substãtialiter, intelligere, eũ percipi fide, re ipsa & substãtiã eius, darẽ: sin aliquid præsentiæ huius seculi vellet iis vocib. admiscere, negarẽ: reliquit, n. Dominus mundũ huc.

Iuxta has Buceri explicationes, articulũ de vera & substantiali præsentia corporis Christi in Cœna, pium agnosco, & vt pium recipio. Sum autem protestatus, me velle, vt mihi liceat Augustanam Confessionem & Apologiam, & articulos Concordiæ, interpretari iuxta regulam verbi Dei, & explicationes cùm Augustini, tum etiam Buceri.

Denique ita interpretati etiam nuper mihi esse videntur Illustrissimi Principes & Status Imperij Numburgi, in Præfatione ad Cæsar. Maiestatem. ibi enim ad verbum sic habetur: *Ac ne in suspicionem apud quenquam veniamus, quòd reiecta transubstantiatione, veram præsentiam corporis & sanguinis Christi in Cœna negemus, testamur, non esse aliam sententiam nostram, quàm quòd in Cœna Domini nostri exhibeatur & sumatur verum corpus & verus sanguis Christi, iuxta verba Euangelij, Accipite, comedite, hoc est corpus meum, & quòd Christus in instituto Cœnæ suæ vsu, verè viuus, realiter & substantialiter præsens sit, & cum pane & vino iuxta institutionem suam nobis Christianis suum corpus & sanguinem exhibeat.*

Notandum quod aiunt, Christum præsentem esse in vsu Cœnæ à se instituto. Ergo docent, præsentiam Christi in Cœna pendere ab vsu seu à perceptione, & in vsu seu in ipsa perceptione positam esse: ac proinde Christum eatenus esse præsentem, quatenus eo vtimur, hoc est, illum percipimus. percipimus autem fide: hic est enim vsus Cœnæ institutus à Christo, vt scilicet cum accedimus ad mẽsam, non solùm panem manu accipiamus: sed simul etiam fide vera credamus, corpus Christi traditum esse pro nobis, & sanguinem fusum in remissionem peccatorum: & illud corpus, illúmque sanguinem nobis fruendum offerri & exhiberi iuxta verba, Accipite, comedite: & hoc credẽtes, ipsum corpus & ipsum sanguinem Christi fide percipiamus & nobis incorporemus, nósque vicissim illi: nam qui accedunt sine vera fide ad Cœnam, non eá iuxta institutionem Christi vtuntur, sed abutuntur. Si autem est præsens in vsu Cœnæ suæ à se instituto, & non in abusu: non est iis igitur verè præsens, qui etsi ad mensam accedunt, & panem accipiunt, fide tamen vera præditi non sunt, idcóque corpus Christi non recipiunt. Idcirco prudẽter in articulis Concordiæ dicitur: *Patres illos non sentire, quod extra vsum adsit corpus Christi.* Qui ergo Cœna abutuntur, non habent propriè corpus Christi præsens. Ac certè videntur mihi Illustrissimi Principes illa sua explicatione ita sentire: eatenus præsens nobis esse corpus Christi in Cœna, quatenus nos Christi Cœna vtimur, non abutimur: hoc est: quatenus non tantùm panem accipimus, sed etiam iuxta institutionem Christi, corpus ipsum Christi & sanguinem, pro nobis mortuum & effusum, fide apprehendimus & nobis applicamus. Si ita intelligant, iuxta hanc explicationem, articulum de reali, vera & substantiali præsentia corporis Christi, pium agnosco.

Ad alterum caput quod attinet: Augustana Confessio tantùm habet, quòd corpus & sanguis Christi verè cum pane & vino distribuantur vescentibus in Cœna. Hæc verba ita interpretor: quemadmodum cum verbo Euangelij verè omnibus qui illud audiunt, exhibentur à Christo inuisibiliter ea quæ verbo significantur, licet nullo loco moueatur: ita cum pane & vino, in ipsa Cœnæ actione, ea quæ iis repræsentantur, corpus scilicet & sanguinem Christi, licèt loco non moueantur, verè tamẽ à Christo ipso, omnibus qui pane Cœnæ vescuntur, inuisibiliter exhiberi. Sed quemadmodum in prædicatione Euangelij, licèt omnibus qui verbum audiunt, res ipsæ percipiendæ exhibeantur, non omnes tamen res ipsas percipiunt, sed illi tantùm qui vera fide verbo credunt: ita in actione Cœnæ, licèt omnibus, qui signa percipiũt, res per illa repræsentatæ, offerantur participandæ: non omnes tamen, sed illi tantùm qui vera fide præditi ad mẽsam accedunt, res ipsas, hoc est, corpus & sanguinem Domini percipiunt, & verè comedunt. Et iuxta hunc sensum articulum hunc pium agnosco.

Apologia idem planè habet: corpus nimirum & sanguinem Christi, verè cum illis rebus quæ videntur, pane & vino exhiberi *Iis qui sacramentum accipiunt.* Non ait percipi ab iis omnibus qui Sacramentum accipiunt: sed *Exhiberi.* Discrimen igitur facit inter *Exhiberi,* hoc est, offerri percipiendum, & inter Percipi.

In articulis autem concordiæ scribitur: *Etiam indignos sumere & manducare* (nẽpe corp⁹ Christi) *sed tales sumere ad iudiciũ: quia sine pœnitentia & fide Sacramẽto vtantur.*

Quatuor sunt hominum genera, qui ad mensam Domini accedere possunt: Quidam sunt planè impij & infideles. Si quis igitur nomine Indignorum intelligat homines plane infideles atque impios: & hos, si ad mensam Domini accedunt, sentiat cum pane verum etiam Christi corpus accipere & manducare: doctrinam hanc probare non possum, quòd de iis nullo modo loquatur Apostolus, cùm ad Corinthios Christianos scribens ait, *Qui mãducat indignè, iudicium sibi manducat.* Si quis tamen hos dicit manducare corpus Domini, quatenus panis Cœnæ, quem manducant, propter vnionem Sacramentalem corpus etiam Domini appellatur: locutionem hanc impiam esse, minimè agnosco. Sunt alij contrà plane pij & vere fideles, qui etsi labuntur nonnunquam in peccata: dolent tamen & resipiscunt, studéntque perpetuo sanctitati & innocentiæ neque accedunt ad mensam Domini, nisi & cum vera resipiscentia & conscientia probata & fide excitata, mẽtéque attenta: hos verè accipere & manducare corpus Domini, idque ἀξίως & ad salutem, extra controuersiam est. Sunt alia duo hominum genera media. Quidam sunt qui cùm fidem tantùm habeant vel planè mortuam, vel temporariam, etsi illa fide vtcunque videntur credere tum toti verbo Dei, tum speciatim verbis Cœnæ verè tamen non credunt, cùm & flagitiis vel manifestis vel occultis scateant, & pœnitentiam non curent. Si quis igitur nomine indignorum hos intelligat: ac sentiat hos sua mẽte, & per suam illam non veram fidem, corpus Christi vtcunque manducare, hoc est, in os mentis ponere & degustare, non autem in ventriculum cordis ad salutem traiicere ac retinere, idcóque iudicium potius, quàm corpus Christi propriè sibi manducare: doctrinam hanc haud agnosco esse impiam: cùm & Apostolus de omnibus qui erant in deserto, scribat, omnes eandem escam spiritualem, nempe Christum (iuxta multorum interpretationem) manducasse, nimirum sua quenque fide: qui vera, eos verè & ad salutem: qui non vera, eos non verè, ideóque Sacramentotenus (vt loquitur Augustinus) & ad cõdemnationem manducasse. ac proinde etiamsi omnes eandem escam spiritualem, sed diuerso fidei genere manducarunt: non omnes tamen probatos fuisse Deo. Si de iis quis velit intelligere articulum hunc, cùm dicitur in articulo concordiæ, illos sine fide vti Sacramento: intelligendum est, sine fide vera & viua. Postremò sunt qui etsi verè pij sint, veráque & viua fide præditi crassioribúsque vitiis & grauioribus sceleribus non se facile sinant contaminari: in reliquis tamen peccatis vitandis, & Christiana vita traducenda, remissius agunt: & cùm in leuiora labũtur peccata, non admodum illis punguntur: proinde cùm accedunt ad mensam Domini, accedunt quidem cum fide vera, sed non satis excitata, nec satis discussa conscientia: neque satis attenta mente considerant quid illud sit quod accipiunt, & in quem finem Sacramentum illud sit institutum, nimirum non ad alendum corpus, sed ad fidẽ in Deum, & charitatem in proximum excitandam, conseruandam, augendam: id quod Paulus vocat, *Non diiudicare seu discernere corpus Domini,* hoc est, non satis dignè æstimare dignitatem, vsum, finem illius Sacramenti in quo corpus Domini exhibetur. Si quis igitur nomine indignorum hos fideles intelligat, sentiátque hos verè accipere & manducare verum corpus Christi, sed ad iudicium, hoc est, non ad condemnationem quidem æternam, sed ad castigationem temporariam, articulum hunc pium esse agnosco. de iis enim propriè loquebatur Apostolus, cùm dixit, inter Corinthios esse qui indignè manducent: ac proinde illos à Deo iudicari, h.e. puniri & castigari, ne cum hoc mundo damnentur. vbi apertum facit discrimen inter κρίμα & κατάκριμα, atque inter κρίνεσθαι & κατακρίνεσθαι cum ait: κρινόμενοι δὲ ὑπὸ κυρίου παιδευόμεθα, ἵνα μὴ σὺν τῷ κόσμῳ κατακριθῶμεν. Et pœnarum aliquot species enumerans, quibus illos qui edebant indignè, Deus Corinthi castigauerat, nullam ponit pœnam æternam, sed tantùm temporariam, dicens, *Ideo inter vos multi imbecilli & inualidi: & dormiunt multi.* Nomine igitur indignè sumentium, Apostolus non intellexit homines planè impios aut hypocritas: nã omnes isti condemnãtur cũ hoc mundo: sed intellexit fideles, verùm solutioris vitæ. Proinde si de illis intelligatur articulus, cùm ait, [Hos sumere quidem & comedere corpus Domini, sed ad iudiciũ, quòd sine pœnitentia & sine fide vtantur Sacramento, intelligo nõ absolutè sine vlla omnino pœnitentia & sine vlla omnino fide, sed sine actuali & digna pœnitẽtia, sinéq. actuali & satis excitata, exercitataq. fide. Sic etiã propter alios Bucerus interpretatus est hũc articulũ, cũ alibi, tũ in Confessione anni 44. dictata in hac Schola. cùm conclusisset, iis solis præsens esse corpus Domini, qui fidem solidã habeãt

verbis

Christi: *mox subdet propos.23.* qui enim institutum & verba Domini reiicit, is etiā actionem Domini reiicit. At quia etiam ij qui verbis ui credunt, alij Christum Dominum religiosè accipiunt, alij secus: fit vt Sacramenta alij etiam vt Sacramenta, atque ideo Dominum ipsum percipiant dignè: alij indignè, vt Corinthij, quos Apostolus correptos propterea à Domino morbis & morte testatur.

Impiorum rationem haberi hic reiicimus: quanquā is admirabili suo iudicio nonnunquam impios etiam tempus fide donet, vt Christum in ænigmate percipiāt, degustent vt Euangelium, ita etiam Sacramenta ipsa. Matth.23. Heb.6. At qui prorsus nihil habent fidei, iis verba Domini quibus se in Cœna exhibet, ludibrio sunt: Vt ergo illi nihil adferunt ad hæc, quàm sensum & rationē, quæ ad ista mysteria non pertingunt: ita nihil quoque cernunt, nihil attingunt in hoc ænigmate & speculo huius sacramenti, præter hoc quod sensibus patet.

Item in altera Confessione, propositio. 49. Qui planè impij sunt, eos nihil Christi sumere ex sacra Cœna, dico. Qui credunt, nec tamen rectè diiudicant hunc cibū: (vt Corinthij quidam ab Apostolo culpantur) vt hos non possum negare Christum fide, quam habēt, in Cœna percipere: ita non dixerim, eos Christum manducare: postquam fidem non ritè hic exercent suam religiosa tantorū mysteriorum diiudicatione, quæ est spiritualis cibi huius manducatio. similes enim tales sunt iis, qui sumtum ore cibum vel non mandunt & in ventriculum demittunt: vel demissum in ventriculum non concoquunt, aut mox vel paulò pòst reiiciunt.

Neq; aliter illustrissimi Principes mihi explicare videntur articulum hunc in Præfat. ad Cæsar. Maiestatem: sic enim scribunt: *Et quòd Christus cum pane & vino iuxta institutionem suam nobis Christianis suum corpus & sanguinem exhibeat.* Non aiūt omnib, etiam planè impiis: sed *Nobis Christianis corpus Christi exhiberi.* Quatenus igitur Christiani sumus, verè exhibetur, & nos verè percipimus ac manducamus: si non veri, neque verè (hoc est efficaciter) aut ille exhibet, aut nos recipimus: Iuxta hos sensus, etiam ab indignis corpus Christi sumi & manducari, agnosco piam esse doctrinam Quia verò nulla mentio fit vel in Confessione, vel in Apologia, vel in articulis cōcordiæ, Oralis (vt quidam vocant) manducationis: iccircò neque ego illam admitto. Si quis tamen propter Patres qui aliquando his locutionibus vsi sunt, dicat verum corpus Christi manibus tangi, & ore etiam corporis manducari: & explicet id dici propter vnionem Sacramentalem, qua fit, vt, quod propriè conuenit pani, attribuatur etiam impropriè corpori Christi: (sicut etiam per communicationem ἰδιωμάτων dicimus, Deum esse passum) cum hoc non ego contendero: neque talem locutionem vt plane impiam damnauero, modò (vt dixi) addat explicationem. Iuxta hanc meam explicationem, doctrinā de Cœna, quæ tam in Confessione Augustana & Apologia, quàm in articulis Concordiæ habetur, piam esse agnosco, & vt talem recepi, atque recipio.

ARTIC. XI.

Damnant etiam Anabaptistas, qui negant, semel iustificatos iterum posse amittere Spiritum Sanctum.

Hic articulus, si de Electis, veréque iustificatis, déq. totali (vt ita loquar) Spiritus regenerationis amissione intelligatur, doctrinam hanc admittere non possum, quòd pugnet cum S. literis, Patribus etiam, Luthero, Bucero, & aliis nostri seculi doctissimis viris, quemadmodum satis copiosè atque perspicuè in mea Confessione vobis exhibita, demonstraui. Si verò intelligatur de Electis quidem & verè iustificatis, & de amissione Spiritus, sed nō totali: non improbo: sum enim ingenuè in mea Confessione fassus, in Electis verè iustificatis, cùm peccant ex aliquo consensu, languescere & labefactari fidem, & alia dona Spiritus sancti: quanquam nunquam penitus ea deficiat, aut prorsus extinguatur. Si autem de Reprobis ac temporariis, qui & ipsi ob temporariam fidem iustificati esse dicuntur, sermo hic fiat: doctrinam hanc simpliciter admitto, eos scilicet tandem omnem, etiam quam videntur habere fidem, penitus amittere, iuxta illud: *Et qui non habet, etiam id quod videtur habere, auferetur.*

ARTIC. XII.

De confessione peccatorum docent, quòd absolutio priuata in Ecclesiis retinenda sit.

Hunc articulum sicut non damno: sic neque simpliciter probo. Improbo verò si quis sentiat, necessarium esse vt in Ecclesiis omnibus retineatur priuata absolutio.

ARTIC. XX.

Quòd ibi scribitur, *Promissiones gratiæ esse vniuersales,* si intelligatur quo ad prædicationem, quòd scilicet omnibus prædicentur & prædicandæ sint, & nemo per verbum Dei à promissionibus excludatur, imò quòd quisque illas fide amplecti iubeatur: doctrinam hanc vt piam recipio. Si verò quis ita intelligat, Promissiones esse vniuersales quo ad propositum Dei, & quo ad illarum complementum: non accipio, quòd pugnet cum verbo Dei. Apostolus enim docet in Epistola ad Rom. nō omnes esse filios promissionis, neque omnes vocati secundum propositum Dei: sed tantùm Electos: neque omnium esse fidem, sed tantùm Electorum. Non igitur cōplementum promissionis ad omnes, sed tantùm ad fideles pertinet. Fides autem vera datur à Deo gratis, Electis tantùm. Quare ad Electos tantùm pertinent promissiones.

Quod ibi etiam scribitur de *Peccato mortali,* & alibi sæpiùs ea vox repetitur: etsi non libenter vtor hac Scholastica voce, propterea quòd omnia peccata suapte natura sunt mortalia, hoc est, adferunt mortem, piis autem omnia sunt venialia propter fidem in Christum, qua præditi sunt, quia non imputantur illis ad condemnationem: tamen non damno simpliciter hanc vocem: sed ad eius vocis vsum adstringi nolo.

Quod etiam ibi, in capite De bonis operibus habetur: [Qui non repugnant vitiosis affectibus: sed obtemperant eis contra mandatum Dei, & admittunt actiones contra ipsam cōscientiā: ij sunt iniusti, & neq. Sp.S. neque fidem, id est, fiduciam misericordiæ retinent. Nam in iis qui delectantur peccatis, nec agunt pœnitentiam, ne potest quidem fiducia exsistere quæ quærat remissionem peccatorum.] Hoc dictum si quis fortè interpretetur de Electis & verè iustificatis, veràque & iustificante fide præditis, idq. asseueranter, quasi id quod hic scribitur, ipsi quoque Electi admittant, ideoque penitus fidem amittant: non agnosco pium esse dictum: quòd electi verè iustificati semper aliquo modo repugnant affectibus vitiosis, delectantur peccatis, semperque cùm labuntur, labuntur per infirmitatem: & mox, etiam post lapsum, dolent se esse lapsos, & resurgunt, aguntque pœnitentiam: proinde non amittunt penitus fidem, propter huiuscemodi lapsus & peccata ex infirmitate admissa.

Si verò de non Electis, neque verè iustificatis, quique non habent veram & iustificantem fidem intelligatur: vt piè dictum recipio, quanquam admitto. etiam in verè piis, cùm peccatum ex aliquo consensu licèt per infirmitatem admittunt (vt Petro contigit cùm volens negauit Christum) etsi fides non penitus deficiat: illam tamen mirum in modum languescere. Est autem de omnibus piè dictum, si conditionaliter accipiatur, sicut reuera accipiendum est.

Hæc in parte Augustanæ Confessionis prima, quæ est de dogmatibus & doctrina fidei. Quod in epilogo primi exemplaris, editi anno 31. continetur, *Nihil esse doctrina apud nos, quod discrepet ab Ecclesia Romana, quatenus ex scriptoribus nota est: sed dissensionem esse de quibusdam abusibus:* non recipio. Est enim dissensio de multis præcipuis capitibus Christianæ religionis.

Quod attinet ad ipsam Apologiam: præter ea quæ suprà notauimus in articulo de Cœna, in articulo etiam de Iustificatione, in responsione ad argumenta aduersariorū cū explicatur locus Pauli *Si habuero omnem fidem, charitatē autem non habuero:* ita legitur: *Quare si quis dilectionem abiecerit, etiamsi habet magnam fidem: tamen non retinet eam: non enim retinet Spiritum sanctum:* si affirmatiuè de fide temporaria & de iis qui eam habent, intelligatur dictum illud, vt pium agnosco ac recipio: secus si de vera & iustificante fide. Qui enim hanc habent, non abiiciunt prorsus dilectionem, ideóque nec fidem. Conditionaliter tamen verum est dictum illud in omnibus.

ARTIC. IX.

Nonus articulus approbatus est, in quo confitentur, quòd Baptismus sit necessarius ad salutem.

Quia idem articulus est in ipsa Augustanæ Confessione: ita hic sicut & illic interpretor.

Neq. pertinet promissio salutis ad illos qui sunt extra Ecclesiam Christi, vbi nec Verbum nec Sacramenta sunt, quia regnum Christi tantum cum verbo & Sacramentis est.

Si quis articulum hunc ita intelligat, quasi promissio

salutis nullo modo pertineat ad eos, qui, licèt sint è numero electorum, tamen baptizati non sunt, neque verbum audierunt: doctrinam hanc non recipio. pertinet enim promissio ad Electos omnes: vnde & filij promissionis appellantur: Roman. 11.

Si vero ita vt dicamus, pertinere quidem ad Electos in ipsa electione, sed nondum reipsa, seu nondum ipsa promissionis consecutione, admitto.

Item quod ait, *Regnum Christi cum verbo & Sacramentis tantum esse*, si ita intelligatur, vt nullo modo ad regnū Christi pertineant electi qui nondum verbum audierunt, nec Sacramenta perceperunt: non agnosco doctrinam hanc vt piam: Sed si ita, vt de promissione salutis etiam dixi: admitto.

De confessione & absolutione.

Quare impium esset, ex Ecclesia priuatam absolutionem tollere. Neq. quid sit remissio peccatorum aut potestas clauium, intelligūt, si qui priuatam absolutionem aspernentur.

Si quis hæc verba ita accipiat, vt sentiat illas Ecclesias quæ priuatam absolutionem in templis non retinent, impie agere: non subscribo. neque enim assentior necessarium esse vt talis priuata absolutio in Ecclesiis habeatur aut retineatur. Si quis verò ita intelligat, non eam esse omnino damnandam, aut ex Ecclesiis, vbi iam obtinet, tollendam: sententiam hanc minime improbo.

De Missa.

Initio hoc iterum præfandum est, nos non abolere Missam sed religiosè retinere ac defendere.

Quia (sicut initio etiam ego præfatus sum) in eam partem Augustanæ Confessionis & Apologiæ, quæ est de Ceremoniis, non consensi prorsus: ideirco hic articulus de Missa nihil ad me pertinet.

De vocabulis Missæ.

Scimus veteres loqui de orationibus pro mortuis: quam nos non prohibemus.

Ego orationes pro mortuis simpliciter probare non possum, quod nullum testimonium aut exemplum in Scripturis habeam: præsertim si vocem orationis propriè accipias, non autem pro gratiarum actione.

Cōsensus inter Theologos & profess. res in Ecclesia & Schola Argentinensi: factus anno Domini M. D. LXIII. die XIIX. Martij.

[Duo sunt præcipue capita controuersiæ, inter Pastores Ecclesiæ & Professores Scholæ Argentoratensis exortæ: alterum de Cœna Domini, alterum de Præscientia & Prædestinatione Dei.

Quod ad Cœnam Domini attinet: pius consensus constitutus est, vt pariter in Schola & in Ecclesia conformiter aliis piis Ecclesiis & verbo Dei, iuxta Augustanam Confessionem an. 1530. Imperatori Carolo V. a principibus & aliis quibusdam Imperij Rom. ciuitatib. exhibitam, & adiunctam Apologiam, Numburgi ab electoribus & Principibus Imperij denuo subscriptam, doceatur. Eaque sit norma & regula totius doctrinæ non tam de Cœna Domini, quam & reliquis articulis omnibus, ex verbo Dei sincero & incorrupto, in Scholis & Ecclesiis docendi.

Ad tollendam vero de sententia commemoratæ Confessionis in negotio Cœnæ dissensionem: cum vtraq. pars veram & substantialem præsentiam corporis & sanguinis Christi credat, & confiteatur, quæ cum pane & vino exhibentur, & in Cœna vescentib. distribuuntur. ne diuersitas formularum loquendi contentionem aliquam pariat, placuit vt formulam Concordiæ inter Martinum Lutherū, & Martinum Bucerum piæ memoriæ, Saxonicarum & superioris Germaniæ Ecclesiarum ministros initam, omnes in docendo sequantur.]

Quòd initiò huius consensus habetur, vt Augustana Confessio sit norma & regula totius doctrinæ: intelligo vt sit norma totius doctrinæ de Articulis qui ibi explicantur, & Carolo V. Imperatori fuerunt propositi: ne scilicet aliquid diuersum ab illis rectè intellectis doceatur. Cæterum hic non prohibetur quin ipsa sacra Scriptura, sicut in se est, sic nobis debeat esse sola regula totius Christianæ doctrinæ de omnib. articulis, qui in Ecclesia & Schola Christi proponi debent. Eodem modo intelligo id quod ibi sequitur, formulam scilicet de Cœna docendi eam sequendam esse, quæ fuit facta inter Martinum Lutherum & Martinum Bucerum. Hoc ita intelligo, vt (quo ad eius fieri potest:) iis vtamur locutionibus, sed in eum sensum, quem exposui, intellectis & explicatis. Neque aliter interpretor eam, quæ de Prædestinatione formula sequitur, vt videlicet secundùm illam iuxta sacras literas explicata, pariter in Schola & Ecclesia doceatur. Sic autem ego illā piā esse iudico, si ita explicetur quemadmodū sequitur.

De præscientia & prædestinatione Dei, secundùm formulam sequentem pariter in Schola & Ecclesia doceatur.

De Prædestinatione.

I. Quæcunque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt: vt per patientiam & consolationem Scripturarū spem habeamus. Rom. 15.

Hic est vnus finis cum conditarum rerum omnium, tū reuelatarum Scripturarum: salus scilicet Electorum: sed alter, itque præcipuus, est gloria Dei, quemadmodū Paulus alibi docet. Proinde in primis semper, tum cùm docemus tum cùm scribimus, tum cùm aliquid aliud agimus, quærenda est gloria Dei: secundo vero loco, salus Electorum: etiamsi inde reprobi maiorem sumant sibi occasioné sese perpedi. Neque enim doctrina, qua gloria Dei illustratur, ideo dissimulanda est: quia illa reprobi magis atque magis indurantur & pereunt. cum etiam ipsorum perditio ad Dei gloriam faciat. Neq. aliter docuit Paulus. Quanquam hoc etiam verissimum est: nihil in Scripturis de reprobis dici, quod, sicut ad gloriam Dei, sic etiā ad salutem Electorum non faciat: vt etiam Rom. 11. patet. Quare verum est simpliciter: *Quæcunque scripta sunt. ad nostram, nostrùm scilicet Electorum doctrinam scripta esse.*

II. Omnis igitur docendi ratio, cum in Schola, tum in Ecclesia ita instituenda est, ne aut cum doctrina pœnitētiæ pugnare, aut conscientiis afflictis consolationem & spem suam adimere videamur.

Doctrina sacrarum Literarum, sicut de reliquis articulis, ita etiam reuera de Prædestinatione Sanctorum, & impiorum reprobatione: minime pugnat cum pœnitentia: nec afflictis conscientiis veram adimit consolationem, imo maxime & illam confirmat, & hanc adfert. Est igitur tota S. literarum doctrina ita tradenda atque explicanda, sicut etiam est à Spiritu sancto tradita in sacris Bibliis, vtut reprobi ea offenduntur, quia semper electis prodest. Quātum vero nobis, salua doctrinæ veritate, licet: semper ita sermo instituendus est, vt hic articulus docet.

III. Constat autem ex verbo Domini, æternam Dei esse præscientiam: qua res omnes præsentes habeat. coram ipso enim nihil præterit aut futurum est. *Ita est.*

IV. Sic quoque est æterna Dei Prædestinatio, quæ ad Electos pertinet: facta prius quam mundi fundamenta iacerentur, Rom. 9. Ephes. 1.

Prædestinatio propriè de Electis dicitur: sed quin etiam æterna reproborum ad suum finem destinatio, Prædestinatio dici possit: articulus non negat, cùm Augustinus, & alij post illum Patres, in hunc sensum ea voce sæpenumerò vtantur.

V. Hæc autem cum sit abyssus, & extra Christum considerata in præcipitium inferni ducat, non nisi in Christo quærēda est, sicut scriptum est: Elegit nos in Christo, priùs quam mundi fundamenta iacerentur. Ephes. 1.

Hoc ita certum est, vt qui vnquam id negauerit, sciam inter Christianos neminem.

VI. Eo igitur modo quærenda est, quo nobis à Christo reuelata est.

Hoc etiam est ita perspicuum, vt id negare nemo possit.

VII. Est autem in verbo Euangelij reuelatum æternum Dei decretum, Sicut vniuersum humanum genus per peccatum in iram Dei & indignationem incurrit, ita quotquot in Christum filium Dei & hominis pro peccatis totius mundi passum credunt, gratiam Dei & vitam æternam consequantur.

Hic non definitur illud æternum Dei decretum de certis hominibus in Christo saluandis, quod Prædestinationé appellamus, & de quo Rom 8. Ephes. 1. & alibi (in illo enim ipsa quoque fides, & quidquid ad salutem pertinet, continetur) sed explicatur decretum de modo quo voluit & vult Deus vt Euangeliū prædicetur. & sic docuit Christus atque Apostoli, & inter alios Paulus prioribus quinq. capitibus ad Romanos, de decreto verò quod est Prædestinatio. cap. 8. 9. 11.

IIX. Promissiones igitur cùm sint vniuersales, quibus Deus hanc gratiam suam offert, ideo nemo seipsum excludat, sed eum pariter omnes peccauerimus, omnes ex æquo, salutem oblatam apprehendamus.

Vniuersales sunt promissiones, quia vniuersis hominibus ex æquo proponuntur & proponendæ sunt. Ideo autem vniuersaliter proponuntur & proponendæ sunt, vt vniuersi fide illas recipiant, & quidem illas fide amplecti vniuersi & singuli homines iubentur. Si quis igitur se ab illis, quasi ad se non pertineant, excludat, suo id facit vitio & peccat. Non negat tamen articulus quin ad solos electos reuera pertineant promissiones de æterna vita: quia ipsi soli reipsa eas fide à Deo donati, tanquā ad se pertinen-

nces recipiunt, vt Paulus docet ad Rom.

Verissima & summa afflictarum conscientiarum atio, eáq. vnica, in iis promissionibus cóprehẽsa olt: go, nolo mortẽ peccatoris. Conuertimini & agite entiã ab omnib, iniquitatib. & non erit vobis in iuiquitas. Ezech. 18. Et Christus: Venite ad me omnes boratis & onerati estis, & ego reficiam vos. Matth. 11. ica appellatur consolatio: quia in hoc summa Euanposita est, quòd Deus in verbo reuelato nolit morpeccatoris (qui se agnoscit peccasse, & cupit salutem) magis vt conuertatur, nempe ad Christum: & viuat, nium per Christum. Non negat autem articulus quin us velit mortem etiam peccatorum eorum, qui vel se nquam agnoscunt peccatores: vel, si aliquo modo agno ant, non sitiunt tamen salutem, ideoque nec conuertũr ad Christum. Soli autem electi conuertuntur, & quidẽ Dei gratia: soli reprobi non conuertuntur, & quidem suo irio. Deus autem ab æterno vtrunque prauidit. Non negat igitur Articulus. Deum ab æterno electorum tantùm oluisse salutem, impiorum vero iustum interitum.

X. Fides autem, qua oblatam Dei hanc gratiam vniuersaliter omnibus promissam accipimus, gratuitum Dei dónum est, mera Dei misericordiâ nullo operum nostrorum respectu data, sicut scriptum est: Vobis donatum est pro Christo non solùm vt in eum credatis, sed etiam vt pro illo patiamini. Philip. 3.

Quidquid autẽ nunc dat Deus vel non dat, ante mundi constitutionẽ se daturũ vel non daturum præsciuit ac præfiniuit. Deum igitur, ante mundi constitutionem, constituisse fidẽ dare quibusdam, hoc est, illis quibus dat, & quibusdam non dare, illis nimirum quibus non dat: negari minime potest. Quare iste articulus statuit certũ numerum Electorũ, quibus donanda erat fides, & per fidem vita æterna: & certum numerum reproborum, quibus fides non erat donanda, ideó que nec vita æterna.

XI. Quòd autẽ hæc gratia, siue hoc donum fidei non omnibus ẽ Deo datur cùm omnes ad se vocet, & quidẽ pro sua bonitate serio vocet, Venite ad nuptias, omnia parata sunt, arcanũ est soli Deo notũ, nulla ratione humana peruestigabile, mysterium tremendũ & adorandũ, sicut scriptum est. O altitudo diuitiarum. Rom. 11. Et Christus gratias agit Deo patri, quod hæc absconderit à sapientibus, & reuelarit paruulis. Matt. 11.

Duo hic sunt explicanda: & quòd Deus omnes seriò vocet: Et quòd caussa, cur Deus, cùm omnes vocet, non omnibus tamen dat fidẽ, arcana sit & soli Deo nota. Ad primum quod attinet: quanquam illud *Seriò* in Scripturis nõ inuenerio: non tamen dãno, sed intelligo (sicut intelligendu est) quo ad voluntatẽ reuelatam: quatenus scilicet externa Euangelij prædicatione ita omnes ad se vocat Deus, vt neminem excludat, nemin que illudat: quasi verò aliquẽ vocet, quem postea, si vocanti assentiatur, nolit ad se atque in gratiam suã recipere. Cæterùm quo ad arcanã voluntatem: non omnes eodem proposito & in eundem finem à Deo vocari, negari non potest, nisi quis velit contra Apostolum negare, quosdam & non omnes vocari secundum propositum. cùm enim ait Apostolus Ro. 8. Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, iis qui secundũ propositum vocati sunt sancti: duplicem esse Dei vocationem: vnã secundùm propositũ. & hac vocari electos: alteram non secundùm propositum, & hac vocari etiã reprobos: & illos quidem, vt salui fiant, hos verò, vt reddantur inexcusabiles, cùm & ipsi ita externa prædicatione vocentur, vt si vocati non assentiantur & ita non seruentur, id suo ipsorum planè fiat vitio.

Quod verò ad alterum attinet, illud intelligo de remota & vltima caussa. nam quo caussa proxima & immediata, ea manifesta est in Scripturis: næpe ideò, licèt omnes vocantur, non omnibus tamen donari fidem, quia non omnes sunt electi, neque omnes sunt ex Deo. *Multi enim sunt vocati, at pauci electi.* & *Qui ex Deo est, verbũ Dei audit. Propterea vos non auditis: quia ex Deo non estis.* Item, *Sed vos non creditis, quia non estis ex ouibus meis.*

Cæterum quia specialis caussa, cur hos elegerit, & illos non elegerit, soli Deo nota est: cur autem detur alicui fides, & alteri non detur, id pendet ab electione: Iccirco articulus ait, Caussam cur donũ fidei non omnibus detur à Deo, cùm tamen omnes vocentur, arcanã nobis esse, soli verò Deo notam, & mysterium tremendũ. Et in hunc sensum, dictum illud piùm agnosco, & vt pium recipio.

XII. Itemq. afflictæ conscietiæ in volũtatẽ Dei, in Christo reuelatam respiciunt, qui omnes peccatores ad se vocat. Hoc autẽ officium est nostrum: vt, cùm vocamur, minimè quæramus de nobis sit voluntas Dei arcana, inuestigemus: sed in voluntatem reuelatam intenti, vocationem sequamur, certi ac persuasi, nos serio hoc est, secundũ propositum, & sine vlla illusione ad salutis in Christo communionem vocari: alioquin iniuriam DEO insignem fecerimus ni ita credamus.

XIII. Neque verò propterea dicendus est Deus velle peccatum: dũ peccatorum voluntatem & viam non semper impedit, sed permittit eos in peccatis perseuerare. Verè enim Deus odit peccatũ: cuius autor est diabolus: qui in veritate non permansit, Ioh. 8.

Illud *velle* pro approbare, & de voluntate reuelata intelligendum esse, docet ratio quę subditur: *Verè enim Deus odit peccatum.*

Cæterum peccatum contingere contra absolutam DEI voluntatẽ, quasi inuito Deo aliquid fiat, articulus non docet: imò contrariam verámque sententiam confirmat, cum ait, *Deum peccatorum voluntatem & viam non semper impedire.* non impedit igitur, quia non vult impedire: ac proinde nihil fit contra omnipotentissimã eius voluntatem, licet multa fiant contra illam DEI voluntatem, quæ nobis semper in omnibus actionibus spectanda est atque sequenda.

XIV. Deus autem horribiliter peccato irascitur, prohibet, & iram suam omnibus transgressoribus Legis suæ minatur. Non es Deus volens iniquitatem. Odisti omnes qui iniquitatem operantur. Psal. 5.

Hoc est certissimum: proinde semper cauendum est ne peccemus. & ad hoc studium vocant nos omnes Scripturæ. *Hæc scribo vobis* (inquit Ioannes) *vt ne peccetis.*

XV. Ea autẽ est Dei bonitas, vt malo quod permittit, bene & ad nominis sui gloriam vti possit: sicut scriptum est. In hoc excitaui te, vt ostendã in te virtutẽ meam, & vt annuntietur nomen meũ in vniuersa terra. Rom. 9. Exod. 9. Item quando peccatum peccato punit Rom. 1.

Duo hic tradit articulus I. Quod Deus mala permittat II. Quòd illis bene vti possit pro bonitate. Quod ad primũ attinet: intelligo Deum non ita permittere mala quasi otiosus tantùm sit spectator eorũ quæ fiunt: sed ita permittere, vt ipse sua omnipotente manu omnia in omnibus operetur, vt Scriptura docet. nõ quidẽ quatenus mala, hoc est, peccata sunt, sed quatenus actiones quædã sunt, & pœnæ aliorum peccatorum, hominibus, bonas Dei in se actiones, sua malitia, contaminantibus & in peccata sibi vertentibus. Et sic esse intelligendum hunc articulum docet tum locus Pauli de Pharaone, tum illud dictum Quod Deus puniat peccata peccatis.

Quod ad alterum: intelligo, Deum ita posse vti malis ad suam gloriã, vt reipsa semper vtatur. Quare non loquitur articulus de potentia Dei otiosa, sed de potentia actiua, hoc est, qua reipsa agit, & moderatur omnia.

XVI. Neq. vero peruersè quis colligat inde, sese vas irę esse à Deo ad interitum formatum & præparatũ, qui deceptus à Satana & carne sua, sese multis peccatis polluit: quum potius illud Apostoli consideret: Si quis emendarit se ab istis, erit vas in honorem sanctificatum, & vtile domino, ad omne opus bonum paratum. 2. Timoth. 2.

Hunc articulum ita intelligo, & ita intellectum probo, quod nemo etiãsi videat se labi in peccata, debeat existimare se esse vas iræ, aptatum ad interitũ, & ideo peccare, quasi sit tale vas: hæc enim opinio & impia est & perniciosa: Impia, quia e Scripturis, quæ solæ sunt spectandæ, nemo colligere potest, se esse vas iræ aptatũ ad interitum: proinde qui ita cogitat, peccat in verbum Dei. Perniciosa, quia & licẽtiã & desperationẽ adfert, ideóq. ad interitum ducit. Sed cõtra debet quisq. sibi persuadere, se esse prædestinatũ vt sit vas in honorẽ: ac proinde pro virib. conari ne se peccatis polluat, sed tot' in hoc incũbat, vt imaginẽ Dei perditã quæ posita est in iustitia & sanctitate vera, recuperet: atq. hac ratione debet, tũ sibi tum aliis apertè declarare, se vas esse honoris & non contumeliæ. Est igitur cùque vitanda dubitatio de sui electione, multò magis perniciosa & impia opinio, quod sit ex numero reproborum.

XVII. Nec sibi quisque propter electionis gratiam, quã in se ipso senserit, ita adblandiatur, vt in peccata & scelera contra conscientiam ruat, sed Apostoli admonitiones semper ob oculos positas habeat, Si secundum carnẽ vixeritis, moriemini. & iterũ, Nolite errare, Neque scortatores, neque idolis seruientes, neque adulteri, neque molles, neque fures, neque auari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces, regnum Dei possidebunt. 1. Corinth. 6. Gal. 5. Huc eiusdem Apostoli dictum pertinet: Qui existimat se stare, videat ne cadat, 1. Corinth. 10. Et iterum, Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore, vt obediatis concupiscentiis eius, Rom. 6.

Hic articulus prudenter superiori fuit annexus: sicut enim abigenda est inopia dubitatio de sui electione, ita etiam vitanda est perniciosa carnis securitas: quam securitatē nostræ carnis ingenium (quod rebus omnibus bonis in Spiritus perniciem, quoad eius potest, abuti solet) concipit nonnunquam ex pia cognitione de nostri electione ac salute. Est igitur cum certitudine nostræ salutis & electionis coniungendus timor de nobis ipsis, & in arcē securitatis spiritus, vbi tuti in promissionibus Dei conquiescimus præcludendus est aditus securitati carnis, quæ nos in omne genus flagitia nostrapte natura nimium propensos, præcipitare nonnunquam solet. Articulus igitur ille, etiamsi prohibeat securitatem carnis non damnat tamen securitatem Spiritus & fidei. Atque hoc modo doctrinam hanc vt piam agnosco atque recipio.

XIIX. Qui enim concupiscentiis obediunt, fidem, quæ fiducia est in misericordiam Dei per Christum & in Christo promissam, excutiunt, & Spiritum sanctum amittunt: ac tam diu sub tyrannide peccati sunt, donec pœnitentiam agant, & per Spiritum Christi iterum erigantur.

In priori exemplo, quod mihi fuerat legendum, antèquam subscriberetur, exhibitum, ita habebat ad verbum, vti hic est descriptum: proinde cùm etiam reprobi multi, fide quadam donentur, simili admodum fidei Electorum, articulum hunc tam de electis, quam de reprobis intelligebam. Si igitur hæc propositio tam de Electis, quam de reprobis conditionaliter intelligatur, sicut cetera conditionalis est, simpliciter verissima est atque certissima: nimirum, quod si quis, (quisquis ille sit siue electus, siue reprobus) vere & iuxta propriam verbi significationē, obedit concupiscentiis, hoc est ex animo destinataque malitia peccat, amittit fidem, & Spiritum sanctum, a quo sanctificabatur, penitus excutit: atque propterea quod fides cū huiusmodi flagitiis nullo modo consistere potest. Cæterum non hinc consequitur, sicut reprobi temporarij huiusmodi scelera admittunt, ita electos eadem quoque admittere. Si vero absolute ater intelligatur, posse nimirū tam Electos quam reprobos concupiscentiis obedire, fidem amittere, & Spiritum sanctū excutere: vera quidem esse affirmo: sed non eodē modo de vnis quo de alteris intelligenda esse dico: cum magnū discrimen sit, primum inter fidē qua Electi, & inter eam qua reprobi a Deo donantur: deinde discrimē cū sit inter peccata in quæ labuntur Electi, & inter illa quæ admittunt reprobi, seu inter illorū & istorū obedientiam, qua dicū tur obedire concupiscentiis: ac proinde postremò, maxima cùm sit differentia inter illam amissionem qua Electi, & inter illam qua reprobi dicuntur amittere fidem & Spiritum sanctum. Ac primum quidem, fides Electorum est vera & viua, ideoque & perpetua: Reproborum vero, etiamsi nonnunquam similis admodum fidei Electorum esse videatur, temporaria tamen est (vt in Euangelio docet Christus) ideoque nec vera nec viua. Et Electi donantur Spiritu vere regenerante: reprobi vero primitus quibusdam huius Spiritus: sed nunquam verè & perfectè regenerantis.

Deinde impij reprobi vere obediunt concupiscentiis peccati in se regnantis: quia illud amant, illi sine vlla contradictione obtemperant, eoque planè delectantur, vt ideo cupiant, æternum viuere (vt ait D. Gregorius) quo possint sine fine peccare, seu peccato in æternum seruire: Electi vero, etiamsi nonnunquam admittant ea, ad quæ à peccato inhabitante impelluntur, idque ex aliquo consensu: minime tamen propriè peccati concupiscentiis obedire possunt, peccatum enim non amant, sed odio habent, illique semper repugnant spiritu: atque ita repugnant, vt perpetuum sit eis bellum cum peccato, vt Paulus docet, perpetuam esse pugnam in piis inter carnem vbi inhabitat peccatum, & inter spiritum vbi inhabitat Spiritus Christi & regnat. Proinde verbum illud, *obedire concupiscentiis*, cùm ad electos transfertur *καταχρηστικῶς* intelligendum est: peccato enim obediunt vt tyranno, non vt regi, ideoque partim volentes, partim nolentes obediunt. Postremo electi nunquam penitus amittunt fidem, hoc est, illam vim à Spiritu sancto infusam, qua cum toti verbo Dei, tum speciatim Euangelio Christi credunt, eóque fiduciam de certa peccatorum propter Christum remissione, concipiunt: non amittunt inquam penitus: quod Deus in illis perpetuo semen fidei conseruet: tum propter promissiones suas hac de re factas, tum propter precationem Christi: amittunt autem ex parte nonnunquā, nempe cùm actu peccant: præsertim ex consensu, licet non pleno. quomodo? quatenus per consensum in peccatum, cum ille actus fidei seu fides actualis, quæ fiducia est de remissione peccatorum omnium, plane è mente expellitur & euanescit: tum ipsa virtus fidei concutitur & languescit, atque infirmatur: quemadmodum cùm à terræ motu & fulmine, tum tectum domus decidit, tum fundamentum concutitur & debilitatur. Reprobi vero omnē penitus fidem illam quam habebant temporariam, amittunt, iuxta illud. *Et qui non habet, etiam id quod videtur habere, auferetur:* Quatenus igitur articulus ille de reprobis intelligitur, nomine fidei & fiduciæ intelligo fidem & fiduciam temporariam, ideóque non veram. Nomine vere Obedientiæ intelligo propriè obedientiam illam, qua ex animo & tota voluntate concupiscentiis peccati tanquam mandatis proprij & amati regis sine vlla repugnantia obtemperatur: ac proinde etiam nomine Amissionis fidei intelligo totalem totius fidei amissionem. Atque iuxta hunc sensum piā esse propositionem sicut semper docui, ita etiam nunc fateor.

Quatenus vero de Electis intelligi potest, piam esse agnosco iuxta hunc sensum, quòd cum peccant, præsertim ex consensu, fidem hoc est, actualem (vt explicat articulus) fiduciam amittant, cùm actus peccati ex consensu admissi consistere nequeat cum actuali fiducia de remissione peccatorum: fidei autem vim non penitus quidem amittant, sed tamen ita concutiant & labefactent, vt nonnunquam penitus extincta fere esse videatur, hæc verò denuo excitatur ad nouum fiduciæ actum, noua verbi prædicatione, & Sacramentorū administratione aliisque mediis, quibus vtitur ad excitandam in cordibus Electorum fidem. Atque iuxta hunc sensum propositionem hanc etiam cum de Electis intelligitur, piam esse, vt semper noui, ita etiam nunc agnosco, & vt piam recipio.

Quia vero primo exemplari horum articulorū, postea additæ fuere hæ duæ voces, *viua & vera* (id quod, cum ad subscriptionē accederetur, me prorsus latebat) & ita legitur, *fidem, quæ est fiducia viua & vera amittunt*. in solis autem Electis vera & viua potest esse fides: idcirco de Electis tantum hunc articulum video esse intelligendum. Quomodo autem, si de Electis intelligatur, agnoscam illum esse pium, iam explicatum est: primū quidem, si conditionaliter intelligatur: deinde si etiam sine conditione, quatenus Electi propterea actualem consensum in peccatum, tum actualem fiduciam de remissione peccatorum planè excutiunt: tum ipsam fidei virtutem, etsi non penitus amittant, ita tamen concutiunt, vt mirum in modum debilitetur & languescat. Ita vero intelligendū esse articulum, docet etiam postrema particula. *Et tandem manent sub tyrannide peccati, donec per Spiritum Christi iterum erigantur.* Intelligit igitur electos vna cum sua fide cū peccant concidere quasi in lucta cum peccato, atque ita concidere vt resurgere nequeant, nisi per Sp. sanctum denuo erigantur. Sic etiā Lutherus loquitur, *Obtinente fide, peccatum* scilicet actuale, *euanescere: obtinente vero peccato fidē iacere*, nimirum quasi vulneratam atque prostratā. In hūc igitur sensum articulum hunc vt pium recepi.

XIX. Cum autem duplex finis sit doctrinæ & disputationis de Prædestinatione: alter, vt gratia Dei, qua iustificamur sola, contra vires humanas & liberi arbitrij asseratur, in qua sententiā D. Augustini, Lutheri, & Buceri scripta extant: alter, vt in lucta carnis & Spiritus firmam consolationem afflictæ conscientiæ habeant, videlicet salutē nō in suis ipsorum, quibus facilè exripi posset sed Christi manibus cōsistere, sicut scriptum est Oues meas nemo rapiet è manu mea Ita in vtroque oratio cōponenda est, ne aut altius euolemus quàm reuelata in Christo voluntas Dei permittat: aut nimirum eam deprauemus, quo viribus humanis vel modiculum tribuatur.

Totum hunc articulum simpliciter vt pium agnosco, & vt pium recipio: præsertim si nomine reuelatæ voluntatis nil aliud intelligatur, quā (sicut intelligendum est) ipsum Dei verbum in Scripturis reuelatum. Atque eò magis piū agnosco, quod probant D. Augustini, Lutheri, & Buceri scripta de Prædestinatione.

XX. Quapropter phrases duriores in Scripturis non vsurpatas, quibus partim etiam Ecclesiastici scriptores veteres & neoterici vsi sunt, vel declinemus prorsus, vel ita temperemus, ne in commemoratos scopulos, Pelagianismi aut Epicuræismi impingamus.

Salutare consilium. Neque ego aliter vnquam faciendum esse iudicaui.

XXI. Parcè etenim & admodum sobriè hoc summum salutis nostræ mysterium in Scriptura traditur, passim verò & in omnibus locis reuelata voluntas, quæ absconditæ contraria non est, proponitur: ad quam omnes homines reuocantur, in qua etiam tutissimum est acquiescere.

Dictum

Dictum hoc intelligo comparatiuè: doctrinam, nimirũ de Prædestinatione, partè in Scripturis tradi, prout reuelata voluntas, hoc est, doctrina legis, & veræ, quam à nobis Deus exigit, pœnitentiæ inculcatur. Cæterùm non totam de Prædestinatione, Reprobatione, Prouidentiáque Dei doctrinam, quæ in sacris literis traditur, his articulis contineri manifestum est. Si igitur aliquid præter hos de Prædestinatione articulos è sacris literis docuero, minimè cõtra hanc formulam me docuisse testatum volo.

Habetis hic, obseruandissimi Domini, non tam subscriptionis meæ, quàm totius illius doctrinæ, in quam nuper consensi, explicationem & confirmationem. Ex quibus facilè vobis patet, me noua illa subscriptione neque priori caussa cecidisse, neque priorem sententiam tam de Cœna Domini, quàm de Prædestinatione & Perseuerantia Sanctorum mutasse, neque quidquam contra propriam conscientiam fecisse.

Ego verò principiò vobis testor, me serio pacis studio adductum, cum illis tribus exceptionibus quas paulò antè commemoraui, in hanc quã modò explicaui doctrinæ formulam ex animo consensisse: quòd si æquum habeat interpretẽ, nullã mihi sapiat hæresin aut impietatem: ac proinde illam denuo subscriptionem meam eadẽ ratione confirmo. Deinde promitto, me (quemadmodum hactenus etiam feci) & vsurum ea diligentia simul & dexteritate in docendo, quæ Christianum Theologum decet: & veræ paci atque concordiæ pro mea parte eam daturum operam, quam non tantùm vos, sed Dominus ipse Iesus Christus à me postulat. Atque ita vtrunque promitto, vt etiã paratus semper futurus sim pœnas libenter dare, nisi & doctrinæ à me traditæ, & totius officij mei, vbicunque opus fuerit, rationem reddidero. Tantùm hoc à Vobis peto, vt mihi per vos liceat liberè tum sacras literas interpretari, tum Christiana dogmata quæcunque occurrerint explicare, tum meas tam interpretationes quã dogmatum explicationes in Scholis (vt semper moris fuit) publicis disputationibus defendere: & si quidem contrà sentiant alij, iubeantur priùs amicè mecum agere, applicationésque & rationes meas audire, quàm ad accusationes decurrant: & si accusent, cogãtur accusationes probare, & mecum aut in amicam collocutioné, aut in Scholasticam disceptationem venire: neque permittantur quæ in Schola sunt inter doctos discutienda, ea ad indoctam plebem indiscussa deferre otiosè proponere, & tanquam iudicata damnare: & erga nos idem vsurpetur, quod etiam maiores vestri aduersus Papistas statuerunt anno M.D. xxxix. (vt certissimus rerum vestratum testis piæ memoriæ, Iohannes Sleidanus scriptum reliquit libro historiæ sexto) nimirum vt qui alterum improbet & impia docere dicat, neque caussæ cognitionem admittat, hoc est, neque in colloquium, neque in disputationem venire velit cum aduersario, is docendi munus posthac ne exerceat. Sunt hæc omnia quæ peto & rogo, vt videtis, iustissima atque æquissima. Quæ si à vobis impetrem, & ego libenter vobiscum manebo, & vos (vt confido) vel nulla posthac, vel certè diuturnã videbitis inter vestros professores dissidia. Si verò non possim hæc impetrare: quia per conscientiam non possum alia ratione hic esse, cùm bona vestra venia, actis priùs gratiis pro vestra erga me beneuolentia atque humanitate multisque præstitis beneficiis, honestam peto missionem. Dominus Iesus vos suo Spiritu sapientiæ & fortitudinis atque iustitiæ semper regat.





HIER. ZANCHII

MISCELLANEORVM
LIBER SECVNDVS.

THESES ALIQVOT HIERONYMO ZANCHIO, ARGENTINAE, cùm ibi Theologiam profiteretur, à quibusdam obiecta, atque partim vt noua, partim vt hæretica damnata: ab Academiis verò & Ecclesiis aliquot, doctisque & piis Theologis in Germania, partim vt probabiles, partim vt pia & orthodoxa, datis & scriptis suis iudiciis comprobata.

I.
De fine seculi.



Q V O T O die, vel quoto mense, vel quoto anno, vel quoto seculo futurus sit finis Mundi, & redituruS Dominus, neque vlla certa scientia, neque vllis certis coniecturis cognosci ab vllo mortalium potest.

II.
De Antichristo.

Etsi reuelatum est iampridem regnum Antichristi, quisque in illo primatum tenet & regnat, verus est Antichristus: dicere tamen, sub finem seculi insignem quendam, & omnium iniquitate excellentissimum, verum & perfectum Antichristum, qui etiam miracula edat, venturum esse, non pugnat cum sacris literis.

III.
De signis finis seculi.

Dicere, pro conciliatione loci Luc. 18. Putas cum veniet filius hominis, inueniet fidem in terra? cum loco Pauli Rom. 11. Nolo vos ignorare mysterium hoc, quòd cæcitas etiam ex parte contigit in Israel, donec plenitudo gētium aduenerit, & sic omnis Israel saluus fiet: dicere inquam, pro conciliatione horum duorum locorum, quòd, dum regnabit ille summus & vltimus Antichristus, propter ipsius tyrannidem parum fidei reperietur in terra: sed post illum occisum spiritu oris Christi, copiosa Iudæorum multitudo ad Christum sit conuertenda (id quod fit per fidem) & quòd tunc futura sit multa fides in terra: non est contra verbum Dei.

IV.
De Prædestinatione.

Certus est apud Deum, tum electorum ad vitam æternam, tum reprobatorum & ad interitum prædestinatorum, numerus.

V.

Sicut electi ad vitam perire non possunt, ideóque saluantur necessariò: ita quoque, qui ad vitam æternam prædestinati non sunt, saluari non possunt: ideóque necessariò damnantur.

VI.

Qui semel electus est, non fit, nec fieri potest reprobus.

VII.

De vinculis quibus colligamur Christo & Ecclesia.

Duo sunt vincula, quæ ad hoc, vt Christo & Ecclesiæ verè colligemur, prorsus necessaria sunt: vinculū æternæ electionis in Christo, & vinculum Spiritus Christi, ideóque fidei in Christum. Atque hæc duo primò interna sunt & inuisibilia, deinde indissolubilia.

VIII.

Duo vincula sunt, quibus Ecclesiæ (quo ad externam eius faciem attinet) coniungimur: professio doctrinæ Christi, & participatio Sacramentorum. atque hæc primùm externa sunt, & visibilia, deinde dissolubilia: quatenus potest quis & ipsam doctrinam reiicere & ipsa Sacramenta respuere.

IX.
De fide.

Electis in hoc seculo semel tantùm vera fides à Deo datur: & qui ea donatus est (præsertim de adultis loquor) eam in seipso sentit: id est, certò cognoscit & sentit se verè credere.

X.

Electi semel vera fide donati, Christóque per Spiritum sanctum vere insiti, fidem prorsus amittere, Spiritum sanctum omnino excutere, & à Christo excidere penitus non possunt, idque tum propter promissionem Dei, tum propter Christi precationem: neque tamen hinc sequitur, vel pœnitentiam negari, vel licentiam concedi.

XI.

In electis regeneratis duo sunt homines, interior & exterior. Ij cùm peccant, secundùm tantùm hominem exteriorem, id est, ea tantùm parte qua non sunt regeniti, peccant: secundum verò interiorem hominem nolunt peccatum, detestantur peccatum, & condelectantur lege Dei: quare non toto animo, aut plena voluntate peccant.

XII.

Petrum, cùm negauit Christum, defecit quidem fidei confessio in ore: sed non defecit fides in corde.

XIII.
De promissionibus.

Promissiones de gratuita Dei misericordia, déque certa & æterna salute etsi vniuersaliter omnibus proponuntur, & prædicandæ sunt, ad ipsos tamen tantùm electos reipsa pertinent.

XIV.

Quare cùm Paulus ait, Deus vult omnes homines saluos fieri, si quis illam vocem *Omnes* restringat ad electos, in quocunque hominum ordine sint: item si illud 1. Iohan. 2. Christus est propitiatio pro peccatis totius Mundi, interpretetur pro electis vniuersis, per totum orbem dispersis, aut dispergendis, non deprauat Scripturas.

ACA-

ACADEMIAE ET ECCLESIAE MARPURGENSIS, CUM DE OMNIBUS HISCE ZANCHII Thesibus in genere, tum speciatim de illis, quæ sunt de Fide, déque Perseuerantia Sanctorum in fide, Iudicium.

THESES.

De fide Electorum.

ELECTIS in hoc seculo semel tantùm vera fides à Deo datur. Et qui ea donatus est (præsertim de adultis loquor) eâ in seipso sentit: id est, verè cognoscit & sentit se verè credere.

2. Electi, semel vera fide donati, Christóque per Spiritũ verè insiti: fidẽ prorsus amittere, Spiritũ S. omnino excutere, & à Christo excidere penitus non possunt: idque tum propter promissionem Dei, tum propter Christi precationem. Neque tamen hinc sequitur, vel pœnitentiam negari, vel licentiam concedi.

3. In electis regeneratis duo sunt homines, interior & exterior. Ij cum peccant, secundum tantùm hominem exteriorem, ea tantũ parte qua non sunt regeniti, peccant: secundum verò interiorem nolunt peccatum, detestantur peccatum, & condelectantur lege Dei: quare non toto animo, aut plena voluntate peccant.

4. Petrum, cùm negauit Christum, defecit quidem fidei confessio in ore: sed non defecit in corde.

ACADEMIÆ ET ECCLESIÆ Marpurgensis

De hisce Thesibus Iudicium. August. 15. Anno 1561.

OBseruandum ante omnia, in humanæ salutis negotio Deum hoc progredi ordine:

1. Primùm, antequam iacerentur fundamenta mundi, semel elegit seu prædestinauit in Christo, quos voluit: solo adductus beneplacito voluntatis suæ, vt laudetur gloria gratiæ suæ. Ephes. 1.

2. Semel ab æterno electos, Deus, vbi nati sunt, quocúque vitæ tempore ipsi visum fuerit, vocat, & quidem per verbum: quo ratio cõsequendæ per Christũ salutis proponitur. Quæ vocatio itidem contingit non propter opera nostra, sed secundũ Dei propositum & gratiam, quæ data est nobis per Iesum Christum ante tempora æterna. 2. Tim. 1. Præcedens ab æterno electio, vocationis in tẽpore caussa est. 3. Verbo de salute per Christũ, quicũq. toto assentiũtur animo: ij dicũtur credere & fidẽ habere. Rom. 10. Sed hæc ipsa fides, vera, inquam, atque firma, donum Dei est. Eph. 2. Nõ n. omniũ est fides. 1. Thess. 3. Sed vere credunt, quotquot ad vitã æternam sunt ordinati. Act. 13. Itaque ex electione ab æterno facta, etiam fides perfecta pendet.

4. Hac fide homines iustificãtur, idq. item gratis, per Dei gratiã, p redẽptionẽ, quæ est in Christo Iesu: quẽ proposuit Deus recõciliatorẽ per fidẽ, interueniẽte ipsius sanguine.

5. Eadẽ fide & in ea iustificatione accipiunt electi Spiritũ S. qui ipsos sanctificat, singulari modo gubernat ipsorum actiones: denique certiores facit, quod sint filij Dei, ac proinde hæredes Dei, & cohæredes Christi. Rom. 8. Eph. 1.

6. Porro iustificati atque donati Spiritu sancto, postremũ gloriam adipiscuntur æternam. Quæ omnia breuissimè nouit Apostolus Rom. 8. Quos Deus prædestinauit, eosdem & vocauit: & quos vocauit, eos & iustificauit: quos autem iustificauit, eos & glorificauit.

Iam vero quæstio est An tales, quando in hoc vitæ cursu peccant, fidem illam veram, qua in vocatione pridẽ sunt donati prorsus amittant? An acceptũ Spiritum S. à se excutiant: denique, an à Christo omnino excidant? De hac quæstione difficili sanè, vt pro modulo nostro quàm simplicissime, & quoad eius dabitur, secundum mentem Scripturarum respondeamus, necesse est a nobis expendi:

1. Qualia in electis deprehendantur peccata: & quomodo iidem ad peccandum inducantur.

2. Qualia sint admissorum peccatorum in electis effecta.

Quod ad priorẽ partem attinet, extra controuersiã est, electos atq. sanctos, quantũlibet Deo chari sint, frequenter tamẽ peccare. Rom. 3. Psal. 24. 53. Rom. 5. Ps. 31. 1. Ioh. 1. Prou. 24. Liquidò insuper cõstat, cõtra vtrãq. Decalogi tabulam ab electis peccata fœdissima designari. Petrus, quãdo post promissam & iactatã cõstantiam in cõfessione, Christũ nõ semel & apud plures, vixq vllo adhuc ante oculos posito periculo negauit: in legis diuinæ priorẽ Tabulã deliquit grauissimè. David posterioris Tabulæ præcepta plura trãsgreditur, dũ & lõgo tempore perstat in adulterio, & circũspectiuè quo pacto scelus suum posset tegere, euocatum Vriam ad vxorem accedere iubet. Cum autem & hac parte se falli cerneret, innocentem hominem & fidũ ministrum curat interfici. Hæc peccata si quis extenuare quouis modo conetur, vehementer & is peccauerit.

Sed enim si, quomodo electi ad peccandũ adducantur, libet inquirere, magnum discrimen inter electos, & eos qui non sunt de electorum numero, comperiemus. In eum nãnq. qui nõ est electus, nec verè regeneratus, quãuis externa confessione doctrinæ atq. cõmuni Sacramentorum vsu sit insitus Ecclesiæ, semper aliquod ius habet princeps huius seculi, Spiritus malus. Quamobrẽ & facile impellit eũ ad omnis generis flagitia, vt seruiat concupiscẽtiis carnis: & quæcunque carni ac menti libent, magna alacritate perficiat. Eph. 2. Itaq. Iudæ, auaro aliòqui & furi, suggessit, & citò persuasit, vt Dominũ ac Seruatorẽ suũ hostib. pderet, Ioh. 13. Atqui in electo ac regenerato, quẽ Christ⁹ ex potestate diaboli eripuit, lõgè aliud spectare nos oportet. Si quidẽ in regenerato Apostol⁹ Ro. 7. (vbi oẽs eruditi consentiũt, Apostolũ de seipso proferre exẽplum: aut certe, in psonã pij & electi cuiuspia dicere omnia (duos ait cõsistere homines: internum, qui est à regeneratione: externum qui fuit antè regenerationẽ, ac post ẽt manet. Quãdocũq. igitur elect⁹ ad peccandũ siue à Satanæ, siuoà propriæ carnis cõcupiscẽtia tẽtatur: statim duo illi in ipso homines certamẽ acerrimũ ineũt, atq. intern⁹ homo, quoniã habet Spiritũ S. ac delectatur lege Dei, hortari & extimulare hominẽ nõ desinit, vt legi Dei vsq seruiat neq. mẽbra sua iniustis actionibus vnquã accõmodet. Ex aduerso externus homo, quoniã habet carnem, ac delectatur lege peccati, quæ est in mẽbris homini interno atq. Spiritui omnib. viribus repugnat, & nihil nõ molitur quo hominẽ ad peccandũ impellat. In hoc igitur certamine quãdo electus homo peccatũ cõmittit, tum externus ei⁹ homo aduersus internũ quãtumlibet reluctãtem, præualet. Hinc verò perspicuum fit, electum hominem, quomodocunque labatur, nõ tamẽ peccare toto animo, tota mẽte, ac plena voluntate: quãdoquidẽ (vti Paul⁹ disertè ait Ro. 7.) quod agit malũ, neutiquã probat. Nec. n. quod vult, hoc facit: sed quod odit, hoc agit: atq. cõsentit interea legi Dei ꝙ bona sit. Ex quo insup sequitur, vt nõ ipse illud ꝑpetret, sed inhabitans in ipso peccatũ. Nam in externo homine, atq. in carne bonũ nõ inhabitat. Vellet quidẽ intern⁹ homo nihil nisi bonũ fieri: at, quo minus pro voto possit, impeditur ab homine externo. Itaq. mẽte quidẽ seruit electus homo legi Dei, carne verò seruit legi peccati, cui per legem mẽbrorum, tanquam venundat⁹ atq. captiu⁹ addicitur. Ad hæc Gal. 5. aperte dicitur, Spiritum & carnem sic perpetuò inter sese pugnare, vt pij nõ quæcunq. voluerint, faciant. Ergo si peccata, quæ ab electis designantur, respicimus: sunt, quod ad Spiritum attinet, peccatis reproborum paria. Sin cõsideramus modum, quo ad peccandum inducuntur: nõ eadẽ ratione, qua reprobi, huc perueniunt, vtpote qui nunquam toto animo, plenáq. voluntate cõsentiunt. Neq. n. sic delectantur peccatis, vti reprobi: nõ intendunt insup animũ & curam iis quæ sunt carnis nõ habent adfect⁹ eodem modo peccatis addictos & implicitos: nõ delinquunt, vt inimicitiam cũ Deo volentes exercere. Quæ studia debere in peccatis reproborum, secundum carnem ambulantium, notari, nõ abs re monet Ro. 8 Apostol⁹ Addam⁹ & hoc: in electis quidẽ animaduerti vim peccati inhabitãtis, at nõ peccata regnãtia. in reprobis verò, nõ modo peccatum inhabitãs: verùm etiã peccata regnãtia seu dominantia. de quo discrimine Ro. 6. 7. Ex quo palã est, electos nõ tantùm alio peccare modo, quàm quo peccãt reprobi: verùm etiã peccata vtrorumq. prorsus aliter se habere: atq. eiusdem speciei peccata non idem posse in electis quod in reprobis.

His ita expositis, procliue erit iudicare qualia nam sint peccatorum in electis effecta: & vtrum per peccata sua fidem prorsus amittant, Sp. S. omnino excutiant, & à Christo penitus excidant. Et quò cuncta euadant magis dilucida: cõsultò in collatione electorum cum reprobis persistam⁹.

Primum igitur atq. præcipuum effectũ peccati, est mors, siue cõdemnatio sempiterna: Ro. 5. 6. Reprobos autẽ quãdocunq. peccant, æternùm ob crimina sua damnari, nemo nõ intelligit, & cõfitetur. Atqui in electos etiãsi peccarint, mors seu dãnatio æterna nõ cadit. Necesse nãq. est quos Deus semel elegit, tandem glorificari. Quis intentabit crimina aduersus electos Dei? Deus est qui iustificat, quis ille

qui cõdemnet? Ro.8. Ac disertè eiusdẽ capitis initio: Nulla nunc est condemnatio his, qui insiti sunt Christo Iesu: qui non iuxta carnem versantur, sed iuxta Spiritum. Nam lex Spiritus vitæ per Christum Iesum, liberũ me reddit à iure peccati & mortis. Quo loco notandũ, prudenter dictũ ab Apostolo: electos esse liberos factos nõ simpliciter à peccato & morte, sed à iure peccati & mortis, quo perdendi & damnãdi potestas significatur. Omnia itẽ peccata grauiss. commerentur pœnas, quas Deus, quoniam videt sua contemni præcepta, seuerissimè infligit. Exod.20. Cæterũ reproborũ scelera puniũtur tũ in hoc seculo, tum in futuro: electorũ autẽ peccata tantũ punit Deus in præsenti, quãuis etiam acerbissimè, quod testantur calamitates tã publicæ quàm priuatæ, propter Dauidis peccata immissæ.

Ex quo apertè colligitur, hisce quæ de bonitate Dei erga electos dicuntur, peccandi licẽtiam minimè concedi.

Quin etiã si cõsiderentur diuersæ rationes, quibus Deus in puniẽdis peccatis vtitur, magnũ apparebit discrimẽ. Etenim in reprobis plurimũ punit Deus peccata nouis peccatis, atq. inducit eos, excæcat, in reprobũ sensũ tradit. Ro. 1. In electis tantũ abest vt peccata puniat peccatis, vt ad agnitionẽ peccati potiùs celeriter eos inducat, vt ad humiliationẽ animi, ad verã inuocationẽ, ad petitionẽ veniæ, ad implorandum cœleste auxilium excitet, atque ita peccata ab ipsis prorsus transferat. Iam si post scelera perpetrata, agitur de pœnitentia: Deus reproborum pœnitentiam minimè recipit, neque fructum ex ea illi percipiunt. Exẽplo sunt Esau Heb.12. Iudas, Mat.27. Pœnitẽtia verò electorũ Deus acceptã habet, & citò condonat eis peccata: quod in Dauide & Petro licet cernere. Proinde & electos, vbi peccarint, vel maximè decet pœnitentiam agere.

Vt porrò ad institutũ veniamus principale: Reprobi, quãdo peccãt, atq. peccatũ in ipsis dominatur, fidẽ citò amittũt. Siquidẽ quã fuerãt professi, nũquã vera & perfecta fides fuit, sed tãtum tẽporanea, infrugifera, mortua. de qua Mat.13. Luc.9. 1. ad Tim.1. Iac.2. Quãdo autẽ electi peccãt, nõ est vero consentaneũ, eos omnẽ prorsus fidẽ amittere, quãtũuis exiguã, debilẽ, infirmã, & mortuæ simillimã esse oportet eã, quæ relinquitur. Petrus negauit Christum, sed quis propterea dixerit, insignẽ illã fidẽ, quã olim fuerat cõfessus, quãq. Christus ipse vehemẽter prædicat, prorsus esse extinctã, maximè cũ Christus pridẽ pro Petro orasset, ne fides ipsius vnquã deficeret. Luc.22. Itaq. quæ audita est foris, ex illius ore negatio, ab externo homine profecta, impugnabat & vulnerabat, nõ tamẽ interficiebat occultã cõfessionẽ cordis, quã internus homo, quãtũ in ipso erat, tuebatur. Accedit his, quòd Petrus statim post abnegationẽ fidẽ, ingẽti fletu dolorẽ testatus sit ac pœnitẽtiam. Matt.26. Marc.14. Luc.22. Si autẽ in Petro vera fuit pœnitẽtia sicut dubio procul fuit: oportet sanè in illo semper etiã aliquam superfuisse fidẽ. Nec potest fides vera perfectaq. intelligi res fluxa & volubilis, quæ momẽto tẽporis & auferatur & restituatur. Sed perspicuè docet nos Scriptura, esse cõstantẽ, immobilẽ, inuictã, nullis machinis expugnabilẽ. Talis namq. fides Abrahami. Rom.4. Talis fides multorũ aliorũ describitur Heb.11. Ideòq. Christus fidẽ cũ petra super quã Ecclesiæ ædificiũ queat exstrui, Mat.16. cõparat. Quin etiã perfectè credentẽ similẽ esse ait homini qui domũ ædificat super petrã, vbi neq. imbres, neq. flumina, neq. ventorũ potestates eũ subuertãt. Matt.7. Luc.6. Quid quod omniũ credentiũ fides precatione Christi fulcitur: quãdoquidem pro omnib. credẽtib. ardẽtissimè orauit, siue tũc cũ orauit pro Petro, Luc.22. siue quãdo aliàs pro vniuersis orauit, qui per Apostolorũ sermones ad fidem adducerẽtur, Ioh.17. ac dubio procul est à Patre exauditus: Heb.5 Legimus deniq. in Epistola Iudæ, fidẽ sanctis semel dari. si semel tantũ datur, quomodo ea amitteretur, & aliquãto post dabitur iterũ? Relinquitur ergo, fidẽ semper aliquantã in electorũ manere cordib. nec prorsus eripi. Quã nisi etiã sentirẽt electi, ac modò quidem debilem, modo verò firmã, de fide sua testimoniũ edere nulli certũ possent: minùs etiam appositè Apostolus 1. Tim.1. fidem cũ conscientia cõiunxisset, ad hæc, non rectè postulassent Apostoli à Christo, vt fidem ipsorum augeret. Luc 17. Frustra insuper Christus toties increpasset quosdam ὀλιγοπίστους, Mat.6.14.16. Luc.12. Rursus frustra in aliquibus fidei prædicasset magnitudinem.

Rursus quãdo peccant reprobi, amittunt Spiritus sancti dona, si quibus ornati fuêre. Enimuero Spiritum S. quem nunquam acceperunt, quis dicat eos amittere? Itaque de donis Spiritus ademtis ipsi Sauli, est illud 1. Sam.16. Spiritus Domini recessit à Saul, turbauitque eũ Spiritus malus Domini. Intelligimus autem dona prophetiæ, gubernationis & si quæ similia, quib. Saulem iustè spoliauit Deus.

Cæterũ electos, quando peccant, Sp.S. omnino amittere, nõ est quod temerè definiamus: sed tectiùs cum Apostolo dicemus, eos tũc vehemẽter Sp.S. cõtristare. Eph.4. Scriptura nõ vno loco inculcat, Sp.S. electis datũ, inhabitare eorũdẽ corda. Si autẽ inhabitat: igitur domiciliũ, hãcq́ue sedem ibi deligit. neq. imaginabimur, eũ excurrere, vagari, redire: quod malũ Sp. facere consueuisse, Christus Matt.12 testatur. Nec prætereundum quod Scriptura etiã refert, Sp.S. in electis agere: siue electos Spiritu Dei agi atq. duci. Rom 8. Quãdocũq. igitur agit, ac vires suas in electis exserit Sp.S. facilè est colligere, eũ ibi habitare præsentẽmq. esse. At vero si nõ agitur, nec se argumentis vllis demonstrat (quod nimirũ fit, quia ob peccata hominis tristatur atque luget) non protinus sequitur, eum ibi non amplius habitare.

Vbi porrò electi post lapsum resipiscũt, tum Sp.S. iterũ in eis excitatur, seseq. velut gaudio gestiẽs dignatur rursus ostendere, & validiùs quàm antea ipsos fulcit. Quocirca Dauid Ps.51. cùm reprehensus à Nathan propheta peccatum suum cõfiteretur, ita orabat: Cor mundũ crea in me Deus, & Spiritũ rectum innoua in intimo meo. Ne proiicias me à facie tua, & Sp.S. tuum ne tollas à me. Restitue mihi lætitiam salutis tuæ, & Spiritu viuifico suffulci me.

Ad hæc datur electis Sp. S. vt arrhabo hæreditatis cœlestis: Eph.1. Nemo autem qui promissis pactisue vult stare, arrhabonem reposcit: quin potiùs in hoc totus est, vt promissa siue pacta præstet: ne rum quidem, vbi illa præstiterit, arrhabonẽ restituturus. Cõsequitur ergo, & Sp.S. apud eum, cui semel datus est, relinqui. Quod eo quoq. comprobatur, quòd Eph.4. dicũtur credẽtes per S.S. in diẽ redemtionis obsignari. Quãuis fieri interea potest, vt homo nõ tã honorificè, quã par est, datũ arrhabonẽ seruet: quo nomine eũ qui arrhabonẽ dederat, offendit multò grauissimè.

Sic deinde Apostolus Ro.7. disserit, vt clare demõstret, vnũ eundemq. electum, perpetuò duos homines, internum inquam & externum in se circumferre: neq. vnũ absq. altero posse dimoueri. Id verò si datur, operæ pretiũ est statuamus, quãdiu adest homo internus, tãdiu etiam adesse Sp.S. vtpote sine quo internus homo subsistere nequeat.

At si posueris, Spiritum aliquando tolli: eadẽ opera largiaris oportet, etiam luctam illam Spiritus cum carne in hac vita tolli, imò aliquando, absente Spiritu, carnem posse statim in toto homine electo dominari: qua occasione etiã peccata regnãtia locum in eodem habebũt. quo quid absurdius dici queat? Ita præterea ibidem depingit Apostolus hominis interni & externi actiones, vt quamuis cõtrariæ sint, tamẽ esse coniunctæ, & eodem tempore simul exerceri videantur. Nõ quod volo, (inquit) hoc facio: sed quod odi, hoc ago. Iterũ: Nõ quod volo facio bonũ, sed quod nõ volo malũ, hoc ago. &, Delectat me lex Dei secundum internum hominem: sed video aliam legẽ in mẽbris meis, rebellantem legi mentis meæ, & captiuum reddentẽ me legi peccati quæ est in membris meis. Et idem, Ego mẽte quidem seruio legi Dei, carne verò legi peccati. Quæ omnia perinde sonant, atque si diceret Apostolus, Quo tẽpore ipse impulsu carnis & externi hominis malè facio, eodẽ etiã Sp.S. interiori homini adhuc adsistit, & legẽ Dei approbat: veruntamen propter molestias & insultationes carnis contristatur, suasque vires non ita vti aliàs, exserit.

Sed enim quæ Apostolus ibi de seipso affert, ea vera esse vnusquisq. electus procul dubio in propriis tentationibus atq. luctis spiritualib. experitur. Itaq. tã in ipsis certaminibus, quàm cũ externus homo siue caro apparet superior, & internus homo & Spiritus in electo adhuc residet: quãuis propter carnem ferocientem & immodicè exsultantẽ, ægrè aliquid de actione & vi spiritus percipitur.

Iterũ verò, quãdo reprobi peccãt, à regno Christi prorsus excidũt. 1. Cor.6. An nescitis quod iniusti regni Dei hæreditatẽ nõ cõsequẽtur? Ne erretis: neq. scortatores, neq. cultores simulacrorũ, neq. adulteri, regni Dei hæreditatẽ accipiẽt. Verũ electi, quãuis aliquãdo inuiti, & à carne vexati, circũuentiq. labũtur, nõ tamẽ ideò à Christi regno prorsus excidũt. Christus nãque Ioã.10. de electis inquit: Oues meæ vocẽ meã audiũt, & ego cognosco eas: & sequentur me: & ego vitã æternã do eis, nec peribunt in æternũ, neq. rapiet eas quisquã de manu mea. Electi igitur à Christo nõ auelluntur: aut profectò, si cõtingeret eos aliquãdo astu & calliditate diaboli de manu Christi eripi, cui inferretur, diabolũ esse Christo potẽtiorẽ ac fortiorẽ: quod vel cogitare nefas grãde est. Rursũ & Christus Mat.24. Surgẽt Pseudochristi & ψευδοπροφῆται, & dabũt signa magna & prodigia: ita vt in errorẽ inducãtur, si fieri possit, et electi. Ex quib. verbis nõ obscurè colligitur, electos seduci atq. à Christo prorsus abduci nullo mõ posse. Quòd si itẽ excidere prorsus à Christo electos fatemur, quõ obsecro interpretabimur verba illa Ro. 5. quæ perspicuè adstruũt, electos stare siue persistere in gratia?

:ati ex fide pacē habemus erga Deū per Domi-
i Iesum Christū per quē & cōtingit nobis, vt fide
emur in gratiā hāc, in qua stamus. Quid idē dice-
a verba, Rom. 8. electis propriè accommodata:
am habeo, inquit, quod neque mors, neque vita,
ngeli, neque principatus, neque potestates, neque
ia, neque futura, neque altitudo, neque profundi-
eque vlla creatura alia poterit nos separare à dile-
Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro?
tremò, si electi non stant in gratia, Christóque ad-
i manent: tum cogentur omnes homines perpetuò
ei gratia dubitare: neque vnquam certò statuere po-
at, se Deo placere. A quo quantopere sit abhorren-
, edocti ex Scripturis abundè scimus.

Quod si quisquā cōtendere pergat, electos, quandocū-
e peccāt, saltē ad tēpus fidem prorsus amittere, omnino
cutere S.S. penitus à Christo excidere: sanè haud scimus
circūspectè satis loquatur. cū præsertim necesse sit non
uca inde oriri incōmoda. Si fidē prorsus amittūt electi,
quetur planè, omnē fidē, etiā electorū, temporaneā atq.
xā existere. Quod aduersatur iis omnibus quæ de fide
ma, stabili, & ad finē vsque perseuerante, passim in Scri-
uris inculcātur. Si excutitur S.S. quomodo cōsistet quod
criptura sæpius exprimit, eū in electorū habitare cordib⁹?
i deniq ad tēpus à Christo excidēt: falsum erit quod Chri-
us ait, electos seduci nō posse: semper cogētur lapsi du-
bitare, an & quādo iterum inserantur Christo. Adde quòd
diabolus semper apparebit Christo potentior, & Christi
victor. Etenim si electos ad illud tēpus, quo peccāt, è ma-
nu Christi eripit Satanas: profectò cum nullum dari tem-
pus queat, quo non peccē. aliqui ex electis: conficeretur,
nullū etiā tēpus esse, quo diabolus non Christum debellet
atque vincat. Sed ex iis quæ præcedentibus sunt exposita,
non erit difficile & alia incommoda excerpere.

Quæ cùm ita se habeant, nequaquā ducimus cum pro-
tinus damnandum, qui asserit, electos vera fide donatos,
Christóque per Sp.S. insitos, quando peccarint, fidem non
prorsus amittere, non omnino excutere Sp.S. nō penitus à
Christo excidere. Ac præter illa quæ ex Scripturis hucus-
que deprōsimus, possemus nonnulla partim ex priscis Pa-
tribus, partim ex huius ætatis eruditissimis quibusq. scri-
ptoribus, firmamenta cōgerere: sed tēporis angustia facere
id prohibet. Quæ res etia in caussa est, cur de reliquis The-
sibus cōscriptis, nimirum de Fine seculi, de Antichristo, de
Signis finis seculi, de Prædestinatione, de Vinculis quibus
colligamur Christo & Ecclesiæ, de Promissionibus, nō ar-
bitrati simus aliquid adiiciendū: maximè cùm nonnullæ
de earum sint genere, de quib. nō est necesse operosè di-
sceptare: omnes verò pariter tales cēseamus, quas, adhibi-
ta commoda interpretatione, admittere absque periculi
metu liceat. Demiramur autem & dolemus non parū, de
capitib. antè expositis certamina eo moueri loco, in quo
vir Dei D. Martinus Bucerus, multos annos, eadē omnia,
non minus sinceriter quàm perspicuè tradidit. Cùm autē
nos semper malimus audire aliorum de rebus ambiguis
& intricatis sententias, quàm ipsi pronuntiare, & à cōten-
tionibus suprà quàm dici queat, abhorreamus: petimus,
hæc qualiacunque benignè accipi ab omnibus.

Quod reliquū est, optamus, omnes vbiq. verbi Dei inter-
pretes concordiam colere, atque idē sentire in Domino.
Quod & speraremus posse faciliùs, quàm nunc fit, vsu ve-
nire, si primùm omnes ea diligeremus argumēta præ cæ-
teris discutienda, quæ vtilitatis plus habent, quàm subti-
litatis, & fient omnium ordinū hominibus cognitu neces-
saria: deinde verò inter explicandum ea potissimùm con-
sectaremur, quę ad amplificandam Dei gloriam, & totius
Ecclesiæ ædificationem conducunt.

Doctores & Professores Facultatis Theologicæ Scholæ Marpurgensis.

Andreas Hyperius subscripsit.
Ioannes Lonicerus s.
Ioannes Garnerius s.
Vuigandus Orthius s.
Nicolaus Rodingus Marpurgensis Ecclesiæ pastor s.
Ioannes Pincier VVeterana Ecclesiæ in Euāgelio Christi minister s.
Ioannes Pistorius Niddanus, Niddanæ Ecclesiæ in Euangelio Christi minister subscripsit.

DE IISDEM THESIBVS SCHOLÆ ET Ecclesiæ Heidelbergensis Iudicium.

Qvanquā ex his quæ à doctissimis Scholæ Marpurgē-
sis Professoribus, aliisq. viris clarissimis, ex sacrarū li-
terarum fontibus diligētissimè collecta, artificiosissimè di-
sposita, & eruditissimè conscripta, facilè cognosci possit,
quid de Thesib. ipsorū scripto præfixis piū quēque iudica-
re atq. sentire oporteat: ne tamen nos vel præiudiciis vel
priuatis quibusdā studiis adducti, de iis sententiā dixisse no-
strā videremur, etiam rationes nostras, quibus mouemur,
à superioribus minimè alienas, adtexere nobis visum fuit.

1. Principio. quidē pulcherrima gradatio, seu catena, quā
Apostolus Rom. 8. est complexus gradus omnes salutis e-
lectorū, ab æterno illo & immutabili cōsilio Dei & decre-
to, velut iugi fonte fluēus, nō sinit vt eos qui semel Chri-
sto à Patre in suā velut possessionem atque tutelam tradi-
ti, ipsiq. vt radici ac vitali trunco insiti, & denique ei velut
suo capiti agglutinati sunt, ab ipsius manibus seu potesta-
te subduci, patrocinio ipsius destitui, quasi arescentes ra-
mos amputari, siue vt corrupta mēbra à suo corpore auel-
li posse aut cogitemus aut dicamus. Nam eum qui id in a-
nimum suum induxerit, de Christi, optimi pastoris fidelis-
simíque custodis fide, diligentia atque potentia malignè
sentire apparet. Siquidem ab eo tales abduci non possent,
nisi is sempiterni sui hostis Satanæ vel arte falleretur, vel
potentia superaretur; ac ita aut negligentiæ, ei qui est vi-
gilantissimus, aut infirmitatis, ei qui est potētissimus, no-
ta inureretur. Atqui illud non tantū est absurdum, sed etiā
ex diametro pugnat cum his quæ Christus ipse clarissimè
est testificatus de sua cura, studio ac diligentia erga suæ fi-
dei creditos: & ea Iohan. cap. 5. 10. 17. sui Euangelij, nō mi-
nùs disertè quàm fuse commemorat.

2. Deinde, vis illa Sp.S. quæ se exserit in regenerandis ad
vitam æternā electis: seu semen illud Dei, cuius meminit
Iohannes, semel admissum, si postea prorsus amitteretur,
seu euelleretur, planeq. interiret, esset de integro induēdū
homini, videreturque regenerationis Symbolum omnino
esse repetendum: quando id quod Symbolo adumbratur,
tertiò atque quartò imò sæpè foret donandum. Verùm vt
aliter & sentiamus & loquamur, non tātùm publicus pio-
rum iam inde à iactis Ecclesiæ fundamētis consensus: sed
etiam quæ Paulus Rom 6. de Christi morte, sepultura, re-
surrectione ad æternam vitam, & baptismi mysterio disse-
rit, & quæ autor Epistolæ ad Hebræos constantissimè as-
seuerat, rem se aliter habere euidenter conuincunt.

3. Accedit & perelegans illa arrhabonis metaphora, qua
Apostolus Paulus semel & iterum vtitur, de Spiritu S. quo
autore regeneratio fit, loquēs. Nam si electi semel in gra-
tiā recepti, ab ea postea exciderēt: adempta ipsis omnis salu
tis spe, & ex libro vitæ (vt ad formas scripturis familiares
alludamus) velut expūctis, nequaquā esset Sp.S. firmū & cer
tū salutis pignus, esset q. eius testimoniū (cuius Paulus Ro.
8. meminit) infirmū ac dubiū: nutaretq. spes, quam instar
anchorę firmæ haberi vult autor Epistolæ ad Hebręos. E-
quidem labi electos, atq. etiā subinde sic cadere, vt denuo
erigendi sint, scimus: & id per resipiscentiā (electis etiā ip-
sis in hac carnis fragilitate omnino necessariā) fieri nō du-
bitamus. Verū illa ratio seu via est admodū diuersa à pri-
ma illa vocatione, seu insitione, per quā electi Christo (vt
cū Paulo loquamur) incorporantur. Tale inter vtramq. di-
scrimen statui posse nobis videtur, quale est inter mortuū,
vitáq. omni destitutum corpus: & illud, quod morbo seu
leuiore, seu grauiore ac lethali affectum est. Illud sanè vi-
tali vi (vt ita dicamus) opus habet: hoc verò solùm deside-
rat, vt quæ adhuc in eo residet vita, labefactata illa qui-
dem & infirma instauretur, recreetur, refocilletur.

4. Ista quoq. sententiā mirificè cōfirmabit electorū, tātis-
per dū in isto exsilio agunt, conditio: si eā, qualem S. literæ
describunt, & omnes sani esse fatentur, attentè cōsiderare
volumus, vt debemus: h.e. si seriò cogitemus eos semper
gestare carnē, & illa corruptiōe, quæ ab Adamo est inducta
& deducta, circūcingi, originalis illius morbi vires nondū
esse in ipsis exstinctas: ita vt electi etiam ipsi, & foris insi-
diantē obsidentémq. ipsos aduersariū habeāt & domi cō-
iuratū circumferāt hostē: nēpe illud domesticū peccatum,
quod assiduè hospiti suo negotium exhibet, & debellare,
adeóq. ex insidiis cōfodere nunquā nō conatur. Vndę ap-
paret, quā verè meritóq. dicatur, vitā piorum perpetuā es-
se luctā, assiduúmq. certamē. Id quod etiā præter experiē-
tiam ipsam, stultorum (vt dicitur) magistram, literæ sacræ
passim docent: nominatim autē Paulus Rom 7. assiduum
regeneratorū omnium exercitium non tam descripsisse,
quàm expressisse, ab omnibus piis atque doctis creditur.

5. Iam verò, cùm in tali cōflictu nunquam non versentur
filij Dei: fieri non potest (quæ ipsorum est imbecillitas, &
aduersarij potētia) quin subinde grauia vulnera accipiāt.
nō est tamen verisimile, tali tantaq. infirmitate, & lapsib.
illis crebris sic offendi Sp.S. & abalienari ab eis, vt iratus
abscedat, domiciliúmq. deserat suum: qui in hoc presertim

datus est electis, vt infirmitatē, qua sunt onerati & premū-
tur, fulciat, & aduersus impetū & robur hostis eos muniat:
Rom. 8. Ergo eum non secedere decet, sed potius manere:
vt vel labentes retineat, vel lapsos erigat, & denique ne
eos opprimi ab hoste finat: quod, tali custode remoto, ipsi
esset minimè difficile.

6. Ad fidē etiam electorū quod attinet, eam talibus con-
gressib. mirè concuti, nō est dubiū. At si vera, si germana, si
fixa (qualis esse scribitur cū passim, tū Matt. 7.) nō omnino
succūbit, nō frangitur, aut deficit. Nam, quā temporariam
vocare possumus, quæ cedit aduersario, ab hoc ordine es-
se excludēdā parabola, quæ apud Mat. 13. exstat, nō obscu-
rè demonstrat. Fiducia piorū, quæ Dei donū est, vt Sp. S. af-
flatu cōcipitur, ita & retinetur: quare etiam sepulta viuit,
& deiecta se erigit, excitatáque vim suam rursum exerit.

7. Porrò, non videmus quid caussæ sit, cur dicatur Spiritus
S. grauiore siue atrociore flagitio potiùs quàm leuiore ir-
ritatus abscedere, sese subducere, pristinū domiciliū dese-
rere, quasique præsidium suæ fidei cōmissum aduersario
tradere. Certè si peccatorū naturā nudam seu per se spe-
ctare placet, omnia displicēt, omnia odit, omnibus offen-
ditur Deus. Et profectò rectissimè dici, scribi, tradiq. solet,
omnia peccata ex se esse mortalia: hoc est, morte digna, &
quæ isti inferēdæ abūde sufficiant, quālibet leuia sint. Igi-
tur suā naturā omnia Spiritū S. explodunt, diuinum fauo-
rē excludunt, & fidem exstinguūt. Venialia tamen (vt re-
ceptam vocē retineamus) esse dicuntur, quæ alioqui mor-
talia sunt. Sed id fieri, defenditur à doctis omnib. non pec-
catorum respectu: verùm personarum in quibus sunt, & à
quibus admittūtur, ratione. Ita fit, vt quæ in reprobis (vt di-
ci solet) sunt mortalia, in electis ac regeneratis venialia
reddātur: quippe quòd persona, Deo, in filij sui gratiā pla-
ceat: & in ipso ad salutē electa, & ad vitam æternā desti-
nata sit. Sic lapsus quotidiani, qui alioqui damnationē in-
ferrēt, nō imputari, sed tegi, hoc est, cōdonari dicuntur. Iā
verò adesse, iuuare, tueri aliquē in leuioribus periculis, &
curatu faciles morbos tollere: in grauiorib. se subducere,
& maximè opē auxiliúmq. desiderantē negligere, nedum
deserere: neque fidelis amici, neque boni peritique medi-
ci officio fūgi esset. An nō prorsus absurdū foret, id de Dei
spiritu sentire, quod de viro bono ne suspicari quidē licet?

8. Vt sanè de eo tale quiddam suspicentur, nedum creda-
mus, nequaquam patiuntur multæ promissiones cum piis
quibusdam priuatim, tum omnibus in Ecclesiæ persona
factæ. Siquidem Dei dona & vocationem esse ἀμεταμέλη-
τα dilertè pronuntiat Christi Apostolus.

9. Præsidium autem suum perpetuò suis adfuturum, ma-
xima cum asseueratione pollicetur Deus: & eos abs se ali-
quando iri desertum, constantissimè negat. Quæ etiam ad
aberrantes & peccantes protendi debere, manifestissime
demonstrat illa Prophetæ promissio: cùm ceciderint, non
collidentur, quia Dominus sustentat manu sua.

10. An id est instar irati secedere? Quid? etiā peccata ele-
ctis fore adiumento in bonū, ex Apostoli sententia Rom.
8. docti ac pij scriptores colligūt. quod etiā pleriq. nō rarò
experiūtur. Quod si, id est, verū, vt esse apparet: cui id ferri
acceptū poterit, nisi paternæ beneuolentiæ atque proui-
dētiæ ista omnia moderāti, & ad tū suam gloriā, tum suorū
salutē cōuertēti, quod in diuersum spectabat? Nunc vero
si suos electos peccantes desereret, destitueret omni ope,
prorsúsque abiiceret: illud quî fieri posset? Qui hæc attētè
cōsiderare volēt, certò cōficei agnoscēt, Deum, vt optimum
parentē, filiis suis, etiā grauiter peccātibus, adesse, ne pror-
sus cōcidant: & sedulò cauere, ne prorsus confringantur.

11. Id nisi faceret, nunquid idem ipsis accideret, atque iis,
quos vt deploratos deserit prorsus & abiicit? illud autem
quid aliud est, nisi (vt sacra oracula testantur) in reprobam
mentē delabi, & in quæuis scelera ruere præcipitē, deniq.
peccatis peccata cumulare? Quæ omnia non tantū sunt
horrēda cogitatu, sed etiā dictu fœda. Sinit quidem Deus
(quæ ipsius est sapientia) sanctos suos non tantū identidē
vacillare, sed etiam non rarò turpiter labi. At labentes
manu sua (sic enim loquuntur Prophetæ) sequitur, aut ve-
riùs præit, quò deiectos ab hoste erigat, & attollat, luctám-
que cum aduersario (velut in palæstra aut certamine non
rarò fieri videmus) redintegrēt, & (iuxta prouerbiū) fugiē-
tes denique pugnēt. alioqui semel prostrati, iacerēt æter-
nū libidini atq. tyrannidi hostis expositi & subiecti. Non
est itaque quòd aut credamus, aut dicamus, hunc ἀγωνοθέ-
την à suis in dura ac difficili palæstra siue arena decertāti-
bus oculos auertere, manúmque retrahere: h. e. aut Spiri-
tum sanctum reuocare, aut fidem repetere, & denique o-
mni præsidio spoliare, cū deiiciuntur ab Antagonista: imò
etiam prostratos & suo clypeo protegit (vt Propheta scitè
loquitur) & alarum suarum vmbra tuetur.

Hæc & huius generis plurima, quæ passim recitantur in
scriptis Propheticis atq. Apostolicis, dū attētè cōsideramus:
nō possumus nō iudicare, quæ in superioribus Thesib. pro-
posita sunt, de electorū Dei per Sp. S. defensione & custo-
dia perpetua, déque fidei ipsorū constantia, esse pia atque
Christiana: vt etiā esse iudicamus, quæ in aliis Thesib. de
Antichristo, Seculi fine ac eius signis, de Sanctorū Præde-
stinatione, & geminis cū Deo ipsorū vinculis, asseruntur.
De his verò vt aliquid adferremus, nō putauimus esse o-
pus, partim quòd obscuritatis nihil habere nobis videan-
tur: partim quòd cādidis & veritatis studiosis siue audito-
ribus siue lectoribus aliquid offensionis allaturas esse, no-
bis persuadere nō possimus. Denique, doctrinā illā totam
dignam esse censemus, quæ in piis Christianisque scholis
exponatur atque tradatur: modò id & dextrè & sobriè fiat.
Ideò vehemēter doluimus, cùm audiremus nō deesse qui
eam explodendā esse censerent ab ea schola, in qua eam
quidā nostrū nō ita pridē didicēre, tradente & docente vi-
ro doctissimo & pijssimo, felicis memoriæ, D. Bucero.

Neque est quòd quenquam huius doctrinæ vel pudeat,
vel pœniteat: cùm ea sit scriptis Propheticis & Apostolicis
consentanea, atque optimorum quorumque interpretum,
siue veterum siue recentiorum, confirmata consensu.

Datum Heidelb. August. 25. Anno 1561.

Academiæ Heidelb. Theologi.

D. P. Boquinus subscripsit.
D. Immanuel Tremelius s.
D. Gaspar Olevianus s.
Michael Dillerus concionator
Aulicus Heidelb. s.

IVDICIVM SCAPHVSIANÆ ECCLEsiæ, de iisdem Thesibus.

PErlectis & perspectis Thesibus, à Clarissimo & Doctissimo viro D. D. Zanchio oblatis nihil omnino in illis inuenire potuimus (si modò ad regulā verbi Dei, à viris veritatē amantibus examinetur) quod pugnet cū sacris literis, scriptis videlicet Prophetarū & Apostolorū: & quod non sit orthodoxū. Profitemur itaque & testamur, doctrinā D. D. Zanchij in his, nō solùm ei quæ in nostris Ecclesiis traditur atque proponitur doctrinæ, quā indubitatam esse asserimus (donec ex verbo Dei erroris cōuicti, & meliora edocti fuerimus) verū etiā ei quā viri eximij, insigni pietate atque eruditione prediti, beataque memoria professi sunt, aliiq. adhuc profitētur, nō solūmodo in Schola & Ecclesia Argētinensi, sed etiā aliis multis in locis, cōsonam esse. Ideóq. damnandā illā ita temerè, & exsibilandā minime iudicamus: & eū, qui ita sensit, nemo pius eiiciet, neq. oppugnabit, nisi expugnatum, Scripturisq. diuinis conuictū. Hanc nostram sententiam, quā & alii quomodius paterēt, breui hoc scripto sumus complexi. Noluimus enim singulas Theses excutere ordine: cùm id ante nos fecerint, & facturi adhuc viri pijssimi doctissimique. Deus optimus maximus adsit Ecclesiæ suæ afflictæ, & misereatur nostri.

Ministri Ecclesiæ Scaphusianæ.
Sebastianus Grubel.
Iacobus Ruger.
Blasius Bouillus.

ECCLESIÆ SCHOLÆQVE TIGVRINæ, de iisdem Thesibus Iudicium.

Dilectis in Christo fratribus, ad quos ex nostræ literæ peruenerint, gratiam & pacem à Deo Patre, per Dominum nostrum Iesum Christum.

COntulit se ad nos hisce dieb. D. D. Hieronymus Zan-
chius, vir egregia doctrina ac pietate clarissimus: qui
non sine dolore tum suo, tum nostro, exposuit quædā suæ
doctrinæ Capita, iam ab aliquot mensibus non solùm in
dubiū vocari, sed etiā (quod ipsi grauius erat) hæreseos ac-
cusari. Nā si tanti sceleris accusaretur, nō tantùm eius ani-
mi salus in discrimē veniret: quod horribiliter expauēdū
est: sed etiam de omni existimatione eius actum esset, idq;
cum suo & vxoris liberorúmq. maximo detrimēto. Qua-
re per eam pietatem atque misericordiam, qua tū verita-
ti, tum etiam innocenti fratri periclitanti subueniendum
est, nos rogauit: vt dogmata sua quæ ab aduersariis ipsi tā
atrociter impetuntur, diligenter & accuratè perpendere-
mus, idque ad libram & normam diuinarum literarū: no-
stróque tandem iudicio & censura decerneremus, an ea
quæ docuit, vel probanda, vel improbanda viderentur.
Hæc ille à nostro cōuentu nō minùs modestè quàm gra-
uiter

uiter periit:& vnà suæ doctrinæ capita, quæ ante omnia sigillãt. legenda & cognoscenda tradidit. Nos vero, qui nihil quod ad Christianã caritatẽ pertineat, à nostra Ecclesia putamus alienũ, tuttæ illius postulationi annuẽdũ cẽsuimus. Capitib. autẽ doctrinæ attẽtè ac dextrè perpẽsis & excussis, nihil ibi deprehẽdimus aut impiũ aut pugnans cũ diuinis literis. Quocirca illa dogmata, de quib. inter ipsũ & aduersarios eius orta est cõtrouersia, modo pia cõmodaque interpretatione accipiantur, approbamus, commendamus & amplectimur: atque illum non pœnã vllã, sed laude nõ vulgari dignum existimamus. Et ne temere id statuisse videamur, singulis eius Thesib. argumenta seu testimonia diuinarum literarum subiiciemus.

1. Primũ, ignotũ esse tẽpus aduẽtus Domini ad iudicium, S. literæ perspicuè docent. Illũ enim furi cõferunt qui noctè & de improuiso cõsueuit adesse: quin tã angeli, quã etiã filius hominis, illũ dicuntur ignorare. Christus nẽ affirmauit, Apostolorũ non fuisse tempora & momenta nosse, quæ Pater in sua potestate posuit. Hæc ex diuinis literis habemus: contra quæ nec Helianæ scholæ responsa, neq. Χιλιαστῶν vlla oracula recipienda censemus.

2. Secũda Thesis nõ põt vt hæretica explodi, cũ admodũ sit probabilis. oẽs enim ferme Patres in ea sententia fuerũt. Vt autẽ patet quã manifestissimè, probabile id est, quod pluribus, & præsertim sapiẽtiorib. visum fuerit. Neq. autor negat, imo fatetur permultos esse (sicut Iohanes ait) Antichristos: Mahumetẽ, Iudæos, & Papas, qui se doctrinæ Christi opponũt: deniq. omnes qui idẽ tã extra Papatũ, quã in Papatu faciũt. Sed cũ indies malitia crescat, & sine modo augeatur: nil obstat, quò minus κατ' ἐξοχὴν aliquis ad extremũ sit ventu rus, qui cæteros Euãgelij hostes impietate sua lõgissimè superet, quẽmq. Dominus spiritu oris sui omnino sit profligaturus. Nã & Apostolus qui ait, Antichristi multi sũt, idẽ prius dixit, Antichristus ἔρχεται: vnũ singulariter multos fore idicãs.

3. Tertia, duo loca Scripturæ cõponit: quæ prima frõte videmur inter se pugnare. Id vero nihil quod literis diuinis aduersetur, cõtinet. Quãobrẽ autoris industria & studiũ potius laudãda sunt, quã traducẽda. Multa quippe in S. literis passim occurrũt, quæ primo aspectu idẽtur sibi mutuò esse cõtraria. Doctoris aut pij est, illa pro suo ingenio & prudẽtia cõciliare: ne lectores vel impingãt, vel de veritate S. Scripturæ ambigãt. Vnde iis qui hoc præstãt, gratiæ sunt agẽdæ: tãtũ abest vt ista de caussa sint vel dãnãdi, vel accusãdi.

4. Quarta, certum esse quendã numerum apud Deum, tã prædestinatorum ad æternã vitã, quã reproborum: citra cõtrouersiã est. Nã qui seruãdi sunt gratia, fide atq. Sp. oportet vt diuinitus instruãtur. Proinde cum Deus istorũ bonorum sit autor: illum necesse est apud se constituisse ab æterno, quib. ista velit elargiri, quibus ve dare nolit. nisi eũ velimus existimare vel casu vel temere agere. Id autẽ vt absurdissimũ reiiciẽdũ est. Nã si duo passeres absq. volũtate patris nõ cadunt, nec citra eiusdẽ voluntatem vlli vel seruabuntur, vel deserẽtur, cũmq. volũtas Dei nõ sit noua, sed æterna, nec ipse mutetur, vt qui sit prorsus immutabilis, consectariũ est, numerũ vtriusq. ordinis iã apud eũ esse cõstitutũ. Huc deinde accedit: etiã capillos nostri capitis esse numeratos. Quare multò magis Deo cõstare necesse est numerũ seruãdorũ. Paulus præterea inquit solidũ firmũq. stare fundamẽtũ, quod Deus nouerit qui sint sui. Mẽtionẽ quoq. faciũt diuinæ literæ libri vitæ, dixitq. Christus Apostolis, Gaudete & exsultate, quia nomina vestra scripta sunt in cœlis.

5. Quintã, electos perire nõ posse asseritur, ac eos necessariò seruari. Hoc idẽ Christus dixit, quãdo ait, Se oues habere, quas nemo possit rapere de manu sua. nec nõ, Omne quod dat mihi Pater, ad me venit: & eũ qui ad me venerit, nõ eiicio foras. Et Paulus, vt prius, testatur firmũ stare fundamẽtũ. Qui etiã ad Romanos catenã cõnectit indissolubilem scribẽs, Quos præsciuit, hos & prædestinauit, quos prædestinauit, hos & vocauit: quos vocauit, hos & iustificauit; quos iustificauit, hos & glorificauit. Idcirco fieri nõ potest, quin electi deniq. seruẽtur, cũ Dei volũtas inuicta sit & omnino insuperabilis. E diuerso autẽ cũ reprobi sint vasa iræ aptata in interitũ, seruari nõ possunt. Nã ad salutem & Spiritus & fides requiruntur, quæ nequaquã omnib. promiscuè dãtur, cùm ad Rom. habeatur, Cuius vult miseretur, & quẽ vult indurat. Quia itaq. Deus cõstituit iudicio suo, semper vtiq. iusto, nõ autẽ semper manifesto, hæc dona eis nõ attribuere, procul dubio perdẽtur ac dãnabuntur. Liquidum præterea id est, neminẽ venire ad Christum, nisi Pater eum traxerit. Is autẽ nõ trahit, nisi quos voluerit. abscõdit. n. à prudentib. & sapientib. huius mundi, quæ paruulis patefecit, quod ei sic libuerit, vt Christus fassus est, cùm illi hac de re gratias agit. Neq. hoc nomine autorẽ Θάνατος accusandum putamus, quod Necessitatis vocabulum vsurparit, quia (vt ipsemet fatetur) necessitatẽ coactionis explodit, & illã quã inserit Θάνατος esse affirmat, eã verò Scholastici consequentiæ appellare consueuerunt. Deinde necessarij definitionẽ hæc accessit: Necessariũ videlicet id esse, quod se aliter habere non potest. Scripturæ autem diuinæ quàm manifestissimè docent, fieri non posse vt electi pereant. Nam de suis ouib. Christus ait: Nemo potest eas rapere de manu mea. Et de tentationibus extremi seculi scribitur: Vel ipsos electos iri seductum iri, si fieri posset. Vndè colligitur, eos qui electi fuerint, minimè seduci posse. Præterea si quis hoc inficietur, salutis certitudinẽ prorsus auferet.

6. Sextã traditur, ordinẽ diuini propositi nõ posse mutari: ita vt electus fiat reprobus, & vicissim reprobus euadat electus. Id autem non opus habet disceptatione, cum volũtas Dei (vt dictum est) sit immutabilis: & firmissimũ stet, quod in mente diuina constitutum fuerit. Ego sum Deus, apud Prophetam inquit, & non mutor. Ideo hæc de diuina electione secundum propositum firmissima sunt. At si loqueremur de illa electione quæ secundum præsentem iustitiã in Ecclesia & videri & iudicari põt, nõ negat autor, quin electus fieri queat reprobus: & è diuerso reprobus electus.

7. 8. Septima & Octaua cõprehẽduntur veræ caussæ atq. principia, quib. & Christi & Ecclesiæ κοινωνίας vere participes reddimur. Eorũ alterũ æternum est. nam dicitur ad Ephes. nos electos fuisse ante iacta fundamẽta mũdi. Et ad Tim. habetur, Sanctos gratiæ diuini fauoris ante secularia tempora fuisse participes. Alterum vero, nimirũ Sp. & fides, electis in tẽpore cõtingũt. nã Deus ea, cũ visũ fuerit, elargitur. Vinculorũ aũt vocabulo nõ intelligit autor vllã coactionem: sed tantum iuncturas & nexus quibus & Christo capiti, & reliquis membris eius conglutinamur. Nec diuinæ literæ à nomine vinculorũ abstinuerunt. nã ad Eph. 4. scribitur, Seruandã esse vnionem Sp. in vinculo pacis. Et ad Col. caritas vinculum perfectionis appellatur. Interna vero dicuntur hæc priora vincula: quoniam electio diuina in sua natura ignoratur: sed eius testimonium in animo nostro, nõ externus, habemus. Fides autẽ & Sp. hærent in corde nostro. Dicuntur etiã inuisibilia: quoniã aspectu externo cerni minimè possunt. Indissolubilia etiã sunt: quoniã electus nõ fieri põt reprobus: neq. reprobus vnquã euadet electus: & insitus in Christo, nunquã ab eo potest penitus excidere. & Sp. ac fidẽ iã acceptã funditus amittere: vt postea suo loco dicetur. Alia vero duo vincula, cum externa sint & visibilia, vtique dissolui possunt. multi quippe à professione doctrinæ, atque Sacramentorum participatione sæpe deficiunt.

9. Nonã semel tantũ dari fidẽ electis, affirmatur: verum nõ asseritur, eã nõ habere suas accessiones & imminutiones. Deinde, sermo instituitur de fide vera, qua iustificamur: alioqui fides tẽporaria & abire & redire põt. Quódq; attinet ad electos & renatos, de quib. modo agitur, scripsit beatus Ioãnes 1. Epi. 3. eos nõ peccare: atq. mox tõnẽ subiicit dicẽs, Quod in ipsis maneat semẽ Dei. Vocabulo aũt seminis, verba diuinæ promissionis intelligimus: quæ in filiis Dei manere nõ possunt, nisi fides quæ apprehẽdat ea, illis affuerit. Et quia fides citra Sp. nõ cõsistit: conficitur, fidẽ & Sp. in Sãctis, quando labuntur, consopiri & hebescere: non autem prorsus auferri: alioqui semen in eis non maneret.

10. Decima, caussa redditur, cur semel data fides, ob lapsus cõsequẽtes prorsus nõ excidat. Et vero duplex est: promissio in qua Dei. nã pollicitus est, se affuturũ perpetuò suis. Pro altera verò caussa, Christi preces assignãtur: qui non tantum pro suis Apostolis verùm etiã pro omnib. qui credituri erãt, Patrẽ orauit, nec preces eius irritæ fieri potuerũt. Deinde, cùm in sanctis lucta Sp. aduersus carnẽ sit perpetua, cõsequitur, Sp. in eis perpetuò manere: quãuis põdere carnis aliquãdo vincãtur: nisi n. maneret, quomodo posset carni reluctari? Manet itaq. fides in electis etiã quãdo labuntur: sed propter peccata languescit & consopitur: & ideò, quemadmodum Apostolus meminit, excitanda est.

11. Vndecima nõ opus habet declaratione, cũ se ipsã interpretetur. Quæ renatos asserit ideo nõ peccare toto animo & toto corde quoniam iis peccatis, quæ interdũ committunt, reluctãtur, faciuntque malum quod nollẽt, & bonum quod vellent non faciunt. Quare vnà cum Apostolo exclamant: Infelix, ego homo, quis me liberabit de corpore, &c. Et quamuis peccato seruiunt, lege tamẽ Dei mente delectantur. Deinde peccata electorum vel ex ignoratione proficiscuntur vel ex infirmitate. Paulus certè (vt ipse testatur) ignorans fecit, cum Christianos vastaret. Petrus verò ex infirmitate negauit. Ergo neuter eorum toto corde, totóque animo peccauit: quia neuter eorum plenam voluntatem suo peccato impendit. nam ea partim ex ignorantia, partim ex infirmitate imminuit.

12. Duodecima traditur, Petrũ ore negasse Dominũ, sed animo & corde fidẽ erga illũ retinuisse. Id aũt põt ex eo cõfirmari, quod Christus ait: Rogaui pro te Petre, ne deficiat fides tua. Exauditus porrò est filius Dei: quapropter fides eius nõ prorsus defecit, quãuis labefactatã esse, atq. nõnihil imminu-

nutam confitemur. Et hanc sententiam complures amplexi sunt: nimirũ Tertullianus in libro de Fuga, Augustinus de correctione & gratia, Chrysostomus item & Theophilactus in ea verba Christi Luc. 22. Bernhardus quoque de natura & dignitate diuini amoris, cap. 6.

13. Decimatertia. Promissiones, quo ad gratuitam Dei misericordiam, certam & æternam salutem, docetur solùm ad electos pertinere. Nam hæc reuera sunt occulta fidei, nec possunt aliter quàm fide percipi. Quare tantùm eorũ sunt, qui fide diuinitùs ornantur. Fidem autẽ non esse omnium, neque omnib. dari, ex sacris literis & experientia notissimũ est. Nemo venit ad me (inquit Dominus) nisi Pater traxerit eum. Cur vero, adiecit Augustinus, hũc trahat, & illum non trahat, noli iudicare, si non vis errare. Sũt quidem promissiones huius generis omnibus prædicandæ, quoniam verbi ministri electos secundum propositum nõ agnoscunt, cùmque plebem habeant ex reprobis & electis conflatam, Dei promissiones promiscuè omnibus inuulgant: quæ tantùm in illis facultate Spiritus Dei redduntur efficaces, qui cœtui electorum accẽsentur. Quare non absque ratione Christus pronunciauit,

Multos esse vocatos, electos vero paucos.

Nec dubium est, Paulum ad Romanos docuisse, promissiones minimè pertinuisse ad omnes qui erant ex Abrahamo secundum carnem: sed tantùm ad illos, qui filij promissionis essent.

14. Decimaquarta docet, quo pacto Deus velit omnes homines saluos fieri, & Christum esse propitiationẽ pro peccatis totius mundi. Atq. ostẽditur, si hæc dicta contrahantur ad electos, cuius ordinis fuerint: hac interpretatione Scripturas minime deprauari. Nos profectò sumus in eadẽ sentẽtia, nec eam expositionẽ salua cõscientia reiicere possumus: quã & congruã esse agnoscimus, & ab Augustino, Patre omnium laudatissimo, non semel allatam: cuius interpretationis ergo à nemine vnquã est hæreseos dãnatus.

De sententiis itaque seu Thesibus Doctoris Zanchij (viri cùm eruditione, tum pietate ornatissimi) nos re maturè ac bene consideratã, pronunciamus nihil in eis contineri vel hæreticum, vel absurdum. Imò eas amplectimur, partim vt necessarias, partim vt probabiles, quæque diuinis literis minimè repugnent.

Nec ignoramus illas habuisse assertores non modò antiquos Patres, verùm & reformatores Ecclesiarum nostri temporis, Lutherum, Capitonem, Bucerum, Brentium, & plerósque alios Euangelicæ doctrinæ illustres propugnatores. Iccirco ne resistamus Dei præcepto, quod Prouerb. 2. habetur, quo mandatur, ne illi desimus quæ versatur in summo discrimine, ac ne veritatem deseramus patiamurve vnà cum hoc Doctore tot præstantissimos viros, & de Ecclesiis filij Dei bene meritos damnare: visum est nobis omnibus, illi, hoc suo tempore, nostro testimonio adesse. in cuius firma solidámque fidem, vnanimi cõsensu & voluntate omnes huic iudicio atque censuræ manu propria subscripsimus. Datum Tiguri, 29. Decembris, Anno 1561.

Pastores & Professores Ministri Ecclesiæ Tigurinæ:
Henricus Bullingerus.
Rodolphus Gualtherus.
Ioannes VVolphius.
Petrus Martyr Tigurinæ Scholæ Professor.
Iosias Simlerus.
Ludouicus Lauaterus.
VVolphgangus Hallerus.
Iohannes Iacobus VVickius.
Huldericus Zuinglius F.

ECCLESIÆ ET ACADEMIÆ BASILIENSIS DE IISDEM THESIBUS IUDICIUM.

Martinus Borrhaus, suo & sacri Euangelij Doctorũ & Ministrorum nomine, eximia eruditione & pietate, & de literis optimè merito viro, D. Iohanni Sturmio, eiúsque venerandis collegis, amicis & fratribus in Christo dilectis, S. D.

CVm his diebus ad nos, Iohãnes Sturmi, vir clarissime, Hieronymus Zanchius, sacrarũ literarũ apud vos professor venisset: quasdã nobis de doctrina, quam in Schola vestra sparserat, propositiones de quibus post alios doctos & eruditos viros nostrã sententiã exponeremus, proposuit. Nos verò, cùm nõ exiguã discordiã ob eam doctrinã inter ipsum Zanchiũ, & quosdam Euãgelij ministros excitatam intelligeremus, ita de Thesibus istis iudicare statuimus, vt tu & collegæ tui cognosceretis, Primò, nos propensos paratósque esse, ad reddendum cuius de vera doctrina testimonium: à qua Zanchij (clari eruditione & pietate viri) propositiones minimè dissentire iudicamus. Deinde vestram Ecclesiam, quæ cum nostra semper arctissimã amicitiã cõiuncta fuit, dissidiis scindi, lacerari ac dissipari cœpisse, magnum nobis dolorem adferre, vt solent omnia amicorum, præsertim istorum, quos cœlestis amoris Domini nostri Iesu Christi Spiritus conciliarit, cõmunia esse prospera & aduersa, gaudia & luctus. Demum, vt sciretis nos vehementer cupere (quod vos facere non dubitamus) à vobis operam dari, vt quoad fieri posset, discussã perniciosæ discordiæ nebulã, salubris cõcordiæ lux resplẽdeat. Quod futurũ arbitramur si quæ aliæ excitati dissidij caussæ, quæ nobis notæ sint, fuerint, è medio tollantur: & Zanchij doctrina ita explicetur, vt offensi fratres intelligant, eam non dissidij, tanquam in re noua, sed veritatis quærẽdæ studio, studiosis auditoribus ad iudicandum propositã. Nam has propositiones tales esse cẽsemus, quarũ quædã aperto sacrarum literarum testimonio cõprobentur, quædam cum illis non pugnent: nullæ conscientiam, si rectè exponantur, lædãt: quas etiam à veteribus Theologis tractatas constat. Et quoniam semper alia docendi ratio in Scholis, alia popularium concionum ad vulgus fuit (quarũ alterã, auditorum animi ad grauius sacrarum rerum iudicium formantur: alterã indoctus & rudis populus, ad simplicem Christi, quam capiat, cognitionem eruditur) speramus, vtraque ratione cõsiderata, fore, vt vos pro prudentia vestra, qua polletis, facilè, magna Ecclesiæ vestræ salute & nostro gaudio, concordiam inter Zanchium & fratres sarciatis. Quod vt fiat faxit veræ pacis arbiter, & omnium quæ cœlo & terra continentur per sacrosanctum sanguinem suum pacificator Iesus Christus. Vale vir ornatissime, cum toto Collegio. Anno M.D.LXII. Ianuarij.

DE IISDEM DOCTORUM VIRORUM Epistola.

Clarissimo & eruditione & pietate viro, D. Ioan. Sturmio, Rectori Scholæ Argentinensis præceptori suo charissimo, & perpetua reuerentia colendo.

GRatiam & pacẽ à Deo Patre nostro, per Iesum Christum, in Spiritu sancto. Reuerẽdissime vir, charissime præceptor, clarissime Sturmi: Fuit apud nos Doctor Zanchius, vir eruditione & pietate clarus, nostris admodũ gratus hospes: verũ caussas eius aduentus dolemus. Nõ enim libenter audiuimus, doctrinã Christi à sancto viro D. Martino Bucero, piæ memoriæ, firmissimis testimoniis Scripturæ & argumẽtis confirmatã, & à vestris magno applausu tũ susceptam, in vestra eadẽ vrbe nũc condẽnari. Qua de re etsi non libẽter nos immiscemus dissidiis, multo minùs fouere studemus: tamen nostram sententiã ei cõmunicare, an dissidium hoc apud vos sopiri possit, nõ grauati sumus, nec dubitamus, Senatũ vestræ vrbis & Scholæ, à Deo pietate & eruditione & prudentia præ multis ornatũ, suo loco & tempore curaturũ, vt illi morsus Satanæ curari queãt & sanari: sat hostium exte norũ habemus, satis digladiatum & pugnatum est à nostris, nõ sine grauissimo vulnere Ecclesiarũ nostrarum, & cæterarum Christi. Tempus esset, vt illud Pauli rectè perpẽderemus: Quod si inuicẽ morderis, videte ne inuicẽ cõsumamini. Spero Doctorẽ Marbachiũ ea prudentia præditũ, vt intelligat, quẽ fructum reportarint nostris Ecclesiis, nostrorum Theologorũ disceptationes: eáque de caussa facilè se præbiturũ, vt ista Tragœdia sepeliatur. In Scholis licet de multis veris rebus disputare cum fructu, quæ suggestui nõ cõueniunt, neque cũ fructu sparguntur in aures vulgi. Candor deest nobis: quo amica collatione priùs omnia tentare deberemus, quæ pacem & concordiam spectant, quàm turbas excitare. Sed hisce de rebus satis. Non dubitamus enim, vestra interpositione in optatum finem perduci posse, quæ Satan in dissipationem & Scholæ & Ecclesiæ vestræ excitauit. Gaudeo & cõgratulor tuæ humanitati, quòd aliis tuis præclarissimis prælectionib. adiunxeris libros Chrysostomi, de officio & dignitate ministerij verbi in Ecclesia Christi differentes. Vtinã Ecclesia videat aliquando hosce libros tuis Scholiis illustratos: & orabo Deum, vt cor tuũ Spiritu suo exstimulet, quo in cœpta professione pergas. Mira enim & iucũda de te audiuimus à D. Zanchio. Hisce iã valeat tua humanitas in Domino Iesu quã felicissime, vnà cũ tota domo, Ecclesia & Schola. Oro autem, vt meam audaciam boni consulas, quòd meis illiteratis literis tuam humanitatem alioquin occupatissimam onerarim. Si quid in hac terra est, quod mihi dolorem augeat, est certè dissidium piorum & doctorum virorum in nostris Ecclesiis, eundem Christum confitentium. Raptim, ex Eichselio, 18. Augusti, Anno Domini 1561.

Ioannes Pistorius Niddensis, tuus totus.

CLA-

CLARISSIMO DOCTRINA ET VIRTUTE VIRO, IOHANNI STVRMIO, amico suo, S.D.

QVod tuis literis ad me petiisti, audiui clarissimum virum D. Zanchium. Et si autem cupiebat mihi non tantum historiam rei, verùm etiam vniuersam (*Fuit controuersia: sed sine vlla disputatione: illam enim impetrare nunquam potuit: imò nec amicum colloquium.*) disputationem commemorare: tamen quia absente & nondum audita altera parte (scis enim illud [illegible]) non sumo mihi de hac controuersia iudicium & cognitionem. non potui enim præsertim aliò vocantibus negotiis, hac in re omnino gratificari. Præstiti, quod in præsentia, & in huius caussæ ambiguitate potui. Quædam vtiliter dicit, si æquum habuerint interpretem: quædam probare nondum possum. Et tamen existimo rem non sic deploratam, vt consilio bonorum virorum, quos vestra Resp. insignes habet, non possit componi. Quod igitur vnum licet, ora Deum, vt ostendat vobis rationem, qua istud dissidium, nec Scholæ nec vobis vtile tollatur. Bene ac feliciter vale. Studgardiæ, die 13. Decembris.

Iohannes Brentius.

AMBROSIVS BLAVRERVS, DOCTORI HIERONYMO Zanchio.

THeses hasce tuas, quas non absque magna voluptate legi, mi Venerande charissimèque Zanchi, sic totis animis probo, complector & exosculor, vt magis non possim: vtque valde mecum demirer, inueniri vsquam posse inter puriores religionis vel nullo, vel ieiuno adeo sale eos Theologos, qui iis suum calculum addere, ac summa consensione subscribere nolint: quibus & Dei gloria maximopere illustrari, & parta nobis per Christum salutis gratia rectè commendare simul. & fluctuantium afflictarúmque conscientiarum tranquillitas, & consolatio vnicè, nec vlla alia ratione solidè firmiterque constare vnquam poterit.

Excellentissimum virum D. Iohannem Sturmium, Scholæ, adeoque totius Reip. vestræ incomparabile decus & columen, meis verbis quàm potes honorificè, in solida salute nostra Christo, saluere iubeo.

Vituduri, 24. Decembris. 1561.

CLARISSIMO VIRO D. IOHANNI STVRMIO, SCHOLAE Argentinensis Rectori, Domino suo colendissimo S.D.

FVit hisce diebus, vir clarissime, apud nos, communis vtriusque nostrùm summus amicus Doctor Zanchius. à quo cùm audierim eius caussæ tam longam dilationem: non potui non vehementer dolere, ac sum illius ex animo ac impensè misertus: qui hoc tempore tam incommodo, nec sine magnis sanè sumtibus, præsertim innocens, cogatur oberrare. Nobis quidem fideliter exposuit tum tuam, tum etiam Capituli suæ caussæ iustam & fortem defensionem. Qua de te tibi atq. tuis venerãdis collegis, maximas ago gratias. Retulit itém quinq. optimis viris consularibus negotiũ & cognoscendũ & definiendum esse commissum: vt auditis nonnullis doctorũ virorũ sententiis, quid videretur de tota re, deniq. pronuncient. Sed interea nihil esse actum: & se vereri ne cunctatio propterea interponatur, quòd iudices delecti, cùm interioris Theologiæ non sint admodum periti, metuant, ne religionis capitibus desiniendis, nonnullorum hominum reprehensionem incurrant. Proinde quamuis non dubitat præclaros illos viros, scriptis vtriusque partis diligenter perlectis, cognitáque vestri Capituli grauissimã sententiã, & duarum Academiarum præclaro iudicio, iam tandem intelligere, neque suam doctrinam esse impiam, neque ipsum pro hæretico habendum: attamen pro charitate Christiana requisiuit à nobis, vt sua dogmata seu θέσεις graui seueráque censura examinaremus: si quid minus orthodoxum in eis deprehendissemus, omni humano affectu seposito, illum vt fratrem admoneremus: sin verò ea quæ docuit vera & sana censeremus, testimonium, & quidem conscriptum, veritati dare non grauaremur, idque in eum finem, vt Magistratus Argentinensis intelligat, se in sua Schola nihil impium docuisse: delecti iudices queant libera tutáque conscientia, & sine vllo iustæ reprehensionis metu, de tota doctrina iam controuersa, ex multis certisque Ecclesiarum diuersarum & Euangelicæ Theologiæ Doctorum iudiciis liberè statuere, atque apertè pronunciare. Huic autem non minus docti quàm pij viri iustissimæ petitioni, per conscientiam, & eam fidem qua veritati sumus obstricti, non potuimus non assentiri. & quamuis nos haudquaquam lateret, vt aduersarij nostra testimonia sint pro nihilo habituri, quòd ab illis in caussa Sacramentaria dissentiamus: non tamen absterreri potuimus quin veritati laboranti opitularemur. Neque nos ita in odio esse arbitramur, vt putemur in gratiam vnius hominis, quantumuis chari atque amici, doctrinam impiam & hæreticam voluisse probare. Imò sumus vehementer admirati, quare ministri Ecclesiæ vestræ hanc doctrinam ausi fuerint damnare: cùm illam præsertim quo ad Prædestinationem, Ecclesiæ nexus, Perseuerantiam Sanctorum, & promissiones æternæ vitæ, professi fuerint tum Lutherus tum etiam Bucerus, Euangelij filij Dei concionatores celeberrimi. Et quia verisimile non est, vestros ministros in libris tantorum virorum non esse versatos: reddunt se suspectos, ne potius odio personæ, quàm studio veritatis adducantur, cùm doctrinam bonam ceu impiam, & veterem ceu nouam damnant. Quamobrem Deum Patrem Domini nostri Iesu Christi, ardentissimis votis oro, vt nos omnes aliquando tandem charitatis mutuæ vinculo coniungat. Te deinde, præstantissime vir, etiam atque etiam rogo, vt quemadmodum cœpisti, bonam caussam tueri pergas, & pro viribus cures, autórque sis pio & æquiss. Magistratui, vt pura sanáque doctrina vigeat, in Schola retineatur, nec innocenti homini patiatur iniuriam fieri. Hæc de amici nostri caussa: quæ, te precor vt in bonam partem accipias, boníque consulas. Nunc id restat, vt cùm iam acceperim, te animum prorsus appulisse ad sacra studia, vt istam voluntatem plurimùm tibi gratuler: atque horter, vt hunc diuinum instinctum omnibus modis amplectaris. nihil enim Deo gratius, nihil te dignius, nihilque accommodatius Ecclesiæ necessitatibus moliri potes. Quanta enim sit penuria [illegible], ipse intelligis. Vtinam cœtus fidelium tandem aliquando sentiat quantum possis. Vale clariss. vir. Dominus te omnium bonorum genere augeat. Pridie Kalendas Ianuarij 1562. Tiguri.

Tuus ex animo Petrus Martyr.

Multa alia, tum ad Iohannem Sturmium, tum ad ipsum D. Zanchium, doctorum virorum Epistolæ omittũtur: quòd præter probationem huius doctrinæ, priuata etiam negotia contineant.

HIER. ZANCHII

PRÆLECTIONES ALIQVOT DE FINE SECVLI, IN EA 1. IOH. 2. VERBA:

παιδία ἐσχάτη ὥρα ἐστί, &c.

CÆTERVM, quia præsens locus, vt aliquid de fine seculi dicam, postulare videtur (nam qui de fine seculi scripserunt, hunc etiam locum adducunt) & hæc quæstio multos vexauit & adhuc vexat: idcirco quid de ea sentiendum sit, paucis aperiam. Quæstionem autem hanc sex capitibus explicabo. Primum erit: An mundus hic habiturus tandem sit finem. Alterum, An certò à nobis sciri possit, quando futurus sit finis huius seculi. Tertium, an liceat homini Christiano indagare, quando futurus sit finis seculi & rediturus Dominus. Quartum, quæ sit caussa cur Domin⁹ tempus hoc noluerit & noluit à nobis sciri. Quintum, de signis quæ præcessura sunt finem seculi: &, an ex illis colligi possit certum tempus quo venturus sit Dominus. Sextum, de officiis Christiani hominis in hac quæstione de fine seculi.

Quod ad primum caput attinet, Tria hominum genera negarunt, mundum hunc finem habiturum. Primi fuerunt philosophi, præsertim Peripatetici. Ij enim senserunt;

salutis nullo modo pertineat ad eos, qui, licet sint è numero electorum, tamen baptizati non sunt, neque verbum audierunt: doctrinam hanc non recipio. pertinet enim promissio ad electos omnes: vnde & filij promissionis appellantur. Roman. 11.

Si vero ita vt dicamus, pertinere quidem ad Electos in ipsa electione, sed nondum reipsa, seu nondum ipsa promissionis consecutione, admitto.

Item quod ait, *Regnum Christi cum verbo & Sacramentis tantum esse*, si ita intelligatur, vt nullo modo ad regnũ Christi pertineant electi qui nondum verbum audierunt, nec Sacramenta perceperunt; non agnosco doctrinam hanc vt piam: Sed si ita, vt de promissione salutis etiam dixi: admitto.

De confessione & absolutione.

Quare impium esset, ex Ecclesia priuatam absolutionem tollere. Neq. quid sit remissio peccatorum aut potestas clauium intelligũt, si qui priuatam absolutionem aspernentur.

Si quis hæc verba ita accipiat, vt sentiat illas Ecclesias quæ priuatam absolutionem in templis non retinent, impie agere: non subscribo. neque enim assentior necessarium esse vt talis priuata absolutio in Ecclesiis habeatur aut retineatur. Si quis verò ita intelligat, non eam esse omnino damnandam; aut ex Ecclesiis, vbi iam obtinet, tollendam: sententiam hanc minime improbo.

De Missa.

Initiò hoc iterum præfandum est, nos non abolere Missam sed religiosè retinere ac defendere.

Quia (sicut initio etiam ego præfatus sum) in eam partem Augustanæ Confessionis & Apologiæ, quæ est de Ceremoniis, non consensi prorsus: ideirco hic articulus de Missa nihil ad me pertinet.

De vocabulis Missæ.

Scimus veteres loqui de oratione pro mortuis: quam nos non prohibemus.

Ego orationes pro mortuis simpliciter probare non possum, quod nullum testimonium aut exemplum in Scripturis habeam: præsertim si vocem orationis propriè accipias, non autem pro gratiarum actione.

Cõsensus inter Theologos & professores in Ecclesia & Schola Argentinensi: factus anno Domini M. D. LXIII. die XIX. Martij.

[Duo sunt præcipue capita controuersiæ, inter Pastores Ecclesiæ & Professores Scholæ Argentoratensis exortæ: alterum de Cœna Domini, alterum de Præscientia & Prædestinatione Dei.

Quod ad Cœnam Domini attinet: pius consensus constitutus est, vt pariter in Schola & in Ecclesia conformiter aliis piis Ecclesiis & verbo Dei, iuxta Augustanam Confessionem an. 1530. Imperatori Carolo V. a principibus & aliis quibusdam Imperij Rom. ciuitatib. exhibitam, & adiunctam Apologiam, Numburgi ab electoribus & Principibus Imperij denuo subscriptam, doceatur. Eaque sit norma & regula totius doctrinæ non tam de Cœna Domini, quam & reliquis articulis omnibus, ex verbo Dei sincero & incorrupto, in Scholis & Ecclesiis docendi.

Ad tollendam verò de sententia commemoratæ Confessionis in negotio Cœnæ dissensionem: cum vtraq. pars veram & substantialem præsentiam corporis & sanguinis Christi credat, & confiteatur, quæ cum pane & vino exhibentur, & in Cœna vescentib. distribuuntur. ne diuersitas formularum loquendi contentionem aliquam pariat placuit vt formulam Concordiæ inter Martinum Lutherũ, & Martinum Bucerum piæ memoriæ. Saxonicarum & superioris Germaniæ Ecclesiarum ministros initam, omnes in docendo sequantur.]

Quod initiò huius consensus habetur, vt Augustana Confessio sit norma & regula totius doctrinæ: intelligo vt sit norma totius doctrinæ de Articulis qui ibi explicantur, & Carolo V. Imperatori fuerunt propositi: ne scilicet aliquid diuersum ab illis rectè intellectis doceatur. Cæterum hic non prohibetur quin ipsa sacra Scriptura, sicut in se est, sic nobis debeat esse sola regula totius Christianæ doctrinæ de omnib. articulis, qui in Ecclesia & Schola Christi proponi debent. Eodem modo intelligo id quod ibi sequitur, formulam scilicet de Cœna docendi eam sequendam esse, quæ fuit facta inter Martinum Lutherum & Martinum Bucerum. Hoc ita intelligo, vt (quo ad eius fieri potest) iis vtamur locutionibus, sed in eum sensum, quem exposui, intellectis & explicatis. Neque aliter interpretor eam, quæ de Prædestinatione formula sequitur, vt videlicet secundùm illam iuxta sacras literas explicata, pariter in Schola & Ecclesia doceatur. Sic autem ego illā piā esse iudico, si ita explicetur quemadmodū sequitur.

De præscientia & prædestinatione Dei, secundum formulam sequentem pariter in Schola & Ecclesia doceatur.

De Prædestinatione.

I. Quæcunque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt: vt per patientiam & consolationem Scripturarū spem habeamus. Rom. 15.

Hic est vnus finis cum conditarum rerum omnium, tū reuelatarum Scripturarum: salus scilicet Electorum: sed alter, itque præcipuus, est gloria Dei, quemadmodū Paulus alibi docet. Proinde in primis semper, tum cùm docemus tum cum scribimus, tam cùm aliquid aliud agimus, quærenda est gloria Dei: secundo vero loco, salus Electorum: etiamsi inde reprobi maiorem sumant sibi occasionē sese perpedi. Neque enim doctrina, qua gloria Dei illustratur, ideo dissimulanda est: quia illa reprobi magis atque magis indurantur & pereunt: cùm etiam ipsorum perditio ad Dei gloriam faciat. Neq. aliter docuit Paulus. Quanquam hoc etiam verissimum est: nihil in Scripturis de reprobis dici, quod, sicut ad gloriam Dei, sic etiam ad salutem Electorum non faciat: vt etiam Rom. 11. patet. Quare verum est simpliciter: *Quæcunque scripta sunt, ad nostram, nostrûm scilicet Electorum doctrinam scripta esse.*

II. Omnis igitur docendi ratio, cum in schola, tum in Ecclesia ita instituenda est, ne aut cum doctrina pœnitentiæ pugnare, aut conscientiis afflictis consolationem & spem suam adimere videamur.

Doctrina sacrarum Literarum, sicut de reliquis articulis: ita etiam reuera de Prædestinatione Sanctorum, & Impiorum reprobatione: minime pugnat cum pœnitentia: nec afflictis conscientiis veram adimit consolationem, imo maxime & illam confirmat, & hanc affert. Est igitur tota S. literarum doctrina ita tradenda atque explicanda, sicut etiam est à Spiritu sancto tradita in sacris Bibliis, vtut reprobi ea offendantur, quia semper electis prodest. Quatum vero nobis, salua doctrinæ veritate, licet: semper ita sermo instituendus est, vt hic articulus docet.

III. Constat autem ex verbo Domini, æternam Dei esse præscientiam: qua res omnes præsentes habeat. coram ipso enim nihil præteritum aut futurum est. *Ita est.*

IV. Sic quoque est æterna Dei Prædestinatio, quæ ad Electos pertinet: facta prius quam mundi fundamenta iacerentur, Rom. 9. Ephes. 1.

Prædestinatio propriè de Electis dicitur: sed quin etiam æterna reproborum ad suum finem destinatio, Prædestinatio dici possit: articulus non negat, cùm Augustinus, & alij post illum Patres, in hunc sensum ea voce sæpenumerò vtantur.

V. Hæc autem cum sit abyssus, & extra Christum considerata in præcipitium inferni ducat, non nisi in Christo quærēda est, sicut scriptum est: Elegit nos in Christo, priùs quàm mundi fundamenta iacerentur. Ephes. 1.

Hoc ita certum est, vt qui vnquam id negauerit, sciam inter Christianos neminem.

VI. Eo igitur modo quærenda est, quo nobis à Christo reuelata est.

Hoc etiam est ita perspicuum, vt id negare nemo possit.

VII. Est autem in verbo Euangelij reuelatum æternum Dei decretum, Sicut vniuersum humanum genus per peccatum in iram Dei & indignationem incurrit, ita quotquot in Christum filium Dei & hominis pro peccatis totius mundi passum credunt, gratiam Dei & vitam æternam consequantur.

Hic non definitur illud æternum Dei decretum de certis hominibus in Christo saluandis, quod Prædestinationē appellamus, & de quo Rom 8. Ephes. 1. & alibi (in illo enim ipsa quoque fides, & quidquid ad salutem pertinet, continetur) sed explicatur decretum de modo quo voluit & vult Deus vt Euangeliū prædicetur. & sic docuit Christus atque Apostoli, & inter alios Paulus prioribus quinq. capitibus ad Romanos, de decreto verò quod est Prædestinatio, cap. 8. 9. 11.

IIX. Promissiones igitur cùm sint vniuersales, quibus Deus hanc gratiam suam offert, ideo nemo seipsum excludat, sed cum pariter omnes peccauerimus, omnes ex æquo, salutem oblatam apprehendamus.

Vniuersales sunt promissiones, quia vniuersis hominibus ex æquo proponuntur & proponendæ sunt. Ideo autem vniuersaliter proponuntur & proponendæ sunt, vt vniuersi fide illas recipiant, & quidem illas fide amplecti vniuersi & singuli homines iubentur. Si quis igitur se ab istis, quasi ad se non pertineant, excludat, suo id facit vitio & peccat. Non negat tamen articulus quin ad solos electos reuera pertineant promissiones de æterna vita: quia ipsi soli reipsa eas fide à Deo donari, tanquā ad se pertinen-

pertinentes recipiunt, vt Paulus docet ad Rom.

IX. Verissima & summa afflictarum conscientiarum consolatio, eaq. vnica, in iis promissionibus cōprehēsa est: Viuo ego, nolo mortē peccatoris. Conuertimini & agite pœnitentiā ab omnib. iniquitatib. & non erit vobis, in ruinā iniquitas. Ezech. 18. Et Christus: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos, Matth. 11.

Vnica appellatur consolatio: quia in hoc summa Euangelij posita est, quòd Deus in verbo reuelato nolit mortem peccatoris (qui se agnoscit peccasse, & cupit salutem) sed magis vt conuertatur, nempe ad Christum: & viuat, nimirum per Christum. Non negat autem articulus quin Deus velit mortem etiam peccatorum eorum, qui vel se nunquam agnoscunt peccatores: vel, si aliquo modo agnoscant, non sitiunt tamen salutem, ideoque nec conuertūtur ad Christum. Soli autem electi conuertuntur, & quidē Dei gratia: soli reprobi non conuertuntur, & quidem suo vitio. Deus autem ab æterno vtrunque præuidit. Non negat igitur Articulus, Deum ab æterno electorum tantùm voluisse salutem, impiorum vero iustum interitum.

X. Fides autem, qua oblatam Dei hanc gratiam vniuersaliter omnibus promissam accipimus, gratuitum Dei donum est, mera Dei misericordia nullo operum nostrorum respectu data, sicut scriptum est: Vobis donatum est pro Christo non solùm vt in eum credatis, sed etiam vt pro illo patiamini, Philip. 3.

Quidquid autē nunc dat Deus vel non dat, ante mundi constitutionē se daturū vel non daturum præsciuit ac definiuit. Deum igitur, ante mundi constitutionem, constituisse fidē dare quibusdam, hoc est, illis quibus dat, & quibusdam non dare, illis nimirum quibus non dat: negari minimè potest. Quare iste articulus statuit certū numerum Electorū, quibus donanda erat fides, & per fidem vita æterna: & certum numerum reproborum, quibus fides non erat donanda, ideóque nec vita æterna.

Quod autē hæc gratia, siue hoc donum fidei non omnibus à Deo datur cùm omnes ad se vocet, & quidē pro sua bonitate serio vocet, Venite ad nuptias, omnia parata sunt: arcanū est soli Deo notū, nulla ratione humana perscrutabile, mysterium tremendū & adorandū, sicut scriptum est. O altitudo diuitiarum, Rom. 11. Et Christus gratias agit Deo patri, quod hæc absconderit à sapientibus, & reuelarit paruulis, Matt. 11.

Duo hîc sunt explicanda: & quòd Deus omnes seriò vocet: Et quòd caussa, cur Deus, cùm omnes vocet, non omnibus tamen dat fidē, arcana sit & soli Deo nota. Ad primum quod attinet, quanquam illud *Seriò* in Scripturis nō inuenio: non tamen damno, sed intelligo (sicut intelligendū est) quo ad voluntatē reuelatam: quatenus scilicet externa Euangelij prædicatione ita omnes ad se vocat Deus, vt neminem excludat, nemini que illudat: quasi vero aliquē vocet, quem postea, si vocanti assentiatur, nolit ad se atque in gratiam suā recipere. Cæterùm quo ad arcanā voluntatem: non omnes eodem proposito & in eundem finem à Deo vocari, negari non potest, nisi quis velit contra Apostolum negare, quosdam & non omnes vocari secundum propositum. cùm enim ait Apostolus Ro. 8. Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, iis qui secundū propositum vocati sunt sancti: duplicem esse Dei vocationem: vnā secundùm propositū, & hac vocari electos: alteram non secundùm propositum, & hac vocari etiā reprobos: & illos quidem, vt salui fiant, hos verò, vt reddantur inexcusabiles, cùm & ipsi ita externa prædicatione vocentur, vt si vocati non assentiantur & ita non seruentur, id suo ipsorum planè fiat vitio.

Quod verò ad alterum attinet, illud intelligo de remota & vltima caussa. nam quo caussa proxima & immediata, ea manifesta est in Scripturis: nēpe ideò, licèt omnes vocantur, non omnibus tamen donari fidem, quia non omnes sunt electi, neque omnes sunt ex Deo. *Multi enim sunt vocati, at pauci electi.* & *Qui ex Deo est, verbū Dei audit. Propterea vos non auditis: quia ex Deo non estis.* Item, *Sed vos non creditis, quia non estis ex ouibus meis.*

Cæterum quia specialis caussa, cur hos elegerit, & illos non elegerit, soli Deo nota est: cur autem detur alicui fides, & alicui non detur, id pendet ab electione: Idcirco articulus ait, Caussam cur donū fidei non omnibus detur à Deo, cùm tamen omnes vocentur, arcanā nobis esse, soli verò Deo notam, & mysterium tremendū. Et in hunc sensum, dictum illud pium agnosco, & vt pium recipio.

XII. Interim sibi afflictæ conscientiæ in volūtatē Dei, in Christo reuelatam respiciunt, qui omnes peccatores ad se vocat.

Hoc certè officium est nostrum: vt, cùm vocamur, minimè quæramus de nobis sit voluntas Dei arcana, inuestigemus: sed in voluntatem reuelatam inte[...] sequamur, certi ac persuasi, nos seriò hoc c[...] positum, & sine vlla illusione ad salutis [...] munionem vocari: alioquin iniuriam [...] cermus ni ita credamus.

XIII. Neque vero propterea dicendu[...] peccatum: dū peccatorum voluntatem & [...] per impedit, sed permittit eos in peccatis p[...] tè enim Deus odit peccatū: cuius autor est [...] veritate non permansit, Ioh. 8.

Illud *velle* pro approbare, & de volunta[...] telligendum esse, docet ratio quę subditur: [...] *odit peccatum.*

Cæterum peccatum contingere contra a[...] voluntatē, quasi inuito Deo aliquid fiat, art[...] cet: imo contrariam verámque sententiam [...] ait, *Deum peccatorum voluntatem & viam [...] pedire.* non impedit igitur, quia non vult [...] proinde nihil fit contra omnipotentissimā [...] tem, licet multa fiant contra illam Dei vol[...] nobis semper in omnibus actionibus spect[...] sequenda.

XIV. Deus autem horribiliter peccato ir[...] bet, & iram suam omnibus transgressoribus [...] natur. Non es Deus volens iniquitatem. Odi[...] iniquitatem operantur. Psal. 5.

Hoc est certissimum: proinde semper ca[...] peccemus. & ad hoc studium vocant nos o[...] ræ. *Hæc scribo vobis* (inquit Ioannes) *vt ne p[...]*

XV. Ea autē est Dei bonitas, vt malo q[...] bene & ad nominis sui gloriam vti possit [...] est. In hoc excitaui te, vt ostendā in te virtut[...] annuncietur nomen meū in vniuersa terra. [...] 9. Item quando peccatum peccato punit Ro[...]

Duo hic tradit articulus I. Quod De[...] mittat II. Quòd illis bene vti possit pro bo[...] ad primū attinet: intelligo Deum non ita pe[...] la quasi otiosus tantùm sit spectator eorū qu[...] permittere, vt ipse sua omnipotente manu c[...] ribus operetur, vt Scriptura docet. nō quidē [...] la, hoc est, peccata sunt, sed quatenus actione[...] & pœnæ aliorum peccatorum, hominibus, b[...] actiones, sua malitia, contaminantibus & i[...] uertentibus. Et sic esse intelligendum hun[...] docet tum locus Pauli de Pharaone, cum [...] Quod Deus puniat peccata peccatis.

Quod ad alterum: intelligo, Deum ita p[...] ad suam gloriā, vt reipsa semper vtatur. Qua[...] tur articulus de potentia Dei otiosa, sed de p[...] ua, hoc est, qua reipsa agit, & moderatur om[...]

XVI. Neq. vero peruersè quis colligat [...] esse à Deo ad interitum formatum & præpa[...] ceptus à Satana & carne sua, sese multis pec[...] quin potius illud Apostoli consideret: Si qu[...] se ab istis, erit vas in honorem sanctificatum [...] mino, ad omne opus bonum paratum. 2. Tim[...]

Hunc articulum ita intelligo, & ita intell[...] quod nemo etiāsi videat se labi in peccata, [...] mare se esse vas iræ, aptatum ad interitū, & [...] quasi sit tale vas: hæc enim opinio & impia [...] ciosa: Impia, quia e Scripturis, quæ solæ sun[...] nemo colligere potest, se esse vas iræ aptatū a[...] proinde qui ita cogitat, peccat in verbum De[...] quia & licētiā & desperationē adfert, ideóq. [...] ducit. Sed cōtra debet quisq. sibi persuadere, [...] stinatū vt sit vas in honorē: ac proinde pro vir[...] se peccatis polluat, sed tot9 in hoc incūbat, vt [...] perditā quæ posita est in iustitia & sanctitate [...] ret: atq. hac ratione debet, tū sibi tum aliis a[...] rare, se vas esse honoris & non contumeliæ. [...] que vitanda dubitatio de sui electione, mult[...] otiosa & impia opinio, quod sit ex numero r[...]

XVII. Nec sibi quisque propter electionis [...] in se ipso senserit, ita adblandiatur, vt in pec[...] ra contra conscientiam ruat, sed Apostoli a[...] semper ob oculos positas habeat, Si secund[...] xeritis, moriemini. & iterū, Nolite errare, Neq[...] res, neque idolis seruientes, neque adulteri, ne[...] neque fures, neque auari, neque ebriosi, neq[...] neque rapaces, regnum Dei possidebunt. 1. Co[...] 5. Huc eiusdem Apostoli dictum pertinet: Q[...] se stare, videat ne cadat, 1. Corinth. 10. Et iteru[...] regnet peccatum in vestro mortali corpore, [...] concupiscentiis eius, Rom. 6.

Tit. VII.

Hic articulus prudenter superiori fuit annexus: sicut enim abiigenda est impia diuinatio de sui electione, ita etiam vitanda est perniciosa carnis securitas: quam securitatē nostræ carnis ingenium (quod rebus omnibus bonis in Spiritus perniciem, quoad eius potest, abuti solet) concipit nonnunquam ex pia cognitione de nostri electione ac salute. Est igitur cum certitudine nostræ salutis & electionis coniungendus timor de nobis ipsis,& in arce securitatis spiritus,vbi tuti in promissionibus Dei conquiescimus præcludendus est aditus securitati carnis, quæ nos in omne genus flagitia nostrapte natura nimium propensos, præcipitare nonnunquam solet. Articulus igitur iste,etiamsi prohibeat securitatem carnis non damnat tamen securitatem Spiritus & fidei. Atque hoc modo doctrinam hanc vt piam agnosco atque recipio.

XIIX. Qui enim concupiscentiis obediunt,fidem,quæ fiducia est in misericordiam Dei per Christum & in Christo promissam, excutiunt, & Spiritum sanctum amittunt: ac tam diu sub tyrannide peccati sunt, donec pœnitentiam agant, & per Spiritum Christi iterum erigantur.

In priori exemplo, quod mihi fuerat legendum, antéquam subscriberetur, exhibitum: ita habebat ad verbum, vti hic est descriptum: proinde cum etiam reprobi multi, fide quadam inueniuntur, simili admodum fidei Electorum, articulum hunc tam de electis,quam de reprobis intelligebam. Si igitur hæc propositio tam de Electis, quam de reprobis conditionaliter intelligatur, sicut reuera conditionalis est,simpliciter verissima est atque certissima: nimirum,quod si quis,(quisquis ille sit siue electus, siue reprobus)vere & iuxta propriam verbi significationē, obedit concupiscentiis, hoc est ex animo deliberataque malitia peccat, amittit fidem, & Spiritum sanctum, a quo sanctificabatur, penitus excutit: atque propterea quod fides cū huiusmodi flagitiis nullo modo consistere potest. Cæterum non hinc consequitur,sicut reprobi temporarij huiusmodi scelera admittunt,ita electos eadem quoque admittere. Si vero absolute pariter intelligatur, posse nimirū tam Electos quam reprobos concupiscentiis obedire, fidem amittere, & Spiritum sanctū excutere: vera quidem esse affirmo: sed non eodē modo de vtris quo de alteris intelligendā esse dico: cum magnū discrimen sit, primum inter fidē qua Electi,& inter eam qua reprobi a Deo donantur: deinde discrimē cū sit inter peccata in quæ labūtur Electi,& inter illa quæ admittunt reprobi, seu inter illorū & istorū obedientiam, qua dicū ur obedire concupiscentiis: ac proinde postremò, maxima cùm sit differentia inter illam amissionem qua Electi,& inter illam qua reprobi dicuntur amittere fidem & Spiritum sanctum. Ac primum quidem,fides Electorum est vera & viua,ideóque & perpetua: Reproborum vero,etiamsi nonnunquam similis admodum fidei Electorum esse videatur, temporaria tamen est(vt in Euangelio docet Christus)ideoque nec vera nec viua. Et Electi donantur Spiritu vere regenerante: reprobi vero primitiis quibusdam huius Spiritus: sed nunquam vere & perfecte regenerantis.

Deinde impij reprobi vere obediunt concupiscentiis peccati in se regnantis: quia illud amant, illi sine vlla contradictione obtemperant, eoque plane delectantur,vt ideo cupiant, æternum viuere (vt ait D.Gregorius) quo possint sine fine peccare, seu peccato in æternum seruire: Electi vero,etiamsi nonnunquam admittant ea,ad quæ à peccato inhabitante impelluntur, idque ex aliquo consensu: minime tamen proprie peccati concupiscentiis obedire possunt.peccatum enim non amant,sed odio habent, illique semper repugnant spiritu: atque ita repugnant, vt perpetuum sit eis bellum cum peccato, vt Paulus docet, perpetuam esse pugnam in piis inter carnem vbi inhabitat peccatum,& inter spiritum vbi inhabitat spiritus Christi & regnat. Proinde verbum illud, *obedire concupiscentiis*,cùm ad electos transfertur καταχρηστικῶς intelligendum est: peccato enim obediunt vt tyranno, non vt regi, ideóque partim volentes, partim nolentes obediunt. Postremo electi nunquam penitus amittunt fidem, hoc est, illam vim à Spiritu sancto infusam, qua tum toti verbo Dei, tum speciatim Euangelio Christi credunt, eóque fiduciam de certa peccatorum propter Christum remissione, concipiunt: non amittunt inquam penitus: quod Deus in illis perpetuo semen fidei conseruet: tum propter promissiones suas hac de re factas, tum propter precationem Christi: amittunt autem ex parte nonnunquā,nempe cùm actu peccant: præsertim ex consensu,licet non pleno.quomodo? quatenus per consensum in peccatum,cum ille actus fidei seu fides actualis,quæ fiducia est de remissione peccatorum omnium, plane è mente expellitur & euanescit: tum ipsa virtus fidei concutitur & languescit, atque infirmatur: quemadmodum cùm à terræ motu & fulmine, tum tectum domus decidit, tum fundamentum concutitur & debilitatur. Reprobi vero omnè penitus fidem illam quam habebant temporariam, amittunt, iuxta illud. *Et qui non habet, etiam id quod videtur habere, auferetur:* Quatenus igitur articulus iste de reprobis intelligitur, nomine fidei & fiduciæ intelligo fidem & fiduciam temporariam,ideóque non veram. Nomine vere Obedientiæ intelligo propriè obedientiam illam,qua ex animo & tota voluntate concupiscentiis peccati,tanquam mandatis proprij & amati regis sine vlla repugnantia obtemperatur:ac proinde etiam nomine Amissionis fidei intelligo totalem totius fidei amissionem. Atque iuxta hunc sensum piā esse propositionem sicut semper docui,ita etiam nunc fateor.

Quatenus vero de Electis intelligi potest, piam esse agnosco iuxta hunc sensum,quòd cùm peccant, præsertim ex consensu, fidem hoc est,actualem, (vt explicat articulus)fiduciam amittant,cùm actus peccati ex consensu admissi consistere nequeat cum actuali fiducia de remissione peccatorum: fidei autem vim non penitus quidem amittant, sed tamen ita concutiant & labefactent, vt nonnunquam penitus exstincta fere esse videatur, hæc verò denuo excitatur ad nouum fiduciæ actum, noua verbi prædicatione,& Sacramentorū administratione aliisque mediis, quibus vtitur ad excitandam in cordibus Electorum fidem. Atque iuxta hunc sensum propositionem hanc etiam cum de Electis intelligitur,piam esse,vt semper noui, ita etiam nunc agnosco,& vt piam recipio.

Quia vero primo exemplari horum articulorū, postea additæ fuere hæ duæ voces, *viua & vera*(id quod,cum ad subscriptionē accederetur, me prorsus latebat)& ita legitur *fidem,quæ est fiducia viua & vera amittunt:* in solis autem Electis vera & viua potest esse fides: idcirco de Electis tantum hunc articulum video esse intelligendum. Quomodo autem,si de Electis intelligatur, agnoscam illum esse pium,iam explicatum est: primū quidem, si conditionaliter intelligatur: deinde si etiam sine conditione, quatenus Electi propterea actualem consensum in peccatum, tum actualem fiduciam de remissione peccatorum planè excutiunt:tum ipsam fidei virtutem, etsi non penitus amittant, ita tamen concutiunt, vt mirum in modum debilitetur & languescat.Ita vero intelligendū esse articulum, docet etiam postrema particula. *Et tandem manent sub tyrannide peccati, donec per Spiritum Christi iterum erigantur.* Intelligit igitur electos vna cum sua fide cū peccant concidere quasi in lucta cum peccato, atque ita concidere vt resurgere nequeant, nisi per Sp. sanctum denuo erigantur. Sic etiam Lutherus loquitur, *Obtinente fide, peccatum* scilicet actuale, *euanescere: obtinente vero peccato, fidē iacere*, nimirum quasi vulneratam atque prostratā. In hūc igitur sensum articulum hunc vt pium recepi.

XIX. Cum autem duplex finis sit doctrinæ & disputationis de Prædestinatione: alter, vt gratia Dei, qua iustificamur sola, contra vires humanas & liberi arbitrij asseratur,in qua sententiā D. Augustini, Lutheri, & Buceri scripta extant: alter,vt in lucta carnis & Spiritus firmam consolationem afflictæ conscientiæ habeant, videlicet salutē nō in suis ipsorum,quibus facilè excuti posset sed Christi manibus cōsistere,sicut scriptum est Oues meas nemo rapiet è manu mea Ita in vtroque oratio cōponenda est, ne aut altius euolemus quàm reuelata in Christo voluntas Dei permittat:aut minutim eam deprauemus, quo viribus humanis vel modiculum tribuatur.

Totum hunc articulum simpliciter vt pium agnosco, & vt pium recipio: præsertim si nomine reuelatæ voluntatis nil aliud intelligatur,quam (sicut intelligendum est) ipsum Dei verbum in Scripturis reuelatum. Atque eò magis piū agnosco, quod probant D. Augustini, Lutheri, & Buceri scripta de Prædestinatione.

XX. Quapropter phrases duriores in Scripturis non vsurpatas, quibus partim etiam Ecclesiastici scriptores veteres & neoterici vsi sunt, vel declinemus prorsus, vel ita temperemus,ne in commemoratos scopulos, Pelagianismi aut Epicuræismi impingamus.

Salutare consilium. Neque ego aliter vnquam faciundum esse iudicaui.

XXI. Parcè etenim & admodum sobriè hoc summum salutis nostræ mysterium in Scriptura traditur.passim verò & in omnibus locis reuelata voluntas,quæ absconditæ contraria non est, proponitur: ad quam omnes homines reuocantur, in qua etiam tutissimum est acquiescere.

Dictum hoc intelligo comparatiuè: doctrinam, nimirũ de Prædestinatione, parcè in Scripturis tradi, prout reuelata voluntas, hoc est, doctrina legis, & veræ, quam à nobis Deus exigit, pœnitentiæ inculcatur. Cæterùm non totam de Prædestinatione, Reprobatione, Prouidentiáque Dei doctrinam, quæ in sacris literis traditur, his articulis contineri manifestum est. Si igitur aliquid præter hos de Prædestinatione articulos è sacris literis docuero, minimè cõtra hanc formulam me docuisse testatum volo.

Habetis hic, obseruandissimi Domini, non tam subscriptionis meæ, quàm totius illius doctrinæ, in quam nuper consensi, explicationem & confirmationem. Ex quibus facilè vobis patet, me noua illa subscriptione neque priori causa cecidisse, neque priorem sententiam iam de Cœna Domini, quàm de Prædestinatione & Perseuerantia Sanctorum mutasse, neque quidquam contra propriam conscientiam fecisse.

Ego verò principiò vobis testor, me serio pacis studio adductum, cum illis tribus exceptionibus quas paulò antè commemoraui, in hanc quã modò explicaui doctrinæ formulam ex animo consensisse: quòd si æquum habeat interpretem, nullã mihi sapiat hæresin aut impietatem: ac proinde illam denuo subscriptionem meam eadẽ ratione confirmo. Deinde promitto, me (quemadmodum hactenus etiam feci) & vsurum ea diligentia simul & dexteritate in docendo, quæ Christianum Theologum decet: & veræ paci atque concordiæ pro mea parte eam daturum operam, quam non tantùm vos, sed Dominus ipse Iesus Christus à me postulat. Atque ita vtrunque promitto, vt etiã paratus semper futurus sim pœnas libenter dare, nisi & doctrinæ à me traditæ, & totius officij mei, vbicunque opus fuerit, rationem reddidero. Tantùm hoc à Vobis peto, vt mihi per vos liceat liberè tum sacras literas interpretari, tum Christiana dogmata quæcunque occurrerint explicare, tum meas tam interpretationes quã dogmatum explicationes in Scholis (vt semper moris fuit) publicis disputationibus defendere: & si quidem contrà sentiant alij, iubeantur priùs amicè mecum agere, applicationésque & rationes meas audire, quàm ad accusationes decurrant: & si accusent, cogãtur accusationes probare, & mecum aut in amicam collocutionẽ, aut in Scholasticam disceptationem venire: neque permittantur quæ in Schola sunt inter doctos discutienda, ea ad indoctam plebem indiscussa deferre otiosè proponere, & tanquam iudicata damnare: & erga nos idem vsurpetur, quod etiam maiores vestri aduersus Papistas statuerunt anño M.D. xxrix. (vt certissimus rerum vestrarum testis piæ memoriæ, Iohannes Sleidanus scriptum reliquit libro historiæ sexto) nimirum vt qui alterum improbet & impia docere dicat, neque caussæ cognitionem admittat, hoc est, neque in colloquium, neque in disputationem venire velit cum aduersario, is docendi munus posthac ne exerceat. Sunt hæc omnia quæ peto & rogo, vt videtis, iustissima atque æquissima. Quæ si à vobis impetrem, & ego libenter vobiscum manebo, & vos (vt confido) vel nulla posthac, vel certè diuturnã videbitis inter vestros professores dissidia. Si verò non possim hæc impetrare: quia per conscientiam non possum alia ratione hic esse, cùm bona vestra venia, actis priùs gratiis pro vestra erga me beneuolentia atque humanitate multísque præstitis beneficiis, honestam peto missionem. Dominus Iesus vos suo Spiritu sapientiæ & fortitudinis atque iustitiæ semper regat.



ACADEMIAE ET ECCLESIAE MARPVRGENSIS, CVM DE OMNIBVS HISCE ZANCHII Thesibus in genere, tum speciatim de illis, quæ sunt de Fide, déque Perseuerantia Sanctorum in fide, Iudicium.

THESES.

De fide Electorum.

ELECTIS in hoc seculo semel tantùm vera fides à Deo datur. Et qui ea donatus est (præsertim de adultis loquor) eã in seipso sentit: id est, verè cognoscit & sentit se verè credere.

2. Electi, semel vera fide donati, Christóque per Spiritũ verè insiti: fidẽ prorsus amittere, Spiritũ S. omnino excutere, & à Christo excidere penitus non possunt: idque tum propter promissionem Dei, tum propter Christi precationem. Neque tamen hinc sequitur, vel pœnitentiam negari, vel licentiam concedi.

3. In electis regeneratis duo sunt homines, interior & exterior. Ij cum peccant, secundum tantùm hominem exteriorem, id est, ea tantũ parte quæ non sunt regeniti, peccant. secundum vero interiorem nolunt peccatum, detestantur peccatum, & condelectantur lege Dei: quare non toto animo, aut plena voluntate peccant.

4. Petrus eam, cùm negauit Christum, defecit quidem fidei confessio in ore: sed non defecit in corde.

ACADEMIÆ ET ECCLESIÆ Marpurgensis

De hisce Thesibus Iudicium. August. 15. Anno 1561.

OBSERUANDUM ante omnia, in humanæ salutis negotio Deum hoc progredi ordine:

1. Primùm, antequam iacerentur fundamenta mundi, semel elegit seu prædestinauit in Christo, quos voluit: solo adductus beneplacito voluntatis suæ, vt laudetur gloria gratiæ suæ. Ephes. 1.

2. Semel ab æterno electos, Deus, vbi nati sunt, quocũque vitæ tempore ipsi visum fuerit, vocat, & quidem per verbum: quo ratio cõsequendæ per Christũ salutis proponitur. Quæ vocatio itidem contingit non propter opera nostra, sed secundũ Dei propositum & gratiam, quæ data est nobis per Iesum Christum ante tempora æterna. 2. Tim. 1. Præcedens ab æterno electio, vocationis in tẽpore caussa est. 3. Verbo de salute per Christũ, quicũq; toto assentiũtur animo: ij dicũtur credere & fidẽ habere. Rom. 10. Sed hæc ipsa fides, vera, inquam, atque firma, donum Dei est. Eph. 2. Nõ n. omniũ est fides. 1. Thess. 3. Sed verè credunt, quotquot ad vitã æternam sunt ordinati. Act. 13. itaque ex electione ab æterno facta, etiam fides perfecta pendet.

4. Hac fide homines iustificãtur, idq; iterũ gratis, per Dei gratiã, p redẽptionẽ, quæ est in Christo Iesu: quẽ proposuit Deus recõciliatorẽ per fidẽ, interueniẽte ipsius sanguine.

5. Eadẽ fide & in ea iustificatione accipiunt electi Spiritũ S. qui ipsos sanctificat, singulari modo gubernat ipsorum actiones: denique certiores facit, quod sint filij Dei, ac proinde hæredes Dei, & cohæredes Christi. Rom. 8. Eph. 1.

6. Porro iustificati atque donati Spiritu sancto, postremũ gloriam adipiscuntur æternam. Quæ omnia breuissimè nouit Apostolus Rom. 8. Quos Deus prædestinauit, eosdem & vocauit: & quos vocauit, eos & iustificauit: quos autem iustificauit, eos & glorificauit.

Iam vero quæstio est An tales, quando in hoc vitæ cursu peccant, fidem illam veram, qua in vocatione pridẽ sunt donati prorsus amittant? An acceptũ Spiritum S. à se excutiant: denique, an à Christo omnino excidant? De hac quæstione difficili sanè, vt pro modulo nostro quàm simplicissime, & quoad eius dabitur, secundum mentem Scripturarum respondeamus, necesse est a nobis expendi:

1. Qualia in electis deprehendantur peccata: & quomodo iidem ad peccandum inducantur.

2. Qualia sint admissorum peccatorum in electis effecta.

Quod ad priorẽ partem attinet, extra controuersiã est, electos atq; sanctos, quantũlibet Deo chari sint, frequenter tamẽ peccare. Rom. 3. Psal. 14. 53. Rom. 5. Ps. 31. 1. Ioh. 1. Prou. 24. Liquidò insuper cõstat, cõtra vtrãq; Decalogi tabulam ab electis peccata fœdissima designari. Petrus, quãdo post promissam & iactatã cõstantiam in cõfessione, Christũ nõ semel & apud plures, vixq; vllo adhuc ante oculos posito periculo negauit: in legis diuinæ priorẽ Tabulã deliquit grauissimè. Dauid posterioris Tabulæ præcepta plura trãsgreditur, dũ & longo tempore perstat in adulterio, & circũspectiuè quo pacto scelus suum posset tegere, euocatum Vriam ad vxorem accedere iubet. Cùm autem & hac parte se falli cerneret, innocentem hominem & fidũ ministrum curat interfici. Hæc peccata si quis extenuare quouis modo conetur, vehementer & is peccauerit.

Sed enim si, quomodo electi ad peccandũ adducantur, libet inquirere, magnum discrimen inter electos, & eos qui non sunt de electorum numero, comperiemus. In eum námq; qui nõ est electus, nec vere regeneratus, quãuis externa confessione doctrinæ atq; cõmuni Sacramentorum vsu sit insitus Ecclesiæ, semper aliquod ius habet princeps huius seculi, Spiritus malus. Quamobrẽ & facile impellit eũ ad omnis generis flagitia, vt seruiat concupiscẽtiis carnis: & quæcunque carni ac menti libeat, magna alacritate perficiat. Eph. 2. Itaq; Iudæ, auaro alioqui & furi, suggessit, & citò persuasit, vt Dominũ ac Seruatorẽ suũ hostib. proderet, Ioh. 13. Atqui in electo ac regenerato, quẽ Christ' ex potestate diaboli eripuit, lõgè aliud spectare nos oportet. Si quidẽ in regenerato Apostol' Ro. 7. (vbi oẽs eruditi consentiũt, Apostolũ de seipso proferre exẽplum: aut certe, in psona pij & electi cuiuspia dicere omnia) duos ait cõsistere homines: internum, qui est à regeneratione: externum qui fuit antè regeneratiõẽ, ac post ẽt manet. Quãdocũq; igitur elect' ad peccandũ siue à Satanæ, siue à propriæ carnis cõcupiscẽtia tẽtatur: statim duo illi in ipso homines certamẽ acerrimũ incũt. atq; intern' homo, quoniã habet Spiritũ S. ac delectatur lege Dei, hortari & extimulare hominẽ nõ desinit, vt legi Dei vsq; seruiat, neq; mẽbra sua iniustis actionibus vnquã accõmodet. Ex aduerso externus homo, quoniã habet carnem, ac delectatur lege peccati, quæ est in mẽbris homini interno atq; Spiritui omnib. virib. repugnat, & nihil nõ molitur quò hominẽ ad peccandũ impellat. In hoc igitur certamine quãdo electus homo peccatũ cõmittit, tum externus ei' homo aduersus internũ quarumlibet reluctãtem, præualet. Hinc verò perspicuum fit, electum hominem, quomodocunque labatur, nõ tamẽ peccare toto animo, tota mẽte, ac plena voluntate: quãdoquidẽ (vti Paul' disertè ait Ro. 7.) quod agit malũ, nequiquã probat. Nec. n. quod vult, hoc facit: sed quod odit, hoc agit: atq; cõsentit interea legi Dei q bona sit. Ex quo insup sequitur, vt nõ ipse illud ppetret, sed innabitans in ipso peccatũ. Nam in externo homine, atq; in carne bonũ nõ inhabitat. Vellet quidẽ intern' homo nihil nisi bonũ fieri: at, quo minus pro voto possit, impeditur ab homine externo. Itaq; mẽte quidẽ seruit electus homo legi Dei, carne verò seruit legi peccati, cui per legem mẽbrorum, tanquam venundat' atq; captiu' addicitur. Ad hæc Gal. 5. aperte dicitur, Spiritum & carnem sic perpetuò inter sese pugnare, vt pij nõ quæcunq; volue. int faciant. Ergo si peccata, quæ ab electis designantur, respicimus: sunt, quod ad Spiritum attinet, peccatis reproborum paria. Sin cõsideramus modum, quo ad peccandum inducuntur: nõ eadẽ ratione, qua reprobi, huc perueniunt, vtpote qui nunquam toto animo, plenáq; voluntate cõsentiunt. Neq. n. sic delectantur peccatis, vti reprobi: nõ intendunt insup animũ & curam iis quæ sunt carnis nõ habent adfect' eodem modo peccatis addictos & implicitos: nõ delinquunt, vt inimicitiam cũ Deo volentes exercere. Quæ studia debere in peccatis reproborum, secundum carnem ambulantium, notari, nõ abs re monet Ro. 8 Apostol' Addam' & hoc: in electis quidẽ animaduerti vim peccati inhabitãtis, at nõ peccata regnãtia. in reprobis verò, nõ modò peccatum inhabitãs: verùm etiã peccata regnãtia, seu dominantia. de quo discrimine Ro. 6. 7. Ex quo palã est, electos nõ tantùm alio peccare modo, quàm quo peccãt reprobi: verùm etiã peccata vtrorumq; prorsus aliter se habere: atq; eiusdem speciei peccata non idem posse in electis quod in reprobis.

His ita expositis, procliue erit iudicare qualia nam sint peccatorum in electis effecta: & vtrum per peccata sua fidem prorsus amittant, Sp. S. omnino excutiant, & à Christo penitus excidant. Et quò cuncta euadant magis dilucida: cõsultò in collatione electorum cum reprobis persistam'.

Primum igitur atq; præcipuum effectũ peccati, est mors, siue cõdemnatio sempiterna: Ro. 5. 6. Reprobos autẽ quãdocunq; peccant, æternùm ob crimina sua damnari, nemo nõ intelligit, & cõfitetur. Atqui in electos etiãsi peccatint, mors seu dãnatio æterna nõ cadit. Necesse nãq; est quos Deus semel elegit, tandem glorificari. Quis intentabit crimina aduersus electos Dei? Deus est qui iustificat, quis ille

tia: Iustificati ex fide pacē habemus erga Deū per Dominū nostrū Iesum Christū per quē & cōtingit nobis, vt fide perduceremur in gratiā hāc, in qua stamus. Quid idē dicetur ad illa verba, Rom. 8. electis propriè accommodata: Persuasum habeo, inquit, quod neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque potestates, neque instantia, neque futura, neque altitudo, neque profunditas, neque vlla creatura alia poterit nos separare à dilectione Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro?

Postremò, si electi non stant in gratia, Christóque adiuncti manent: tum cogentur omnes homines perpetuò de Dei gratia dubitare: neque vnquam certò statuere poterunt, se Deo placere. A quo quantopere sit abhorrendum, edocti ex Scripturis abundè scimus.

Quod si quisquā cōtendere pergat, electos, quandocunque peccāt, saltē ad tēpus fidem prorsus amittere, omnino excutere S.S. penitus a Christo excidere: sanè haud scimus an circūspectè satis loquatur, cū præsertim necesse sit non pauca inde oriri incōmoda. Si fidē prorsus amitūt electi, sequetur planè, omnē fidē, etiā electorū, temporaneā atq. fluxā existere. Quod aduersatur iis omnibus quæ de fide firma, stabili, & ad finē vsque perseuerante, passim in Scripturis inculcātur. Si excutitur S.S. quomodo cōsistet quod Scriptura sæpius exprimit, eū in electorū habitare cordib⁹? Si deniq. ad tēpus à Christo excidēt: falsum erit quod Christus ait, electos seduci nō posse: semper cogētur lapsi dubitare, an & quādo iterum inserantur Christo. Adde quòd diabolus semper apparebit Christo potentior, & Christi victor. Etenim si electos ad illud tēpus, quo peccāt, è manu Christi eripit Satanas: profectò cum nullum dari tempus queat, quo non peccē aliqui ex electis: conficeretur, nullū etiā tēpus esse, quo diabolus non Christum debellet atque vincat. Sed ex iis quæ præcedentibus sunt exposita, non erit difficile & alia incommoda excerpere.

Quæ cùm ita se habeant, nequaquā ducimus eum prorsus damnandum, qui asserit, electos vera fide donatos, Christóque per Sp.S. insitos, quādo peccarint, fidem non prorsus amittere, non omnino excutere Sp.S. nō penitus à Christo excidere. Ac præter illa quæ ex Scripturis hucusque depromsimus, possemus nonnulla partim ex priscis Patribus, partim ex huius ætatis eruditissimis quibusq. scriptoribus, firmamenta cōgerere: sed tēporis angustia facere id prohibet. Quæ res etiā in caussā est, cur de reliquis Thesibus cōscriptis, nimirum de Fine seculi, de Antichristo, de Signis finis seculi, de Prædestinatione, de Vinculis quibus colligamur Christo & Ecclesiæ, de Promissionibus, nō arbitrati simus aliquid adiiciendū: maximè cùm nonnullæ de earum sint genere, de quib. nō est necesse operosè disceptare: omnes verò pariter tales cēseamus, quas, adhibita commoda interpretatione, admittere absque periculi metu liceat. Demiramur autem & dolemus non parū, de capitib. antè expositis certamina eo moueri loco, in quo vir Dei D. Martinus Bucerus, multos annos, eadē omnia, non minus sinceriter quàm perspicuè tradidit. Cùm autē nos semper malimus audire aliorum de rebus ambiguis & intricatis sententias, quàm ipsi pronuntiare, & à cōtentionibus suprà quàm dici queat, abhorreamus: petimus, hæc qualiacunque benignè accipi ab omnibus.

Quod reliquū est, optamus, omnes vbiq. verbi Dei interpretes concordiam colere, atque idē sentire in Domino. Quod & speraremus posse faciliùs, quàm nunc fit, vsu venire, si primùm omnes ea diligeremus argumēta præ cæteris discutienda, quæ vtilitatis plus habent, quàm subtilitatis, & sient omnium ordinū hominibus cognitu necessaria: deinde verò inter explicandum ea potissimùm consectaremur, quę ad amplificandam Dei gloriam, & totius Ecclesiæ ædificationem conducunt.

Doctores & Professores Facultatis Theologicæ Scholæ Marpurgensis.

Andreas Hyperius subscripsit.
Ioannes Lonicerus s.
Joannes Garnerius s.
VVigandus Orthius s.
Nicolaus Rodingus Marpurgensis Ecclesiæ pastor s.
Iohannes Pincier VVeterana Eccl sia in Euāgelio Christi minister s.
Iohannes Pistorius Niddanus, Niddana Ecclesia in Euangelio Christi minister subscripsit.

DE IISDEM THESIBVS SCHOLÆ ET Ecclesiæ Heidelbergensis Iudicium.

QVanquā ex his quæ à doctissimis Scholæ Marpurgēsis Professoribus, aliisq. viris clarissimis, ex sacrarū literarū fontibus diligētissimè collecta, artificiosissimè disposita, & eruditissimè conscripta, facilè cognosci possit, quid de Thesib. ipsorū scripto præfixis piū quēque iudicare atq. sentire oporteat: ne tamen nos vel præiudiciis vel priuatis quibusdā studiis adducti, de iis sententiā dixisse nostrā videremur, etiam rationes nostras, quibus mouemur, à superioribus minimè alienas, adtexere nobis visum fuit.

1. Principio, quidē pulcherrima gradatio, seu catena, qua Apostolus Rom. 8. est complexus gradus omnes salutis electorū, ab æterno illo & immutabili cōsilio Dei & decreto, velut iugi fonte fluētis, nō sinit vt eos qui semel Christo à Patre in suā velut possessionem atque tutelam traditi, ipsiq. vt radici ac vitali trunco insiti, & denique ei velut suo capiti agglutinati sunt, ab ipsius manibus seu potestate subduci, patrocinio ipsius destitui, quasi arescentes ramos amputari, siue vt corrupta mēbra à suo corpore auelli posse aut cogitemus aut dicamus. Nam eum qui id in animum suum induxerit, de Christi, optimi pastoris fidelissimique custodis fide, diligentia atque potentia malignè sentire apparet. Siquidem ab eo tales abduci non possent, nisi is sempiterni sui hostis Satanæ vel arte falleretur, vel potentia superaretur; ac ita, aut negligentiæ, ei qui est vigilantissimus, aut infirmitatis, ei qui est potētissimus, nota inureretur. Atqui illud non tantū est absurdum, sed etiā ex diametro pugnat cum his quæ Christus ipse clarissimè est testificatus de sua cura, studio ac diligentia erga suæ fidei creditos: & ea Iohan. cap. 5. 10. 17. sui Euangelij, nō minùs disertè quàm fuse commemorat.

2. Deinde, vis illa Sp.S. quæ se exserit in regenerandis ad vitam æternā electis: seu semen illud Dei, cuius meminit Iohannes, semel admissum, si postea prorsus amitteretur, seu euelleretur, planeq. interiret, esset de integro induēdū homini, videreturque regenerationis Symbolum omnino esse repetendum: quando id quod Symbolo adumbratur, tertiò atque quarto imò sæpè foret donandum. Verùm vt aliter & sentiamus & loquamur, non tātùm publicus piorum iam inde à iactis Ecclesiæ fundamētis consensus: sed etiam quæ Paulus Rom 6. de Christi morte, sepultura, resurrectione ad æternam vitam, & baptismi mysterio disserit, & quæ autor Epistolæ ad Hebræos constantissimè asseuerat, rem se aliter habere euidenter conuincunt.

3. Accedit & perelegans illa arrhabonis metaphora, qua Apostolus Paulus semel & iterum vtitur, de Spiritu S. quo autore regeneratio fit, loquēs. Nam si electi semel in gratiā recepti, ab ea postea exciderēt: adempta ipsis omnis salutis spe, & ex libro vitæ (vt ad formas scripturis familiares alludamus) velut expūctis, nequaquā esset Sp.S. firmū & certū salutis pignus, essetq. eius testimoniū (cuius Paulus Ro. 8. meminit) infirmū ac dubiū: nutaretq. spes, quam instar anchorę firmæ haberi vult autor Epistolæ ad Hebręos. Equidem labi electos, atq. etiā subinde sic cadere, vt denuo erigendi sint, scimus: & id per resipiscentiā (electis etiā ipsis in hac carnis fragilitate omnino necessariā) fieri nō dubitamus. Verū illa ratio seu via est admodū diuersa à prima illa vocatione, seu insitione, per quā electi Christo (vt cū Paulo loquamur) incorporantur. Tale inter vtramq. discrimen statui posse nobis videtur, quale est inter mortuū, vitáq. omni destitutum corpus: & illud, quod morbo seu leuiore, seu grauiore ac lethali affectum est. Illud sanè vitali vi (vt ita dicamus) opus habet: hoc verò solùm desiderat, vt quæ adhuc in eo residet vita, labefactata illa quidem & infirma instauretur, recreetur, refocilletur.

4. Ista quoq. sententiā mirificè cōfirmabit electorū, tātisper dū in isto exsilio agunt, conditio: si eā, qualem S. literæ describunt, & omnes sani esse fatentur, attentè cōsiderare volumus, vt debemus: h.e. si seriò cogitemus eos semper gestare carnē, & illa corruptiōe, quæ ab Adamo est inducta & deducta, circūcingi, originalis illius morbi vires nondū esse in ipsis exstinctas: ita vt electi etiam ipsi, & foris insidiantē obsidentémq. ipsos aduersariū habeāt: & domi cōiuratū circumferāt hostē: nēpe illud domesticū peccatum, quod assiduę hospiti suo negotium exhibet, & debellare, adeóq. ex insidiis cōfodere nunquā nō conatur. Vndę apparet, quā verè meritóq. dicatur, vitā piorum perpetuā esse luctā, assiduúmq. certamē. Id quod etiā præter experientiam ipsam, stultorum (vt dicitur) magistram, literæ sacræ passim docent: nominatim autē Paulus Rom 7. assiduum regeneratorū omnium exercitium non tam descripsisse, quàm expressisse, ab omnibus piis atque doctis creditur.

5. Iam verò, cùm in tali cōflictu nunquam non versentur filij Dei: fieri non potest (quæ ipsorum est imbecillitas, & aduersarij potētia) quin subinde grauia vulnera accipiāt: nō est tamen verisimile, tali tantaq. infirmitate, & lapsib. illis crebris sic offendi Sp.S. & abalienari ab eis, vt iratus abscedat, domiciliúmq. deserat suum: qui in hoc presertim

datus est electis, vt infirmitatẽ, qua sunt onerati & premũtur, fulciat, & aduersus impetũ & robur hostis eos muniat: Rom. 8. Ergo eum non secedere decet, sed potius manere: vt vel labentes retineat, vel lapsos erigat, & denique ne eos opprimi ab hoste sinat: quod, tali custode remoto, ipsi esset minimè difficile.

6. Ad fidẽ etiam electorũ quod attinet, eam talibus congressib. mirè concuti, nõ est dubiũ. At si vera, si germana, si fixa (qualis esse scribitur cũ passim, tũ Matt. 7.) nõ omnino succũbit, nõ frangitur, aut deficit. Nam, quã temporariam vocare possumus, quæ cedit aduersario, ab hoc ordine esse excludẽdã: parabola, quæ apud Mat. 13. exstat, nõ obscurè demonstrat. Fiducia piorũ, quæ Dei donũ est, vt Sp. S. afflatu cõcipitur, ita & retinetur: quare etiam sepulta viuit, & deiecta se erigit, excitatáque vim suam rursum exerit.

7. Porrò, non videmus quid caussæ sit, cur dicatur Spiritus S. grauiore siue atrociore flagitio potiùs quàm leuiore irritatus abscedere, sese subducere, pristinũ domiciliũ deserere, quasíque præsidium suæ fidei cõmissum aduersario tradere. Certè si peccatorũ naturã nudam seu per se spectare placet, omnia displicẽt, omnia odit, omnibus offenditur Deus. Et profectò rectissimè dici, scribi, tradiq. solet, omnia peccata ex se esse mortalia: hoc est, morte digna, & quæ isti inferẽdæ abũde sufficiant, quãlibet leuia sint. Igitur suã naturã omnia Spiritũ S. explodunt, diuinum fauorẽ excludunt, & fidem exstinguũt. Venialia tamen (vt receptam vocẽ retineamus) esse dicuntur, quæ alioqui mortalia sunt. Sed id fieri, defenditur à doctis omnib. non peccatorum respectu: verùm personarum in quibus sunt, & à quibus admittũtur, ratione. Ita fit, vt quæ in reprobis (vt dici solet) sunt mortalia, in electis ac regeneratis venialia reddãtur: quippe quòd persona, Deo, in filij sui gratiã placeat: & in ipso ad salutẽ electa, & ad vitam æternã destinata sit. Sic lapsus quotidiani, qui alioqui damnationẽ inferrẽt, nõ imputari, sed tegi, hoc est, cõdonari dicuntur. Iã verò adesse, iuuare, tueri aliquẽ in leuioribus periculis, & curatu faciles morbos tollere: in grauiorib. se subducere, & maximè opẽ auxiliúmq. desiderantẽ negligere, nedum deserere: neque fidelis amici, neque boni peritique medici officio fũgi esset. An nõ prorsus absurdũ foret, id de Dei spiritu sentire, quod de viro bono ne suspicari quidẽ licet?

8. Vt sanè de eo tale quiddam suspicentur, nedum credamus, nequaquam patiuntur multæ promissiones cum piis quibusdam priuatim, tum omnibus in Ecclesiæ persona factæ. Siquidem Dei dona & vocationem esse ἀμεταμέλητα disertè pronuntiat Christi Apostolus.

9. Præsidium autem suum perpetuò suis adfuturum, maxima cum asseueratione pollicetur Deus: & eos abs se aliquando iri desertum, constantissimè negat. Quæ etiam ad aberrantes & peccantes protendi debere, manifestissimè demonstrat illa Prophetæ promissio: cùm ceciderint, non collidentur, quia Dominus sustentat manu sua.

10. An id est instar irati secedere? Quid? etiã peccata electis fore adiumento in bonũ, ex Apostoli sententia Rom. 8. docti ac pij scriptores colligũt. quod etiã plerique nõ rarò experiũtur. Quod si, id est, verũ, vt esse apparet: cui id ferri acceptũ poterit, nisi paternæ beneuolentiæ atque prouidẽtiæ ista omnia moderãti, & ad tũ suam gloriã, tum suorũ salutẽ cõuertẽti, quod in diuersum spectabat? Nunc verò si suos electos peccantes desereret, destitueret omni ope, prorsúsque abiiceret: illud qui fieri posset? Qui hæc attẽtè cõsiderare volẽt, certò cõfici agnoscẽt, Deum, vt optimum parentẽ, filiis suis, etiã grauiter peccãtibus, adesse, ne prorsus cõcidant: & sedulò cauere, ne prorsus confringantur.

11. Id nisi faceret, nunquid idem ipsis accideret, atque iis, quos vt deploratos deserit prorsus & abiicit? illud autem quid aliud est, nisi (vt sacra oracula testantur) in reprobam mentẽ delabi, & in quæuis scelera ruere præcipitẽ, deniq. peccatis peccata cumulare? Quæ omnia non tantũ sunt horrẽda cogitatu, sed etiã dictu fœda. Sinit quidem Deus (quæ ipsius est sapientia) sanctos suos non tantũ identidẽ vacillare, sed etiam non rarò turpiter labi. At labentes manu sua (sic enim loquuntur Prophetæ) sequitur, aut veriùs præit, quò deiectos ab hoste erigat, & attollat, luctámque cum aduersario (velut in palæstra aut certamine non rarò fieri videmus) redintegrẽt, & (iuxta prouerbiũ) fugiẽtes denique pugnẽt. alioqui semel prostrati, iacerẽt æternũ libidini atq. tyrannidi hostis expositi & subiecti. Non est itaque quòd aut credamus, aut dicamus, hunc ἀγωνοθέτην à suis in dura ac difficili palæstra siue arena decertãtibus oculos auertere, manúmque retrahere: h. e. aut Spiritum sanctum reuocare, aut fidem repetere, & denique omni præsidio spoliare, cũ deiiciuntur ab Antagonista: imò etiam prostratos & suo clypeo protegit (vt Propheta scitè loquitur) & alarum suarum vmbra tuetur.

Hæc & huius generis plurima, quæ passim recitantur in scriptis Propheticis atq. Apostolicis, dũ attẽtè cõsideramus: nõ possumus nõ iudicare, quæ in superioribus Thesib. proposita sunt, de electorũ Dei per Sp. S. defensione & custodia perpetua, déque fidei ipsorũ constantia, esse pia atque Christiana: vt etiã esse iudicamus, quæ in aliis Thesib. de Antichristo, Seculi fine ac eius signis, de Sanctorũ Prædestinatione, & geminis cũ Deo ipsorũ vinculis, asseruntur: De his verò vt aliquid adferremus, nõ putauimus esse opus, partim quòd obscuritatis nihil habere nobis videantur: partim quòd cãdidis & veritatis studiosis siue auditoribus siue lectoribus aliquid offensionis allaturas esse, nobis persuadere nõ possimus. Denique, doctrinã illã totam dignam esse censemus, quæ in piis Christianisque scholis exponatur atque tradatur: modò id & dextrè & sobriè fiat. Ideò vehemẽter doluimus, cùm audiremus nõ deesse qui eam explodendã esse censerent ab ea schola, in qua eam quidã nostrũ nõ ita pridẽ didicẽre, tradente & docente viro doctissimo & piissimo, felicis memoriæ, D. Bucero.

Neque est quòd quenquam huius doctrinæ vel pudeat, vel pœniteat: cùm ea sit scriptis Propheticis & Apostolicis consentanea, atque optimorum quorumque interpretum, siue veterum siue recentiorum, confirmata consensu.

Datum Heidelb. Augusti 25. Anno 1561.

Academiæ Heidelb. Theologi.

D. P. Boquinus subscripsit.
D. Immanuel Tremelius s.
D. Gaspar Olevianus s.
Michael Dillerus concionator Aulicus Heidelb. s.

IVDICIVM SCAPHVSIANÆ ECCLESIÆ, de iisdem Thesibus.

PErlectis & perspectis Thesibus, à Clarissimo & Doctissimo viro D. D. Zanchio oblatis nihil omnino in illis inuenire potuimus (si modò ad regulã verbi Dei, à viris veritatẽ amantibus examinentur) quod pugnet cũ sacris literis, scriptis videlicet Prophetarũ & Apostolorũ: & quod non sit orthodoxũ. Profitemur itaque & testamur, doctrinã D. D. Zanchij in his nõ solùm ei quæ in nostris Ecclesiis traditur atque proponitur doctrina, quã indubitatam esse asserimus (donec ex verbo Dei erroris conuicti, & meliora edocti fuerimus) verũ etiã ei quã viri eximij, insigni pietate atque eruditione præditi, beatæque memoriæ professi sunt, aliiq. adhuc profitẽtur, nõ solùmmodo in Schola & Ecclesia Argẽtinensi: sed etiã aliis multis in locis, cõsonam esse. Ideóq. damnandã illã ita temerè, & exsibilandã minimè iudicamus: & eũ, qui ita sentit, nemo pius eiiciet, neq. oppugnabit, nisi expugnatum, Scripturisq. diuinis conuictũ. Hanc nostram sententiam, quò & aliis cõmodiùs pateret, breui hoc scripto sumus complexi. Noluimus enim singulas Theses excutere ordine: cùm id ante nos fecerint, & facturi adhuc viri piissimi doctissimique. Deus optimus maximus adsit Ecclesiæ suæ afflictæ, & misereatur nostri.

Ministri Ecclesiæ Scaphusianæ.
Sebastianus Grubel.
Iacobus Ruger.
Blasius Bouillus.

ECCLESIÆ SCHOLÆQVE TIGVRINÆ, de iisdem Thesibus Iudicium.

Dilectis in Christo fratribus, ad quos ex nostræ literæ peruenerint, gratiam & pacem à Deo Patre, per Dominum nostrum Iesum Christum.

COntulit se ad nos hisce dieb. D. D. Hieronymus Zanchius, vir egregia doctrina ac pietate clarissimus: qui non sine dolore tum suo, tum nostro, exposuit quædã suæ doctrinæ Capita, iam ab aliquot mensibus non solùm in dubiũ vocari, sed etiã (quod ipsi grauius erat) hæreseos accusari. Nã si tanti sceleris accusaretur, nõ tantùm eius animi salus in discrimẽ veniret: quod horribiliter expauẽdũ est: sed etiam de omni existimatione eius actum esset, idq; cum suo & vxoris liberorúmq. maximo detrimẽto. Quare per eam pietatem atque misericordiam, qua tũ veritati, tum etiam innocenti fratri periclitanti subueniendum est, nos rogauit: vt dogmata sua quæ ab aduersariis ipsi tã atrociter impetuntur, diligenter & accuratè perpenderemus, idque ad libram & normam diuinarum literarũ: nostróque tandem iudicio & censura decerneremus, an ea quæ docuit, vel probanda, vel improbanda viderentur. Hæc ille à nostro cõuentu nõ minùs modestè quàm gra-

uiter

uiter petiit: & vnā suæ doctrinæ capita, quæ ante omnia sugillāt, legenda & cognoscenda tradidit. Nos verò, qui nihil quod ad Christianā caritatē pertineat, à nostra Ecclesia putamus alienū, iustæ illius postulationi annuendū cēsuimus. Capitib. autē doctrinę attētè ac dextrè perpēsis & excussis, nihil ibi deprehēdimus aut impiū aut pugnans cū diuinis literis. Quocirca illa dogmata, de quib. inter ipsū & aduersarios eius orta est cōtrouersia, modo pia cōmodaque interpretatione accipiantur, approbamus, commendamus & amplectimur: atque illi itē non pœnā vllā, sed laude nō vulgari dignum existimamus. Et ne temere id statuisse videamur, singulis eius Thesib. argumenta seu testimonia diuinarum literarum subiiciemus.

1. Primū, ignotū esse tēpus aduētus Domini ad iudicium, S. literæ perspicuè docent. Illū enim furi cōferunt qui noctē & de improuiso cōsueuit adesse: quin tā angeli, quā etiā filius hominis, illū dicuntur ignorare. Christus itē affirmauit, Apostolorū non fuisse tempora & momenta nosse, quæ Pater in sua potestate posuit. Hæc ex diuinis literis habemus: contra quæ, nec Helianæ scholæ responsa, neq. [illegible] vlla oracula recipienda censemus.

2. Secūda Thesis nō pōt vt hæretica explodi, cū admodū sit probabilis: oēs enim ferme Patres in ea sentētia fuerūt. Vt autē pateat quā manifestissimè probabile id est, q̄d pluribus, & præsertim sapiētiorib. visum fuerit. Neq. autor negat, imò fatetur permultos esse (sicut Iohannes ait) antichristos: Mahumetē, Iudæos, & Papas, qui se doctrinæ Christi opponūt: deniq. omnes qui idē tā extra Papatū quā in Papatu faciūt. Sed cū indies malitia crescat, & sine modo augeatur: nil obstat, quò minus κατ' ἐξοχὴν aliquis ad extremū sit vēturus, qui cæteros Euāgelij hostes impietate sua lōgissimè superet, quē tandemq. Dominus Spiritu oris sui omnino sit profligaturus. Quē & Apostolus qui ait, Antichristi multi sūt, idē prædixit, Antichristū κατ' ἐξοχὴν venturū, multos fore idicās.

3. Tertia, duo loca Scripturæ cōponit, quæ prima frōte videntur inter se pugnare. Id vero nihil quod literis diuinis aduersetur, cōtinet. Quāobrē autoris industria & studiū potius laudāda sunt, quā traducēda. Multa quippe in S. literis passim occurrūt, quæ primo aspectu idētur sibi mutuo esse cōtraria. Doctoris aut pij est, illa pro suo ingenio & prudētia cōciliare: ne lectores vel impingāt, vel de veritate S. Scripturæ ambigāt. Vnde iis qui hoc præstāt, gratiæ sunt agēdæ: tātū abest vt ista de caussa sint vel dānādi, vel accusādi.

4. Quarta, certum esse quendā numerum apud Deum, tā prædestinatorum ad æternā vitā, quā reproborum: citra cōtrouersiā est. Nā qui seruādi sunt gratia fide atq. Sp. oportet vt diuinitus instruātur. Proinde cum Deus illorū bonorum sit autor: illum necesse est apud se constituisse ab æterno, quib. ista velit elargiri, quibus've dare nolit, nisi eū velim⁹ existimare vel casu vel temere agere. Id autē vt absurdissimū reiiciēdū est. Nā si duo passeres absq. volūtate patris nō cadunt, nec citra eiusdē voluntatem vlli vel seruabuntur, vel deserētur, cúmq. volūtas Dei nō sit noua, sed æterna, nec ipse mutetur, vt qui sit prorsus immutabilis, consectariū est numerum vtriusq. ordinis iā apud eū esse cōstitutū. Huc deinde accedit: etiā capillos nostri capitis esse numeratos. Quare multò magis Deo cōstare necesse est numerū seruādorū. Paulus præterea inquit solidū firmūq. stare fundamētū quod Deus nouerit qui sint sui. Mētionē quoq. faciūt diuinæ literæ libri vitæ, dixitq. Christus Apostolis, Gaudere & exsultate, quia nomina vestra scripta sunt in cœlis.

5. Quintā, electos perire nō posse asseritur, ac eos necessariò seruari. Hoc idē Christus dixit, quādo ait, Se oues habere, quas nemo possit rapere de manu sua nec nō Omne quod dat mihi Pater, ad me venit: & eū qui ad me venerit, nō eiicio foras. Et Paulus, vt prius, testatur firmū stare fundamētū. Qui etiā ad Romanos catenā cōnectit indissolubilem scribēs, Quos præsciuit, hos & prædestinauit, quos prædestinauit, hos & vocauit: quos vocauit, hos & iustificauit; quos iustificauit, hos & glorificauit. Iccirco fieri nō potest, quin electi deniq. seruētur, cū Dei volūtas inuicta sit & omnino insuperabilis. E diuerso autē cū reprobi sint vasa iræ, aptata in interitū, seruari nō possunt. Nā ad salutem & Spiritus & fides requiruntur, quæ nequaquā omnib. promiscuè datur, cùm ad Rom. habeatur, Cuius vult miseretur, & quē vult indurat. Quia itaq. Deus cōstituit iudicio suo, sēper vtiq. iusto, nō autē semper manifesto, hæc dona eis nō attribuere, procul dubio perdētur ac dānabuntur. Liquidum præterea id est, neminē venire ad Christum, nisi Pater eum traxerit. Is autē nō trahit, nisi quos voluerit. abscōdit. n. à prudentib. & sapientib. huius mundi, quæ paruulis patefecit, quod ei sic libuerit, vt Christus fassus est, cùm illi hac de re gratias agit. Neq. hoc nomine autorē θέσεων accusandum putamus, quod Necessitatis vocabulum vsurparit, quia (vt ipsemet fatetur) necessitatē coactionis explodit, & illā quā inserit [illegible] esse affirmat, eā verò Scholastici cōsequentiæ appellare consueuerunt. Deinde necessarij definitionē huc accersit. Necessariū videlicet id esse, quod se aliter habere non potest. Scripturæ autem diuinæ quàm manifestissimè docent, fieri non posse vt electi pereant. Nam de suis ouib. Christus ait: Nemo potest eas rapere de manu mea. Et de tentationibus extremi seculi scribitur: Vel ipsos electos tūc seductum iri, si fieri posset. Vndę colligitur, eos qui electi fuerint, minimè seduci posse. Præterea si quis hoc inficietur, salutis certitudinē prors⁹ auferet.

6. Sextā traditur, ordinē diuini propositi nō posse mutari: ita vt electus fiat reprobus, & vicissim reprobus euadat electus. Id autem non opus habet discussione, cum volūtas Dei (vt dictum est) sit immutabilis: & firmissimū stet, quod in mente diuina constitutum fuerit. Ego sum Deus, apud Prophetam inquit, & non mutor. Ideo hæc de diuina electione secundum propositum firmissima sunt. At si loqueremur de illa electione quæ secundum præsentem iustitiā in Ecclesia & videri & iudicari pōt, nō negat autor, quin elect⁹ fieri queat reprob⁹: & e diuerso reprob⁹ elect⁹.

7. 8. Septima & Octauā cōprehēduntur verę caussæ atq. principia, quib. & Christi & Ecclesiæ [illegible] vere participes redduntur. Eorū alterū æternū est, nam dicitur ad Ephesios electos fuisse ante iacta fundamēta mudi. Et ad Tim. habetur, Sanctos gratiæ diuini fauoris ante secularia tempora fuisse participes. Alteru vero, nimirū Sp. & fides, electis in tēpore cōtingūt: nā Deus ea, cū visū fuerit, elargitur. Vinculorū aūt vocabulo nō intelligit autor vllā coactionem: sed tantum iuncturas & nexus quibus & Christo capiti, & reliquis membris eius conglutinamur. Nec diuinæ literæ à nomine vinculorū abstinent, nā ad Eph. 4. scribitur, Seruandā esse vnionem Sp. in vinculo pacis. Et ad Col. caritas vinculum perfectionis appellatur. Interna vero dicuntur hæc priora vincula, quoniam electio diuina in sua natura ignoratur: sed eius testimonium in animo nostro, nō extern⁹, habem⁹. Fides autē & Sp. hærent in corde nostro. Dicuntur itē inuisibilia: quoniā aspectu externo cerni minimè possunt. Indissolubilia etiā sunt: quoniā elect⁹ nō fieri pōt reprob⁹: neq. reprob⁹ vnquā euadet elect⁹. & insit⁹ in Christo, nunquā ab eo potest penitus excidere, & Sp. ac fidē iā acceptā funditus amittere: vt postea suo loco dicetur. Alia vero duo vincula, cum externa sint & visibilia, vtique dissolui possunt. multi quippe à professione doctrinæ, atque Sacramentorum participatione sæpe deficiunt.

9. Nonā semel tantū dari fidē electis, affirmatur: verum nō asseritur, eā nō habere suas accessiones & imminutiones. Deinde, sermo instituitur de fide vera, qua iustificantur: alioqui fides tēporaria & abire & redire pōt. Quódq; attinet ad electos & renatos, de quib. modo agitur, scripsit beat⁹ Ioānes 1. Epi 3. eos nō peccare: atq. mox rōnē subiicit dicēs, Quod in ipsis maneat semē Dei. Vocabulo aūt seminis, verba diuinę promissionis intelligimus: quę in filiis Dei manere nō possunt, nisi fides quę apprehēdat ea, illis affuerit. Et quia fides citra Sp. nō cōsistit: conficitur, fidē & Sp. in Sāctis, quando labuntur, consopiri & hebescere: non autem prorsus auferri: alioqui semen in eis non maneret.

10. Decimā, caussa redditur, cur semel data fides, ob lapsus cōsequētes prors⁹ nō excidat. Et verò duplex est: promissio inquā Dei, nā pollicit⁹ est, se affuturū perpetuo suis. Pro altera verò caussa, Christi preces assignātur: qui non tantum pro suis Apostolis, verùm etiā pro omnib. qui credituri erāt, Patrē orauit, nec preces ei⁹ irritæ fieri potuerūt. Deinde, cùm in sanctis lucta Sp. aduersus carnē sit perpetua, cōsequitur, Sp. in eis perpetuò manere: quāuis pōdere carnis aliquādo vincātur: nisi n. maneret, quomodo posset carni reluctari? Manet itaq. fides in electis etiā quādo labuntur: sed propter peccata languescit, & consopitur: & ideò, quemadmodum Apostolus meminit, excitanda est.

11. Vndecima nō op⁹ habet declaratione, cū se ipsā interpretetur. Quę renatos asserit ideo nō peccare toto animo & toto corde, quoniam iis peccatis, quæ interdū committunt, reluctātur, faciuntque malum quod nollēt, & bonum quod vellent non faciunt. Quare vnà cum Apostolo exclamant: Infelix, ego homo, quis me liberabit de corpore, &c? Et quamuis peccato seruiunt, lege tamē Dei mente delectantur. Deinde peccatā electorum vel ex ignoratione proficiscuntur vel ex infirmitate. Paulus certè (vt ipse testatur) ignorans fecit, cum Christianos vastaret. Petrus verò ex infirmitate negauit. Ergo neuter eorum toto corde, totóque animo peccauit: quia neuter eorum plenam voluntatem suo peccato impendit. nam ea partim ex ignorantia, partim ex infirmitate imminuit.

12. Duodecima traditur, Petrū ore negasse Dominū, sed animo & corde fidē erga illū retinuisse. Id aūt pōt ex eo cōfirmari, quod Christus ait: Rogaui pro te Petre, ne deficiat fides tua. Exauditus porrò est filius Dei: quapropter fides ei⁹ nō prors⁹ defecit, quāuis labefactatā esse, atq. nōnihil im mi-

nutam confiremur. Et hanc sententiam complures amplexi sunt: nimirũ Tertullianus in libro de Fuga, Augustinus de correctione & gratia. Chrysostomus item & Theophilactus in ea verba Christi Luc. 22. Bernhardus quoque de natura & dignitate diuini amoris, cap. 6.

13. Decimatertia, Promissiones, quo ad gratuitam Dei misericordiam, certam & æternam salutem, docetur solùm ad electos pertinere. Nam hæc reuera sunt occulta fidei, nec possunt aliter quàm fide percipi. Quare tantùm eorũ sunt, qui fide diuinitùs ornantur. Fidem autẽ non esse omnium, neque omnib. dari, ex sacris literis & experientia notissimũ est. Nemo venit ad me (inquit Dominus) nisi Pater traxerit eum. Cur verò, adiecit Augustinus, hũc trahat, & illum non trahat, noli iudicare, si non vis errare. Sũt quidem promissiones huius generis omnibus prædicandæ, quoniam verbi ministri electos secundum propositum nõ agnoscunt, cùmque plebem habeant ex reprobis & electis conflatam, Dei promissiones promiscuè omnibus inuulgant: quæ tantùm in illis facultate Spiritus Dei redduntur efficaces, qui cœtui electorum accensentur. Quare non absque ratione Christus pronunciauit,

Multos esse vocatos, electos vero paucos.

Nec dubium est, Paulum ad Romanos docuisse, promissiones minimè pertinuisse ad omnes qui erant ex Abrahamo secundum carnem: sed tantùm ad illos, qui filij promissionis essent.

14. Decimaquarta docet, quo pacto Deus velit omnes homines saluos fieri, & Christum esse propitiationẽ pro peccatis totius mundi. Atq. ostẽditur, si hæc dicta contrahantur ad electos, cuius ordinis fuerint: hac interpretatione Scripturas minime deprauari. Nos profectò sumus in eadẽ sententia, nec eam expositionẽ salua cõscientia reijcere possumus: quã & congruã esse agnoscimus, & ab Augustino, Patre omnium laudatissimo, non semel allatam: cuius interpretationis ergo à nemine vnquã est hæreseos damnatus.

De sententiis itaque seu Thesibus Doctoris Zanchij (viri cùm eruditione, tum pietate ornatissimi) nos re maturè ac bene consideratã, pronunciamus nihil in eis contineri vel hæreticum, vel absurdum. Imò eas amplectimur, partim vt necessarias, partim vt probabiles, quæque diuinis literis minimè repugnent.

Nec ignoramus illas habuisse assertores non modò antiquos Patres, verùm & reformatores Ecclesiarum nostri temporis, Lutherum, Capitonem, Bucerum, Brentium, & plerósque alios Euangelicæ doctrinæ illustres propugnatores. Idcirco ne resistamus Dei præcepto, quod Prouerb. 2. habetur, quo mandatur, ne illi desimus quæ versatur in summo discrimine, ac ne veritatem deseramus patiamúrve vnà cum hoc Doctore tot præstantissimos viros, & de Ecclesiis filij Dei bene meritos damnare: visum est nobis omnibus, illi, hoc suo tempore, nostro testimonio adesse. in cuius firmã solidamque fidem, vnanimi cõsensu & voluntate omnes huic iudicio atque censuræ manu propria subscripsimus. Datum Tiguri, 29. Decembris, Anno 1561.

Pastores & Professores Ministri Ecclesiæ Tigurinæ:
Henricus Bullingerus.
Rodolphus Gualtherus.
Ioannes VVolphius.
Petrus Martyr Tigurinæ Scholæ Professor.
Iosias Simlerus.
Ludouicus Lauaterus.
VVolphgangus Hallerus.
Iohannes Iacobus VVickius.
Hulderieus Zuuinglius F.

ECCLESIÆ ET ACADEMIÆ BASIliensis de iisdem Thesibus Iudicium.

Martinus Borrhaus, suo & sacri Euangelij Doctorũ & Ministrorum nomine, eximia eruditione & pietate, & de literis optimè merito viro, D. Iohanni Sturmio, eiúsque venerandis collegis, amicis & fratribus in Christo dilectis, S. D.

CVm his diebus ad nos, Iohánes Sturmi, vir clarissime, Hieronymus Zanchius, sacrarũ literarũ apud vos professor venisset: quasdã nobis de doctrina, quam in Schola vestra sparserat, propositiones de quibus post alios doctos & eruditos viros nostrã sententiã exponeremus, proposuit. Nos verò, cùm nõ exiguã discordiã ob eam doctrinã inter ipsum Zanchiũ, & quosdam Euãgelij ministros excitatam intelligeremus, ita de Thesibus istis iudicare statuimus, vt tu & collegæ tui cognosceretis, Primò, nos propensos paratósque esse, ad reddendum cuiuis de vera doctrina testimonium: à qua Zanchij (clari eruditione & pietate viri) propositiones minimè dissentire iudicamus. Deinde vestram Ecclesiam, quæ cum nostra semper arctissimã amicitiã cõiuncta fuit, dissidiis scindi, lacerari ac dissipari cœpisse, magnum nobis dolorem adferre, vt solent omnia amicorum, præsertim istorum, quos cœlestis amoris Domini nostri Iesu Christi Spiritus conciliatit, cõmunia esse prospera & aduersa, gaudia & luctus. Demum, vt sciretis nos vehementer cupere (quod vos facere non dubitamus) à vobis operam dari, vt quoad fieri posset, discussã perniciosæ discordiæ nebulã, salubris cõcordiæ lux resplẽdeat. Quod futurũ arbitramur si quæ aliæ excitati dissidij causæ, quæ nobis notæ sint, fuerint, è medio tollantur: & Zanchij doctrina ita explicetur, vt offensi fratres intelligant, eam non dissidij, tanquam in re noua, sed veritatis quærẽdæ studio, studiosis auditoribus ad iudicandum propositã. Nam has propositiones tales esse cẽsemus, quarũ quædã aperto sacrarum literarum testimonio cõprobentur, quædam cum illis non pugnent: nullæ conscientiam, si rectè exponantur, lædãt: quas etiam à veteribus Theologis tractatas constat. Et quoniam semper alia docendi ratio in Scholis, alia populariũ concionum ad vulgus fuit (quarũ alterã, auditorum animi ad grauius sacrarum rerum iudicium formantur: alterã indoctus & rudis populus, ad simplicem Christi, quam capiat, cognitionem eruditur) speramus, vtraque ratione cõsiderata, fore, vt vos pro prudentia vestra, qua polletis, facilè, magna Ecclesiæ vestræ salute & nostro gaudio, concordiam inter Zanchium & fratres sarciatis. Quod vt fiat faxit veræ pacis arbiter, & omnium quæ cœlo & terra continentur per sacrosanctum sanguinem suum pacificator Iesus Christus. Vale vir ornatissime, cum toto Collegio. Anno M.D.LXII. Ianuarij.

DE IISDEM DOCTORVM VIRORVM Epistola.

Clarissimo & eruditione & pietate viro, D. Ioan. Sturmio, Rectori Scholæ Argentinensis praeceptori suo charissimo, & perpetua reuerentia colendo.

GRatiam & pacẽ à Deo Patre nostro, per Iesum Christum, in Spiritu sancto. Reuerẽdissime vir, charissime præceptor, clarissime Sturmi: Fuit apud nos Doctor Zanchius, vir eruditione & pietate clarus, nostris admodũ gratus hospes: verũ caussas eius aduentus dolemus. Nõ enim libenter audiuimus, doctrinã Christi à sancto viro D. Martino Bucero, piæ memoriæ, firmissimis testimoniis Scripturæ & argumentis confirmatã, & à vestris magno applausu tũ susceptam, in vestra eadẽ vrbe nũc condẽnari. Qua de re, etsi non libẽter nos immisceemus dissidiis, multo minus fouere studemus: tamen nostram sententiã ei cõmunicare, an dissidium hoc apud vos sopiri possit, nõ grauati sumus, nec dubitamus, Senatũ vestræ vrbis & Scholæ, à Deo pietate & eruditione & prudentia piæ multis ornatũ, suo loco & tempore curaturũ, vt illi morsus Satanæ curari queãt & sanari: sat hostium exte:norũ habemus, satis digladiatum & pugnatum est à nostris, nõ sine grauissimo vulnere Ecclesiarũ nostrarum, & cæterarum Christi. Tempus esset, vt illud Pauli rectè perpẽderemus: Quod si inuicẽ mordetis, videte ne inuicẽ cõsumamini. Spero Doctorẽ Marbachiũ ea prudentia præditũ, vt intelligat, quẽ fructum reportarint nostris Ecclesiis, nostrorum Theologorũ disceptationes: eaque de caussa facilè se præbiturũ, vt ista Tragœdia sepeliatur. In Scholis licet de multis veris rebus disputare cum fructu, quæ suggestui nõ cõueniunt, neque cũ fructu sparguntur in aures vulgi. Candor deest nobis: quo amica collatione prius omnia tentare deberemus, quæ pacem & concordiam spectant, quàm turbas excitare. Sed hisce de rebus satis. Non dubitamus enim, vestra interpositione in optatum finem perduci posse, quæ Satan in dissipationem & Scholæ & Ecclesiæ vestræ excitauit. Gaudeo & cõgratulor tuæ humanitati, quod aliis tuis præclarissimis prælectionib. adiunxeris libros Chrysostomi, de officio & dignitate ministerij verbi in Ecclesia Christi disserentes. Vtinã Ecclesia videat aliquando hosce libros tuis Scholiis illustratos: & orabo Deum, vt cor tuũ Spiritu suo extimulet, quo in cœptã professione pergas. Mira enim & iucũda de te audiuimus à D. Zanchio. Hisce iã valeat tua humanitas in Domino Iesu quã felicissimè, vnà cũ tota domo, Ecclesia & Schola. Oro autem, vt meam audaciam boni consulas, quod meis illiteratis literis tuam humanitatem alioquin occupatissimam onerarim. Si quid in hac terra est, quod mihi dolorem augeat, est certè dissidium piorum & doctorum virorum in nostris Ecclesiis, eundem Christum confitentium. Raptim, ex Eclisselio, 18. Augusti, Anno Domini 1561.

Ioannes Pistorius Niddensis, tuus totus.

CLA-

CLARISSIMO DOCTRINA ET VIRTVTE VIRO, IOHANNI STVRMIO, amico suo, S.D.

Quod tuis literis ad me petiisti, audiui clarissimum virum D. Zanchium. Et si autem cupiebat mihi non tantum historiam rei, verùm etiam vniuersam (*Fuit controuersia: sed sine vlla disputatione: illam enim impetrare nunquam potuit: imò nec amicum colloquium.*) disputationem commemorare: tamen quia absente & nondum audita altera parte (scis enim illud μήτε δίκην) non sumo mihi de hac controuersia iudicium & cognitionem. non potui enim præsertim alio vocantibus negotiis, hac in re omnino gratificari. Præstiti, quod in præsentia, & in huius caussæ ambiguitate potui. Quædam vtiliter dicit, si æquum habuerint interpretem: quædam probare nondum possum. Et tamen existimo rem non sic deploratam, vt consilio bonorum virorum, quos vestra Resp. insignes habet, non posset componi. Quod igitur licet, oro Deum, vt ostendat vobis rationem, qua istud dissidium, nec Scholæ nec vobis vtile tollatur. Bene ac feliciter vale. Studgardiæ, die 13. Decembris.

Iohannes Brentius.

AMBROSIVS BLAVRERVS, DOCTORI HIERONYMO Zanchio.

Theses hasce tuas, quas non absque magna voluptate legi, mi venerande charissimeque Zanchi, sic totis animis probo, complector & exosculor, vt magis non possim: vtque valde admirer, inueniri vsquam posse inter puriores religionis Theologos, qui ijs suum calculum vel nullo, vel ieiuno adeo addere, ac summa cōsensione subscribere nolint: quibus & Dei gloria maximopere illustrari, & parta nobis per Christum salutis gratia rectè commendare simul: & fluctuantium afflictarúmque conscientiarum tranquillitas, & consolatio vnicè, nec vlla alia ratione solidè firmitérque constare vnquam poterit.

Excellentissimum virum D. Iohannem Sturmium, Scholæ, adeoque totius Reip. vestræ incomparabile decus & columen, meis verbis quàm potes honorificè, in solida salute nostra Christo, salutare iube.

Vitoduri, 24. Decembris. 1561.

CLARISSIMO VIRO D. IOHANNI STVRMIO, SCHOLAE Argentinensis Rectori, Domino suo colendissimo S.D.

Fvit hisce diebus, vir clarissime, apud nos, communis vtriusque nostrûm summus amicus Doctor Zanchius. à quo cùm audiremus eius caussæ tam longam dilationem, non potui non vehementer dolere, ac sum illius ex animo ac impensè misertus. qui hoc tempore tam incommodo, nec sine magnis sanè sumtibus, præsertim innocens, cogatur oberrare. Nobis quidem fideliter exposuit tum suam, tum etiam Capituli suæ caussæ iustam & fortem defensionem. Qua de re nōi atq. tuis venerādis collegis, maximas ago gratias. Retulit item quinq. optimis viris consularibus negotiū & cognoscendū & definiendum esse commissum: vt auditis nonnullis doctorū virorū sententiis, quid videretur de tota re, deniq. pronuncient. Sed interea nihil esse actum: & se vereri ne cunctatio propterea interponatur, quod iudices delecti, cùm interioris Theologiæ non sint admodum periti, metuant, ne religionis capitibus definiendis, nonnullorum hominum reprehensionem incurrant. Proinde quamuis non dubitat præclaros illos viros, scriptis vtriusque partis diligenter perlectis, cognitáque vestri Capituli grauissimā sententia, & duarum Academiarum præclaro iudicio, iam tandem intelligere, neque suam doctrinam esse impiam, neque ipsum pro hæretico habendum: attamen pro charitate Christiana requisiuit à nobis, vt sua dogmata seu *thesus* graui seuerâque censura examinaremus: si quid minus orthodoxum in eis deprehendissemus, omni humano affectu seposito, illum vt fratrem admoneremus: sin vero ea quæ docuit vera & sana censeremus, testimonium, & quidem conscriptum, veritati dare non grauaremur, idque in eum finem, vt Magistratus Argentinensis intelligat, se in sua Schola nihil impium docuisse: delecti iudices queant libera tutáque conscientia, & sine vllo iustæ reprehensionis metu, de tota doctrina iam controuersa, ex multis certisque Ecclesiarum diuersarum & Euangelicæ Theologiæ Doctorum iudiciis liberè statuere, atque apertè pronunciare. Huic autem non minus docti quàm pij viri iustissimæ petitioni, per conscientiam, & eam fidem qua veritati sumus obstricti, non potuimus non assentiri. & quamuis nos haudquaquam latet, vt aduersarij nostra testimonia sint pro nihilo habituri, quod ab illis in caussa Sacramentaria dissentiamus: non tamen absterreri potuimus quin veritati laboranti opitularemur. Neque nos ita in odio esse arbitramur, vt putemur in gratiam vnius hominis, quantumuis chari atque amici, doctrinam impiam & hæreticam voluisse probare. Imò sumus vehementer admirati, quare ministri Ecclesiæ vestræ hanc doctrinam ausi fuerint damnare: cum illam, præsertim quo ad Prædestinationem, Ecclesiæ nexus, Perseuerantiam Sanctorum, & promissiones æternæ vitæ, professi fuerint tum Lutherus tum etiam Bucerus, Euangelij filij Dei concionatores celeberrimi. Et quia verisimile non est, vestros ministros in libris tantorum virorum non esse versatos: reddunt se suspectos, ne potius odio personæ, quàm studio veritatis adducantur, cùm doctrinam bonam ceu impiam, & veterem ceu nouam damnare. Quamobrem Deum Patrem Domini nostri Iesu Christi, ardentissimis votis oro, vt nos omnes aliquando tandem charitatis mutuæ vinculo coniungat. Te deinde, præstantissime vir, etiam atque etiam rogo, vt quemadmodum cœpisti, bonam caussam tueri pergas, & pro viribus cures, autórque sis pio & æquiss. Magistratui, vt pura sanáque doctrina vigeat, in Schola retineatur, nec innocenti homini patiatur iniuriam fieri. Hæc de amici nostri caussa: quæ, te precor vt in bonam partem accipias, boníque consulas. Nunc id restat, vt cùm iam acceperim, te animum prorsus appulisse ad sacra studia, vt istam voluntatem plurimùm tibi gratuler: atque horter, vt hunc diuinum instinctum omnibus modis amplectaris. nihil enim Deo gratius, nihil te dignius, nihilque accommodatius Ecclesiæ necessitatibus moliri potes. Quanta enim sit penuria *ἐπισκόπων*, ipse intelligis. Vtinam cœtus fidelium tandem aliquando sentiat quantum possis. Vale clariss. vir. Dominus te omnium bonorum genere augeat. Pridie Kalendas Ianuarij 1562. Tiguri.

Tuus ex animo Petrus Martyr.

Multæ aliæ, tum ad Iohannem Sturmium, tum ad ipsum D. Zanchium, doctorum virorum Epistolæ omittūtur: quòd præter probationem huius doctrinæ, priuata etiam negotia contineant.

HIER. ZANCHII

PRÆLECTIONES ALIQVOT

DE FINE SECVLI, IN EA 1. IOH. 2. VERBA:

παιδία ἐσχάτη ὥρα ἐστὶν, &c.

CÆTERVM, quia præsens locus, vt aliquid de fine seculi dicam, postulare videtur (nam qui de fine seculi scripserunt, hunc etiam locum adducunt) & hæc quæstio multos vexauit & adhuc vexat: idcirco quid de ea sentiendum sit, paucis aperiam. Quæstionem autem hanc sex capitibus explicabo. Primum erit: An mundus hic habiturus tandem sit finem? Alterum, An certò à nobis sciri possit, quando futurus sit finis huius seculi. Tertium, an liceat homini Christiano indagare, quando futurus sit finis seculi & rediturus Dominus. Quartum, quæ sit caussa cur Dominus tempus hoc noluerit & noluit à nobis sciri. Quintum, de signis quæ præcessura sunt finem seculi: &, an ex illis colligi possit certum tempus quo venturus sit Dominus. Sextum, de officiis Christiani hominis in hac quæstione de fine seculi.

Quod ad primum caput attinet, Tria hominum genera negarunt, mundum hunc finem habiturum. Primi fuerunt philosophi, præsertim Peripatetici. Ij enim senserunt,

Mundum hunc, & nullum vnquam initium habuisse, & nullum finem habiturum: & ideo humanum genus eo tenore & cursu, quo etiam nunc, sic perpetuò in mundo victurum. Sed ij idcirco ita senserunt, quia destituti lumine verbi Dei, cæca tantùm carnis sapientia in inquirenda veritate vsi sunt: Animalis autem homo non percipit ea quæ sunt Dei. Horum rationes refellere operæpretium non est. Nihil enim negotij nobis est cum iis philosophis. Alij qui negatio mundum hunc finem aliquando habiturum, fuut quidem ἄθεοι, & rerum diuinarum illusores, de quibus Petrus 2.3. Illud primùm scitote, venturos in extremis diebus illusores, qui iuxta proprias concupiscentias ambulent, & dicant, Vbi est pollicitatio aduentus eius? si quidem ex quo die patres dormierunt, omnia sic permanent vt ab initio creationis erant. Sed horum inscitiam, vel insaniam potius, refellit certitudo verbi Dei.

D. August. Tom. 2. in Epist. 42. ad fratres Maudarenses, sic ratiocinatur: Omnia alia, quæ futura prædixerat Spiritus sanctus in Scripturis, euenerunt, vt de aduentu Christi primo, de destructione Hierosolymæ, &c. Idem Spiritus prædixit etiam futurum finem seculi huius, & Christum secundò rediturum. Ergo certo eueniet. Illorum verò illusorum ratiocinationem sic refellit Petrus: Nam hoc nesciunt volentes, quòd cæli iam olim fuerint, & terra ex aqua, & per aquam consistens Dei sermone, per quæ mundus, qui tunc erat, aqua inundatus periit. Qui autem nunc sunt cœli & terra, eiusdem sermone repositi sunt: & seruantur igni in diem iudicij & perditionis impiorum. Hæc Petrus: quorum verborum sensum nunc planum faciam. Quia illusores à diuturno mundi statu, ipsius perpetuitatem probare nituntur, & verbum Dei derident, Petrus illorum ratiocinationem refellit hoc argumento: Mundus, sicut sermone Dei ex aquis & per aquas constabat: sic etiam eiusdem Dei sermone, cùm scilicet Domino visum fuit, iisdem aquis inundatus periit, finemque habuit: & deinde eiusdem Dei sermone repositus fuit. Historia hæc apertissima, & fuit res toti orbi notissima & certissima. Ergo eiusdem Dei sermone, sicut prima vice per aquas, sic secundò per ignem, cùm scilicet Domino visum fuerit, poterit dissolui, & finem habere. Prædixit autem Dominus, futurum finem seculi & se secundo rediturum. Ergo seculum hoc habebit finem, & Dominus redibit. Seruantur enim nunc isti cœli & terra igni ad diem iudicij, & perditionem impiorum. A diuturno igitur mundi statu, non valet consequentia, mundum esse incorruptibilem, & nunquam finem habiturum: Quia etiam ante diluuium diu durauerat, & tamen postea etiam periit: & quidem illis rebus, à quibus originem habebat, & sustinebatur, id est, ab aquis. Sic igne, alio mundi elemento, idem mundus peribit. Tertij perpetuitatis mundi assertores: fuit quidam, neque puri philosophi, qui destituti sint sacris literis: neque etiam illusores, & contemptores rerum diuinarum: sed & Dei timentes, & in sacris literis doctissimi: qualis fuit, præter alios, Philo Iudæus. Is libellum scriptum reliquit, cui titulus est περὶ ἀφθαρσίας τοῦ κόσμου. In eo libello multis argumentis probare conatur, mundum esse incorruptibilem. Cæterùm, si Philo intellexit mundum esse incorruptibilem, quia neque prorsus in nihilum redigetur, neque etiam in deterius mutabitur: nos quoque cum illo consentimus. Fatemur enim ex verbo Dei mundum renouatum iri: & futurum cœlum nouum, & terram nouam. Et certè videtur ita sensisse Philo ex declaratione, qua explicat quid intelligat nomine φθορᾶς. Sic enim habet in initio libri. pag. 645. λέγεται μὲν δὴ καὶ φθορὰ ἡ πρὸς τὸ χεῖρον μεταβολή. λέγεται δὲ καὶ ἡ τοῦ ὅλου ἀναίρεσις παντελὴς, ἣν καὶ ἀντιπαράλληλον ἀνάλογον λέγουσιν, ὥσπερ γὰρ ἐκ τοῦ μὴ ὄντος οὐδὲν γίνεται) (scilicet naturaliter) οὐδ' εἰς τὸ μὴ ὂν φθείρεται. Legerat etiam Philo Psalmos & Prophetas, qui hac de re scripserunt. Sed si secus intellexit, pij Christiani non consentiunt. Testimonia enim Scripturarum apertissima sunt de fine seculi huius, Psalmus 102. Initio terram fundasti, & opus manuum tuarum sunt cœli: illi peribunt, tu autem permanebis. Omnes illi sicut pannus veterascent: sicut indumentum mutabis illos, & mutabuntur: tu autem ipsemet, & anni tui non deficient. Matth. 5. Vsque dum præterierit cœlum & terra, iota vnum, aut vnus apex non præteribit à lege. 2 Pet. 3. Veniet autem noctu sicut fur, dies ille Domini, quo cœli cum stridore præteribunt, elementa autem æstuantia soluentur: & terra, & ea quæ in ea sunt, exurentur. Item: Cœli conflagrantes soluentur, & elementa æstuantia liquescent: sed cœlos nouos, & terram nouam secundum promissum exspectamus. Hæc Petrus. Hoc igitur primum Caput retinendum est, mundum hunc, qualis iam est, tandem aliquando finem habiturum: hoc est, in melius esse mutandum: solum verò Deum, omnis mutationis esse expertem.

Quorsum verò hæc doctrina? Petrus docet 3. cap. 2. Epistolæ. Cùm hæc igitur omnia soluantur, inquit, quales oportet vos esse in sanctis conuersationibus, & pietatis officiis exspectantes, & accelerantes in aduentum diei Dei? Argumentum tale est: Cœlum & terra renouabuntur in aduentu Christi: quanto magis igitur oportet nos renouari, qui properamus obuiam Christo in aduentum eius? Studendum igitur est perpetuæ renouationi, & corde soli Deo adhærendum: qui solus est omnis mutationis expers: reliqua vero sunt contemnenda, quia omnia mutabuntur, & omnium tandem finis erit. In hunc etiam finem Apostolus noster mentionem primo fecit Vanitatis mundi: deinde dixit, esse nouissimum tempus, quo scilicet instat aduentus Christi. Quorsum hæc? Vt contempto mundo, deinde euitatis Antichristis, fortes in doctrina Apostolica vigilemus, sobrie & iuste viuamus, semper parati ad eundum obuiam Christo.

SEcundum Caput est: An sciri à nobis possit, quando futurus sit finis seculi. An omnes teneamur desiderio cognoscendi quando futurus sit finis seculi, & rediturus Dominus: res est perspicua. Hoc enim desiderium tenuit etiam Sanctos, Prophetas, & Apostolos. De Daniele manifestum est in cap. 12. Postquam audiuisset ab Angelo, id est, à Christo, de Antichristo, quæque in fine seculi ventura essent, interrogauit Dominum dicens: Domine, quod nouissimum illorum? De Apostolis patet Matth. 24. & in Actor. 1. Domine, quando hæc erunt? Est igitur innatum hoc omnibus desiderium, futura sciendi: & præcipue, quando finis futurus sit mundi. Sed an hoc sciri a nobis possit, nunc quæritur. Dominus quidem Iesus docuit, Matth. 24.36. nullo modo sciri posse, cum dixit: De die autem illa & hora nemo scit, ne angeli quidem cœlorum, sed Pater meus solus: id est, Certum tempus, quo hæc à me vobis prædicta ventura sint, solus Pater nouit: singulis tamen temporibus non defuerunt, idque in Ecclesia Christi, qui illud sciri posse tradiderint. Alij quidem certo, ac proinde certum annorum numerum (tanta est humana temeritas) à primo Christi aduentu vsque ad secundum statuere ausi sunt. Alij probabiliter, ita vt in indagando hoc tempore non multum errari posse contéderunt: ac proinde quibusdam vsi coniecturis quantum adhuc temporis vsque ad alterum Christi aduentum superesset, vtcunque definire tentarunt. Quanquam verò magnum discrimen est inter illorum temeritatem, & horum curiositatem: tamen sicut illa omnino improbanda atque damnanda est: ita hæc mihi non satis probari potest. Vera enim pietas postulat, vt certi quidem simus futurum finem seculi, & rediturum Dominum: sed quando, hoc est quoto vel die, vel mense, vel anno, vel seculo & ille futurus, & hic rediturus sit, ingenue nos ignorare, & nullo modo posse scire, iuxta doctrinam Christi, fateamur necesse est. Ac proinde, iuxta eiusdem Christi mandatum quotidie vigilemus & oremus: exspectantes in dies & horas Dominum nostrum Iesum Christum: semper parati, cum lampadibus luce fidei accensis, & oleo bonorum operum instructis, obuiam illi prodire. Sed videamus quæ fuerint ista de tempore finis seculi, & reditus Domini, hominum iudicia.

Temporibus Apostolorum fuerunt qui dicerent: Etsi non posset sciri dies & hora aduentus Domini: tamen non procul abfuisse ab eo tempore diem Domini, & finem seculi. Alij dicebant, hanc fuisse doctrinam Apostolorum: alij, hoc fuisse nuper reuelatum: alij, rationibus & coniecturis persuadere hoc conabantur. Sed hos repressit Apostolus, dicens 1. Thess. 2. 1. Rogo autem vos fratres, per aduentum Domini nostri Iesu Christi, & nostri & ipsius aggregationem, ne citò dimoueamini à mente, neque turbemini vel per Spiritum, vel per sermonem, vel per epistolam, tanquam à nobis scriptâ, quasi instet dies Domini. Docet Apostolus, impostores quosdam tribus vsos fuisse viis ad persuadendum instare diem Domini. Primo reuelationibus, quòd hoc certo scirent per Spiritum reuelationis. Secundo, ratiocinationibus & coniecturis: ideò dixit, vel per sermonem. Tertio, epistolis suppositiriis, & testimoniis Apostolorum: ideò dixit per Epistolam. Sed quid Apostolus? Ne dimoueamini, inquit, quasi instet dies Domini: quia nisi venerit discessio primùm, &c. Docuit, prius futuram vniuersalem ἀποστασίαν, vel (vt volunt alij) defectionem Romani imperij: & reuelatum iri Antichristum cum suo regno, antequam veniat dies Domini. Sed quam-

Sed quandiu post aduentum Antichristi esset futurus finis seculi, & dies Domini, centū, mille, an plures annos, Apostolus non docuit. Quare? Quia neque ipse sciebat, iuxta illud Matt.24. De die autem illa, & hora, &c. Ecce quid tempore Apostolorum etiam inter fideles sparsum fuerit de fine seculi, eos verò errasse, res ipsa docet.

Post Apostolorum tempora etiam non defuerunt, qui certum annorum numerū definierint, vsque ad secundū Christi aduentum, & finem seculi. Inter gentes prophanas vulgatum fuerat tanquam diuinum oraculum, Religionē Christianam, postquam Christus cœpit coli, duraturam annos duntaxat 365. & mox finem habituram. Recitat hoc August. Tom.5. de ciuitate Dei, lib.18. cap.53. & quàm falsum fuerit, ostendit cap.54. Quia vero post finem religionis Christianæ in terris mox erit finis seculi: ideo nonnulli Christiani hoc oraculo permoti, putabant post elapsos illos 365. annos, mox finem seculi futurum. Apparet, quàm fœdè etiam ij hallucinati fuerint.

Tempore etiam Cypriani, qui floruit post Christum anno circiter 250. credebatur instare finis seculi. Apparet hoc ex Epistolis Cypriani, imo in libello ad Fortunatum, de exhortatione martyrij (si tamen Cypriani est) initio pag.244. leguntur hæc verba: Sex millia annorum plenè complentur, ex quo hominem diabolus impugnat. Etsi liber non est Cypriani: apparet tamen quæ tum temporis, cùm hic liber editus fuit, in ecclesia apud multos de fine seculi opinio fuerit: tum scilicet sex millia annorum compleri cœpisse, & consequenter finem seculi cœpisse instare. Quàm verò fœdè errarint res ipsa docet.

Tempore Lactantij: qui floruit anno circiter 317. post Christum natum qualis esset opinio in Ecclesia de fine seculi, patet ex eius institutionibus. Lib 7. cap.25. ait, Omnis expectatio, (scilicet finis seculi) non ampliùsquam ducentorum videtur annorum.

Tempore etiam Augustini, Hieronymi, & talium virorum, permultos fuisse in hac sententia de proximo fine seculi, apparet ex libris August. Tom.5. de ciuitate Dei lib. 18. cap.53. narrat quosdam putasse ab ascensione Domini vsque ad finē seculi, annos 400. alios verò 500. alios 1000. sed omnes deridet Augustinus, & refutat dictis Domini, Actor.1. Non est vestrum scire tempora, quæ Pater posuit in sua potestate: Matth.24. De die autem illa & hora, &c.

Quidam etiam Episcopus tempore Augustini, nomine Hesychius, videbatur sentire, Etsi de die & hora aduentus Domini nemo scire potest, sicut Dominus dixerat: tamen certum aliquod tempus & annorum spacium statui posse ab aduentu primo Christi in carnem, vsque ad secundum eiusdem aduentum: proinde Christianis inquirendum esse hoc tempus. Et hac de re scripserat ad August. tom.2. epist.79. Præter alia Scripturarum loca, quibus in hanc sententiam abutebatur, fuit & ille locus Daniel.9. de LXX. hebdomadibus: illum enim locum posse intelligi de tempore, quod ab aduentu Christi in carnem, vsque ad alterū Christi aduentum intercedit. Vel saltem à simili sic posse colligi: Sicut à tempore prædicti vaticinij Danielis, vsque ad primum Christi aduentum, intercesserunt hebdomadæ annorum 70. sic etiam à tempore primi aduentus, vsque ad secundum, intercessuras totidem annorum hebdomadas. Inde igitur colligi posse certum tempus vsque ad finem seculi. Sed Augustinus docet, locum Danielis nullo modo posse de eo tempore aduentus secundi intelligi. Qui volet, legat reliqua Scripturarum testimonia, quibus abutebatur Hesychius ad suam sententiam probandam: & deinde legat responsiones Augustini ad singula loca, epistola ad Hesychium 80.

Ad illud verò quod Dominus dixit Apostolis, Non est vestrum nosse tempora, vel momenta &c. sic respondebat Hesychius. Illud tantùm fuisse dictum Apostolis: noluisse enim vt illi hoc scirent: quia noluit eos testes esse cōsummationis mundi, sed suæ tantùm passionis & resurrectionis: cæterùm voluisse, vt nos alij tempus hoc mundi consummationis agnoscamus. Et huc trahebat etiam illam Christi reprehensionem, qua Pharisæos reprehendit, dicens: Vos nostis iudicare faciem cœli, & non nostis tempus visitationis vestræ? Interpretabatur hoc, ille Episcopus, de tempore secundi aduentus Christi, cùm tamen de primo aduentus tēpore locutus sit Dominus. In summa ait Augustinus ex nullis Scripturarum locis colligi posse tēpus de fine seculi, vel Christianis esse inquirendum, cùm scriptum sit & omnibus dictum, Non est vestrum nosse tempora: vel sciri à quopiam posse, cùm scriptum sit, De die autem illa & hora, id est, de tempore reditus Domini, nemo scit.

Sic Gregorius Papa à corruptis moribus sui seculi, & variis prodigiis suo tempore visis, subinde solitus erat dicere: Suum seculum non longè abfuisse à fine mundi. Sed ipse quoque falsus fuit.

Nunc venio ad nostri seculi homines. Multi, iíque doctissimi & pij viri senserunt, etsi nullum certum tempus inter primum & secūdum Christi aduentum certò statui potest: probabilibus tamen coniecturis, quantum adhuc vsque ad finem seculi temporis supersit, vtcunque sciri & iudicari posse. Res ipsa nondum patefecit, an hallucinentur, néene: qui longè post nos sequentur, an ij pij & docti viri fuerint in iis suis coniecturis falsi, néene, intelligent. Illud verò tantum ego contendo, coniecturas, quas afferunt, esse admodum infirmas: proinde illis nihil de tempore finis seculi probari aut definiri posse. Præcipuas proferemus, & eas examinabimus. Prima coniectura horum hominū sumitur à sex millibus annis quibus dicūt mundum duraturum. Hebræi enim scriptum reliquerunt in suis libris, præsertim in Sanedrin, hoc fuisse Eliæ Prophetæ vaticinium: Sex millia annorū erunt seculi: duo millia inane: duo millia lex: duo millia Messias. Et si quid ex illis defuerit, defuturum propter peccata nostra.

Irenæus quoque libro 5. cap. vltimo concludit, mundum sex tantùm millibus annorum, duraturū. Collegit autem hanc suam commentationē non ex Hebræis, sed ex simili sex dierum, quibus creatus fuit mundus: post quos sex dies fuit Sabbathum, id est, dies quietis. Hoc autem (ait) est & præteritorum narratio, & futurorū prophetia. Dies enim vnus mille annos significabat, sicut Scripturæ testātur. & 2. Pet 3. Mille anni ante Dominum, sicut dies vnus. Ergo sicuti consummatus fuit mundus in sui creatione intra sex dierū spacium & postea quies: sic in sui fine consummabitur intra spacium sex millium annorum, deinde vera & perpetua quies subsequetur.

Lactantius quoque Firmianus lib.7. cap.14 ait, Sex millium annorum spacio consummatum iri mundum: & ex eodem fonte, vnde & Irenæus hanc coniecturam accepit. Hanc sententiā de duratione mundi vsque ad sex millia annorum, multi amplexi sunt. Vnde & Gregorius Papa Tom.2. in 9. cap. lib.1. Reg. col.1415. Mundus, inquit sex diebus conditus est, & sex ætatibus consummatur. Addūt postea, non completum iri perfectè sextum millenarium: idque partim probant ex vaticinio Eliæ, partim ex dicto Christi Matth.24. Et nisi decurtarentur dies isti, &c.

Quanquam enim ibi loquitur de destructione Hierosolymæ: tamen etiam de tēpore consummationis mundi intelligi posse volunt. Cùm hæc ita se habeant, aiunt: Duo millia fuerunt ante legem. duo millia post legem (idque juxta supputationem Hebræorum) & de duobus millibus Messiæ iā elapsi sunt mille quingenti & sexaginta: supersunt autem 400. & ex eis etiam aliquot adimentur. ergo non potest durare mundus supra annos maximum 400. circiter. Hæc est prima illorum coniectura. Sed quis non videat, quàm sit imbecilla? Primo enim dictū Heliæ, quo nituntur, non est authenticū. Valet quidem aduersus Iudæos qui vaticinium illud admittunt: ad probandum, venisse Messiam, cùm iam elapsi sint anni quinquies mille & 560. sed ad finem seculi demonstrandum, nihil valet.

Ratiocinatio etiam Irenæi & Lactantij nimis infirma & debilis est: ideò iure eam refutat Augustinus. Deinde hoc dico esse contra verbū Dei. Nā Dominus ait, neminē scire posse, quando sit futurus finis seculi. De die autē illa, &c. Si igitur vera esset hæc sententia de sex millibus annorū: facilè possemus scire quando futurus esset finis seculi. Hoc autē esset contra verbum Christi. Ergo falsa est sententia de duratione mundi per millia annorum sex.

Secunda coniectura colligitur ex quatuor Monarchiis mundi, quæ Daniel.2. & 7. describuntur. Res ita se habet. Describuntur quatuor Monarchiæ mundi, ita vt vna aliā subsequatur. Prima est Monarchia Chaldæorum & Assyriorū: secunda Persarum: tertia Græcorum: quarta Romanorū. Illis quatuor Monarchiis destructis, id est, illis tribus funditus deletis: & quarta in varia regna, ceu in partes dissecta, prædicit Daniel cap. 7. exoriturum cornu vnum inter illa decem priora cornua: id est regnum vnum aliis fortius & potentius, quod loquetur grandia, &c. Et cùm istud regnū per vnū cornu significatū, venerit vsq. ad summam potentiam, ita vt putet se posse mutare tempora & leges, mox futurum iudicium, & Christum æternū regnaturum. Hoc autem cornu quod è Romano Imperio ortum est, interpretantur Turcarū regnum. Sic itaque colligunt: Tres Monarchiæ perierunt funditus. Monarchia quoque quarta periit, quia in varias partes diuisa est. Cornu autem, id est, imperium Turcarum, circa tempora Heraclij

cœpit erumpere (eo enim tempore cœpit Mahomet regnare.) Hoc autem regnum Turcicũ ferè vsque ad summum fastigium peruenit:prævalet sanctis,& parum abest quin putet iam se posse mutare leges & tempora. Cum autem hoc contigerit, veniet antiquus dierum. Ergo parum temporis superest ad aduentum Christi secundum.

Respondeo: Si intelligunt minus temporis nunc superesse,quàm anteà:verissimum est. Si etiam quod superest, parum esse dicant præ æternitate regni Christi:hoc etiam damus,vt certissimũ. Sed si intelligat parũ tẽporis superesse,i.superesse adhuc vel 100 vel 200. vel 300. &c. annos, dico nihil posse concludi ex his Danielis locis: qui variè etiã ab interpretibus explicantur.nam vt communem sequar interpretationem , Primùm in 2.cap.describit quatuor Monarchias,& de Rom.quidem imperio quinq.vaticinatur.Primùm describit illius potentiam, quod scilicet tanquam ferrum, omnia regna reliqua esset domiturum. Deinde illius inter se diuisionem , quod scilicet inter se futurum esset diuisum. Tertium,eius crudelitatem ac sæuitiam,quod scilicet sanguinis & affinitatis vincula nõ esset curaturũ præ sæuitia. Quartum, varias calamitates & ruinas, quòd scilicet variis cladibus, ac præsertim intestinis dissidiis & bellis esset afficiendum. Quintum,eius durationẽ , quòd etsi in multas partes, tanquam duo pedes in decem digitos diuisum frãgendũ erat quà pedes lutei erant:tamen quia pedum plantæ ferreæ,duraturum esset, nimirum vsque ad aduentum Regis cœli secundũ. Postquam verò hæc de Rom. imperio ratiocinatus fuit Daniel,mox subdit de regno Christi vaticiniũ: Christum inquã derepente omnia illa regna destructurum , & solum regnaturum in æternum. De duplici autẽ Christi aduentu vaticinatur:de eo qui fuit in carne cum Euangelij prædicatione:& de eo qui futurus est in gloria. Ac de primo quidem ait:& in dieb.regum illorum excitabit Deus cœli,regnum, quod in æternũ non corrũpetur. Non ait,post dies regum illorũ:sed,In diebus, &c. Christi enim regnũ, cũ regnarent adhuc Romani, & toti orbi dominarentur, in terra excitatũ fuit : & annos ferè sexcentos , regnantibus adhuc Romanis,durauit,nimirũ ad Heraclij tẽpora:& etiamnum durat,durabitque in finem vsque mundi. Postea de secundo aduentu Christi, cùm scilicet regnũ tradet Deo & Patri,subactis omnibus inimicis suis, ait,Demum,quòd vidisti,quòd à monte præcisus lapis ille, sine manibus comminuit ferrum,æs,testam, argentum,aurũ: Deus magnus significauit regi quid futurum sit post hæc. Hæc Propheta.Atque ita legit & interpretatus est doctissimus Oecolampadius:adducto etiam D.Hyppolyto , qui ait : λίθος ὁ πατάξας τὴν εἰκόνα καὶ συντρίψας, ὁ πληρώσας τὴν γῆν Χριστός, ἐρχόμενος ἀπ' οὐρανῶν καὶ ἐπάγων τῷ κόσμῳ κρίσιν.

Cæterùm hic nulla ponitur temporis præscriptio,à primo vsque ad secundum Christi aduentum. Quare ex hoc vaticinio,quod est in 2.cap.Daniel.nihil de fine seculi,an futurus sit hinc ad 100.vel 300. vel amplius annos cõcludi potest. Quanquam vt alij volunt, simplicior eius loci interpretatio fuerit , si intelligatur , non tam de personæ Christi,quàm de regni eius exortu,progressúque per vniuersum orbem in finem vsque mundi,déque sempiterna eius continuatione. Sic enim explicatur ab ipso Daniele in eodem capite. Hoc autem modo,quid inde potest de certo tempore finis seculi colligi? Regnum Christi,prout propagabatur Euangelij prædicatione per totum orbem terrarum,sic etiam simul regnũ Romanorum, id est,quartam Monarchiam, cum suis idololatriis euertebat, atque etiam nunc imaginem illius euersæ Monarchiæ, regnum nimirum Antichristi semper euertit,& euertere perget in finẽ vsq; seculi,donec penitus aboleat. Certũ enim est,nõ futurum finem seculi , antequam totum hoc Antichristi regnum aboleatur,vt docet Apostolus in 2.Thess.cap.2.

Sed quis definire queat tempus,quo regnum Antichristi finem omnino habiturum sit ? Qui hoc poterit efficere.effecerit & illud.

Deinde sunt , qui vaticinium Danielis minimè de altero, sed de priori tantùm Christi aduentu intelligi velint: & ita etiam illud,quod est cap.7. Hoc enim fuisse Dei cõsilium,vt Nebucodonozori significaretur,quænam regna essent secutura, & quódnam postremum omnium, regnũ nimirum Christi:atque hoc futurum perpetuum,aliis omnibus collapsis : quandiu autem illud esset in terris duraturum,hic non agi, neque per Danielem nobis significari , cùm ne per filium quidem ipsum illud voluerit. Iuxta hanc interpretationem, nihil ineptius fieri potest,quàm si ex hoc Danielis vaticinio, aliquid certi de tempore finis huius mundi concludere velis.

Postremò non desunt , qui sic verba Danielis interpretentur,vt nullo modo velint,eum de Monarchia Romana quippiam dixisse: sed quæ de hac alij omnes interpretati sunt,ea esse de regno Seleucidarum intelligenda : idque propterea,quòd à nullo vnquam regno fuerit peius & diutius tractata Ecclesia Iudaica,ante aduentum Christi,quã ab illo,& præsertim ab Antiocho Epiphane, quem intelligunt nomine vltimi cornu,Daniel.7.

Ac, qui sic interpretantur, ij rationes habent non contemnendas interpretationis suæ. legantur annotationes Tremellij & Iunij. Si verò hanc admittamus interpretationem: quid opus est ex Daniele coniecturam sumere de tẽpore finis seculi.cũ nihil minùs,quã de hac re cogitarit?

Atque ex his patet responsio ad locum ex cap.7. vbi volunt , nomine vltimi cornu intelligere debere Turcicum imperium.

Primùm enim negari non immeritò potest, illo vltimo cornu Turcicum imperium significari. Nam antiqui Patres tam Græci,quàm Latini,per cornu illud intellexerũt Antichristum cum suo regno : & hunc quidem (Patrum sententiam refero) venturum sub finem seculi , eúmque derepentè inter decem cornua , id est, inter decem reges exoriturum : sed quando venturus sit, à nobis sciri non posse. Quare neque debere nos præoccupare consilium Domini,vt inuestigemus,quando ista ventura sint. Audiamus D. Hypolytum hunc Danielis locum explicantem: ὥσπερ οὖν ὁ ἐφθέγξατο προείπεν· προφήτης ὅτι τέσσαρες κεφαλαὶ τοῦ κυρίου, καὶ ἐγένετο, καὶ ἐμερίσθη ἡ βασιλεία Ἀλεξάνδρου εἰς τέσσαρας ἀρχάς, οὕτω καὶ νῦν προσδοκᾶν δεῖ ἕως ἀναβῶσιν δέκα κέρατα ἐξ αὐτῆς τούτης (scilicet βασιλείας,id est, imperij Romani) ὅταν ὁ χρόνος τῆς θηρίου πληρωθῇ καὶ τὸ μικρὸν κέρας, ὅπερ ἐστὶν ὁ ἀντίχριστος, ἐν αὐτοῖς ἐξαίφνης ἀναβῇ, καὶ ἀδικία ἐπὶ γῆς φανῇ καὶ ὁ πᾶς κόσμος εἰς συντέλειαν πέσῃ, ὥστε μὴ προλαμβάνειν ἡμᾶς δεῖ τὴν τοῦ θεοῦ βουλήν, ἀλλὰ μακροθυμεῖν καὶ δεῖσθαι, ἵνα μὴ εἰς τοιούτους χρόνους ἐμπέσωμεν. ὅτι μὲν ἀπαρτισθῆναι μέλλει ταῦτα γενέσθαι, οὐ γὰρ ψεύδονται οἱ προφῆται, ἐξ ἐγένετο μὲν ταῦτα προφθάσας. εἰ δὲ ἐκεῖνα ἐγένετο κατὰ καιροὺς ἰδίους,καθὼς προείρηται, πάντως καὶ ταῦτα πληρωθήσεται.

Hieronymus quoque hunc locum Danielis de Antichristo interpretatur & quid intelligat nomine Antichristi docet:hancque sententiam esse ait omnium scriptorũ Ecclesiasticorum. Verba Hieronymi hæc sunt: Ergo dicamus, quod omnes scriptores Ecclesiastici tradiderunt, in consummatione mundi , quando regnum destruendum est Romanorum,decem futuros reges,qui orbem Romanum inter se diuidant : & vndecimum surrecturum esse regem paruulum , qui tres reges, de decem regibus superaturus sit,id est, Ægyptiorum regem,Aphricæ & Æthiopiæ, sicut in consequentibus manifestius dicemus. Quibus interfectis , etiam septem alij reges victori collum submittent. Et ecce,ait,oculi,quasi oculi hominis erant in cornu isto.Ne eum putemus,iuxta quorundam opinionem,vel diabolum esse, vel dæmonem, sed vnum de hominibus,in quo totus Satanas habitaturus sit corporaliter: & os loquens ingentia.Est enim homo peccati,filius perditionis , ita vt in templo Dei sedere audeat, faciens se quasi Deum.

Dominus autem Bullingerus,scriptor grauissimus, cõsentit cum Patribus in huius cornu interpretatione : sed ex historiis demonstrans , Antichristum iam venisse , tria alia cornua excidisse , ipsum vero aliis sibi subiectis creuisse,suúmque regnum ampliasse,& Romæ solium habere suũ. Quid vero si cũ Caluino acutissimo & doctissimo interprete, nomine huius cornu intelligere velimus (vt certè non pauci eius sequuntur interpretationem) ipsum Iulium Cæsarem , & reliquos qui ei successerunt , Augustum,Tyberium,Caligulam,Claudium,Neronem,& alios Cæsares?imperiúmque horum Cæsarum?

Quid si cum aliis dicamus,cornu illo significatum fuisse Antiochum Epiphanem ? Is enim Iudaicam politiam vehementissimè omnium afflixit, & cultum euertit, & idololatriam introduxit , quemadmodũ apertè explicatur Machab.1.vt non sit opus alio interprete:qua in re fuit verus Antichristi typus. Quid verò ex his de fine seculi colligi potest ? Daniel nihil adhuc egit de altero aduentu Christi,cùm versetur in explicandis illis Monarchiis,quæ præcedere debuerunt primum aduentum.

Tertia coniectura, a tempore quo Antichristus reuelatus regnaturus est ducitur. Scripturæ videntur tradere(inquiunt nonnulli) Antichristum regnaturum annos tres cum dimidio. Huc refertur illud suprà dictum tempus Danielis:Tempus,Tempora,& dimidium Temporis.Sed locus clarior est in Apocal.11. Datum est gentibus(id est, Antichristo & eius membris)& ciuitatem calcabũt mensibus 42.42.autem menses, tres annos cum dimidio conficiunt

conficiunt. Post elapsum autem hoc tempus Antichristo concessum in sanctos, docet Ioannes in Apocalyp. 17. agnum venturum, qui Antichristum interficiat. Sic itaque ratiocinantur. Antichristus postquam reuelatus fuerit, tres annos cum dimidio tyrannidē exercebit in sanctos, & postea veniet Christus. Anni isti sunt (vt ipsi interpretantur) anni iubilæi: ita vt vnus annus, 50. annos naturales significet, & ita tres anni cum dimidio, conficiunt annos 175. Antichristus est Papa, & hic iam reuelatus est annis abhinc circiter 45. Supersunt igitur adhuc vsque ad secundum Domini aduentum anni circiter 130. Et ita certum aliquod tempus de fine seculi ex Scripturis colligi potest.

Respondeo, Hæc etiam coniectura debilis & infirma est. Nam primo, nomen annorum trium cum dimidio, Patres acceperunt pro annis naturalibus, & dixerunt, tot annos naturales regnaturum Antichristum, ante aduentū Christi. Quare firmum non est, quod pro annis Iubilæis interpretantur.

Deinde, etsi non nego, regnum Papæ esse regnum Antichristi, quatenus in eo permulta defenduntur, quæ ex diametro pugnant cum doctrina Christi, ac proinde etiam non inficier, ipsum Papam, dum regnum illud pugnans cum regno Christi defendit, & doctrinæ Christi sese pertinaciter opponit, esse Antichristum: negari tamen non potest (tanquam scilicet probabile) quin sub finem seculi futurus sit quidā homo in Ecclesia Christi, qui reliquos omnes Antichristos malitia potentia, &c. superet, quique editurus sit miracula. Et de hoc homine aliquis contendere poterit vaticinium illud Ioannis, adde & Danielis de tribus annis cum dimidio, quibus ille regnaturus dicitur, intelligi posse, vt neque à Patrum sententia discedat prorsus, nec interim diffiteatur id quod omnes nostri côsentienter docent atque demonstrant de Antichristi aduentu. Quare quod argumentantur à tempore reuelati Antichristi, in Papa Romano, ad tempus finis seculi ib: paralogismus est ὁμωνυμίας, cum Antichristus aliquando capiatur pro omni eo, qui doctrinæ sese opponit pertinaciter, aliquādo pro toto regno Antichristi, aliquādo κατ' ἐξοχὴν pro excellentissimo omnium nebulone qui in regno Antichristi super eius thronum sub finem seculi sessurus est.

Postremo, etiamsi demus vaticinium illud Ioannis de regno Antichristi iam reuelati intelligendum esse, non tamen ex illo 42. mensium numero inferri potest superesse adhuc 130. annos circiter: propterea quod anni illi sint anni Iubilæi. Nam hanc annorum interpretationem quòd scilicet sint anni Iubilæi, facilè quis reiiciet, & contendere iuste poterit, numerum certum pro incerto positū fuisse, & ita etiam D. Bullingerus interpretatur, vt tale tēpus ponatur ab Angelo, quod Deo quidem certum sit, nobis verò incertum. Et reuera, meo etiam iudicio, aliter intelligi non potest illud tempus. Nam si esset certus nobis numerus, vtique possemus scire quando futurus sit seculi finis. Atqui hoc sciri non potest, propter verbum Christi, De die autem illa & hora nemo scit. Nihil igitur certi ex hoc Χριστολόγου loco, de tēpore finis seculi cōcludi potest.

Quarta etiam coniectura ad illam quam deducunt ex tempore quod ponitur ex Danielis 12. refertur, à tempore oblationis iugis sacrificij, & positæ abominationis desolationis, dies erunt 1290. Beatus qui exspectat, & attinget dies 1335. Etsi (inquiunt) videtur hic numerus de bellis Machabæorum vaticinari, tamen aliquid etiam significat de fine mundi. Volunt igitur per dies intelligi annos, & designari annos mundi, qui reliqui erant à tempore Danielis vsque ad finem seculi. Sunt autē primùm anni 1290. deinde additi 1335. ij omnes simul sumti, dant annos 2625. A tēpore autem quo Daniel hoc edidit vaticinium, vsque ad primū Christi aduentum, fluxerunt anni circiter 600. Restant igitur adhuc vsque ad finem à Christo nato, anni 2026. Nunc autem anno scilicet 1561. ex iis 2025. annis. fluxerunt anni 1560. Supersunt igitur adhuc vsque ad finem seculi, anni circiter 425.

Respondeo. Hinc etiam nihil concluditur. principiò nullo modo conuenit cum Prophetæ vaticinio, vt hæc de bellis Machabæorum intelligantur, quæ aduentum Christi antecesserunt, eóque nec de profanatione Templi, quæ sub Antichristo contigit. Apparet enim manifestè, Prophetam in fine suæ prophetiæ, de his quæ post vltimam templi destructionem, totiusq. cultus Mosaici abrogationem (vt in capitis 9 fine prædixerat Propheta) in finem vsque mundi, euentura erant Ecclesiæ, vaticinari: id quod & Christus hunc citans locum Matth. 24. manifestè docuit, quum dixit, quum videritis abominationem desolationis, quæ dicta est à Daniele Propheta. De desolatione ergo seu templi euersione, quæ iugis sacrificij, hoc est, totius Mosaici cultus abrogationem secutā est, loquitur Propheta, Christo ipso interprete: non autem de illa profanatione, quæ sub Antiochi tyrannide contigit. Adde quòd c. 8. Daniel asti, quæ futura erat per Antiochum, attribuit dies 2300. huic autem 1290. ita manifestum fit, tempus de quo hic loquitur Daniel, incepisse ab vltima abominanda & perpetua templi vastatione, quæ per Romanos facta fuit: & continuari ad finem vsque mundi: quo Daniel vnà cum aliis à sua quiete, hoc est, à monumēto, in quo quiescit, resurget, stabitque viuus in sua sorte: hoc est in æterna beatitudine post finem omnium dierum. Quod cum ita se habeat, consequitur, nullam temporis de quo hic loquitur Propheta, partem referri posse ad annos, qui Christi aduentum præcesserunt. Quare non valde peritè faciunt, qui ex his duobus numeris 1290. & 1335. ita conficiunt annos 2625. vt 600. referant ad tempus quod Christi aduentum in carne præcessit: Ac tum inde colligunt superesse à primo Christi aduentu vsque ad secundum, annos 2026. Certè si distinguendi sint, & deinde coniungendi illi duo numeri, & dies pro annis accipiendi fateri oportebit, a iugis sacrificij, hoc est, sacrificiorum omnium Mosaicorum abominatione & vastatione vsque ad vltimum Christi aduentum intercedere annos 2625. Cæterum quòd etiam duos illos numeros, quasi re ipsa diuersos distinguunt, & postea coniungunt, nullum habet firmitudinem. Non desunt enim viri, & illi quidem magni, qui idem vtroque numero significari velint nempe multo quidem tempore affligendam fuisse & esse Ecclesiam in finem vsque mundi, sed tamen fortiter esse perseuerandum & expectandam liberationem: quia cùm nihil minus cogitabitur, quam de liberatione à malis istis, tum demum derepente & quasi in medio temporis cursu eripietur ex his omnibus Ecclesia. Adde quod dici potest vt multi volunt, numerum hic, sicut etiam suprà, certum pro incerto poni: id quod Angelus innuere voluisse videtur, quum de eo tempore loquens, varium ponit dierum numerum: primum 1290. deinde 1335 si enim à tempore ablati iugis sacrificij, non erant vsque ad finem, nisi 1290. dies, quibus affligetur Ecclesia: quomodo statim subdit beatum illum futurum, qui in hac malorum tolerantia perstiterit fortis vsque ad dies 1335 caussam certe non video: nisi quia voluit significare idem tempus aliis magis, aliis minus visum iri diuturnum: eóque incertum nobis esse totum illud temporis spacium. Omitto quod Patres & alij nonnulli locum hūc intelligunt, sicut & alterum in cap. 7 de tribus annis cum dimidio, quibus vltimus ille Antichristus regnaturus esse apud antiquos dicebatur. nam dies 1290. idem sunt ipsis, quod & tempus, tempora & dimidium temporis: quia conficiunt annos tres cum dimidio. Denique sunt qui velint hic esse repetitionem atque explicationem eius, quod etiam supra ad finem capitis 9. dixerat, de tempore scilicet intra quod iugi sacrificio funditus abolito, ipsum quoque templum per Romanos euertendum erat, nunquam reædificandum: nempe intra annos tres cum dimidio plus minus: tanto enim tempore protractum & confectum fuit illud bellum: quod mox insecuta est, tum vrbis, tum totius gentis horrenda vastatio. Atque ita legunt Angeli verba: Ac de tempore quo tollendum (dixi) iuge sacrificiū, & ponendam abominationē desolationis, dies sunt 1290. & hūc aiunt verum esse sensum. Rogasti Daniel, quis demū rerum omnium finis futurus sit: ostendi tibi, finem illum clausum & obsignatum esse: neque tibi aut vlli mortaliū amplius quicquam eius reuelandum, quàm reuelatum est. At de fine sacrificiorum, politiæ gubernationisque Iudaicæ, adeóque de bello à Romanis inferendo Iudæis, de quo antea quoque in cap. 9. disserui, si scire certum cupis, quando hoc finiendum sit aut quibus terminis concludēdum, certissimam possum tibi commonstrare supputationem. nempe finiendum hoc intra dies 1290. imò intra dies 1335. Sic illi. Ergo ex Daniele nihil certi de tempore finis seculi colligi potest: nisi quòd tempus hoc definitum quidem est apud Deum: sed nobis ignotum: & quòd per illud tempus affligetur Ecclesia mirabiliter. Danieli enim inquirenti hunc finem, responsum fuit: Abi Daniel, quia clausa & obsignata sunt verba, vsque ad tempus finis. Multi purgabuntur, & dealbabuntur & conflabuntur, & impiè agent impij. Daniel 12.

Quinta coniectura, 1. Tim. 4. Spiritus enim dicit, quòd in nouissimis diebus discedent quidam à fide &c. Item 2. Tim. 3. in nouissimis diebus erunt tempora χαλεπά, homines sui amantes, &c. Respondeo: Etiam cùm hæc prædicebat Apostolus, permulti tales erant in mundo: ideo ait, Sed & hos de vita: ex iis enim sunt qui penetrant domos, &c. At nunc plures tales. Respondeo, Quid si multò plures &

peiores futuri sint post nos, & præsertim in fine mundi? Augustinus quoque ita ad argumentum ex hoc loco Apostoli ductum, respondet in Epistola ad Hesychium.

Aliæ quoque afferuntur coniecturæ: sed hæ, quas commemorauimus, sunt præcipuæ. Ex iis autem nihil certi posse concludi de tempore finis seculi, demonstrauimus. Concludimus igitur, tempus de fine seculi, nimirum vel quoto die, vel quoto mense, vel quoto anno, vel quoto seculo futurus sit & rediturus Dominus: neque vlla certa scientia, neque vllis firmis coniecturis cognosci ab vllo mortalium posse: idque propterea, quod Deus non vult, vt ab aliis præterquam à se, cognoscatur, iuxta illud: De die autem illa, & hora, &c. Illud quidē scimus quotidie viciniorem nobis fieri finem seculi: sed quando tandem futurus sit, sciri à nobis non potest.

Hæc est mea de hac quæstione sententia: quam & piam & sacris literis consentaneā esse certò scio, atq. vtilē: quanquam non dubito, quin (vt interim quod sentio libere dicam) in illis dierum numeris, quos finibus seculorum præfixerunt Daniel & Apocalypsis, magna insint mysteria de illis vltimis temporibus: quæ si quis peculiari Spiritus sancti afflatu donatus, intelligere posset, certius etiam aliquid tum de fine temporum, tum de his quæ sub illa tempora euentura sunt, proferre eum posse non dubitarim. Cæterum donum hoc concessum mihi non est. Qui habet cōmunicet. Ego prophetiam non spernam, omnia probabo, interim quod bonum est, retinebo.

Hinc sequitur tertium Caput, An liceat indagare hoc certū tempus vt sciamus quando futurus sit finis seculi. Respondeo, Mihi non videri. Nam si Deus non vult vt sciatur: igitur contra voluntatem Dei facit, qui studet & indagat vt illud certo sciat. Deinde expressè ait: Non est vestrum scire tempora, &c. Si non est nostrum, nobis ergo non licet inuestigare vt sciamus. Propterea Deus, vt declaret mundo quàm sibi hæc curiositas displiceat, effecit, vt quotquot à tempore Apostolorū huc vsque, certum tēpus de fine seculi statuerunt, conuicti sint erroris. De ordinario cuiusque studio loquor. si quis extra ordinem, ad mysteria intelligenda vocetur, ego non impedio. tantùm quisque videat ne se ipse fallat, & teneat Dominum. vtilis certe non est curiositas: vtilissima autem est sobrietas. Atque vt laudantur qui diligunt aduentum Domini, sic video & Danielem & Apostolos reiectos fuisse, quum curiosè interrogarunt, Quando hæc erunt?

Caput quartum est, cur Deus nolit tempus de fine seculi à nobis sciri? Respondeo, Ob eandem caussam propter quam etiam non vult vt quisque sciat quando moriturus sit, nimirum vt semper vigilemus, & oremus, finibúsque semper succincti lumbis, & oleo instructas accensásque teneamus lampades, perinde ac si in horam exspectetur Dominus. Caussam hanc affert Dominus ipse Matth. 24. postquam dixisset, De die autem illa, &c & exemplo diluuij, quod tēpore Nohæ præter mundi exspectationem de improuiso venit, conclusisset, talem quoque futurum aduentum filij hominis, nempe repentinū, mox adhortationem subiecit dicens Vigilate itaque, quia nescitis quando filius hominis venturus sit. docēs iis verbis, hanc esse caussam cur nolit à nobis sciri certum de fine mundi tempus, nimirum vt certi rediturum esse Dominum, incerti autem quando rediturus sit, perpetuò vigilemus & oremus, in dies & horas illum exspectantes. Ideò Augustinus ait in Epistola ad Hesychium, Dominum voluisse vt sciremus primum sui aduentum: quia illius cognitio & vtilis necessaria nobis erat. vnde reprehendit Dominus Luc. 12. Iudæos, dicens. Vos nostis iudicare faciē cœli, & diem visitationis vestræ non agnoscitis? Qui enim primum aduentum Domini non agnoscit, non potest se ad secundum præparare. Alterius vero aduentus diem & tempus noluit esse manifestum, quia non expedit nobis, ne scilicet dicamus sicut malus seruus Luc. 12. Morā facit Dominus, itaq. epulemur, & verberemus conseruos, &c. Dominus non vult vt multum temporis nobis promittamus vsque ad ipsius reditum, sed quotidie illum exspectemus, quia vult etiam vt quotidie simus parati. Ideo in eo. cap. 24. Matth. ad calcem subiecit, dicens. Quòd si dixerit malus seruus in corde suo, moram facit Dominus meus venire, & cœperit percutere conseruos suos, manducet autem & bibat cum ebriosis, veniet Dominus serui illius in die qua non sperat, & hora qua ignorat, & dissecabit eum, partémque eius ponet cum hypocritis. ibi erit ploratus, & stridor dentiū. Nunc tenemus caussam, cur Dominus nolit tempus illud à nobis sciri: nimirum in nostram salutem, ne multum temporis nobis polliciti, instar malorum seruorum bibamus & edamus cum ebriosis, &c. Præposterè igitur contráque Domini voluntatem faciunt, qui indulgentes genio & gulæ: interim tamen curiosè, quando rediturus sit Dominus, disputant.

Caput quintum de signis est, quæ finem seculi & aduentum Domini præcedent: de quo illorum vsu. Etsi vero de tempore quo rediturus est Dominus, nihil certi à nobis sciri potest, quia Dominus noluit: signa quædam tamen aduentum Domini, ideóque finem seculi præcurrent, quibus Dominum & certò rediturum, & non procul abesse, piis cordatisque hominibus patefiet.

Signa autem hæc vniuersa non recensebo: loca tantùm aliquot Scripturarum vbi hæc leguntur, indicabo. Matth. 24. quæ & repetuntur Marc. 13. & Luc. 21. Item quoddam aliud, Luc. 17. Item aliud de paucitate verè fidelium Luc. 18. Rom. 11. de conuersione Israelis. Item alia 1. Timoth. 4. 2. Tim. 3. 2. Thess. 2. Cæterùm tenenda est horum signorum quædam partitio. Quædam scilicet esse, quæ è longinquo finem seculi præcurrent: quædam vero quæ magis è vicino præcedent. Ad primum genus pertinet illa securitas hominum huius seculi, quæ describitur Matth. 24. Luc. 17. & alibi: Sicut fuit in diebus Nohæ &c. Item, Sicut fuit in diebus Loth, &c. Item huc pertinet illa à fide defectio, quæ describitur 1 Tim. 4 Spiritus manifestè dicit quod in nouissimis temporibus discedent quidam à fide, &c. quæ & alibi sæpiùs repetitur. Item huc pertinet illa mundi corruptio quæ describitur à Paulo 2. Timoth. 3 In extremis diebus instabunt tempora χαλεπά, &c. Erunt enim homines sui amantes, &c. Huc etiam pertinet defectio illa seu ἀποστασία & regni Antichristi reuelatio, quæ legitur 2. Thess. 2. Hæc signa iam dudum cœperunt, idque è longinquo, præcurrere diem Domini & finem seculi: ita verò præcurrunt, & continuant suum cursum, vsque dum de improuiso superueniat Dominus. Ad alterum vero genus, quæ magis è vicino præcedēt pertinet illa mysteriosa populi Iudaici ad Christum conuersio, quæ futura est sub finem seculi, & quam describit Apostolus Rom. 11. Neque enim dubito quin de hac loquatur Apostolus cùm dicat hoc esse mysterium. Huc etiam pertinent illa quæ commemorat Dominus Matth. 24. Erunt signa in Sole & Luna & Stellæ cadent, &c. Quanquam discrimen etiam est inter illud signum quod est Roman. 11. de conuersione Iudæorum, & inter hæc quæ Matth. 24. leguntur, de obscuratione Solis, & Stellarum casu, &c. Illud enim fiet, antequam veniat Dominus: hæc verò, in ipso Christi aduentu: & illud præcedet finem seculi, hæc verò pertinēt ad ipsum finem seculi cum scilicet (sicut 2. Petr. 3. ait) Cœli cum stridore prætteribunt, & flagrantes soluentur, & elementa liquescent. Hanc enim cœlorum & mundi renouationem credo significari illis verbis Domini Sol obscurabitur, Luna non dabit lumen, cadent Stellæ de cœlo, &c. Hæc de signis satis.

At hic duæ oriuntur dubitationes: Prima, qui conueniat illud quod scribit Apostolus Rom. 11. de conuersione Iudaici populi sub finem seculi, cum illo Christi dicto in Luc. 18. Cum veniet filius hominis, putas inueniet fidem in terra? Si enim tunc modica fides reperietur in terra, quomodo igitur numerosa Iudaici populi multitudo conuertetur nempe per fidem in Christum? Erit igitur & pauca & multa fides in terra. Respondeo: Augustinus ait, Distingue tempora, & concordabit Scriptura: Non simul hæ duo contingent, sed aliquanto diuerso tempore. Credo igitur, sic posse hæc duo loca conciliari. Primùm: ille summus & nouissimus Antichristus, qui sub finem seculi venturus est, quíque reliquos omnes hypocrisi, astutia, potentia & artibus diabolicis superabit (in eo enim, vt Patres testantur habitabat Satan, seu omnis plenitudo Satanicæ malitiæ, sicut in Christo habitat plenitudo diuinitatis corporaliter) is inquam nouissimus Antichristus omnia subuertet, & omnes (exceptis paucis electis) seducet, partim sua hypocrisi, editis etiam miraculis mendacibus (vt 2. Thess. 2. Paulus testatur) ita vt (sicut Iohannes in Ἀποκαλύψει ait) ignem etiam de cœlo faciat descendere in conspectu hominum: partim sua potentia & vi. Hoc igitur modo cùm venerit filius hominis, id est, sub aduentum Christi, parum certè fidei reperietur in terra. Vbi verò summus ille Antichristus, Spiritu oris Christi interfectus, & vi verbi Dei, quisnā sit (nempe non Christus, sed Antichristus) patefactus fuerit omnibus, tunc fortè Iehudæi cognoscent suum Messiam, ad eum conuertētur, & salui fient, &c. Regnante igitur Antichristo, vix fides vlla reperietur in terra: illo interfecto permulta.

Altera quæstio: Si signa permulta præcedant finem seculi, quibus patefiet piis hominibus non procul abesse Dominū: quomodo igitur ante cōclusisti, nō posse, quando venturus

venturus sit Dominus, & finis seculi futurus, ab vllo sciri? Respondeo: Hæc non pugnant. Etsi enim illa signa indicant piis, non procul abesse Dominum: certum tamen tempus quo venturus sit, inde colligi haud poterit. Ecce, è signis, quæ præcurrunt Domini aduentum, multa iamdudum contigerunt: quanta licentia & securitas? quanta religionis & morum corruptio? quot & quantæ hæreses? Dominus ait: Sicut in diebus Nohæ, Matth. 24. & Luc. 17. Et Apostolus: In diebus nouissimis erunt homines sui amantes. At quantus iam olim à tempore Apostolorum hominum lethargus? quis tamen potuisset vel tempore Apostolorum, vel nunc potest statuere, quantum temporis supersit vsque ad aduentum Domini? Item Apostolus ait: Spiritus manifestè dicit, quod in nouissimis temporibus discedent quidam à fide, &c. At nónne incepit hoc oraculum impleri tempore Apostolorum? Et certè erant nouissima illa tempora, vt Iohan. hic testatur, dicens: Nouissimum tempus est, videmus tamen, quàm diuturna sint hæc nouissima tempora. Item, iam dudum reuelatum est Antichristi regnum, quódam illud sit. Quid quòd tempore Bernhardi reuelari incipiebat regnum Antichristi? In Psalm. Qui habitat, &c. sermone 6. pag. 413. ad calcem: At nunc quidem pax (ait) à paganis, pax ab hæreticis sed non est pax à falsis filiis. Multiplicasti gentem Domine Iesu sed non magnificasti lætitiam: quoniam multi sunt vocati, pauci electi. Omnes Christiani, & omnes fere quæ sua sunt quærunt, non quæ Iesu Christi. Ipsa quoque Ecclesiasticæ dignitatis officia in turpem quæstum & tenebrarum negotiũ transiere: nec in iis salus animarum, sed luxus quæritur diuitiarum, propter hoc tondentur, propter hoc frequentant Ecclesias, Missas celebrant, Psalmos decantant pro Episcopatibus & Archidiaconatibus, Abbatiis, aliisque dignitatibus impudenter hodie decertatur, & Ecclesiarum reditus in superfluitatis & vanitatis vsus dissipantur. Superest vt reueletur homo peccati, filius perditionis, dæmonium non modo diurnum, sed & meridianum: quod non solum transfiguratur in Angelum lucis, sed etiam extollitur super omne quod dicitur Deus, aut quod colitur. Hæc Bernhardus.

Ecce vnum ex præcipuis quæ finem seculi præcurrunt, reuelatio scilicet regni Antichristi. Quis tamen vel potuit vel potest affirmare, quando venturus sit Dominus? Ex signis igitur istis quæ è longinquo præcurrunt, etsi indicent venturum quidem esse Dominum, & non procul abesse: quo vsque tamen se extendat illud NON PROCVL, definiri non potest. Ex signis verò quæ magis è vicino præcedent, colligetur vicinorem esse finem seculi, quàm antea, & citò venturum Dominum: cæterùm neque quàm diuturnum futurum sit illud CITO, sciri poterit. In Apocal. quoque, cap. 3. Ecce (inquit Dominus) venio citò: nondum tamen venit.

Conclusio hæc est. Etsi multa signa præcurrent & præcedent diem Domini, ac finem seculi: non inde tamen sequitur, posse è signis certò sciri quando venturus sit Dominus. Neque is est vsus signorum, vt ex iis possimus cognoscere tempora vel momenta: sed alij sunt vsus.

Sunt autem (meo iudicio) horum signorum vsus tres, iique contra tria grauia in hoc negotio pericula.

Primum periculum est, ne quis omnino statuat, nullum vnquam mundi finem futurum, nec rediturum Dominum. Contra hoc periculum Dominus in Scripturis tradit, & vt ita credamus mandat: seculum hoc finem habiturum, & se in fine seculi certo rediturum. Huc etiam spectant signa à Domino prædicta, nimirum vt cùm illa contingere viderimus, certiores fiamus, Dominum (sicut prædixerat) certo rediturum. Primus igitur vsus horum signorum est, vt illis tanquam signis obsignetur promissio de aduentu Domini, nostráque de eo fides confirmetur.

Alterum periculum est ne, etsi, certò credimus finem seculi futurum, & Dominum rediturum: putemus tamen illum procul adhuc abesse, & nectere moram. Hæc enim cogitatio, mali serui cogitatio est, & hominem in peccatis securum reddit. Contra hoc periculum Dominus vult, vt semper cogitemus, diem Domini non procul à nobis abesse. Huc illæ voces Philipp. 4. Dominus prope est. Item Matth. 24. de malo seruo, qui cogitat Dominum non cito venturum, ait: Veniet Dominus serui illius in die qua non sperat, & hora qua ignorat, & diuidet eum, &c. Quasi dicat, citiùs quàm ille malus famulus putat, redibit Dominus. Luc. 12. Et vos estote parati: quia qua hora non putatis, filius hominis veniet. Huc etiam faciunt signa à Domino prædicta, nimirum vt cùm iam inde ab initio viderimus, & quotidie videamus multa illorum euenisse & euenire: cogitemus, non procul igitur abesse Dominum, atque ita vigilemus & oremus. Ideo Dominus Matth. 24. cum prædixisset signa, subiecit in quem vsum ea prædixerit, dicens: Cùm videritis hæc omnia, scitote quod prope est in foribus. Hic igitur est alter vsus horum signorum, vt scilicet illis visis, sciamus Dominum non procul abesse, sed citò rediturum: ita tamen, vt nunquam, quàm diuturnum futurum sit illud CITO, definiamus.

Tertium periculum est hoc, ne scilicet, quia bonis seruis cogitandum est, fieri posse vt Dominus cito veniat, quàm longum aut quàm breue sit illud CITO, temerè definiamus, & certum tempus, quando venturus sit Dominus, constituamus. Hæc enim certi temporis definitio, præterquam quod temeraria est, est etiam tum contra voluntatem Dei, tum perniciosa. Aduersus hoc periculum Dominus vult, vt agnoscamus & fateamur tempus illud à nobis sciri non posse: soli vero Domino esse cognitum. Item vult sciamus, non esse nostrum vel inuestigare, vel scire tempora & momenta, quæ Pater posuit in sua potestate. Huc etiam pertinent signa, nimirum vt, cum videamus illorum multa iam inde à tempore Apostolorum impleri cœpisse, nec tamen statim redisse Dominum: ne etiam, cum viderimus reliqua, certum aduentus Domini tempus definire audeamus, sed illud Domino soli perspectum esse sciamus. Ac proinde quia nescimus quando venturus sit, perpetuò vigilemus & oremus. Ideo Dominus ait: Si sciret Paterfamilias, qua hora fur veniret, vigilaret vtique, & non sineret perfodi domum suam. Quasi dicat: Vigilaret illa vtique tantum hora, qua sciret furem venturum: sed quia scit venturum quidem, ignorat autem qua hora, idcirco totam noctem vigilat, & excubias habet. Ergo & vos estote parati (scilicet perpetuo) quia qua hora non putatis, filius hominis veniet. Quasi dicat: Si sciretis certum tempus illud quo rediturus sum: sub illud tempus tantum vigilaretis, & accingeretis vos in meū occursum: sed quoniam nescitis quando venturus sim, media nocte, an galli cantu, an mane, & tamen certe scitis me rediturum: idcirco debetis esse perpetuo parati & succincti.

Hi igitur sunt tres præcipui vsus signorum, finem seculi & aduentum Domini præcurrentium. Primus, vt illis visis, certò sciamus venturum esse Dominum. Secundus, vt illis visis, sciamus Dominum citò rediturum. Tertium, ne tamen illud citò, visis signis, quàm diuturnum futurum sit, definiamus: cum multa etiam iamdudum contigerint, nec tamen adhuc redierit. Cæterum nulla signa eo spectant, vt ex illis certum de aduentu Domini, finéque seculi tempus definire possimus. Ideo Dominus primum signa prædixit Matth. 24. Deinde, nequis tamen putaret se ex illis signis, quantum adhuc temporis superesset de aduentu Domini, colligere posse: subiecit, De die autem illa nemo scit. Videmus itaque hanc sequelam non posse consequi: Prædicta sunt signa, quæ finem seculi præcurrunt: Ergo cùm præcurrunt, & contingunt, colligere possumus inde, quantum temporis vsque ad aduentum Domini supersit. Alios enim esse vsus horum signorum, quàm vt ex iis possimus aut debeamus certum de aduentu Domini & fine seculi tempus concludere, demonstratum est. Ex iis autem omnibus facile colligere possumus, quid homini Christiano in hac quæstione, De fine seculi, faciendum sit. Nunc itaque de officiis Christiani hominis, in quæstione, De fine seculi, seruandis, ex iis quæ dicta sunt disseramus.

Cap. 6. Quænam Christiano homini in quæstione de fine seculi seruanda sint.

1 CErtò credendum est, seculum hoc tandem aliquando finem habiturum, rediturum Dominum mundúmque ipsum esse renouandum. Quare cùm cœli sint & terra renouandi, vt ipsi quoque in dies renouemur curandum est, vt docet Petrus 2 epist. cap. 3.

2. Quando vero futurus sit finis, non est curiosè inquirendum, tum quod sciri non potest, iuxta dictum Christi Matth. 24. tum quod nobis prohibetur illo dicto Actor. 1. Non est vestrum nosse tempora, &c.

3. Etsi nescimus quando venturus sit, interim tamen est desiderandum vt citò veniat, iuxta illud Matth. 6. Adueniat regnum tuum, & hoc est gratum Deo teste Paulo 2. Timoth. 4. Quod superest, reposita est mihi iustitiæ corona, quam reddet mihi Dominus in illo die iustus iudex: non solum autem mihi, sed & omnibus qui desiderant aduentum ipsius.

4. Etsi nescimus quando, est tamen perpetuò cuique cogitandum, fieri posse vt citiùs veniat Dominus, quam mundus putet. Hoc est enim discrimen inter bonum & malum

seruum. Malus (Luc. 12.) ait: Moram facit Dominus, &c. Bonus verò dicit: Nescio quidem quando venturus sit Dominus, sed indies illum exspecto. veniet enim, vt ipse prædixit, sicut fur in nocte, id est, de improuiso. Deinde. etsi (vt hoc interim dem) non citò venturus est ad iudicandum vniuersum: fieri tamen potest vt cras veniat, ad priuatas vitæ meæ rationes à me exigendas.

5. Quia nescimus quando venturus sit Dominus, vigilandum & orandum perpetuò est: & lampades oleo fidei & bonorum operum ita instructæ retinendæ, perinde atque si cras venturus sit: iuxta illud Christi Matth. 24. Vigilate itaque & orate, quia nescitis qua hora Dominus venturus sit. Quare nullo modo malus seruus imitandus est, qui, quia sibi multam moram Domini promittit, cum ebriosis inebriatur, & conseruos percutit. Luc. 12.

6. Si tentemur ab impatientia, cur non citò veniat dies Domini, quare Dominus tamdiu differat aduentum suum: sequamur consilium Petri Apostoli in 2. Epist. cap. 3. Oculos nostros non in hunc temporalis vitæ decursum, sed in ipsam æternitatem, vbi omne, quantumuis diuturnum, tempus mox euanescit, defigamus: cogitemúsque, annos mille ante Dominum esse sicut diem vnum, iuxta illud 2. Petr. 3. Porrò ne hoc nos vnum lateat, dilecti, quod vnus dies apud Dominum perinde est vt mille anni. & mille anni vt dies vnus. Hanc igitur dilationem nihil esse sciamus.

7. Si verò vel à nostra curiositate tentemur, vel ab hominibus interrogemur, cur Dominus tamdiu differat aduentum suum? Respondeamus. sicut Petrus docet: Ideo differre, vt omnes ad resipiscentiam exspectet, & quod non delectetur perditione hominum.

8. Si quæstio proponatur, An Dominus citò vel serò venturus sit: sequamur doctrinam Christi, & respondeamus, Nos nescire. Hæc enim tutior est via. Etsi enim dicas, Dominus non citò veniet, tardabit adhuc: proprium hoc est serui mali Luc. 12. Matth. 24. & parit vel securitatem carnalibus, vel desperationem piis, qui aduentum Christi desiderant. Si verò dicas, Citò veniet: est quidem hoc boni famuli, cogitare Dominum citò venturum, illúmque indies exspectare: & ad studium componendi te, & obuiam eundi Domino ista cogitatio incitat: sed tamen temeritatis est, id quod ignores, affirmare. Si autem dicas te nescire, & ideo quia nescis vigilandum esse & orandum: & boni & humilis famuli officium feceris, ideóque tutiorem viam ingrediêris. Est enim hoc tertium, iuxta Euangelium Christi: Vigilate igitur, quia nescitis. Augustinus quoque in Epist. ad Hesychium, ponit tres bonos famulorum ordines. Vnus ait: Vigilemus & oremus, quia citius veniet Dominus. Alter dicit: Vigilemus & oremus, quia tarde quidem veniet Dominus, sed vita nostra est breuis. Tertius vero ait: Vigilemus, & oremus, quia nescimus quando venturus sit Dominus. Et huius sermonem magis probandum esse docet, quia iuxta verba Christi loquitur, qui dixit: Vigilate, & orate, quia nescitis quando venturus sit Dominus.

Cæterúm etsi nescimus quando futurus sit finis seculi vniuersalis: cogitemus finem tamen seculi cuique nostrûm vicinum esse. neque enim diu viuere possumus: Et cùm hoc certum nobis sit: perpetuò vigilemus, & oremus: nec imitemur malum famulum, qui dicit: Moram faciet Dominus meus, &c. Faxit Dominus, vt hæc omnia visceribus cordium nostrorum inhæreant.

DE PERSEVERANTIA SANCTORVM:

IN EA VERBA, 1. IOAN 2. vers. 19. ἐξ ἡμῶν ἐξῆλθον, &c.

Ex nobis exierunt.



VIDIMVS quid in vers. 18. sibi voluerit Apostolus: nimirum concludere sua ætate incepisse tēpus illud mundi nouissimum, ideóque omnium periculosissimum, quo Ecclesia Christi erat (iuxta vaticinationem prophetarum, & verba Christi) supra modū ab Antichristo affligēda. Hoc autem probauit inde quia suo tempore cœperunt esse multi Antichristi: nimirum illius maximi, qui postea reuelādus erat, præcursores. Totum autem eò spectabat, vt fideles moneret, sibi ab istis Antichristis diligenter cauerent. Vidimus etiam locum communem de fine seculi: Nunc sequitur versus 19. Tria hic facit.

Primùm tradit primam notam, qua isti Antichristi, de quibus loquitur, agnosci possint. Hæc autem est, ἐξῆλθον ab Ecclesia Catholica & Apostolica. Docet enim hosce seductores priùs fuisse in Ecclesia, vnà cum Apostolis, & reliquis fidelibus: sed postea ab ea defecisse. Ab iis igitur maximè esse cauendum, qui cùm professi sint cum aliis eundē Christum, & eandem doctrinam: postea deficiunt. Et hoc, cùm ait, Exierunt à nobis.

Secundò, occurrit scandalo pusillorum, qui ex hominum defectione offendi potuissent, atque ibi duo docet: Vnum, quínam sint illi qui deficiant à nobis, id est, ab Ecclesia: nimirum illi, qui non sunt ex nobis: id est, qui nō sunt neque ex electorum numero, neque ex corpore Ecclesiæ Christi, seu insiti Christo. Alterum, quare discedant: Quia non sunt ex nobis: id est, neque ex electis, neque de Ecclesia. Qui enim sunt ex nobis id est, ex electis & de Ecclesia, postquā semel coniuncti sunt cum Ecclesia vinculo fidei, & insiti Christo per Spiritum Christi, eos perpetuò manere cum Ecclesia & cum Christo coniunctos. Minimè igitur fideles offendi debere, quòd illi defecerint, cū non essent ex nobis.

Tertiò docet, finalem omnis defectionis caussam hanc (præter alias) esse, vt scilicet apostatarum defectione patefiat, eos qui deficiunt, non fuisse ex nobis: atque ita innotescat, quinam sint, & qui non sint de corpore Ecclesię. Et hoc facit cùm ait, Sed vt manifesti fierent, quòd non essent ex nobis. Tenemus summam totius versus, nunc singula verba diligentiùs examinemus.

Primùm notandum est, illud A NOBIS, referendum esse & ad illum, qui scribit, reliquósque Apostolos, & ad illos fideles, ad quos scribit, & consequenter ad Christum, cui omnes & Apostoli, & reliqui fideles, tanquam membra capiti, vinculo Spiritus sancti coniuncti & copulati sunt. Fideles autem isti omnes, vnà cum Apostolis, eiusdem Spiritus Christi, fidei & charitatis nexu cum Christo colligati, Ecclesiam Christi constituunt, eámque Catholicam & Apostolicam. Perinde igitur est ac si dicat, Exierunt, seu defecerunt, & apostasiam fecerunt ab Ecclesia Christi Catholica & Apostolica, & consequenter à Christo totius Ecclesiæ capite.

Deinde notandum illud verbum EXIERVNT. Nemo potest ab Ecclesia deficere, nisi priùs in Ecclesia fuerit, & communionem aliquam cum ea habuerit. Nam prorsus infideles qui nunquam fuerunt in Ecclesia, non possunt dici defecisse ab Ecclesia. Docet igitur, istos Antichristos, id est, hæreticos, priùs fuisse in Ecclesia, & communionem aliquam cum Ecclesia habuisse, sed postea ab ea defecisse.

Quomodo verò exierunt? Non certè corpore Ecclesiam deserendo (nam versabantur adhuc inter fideles, & ex iis quosdam seducebant) sed ea vincula quibus antea cum Ecclesia & cum Apostolis colligati erant, scindendo: & cōmunionem quam anteà habuerant cum Ecclesia, deserendo.

Quæ vero & qualia fuerunt hæc vincula, quæ sciderunt, & qualis communio, quam deseruerunt? Respondeo. Externa ea omnia fuerunt, externa eiusdem doctrinæ Christi professio, & eorundem Sacramentorum participatio, externus denique eiusdem Christi cultus. Est enim duplex communio, seu duo vinculorum genera, quibus quis potest dici cum corpore Ecclesiæ colligatus esse Sūt vincula interna & inuisibilia, & sunt externa ac visibilia. Interna ac inuisibilia, ideóque essentialia, sunt duo præcipua. Primum est, vinculum electionis æternæ. Sunt enim omnes qui ad Ecclesiam pertinent, electionis vinculo in cœlo cum Deo colligati, & Christo copulati: quia omnes electi in Christo sunt. Sine hoc vinculo nemo vnquam potest verè esse cum Ecclesia, ideóque cum Christo connexus. Alterum, est vinculum Spiritus Christi, ideóque eiusdem fidei & charitatis, quas in electis operatur, Spiritus sanctus. Hoc enim alterum vinculum ita est absolutè necessarium, vt nisi hoc accedat, nemo possit dici reipsa esse coniunctus cum Ecclesia, & cum capite Ecclesiæ Christo.

Nisi

nim accedat Spiritus Christi,& fides nemo potest ha-
ἀποστασία cum Christo,& cum eius corpore,quod est Ec-
. In iis enim vera consistit κοινωνία Ecclesiastica. Exter-
eo vincula sunt itidem duo præcipua:Primum externa
enim,& quidem totius doctrinæ Christi professio: Alte-
,eorundem Christi Sacramentorum participatio.Sed dis-
men est inter hæc & illa. Illa duo priora,scindi & frangi
possunt,vt postea demonstrabo:nam neq; æterna electio
est fieri irrita,ita vt aliquis ex electo fiat reprobus:neque
ectorum fides potest eos penitus deficere, vt Christus
ait Petro. Quare qui illis coniuncti sunt cum Christo &
in Ecclesia, non amplius discedunt à Christo & Ecclesia:
postea ex verbis Apostoli, & aliis Scripturarum locis
planum faciemus. Alia vero duo scindi possunt: quia
potest quis & confessionem doctrinæ Christi, & parti-
cipationem Sacramentorum reiicere. Quod autem A-
postolus intelligat hosce Antichristos ab Ecclesia de-
fecisse, posteriora hæc duo vincula soluendo, non au-
tem veram fidem, qua præditi nunquam fuerant, ex-
cutiendo: manifestum fiet ex verbis Apostoli, vbi ait: Non
erant ex nobis, quia si fuissent ex nobis, mansissent vtique
nobiscum. Item infrà versu 22.declarans quomodo facti sint
Antichristi, ait: Quis est mendax, nisi qui negat Iesum
esse Christum? Hic est Antichristus. Quasi dicat: An-
tea fatebantur Iesum esse Christum, nunc negant. Non
ait quod antea verè crediderint,nunc vero non credant: sed
quod negent, nimirum cùm illum antea profiterentur cum
reliquis fidelibus. Sic autem deficere ab Ecclesia & à
Christo, est fieri rebellem Christi & Ecclesiæ. Inde
Tertullianus contra Marcionem,hæreticos vocat Christi re-
belles. Proinde Iohannes noster hanc rebellionem & apo-
stasiam ponit,tanquam primam notam hæreticorum & An-
tichristorum.

Nunc tria præcipuè de istis Antichristis tenemus. Pri-
mum,è qua Ecclesia defecerint:nimirum ab Ecclesia Chri-
sti Catholica & Apostolica, & consequenter à Christo ca-
pite Ecclesiæ. Deinde,quomodo defecerint,non excidendo
à iure electionis,in quo nunquam fuerunt: neque veram fi-
dem abiiciendo, qua nunquam donati fuerunt: sed ex-
ternam,quam cum Ecclesia habuerant,ac præsertim in do-
ctrina communionem & consensionem deserendo. Ter-
tium, hanc, ab Ecclesia Christi Catholica & Apo-
stolica per desertionem doctrinæ Apostolicæ defectio-
nem, primum notam esse, qua agnitì sint esse Anti-
christi: quia rebellio contra Christum facit, vt quis verè
fiat Antichristus: & ideò nota est certissima, quod quis sit
Antichristus.

Ex iis colligimus nos tria. Primò,quid sit vera & damnã-
da ἀποστασία: eam scilicet esse defectionem a vera Ecclesia
Christi Catholica & Apostolica, ideóque à Christo, idque
per desertionem doctrinæ Apostolicæ, & communionis Ca-
tholicæ Ecclesiæ. Si quis igitur deficiet ab Ecclesia quæ
plane non sit Christi: hic non est propriè apostata. Item,si
quis exeat ab vna Ecclesia particulari, corpore tantùm, sed
interim communionem neque in doctrina Apostolica,
neque in Sacramentis iuxta institutionem Christi admi-
nistratis deserat,imo eam cum aliis Ecclesiis omnibus puris
& Apostolicis colat, non est apostata. Sed de iis seorsum in
tractatione de apostasia. Deinde colligimus ex nota Anti-
christorum, quæ est apostasia: omnes Antichristos esse apo-
statas:nec esse Antichristum, qui non sit apostata ab Eccle-
sia Catholica & Apostolica.Hoc patet in iis de quibus Ioan-
nes loquitur, Cerintho, &c. Item in Mahomete. fuerat
enim Christianus,deinde factus Nestorianus, defecit ab Ec-
clesia, & nouam illam sectam instituit. Non est igi-
tur exspectandus Antichristus,nisi ex Ecclesia. De omnibus
Antichristis enim pronuntiat Apostolus, Exierunt à nobis,
&c. Quare postremo docet, à quibus maximè cauendum
sit. Hæc enim omnia tradit,vt nos moneat cauendum esse
à falsis doctoribus qui sunt in Ecclesia: quique simulant
pietatem & fidem Christianam, & interim impias doctrinas
docent: damnant Antichristum, interim ipsi sunt Anti-
christi. Ab iis docet Apostolus nobis cauendum esse. Se-
quitur:

Sed non erant ex nobis,&c.

Occurrit hic scandalis piorum, qui ex horum defectione offendi variis modis potuissent:Solent autem ferè,cum tales sectæ oriuntur in Ecclesia, tria oriri scandalorum genera. Primum est, quod quidam, cùm vident doctos & magnos viros deficere à doctrina Ecclesiæ: incipiunt & ipsi tentari, vt ab eadem doctrina deficiant, & sequantur nouam. Huic scandalo occurrit Apostolus in toto hoc contextu, dum hortatur fideles vt maneant in doctrina quam inde ab initio receperunt: nec sinant se seduci. Neque enim ideo esse à doctrina Apostolica recedendum, quia etiam alij discesserunt. Hos enim homines esse reprobos,& Antichristos. Alterum scandalum tendit in ipsam Ecclesiam & doctrinam dicunt enim: Qualis est ista Ecclesia, vnde tot hæretici prodeunt? qualis est Ecclesia, vbi tot sectæ? Hoc scandalum apparet nostro tempore. Arguunt aduersarij, nos non esse veram Ecclesiam, quia ex nobis multi exeunt hæretici:Anabaptistæ,Libertini,Schvvenckfeldiani. Ita Euangelio acceptas ferunt has sectas.Huic scandalo occurrit Iohannes,dicens:Etsi à nobis exierunt,non tamen erant ex nobis. Quasi dicat: Ne quis tamen adscribat has hæreses Ecclesiæ Dei,nam si fuissent ex Ecclesia Dei,mansissent nobiscum.Sed non erant.Ergo,&c. Tertium:alij infirmi,alio modo offenduntur.dum enim vident multos,præsertim qui fuerunt alicuius nominis & existimationis in Ecclesia, ab Ecclesia defecisse, incipiunt dubitare de Ecclesia, illámque perituram prorsus existimant, & non diu duraturam. Huic etiam tertio scandalo occurrit iisdem verbis. Quasi dicat: Ne dubitetis de Ecclesia, propter horum defectionem, quasi illa perire queat. non enim illi erant ex corpore Ecclesiæ,& eiusdem membra.Ecclesia autem firma manet: illi verò tantùm exeunt & deficiunt, qui non sunt de Ecclesia. Ita fecit Paulus: cùm dixisset de Hymenæo & Phileto, eos defecisse a veritate: ne cæteri fideles perturbarentur, quasi Ecclesia perire queat, & veri fideles,subdit dicens:Firmum stat fundamentum, habens signaculum hoc, NOVIT DOMINVS QVI SINT EIVS:&,Discedat ab iniquitate,omnis qui inuocat nomen Domini. 2.Tim.2 17.18.19. Sic in Actis Petrus de Iuda occurrit scandalo quod potuissent aliqui capere ex defectione Iudæ. Et quomodo occurrit? Reuocando omnes ad electionem & reprobationem, ac dicendo: Suspensum eum fuisse, & crepuisse medium, & præuaricatum excidisse ex officio Apostolatus: vt (inquit) abiret in suum locum. Act.1.25. Sic ante Apostolos omnes fecit Christus, præuidens periturum Iudam, vnde multi potuissent offendi, occurrit, & ait: Nemo ex illis periit, nisi filius perditionis,id est,perditioni destinatus Iohan.17.12. Quasi dicat: Omnino firma est & certa salus electorum, qui à Patre mihi dati sunt: illi tantùm pereunt, qui ad perditionem destinati sunt.

Docet igitur iis verbis Apostolus duo. Vnum,quínam sint illi qui deficiunt ab Ecclesia: non certè illi qui sunt vera membra Ecclesiæ, sed illi tantùm qui non sunt vera Ecclesiæ membra. Alterum:quare deficiant:quia scilicet non sunt membra Ecclesiæ. Sic Dominus respondet Iudæis, qui non credebant: Sed vos non creditis, quia non estis ex ouibus meis.Io 10.26. Quibus verbis hæc eadem duo docuit Dominus,quæ & Iohannes: illos tantùm non posse credere Christo,qui non sunt ex ouibus,id est,electis Christi: & ideo non posse credere,quia nô sunt ex ouibus Christi. Idem hîc facit Apostolus. Nec tamen inde sequitur, culpam peccati, id est,infidelitatis & defectionis eorum transferri in Deum. Rem simili aliquo declaremus. Paulus ponit fundamentum: 1. Cor.3.10. super fundamentum ponit aurum, argentum,& fœnum,atque stipulam & lignum.venit ignis,& tantum lignum,fœnum & stipulam comburit, aurum non. Si quis ergo interrogatus, quare lignum comburatur, non aurum,respondeat,Quia lignum est lignum,non autem aurum:quid concludet? Nihil aliud,nisi lignum comburi,quia lignum est, non autem aurum: ac proinde caussam cur comburatur lignum,non extra lignum,sed in ipso ligno esse quærendam. Quæ illa est? Quia est talis materiæ & formæ vt possit comburi:aurum autem non item. Ita cùm de reprobis dicimus, eos non posse credere, quia reprobi sunt, nec sunt de ouibus Christi, verum dicimus: nec tamen sequitur,caussam,cur non possint credere,esse in Deo. Imò consequitur, caussam hanc in ipsis esse, non in Deo:quia sunt talis naturæ corruptæ,vitiatæ, tantúmque ad malum propensæ, & sceleribus perpetrandis idoneæ, ideóque Deo inuisæ & reprobatæ. Omnes enim reprobos talis esse naturæ, vt non possint nisi malum facere: certum est. Caussam igitur peccati in ipsis hærere, non extra ipsos, liquet.

Sed hîc notandum est discrimen harum locutionum in Apostolo. Primò ait: Exierunt ex nobis. Erant ergo prius nobiscum: id est, Cum & In Ecclesia Christi. Deinde ait: Sed non erant ex nobis. Opponit autem hoc alterum membrum priori. Aliud est igitur esse In & Cum Ecclesia: aliud esse Ex & De Ecclesia. Et de illis quidem qui non sunt de Ecclesia, sed tantum in & cum Ecclesia, pronuntiat, Illos exire & deficere ab Ecclesia, cùm ait: Exierunt à nobis. De illis verò qui sunt ex & de Ecclesia, pronuntiat, eos per-

petuò mansuros & perseueraturos in & cum Ecclesia, cùm etiam sint ex & de Ecclesia, dicens: Nam si fuissent ex nobis, mansissent vtique nobiscum.

Ista autem maximi sunt momenti. Ergo primùm diligenter consideranda sunt hæ duæ locutiones diuersæ. Prima: Quid sit esse non solùm in & cum Ecclesia, sed etiam de & ex Ecclesia. Altera: Quid sit aliquem esse tantùm in & cum Ecclesia non autem de Ecclesia. Deinde videndum, quæ requirantur necessario, vt quis fiat de & ex Ecclesia: & deinde quæ requirantur ad hoc, vt quis sit in & cum Ecclesia.

Quod ad primum attinet, esse de & ex Ecclesia, est, esse Christo insitum, ideóque verum corporis Christi (quod est Ecclesia) membrum, in quod perpetuò vitalis & viuificus Christi Spiritus è Christo ipso capite fluat, atque ab eo agatur & regatur. Esse vero in & cum Ecclesia tantùm, est, in consortio quidem fidelium versari, & inter fideles connumerari, sicut mali pisces inter bonos, paleæ inter frumenta, sed tamen non esse neque in Christum, neque in Ecclesiæ corpus reipsa insitum. Hæc sunt perspicua. Ad alterum verò quod attinet, quænam requirantur ad hoc, vt quis verè sit de & ex Ecclesia: respondemus. Duo hæc, eáque simpliciter, & per se, vinculum scilicet æternæ electionis, & vinculum Spiritus Christi, ideóque veræ fidei, de quibus paulò antè dictum fuit. Manifestum enim est, neminem vere esse de corpore Ecclesiæ, nisi vera fide in Christum, ideóque in corpus Ecclesiæ insitus sit. Nemo autem potest vera in Christum fide donari, & in illum inseri, nisi ad hanc fidem habendam, ideóque ad hanc insitionem, à Deo gratis electus ab æterno sit. Est enim hæc vera fides, electorum tantùm. Et illi tantùm crediderunt, quotquot ad æternam vitam præordinati fuerant. Ad hoc verò vt quis dici possit esse in & cum Ecclesia, intérque fideles connumerari, duo alia necessaria sunt: ipsa externa eiusdem, & quidem totius doctrinæ Christi professio: Et ipsa eorundem Sacramentorum iuxta institutionem Christi administratorum participatio. Hæc etiam sunt perspicua hominibus non contentiosis.

Nunc videamus, quod discrimen doceat Apostolus esse inter hos qui tantùm sunt in & cum Ecclesia, & inter illos qui sunt de & ex Ecclesia. De illis ait: Exierunt à nobis, & ideo non manserunt nobiscum, quia non erant ex nobis. Non perseuerant igitur vsque in finem tum Christo & cum Ecclesia, sed vel dum adhuc viuunt, discedunt, fractis duobus illis vinculis externis, vel saltem morte separantur ab Ecclesia, & eunt in locum suum, in quem & Iudas. De istis verò sanctis pronunciat, eos perseueraturos in finem vsque, seu perpetuò cum Christo & cum Ecclesia, dicens: Si enim fuissent ex nobis, mansissent vtique nobiscum. Quasi dicat: Quicunque sunt ex nobis, ij perpetuò nobiscum manent: Christo scilicet & Ecclesiæ Christi, fide insiti, ideóque à Christo & à fide excidere nunquam possunt. Ergo si etiam isti qui exierunt à nobis, fuissent ex nobis mansissent profectò nobiscum, & in Ecclesia perseuerassent. Est igitur hic apertus locus de Perseuerátia Sanctorum in Christo, & in fide Christi, ideóque in Ecclesia.

TRACTATIO DE PERSEVERANTIA SANCTORVM IN FIDE.



VTA verò ex hoc loco pendet vera certitudo salutis: hæc autem salutis certitudo scopus est, in quem diriguntur omnes promissiones, totúmque Euangelium, omniáque Dei in nos per Christum collata beneficia: idcircò hic locus de Perseuerantia Sanctorum in fide, & in Christo, diligenter a nobis tractandus est.

Seco autē totam hanc tractationem in quatuor capita. In primo probabitur Perseuerantia sanctorum in fide. In secundo, conciliabuntur loci Scripturæ, qui in speciem cum ea doctrina pugnare videntur, omniáque argumenta, quæ in contrariam sententiam afferri solent, refutabuntur. In tertio docebitur, Etsi fides vera in sanctis deficere prorsus, & extingui non potest, tamen sæpenumero eam infirmari, & imbecilliorem fieri, ita vt penitus extincta esse aliquando videatur, & vndénam hæc infirmitas & imbecillitas oriatur. In quarto necessitas & vsus huius doctrinæ in Ecclesia demonstrabitur.

CAPVT I.

QVod ad primum attinet, conclusio hæc est: Sanctos, qui vinculo non solum æternæ electionis, sed etiam Spiritus Christi, veræque fidei, Christo copulati, ideóque in ipsum Christi corpus (quod est Ecclesia Sanctorum) insiti semel fuerunt, eos in perpetuum in Christo & in fide perseueraturos, nec posse amplius à fide prorsus excidere: idque non propter proprias vires aut merita, sed tum propter promissionem diuinam, tum propter Christi precationem & intercessionem: Spiritu Christi fidem in illis perpetuò conseruante. Afferam primò testimonia aliquot ex Veteri & ex Nouo Testaměto, deinde argumenta quædam è Scripturis desumta, postremò, testimonia e Patribus, & ex Buceri scriptis.

Iustus comparatur in Scriptura arbori ad riuos aquarum plantatæ, quæ semper humorem retinet in radice, & viua manet, ita vt fructum suum reddat in tempore suo, & folia eius non defluant. Sic in Psal. 1. Et erit (inquit) tanquam arbor, &c. Sic Ezechiel. 47. de iusto, arbori huiusmodi ad aquas plantatæ, comparato loquens, ait: Non marcescet folium eius, &c. Atqui humor vitalis in iustis, est Christus fide apprehensus. Is enim ait: Ego sum vita &c. Ergo iusti semel Christo per veram fidem & eius Spiritum insiti, à fide & à Christo excidere amplius non possunt.

Neque est cur quispiam hic excipiat, Sermonem de eo haberi, qui, vitatis impiorum consiliis atque viis peccatorum, meditatur in lege Domini, die ac nocte. Nam neque nos de alio loquimur quàm de homine verè sancto & fideli. Aio enim describi iusti hominis ingenium, & felicitatem: ac neminem esse dico iusti nomine dignum, qui non ex animo studeat tum vitare impiorum consilia, & vias morésque peccatorum, tum in lege Dei sese exercere & oblectare. Omnis enim iustus, ac verè sanctus, scriptam habet legem in corde suo, iuxtà promissionem Dei per Ieremiam Cap 31. 32. 33. De tali autem iusto quid hîc pronunciet Psalmus, videmus, futurum scilicet arborem, quæ nunquam penitus arescat: quid ita? Quia Deus eas penitus nunquam deserit arbores, quas ipse plantauit, & Christo inseruit, nec Christus, quos semel accepit à Patre seruandos, illos a se foras eiicit, vt ipsemet testificatur. Nouit enim Dominus vias & corda iustorum, qui ita scriptam habent legem in cordibus suis, vt in impiorum consilia non veniant (ex professo) neque in via peccatorum stent: (surgunt enim lapsi,) multo verò minùs in cathedra derisorum sedent. Sed licèt carne seruiant legi peccati, Spiritu tamen seruiunt legi Dei, & ea delectantur, Spiritu Christi hoc in illis operante.

Iesaias 9. 6. de regno Christi (quod est Ecclesia) loquens, ait: Sedebit (scilicet Messias) super regnum eius (scilicet Dauidis) ad instaurandum illud & confirmandum in iudicio, & iustitia, à modo & vsque in seculum. Ex iis verbis tale colligitur argumentum, Christus suum regnum, illúdque totum, continenter & sine intermissione instaurat, & confirmat per verum iudicium & veram iustitiam (est autem iustitia hæc per fidem in renatis.) Atqui regnum Christi est Ecclesia. Si autem hoc verum est de tota Ecclesia, idem etiam verum sit de singulis Ecclesiæ partibus & membris necesse est: alioqui non totum regnum Christi continenter instauratur & firmatur in iudicio & iustitia.

Hier. 32. 39. 40. de fidelibus præsertim sub Nouo testamento, loquens, ait: Et dabo iis cor vnum, & viam vnam, vt timeant me vniuersis diebus. & bene sit eis & filiis eorum post eos: & feriam cum eis pactum sempiternum: & non desinam eis benefacere: & timorem meum dabo in cor eorū, vt non recedant seu deficiant à me. Hic locus est perspicuus, & proinde Augustinus subinde illum in hanc sententiam inculcat.

Hose. 2. 19. 20. Desponsabo te mihi in perpetuum in iustitia, &c desponsabo te mihi in fide, &c. Promissio hæc ad vniuersos & singulos electos pertinet. Sic igitur argumentemur: Christus electos suos sibi desponsat in perpetuum, id est, vinculo indissolubili sibi copulat, vt coniugium

dissol-

non possit, sed in perpetuum maneat integrum. it autem sibi fideles in matrimonium vinculo fidei. qui semel vero fidei vinculo copulati sunt Christo, excidere nequeunt, &c.

.33.7.10. Et ponam locum populo meo Israel, & plantcum, & habitabo cum eo, & non turbabitur amplius. is velit hunc locum intelligere de terra Canahan, non impletur promissio. Fuit enim inde turbatus ulus. Loquitur igitur primùm de perpetua habitatio- Spiritus sancti nobiscum in cordibus nostris: deinde habitatione Dei nobiscum in cœlis perpetua, &c. 1.

ar.15.

Amos 9. 15. Ego plantabo eos in terra sua, nec euellen- ir vltra e terra sua, quam dedi eis, dicit Dominus Deus uus. &c. Qui plantantur? Electi. Vbi plantantur? In terra ua: id est, in Ecclesia, insiti Christo. Quomodo inseruntur Christo, & plantantur in Ecclesia? Fide vera & viua. De iis autem sic promittit, dicens: Nec euellentur vltrà e terra sua. Ergo electi vera fide semel Christo insiti, & in terra Israel, id est, in Ecclesia plantati, non ampliùs possunt a- uelli à Christo & ex Ecclesia, ideóque non possunt exci- dere a fide. Sic etiam Bucerus in Matth. cap. 5. exponens ea verba. Omnis plantatio, &c. hunc locum Amosi de fir- mitudine piorum in Christo & in regno cœlorum interpre- tatur. Lutherus quoque in Amosum, exponens hæc verba, de ea firmitudine in Christo & regno Christi intellexit, & habet hæc verba: Hinc (nempe è regno Christi) in sempi- ternum non transferentur, fide firmati, & Spiritu sancto cœlitus dato. Hæc ille.

Matth. 7. Qui audit verba mea, & facit ea (id est, illis fa- ciendis & seruandis studet. id quod proprium est veræ & viuæ fidei) assimilabo eum viro sapienti, qui ædificauit domum suam super petram: & descendit imber, & vene- runt flumina, & flauerunt venti, & irruerunt in domum il- lam, nec concidit: fundata enim erat super petram. Ergo quicunque vera & viua fide super Christum petram fun- datus est, non potest vllis vel mundi vel Satanæ insultibus à Christo conuelli & concidere.

Matth. 13. Electi & verè fideles comparantur terræ bonæ. Hæc semel semen in se iactum retinet, & fructum facit. Christus autem & verbum eius non retinetur nisi fide.

Matt 15. Omnis planta quam non plantauit pater meus (id est, reprobus quisque, etsi videatur in agro Dominico, id est, in Ecclesia plantatus) eradicabitur. Omnis ergo planta quam plantauit Pater (id est, electus quisque, verè Christo insitus) non eradicabitur. Quicunque autem est insitus Christo, & à Patre plantatus in Ecclesia: per fidem insitus & plantatus est. Talis igitur a fide excidere non potest.

Matth. 16. Tu es Petrus, & super hanc petram (id est, super hanc cōfessionem firmam) ædificabo Ecclesiā meam (id est, quotquot in corpus Ecclesiæ inseram, hac firma fi de donabo) & portæ inferorum non præualebunt aduer- sus eam: id est firma erit & perpetua Ecclesia, nec vnquā corruet. Quod autem de tota Ecclesia dicitur, idem de singulis veris Ecclesiæ membris intelligitur.

Matth. 24. Electi seduci non possunt. Sic enim ait: Ita vt seducantur (si fieri possit) etiam electi. Seduci autem, est à fide & veritate in errorem abduci. 2. Tim. 2. de Hyme- næo & Phileto: Exciderunt à veritate.

Luc. 22. Rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua, &c. Pro omnibus autem & Apostolis & fidelibus hoc ro- gauit. nam antè in plurali numero dixerat: Satanas expe- tiuit vt cribraret vos. Ego autem rogaui pro te (id est, pro omnibus, sed speciatim pro te, qui turpiùs aliis casurus es) &c. Augustin. etiam, Tom. 7. de Correctione & Gratia, cap. 12. de omni fideli qui super petram Christum ædificatus est, intelligendum esse docet.

Iohann. 4. Qui biberit ex aqua quam ego dabo, non si- tiet in æternum, sed fit in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. Aqua illa est Spiritus sanctus. Quicunque i- gitur semel receperunt Spiritum regenerationis, illum perpetuò retinent, ita vt fiat in illis fons indeficiens aquæ viuæ.

Iohan. 6. Omne quod dat mihi Pater, ad me veniet: & eum qui veniet ad me non eiiciam foràs. Quid est, Qui ad me venerit? id est, qui se mihi fide certa dediderit.

Item 6. Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem (id quod fit fide vera & viua) in me manet, & ego in illo. Ergo qui semel incorporatus est Christo per esum suæ carnis, qui fit per fidem, in Christo perpetuo ma- net & perseuerat.

Iohan. 10. Nemo potest rapere oues meas de manu mea. Ergo electi in manum Christi à Patre traditi, & per fidem ei coniuncti, non possunt è manu Christi eripi, & ab eo separari.

Iohan. 14. Ego rogabo Patrem, & alium paracletum da- bit vobis, vt maneat vobiscum in æternum, &c. Ergo vbi semel datus est alicui Spiritus sanctus sanctificās, cum eo manet in æternum. Nam in hunc finem datur, vt maneat perpetuò cum eo cui datur, sicut Christus docet.

Rom. 11. Sine pœnitentia sunt dona (scilicet gratiæ) & vocatio efficax (scilicet ad salutem.) Præcipuum autem donum est fides. Hoc igitur donum fidei semel datum, e- ripi fidelibus non potest.

Rom. 14. de fideli loquens ait: Domino suo stat, aut ca- dit: Stabit autem, potens est enim Deus illum statuere. Ergo fideles non possunt penitus excidere. Sic etiam Bu- cerus interpretatur, & ante eum Augustinus de Correct. & Gratia, cap. 12.

Philip. 1. Qui incepit in nobis bonum opus, perficiet vs- que in finem, &c. Primum autem opus Dei in nobis, est fides vera. Ioh. 6. Hoc est opus Dei, vt credatis in eum, &c. Non igitur potest Deus propter promissionem opus fidei, quod incepit in aliquo electo, deserere, vt non perficiat.

Coloss. 2. Christum vocat caput, ex quo (inquit) totum corpus (Ecclesiæ scilicet) per commissuras & compagines subministratum & compactum, augescit augmento Dei. Singula igitur Ecclesiæ membra viua, semper coniuncta sunt suo capiti Christo: alioqui non totum corpus mane- ret compactum. Idem tradit Ephe. 4. Veritatem autem se- ctantes in charitate, crescamus in illo per omnia, qui est caput, nempe Christus: in quo totum corpus (ergo & sin- gula membra compactum) & connexum per omnem iu- cturam subministrationis, secundum efficaciam, in men- sura vniuscuiusque partis, incrementū corporis facit, &c.

1. Ioh. 3. Qui natus est ex Deo, non peccat: & non potest peccare, quia semen Dei manet (id est, perpetuò perseue- rat) in illo. Quódnam est illud semē? verbum Dei fide re- ceptum. Regeniti igitur, semper in se habent veram fidem. Ideo Petrus 1. Epist. cap. 1. semen hoc appellat incorrupti- bile: non tantùm in sese, sed & in illo in quo est, dicens: Renati ex semine incorruptibili.

Argumenta quædam.

A constanti Dei erga fideles beneuolentia. Deus con- stanti & perpetua electos fideles beneuolentia complе- ctitur ac prosequitur. Hier. 31. Charitate perpetua dilexi te. Item Ioh. 3. Cùm dilexisset suos qui erant in mundo, vs- que in finem dilexit eos. Atqui amare est, eùm bene velle ei quem ames, tum pro virili benefacere. Non potest igi- tur Deus sua in fideles beneficia præsertim ad salutem necessaria (vti est fides, & Spiritus) non continuare. Ideò Ier. 32. Feriam cum eis pactum sempiternum, & non defi- nam eis benefacere.

A precatione Sanctorum. Quidquid pij ex fide petunt, accipiunt. Mat. 21. Et omnia quæcunque petieritis in pre- catione, credentes accipietis. Atqui Sancti perpetuò pe- tunt in oratione, idque ex fide, donum perseuerantiæ in Christo & in eius fide. Hoc demonstrat Cyprianus in ex- positione Orationis Dominicæ. Idem facit Augustinus tom. 7. de Bono perseuerantiæ, cap. 2. 3. 4. 5. 6. 7. Legantur omnia illa capita.

A precatione Christi, Iohan. 17. Quidquid Christus pro electis in se credentibus & credituris Patrem rogauit, il- lud etiam eis impetrauit. Exauditus est enim. Item: Scie- bam quòd semper me audis. Atqui orauit pro illis, primū ne deficiat eorum fides, sicut postea testificatus est Petro, dicens: Rogaui pro te Petre, vt, &c. Item: rogauit Patrem, efficiat vt omnes fideles electi vnum sint, tum inter se, tum in Christo & Patre. Item, vt vbi est Christus, ibi sint & ipsi. Totum hoc liquet in oratione quæ Iohan. 17. legitur. Non possunt igitur, propter orationem Christi, non sem- per esse cum Christo, & in fide ac veritate.

A remotione illius, per quod solum fides amitti potest. Illud per quod solum fides è cordibus hominum excuti possit, in electos verè fideles non cadit. Ergo fideles veri excidere à fide non possunt. Vt illud antecedens intelli- gatur, & verum esse agnoscatur, notandum est discrimen piorum & impiorum in peccando. Veri fideles, Christo semel insiti, nunquam peccant ex animo: id est, toto ani- mo, corde & plena voluntate: sed tantùm carne, & ex ignorantia atque infirmitate. Paulus Rom. 7. de se & de singulis renatis ait: Mente seruio legi Dei carne verò legi peccati. 1. Iohan. 3. Qui natus est ex Deo non peccat) hoc scilicet peccato, quod fit ex animo, & plena voluntate) & non potest peccare. Ratio: Quia fideles partim sunt

Spiritus, partim caro. Impij verò toto animo, quia toti caro. Bucerus passim in suis Commentariis in Euangelia, & in Epistolam ad Romanos tradit hanc doctrinam. Legantur quæ extant in cap. 12. Mat. pag. 308. Ibi tradit, quod sit discrimen piorum & impiorum in peccando: & quod pij semper peccant ex ignorantia, vel ex infirmitate, sed (vt ipse loquitur) inde peccant, quòd per cupiditates carnis auersi, veritati cognitæ non attendunt. Legantur speciatim quæ scripsit in Mat. cap. 7. sect. 7. pag. 190. & 200. Item in Matt. cap. 8. pag. 222. vbi ponit, quod sit discrimen electorum & reprobatorum in peccando. ait enim: Pios etiam dum peccant, odisse animo malum quod agunt. Sicut Paulus ait Rom. 7. Quod nolo malum, illud ago. Legantur quæ in hæc eadem Pauli verba scripsit idem doctissimus Bucerus pag. 328. Ibi piè & doctissimè explicat quæstionem hanc, quomodo Sancti quod bonum est volunt, nec faciunt tamen, & contrà, quod malum est nolūt, imò odio habent, & tamen illud faciunt. Atque ita malum & faciunt & non faciunt. Ibi apertè tradit, in homine (scilicet renato) duplicem esse voluntatem. Vnam, qua consentit legi Dei, & amat & vult, quod lex iubet, bonum: (& hæc est voluntas hominis interioris.) Alteram, qua vult & facit malum: & hæc est hominis externi & carnalis, & vnam quidem sequi cognitionem legis, qua cognoscitur bona esse: alteram sequi cognitionem haustam à sensibus, quæque est de rebus præsentibus. Et post explicatam doctrinam, subdit duo exempla: Dauidis scilicet, cùm adulterium admisit: & Petri, cùm Christum negauit. quibus tanquam in speculo perspicuum facit, quomodo sancti voluntate hominis interioris & Spiritus nolunt malum, imò detestantur: & tamen interim abrepti à carne, faciunt malum. Est igitur vera propositio: Veros fideles Christo insitos, nunquam peccare ex animo, sed carne tantùm labi. Atqui, per hoc peccatum quod fit tantùm carne, ex ignorantia & infirmitate, non autem ex animo: fides excuti ex animo & corde non potest. Pertinet huc argumentum Buceri in epistolam ad Rom. cap. 8. pag. 333. Quoscunque obtinet Spiritus Christi: ij non possunt viuere secundum carnem: Ergo nec possunt excidere à Christo: quia non exciditur, nisi propter viam secundum carnem.

Ab effectis fidei: Si tota fides penitus amitti potest, ergo etiam omnes fidei fructus. At ij non possunt omnes penitus amitti in sanctis: nunquam enim eò adducuntur vt Deum contemnant, aut de Deo omnino desperent. Ergo, &c.

A præceptis Dei, vel ab operatione Dei in electis. Quæ Deus nobis electis præcipit, ea in nobis ipse præstat & operatur. Quia nos alioqui non possumus ea præstare. Primò, sic promisit: Faciam vt ambulent in præceptis meis, &c. Deinde id docent exempla, Philip. 2. Coloss. 2. Deus enim mandat vt velimus bonum, & ipse operatur in nobis velle: item vt faciamus: & ipse operatur in nobis ipsum efficere. Atqui mandat vt perseueremus in fide radicati & firmati. Quemadmodum igitur suscepistis Christum Iesum Dominum, ita in eo ambulate, radicati in ipso, & ædificati, & confirmati in fide: sicut edocti estis, exuberantes in ea cum gratiarum actione. Ergo Deus facit, vt electi perseuerent in fide, radicati & confirmati.

A ductu Spiritus. Rom. 8. Qui sunt insiti Christo, & facti filij Dei, aguntur à Spiritu Dei. Nunquam igitur penitus deseruntur ab hoc Spiritu Christi.

Ex Patribus.

Augustinus Tom. 7. de bono Perseuerantiæ cap. 2. cùm sic loquitur Deus, Timorem meum dabo in cor eorum: quid aliud est, quàm, Talis ac tantus erit timor meus, quē dabo in cor eorum, vt mihi perseueranter adhæreant? Idē Tom. 7. de Correct. & Gratia, cap. 11. conferēs Dei gratiam quam habuit Adamus ante peccatum, cum gratia quam habent Christiani verè Christo insiti, ait: Adæ fuisse datum vt posset, si vellet, in bono perseuerare: sed non fuisse datum, vt vellet, nobis verò, nimirum qui verè Christo insiti sumus, talem datam esse gratiam, non solùm vt possimus, si velimus, sed etiam vt velimus in Christo perseuerare. Verba Augustini, præter alia, hæc sunt colum. 1342. ad calcem. Est quippe in nobis per hanc Dei gratiam in bono recipiendo & perseueranter tenendo, non solum posse quod velimus, verùm etiam velle quod possumus. Quod non fuit in homine primo. Vnum enim horum in illo fuit. alterum non fuit, nempe vt reciperet bonum. gratia non egebat, quia nondum perdiderat: vt autem in eo permaneret, egebat adiutorio gratiæ, sine quo id omnino non posset, & acceperat posse, si vellet: sed non habuit velle, quod posset. Nam si habuisset, perseuerasset, &c. Hæc ille.

Item in eodem libro, cap. 12. itidem demonstrans, gratiam quæ nobis datur à Christo, maiorem esse illa quam dedit Adæ: præter alia ait colum. 1343. Nunc vero sanctis in regnum Dei per gratiam Dei prædestinatis, non tantùm tale adiutorium perseuerantiæ datur (scilicet vt possint perseuerare, si velint, sicut datum fuit Adæ) sed tale, vt eis perseuerantia ipsa donetur: non solùm vt sine isto dono perseuerantes esse non possint, verum etiam vt per hoc donum non nisi perseuerantes sint. non solum enim dixit: Ioh. 15. Sine me nihil potestis facere: verum etiam dixit: Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, & posui vt eatis & fructum adferatis, & fructus vester maneat. Quibus verbis non solùm iustitiam, verum etiam in illa perseuerantiam se dedisse monstrauit. Christo enim sic eos ponente vt eant & fructum adferant, & fructus eorum maneat: quis audet dicere, Forsitan nō manebit? sine pœnitentia sunt enim dona & vocatio Dei: sed eorum vocatio, qui secundum propositum vocati sunt. Pro iis ergo interpellante Christo, ne deficiat fides eorum: sine dubio non deficiet vsque in finem: ac per hoc perseuerabit vsque in finem: nec eam, nisi manentem, vitæ huius inueniet finis. Hæc ille.

Item in eodem lib. & cap. col. 1344. d. ait de fidelibus: Liberati enim à peccato, serui facti sunt iustitiæ, in qua stabunt vsque in finem: donante sibi illo perseuerantiam, qui eos præsciuit & prædestinauit, & secundum propositum vocauit, & iustificauit, & glorificauit, &c. Item paulò post column. 1345. A. Ipse ergo eos facit perseuerare in bono, qui facit bonos. Qui autem cadunt & pereunt, in prædestinatorum numero non fuerunt. Quamuis igitur de omnibus regeneratis & piè viuentibus loqueretur Apostolus: Tu quis es qui iudices seruum alienum? Suo Domino stat, aut cadit, &c. continuò tamen respexit ad prædestinatos, & ait: Stabit autem. Et ne hoc sibi arrogarent: Potens est enim Deus, inquit, statuere eum. Item ibidem dicit: Ac per hoc nec de ipsa perseuerantia boni, voluit Deus sanctos suos in viribus suis, sed in ipso gloriari, qui eis non solùm dat adiutorium, quale primo homini dedit, sine quo non possint perseuerare, si velint, sed in eis etiam operatur & velle, vt quoniam non perseuerabunt, nisi & possint, & velint, perseuerandi eis possibilitas, & voluntas, diuinæ gratiæ largitate donetur, tantùm quippe Spiritu sancto accenditur voluntas eorum, vt ideo possint, quia sic volunt, ideo sic velint, quia Deus operatur vt velint.

Et paulò post, Subuentum est igitur infirmitati voluntatis humanæ, vt diuina gratia indeclinabiliter & inseparabiliter ageretur (nimirum ipsa humana voluntas) & ideo quamuis infirma. non tamen deficeret, neque aduersitate aliqua vinceretur. Postea concludens caput, ait, Dicēte igitur Christo, Rogaui pro te ne deficiat fides tua, intelligamus ei dictum, qui ædificatur. Atque ita homo Dei nō solùm quia misericordiam consecutus est, vt fidelis esset, verùm etiam, quia fides ipsa non deficit, Qui gloriatur, in Domino glorietur. Hæc ille.

Quis autem ædificatur super petram? Fidelis electus. postea in initio cap. 13. eiusdem libri de Correct. & gratia, explicat, de quorumnam fide, quod ea non deficiat, locutus sit, nimirum de fide electorum, quorum tantùm fides vera, sincera & firma est, Hæc de iis loquor (inquit Augustinus) qui prædestinati sunt in regnum Dei, quorum ita certus est numerus, vt nec addatur eis quisquam, nec minuatur ex eis.

Tom. 8. in Psalm. 88. columna 974. exponens illud, Et ædificabo in generationem & generationem sedē tuam. Nunc autem Christus habet in nobis sedem suam, ædificata est sedes eius in nobis, nisi insideret in nobis, non vos regeret. Si ab illo non regeremur, à nobis ipsis præcipitaremur. Sedet igitur in nobis: regnans in nobis, sedet iam in illa generatione quæ fuerit ex resurrectione mortuorum, in æternum Christus regnabit in sanctis suis. Hoc promisit Deus, si parum est hoc, iurauit Deus. Postea concludit, Quia ergo non secundum merita nostra, sed secundum illius misericordiam firma est promissio, nemo debet cum trepidatione prædicare, vnde non possunt dubitare.

Chrysostomus in cap. 5. Epist. ad Romanos exponens verba illa: δι' οὗ καὶ τὴν προσαγωγὴν ἐσχήκαμεν τῇ πίστει εἰς τὴν χάριν ταύτην ἐν ᾗ ἑστήκαμεν, perpendit illud verbum ἑστήκαμεν, & ait, καὶ καλῶς εἶπεν, ἐν ᾗ ἑστήκαμεν· καὶ αὕτη γὰρ ἡ τοῦ Θεοῦ χάρις οὐκ ἔχει τέλος, οὐκ οἶδε πέρας, ἀλλὰ καὶ ἐπὶ μείζονα πρόεισιν, ὅπερ ἐν

ἀνθρώποις

[illegible] ἐκάλει· οἷον τι λέγω. ἔλαβέ τις ἀρχὴν καὶ δόξαν καὶ δυναστείαν, ἀλλ' οὐκ ἔχει ἑστηκυῖαν ταύτην διηνεκῶς, ἀλλὰ ταχέως αὐτῆς ἐκπίπτει. κἂν μὴ ἄνθρωπος ἀφέληται, ὁ θάνατος ἐπελθὼν ἀφαιρεῖται πάντως. τὰ δὲ τοῦ θεοῦ οὐ τοιαῦτα· οὔτε γὰρ ἄνθρωπος, οὐ χρόνος, οὐ περίστασις πραγμάτων, οὐκ αὐτὸς ὁ διάβολος, οὐχ ὁ θάνατος ἐπελθὼν, ἐκβαλεῖν αὐτῶν ἡμᾶς δυνήσεται· ἀλλ' ὅταν ἀποθάνωμεν, τότε ἀκριβέστερον αὐτὰ κατέχομεν, καὶ πλείονα ἀεὶ προκόπτοντες ἀπολαύομεν. ὥστε εἰ διαπιστεῖς τοῖς μέλλουσιν, ἀπὸ τῶν παρελθόντων καὶ ὧν ἔλαβες ἤδη, καὶ ἐκείνοις πίστευε. διὰ γὰρ τοῦτο εἶπεν ἐπ' ἐλπίδι τῆς δόξης τοῦ θεοῦ, ἵνα μάθῃς οἵαν ψυχὴν τὸν πιστὸν ἔχειν δεῖ· οὐδὲ γὰρ ὑπὲρ τῶν δεδομένων, ἀλλὰ καὶ ὑπὲρ τῶν μελλόντων ὡς δεδομένων πεπληροφορῆσθαι χρή. Latinè dicā: Et bene dixit, In qua stamus. Talis enim Dei gratia non habet finem, non nouit terminum: sed & in maius proficit, quod inter homines non sic habet. Verbi gratia: Accepit aliquis principatum, & dignitatem, & potestatem: tamen in his non semper perstat, sed cito illis excidit. Nisi nemo hominum auferat: mors subiens illa omnino tollet. Quæ autem Dei sunt, talia non sunt. Nec enim homo, nec tempus, nec rerum vicissitudo, nec ipse diabolus, nec subueniens mors, ab iis nos possunt repellere. Quin cùm morimur, tum ea certiùs tenemus, & semper proficientes pluribus fruimur. Proinde si diffidis de futuris, à præsentibus, & iis quæ iam accepisti, etiam illis fidem confirma. Hæc ille.

Testimonia ex Martino Bucero.

1. In Matth. cap. 7. pag. 203. in illud, Nunquam noui vos. Alterum hîc perpendendum est, quod ex illo (Nunquam noui vos: id est, inter meos agnoui) clare docemur, qui aliquando à Christo possunt excidere, eos Christi nunquam fuisse: eóque nunquam verè credidisse, aut fuisse pios: nunquam Spiritum filiorum fuisse nactos, sed omnia illorum nihil nisi hypocrisin esse, quantumlibet Sancti, & pietate præstabiles ad tempus sese fingant. Quos enim Christus diligit, in finem vsque diligit: & quos pater ipsi dat, neque ipse abiicit. Iohan. 6. Neque rapere de manu eius quisquam potest: Iohan. 10. Ideo etsi cadant huiusmodi (scilicet sancti & pij) excidunt tamen nunquam. Electorum enim sunt ad vitam, quam Dei electionem nulla potest creatura reddere irritam. Siquidem vt secundum electionem propositum Dei maneat, non ex operibus, sed ex vocante, non solùm elegit suos priusquam nati sint, ac boni aut mali quicquam fecerint. Rom. 9. sed etiam antequam iacerentur fundamenta orbis, à constitutione mundi. Ephes. 1. Vnde & de Apostolis Iohan. 17. Deus dicebat: Non pro mundo rogo, sed pro iis rogo quos dedisti mihi, quia tui sunt: id est, electi abs te ad vitam. Proinde vt Christo nunquam noti sunt reprobi, ita nunquam ignoti electi, quantumuis in illis pietatis species aliqua abblandiatur, & in iis (pus electis) inuisa impietatis sæpe forma conspiciatur: eóque & ij sicut prædestinati & vocati sunt, sic tandem ad imaginem Christi reformabuntur: Rom. 8. Et illi (reprobi) detracta persona filiorum Dei fictitia, sui similes apparebunt: iuxta hoc quod à se audituros hîc testatur (Dominus) Discedite à me operarij iniquitatis.

2. In Matth. 7. pag. 205. explicans verba illa, Omnis qui audit ex me sermones hos, &c. ait: Ideoque similes sunt (fideles) prudenti viro, qui domum suam super petram fundat, quam nulla queat vis tempestatis deiicere. Spes namque horum & fiducia, ipso Christo per Spiritum filiorum solidè nixa, confundi non possunt: & ne inferorum quidem portæ, id est, vis omnis & potestas Satanæ, contra eam quicquam possunt: quantamlibet tempestatem excitet, & flumina ventósque tentationum immittat. Fortior siquidem est qui in ipsis agit, quàm qui dominatur in mundo. 1. Iohan. 4. & Psal. 125. cauit: Qui confidunt in Domino, non nutabunt, sed in æternum sedebunt, sicut mons Sion. Item paulo post in eadem pagina: Quo significare (inquit) voluit, spes verè credentium, & Spiritus in corde suo testimonio nitentium, firmas esse, nec vnquam posse confundi.

3. In Matth. 15. in illud, Omnis plantatio, &c. pag. 343. Qui sunt Christo dati, & in populum Dei adsciti, non amplius inde auelluntur. Verba hæc sunt Amos 9. Plantabo eos super terram suam, & non euellentur ampliùs de terra sua, quam dedi eis, dixit Dominus Deus vester. Sic in regnum cœlorum plantauit quosdam Pater, quos nimirum Filio ad vitam iustificandos donat. Hi super veram terram Israel plantati, nunquam ex ea euellentur.

4. In Matth. 16. Et portæ inferorum non præualebunt aduersus eam: tam fidem quàm Ecclesiam. Nemo enim potest rapere quenquam de manu Christi. Nam ambiguum est, an contra petram, id est fidem, vel Ecclesiam dixerit, portas infernas non valituras. De vtraque sanè rectè intelligitur. Fides enim, quæ vera & certa est verbi Dei per Spiritum S. persuasio, tam non potest excidere, quam verbum Domini non mutari, & spiritus Sanctus nequaquam dissentire. De Ecclesia autem qui sunt, eos Pater Christo donauit, vt det eis vitam æternam: Iohan. 17. Non igitur poterit contra eos quicquam vis Satanica: alioquin vita æterna, æterna non esset. Etenim & hic locus satis firmus est, quo Perseuerantia Sanctorum probatur. Apertum verbum est portæ inferorum non valebunt contra eam, siue fidem, siue Ecclesiam intelligas. Si ergo fides non potest à Satana subuerti: æternùm salui erunt, quotquot semel fidem veram fuerint nacti. Si rursus Ecclesia à Satana expugnari non potest: iterum æterna erit eorum salus, qui semel in Christi Ecclesiam fuerint recepti. Hæc perpensa, electis mirificam adferunt consolationem. Omnes námque ex animo Dominum nostrum Iesum Christũ, vnicũ Dei Filium & seruatorẽ suũ esse confitẽtur. Spiritum igitur habent Patris pignus certum æternæ eius beneuolentiæ. Hinc beatos se & petreios, id est, firma atque omnibus inferorum portis inuicta fide præditos, sciunt: certi quod de Christi Ecclesia & populo exsistunt, qui de morte iam ad vitam per Christum transierunt: atque ideo tuti ab omni vi inferna in sempiternum. Discamus ergo hinc primum, ab hominibus non posse Christum disci, sed solo Patre ex æterna beneuolentia ipsum reuelante: deinde, beatos esse quotquot hanc reuelationem fuerint nacti: postremo, nunquam posse à potestate inferorum superari huiusmodi, & perdi. Hæc omnia Bucerus.

5. In Matth. 24. pag. 463. Electi seduci non possunt, seruante eos Spiritu Christi. In Luc. 1. pag. 541. super illud, Vt seruiamus illi in sanctitate & iustitia omnibus diebus vitæ nostræ. Quia (inquit) denique nihil vere bonum quod finem accipit, addit, Omnibus diebus vitæ nostræ. Neque enim pietas est quæ finem nouit. Deus æternus est, & non mutatur: quem qui agnouerit, in æternum auelli ab obseruantia eius haud poterit: nihil siquidem melius eo poterit inuenire.

6. In Ioan. 2. Super illud, Iesus autem non se credebat eis, &c. Duplex, inquit, fides: vna vera, sincera, ideóque perfecta: altera simulata ideóque temporaria. Ac de fide vera loquens, ait pag. 617. in fine: Hanc qui habebant, Spiritum Dei habent: noui homines sunt: Dominum vt vere agnoscunt ita ab eo diuelli nunquam possunt: sese credunt Domino, & Dominus se illis. Vnum namque cum ipso sunt, Dominus in illis, & illi in Domino. Hac fide iusti viuunt, & habent vitam æternam. Hæc ille.

7. In Ioan. cap. 4. pag. 6. 4. in illud, Qui autem biberit ex aqua hac quam ego dabo non sitiet in æternum: Certum est, inquit, hanc aquam Spiritum sanctum esse. Si iam ergo hoc Spiritu potus, nunquam potest sitire: in aperto est, eum cui semel hic Spiritus contigerit, cui semel credere fuerit datum; eum nunquam posse gratia Dei excidere. Sicut namque is sitire nunquam posset, qui fontem in visceribus haberet continuè scaturientem atque potantem, ita saturum esse oportet bonorum omnium, & præsentem semper & in omnibus habere consolationem, cui adest Spiritus Domini sanctus, Spiritus filiorum. Hic fons est, qui in vitam æternam salit: id est, qui vitam æternam suppeditat, nam cognoscere Deum, eiusque iugiter & in æternum frui bonitate, donat. Hinc gloriatur Paulus, nihil apud superos vel inferos esse, quod à dilectione Dei possit se dimouere. Rom. 8.

8. Iohan. 6. Operemini non cibum, qui perit, sed qui permanet in vitam æternam pag. 669. Ego inquit, sum ille panis vitam veram suppeditans; & (ille) me edit, méque cœlesti & in æternum viuifico cibo alit, ita vt nunquam esuriat, qui ad me venerit, qui mihi sese fide certa dediderit: & nunquam sitiet, nihil vnquam bonorum desiderabit, qui in me crediderit, Saluatorem suum agnoscẽs. Item, Omne quod dat mihi pater, ad me veniet, & eũ qui venerit ad me, nõ eiicio foras. Pag. 671. Nota (inquit) quàm verum dixerit Paulus, Quos prædestinauit eos & vocauit, & quos vocauit, hos & iustificauit, quos verò iustificauit, hos & glorificauit. Rom. 8. Cæterùm cùm vnus sit seruator Christus ipsi dari oportet quicunque ordinati in vitã sunt. Venientem ad me, &c. id est, non abiicio, non negligo mihi credentem. Igitur æternum salui sunt, quibus *semel* datum est ad Christum venire. Vbi enim pater eiusmodi Filio donat saluandos, & Filius voluntatem Patris perficit, neque aliter potest. & nemo denique de manu Filij quenquam rapit, vt infra 10. ipse testatur: necesse est, vt æternum apud ipsum maneant & saluentur, quicunque semel ad ipsum venerint. Hæc Bucerus.

9. In Ioh 6. pag. 972. in margine hæc sunt verba: nihil vtilius quàm prædicare, credentibus impossibile esse vt vnquam excidant.

10. In commentario verò, hæc: Reliqua (inquit) commendant nobis iterum Christi incomparabilem dignitatem, fidei præstantiam, & electionis Dei immutabilē virtutem. Nemo si quidem Christo vnquam credet non electus, non à Patre Filio donatus: sic nemo quoque illi donatus non veniet ad eum: cúmque venerit, nunquam poterit ab ipso auelli. Fortior namque is est, qui in filiis Dei agit, quàm qui in mundo. Non glorificantur nisi iustificati, non iustificantur nisi vocati, non vocantur nisi prædestinati. Hi autem qui à Deo, qui mutari nequit, prædestinati ad vitam sunt. & eam æternam: impium est cogitare, vitam horum, quam *semel* fide perceperunt, non esse æternā, & eos perire posse contra decretum Dei. Hæc cùm nullis persuaderi possint nisi electis, id est, Spiritu Dei donatis, ac ita ex Deo renatis: his autem tam absit vt ignauiam prædicata pariant, vt nihil æquè illos ad amorem Dei, atque inde ad omne opus bonum queat excitare: satis constat, illos nescire quid dicant, qui negāt ista palàm prędicanda. Vtique quò maiorem quisque Dei erga se amorem agnoscit, eo ardentiùs illum redamabit: Reprobi si istis offendantur, non mirum est: illi nulla re non offenduntur. Sacra, sanctis & electis scripta sunt. iis debent lucidè & clarè impertiri: quicquid inde veneni, more araneorum, reprobi hauriant.

Item pag. 683. Qui vtique vera illum fide receperant, etiamsi vel ad hunc vel alium sermonem eius nonnihil stuperent: nihilominùs tamen in fide eius perseuerarunt, vti & Petrus, cum iis quorum loco dicebat infrà: Ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes. quos autem huius sermonis aucta asseueratio à Domino diiunxit, ij nequevnquam ei verè adhæserant.

11. In Ioan. cap. 8. pag. 706. in illa verba. Si quis sermonem meum seruauerit, mortē non videbit in æternū: Iterū notandum (ait) discrimē electorum & reproborum, hi non possunt Dei verba id est, veritatem, Christique doctrinam audire, id est, fide recipere: etiamsi nihil in ea queant culpare. Contrà illi non possunt ei non accedere, ac ita addicere se, vt nullis ab ea cruciatibus diuelli queant. æternam enim in illa vitam habent. Seruant igitur eam, id est, fide perpetuò ei adhærent: ac ita mortem nunquam vident, animis semper beati, etiamsi ad tempus crucietur aut dormiat corpus.

12. In Ioan. 10 sect. 1. pag. 714. Obseruandum est, ita datos ipsi (Christo) à Patre electos, vt nequeant diuersa docentibus auscultare, ita vt eos penitus animo sequantur, etiamsi nonnunquam ad tempus illos suscipiant, & sic errent. Semper enim in eis, dum errant, est quidam renisus: nec possunt ita, vt reprobi, sese totos mendacio dedere. Hic autem. Audire & Sequi significant, sese penitus addicere, siue Christo ad salutem, siue impostoribus ad perniciem. Nemo siquidem est, qui non sæpè alienorum vocem audiat. cùm omnes cupiditatibus & suggestionibus, tum & Apostolis Satanæ, errorum satoribus, identidem auscultemus. Sequi autem alienos. id est, relicto penitus Christo se prorsus alienis tradere in discipulos & sectatores: id non possunt, quos Pater donauit Filio. Vocat enim tandem, quos Pater prædestinauit.

13. Iohan. 10. Oues meæ vocem meam audiunt, & sequuntur me, &c. pag 716. In his (inquit) apertè docet, omnia è diuina electione pendere, eósque, quibus *semel* datū fuerit oues esse, perire nunquam posse. Hic namque audimus, eos tantùm vocem Christi audire, id est, fidem excipere, qui oues sint. Iam vnde erit vt alij oues, id est, capaces doctrinæ Christi sint, alij minimè? Indubiè, quòd bono illi Spiritu afflati Dei sunt, hi nunquam. Ad Corinthios 1. Epistolæ cap. 2. Paulus apertè Spiritu præditis cognitionem diuinarum rerum tribuit, Spiritu carentibus, vt animalibus, adimit. Vnde autem erit vt illi Spiritu donentur, hi secus? Haud profectò aliunde, quàm quòd illi ad vitam ordinati sunt, hi secus: quòd illi Filio saluandi donati sunt, hi nequaquam. Domino ergo hanc demus gloriam, vt ipse Spiritum det, nihil nostra opera adiutus, cum autem vbi dare instituit, tum ad erudiendum & mouendum cooperari ipsi possimus si tamen ipse sermonem nostrum eodem Spiritu, iis quibus loquimur, rectè donet percipere. Vnde hic Dominus subiicit: Et cognosco illas: id est, curæ mihi sunt. Et hinc certè est, vt ipsum oues sequantur, vitámque viuant quæ finem nescit. Ipsi illas Pater dedit, vt eis suppeditet vitam æternam. Tam igitur non poterunt è manu eius, quàm è Patris manu, qui maior & potentior omnibus est, eripi. Vnum siquidem sunt ipse & Pater: eadem vtriusque est virtus & potentia. Quare etiam vt de manu Patris nemo potest electos rapere, ita neque de manu Christi. Dum igitur æternùm in manu saluatrice Christi oues perseuerant: perire certè nunquam possunt, necesséque est eas vitam habere æternam. Item eodem in loco ait: Iterum obseruandum, à sola Dei electione esse vt oues simus, & Christum sequamur: tum, tales excidere nunquam posse. quia vnum sunt Pater & Filius, eandem manum habent, id est, potentiam: de qua nemo vnquam rapiet eos, quos illa *semel* apprehenderit saluandos. Apprehensi autem sunt, quibuscunque datum fuerit Christi vocem audire & sequi. id siquidem nulli possunt, nisi oues sint. si iam oues, in manu Christi & Patris sunt, vt nunquam pereant, sed habeant vitam æternam.

14. In Ioan. cap. 12. super illud, Nunc princeps mundi eiicietur foras, pag. 733 ait: Obseruandum præterea, ibi eiectum satanam, vbi Christus regnare cœperit. Ideo qui Christum *semel* verè receperunt, ij, eo nunquam excident. Deuictus enim est hostis eorum satan, & eiectus. Lacesset igitur sanctos quidem, deuincet nunquam.

15. In Iohan. cap. 13. pag. 740. explicans verba: Qui lotus est, non opus habet, &c. Hinc mundos (inquit) discipulos Dominus pronunciauit, quia hoc filiorum Dei Spiritu (qui quos *semel* apprehenderit, nunquam, donec omni mundos macula reddat vndequaque puros, destituit) donati erant.

16. In Iohan. 14. Et mansionem apud eum faciemus, &c. pag. 752. Mansio (inquit) Patris & Christi apud sanctos, est certa vtriusque cognitio: quæ non potest non esse perpetua, vt sæpe dictum. Hanc enim qui nacti fuerint, hi perpetuo & bonitate Patris, & Christi redemtione perfruuntur, vt æternùm & beatè viuant.

17. In Iohan. 15. pag. 758. ad calcem, in ea verba: Si manseritis in me & verba mea, &c. Hic Dominus ipse explicauit, quid sit in ipso manere, certa vtique verbis eius fide adhærere. Hæc fides vbi est, æterna est, & Spiritum Dei semper præsentem habet: qui docet & velle, & petere, quibus gloria Dei promoueatur: quare omnia quoque impetrar.

18. In Iohan. 16. pag. 768. explicans verba illa: Nunc creditis. Ecce instat tempus, & iam venit, vt dispergamini, &c. Fidem (ait Bucerus) cum Dominum deseruerunt, nequaquam amiserunt. exercitata quidem illa fuit, & afflicta: sed nequaquam oppressa & extincta.

19. Rom. cap. 11. pag 439. in illud, Ne insolescas, sed time: Fides in singulis metum excidendi excludit, Rom. 5. pag. 237. in illud, in qua ἑστήκαμεν. Fides nihil nutat, non labascit. Cor impiorum assimilatur mari perpetuò fluctuanti, nec potenti consistere. Et Caino dictum est: Errabundus eris, & incertus. contrà qui credunt Deo, ceu in rupe collocati, moueri non possunt. Dicit verò Apostolus: Stetimus, non statnus: quia iam ab initio fidei, per quam Christo niti cœpimus, confirmatas esse spes nostras oportet, & studia omnia in vnum Christum subiecta. Hæc etiam duo argumenta Buceri sunt: Si potest excidere à fide fidelis. Ergo non potest esse certus de sua salute. Est autem & debet esse certus. Ergo.

20. Qui sunt Christi, non possunt viuere secundùm carnem: à Spiritu enim Christi ducuntur. Hoc probat Apostolus ad Romanos 8. vide Bucerum pag. 333. Sic ille composuit Syllogismum. Quoscunque obtinet Spiritus Christi, ij non possunt secundum carnem viuere. Spiritus Christi obtinet quicunque Christi sunt. Ergo qui Christi sunt, ij nec possunt viuere secundum carnem: ergo non possunt excidere à Christo. Quia non excidit à Christo, nisi qui viuit secundum carnem, & propter vitam secundum carnem.

21. In caput 14. in illud: Tu quis es, qui iudicas alienum seruum? Suo Domino stat, aut cadit. Stabit autem: potens est enim Deus illum statuere, &c. Concludit hinc, fideles à Domino constitui, & confirmari ne cadant. Potens certè Deus est (inquit) vt eos statuat, id est, in verè piam & sanctam vitam confirmet. At si potens huius est, ne dubita id eum quoque velle, postquam dilexerit eos, vt eos sibi redimeret à casu, morte Filij sui.

Manifestum igitur est, omnibus iis, tum diuinarum literarum, tum Augustini, tum denique Buceri testimoniis atque rationibus: Electos, posteaquam semel donati vera fide, & in Christum verè per Spiritum sanctum insiti fuerunt: non posse ampliùs à fide & à Christo penitus excidere, propter promissum Dei, & precationem, perpetuámque intercessionem Christi: Spiritu sancto illos in fide, & in Christo conseruante. Ac proinde iure dixisse

nostrum.

nostrum Apostolum: Si fuissent ex nobis, mansissent vtiq; nobiscum. Atque hæc de primo capite huiusce Tractationis, quæ est de Perseuerantia Sanctorum, dicta sunto.

Hic verò quia operâ aduersariorum interdictum mihi fuerat lectione: idcircò inchoatam Tractationem absoluere tunc non potui.

Cæterùm, secundæ huic editioni additæ sunt: primùm, Confirmatio eiusdem doctrinæ ex scriptis Philippi Melanchthonis, quam tum seorsum exhibueram meo Antagonistæ. Deinde aliorum trium capitum, in ipso Tractationis initio promissorum, explicatio: atque in primis omnium argumentorum, quæ tum aduersa pars contra me attulit, refutatio: eáque non alia, quàm quæ tum fuit à me scripto allata.

CONFIRMATIO THESEOS DE PERSEVERANTIA EX SCRIPTIS PHILIPPI MELANCHTHONIS.



QVID? quòd ex libris ipsius etiam Philippi Melanchthonis, cuius autoritate cum primis nituntur aduersarij, eadem doctrina confirmatur? Philippum igitur sensisse, verè sanctos hoc est, electos, vera & viua fide donatos, veréque regenitos, & Christo insitos: non excidere prorsus à fide, nec amittere penitus Spiritum sanctum: idque propter promissionem Dei, & propter efficacem Christi intercessionem: his planum faciam locis: & iis quidem, vnde aduersarij suam fulcire student opinionem.

Duo tantùm hominum genera sunt, qui prorsus à Deo & à Christo deficiunt, ac proinde qui propteà à fide penitus exciderunt: securi ac contemtores Dei: in quorum numero continentur & blasphemi in Spiritum sanctum: deinde qui de Dei misericordia propter Christum desperant. De primis ait Philippus in 1. Corinth. 10. in ea verba: Fidelis Deus, qui non sinit vos tentari. pag. 45. „Altera pars est secura, sine exercitiis pœnitentiæ, & inuocationis, ebria voluptatibus, aut admiratione & fiducia suæ sapientiæ, & iustitiæ, vt Saul. Achitophel, Absalon, & alij innumerabiles. Hi superantur à Diabolo, quia sunt sine timore Dei, & sine agnitione infirmitatis suæ, sine dolore, nec expetunt auxilium Dei. Hæc ille. Quid sit autem superari à Diabolo: idem Philippus paulò antè docuerat, in ea verba, Tentatio vos non apprehendit, nisi humana, cùm explicat, quid sit tentatio humana, in exemplo Dauidis dicens: valde tristis fuit lapsus Dauidis, & diabolus ei non leuiter insidiatus est: sed tamen non potuit eum impellere ad Epicuræum contemtum, vel odium Dei, vt Saulem impulit. Audis amice? Dico igitur nunc, de sententia Philippi superari omnino homines à diabolo, cùm fiunt contemtores & osores Dei: & hos, quia superati à diabolo fiunt eius serui, à Deo prorsus deficere. De altero genere, hoc est, de desperatis, loquitur idem Philippus in eodem cap. in ea verba: Tentatio vos non apprehendit, nisi humana: initio enim sic habet: Antithesis cogitetur tentationis humanæ, & diabolicæ. Ac mitigat Paulus obiurgationem Corinthiorum, vt eos consoletur, ne fracti desperatione prorsus à Deo deficiant. audis dictionem, prorsus deficere? Tria igitur docet: Primùm, etsi Corinthij multa antea admiserant scelera: non tamen omnem abiecisse spem de Dei misericordia: ideoque nec omnem fidem, quia nondum desperarant: à fide enim oritur spes. Deinde docet: propter peccata, quæ admiserunt Corinthij (nempe sancti) non defecisse tamen eos penitus à Deo & à Christo: quare nec à fide. quid ita? Quia nondum fuerunt fracti desperatione: sed si fracti fuissent desperatione, & hoc peccatum postremum desperationis, ad alia accessisset scelera: tunc verè prorsus à Deo & à Christo defecturos fuisse. Vbi prudenter & scitè non dixit D. Philippus simpliciter, ne deficerent: sed ait, ne prorsus deficerent: docens, Corinthios per alia, quæ admiserant scelera, defecisse quidem à Deo ex parte, quia ex parte etiam inobedientes fuerant: sed non penitus defecisse, penitus verò defecturos, si fracti fuissent desperatione. Postremò docet iis verbis, post securos & Dei contemtores, solùm desperatos à Deo & à Christo penitus deficere, seu primò propter securitatem, contemtum, & odium Dei, deinde, per desperationem homines à Deo & à Christo & Spiritu sancto prorsus deficere.

Atqui verè sancti, nunquam à diabolo ita superantur, vt vel fiant securi contemtores & osores Dei, vel frangantur desperatione de misericordia Dei per Christum. Primum ostendit Philippus in exemplo Dauidis, pag. 43. Valde tristis fuit, inquit, lapsus Dauidis, & Diabolus ei non leuiter insidiatus est, sed tamen non potuit eum impellere ad Epicuræum contemtum, vel odium Dei, vt Saulem impulit. Alterum patet in exemplo eiusdem Dauidis, & Petri, & horum Corinthiorum, de quibus loquitur Apostolus, desperare enim de Dei misericordia, tantùm est reprobatorum, non electorum.

Ergo de sententia etiam Philippi verè Sancti & Electi nunquam prorsus à Deo & Christo, idcóque à fide in Christum deficiunt.

Idem Philippus ibidem, Tentatio vos non apprehendit, nisi humana, de peccato illius incesti, & aliis Corinthiorum peccatis loquens, ait, „Quanquam autem erat atrox peccatum, quod suprà recitauit de incesto, qui cum nouerca consuetudinem habuit, & alij alia peccata admiserant, certabant æmulatione & odiis, tamen vult hæc peccata discerni à blasphemiis, sicut Iohannes discernit peccata ad mortem, à peccatis non ad mortem. Iis verbis videtur velle Philippus, peccata illa Corinthiorum (nempe sanctorum) fuisse lapsus, & quidem atrocissimos, sed non tamé peccata ad mortem. Per sola autem peccata ad mortem deficitur penitus à Deo & à Christo, eiúsque Spiritu prorsus homo priuatur.

Idem Philippus definiens quid sit tentatio diabolica, ait, „Tentatio diabolica est, cùm Satanas cor ingreditur, vel sicut in Luca dicitur, quando Satanas rapit verbum Dei de corde hominis. De corde autem fidelium, nunquam eripit ipsum Dei verbum, Quia sunt terra bona, quæ illud retinet, Matth 13.

Ibidem in explicatione tentationis diabolicæ, ait, „Etsi autem hoc ingens malum non comprehendi potest iudicio rationis, quanta miseria sit dominari diabolum in corde hominis, tamen cùm manifesta sint dicta in narrationibus Propheticis & Apostolicis, expauescant omnes homines cogitatione tanti mali, & petant, vt filius Dei depellat diabolos, iuxta illud dictum, Nemo rapiet oues meas ex manib. meis. Hæc ille. Docet iis verbis primum, tum tantùm diabolum homines superare sua diabolica tentatione, cum in eorum corda ingressus, ibi dominatur. Dominatur autem diabolus in corde hominis, cùm ipsum hominis cor sine vlla contradictione aut repugnantia diabolo obsequitur. Hoc est enim peccatum regnans. Atqui in cordibus electorum fidelium non dominatur diabolus. semper enim corde odio habent peccatum, illud detestantur, inuiti seruiunt peccato, cupiúntq; illo liberari, & vt Paulus ostendit Rom. cap. 6. vers. 7. Peccatum illis non dominatur. Præterea docet, fidelibus esse orandum, vt ne tententur diabolica tentatione. Tentatio autem diabolica est, cùm Satan ingreditur cor, & ibi dominatur: vt definiuit Philippus. Orandum igitur, ne diabolus ingrediatur in corda nostra, ibíque dominetur. Postremò docet, si fidelibus est orandum, ne diabolus ingrediatur in cor, & ibi dominetur: oratio autem debeat fieri ex fide: & fides debeat habere promissionem aliquam, qua nitatur: ipse verò D. Philippus dicat, Petant (scilicet fideles) vt Filius diabolos repellat: & subdat dicens, iuxta illud dictum, Nemo rapiet oues meas ex manibus meis, docet inquam, Hoc igitur verbum Christi, nemo rapiet, &c. promissionem esse de perseuerantia Sanctorum in fide, & huius dicti sensum esse, nunquam diabolum ingressurum in corda ouium, & ibi, expulso Christo, dominaturum. nunquam igitur Christum è cordibus suarum ouium, tanquam è suo regno per Satanam eiectum iri: & consequenter oues à Christo nunquam penitus defecturas.

Ibidem ait, „Fortassis intuetur Paulus in hac ipsa inscriptione (scilicet tentationis diabolicæ & humanæ) discrimen primi sceleris diaboli, & primi lapsus hominum, Scelus diaboli fuit blasphemia, quia cùm propius nollet

Deum, & non aliunde impelleretur, suo consilio & arbitrio superbè contemsit Deum, & Filium Dei. Sed primi parentes aliunde impulsi ceciderunt. Hæc ille. His verbis duo docet Philippus. Primum peccatum Satanæ fuisse voluntarium Dei & filij Dei contemtum: peccatum vero Adæ & Euæ non fuisse talem contemtum, sed lapsum quẽdam, quem voluntarie quidem, sed aliunde impulsi & seducti admiserant: ideo isti doluerunt: ille non. Et Apostolus ait de Eua quod fuerit seducta. Sic Adam se excusauit, dicens, Mulier, quam dedisti mihi, &c. serpens verò non se excusauit: quia nõ doluit se illos impulisse in peccatum. Hinc fit, vt de Diabolo legamus, quod non steterit in veritate. Quare? Quia ex conte[illegible] Dei, & Filij Dei peccauit. De primis parentibus id non legimus, propterea de illis non est censendum, quod omnino exciderint à veritate & gratia Dei. Quid ita? Quia non ex contemtu Dei peccauerunt: sed fuit simplex inobedientia, sicut etiã vocat Apostolus ad Romanos cap. 5. Propterea illa diaboli, vocatur tentatio diabolica, non tam actiue, quòd scilicet ea diabolus tẽtet, quàm passiuè, quod ea à seipso tentatus & victus fuerit: nempe, vt voluntarie contemneret Deũ & eius Filium: deinde, quòd postquam peccauit ex contemtu: etiam desperauit, & perpetuo desperat de misericordia Dei. Altera dicitur humana: quia illa primi parentes vt homines tentati lapsi sunt.

Alterum, quod hic docet Philippus, est, Omnes, qui tale peccatum admittunt, quale & Satan: nimirum, vt voluntariè contemnant & reiiciant Deum eiúsque verbum: addamus nos, vel vt etiam de misericordia Dei, sicut & Satan, desperent: hos verè tentari & vinci tentatione diabolica, & vere esse membra Satanæ. Solos igitur cõtemtores Dei, & desperatos, tentatione diabolica tẽtari ac vinci: ac proinde sicut diabolus in veritate non stetit: ita solos reprobos, nempe & contemtores Dei atque verbi, & desperatione fractos, à veritate seu à fide prorsus excidere. Contrà: Omnes igitur, qui peccant vt Adam & Eua, nempe non ex contemtu Dei, aut ex desperatione, sed vel ex ignorantia, vel ex infirmitate: eos humana tentatione tentari: ac proinde sicut primi parentes non leguntur à veritate excidisse, ita reliquos electos à veritate & à fide nunquam prorsus excidere.

Item, ex verbis Apostoli, Fidelis autem Deus, qui non sinit vos tentari supra id, quod potestis, sed dabit cũ tentatione euentum vt vincere possitis: dubitationem mouet, dicens: Sed cum tam multi superati à diabolo, & sua infirmitate ruant in exitium, vt maxima pars populi in deserto, & parabola de semine, Matt. 13. significat, plurimos deficere à Deo: quomodo congruit ad hæc dicta, quòd tanta multitudo non protegitur? Respondeo: Semper in Ecclesia duæ sunt partes: vna habens initia timoris, & fidei, quæ quanquam infirma est, tamen habet exercitia pœnitẽtiæ, & inuocationis, & retinet timorem Dei, & fidem: de qua parte dicitur: habẽti dabitur: item Psal. 144. Propè est Dominus omnibus inuocantibus eũ: omnibus inuocantibus eum in veritate. Item, Quãto magis Pater vester cœlestis dabit Spiritum sanctũ petentibus? item Esaiæ 66. Ad quem respiciam, nisi ad contritum Spiritu, & trementem sermones meos? Altera pars est secura, sine exercitiis pœnitentiæ & inuocationis, ebria voluptatibus, aut admiratione & fiducia suæ sapientiæ, & iustitiæ, vt Saul, Achitophel, Absolon, & alij innumerabiles. Hi superantur à diabolo: quia sunt sine timore Dei, sine agnitione infirmitatis suæ, sine dolore, nec expetunt auxilium Dei. Non igitur accusent Deum, quòd non proteguntur, sed seipsos: quia ipsi suo furore arcent Deum iuxta illa dicta, à non habente, etiã id, quod habet, auferetur: Idem Matth. 12. Et veniens inuenit domum ociosam. Tunc alios Spiritus septem assumit se nequiores, & fiunt nouissima peiora prioribus: & 2. Pet. 2. Si cùm effugeritis contaminationes Mundi, rursus eis implicamini: fiunt posteriora deteriora prioribus. Ex his & similibus testimoniis manifestum est, dictum in Paulo intelligendum esse de his, qui habent exercitia pœnitentiæ, & inuocationem. Fidelis est Deus nec sinet vos tentari, suprà quàm ferre potestis, vos videlicet non furentes securitate, sed habentes exercitia pœnitentiæ & inuocationis. sicut & Salomõ inquit: Beatus qui semper est pauidus. Et Zachar. 1. dicitur, Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos. Et Esaiæ 1. Desinite mala facere, & discite bene facere. Si fuerint peccata vestra sicut coccinum, eritis candidi sicut nix. Hos igitur protegit Deus, hos sustentat velut subiecta manu, vt labentes non ruant in exitium. Et in horum tentationibus regit euentus, & dat placidos exitus, sicut dicitur. Dat cum tentatione exitum, seu liberationem, vt vincere possint. Sed de securis, qui non habent exercitia pœnitentiæ, dicitur Prou. 1. Quia vocaui, & renuistis, & increpationes meas neglexistis: ego quoque in exitio vestro ridebo. Hac distinctione considerata, securitatem corrigamus & inuocationem exsuscitemus. Ita nobis dulcissimam consolationem in his dictis Pauli propositam esse sciamus. Hæc ille.

Ex hac tota responsione quis non videat D. Philippum sensisse id, quod nos docemus? Deum scilicet non permittere vt sui electi pij ita tententur, vt omnino superentur? ita labantur, vt prolabantur? ita cadant, vt excidãt? aut denique ita à Deo recedãt vt deficiant prorsus? Primò quotquot sunt in Ecclesia, in duas secat partes, quæ sunt hæ duæ partes, nisi electi pij, & reprobi hypocritæ? Partitio hoc satis docet & exempla, quæ in altera parte ponit, vt Saulis, Achitophelis, &c. confirmant.

Quid verò docet de prima parte, hoc est, de piis electis, hanc partẽ an habere initia timoris & fidei exercitia pœnitẽtiæ & inuocationis, & RETINERE TIMOREM DEI, ET FIDEM. Peccat autem quotidie hæc pars, alius alio grauiùs: & tamen (inquit Philippus) retinent timorẽ Dei, & fidem. Ergo de sententia Philippi, electi pij nunquam ita à Deo sinuntur tentari, & nunquã ita peccant, vt à fide prorsus excidant: sed perpetuo retinent timorem Dei, & fidem. Hanc eandem doctrinã confirmat, cùm ait de hac parte intelligi illud: habenti dabitur, &c. Docet igitur illis, qui reipsa veram habent fidem, non solùm nõ tolli fidem, sed augeri, eo scilicet modo, & eo tempore, quo Deo placet augeri. Idẽ confirmat illo dicto Psal. 144. Propè est Dominus omnib. inuocantibus eum, omnib. inuocantib. eum in veritate, i. verè & sincerè, hoc est, veris fidelib. Est enim ἐπίκλησις & inuocatio pro tota pietate & fide ponitur. Fidelibus ergo semper Deus propè est: quare ab eo pij prorsus nunquam deficiunt. Item illo dicto, Quantò magis Pater vester cœlestis dabit Sp. S. petentibus se? Atqui electi pij perpetuo desiderio petunt Spiritum S. fideíque augmentũ. Hoc est n. proprium veræ fidei. Non igitur excidũt prorsus à fide, aut amittunt prorsus Sp. S. Cùm loquitur etiam de altera parte: à contrario idem docet, & iis tantùm accommodat illa Scripturarum loca, quæ docent, Spiritum omnino, & fidem quibusdam adimi. Non igitur penitus auferuntur hæc à verè piis. Quid illo clarius? cum de prima parte, hoc est, de vere piis & electis, cũ tentantur & labuntur, ait: Hos igitur protegit Deus, hos sustentat velut subiecta manu, vt nutantes & labentes non ruant in exitium. Hæc Philippus. Allusit autem ad illud Psalmi: Iustus cùm ceciderit, nõ collidetur: quia Dominus supponit manum suam. Semper igitur pij à manu Dei sustentantur: ne, cum ceciderint (vt ait Psal.) collidantur. Quare nũquam penitus à Deo, & eius Spiritu deseruntur. Anteà vero in cap. 6. eiusdem Epistolæ, cùm ageret de discrimine inter ἀρετάς: dixerat legem moralem esse ipsam æternã lucẽ in mente diuina & voluntatem Spiritus S. in renatis: qui (scilicet Spiritus) AETERNAM obedientiam inchoat, cõuenientem voluntati diuinæ, iuxta illud; Dabo legẽ meã in corda eorum: item mox, hanc in renatis inchoatam iustitiam, appellat interiorem, & PERPETVAM cordis iustitiam. Quid hæc docent, nisi D. Philippum hoc sensisse, nullum inueniri posse renatum in cuius corde non sit inchoata iustitia: eámque esse in renatis perpetuam? sed appellat cordis iustitiam: quia etsi pij sæpè carne peccant, & in ea sunt iniusti: in corde tamẽ semper hæret desiderium & studium iustitiæ. Hoc autem perpetuum desiderium, & studium & amor iustitiæ, ipsa est cordis iustitia. Cor enim nihil potest, nisi desiderare, velle, amare. Ex aliis etiam eiusdem piissimi & doctissimi viri libris idem colligere est. Tom. 3. de sacris concionibus in exemplo simplicis thematis de fide, pag. 264. Neque est fides existimanda ea, quæ nõ totum pectus occupauit, & radices iam egit: vt quemadmodum antiqua quercus aduersus ventorum impetus consistit inconcussa: ita fides tentata, nihil de misericordia Dei dubitet? atque hunc certum assensum explicauit Christus Matth. 7. de domo exstructa super petram. Item pag. 267. ait, fidem oppugnari peccatis: non autem ait expugnari, imò postea subdit, dicens: In omnibus iis vincit fides, nulla alia re, quàm quòd verbo per Spiritum S. confirmata firmiter innititur, & adhæerescit. Item in locis anni 22. cap. de iustificatione & fide. 3. fol. post literam I. quintam, ait vim, & naturam fidei exprimi per verbum perseuerandi. Item litera K. ait, veram fidem esse nihil aliud, quàm certam & constantem fiduciam diuinæ beneuolentiæ erga nos. Item ibi describit regnum Christi, & ait regnum esse securitatis illiúsq. perpetuæ, iuxta dictum Esa. 32. Et erit opus iustitiæ pax, & cultus iustitiæ, & securitas vsq. in sempiternum, &c. Legantur & ea quæ scripsit in c.

7. Matth.

7. Matth. exponens locum, de illis qui ædificant domum suam super petram, pag. 415.

[illegible] est numerum [illegible] etiam [illegible]

[illegible] Deum, [illegible] (inquam) certo sunt filij Dei, hæredes æternæ salutis, & viua mēbra, veræ Ecclesiæ Christi, qui quanquam suas habent infirmitates nec exiguas, & multiplices, tamen nullo modo sunt in societate aut numero non renatorum seu reiectorum hypocritarum. Illud tamen vnusquisque sciat & meminerit, oportere se paulatim proficere sic, vt timor Dei, fides, humilitas, castitas, cæteræque virtutes Deo placentes in anima sua crescant, augeantur & confirmentur. Imo certò scias, quantumuis languida sint initia conuersionis, Deum ipsum (modo luceant aliquæ scintillæ fidei in tuo corde) velle tibi adesse, te felicitèr, salutari et gubernare, tibi efficaciter opitulari: vt gnome Pauli, quam ex 2. cap. ad Philippenses antè citauimus, expresse affirmat: Deus facit vt velitis & faciatis, &c.

Quamobrem tale cor, quod habet initia spiritualium exercitiorum, verissime fundatum, extructum & ædificatum est supra firmissimam rupem seu petram Christū. Is suppeditabit ei vigorem, robur, & vires, vt & aduersus impetus insultúsque furentium diabolorum, & contra insidiosissimas omnis generis tentationes firmiter subsistere possit, nec se deiici de gradu, vt aiunt, dimouerique loco patiatur.

Illustrat collatione Saulis & Dauidis ac vult, Dauidem vnum ex illis fuisse, qui ædificant super petram: ac proinde licèt impetitus à diabolo, horribili scelere lapsus fuerit, eum tamen non penitus excidisse & periisse: quia non fuerit ex numero pertinacium hypocritarum: id quod probat, quia non perseuerauit in peccata. l. pag. 417.

Dauid verò, quanquam horribili scelere lapsus, rapuerat alienam coniugem, interfecto marito: tamen non fuerat pertinax hypocrita. Non enim perseuerauit in contemptu Dei, seu malo proposito, &c.

Non est igitur cogitandum D. Philippum aliter de perseuerantia Sanctorum sensisse, quàm & Scripturæ docuerunt, & Patres confirmarunt, & Lutherus Bucerus, atque alij doctissimi nostri seculi homines scriptū reliquerunt. Est autem à nobis demonstratum, Electos verè sanctos, veráque fide præditos, & per Spiritum sanctum regenitos, nunquam à fide prorsus excidere, aut Spiritum sanctum prorsus amittere, doctrinā esse Scripturarum, Patrum, Buceri & omnium protestantium.

Quod si ea fuit (quod non credo) Philippi, quæ & meorum aduersariorum, opinio, eam non minus libere in ipso, quàm in illis improbo, & tanquam cum sacris literis pugnantem reiiciendam esse dico.

Neque enim faciam, sicut quidam meus tunc Antagonista faciebat: qui, quæ in meis scriptis de prædestinatione vt hæretica dānabat; eadē & iisdē vere verbis expressa lib. Lutheri de seruo arbitrio, cùm ab amicis meis ea illi præmonstrarentur, vt piè dicta probabat. In omnibus probanda est veritas, & in omnibus damnanda falsitas.

Sūma quorundā argumentorū: quæ, cùm exspectarē promissam disputationē, ex verbis ipsius meæ Theseos, de qua erat præcipua cōtrouersia, mihi memoriæ caussa breuiter collegeram.

Ac primum à dictione vera fidei.

PRimum argumentum: Si fides potest aliquando deficere, Ergo tēporaria est, ac proinde vera non est. Fides enim vera non est, si non sit constans ac perpetua: id quod ex his locis constat. Matth. 13, Luc. 8. Temporarij non verè credunt: testibus etiā optimis interpretibus. Bucerus in 8. Luc. Pietas quæ finē nouit, non est vera pietas. Itē de vera reconciliatione Ecclesiarū: Temporaria fides non est vera. Item fol. 128. exemplo illorum qui Iohan. 2. credebant in Christum, ipse autem non credebat se eis: Hæc (inquit) temporaria, ideo non vera: exemplo etiam populi Israelitici, de quo in Psalmis. Cum occideret eos, quærebant eum: cor autem eorū non erat rectum cum eo, idem confirmat. Item fol. 138. hanc fidem temporariam, ait analogiā quādam fidem vocari, vt cui nomen veræ fidei, non autem ratio competat. Item fol 139. hanc fidem ait vocari à Paulo fictā; à Iacobo mortuam, à Domino tēporariam, & hāc nēminem regenerari aut saluari, nec eiusdem esse

rationis cum illa vera & [illegible] Bucerum. Idem ergo sunt temporaria [illegible] fidei. Idem [illegible] est in [illegible] facere filios Dei, neque iustificare. Sed [illegible] epistola ad Ephes. in cap. 1. pag. 127. multis ostendit: Fidem impiorum temporariam, non veram fidem, sed fidei imaginem esse: appellat etiam simulatam credulitatem: & fidē mortuam, ideoque non veram fidem, vocari à D. Iacobo ait. In Iohan. cap. 2. in ea verba: Iesus non se credebat eis, de temporarijs ait, Hi sunt, qui credunt in nomen Christi: & ipse tamen se eis non credit. Nouit enim quid sit in homine: nouit eos nihil minus habere, quàm veram solidamque in se fidem.

Idem Bucerus in cap. 4 ad Ephes. pag 111. in tract. de vsu & vi sacri ministerij: idem abunde docet: Fidem scilicet temporariam, non esse veram fidem, neque iustificantem: & talem fuisse fidem Caini, Saulis, Iudæ: ideoque illos nunquam fuisse verè iustificatos.

Musculus in locis cōmunibus de patientia, pag. 757. Fides temporaria (inquit) vera fides non est. „

Melanchthon, Tom. 3 de sacris concionibus, in exemplo thematis simplicis, de fide, pag. . 64 ait: Neque est æstimāda fides ea, quæ non totum pectus occupauit, & radices non egit: vt quemadmodum antiqua quercus aduersus ventorum impetum consistit inconcussa, ita fides tentata nihil de misericordia Dei dubitet. Atque hunc certum assensum explicat Christus Matt. 7. de domo extructa supra petram. Hæc Philippus. „

At contra, inquies, ait. 1. Cor. 10. in illud 2. Petr. 2. ἀρνούμενοι. Veram igitur sensit esse fidem etiā quæ deficit. Respondeo. De varia huius loci lectione supra diximus, & infra dicemus & respondebimus. Deinde intelligimus esse veram analogia quada, quatenus nomen veræ fidei illi competit, sed non ratio, sicut Bucerus ait de reform. Ecclesia. fol 138. Comparatione enim illius quæ non credit omnia, dicitur vera. Credit enim non quia ea, quæ credit, iudicio rationis probantur, sed propter authoritatem Dei: ideo omnia credit. sed respectu veræ & iustificantis fidei, vera non est: quia non est sincera in corde & coram Deo. Hoc ipse Philippus declarat, cum ait: Quod autē qui principia veræ fidei habuerunt, antequam eam perdant, fides ea vera sit, &c. ait, principia fidei nempe veræ, habuerunt igitur principia, sed non ipsam fidem veram, quia scilicet radices non egerat: ideo vacillabat, nutabat non erat vera & sincera fides, sed coram Deo simulata. Veram fidem, ipse ait alibi, eam non esse existimandam, quæ non occuparit totum cor, nec radices egerit fixa, vt quercus antiqua Augustinus ad Iul. Comitem, vt citatur in Decret. de pœnit. distinct. 2. can. 2. Charitas (inquit) quæ potest deseri, nunquam vera fuit. Ita Ambrosius in 2. Corinth. 6. In illud, In charitate non simulata: Simulata charitas est in illis, qui in necessitate deserunt fratres. Sic Gregorius homil. 30. in die Pentecostes de amore Dei. Ergo nec vera fides est, quæ deficit. Item Augustinus in Ioh. tract. 106. col. 513. Credere verè, est credere inconcusse, stabiliter, fortiter, firmè, vt iam ad propria non redeas & Christum relinquas. Aristoteles Eth. 7. cap. 9. disputans, quis sit verè ἐγκρατής, ait eum esse qui sit τῷ λόγῳ καὶ τῇ ὀρθῇ προαιρέσει ἐμμενετικός. Ita verus fidelis est, qui semper manet in fide. Veri discipuli Christi dicuntur, qui perseuerant in verbo Christi. Iohan. 8. Si vos manseritis in sermone meo, verè discipuli mei eritis. De discipulis autem non veris ait Iohan 6. multi autem ex discipulis eius desciuerunt eo relicto, nec amplius cum illo ambulabant. Ergo veri etiam fideles sunt, qui perseuerant in fide, non veri autem qui non perseuerant in fide. Ergo, à coniugatis, illa quoque fides tantum est vera, quæ est perpetua, temporaria vero non est vera.

Matth. 7. Hypocritis dicet. Nunquam noui vos, discedite à me. Qui autē vera fide præditi sunt, nouit eos Christus: quia sunt sui. Hypocritæ igitur reprobi nunquam verā habent fidem, habent autem temporariam, temporaria igitur vera non est. Vide ibi Bucerum.

Alterum Argumentum, à dictione, Propter promissionem.

DEus promisit se effecturum, vt sui electi à se non deficiant, deficiunt autem à Deo, qui deficiunt à fide in Deum. Iesa. 59. Hoc fœdus meum cum eis pangam (inquit Iehoua) Spiritus meus, qui est in te, & verba mea quæ po-

sui in ore tuo, nunquam recedent de ore tuo, neq. de ore seminis tui [illegible] nunc & vsque in sempiternum. Promittit Ecclesiæ suæ perpetuum Spiritum in eius corde: perpetuamque fidem & fidei Confessionē. Præstat igitur. Quod autem præstat Ecclesiæ [illegible] veris Ecclesiæ membris [illegible] illa [illegible] præstare omnino [illegible] & [illegible] dendus est. Sicut & Brentius [illegible] Hanc autem perpetuitatem Spiritus & fidei in singulis electis, ex eodem loco confirmat Apostolus Rom. 11. dicens: Sine pœnitentia sunt dona Dei.

Ier. 32. Ponam timorem meum in corda eorum: vt non recedant à me. Hoc testimonium subinde vrget Augustinus, vt hoc quod defendimus, dogma de perseuerantia Sanctorum confirmet. Vbi igitur talis timor est datus: ibi plenè non deficitur à Deo. Qualem enim timorem promittit? non temporarium, quia hic est hypocritarum: verum igitur & perpetuum.

Oseæ 2. Desponsabo te mihi in perpetuum in iustitia & fide. Quomodo autē manet connubium æternum in fide & iustitia, si deficiat fides? pertinet autem illa promissio ad omnes electos.

Ioh. 4. Omnis qui biberit ex aqua, quam ego dabo illi, non sitiet in æternum: sed fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. Nomine autem aquæ intelligi gratiam Spiritus sancti, docet Ioh. 7. Quomodo igitur deficit, si sit fons salientis aquæ in vitam æternam?

Tertium argumentum, à dictione: Propter precationem Christi.

Qvod Christus impetrauit Petro sua precatione Ioh. 17. impetrauit singulis electis, qui credituri erant in Christum. Atqui impetrauit Christus Petro, ne deficeret eius fides vllo tempore, & ita nunquam defecit, vt omnes docent Patres. Augustinus Tom. 7. de Correct. & Gratia cap. 6. colum. 1330. F. [illegible] ait Dominus Petro (inquit) Luc. 22. Rogaui pro te Petre, ne deficiat fides tua: quid ei rogauit, nisi perseuerantiam vsque ad finem? Perseuerantia autem (ait idem Augustinus Tom. 4. lib. 83. quæstionum cap. 3. ex Cicerone) est in ratione bene considerata, stabilis & perpetua permansio. Non igitur defecit à fide vnquam: quia perseuerandi in fide voluntatem habuit perpetuam. Sic Augustinus ibidem cap. 8. col. 1334. A. Cum rogauit ergo (inquit) ne deficeret fides eius, quid aliud rogauit, nisi vt haberet in fide liberrimam, fortissimam, inuictissimam, perseuerantissimam voluntatem? Hæc Augustinus. Ergo fideles omnes habent hanc inuictissimam & perseuerantissimam in fide voluntatem: & hoc est, non deficere prorsus à fide. Lutherus in 17. Ioh. ait, Dominum rogasse pro suis, vt penes rectam fidem manerent, in ea pergerent ac proficerent, vt ab ea non deficerent: ait etiam exauditam fuisse precationem.

Quartum argumentum, à dictione, prorsus.

Illi dicuntur prorsus à fide defecisse, qui omnem, etiam credendi voluntatē, desideriúmque abiecerūt, id quod fit per contemtum verbi. At quis fidelis est, qui etiam post suos lapsus non retineat saltem desiderium sanctitatis & fidei? aut, qui omnino contēnat verbū Dei? Si autem aliquē adhuc amorem verbi retineat, & fidei desideriū: habet igitur adhuc fidē, nec prorsus exstincta in illius est corde. Itē, qui retinet adhuc aliquam verbi reuerentiam: is non contemnit verbum: ac proinde retinet fidem. Ideo Lutherus vrget: Tantum ne contēnas verbum Securus esto. Item illi prorsus exciderunt à fide, qui nullam ampliùs retinent spem veniæ & misericordiæ Dei. Si enim quis retinet spē: ergo & fidem. At quis fidelium est, qui etiam post multa peccata, non speret in misericordia Dei? & se, si resipiscat, veniam impetraturum? alioqui, si desperent, actum est de illis. Ideo Philippus Melanchton in 10. cap. 1. Corint. Consolatur eos (inquit) ne fracti desperatione prorsus à Deo deficiant. Qui ergo nondum fractus est desperatione, nondum à Deo prorsus defecit. Non desperant autem nisi reprobi, vt Iudas, Cain, &c. Ergo.

Quintum Argumentum, à dictione, iustus, & insitus in Christum.

Ille, cuius perpetuò voluntas est in lege Domini, & hac delectatur, & hanc amat, & in perpetuū meditatur, fidē perpetuò habeat, necesse est. Atqui Sanctorum & Christo verè insitorum voluntas, perpetuò est in lege Domini. Sic enim describitur iustus in Scripturis, præsertim Psalm. [illegible] Et omnis iustus, ait illud Psal. [illegible] faciendam voluntatem [illegible] cordis mei. Atque hoc est præcipuum [illegible] inter electum [illegible] & hypocritam [illegible] delectatione & amore [illegible], & [illegible] Domino, et [illegible] impios [illegible] esse videatur. Contra hypocritæ actionibus externis similis est iusto; sed eius cor non delectatur lege, non eā amat, non est in ea illi voluntas, nec rectū habet cor coram Domino. In Scripturis autem Deus omnia metitur corde, siue bona, siue mala: siue pios, siue impios. Electi enim pij discernuntur ab impiis hypocritis in conspectu Domini, cordis pietate. Doctus quoque interpres, isque Germanus in Psal. 1. ait, pios ab Hypocritis, hac nota discerni: quod pij lege Dei ex animo delectentur, & quod in ea, absque intermissione, constanter & perseueranter meditentur: hypocritæ verò, vel qui aliàs per occasionem in meditationem legis qualemcunque incidunt, quoniam, quod faciunt, vero legis amore non faciunt, sed obiter & perfunctoriè, citò deficiunt: & illos quidem similes esse fonti, cuius venæ aquis viuis scaturiunt, ac proinde, qui die ac nocte indesinenter fluit: istos verò cisternæ, quæ aquam aliunde illatam habet, ideóque medio æstatis calore exsiccetur. Præterea omnia Sanctorum peccata ab imbecillitate fidei proficiscuntur: Bucerus in lib. de vera Ecclesiæ reconcil. Idem Bucerus in Matt. cap. 8. pag. 112. vnde peccatum in electis sit, docens ait: Vnde & pij, dū peccant, non ex fide, id est, certa persuasione de Dei verbis, sed pro carnis iudicio agunt. Verùm hoc à reprobis differunt: quod id ipsum, quod faciunt malum, oderunt, & quàm primùm ab eo resiliunt: impij autem, malū quod agunt, amant, ac nisi sibi à Deo, & hominibus timerent vltionem, optarent illi perpetuo inhærere. Item mox: Ac quicquid electi peccant inde venit, quod isti persuasioni aliquid adhuc apud illos desit: ratio siquidem ignata Dei voluntatis, pro carnis cupiditatibus perpetuò indicat.

Vnde si mens, Dei imbuta Spiritu, non vigilantissimè intendat priusquam expendatur, bonum sit an malum, quod caro cupit, Deo gratum an secus. in illud inconsulta ruit, auertente ita aciem eius vi cupiditatis. Ergo semper retinent fidem. Si enim non peccant, in fide sunt: si peccant, quia ex imbecillitate fidei peccant, fidem adhuc habent, sed imbecillam & labefactatam. Idē Bucerus in Psal. 1. pag. 3. ait pios, tuto animo prauos & peruersos esse non posse, idque probat ex 1. Ioh. 3. Et pag. 6. Electos in solo cœlesti plantatos esse, vbi eos diuini Spiritus succus nunquā deficit, contra pag. 9. Reprobos, Spiritu Dei bono & regenerante non donari, regenerationis semper expertes. Denique omnes sancti arrhabone Spiritus sancti obsignati sunt, vsque in diem redemtionis, quē, cùm peccant, contristare quidem dicuntur à Paulo ad Ephes. 4. prorsus autem amittere nusquam. Est autem de hisce rebus loquendum secundum Scripturam. Adde, quòd in sanctis semper sunt duo homines, interior, qui & Spiritus, & exterior, qui & caro appellatur, perpetuáque est inter ipsos pugna, vt Apostolus describit ad Rom. ad Gal. & alibi. Quomodo igitur penitus amittere possunt Spiritum sanctum: quin cesset lucta, & toti fiant caro, peccatúmque in illis planè regnet?

Ad argumenta aduersariorum, contra doctrinam de Perseuerantia Sanctorum in fide, vbi conciliantur loca in speciem pugnantia.

CAPVT II.

Omnia argumenta, quæ aduersarij contra piam, de Perseuerantia Sanctorum in fide, doctrinam adferre solent: ad tres classes referuntur. In prima cōtinentur exēpla quorundā, quos contendunt, & vera fide fuisse iustificatos, & postea tamen ab ea prorsus defecisse è Scripturis desumpta. In altera sunt loci aliquot, è Scripturis itidē petiti, qui cum nostra doctrina pugnare videntur. In tertia, quædam collocantur nostri seculi doctorū virorum, qui à nobis dissentire videntur, sententiæ, quibus adiicitur etiā locus ex articulo XI. Confessionis Augustanæ. Nunc ordine ad singula respondeo.

Quòd ad primam classem attinet: exempla, quæ adducuntur, triplicis sunt generis. Quædam sunt eorum, quos omnibus constat fuisse verè electos & iustificatos, & tandem in æternam vitam deductos: vt est exemplum Dauidis, Pe-

113 dis, Petri, &c. Quædam sunt eorum, quos contrà liquet, non fuisse ex electorum numero: ac proinde ad æternam vitam migrare non potuisse: vt est exemplum Iudæ Apostoli, & Saulis. Postremo sunt exempla quorundam, de quibus nihil certi nobis affirmari potest, an fuerint electi, ideóque seruati: an verò reprobi, ideóque damnati: vt sunt exempla quorundam ex veteri Testaméto, item Corinthiorum, &c. Cæterùm quoniam ij quoque aut ex electis, ideóque nunc in cœlo beati: aut ex reprobis, ideóque nunc imm[illegible] damnati fuerint & sint necesse est: idcirco responsum [illegible] ad exempla vel primi, vel secundi generis, ad exempla quoque huius tertij generis datum volumus.

Porrò omnia argumenta, ab exemplis ducta, ad hunc vnum Syllogismum rediguntur: Quicunque scelera contra conscientiam admittunt: si præditi sunt iustificante fide, ab ea prorsus excidunt: & si sunt regeniti per Spiritum S. amittunt prorsus Spiritum sanctum, id est, Spiritum regenerationis. Ratio huius propositionis est, quia vera & iustificans fides, vt omnes concedunt, non consistit, nec potest consistere cum huiuscemodi flagitiis conscientiam vastantibus. Atqui iste vel ille fuit vera & iustificante fide præditus, ideóque iustificatus, & per Spiritum sanctum verè regeneratus & sanctificatus. & tamen peccata contra conscientiam admisit. Probare hanc nituntur ex historiis. Ergo multi verè iustificati & regenerati, veraq[illegible] fide præditi, à fide [illegible]rorsus exciderunt. Quare falsum est quod ait Zanchi[illegible]s qui semel vera fide donati, & per Spiritum sanctum [illegible]nerati, & Christo insiti fuerunt: non posse amplius à [illegible] & à Christo prorsus excidere, & Spiritum sanctum penitus amittere.

Respondeo ad maiorem, Si illud contra conscientiam, intelligas, contra plenam conscientiam, & ex toto animo destinatáque malitia, nego, qui hoc modo peccant, eos vera & iustificante fide præditos: & vere renatos esse aut vnquam fuisse: talia enim peccata propria sunt impiorũ. Contrà nego: à verè sanctis talia admitti flagitia, propter quæ à fide prorsus excidant: non quòd sua natura id non possit fieri, sed quia Deus non sinit eos ita peccare, vt peccant reprobi, & ita à fide prorsus deficere: idque propter suam promissionem, & propter efficacem Christi intercessionem, qui rogauit, ne deficiat fides suorum electorum, vt suprà demonstratum est. Admittitur ergo paralogismus, qui dicitur ἀἰτησις τὸ ἐν ἀρχῇ.

Ad minorem, Illi, quorum exempla citantur, vel fuerũt electi, vel ex reprobis. Si ex reprobis: nego primum minoris propositionis membrum, nempe eos fuisse vera fide præditos, ideóque verè iustificatos & per Spiritũ sanctum renatos: Reprobi enim nunquam vera fide donãtur, nunquam verè iustificantur, aut regenerãtur. Apostolus enim veram fidem, fidem vocat Electorum, Tit. 1. & ad Rom. 8. ait: Quos prædestinauit, hos & vocauit (vocatione scilicet efficaci & iuxta propositum) quos vero vocauit, hos & iustificauit: & quos iustificauit, hos & glorificauit. Quicunque ergo fuerunt vnquam, aut sunt, aut futuri sunt posthac verè iustificati, ideóque vera & iustificante fide præditi: ij tandem glorificentur necesse est. Et contrà, qui nũquam glorificantur, ij nunquam etiam fuerunt verè iustificati, veráque fide præditi. Reprobi autem nunquam glorificandi sunt.

Si verò propositio illa de Electis, vera fide donatis & iustificatis, intelligatur: nego alterum ipsius minoris propositionis membrum: nimirum, Eos peccatum vastans omnino conscientiã admisisse. Hæc enim inter se pugnant. Atque hoc est, quod passim in Scriptura Spiritus sanctus docet: cùm quæ sit veræ fidei natura, per Prophetas & Apostolos describit: nimirum naturam veræ fidei esse, vt si sit viua, efficax per charitatem, perpetuò secum habens coniunctam pœnitentiam, amorẽ Dei & proximi: odium peccati, amorem legis Dei, studium denique sanctitatis & bonorum operum: ita, vt qui his perpetuis fidei veræ fructibus careant, eos quoque non habere veram & viuam fidem in Christum, necessariò consequatur. Hoc est, quod speciatim contendit Apostolus Ioan. 1. epist. cap. 2. In hoc, inquiens, scimus quòd cognouimus eum (per veram fidem) si mandata eius obseruamus, id est, si mandatis obseruandis studeamus. Qui dicit se nosse Deum, & mandata eius non custodit (saltem in corde istis seruandis studendo) mendax est.

Quid vero aliud, quàm hoc, docet in toto ferè tertio capite: Qui habet hanc spem, inquit, sanctificauit se, sicut ille sanctus est id est, studet sanctitati. Studere autem sanctitati, & ex destinata malitia peccare: pugnant inter se. Item, omnis qui peccat, non vidit eũ, nec cognouit eum. Ergo qui ita peccant, non amittunt fidem, sed declarant, se nunquam habuisse fidem veram. Filioli, nemo vos seducat, qui facit iustitiam iustus est. Quasi dicat: Ille tantùm vere iustus est, qui iustitiæ fructus profert, id est, qui studet iustitiæ, operibúsque bonis faciendis. Seductores ergo sunt, qui dicunt posse hominem esse iustum, ideóq; fidelem: qui non studeat iustitiæ. Item: Omnis qui facit peccatum (scilicet prudens & volens, ideóque plena voluntate) ex Diabolo est: quoniam ab initio Diabolus peccat (hoc modo.) Non sunt igitur iustificati & renati ex Deo, qui plena voluntate peccant. Quare nunquam habuerunt fidem. Contrà, de vere iustificatis, & renatis ait: Omnis qui natus est ex Deo, non peccat (nimirum plena voluntate, ideóque ad mortem.) Nec potest peccare (hoc scilicet modo) quia semen Dei (verbum scilicet fide apprehensum, & Spiritu sancto obsignatum) manet in illo (id est, perpetuo perseuerat.) Fieri ergo non potest vt qui vera fide præditi, ideóque verè iustificati sunt, talia admittant peccata, per quæ fides prorsus amitti queat: ideò perpetuò in eis remanet fides & semen Dei. Quid illo clarius? Charissimi, inquit, Si cor nostrum non condemnat nos, fiduciam habemus erga Deum. Condemnat autem cor nostrum nos: cum contra conscientiam peccamus, id est, peccatum tota voluntate volumus, amamus, probamus: ac proinde illud verè nobis condonari per Christum, non credimus. Contrà igitur, qui veram habet fiduciam in Deum: is non ita peccat, nec habet cor, quod se prorsus condemnet: quia sentit mente se condelectari lege Dei, tametsi carne seruiat legi peccati: ac proinde sentit, omnia sibi peccata per Christum condonari. Et ita Bucerus in disputat. Ratisbon. pag. 131. hunc locum interpretatus est. Quid? quod hæc est doctrina omnium PROTESTANTIVM? quæ enim habentur in disputat. Ratisbon. omnium Protestantium nomine dicta & affirmata fuerunt à nostris. Ibi autem quid scribitur? passim hæc doctrina inculcatur: Fidem quam docent Protestantes, talẽ esse, quæ nunquam sit sine pœnitentia peccatorum & studio bonorum operum. pag. 103. Talem fidem, inquiũt, docemus, quæ sine peccatorum pœnitentia, & studio bonorum operum esse non possit. Item pag. 200. & 106. & 220. Ergo nunquam peccant sancti, quin habeant resipiscentiam. Resipiscentia autem non potest esse vera resipiscentia sine fide. Si igitur nunquam sunt sine resipiscentia, nunquam etiam sunt sine fide: Nec solùm docent fidem non posse consistere cum peccato contra conscientiam, & sine peccatorum pœnitentia, & studio bonorum operum: sed inde inferunt, idque necessaria illatione: ipsos fideles non posse talia peccata admittere, aut in illis hærere, pag. 241. Peccatum, inquiunt, contra conscientiam, vel, vt Augustinus loquitur, vastans conscientiam, vera fides secum non fert: nec vnquam in tali peccato hæret, quia vera & iustificante fide viuit. Legantur etiam quæ de eadẽ re tradunt à f. 241. vsque ad 252. Sed clariora subdo testimonia pag. 91. Qui enim, inquiunt, Christo Domino verè credunt, ij non possunt non bona operari opera, nequit siquidem bona arbor non bonos fructus ferre. Et mox: Nam licèt hi (scilicet verè fideles) secundum internum hominem condelectentur lege Dei & non peccent: inhabitans tamen in eis adhuc peccatũ multa simul operatur, quæ internus homo odit: & hoc inhabitatore, sancti impediti, multa bona prætermittunt, quæ facere debent. Item pag. 229. Ita, inquiunt, quanquam omnes sancti habeant adhuc reipsa peccatum, & tractũ à deprauata origine, & ab ipsis quoque commissum: tamẽ nõ habent in voluntate sua. Non volunt enim, sed oderunt illud, & quod in eis habitat, & quod ab eis fit. Non quod volo, inquit Paul. hoc facio: sed quod odi, id facio. Aiunt, sanctos habere peccatum, & admittere peccatum. Illud complectitur originale, & eius concupiscentias: hoc complectitur omnia actualia peccata, quæ sancti admittunt. Aiunt autem, nec illud haberi, nec ista admitti à sanctis sua voluntate. Quomodo igitur ait quidam Doctor, Sanctos tota etiam voluntate peccare? Quod si cuipiam dura videtur locutio hæc Protestantiũ, audiat eosdem mox eã explicantes pag. 230. Omnis enim verè credens in Christũ, habet fidẽ, & Christũ, & iustitiã eius in se habitantem & manentẽ, ita nõ dicimus, homini peccatũ nõ imputari, quod habeat omnino, id est, etiã sua volũtate, vt quod non oderit in se, & à quo liberare se nõ poterat. Docẽt iis verbis, quid sit habere & admittere peccatũ volũtate sua: nimirum illud ita habere & admittere, vt & illud non odio habeas, nec te liberari ab eo petas. Ergo nõ habere volũtate nostra peccatũ, est illud ita habere & admittere, vt & illud odio habeas, & ab eo liberari te cupias & petas. Sed

legantur, quæ scribuntur pag. 242. vlt. lin. Confitetur quidem: sed &c. postea pag. 243. ad calcem sic habent. De fide tamen, qua iustus viuit, secus est. hanc enim qui habent, filij Dei sunt; & hos agit Spiritus sanctus, ad ea quæ sancta & vera sunt; vt contraria scientes & prudentes non agant: multoque minùs in iis perseuerant, tametsi ex imbecillitate carnis sæpenumero & ipsi non ex fide agant & peccent; Sed peccata vastantia conscientiam, non illa quæ regno Dei statim excludunt. Hæc ibi. Hanc verò doctrinam confirmant testimoniis Scripturarum: præsertim ex prima Epistola Iohannis Apostoli, & hoc Syllogismo ipsi quoque vtuntur. Qui credit verè, quod Dominus Iesus est Christus, is natus est ex Deo 1. Iohan. 5. Qui natus est ex Deo, is non peccat, nec potest peccare. 1. Iohan. 3. Ergo qui verè credit, is non potest peccare, nempe peccatum vastans conscientiam, & multo minùs in eo permanere.

Ex iis satis apertè liquet, quod initio docebam, in Sanctos & verè fideles, non cadere peccatũ vastans cõscientiam. Per nullum autem aliud peccatum fides amitti potest, quàm per hoc. Non possunt igitur Sancti vere fideles, à fide prorsus excidere. Quare quæcunque exempla adferuntur ab aduersariis de verè fidelibus & sanctis, nihil cõcludunt: propterea, quòd ij talia non admiserint peccata. Quæcunque vero de Hypocritis reprobis, illa etiam nihil concludunt, propterea quòd illi nunquam veram & iustificantem fidem habuerunt, ideóque ab ea etiam excidere non potuerunt.

Hæc est responsio in genere ad omnia argumenta ab exemplis ducta. Nunc speciatim quædam exempla contra hanc doctrinam allata, excutienda sunt: vt multa loca sacrarum literarum ab aduersariis miserabiliter contorta, explicentur & genuinus eorum sensus intelligatur.

Primum argumentum ab exemplo est Patrum in deserto. Patres omnes in deserto (aiunt mei aduersarij) fuerunt iustificati, sanctificati & regenerati. Iidem etiam (id est, plerique illorum) peccarunt contra conscientiam. quia in vera Dei cognitione non perseuerarunt, & variis sceleribus se contaminarunt. Ergo qui fuerant iustificati, & verè fideles, postea exciderunt à fide. Primum antecedentis membrum probant ab esu escæ spiritualis, hoc modo, Omnes eandem escam spiritualem manducarunt, & eundem spiritualem potum biberunt, nempè Christum. Hic autem Spiritualis cibus, non manducatur nisi fide. Fuerũt ergo omnes fideles, & fide in Christum, & per Spiritum sanctum iustificati. Alterum antecedentis membrum probant ex verbis Apostoli, Illi fornicati sunt, admiserunt idololatriam, Christum tentarunt, propter quæ scelera fuerunt exterminati, id est, damnati. Atqui nemo damnatur, nisi peccet contra conscientiam. Qui ergo fuerunt iustificati, postea peccarunt contra conscientiam, & proinde exciderunt à fide. Quamobrem semel iustificati & renati, si posteà ad priora relabantur peccata, amittunt fidem & Spiritum sanctum.

Respondeo, Si antecedens de iisdem planè personis, quod ad vtrunque membrum attinet, intelligatur, illud planè ἀδύνατον est. Fieri enim non potest, vt sit aliquis verè iustificatus, & vera fide præditus, & idem vere admittat peccatum conscientiam vastans, vt suprà à nobis ex Scripturis, & ex ipsa protestantium doctrina demonstratum fuit.

Alterum quidem membrum, Multos ex illis cõtra conscientiam peccasse & propter talia scelera damnatos fuisse, libenter concedimus: quia & historia Mosis & Apostolus & Christus ipse Iohan. 6. id docuerunt, sed quòd iidem fuerunt antea coram Deo, & verè iustificati, est planè ἀδύνατον. Si enim fuissent iustificati, fuissent etiam glorificati Rom. 8. Quos iustificauit, eos & glorificauit. Atqui nõ fuerũt glorificati. Quare primum membrum, omnes scilicet fuisse iustificatos, falsissimum est.

Cùm verò id probant ab esu escæ Spiritualis, dicentes, Omnes manducauerunt escam spiritualem, id est, Christum, & contendunt, omnes Israelitas manducasse Christum vera fide, falsissimum est, & contra Christi sententiã qui ait Iohan. 6. Patres vestri manducauerunt in deserto Manna, & mortui sunt. Qui manducat hunc panem, viuit in æternum. Quibus verbis docet Christus, non omnes Patres in deserto vere manducasse Christum, sed quosdã tantùm Manna, seu Symbolum tantùm sine re ipsa per Symbolum significata & oblata: & hoc etiam cõcludit ab effectu, quia illi mortui sunt, morte scilicet æterna: & tale argumentum est Christi. Quicunque manducat hunc panem, id est, me Christum, viuet in æternum. Atqui Patres vestri (nempe impij inter Iudæos, vobis similes) etsi manducauerunt Manna, mortui tamen sunt, æternámque vitam non sunt consecuti. Ergo Patres vestri Manna tantùm, non autem me panem viuum manducauerunt. Quare ex verbis Domini Iesu necessario consequitur, non omnes Israelitas, qui Manna manducauerunt, fuisse fide in Christum iustificatos.

At, inquiunt, Apostolus sic loquitur: Omnes tandem escam spiritualem manducauerunt. Hæc autem esca, & is potus, fuit Christus. Omnes igitur manducauerunt & biberunt Christum. Hæc autem esca spiritualis Christus, nõ manducatur nisi fide. Omnes ig[illegible] dic[illegible]unt. quare omnes iustificati fue[illegible].

Primùm, locum illum Apostoli, aliter interpretatus est Chrysostomus & aliquot alij: nimirum quòd Israelitæ omnes eandem (scilicet inter se: non nobiscum) Spiritualem escam, id est, Manna comederunt. Spiritualis autem esca, vocatur Manna & spiritualis potus, illa aqua: quia Sacramenta erant rerum spiritualium: vt per metonymiam nomen rei significatæ, conueniat signo. Theodoretus quoque sic interpretatus est: nomine escæ venire Mana: & nomine potus, aquam de petra. Appellari vero spiritualem escam, & potum: quod virtute Spiritus Christi, populo vtrumque datum sit. Verba eius sunt: [illegible] h. e. *Spiritualem [illegible] escam & potum, tanquam Spiritu (Christi) vtrumque per Mosen secundum suam ineffabilem potentiã exhibente.* PHOTIVS etiam petram illam m[illegible]ialẽ, spiritualẽ ait appellari, propter petrã Christum [illegible] illi materiali aderat, ex illa aquam educens & pr[illegible] populo: [illegible] h. e. *Sẽsibilis quidè erat illa petra, nimirũ, quæ aqua Israelitis effundebat: verùm haud propria natura eam emittebat sed potentia illius Spiritualis petræ, quæ sua efficacitate & ei aderat, & [illegible] necessitatem comitabatur.* Quare si velim hanc Græcorũ interpretationẽ sequi: nihil cõcludit aduersarius. Omnes scilicet Israelitas ideo fuisse iustificatos, quia comederũt omnes eandem escã spiritualẽ id est Manna. Sed si ita placet, retinebo interpretationem Augustini: omnes Israelitas tam pios, quàm impios, comedisse eandem nobiscum escam spiritualem, id est, Christum: sed non omnes eodem modo. Alios enim comedisse non tantùm Sacramentum, sed etiam rem Sacramenti: quia fide comederunt: alios verò Sacramentotenus tantum. Quare cùm Antagonistæ aiũt, omnes comedisse Christum fide: paralogismus admittitur, qui vocatur homonymia in verbo manducandi. Est enim duplex Christi manducatio: vna verà, altera non vera. vera est, cùm non solùm sacramentum, seu symbolum Christi sumimus: sed & rem ipsam, Christum ipsum manducamus, hoc est, illo vescimur, nutrimur, & corroboramur ad vitam æternam. Hæc re vera non fit nisi fide, eáque viua & iustificante. Non vera autem manducatio est, cùm Christus ipse Sacramentotenus tantùm (vt loquitur Augustinus & alij) non autem reipsa manducatur: hoc est, cùm Sacramentum seu symbolum tantùm Christi, sine Christo ipso percipimus & manducamus: ac proinde non verè Christum manducamus. Prima est tantùm piorum: altera est impiorum: prima est saluifica, altera perniciosa, hoc est ad condemnationem.

De prima loquitur Christus Ioh. 6. cùm ait: Qui manducat hunc panem, viuet in æternum: de altera loquitur ibidem Christus, cùm ait, Patres vestri (impij scilicet sicut & vos. id est, Patres vestri non tantùm secundum carnẽ, sed etiam secundum impietatem) manducauerunt (dentibus corporis) Manna (scilicet tantum sine me) & (proinde) mortui sunt: scilicet æternùm. Quibus verbis docuit Dominus, pios in deserto manducasse & Sacramentum, id est, manna dentibus corporis, & rem Sacramenti, id est, Christum, panem viuum, dentibus Spiritus & fidei, ideóque æternum eos viuere, impios autem, quia sine fide, manducasse manna tantùm, idque dentibus corporis, sine Christo, id est, sine re, ideóque mortuos esse æterna morte. Idem Paulus voluit, iuxta Apostoli interpretationem, concludere, omnes quidem Israelitas, qui manna manducauerunt, spiritualem escã, id est, Christum ipsum mãducasse, sed suo quemque modo. Alios enim, nempe pios & fideles, non solùm Sacramentum, sed & rem ipsam, id est, non solùm manna, sed etiam Christum ipsum, verè manducasse, quia fide manducarunt, alios verò, nẽpe impios, eandem spiritualem escam Christum manducasse, sed sacramentotenus tantũ: id quod idem est ac si dicas. Sacramentum

mentum tantùm & Symbolum Christi sine Christo ipso. Quare? Quia cùm Christus esca spiritualis, fide tantùm (vt optimè etiam aduersarius ait) manducetur, impij verò fuerint sine fide: proinde non potuerunt Christum reipsa & verè, sed tantùm Sacramentotenus, eóque non verè manducare: ideóque etiam non omnes probatos fuisse Deo: sed quosdam, hos nimirum impios, exterminatos fuisse, id est, vnà cum morte corporis, mortem etiam æternam obiisse. Quare quod Christus dixit, Et mortui sunt: id Paulus vocat, Et prostrati sunt. Hanc duplicem manducationem Christi, ipse etiam Augustinus præter alios Patres agnouit: & sententia eius recitatur à D. PROSPERO, Augustini discipulo, in libro Sententiarum ex operibus Augustini cap. 330. pag. 214. quæ sic habet: Escam vitæ accipit, & æternitatis poculum bibit, qui in Christo manet, & cuius Christus habitator est. Nam qui discordat à Christo, nec carnem eius manducat nec sanguinem eius bibit: etiamsi tantæ rei Sacramentum ad iudicium suæ præsumtionis quotidie indifferenter accipiat, hæc ibi. Cum igitur ait Apostolus, Et omnes eandem escam spiritualem manducauerunt, nempe tam pij quàm impij: subintelligendum est, suo quisque modo: quia pij fide ipsam quoque rem Sacramenti perceperunt: impij vero quia sine fide, Sacramentotenus tantum. Aduersarij autem ita interpretantur, quasi omnes eodem modo, nempe fide manducauerint: ac proinde concludunt, omnes fuisse iustificatos: cùm tamen maior pars manserit incredula, ideóque non reipsa panem Christum, sed tantùm Sacramentotenus (vt Dominus Iesus Ioh. 6. concludit) manducauerint. Apparet igitur paralogismus homonymiæ. Et quomodo potest colligi ex Paulo omnes fuisse iustificatos? cùm ipse dicat: ἀλλ᾽ οὐκ ἐν τοῖς πλείοσιν αὐτῶν εὐδόκησεν ὁ Θεός. In omnibus autem iustificatis est εὐδοκία τοῦ Θεοῦ: seu εὐδοκεῖ ὁ Θεός. Quare falsum est quod de Israelitis concludunt, illos, qui fuerant iustificati, postea ita peccasse contra conscientiam, vt fidem prorsus amiserint.

Secundum argumentum, ab exemplo Corinthiorum est deductum. Sunt autem reuera ibi tria argumenta. Primum desumtum à verbis Apostoli: Qui stat, videat ne cadat: alterum ab exemplo Corinthiorum in genere: tertium ab exemplo vnius Corinthij incesti. Ad illam Pauli sententiam, respondebimus paucis, vbi ad secũdam classem Argumentorum peruenerimus: ad illam enim pertinet. Nũc tantùm ad exempla respondemus.

Argumentum igitur ab exemplo Corinthiorum ductũ, hoc est: Corinthij fuerant iustificati, sanctificati, verè fideles, & acceperant Spiritum sanctum. Hoc probant ex 6. cap. eius Epistolæ: Sed abluti estis, sed sanctificati estis, &c. iidem tamen postea admiserunt crimina vastantia conscientiam. Hoc probant à dissidiis, fornicationibus & aliis sceleribus, quæ Paulus in Corinthiis reprehendit. Ergo amiserunt fidem & Spiritum sanctum.

Præter responsionem superiùs à nobis ad omnia argumenta ab exemplis ducta, allatam: aliquid speciatim ad hoc argumentum dicendum est: idque quò melius appareat huius argumenti fallacia.

Quod ad primum membrum attinet, si aduersarius intelligat, vniuersos & singulos Corinthios fuisse verè & coram Deo iustificatos, & per Spiritum sanctum regeneratos: non damus. Sunt enim in singulis Ecclesiis, & verè pij ac sancti: & simulati ac hypocritæ: boni pisces & mali: triticum & paleæ. At dicet, Apostolus omnes Corinthios simul alloquens, ait, Et hæc aliquando quidem fuistis, nempè omnes idololatræ, adulteri: sed abluti estis: sed sanctificati estis (nempe vos iidem omnes, qui antea eratis idololatræ) omnes ergo fuerunt iustificati, sanctificati. Primùm hic est fallacia homonymias. Esse enim iustificatum & sanctificatum, bifariam accipitur: aliquando propriè & verè coram Deo. Plerosque hoc modo iustificatos fuisse Corinthi, sed non omnes, facilè damus: aliquando καταχρηστικῶς, id est, nõ verè, nec coram Deo, sed tantũ in facie Ecclesiæ & coram hominibus, adeóque & Sacramẽtaliter. Plerosque etiam alios in eadem Ecclesia hoc modo iustificatos fuisse: negari non potest. Quare etsi omnes appellantur ab Apostolo iustificati, sanctificati, abluti in nomine Domini nostri Iesu Christi: non tamen ideò sequitur, omnes eodem modo, id est, verè fuisse iustificatos. Lutherus etiam in illud Psal. 2. Ego autem constitui Regem meum super Sion montem sanctum: Tom 3. fol. 451. Duplex, inquit, sanctitas: generalis & specialis: vide locum. Ego breuiter sententiam explicabo. Sanctitas generalis est, cùm aliqua Ecclesia constãs bonis & malis, tota tamen synecdochicẽs sancta vocari solet; propter illum in primis sanctũm sanctorum, qui in ea habitat, & qui credentes in se sanctificat: & deinde propter illos etiam, qui reuera in ea sancti sunt. Specialis verò est illa, qua veri credentes verè & reipsa sanctificati sunt coram Deo per Spiritum sanctum, cùm reliqui tantùm coram hominibus, professione & Sacramentorum obsignatione, sancti nominentur, & pro sanctis habeantur. Idem igitur nomen conuenit omnibus: sed non eadem res, quare paralogismus est homonymias in dictionibus iustificati & sanctificati. Est autem notanda hæc Scripturarum consuetudo: nimirum, vt quotquot nomen Christo dant, & in eius nomen baptizantur, etsi non omnes Christo verè inseruntur, nec omnes verè in mortem & resurrectionem Christi baptizantur, id est, regenerantur, tamen omnes appellet iustificatos, sanctificatos, ablutos, filios Dei, & verè etiam electos.

Sic Apostolus omnes, qui erant Romæ Christianos, sanctos appellat: & omnes, qui erant in Ecclesiis Galatiæ, filios Dei vocat: Et Petrus omnes, qui erant in Ponto, Galatia, Cappadocia, vocat electos. Idem etiam facit Apostolus in 6. cap. ad Corinthios: dum omnes ait ablutos & sanctificatos fuisse. Ecclesia enim cum non sit, sicut Deus καρδιογνώστης, non potest aliter iudicare de illis, qui nomen dant Christo & lauacrum regenerationis suscipiunt: quàm eos verè esse insitos in Christum & verè regeneratos: idque tantisper dum manent in Ecclesia, nec continuis sceleribus aut defectione ab Ecclesia, declarant se nunquam vera in Christum fide præditos, aut Spiritu Christi donatos fuisse.

Deinde si propriè etiam accipi velit illas voces sanctificati, & iustificati estis: tamen non concludes omnes igitur & singulos Corinthios fuisse verè iustificatos & sanctificatos. Est enim Synecdoche: cùm id, quod vni tantum parti conuenit, toti corpori alicuius Ecclesiæ attribuitur: Sunt autem hæ Synecdochæ in Scripturis frequẽtissimæ. Quare, si quod dictum est Synecdochicè, propriè & simpliciter dictum esse interpreteris, admittis paralogismum figuræ dictionis: vel si, quod de toto dicitur propter considerationem vnius partis, illud de singulis partibus propriè dictum intelligas, admittis paralogismum, qui dicitur ὁ παρὰ τὸ ἁπλῶς, τὸ δὲ πῇ μὴ κυρίως. Cum hæc ita se habeant, non potest probari, ab iisdem, qui fuerunt in Ecclesia Corinthiorum verè iustificati & sanctificati, ea crimina quæ ab Apostolo in Ecclesia reprehenduntur, admissa fuisse: cùm ea ab hypocritis potius, quàm à veris sanctis inter Corinthios admitti potuerint. Quare nihil contra nostram doctrinam concludis: cùm ego de verè sanctis & iustificatis loquar: tu verò de simulatè & non verè sanctis concludas.

Quod ad alterum argumenti membrum attinet: crimina illa fuisse admissa Corinthi, non negamus: quia id Paulus ait: Sed ab vniuersis & singulis admissa fuisse, nemo dicit. Deinde, si quæ admissa sunt ab hypocritis, ea peccata vastantia conscientiam appelles, ac proinde propterea à fide etiam illa, & iustitia non vera, qua videbantur præditi esse, prorsus excidisse concludas, facilè dabo: ad hoc nihil concludit contra me qui de vera fide loquor. Si qua verò peccata à verè sanctis admissa fuerunt: illa nego propriè fuisse peccata vastantia conscientiam, id est, ex animo & plena voluntate contra conscientiam admissa. Hæc enim, vt antè demonstratum fuit, in verè sanctos non cadunt. Nam si fides non potest stare cum peccato vastante conscientiam, certè fidelis illud admittere, & in eo hærere non potest. Peccata quidem esse, quæ admittunt sancti, eáque nonnunquam grauissima, & aliquomodo contra conscientiam, ideóque aliquo etiam modo sanctos Spiritum sanctum & fidem excutere, id est, Spiritus & fidei feruorem suffocare: facilè do. Cæterùm, neque hoc facit contra meam conclusionem, quæ sic habet: Sanctos non posse penitus excidere à fide: nec Spiritus sanctus ignem prorsus in eis exstingui. vbi notandum, peccata non appellari vastantia, ab illorum actu: sed animo peccantis. Idem enim peccatum quòd ad actum attinet, admittit pius & impius: In impio erit peccatum propriè vastans conscientiam: in pio non ita. quamobrem? quia impius admittit illud plenè sciens & volens, ex animo, & plena voluntate, quatenus peccatum istud omnino vult, amat, & nullo modo detestatur, nec admissum debet, nec illo liberari cupit: Pius verò illud admittit non plenè sciens & volens, seu non ex animo neque plena voluntate. Sed, licèt partim illud velit, partim etiam non vult: & licèt partim agat, partim etiam non agit: odit verò & detestatur, & illo cupit liberari; & (vt inquit Bucerus in 12. Matth. fol. 308.) electi non peccant vnquam, nisi ex ignorantia. Item, senties semper, inquit, in electis quoddam

,, semen Dei,& veritatis studium: etiam tum, cùm verita-
,, tem oppugnant: aut certè cum illa pugnautem vitam de-
,, gunt. Item in multis, inquit, perditè etiam viuentibus vi-
,, deas latentem quendam iusti rectique amorem (& hoc
,, ante cognitam veritatem) vbi verò, inquit, veritatem re-
,, ceperunt, quidquid peccant, inde peccant, quod per cupi-
,, ditates carnis auelluntur, vt cognitæ veritati non inten-
,, dant: eò autem nunquam prolabuntur, vt veritatem ode-
,, rint & infectentur: sed mox potiùs illius amore, quod pec-
,, carunt, incipiunt magnopere odisse & detestari. Hæc ille.
Quia igitur sancti nunquam peccant ex animo, & plena voluntate: propterea concludimus etiam eos nunquam plenè seu penitus à fide, aut a Christo excidere, aut Spiritum regenerationis prorsus amittere.

Alterum exemplum, exemplum est vnius Corinthij, qui sua nouerca tanquam propria vxore abutebatur. Argumentum tale est. Hic Corinthius, primo fuit iustificatus, fide vera donatus: deinde admisit peccatum contra conscientiam. Ergo à fide excidit. Respondeo. Fieri nequit, vt vtrumque membrum antecedentis verum fit. Nam si fuit vere iustificatus: ergo non admisit propriè peccatum contra conscientiam. Tale autem peccatum illud esse intelligimus, quod ex destinata admittitur malitia, vt sæpe dictum est. Si vero admisit, non fuerat igitur antea vere iustificatus, & vera fide præditus. Fides enim cum peccato tali stare non potest: eóque nec à verè fideli admitti.

Tertium, est Adami exemplum: ad quod speciali opus est responsione. Exemplo primorum parentum, nihil concluditur contra meam thesin de Perseuerantia Sanctorum in fide, propter promissionem Dei, & efficacē Christi precationem: Ratio est: quia longè diuersa ratio fuit illorum, atque est nostrorum Sanctorum: tum quod attinet ad naturam, in qua illi fuerunt ante peccatum: tum quod attinet ad gratiam quam illi in sui creatione acceperunt, & qua nos in nostri regeneratione donamur: tum etiam quod attinet ad peccatum, quod illi admiserunt, & in quæ nostri sancti labuntur. Illis enim natura erat integra, sine tenebris in mente: & sine prauis affectibus in corde. Nobis, etiam renatis, natura manet magna ex parte corrupta, cum multis tenebris in mente, & malis affectibus in corde. Proinde illi vere liberi ad peccandum & non peccandum: nos verò etiam renati, non ita: Sed, vt Rom. 7. docetur, Venundati adhuc sumus sub peccatum; ita, vt, quod nolimus, agamus. Proinde illorum etiam peccatum, fuit grauius peccatis Sanctorum. Gratia etiam est diuersa, quia licet illi fuerint in ea creati, nos autem per eam regenerati: gratia tamen, qua nostri sancti donantur, maior est illa quam accepit Adam, vt Augustinus contendit, Tom. 7. de Correct. & Grat. c. 11. 12. quia ille accepit gratiā qua potuisset, si voluisset, perseuerare, sed nō accepit, qua vellet, Sanctis verò nostris, datur illa, qua velint & ideo etiam qua possint perseuerare. Deinde habemus in conclusione, propter promissionem Dei, Promissio autem de perseuerantia non fuerat facta Adamo, sed nobis: Hier. 32. Timorem meum dabo in cor eorum, vt non recedant à me. Igitur diuersa ratio illorum, & nostri.

Postremò, non facilè dandum esse censeo, illos tota voluntate & animo peccasse. Nam de Eua ait Paulus eam fuisse seductam: Adam quoq. impulsus ab vxore fuit: nam dixit, Mulier quām dedisti mihi, dedit mihi de ligno. Ideo ipse etiam PHILIPPVS MELANCHTON in Epistola ad Corinth. 1. c. 10. ponit peccatum Adami, inter peccata eorum, qui ab humana tentatione tentantur, & qui retinent exercitia pœnitētiæ & inuocationis, timorem Dei & fidem, & ait: primos parentes aliunde impulsos peccasse: Satanam vero suo superbo consilio & arbitrio Deū contempsisse. Proinde Adamū à gratia Dei prorsus excidisse, neque probari potest, neque concedendum est. Angeli qui in veritate nō steterūt: ij à gratia prorsus excidisse propriè dicuntur: at non ita Adamus. Mox enim post peccatū resipuit. Nam quòd Doctor quidam istud probare conatur à pœna, quæ illius peccatum consecuta est nihil agit. Probat quidem illum peccasse, & quidem grauissimè propter quod peccatum reus fuit factus æternæ mortis & iræ Dei: sed illum à Gratia prorsus excidisse, minimè probat. Nam Deus suos etiam reliquos electos, cùm peccant, grauiter punit. Deinde etiam fatemur, Sanctos, cum peccant, ita grauiter Deum offendere, vt rei fiant æternæ mortis, & fidei Spiritúsq. feruorem amittant. Sed quòd prorsus à gratia Dei & à fide excidant, inde probari non potest: quemadmodum Sanctorum peccatis neque promissio Dei irrita, neque intercessio Christi inefficax fieri potest. Exemplo igitur Adami nihil contra nostram thesin probatur. In aliis exemplis refutandis non immorabor: quia nihil concludunt. Primò supponunt eos, quorum exempla afferūt fuisse verè iustificatos & renatos: Sed quomodo id de singulis probare possunt? De vniuersis filiis Israel probant, quia fuerunt circumcisi: deinde à Patribus in doctrina instituti. Quasi verò non sint multi circuncisi in carne, at non in Spiritu: & multi instituti in doctrina pietatis qui tamen nullam habent pietatem.

De Salomone probant, quia typum gessit Christi: quasi verò necesse sit, vt omnis, qui fuit typus Christi, fuerit etiam verè iustificatus. Item probant inde, quia Salomon dilectus Dei in Scripturis dicitur: quasi non potuerit appellari dilectus Dei propter singularia dona, quibus eum exornauerat Dominus, sine tamen Spiritu adoptionis sancto. Horum porrò recitatis flagitiis, inferunt, eos promeritos fuisse iram Dei, & mortem æternam: quis negat? Item amisisse fidem, & Spiritum sanctum. Si aliquo modo, concedo: si prorsus, nego: idque propter rationes superius à me allatas. Neque hic de Salomone, an tandem resipuerit, necne, disputo: sed tantùm ad argumenta mihi obiecta respondeo.

Quod attinet ad exemplum Saulis Regis Israel: tria de eo asseuerant: Primùm habuisse Spiritum sanctum, & id probant, tum quia fuit vnctus Domini, tum, quia Scriptura dicit, eum fuisse mutatum in alium virum, tum, quia vir fuit præclarissimis virtutibus ornatus. Deinde aiunt, eum amisisse Spiritum sanctum, quia Scriptura ait, Recessit ab eo Spiritus Domini: Postremo subdunt, eum amisso Spiritu sancto ruisse in extremum exitium.

Respondeo: si nomine Spiritus sancti, intelligunt dona quædam Spiritus sancti, vt spiritum Prophetiæ, fortitudinis, non autem spiritum iustitiæ, fidei & regenerationis assentior. Sic etiam, vt veteres omittam, interpretatur Brentius spiritum Dominj in Saule fuisse spiritum Prophetiæ, non autem spiritum iustitiæ, & mutatum in virum alium, id est, ex rudi, indocto, stupido, asinario, in Prophetam egregium, doctum, excelsi animi: idque in virtute spiritus diuini: tales enim fieri homines, quales sunt operationes spiritus: & tunc recessisse ab eo spiritum Domini, cùm dona hæc spiritus amisit. Cæterum hoc nihil cōcludit aduersus me: quia loquor de iis, qui spiritu adoptionis & regenerationis præditi sunt. Si verò intelligant nomine spiritus, ipsum spiritum regenerationis, seu spiritum sanctificantem & iustificantem: primùm, qualis est ista consecutio? fuit vnctus Domini: Ergo habuit Spiritum sanctum. quasi verò omnes Reges Israel (omnes enim fuerunt vncti Domini) habuerint spiritum regenerationis. Deinde, quomodo hoc dictum congruit cum postremo membro? vbi aiunt Saulem ruisse in extremum exitium. Si enim damnatus est, quomodo igitur fuerat verè iustificatus aut sanctificatus? cùm Paulus dicat Ro. 8. Quos iustificauit hos & glorificauit. Certe pugnat cum Scripturis: aliquem fuisse verè iustificatum, & renatum, deinde eundem ruere in exitium extremum, & non glorificari. Rectiùs BVGENHAGIVS in cap. 9. Epist. ad Rom. fol. 106. B. Videmus multos in speciem bonos damnatos esse, vt Saulem. Non fuit igitur Saul verè fidelis, & Spiritu regenerationis præditus: sed tantum in speciem bonus. Etiam PHILIPP. MELANCHTON in locis anni 1522. H Fidelis, inquit, videtur fuisse Saul: sed hypocrisin declarat euentus. Negat ergo, fuisse verè fidelem & iustificatum. Ac si ille non neget, negat Paulus, qui ait: Quos iustificauit hos & glorificauit. Negat Christus, qui ait: Qui credit in me, habet vitam æternam, & non venit in iudicium: sed trāsit de morte ad vitam. Saul non fuit glorificatus, nec habet vitam æternam, sed in extremum ruit exitium: non ergo fuit iustificatus, nec fuit verè fidelis, sed hypocrita.

Ad exemplum Dauidis quod attinet: primùm eum fuisse verè iustificatum, & vera in Deum fide præditum, etiam ante admissum adulterium & homicidium, concedo: Secundò, cum grauiter peccasse, & spiritum suum vulnerasse, ita vt ad salutem opus habuerit & noua peccati remissione, & Spiritus sui renouatione ac instauratione: etiam libenter do: sed quòd peccatum ex destinata malitia, totáque voluntate admiserit, ac proinde quòd vel à gratia Dei prorsus exciderit, vel totam penitus fidem & Spiritum sanctum amiserit, dare non possum, propter rationes superiùs à me allatas, & meecum sentiunt viri nostri etiam seculi doctissimi Bucerus in Psal. 1. (vt reliquos penè infinitos omittam) explicans ver. 1. pag. 4. edit. Basil. habet hanc obseruationem.

Porrò, inquit, obseruandum, quòd non ait vates, Beatus «
ille, qui nō fuerit impius, peccator, malitiosus: sed qui non «
habuerit cum his commercium: non fuerit secutus horum «
consi-

consilia, nec imitatus facta. Apud eos enim, qui beati esse ex lege Dei viuere possunt: (id est, apud electos, iustificatos, & vera fide præditos) semen Dei, & Spiritus bonus ita obtinet: vt peccare, id est toto animo praui & peruersi esse nequeant: id quod disertis verbis Iohannes in sua Epistola cap. 3. asseruit: quippe qui nati sint ex Deo. Cæterùm, quotidie delinquimus omnes: vt idem cōfitetur cap. 1. nec pauci identidem a malo præoccupati, consulta sceleratorum ad tempus sequuntur: vt Dauidi, Petro, & aliis vsu venit: quorum alter, explendæ voluptatis caussa, & adulterium & homicidium commisit: alter cupiditate vitæ eò adductus fuit, vt negaret seruatorem. At hæc in reproborum consiliis prima sunt: vt vitam corporis tuearis: eorum, quæ illud concupiscit, quo iure, quáque iniuria potiaris. Hæc Bucerus. Docet igitur, apud Dauidem semen Dei & Spiritum bonum ita obtinuisse, vt etiam, cùm admisit adulterium & homicidium, non toto animo peccarit, peruersúsque fuerit. Et notanda sunt illa postrema verba: At hæc in reproborum consiliis prima sunt: vt vitam corporis tueatur, & eorum, quæ illud concupiscit, quo iure, quaque iniuria potiaris. Docet enim hoc esse discrimen inter pios & impios. Impiis hoc est primum propositum, vt suam vitam tueantur, & suis concupiscentiis inseruiant: interim, si quid de Deo audiunt, quod non aduersetur suæ vitæ, & suis cupiditatibus, illud non recusant: sed tandem vbi sentiunt illud suis cupiditatibus repugnare, illud reiiciunt: vt est in parabola seminis apud Matthæum cap. 13. Contrà, piis primum propositum est, seruire Deo, & quærere eius gloriam legémque seruare: intereà si quid occurrat carni delectabile, fit sæpenumero, vt ita à concupiscentiis abripiantur, vt reclamante Spiritu, carni inseruiant: sed tamen primum propositum nunquam deponunt. & huic rei illud est argumento, quòd vbi deferbuerit feruor carnis, mox reuocati redeunt ad Deum. Idem de Dauide tradit in comment. in Epist. ad Rom. cap. 7. quæstione illa: Qui cohæreat, nos quod bonum est, velle, nec facere tamen: malum facere, & id nolle tamen: sed odisse: imò malum facere & non facere? Vtrumque enim Apostolus affirmat. Legatur tota illa quæstio: postea exemplis Dauidis, & Petri, rem sub oculos ponit: & de Dauide hæc habet verba: Dauid cum vidisset Batschaba, Caro agnouit propositum delectabile: inflammata est praua concupiscentia: legis cognitio in mente huic concupiscentiæ reclamabat, dictans, adulterium malum & facienti exitio esse. at contrà dictabat iudicium sensuum, hæc elegans mulier est: frui ea delectabile est. Hæc ratio sensuum nitebatur eo: Quæ oblectant, quærenda sunt: mentis à lege illustratæ, hoc, Quæ abominationi sunt Deo & fraudi proximo, exitiola & fugienda sunt. Vbi autem assumendum erat: Hanc vxorem proximi tui expetere modò, Deo abominationi est, & fraudi proximo: præualebat vis concupiscentiæ: & assumebatur sub altera propositione, Hac tam eleganti muliere frui, delectabile: huiusque consideratio, quòd oblectamento esset frui tali muliere, vi concupiscentiæ, quæ iam corpus omne incenderat, adeò præualuit, vt consideratio, quod Batschaba aliena vxor esset, ac ideò ne concupiscenda quidem, infirmaretur, cederétque furori concupiscentiæ: donec deferueret hic furor, & lex animo per Nathan restitueretur: tum restituta fuit Dauidi & huius consideratio: Nihil æquè exitiosum ac fugiendum esse, atque facere quod auersatur Deus, fraudique est proximo. Tum ergo nihil aliud quoque sensit, quàm offensam Dei, id est, mortem sempiternam, vt cumque ignem gehennæ. Ibi non solùm odium eius, quod fecerat, animum Dauidis subiit, sed & sui ipsius: id quod inter appetendum amplexus illicitos, ingerebatur quidem, sed illico pellebatur vi concupiscentiæ, quæ exardebat. Fecit itaque tum Dauid malum, quod detestabatur: cùm mente tamen consentiret legi: eóque cùm id non libero mentis iudicio fecisset, sed oppressa violenta cupiditate, non ipse vt homo, atque vt homo doctus legem Dei: sed peccatum fecit illud, quod inerat carni eius: deprauatum illud & perditum ingenium, quod contra Deum & omnia placita Dei fertur. Hinc factum est, vt fecerit & quod volebat, & quod nolebat, quod nolebat, non iam quidem, quando id faciebat: sed cùm adhuc staret consideratio legis diuinæ, cúmque ea testimonia fuit: quod volebat, cùm iam actu concluderet, & statueret de obiecta muliere. Hæc Bucerus.

Idem tradit, & eadem ferè verba habet in libro de vera Ecclesia reconcil. artic. de iustificat. onc. fol. 132. postquam enim multa verba fecisset fol. 131. de imbecillitate vitæ & veræ fidei, & vnde illa sit, & quòd omnis & vitæ virtutis imbecillitas atque debilitatio ex infirmitate fidei proficiscitur: posteà rem sub oculos ponens, exemplum adfert Dauidis, cum admisit adulterium, & habet hæc verba fol. 131. Sæpe autem homines & intelligunt, quæ dicuntur, & non dubitant ea esse verba Dei: & tamen infirmè illis assentiuntur: ægréque, dum amplectenda sunt quæ grata habentur Deo, & respuenda, quæ videntur carni iucunda vel commoda, eis inhærent. id eadem ratione accidit, qua peccatur contra fidem atque recti sententiam: quam rationem Aristoteles disputans de continente, & incontinente exponit in 4. Eth. ad Nicom. Dum enim contra id, quod fides præcipit, homo fide donatus peccat: id fit: aut quia verba Dei tum cùm agendum est, vel non tenet, vel non intuetur, nec scientiam eorum exercet: aut quia, tametsi cognitionem verbi Dei tum exerceat, & cogitet quid illud iubeat, exerceat tamen eam in rebus vniuersis tantùm, non in singulis: & iis ipsis, de quibus tum statuendum aliquid sit, quæque nunc arripiendæ vel reiiciendæ sint: aut denique, quia, si quod verbum Dei præcipit, consideret etiam in re singulari, facit id tamen non rectè compos sui, propter vehementiorem cupiditatem, subortam vel iudicio sensuum, vel carnali ratiocinatione mentis, quæ animum à recta sententia verbi Dei, quam mente tenet, ac etiam ore eloquitur, & quidem in re singulari, quæ actioni proposita est, detorquet & abripit. Exempli gratia: Dauid fidem in Deum habuit & scientiam verbi eius admodum excellentem: at cùm conspectu Batschabæ commotus, de committendo cum illa adulterio cogitabat: vel ea qua pollebat verbi Dei cognitione, id est, fide sua non est vsus, eámque non exercuit, cogitando, quid illa iuberet: sed statim cupiditate correptus, tantùm vt libidini satisfaceret suæ, cogitauit: (quod tamen viro diuino haud probabiliter tribuemus) aut certè, quod verisimilius est, fide sua tum vtebatur, & ex ea cogitauit, adulterium à Deo vetitum, & ob id summè noxium esse: sed hoc (quandoquidem libidini suæ contra fidem suam consecutus est) cogitauit tantùm in vniuersali, non etiam in re singulari, quæ tum obiecta erat: vt malum est rem habere cum hac Batschaba, vxore Vriæ. Duæ enim propositiones animo eius obuersabantur, altera obiecta à fide, aliena vxore abstinendùm est; altera suffusa à libidine, aspectu Batschabæ accensa, oblectare se pulchra muliere suaue est; ille verò in particula assumsit sub posteriori, (priore interim in languida mentis cogitatione suspensa & sensim affluente.) Hæc Batschaba elegans mulier est. secuta itaque ex hac altera propositione, quam animo iniecerat libido, conclusio est: Ergo Batschaba accersenda est: id quod fecit. Vel si fides eius se vsque ad ipsam obiectam mulierem sustinuit, vimque suam eò vsque explicauit, vt cogitaret, hæc mulier alii nupta est, & quidem fideli tuo ministro, vnde & conclusionem sequi oportuerit. Non igitur accersenda est: ita tamen occupatus, & sibi ereptus fuit, peruersa & violenta cupiditate, quia nimirum iam flagrare cœperat vt & assumtionem istam, Hæc mulier aliena est, & conclusionem, non ergo accersenda est; tanquam dormiens, vel ebrius, vel alias mente captus, cogitarit. Non igitur fidei Syllogismus in eo efficax fuit; sed contrarius, quem suggessit libido. Itaque accersiuit Batschaba & stuprauit. Hæc ille. Mox in fol. 133. docet, omnia in credentibus peccata ab infirmitate fidei proficisci. Semper autem dum hic viuimus, imbecillem esse fidem; hinc igitur fieri, vt, dum viuimus, peccemus.

In Psal. autem 51. exponens vers. 12. 13. 14. Cor mundum crea in me Deus: declarat, quomodo per peccata Spiritus feruor & viuor langueat in Dauide, & ita omnibus renatis. Quanquam, inquit, in omnibus hominibus, dum peccatum obtinet, repressus est omnis boni Spiritus vigor & alacritas, stupet mens: languet animus, iacet omnis actio, sed & ipsum caput inerti grauedine torpet. Hæc indubiè per annum illum, quo quasi stupuerat impœnitens Dauid, probè fuerat expertus, tum primum rectè sentiebat atque cognoscebat: cum excitata, Nathan admonitione, pœnitudine, peccatum suos aculeos expedierat, idque se exhibebat, quod est mortis scilicet & aculeum & tormentum æternum enecans. Hæc ille.

Vbi notandum, quòd non ait. Spiritus exstinctus est, sed repressus est omnis boni Spiritus vigor & alacritas. Item de Dauide non ait, quod restituta illi fuerit fides, & pœnitudo ad admonitionem Prophetæ: sed ait excitatam fuisse pœnitudinem, ideóque & fidem: nam sine fide non est pœnitentia. Docet igitur, ibi fuisse, in latebris cordis Dauidis relictum semen fidei & pœnitudinis, tanquā ignē sub cineribus: & flante Spiritu sancto, per verba Prophe-

tæ, adiectisque Sacramentis, ignem fidei & pœnitudinis iterum excitatum & accensum fuisse.

Musculus etiam in eundem Psalmum ita interpretatur: Istis donis, inquit, Spiritus, fuerat ante hunc lapsum præditus: verum sentiebat se illis plurimùm (notandum quòd non ait penitus: sed plurimùm) destitutum post tam grauia peccata. Nam solet ita vsuuenire iis, qui voluptatibus carnis aliquo vsque morem gerunt: vt nonnihil (notandum illud nonnihil) obbrutescant: Spiritúsque feruorem, (non ait totum ignem, sed feruorem) sanctitatem, rectitudinem & liberalitatem amittant: vt intelligant ad se reuersi, nihil esse se, nisi ipsissimam corruptionem & vanitatē: detractúmque plurimùm (nota illud plurimùm) à pristinis donis. & hoc est quod Propheta hic innouationem Spiritûs recti, permissionem Spiritus sancti, fulcimentum Spiritus voluntarij petit. Hæc ille. Et certè fœde hallucinantur, qui ex eo, quod Dauid dicit: Cor mundum crea in me Deus: arguunt, in Dauide ergo tum nihil fuisse fidei per quam mundantur corda. Nam si fuisset omnino destitutus fide: quomodo potuisset Deum inuocare & dicere, Cor mundum crea in me Deus: cùm nemo possit Deum inuocare sine fide, Rom. 10. & nemo possit ex animo petere, vt mundum habeat cor: nisi iam aliquo modo, & ex parte mundum habeat cor? Hoc est etiam quod ait LVTHERVS in eundem Psalmum explicans vers. 8. Incerta & occulta sapientiæ tuæ. Nascitur autem, inquit, inde quæstio: cùm hanc absconditam sapientiam iam antea habeat, cur petat? Nam qui potest canere, Tibi solùm pecco, Tu autem solus iustus es: iste profectò hanc mundo absconditam sapientiam iam habet & nouit. Cur igitur petit? Respondet eum petere augmentum & conseruationem huius sapientiæ, & ita fecit, cùm dixit. Cor mundum crea in me Deus. Quasi dicat: O Deus, tu cœpisti creare in me cor mundum: continua tuam operationem. Quod dico, apparet ex sequentibus: Et Spiritum rectum innoua in visceribus meis. notādum illud innoua: Et Spiritum sanctum ne auferas à me. Ergo ibi iam aderat: sed petit conseruari. Lutherus in eundem Psal. exponens vers. 12. Homini, inquit, in Sophistica Theologia instituto, absurdum videtur, quòd tam sanctus Propheta clamat pro donis Spiritus sancti, ac si nulla haberet: sed nos tùm experientia, tum talibus exemplis edocti, scimus quòd nemo potest petere gratiam, nisi iustificatus: item quòd nemo possit petere dona Spiritus, nisi sanctificatus. Quia enim primitias acceperunt Spiritus tales: ideò cupiunt & aspirant ad decimas quoque accipiendas: Hæc Luth. Ex eo igitur quod ait, Cor mundum crea in me Deus, concludi non debet, omni planè Spiritu sancto & omni fide destitutum fuisse: imò contrà sequitur, Dauidem igitur tum fide & Spiritu S. præditum fuisse. Idem Lutherus in Postill. pag. 308. explicans illa verba, Bona arbor non potest malos fructus ferre, docet, Christianos verè pios, esse bonas arbores: Non posse igitur malos fructus ferre. Cæterùm: quia non sumus adhuc in vita plenè & perfectè boni: illud non esse sic accipiendum, quasi sancti non possint cadere, id est, peccare, eos enim etiam cadere: sed non inde tamen sequi eos esse malas arbores. Et exemplum Dauidis affert: Dauid item, inquit, bona arbor erat, & casum patiebatur tamen: sed ideo mala non erat arbor. Quòd igitur etiam sanctis tale quid contingat, quod etiam Dauidi (cùm scilicet peccauit) non debere nos turbari. Iccirco enim, inquit, hæc accidere Deus sinit, quod sancti etiam eius cadant & impingant: quò fides illorum exinde solidior auctiórque fiat, ac ipsi suam infirmitatem agnoscant. Non ait Lutherus, Deum sinere sanctos cadere, quò eis postea denuo restituatur fides: sed quò fides illorum, nempe illa quæ antea imbecilla erat, exinde solidior auctiórque fiat. Docet igitur, fidem neque Dauidem, cum peccauit, prorsus defecisse, ita vt ex bona arbore, factus fuerit mala arbor: neque reliquos sanctos, cum peccant, penitus deficere. Interim tamen neque ipse Lutherus, neque ego negamus, sicut Dauid, sicut reliquos sanctos opus habere resipiscentia, noua peccatorum admissorum remissione & Spiritus renouatione, ita vt omnes dicant cum Dauide: Miserere mei Deus: item, Cor mundum crea in me Deus, & Spiritum innoua in visceribus meis. Quis non videat, quod docuit quidam discipulus Lutheri & Buceri de Dauide, illud pugnare cum doctrina suorum præceptorum? Quid Philippus ipse? Philippus in ea verba Apostoli: Tentatio vos non apprehendit, nisi humana, ponit duas tentationes: Humanam & Diabolicam, & definit tentationem Diabolicam esse, cùm Satan in cor ingreditur, & rapit ex corde verbum Dei, & hos ait superari à Diabolo, humanam verò, esse dubitationem, errorem, vel lapsum ab humana infirmitate ortum, & hos non vult superari à Satana, & Dauidem ponit inter eos, qui tentantur humana tentatione: Saulem vero inter eos, qui tentantur Diabolica. Sic igitur arguo ex dictis D. Philippi. Illis tantū eripitur verbū Dei è cordibus, ideóque prorsus à fide excidunt, qui tentantur tentatione Diabolica. Atqui Dauid non fuit tentatus tentatione Diabolica. Ergo non fuit illi ereptum verbum Dei, ac proinde nec à fide excidit. Idem Philippus ait: duas semper in Ecclesia esse partes. vnam, quæ quanquam infirma est (& ideò ex infirmitate peccet, humana scilicet tentatione tentata,) tamen habet exercitia pœnitentiæ & inuocationis: & retinet timorem Dei & fidem: de qua parte dicitur, Habenti dabitur, alteram, quæ est secura, sine exercitiis pœnitentiæ & inuocationis, & in hac ponit Saulem, & consequenter ab hac excludit Dauidem. Et quanquam D. Philip. non nominat electos & reprobos, re ipsa tamen hæc Philippi distinctio, est distinctio Electorum & reproborum. Lege quæ de Dauide scribit Musculus in Ioh. 8. fol. 73. Quid sit facere peccatum. Dauid peccauit quidem, sed nunquam fecit peccatum, sicut colligitur ex verbis eius Psal. 119. In toto corde meo exquisiui te, in corde meo abscondi eloquia tua, vt non peccem tibi, concupiuit anima in ea desiderare iustificationes tuas in omni tempore, hoc est, anima mea semper affecta fuit desiderio faciendi iustificationes tuas, seu mandata tua. Ergo nunquam ex animo peccauit, quia hæc pugnant, perpetuò affici desiderio faciendi mandata: & ex animo peccare. Viam veritatis elegi. Iudicia tua non sum oblitus, Adhæsi testimoniis tuis Domine. Prolixè quidem ad hoc exemplum Dauidis respondi, sed iccirco id feci, quia responsio hæc, ad argumentum quoque ab exemplo Petri ductum, pertinet.

Petrus, inquiunt non ore tantùm, sed etiam toto corde Christum abnegauit: item toto pectore abhorrebat à Christo. Ergo amisit fidem.

Respondeo. Antecedens negatur, & contendo, sicut etiam de Dauide ostendi, Petrum non negasse Christum ex animo, ideóque non plena voluntate peccasse. Ratio, quia tale peccatum, in hominem verè fidelem & sanctum cadere non potest: vt suprà ostensum est è Scripturis, ex doctrina Protestantium, & ex variis Buceri locis. Nunc alia etiam tum ipsius Buceri, tum aliorum testimonia superioribus addo. Bucerus hoc speciale Petri peccatum tractans in Epist. ad Rom. cap. 7. pag. 325 contendit, Petrum cùm negauit Christum, voluisse & noluisse negare. ideóque non plena voluntate peccasse, sicut etiam de Dauide concluserat. Postea in genere de piis omnibus ait, sic miserè destructi deprauatione originis sumus, vt in cōsideratione veri rectique consistere non possimus, acti transuersum à turbulentis & peruersis cupiditatibus, nisi nos illuminet & teneat in contemplatione veritatis Spiritus Christi, hic certis datur portionibus. Eandem doctrinam tradit in lib. de vera Reformand. Eccles. ratio. fol. 1:2. & exemplo alius peccati Petri, de quo Gal. 3. explicat. Postea generalem inde doctrinam colligens, ait, idem vsuvenit omnibus, qui vel aliquid contra fidem suam admittunt, vel fidem suam non satis explicant, siue contemptu periculorum, quæ pro Christo subeunda incidunt, siue alacri beneficiorum Dei exspectatione, dum angustæ res sunt, vel aduersæ, siue in reprimendis prauis cupiditatibus & exercendis grauiter officiis pietatis. Aut enim hi scientia verbi Dei non vtuntur, aut vtuntur, aut non vtuntur in rebus singulis, aut si vtuntur etiam in rebus singulis, faciunt id ceu dormientes & ebrii, vel mēte capti, abstracti scilicet aduersariis verbo Dei perturbationibus. Itaque quicquid peccatur ab iis qui fide in Christum præditi sunt, peccatur imbecillitate fidei, quod illa cognitionem assensiúmque verbi Dei non satis, cum incidit de agendo deliberatio, sustinet, explicat & exercet. Vnde intelligitur, quia nunquam absque peccato viuimus, fidem nos nunquam satis firmatam atque corroboratam esse. Ex parte enim cognoscentes, non videmus & consideramus satis quid Deus præcipiat, quid vetet, quid polliceatur, quid minetur, ac ideo semper orandum nobis cum Apostolis ad Dominum, adauge nobis fidem. sicut enim illi, ne satis promptè remitterēt fratribus offensas, imbecillitatem fidei, in caussa esse senserunt, ita hæc vna caussa est omnis & neglecti officij & contra officium admissi peccati. Tunc enim (canit Psal.) nullo peccati lapsu pudefiā, cùm intuitus fuero omnia præcepta tua, & recondidi in corde meo verba tua, ne peccem tibi. Hæc ergo generalis fidei infirmitas est, non defixam semper habere in verbo Dei mentem, & ex illo de rebus omnibus constanter statuere.

Illud

[ill]ud cum morbus & vitium fidei est, si insincera sit intelli- gentia verbi Dei: quale erat, attendere Iudaicis fabulis, & præceptis hominum auersantium veritatem: de quo Paulus iubebat Titum, suum Cretenses seuerè reprehendere, vt essent sani in fide, hoc est, sanis fidei sermonibus, sanæ sinceræque doctrinæ firmiter inhærerent, ad nulla hominum aduersa fidei, sanæque doctrinæ commẽtade flectentes. Hæc ille.

And. Althamer, vnus ex præcipuis Lutheri discipulis, in libro, cui titulus est, Conciliationes locorum Scripturæ, eandem tradit doctrinam: pios scilicet non peccare ex animo, seu plena voluntate. Conciliatione 3. concilians locum Psal. Perdes omnes, qui loquuntur mendacium, cum exemplo Abrahæ Genes. 12. Abraham mẽtitus est, & non periit, ait: Quòd verò Abraham atque multi sanctorum hoc discrimine mendacij deprehensi non perierunt, hæc subest ratio: quod Dominus non imputauerit illis peccatum, nec illi hoc admiserint malitia animi & peccandi voluptate, sed conseruandæ suæ & aliorum vitæ gratia: & adfert aliquot sanctorum mendacia. Tale autem etiam fuit Petri mendacium, cum negauit se agnoscere Christum. Id enim tantum fecit conseruandæ suæ vitæ gratia, non ergo animo peccãdi, nec animi malitia negauit. Hic dicit non imputari peccatum, quia Dominus exploratum habet cor nostrum, quo animo faciamus mala: & diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. At perdere solet, inquit, qui prauitati student, & cum animi voluptate mentiuntur. Hæc ille.

Lamb. Auenionẽs. Lutheri discipulus, & collega Buceri, in farragine Locorum commun. cap. 1. paradox. 20. idem docet. Quamuis electi multoties aberrent (omnes enim dicunt illud Psalm. 118. Erraui sicut ouis, quæ periit) nunquam tamen in errorem inducuntur: quia nunquam illi toto corde acquiescunt, nec eo dispereunt. sic cum errãt, vt semper dicant, Paratum cor meum Deus: Paratum cor meum. Hæc ille.

Gregorius 1. Tom. 1. in Iob cap. 34. lib. 25. cap. 11. colum 841. speciatim de peccato Petri loquens, ait: Sciendum quippe est: quod peccatum tribus modis committitur. Nam aut ignorantia, aut infirmitate, aut studio perpetratur: & grauius quidem infirmitate, quàm ignorantia: sed multò grauius studio, quàm infirmitate peccatur. Ignorantia Paulus peccauerat, ideo dicebat, qui prius fui blasphemus & persecutor & contumeliosus: sed misericordiam consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate. Petrus verò infirmitate peccauit, quando in eo omne robur fidei, quod Domino perhibuit, vna vox puellæ concussit: & Deum, quem corde tenuit, voce denegauit. Sed quia infirmitatis culpa vel ignorantiæ eò facilius tergitur, quò non ex studio perpetratur: Paulus quæ ignorauit, sciendo correxit: & Petrus motam & quasi arescentem iam radicem fidei, lacrymis rigando solidauit. Ex industria verò peccarunt ij, de quibus ipse per se Magister dicebat: Si non venissem, & locutus non fuissem eis, peccatum non haberent. nunc autem excusationem non habent de peccato suo. & paulò post: Et viderunt & oderunt me, & Patrem meum. Aliud est enim bona non facere, aliud bonorum odisse Doctorem: sicut aliud est præcipitatione, aut deliberatione peccare. Sæpe enim peccatum præcipitatione committitur, quod tamen consilio & deliberatione damnatur. Ex infirmitate enim plerumque solet accidere, amare bonum, sed implere non posse. Ex studio verò peccare, est bonum nec facere nec amare. Hæc ille. Fidei ergo robur fuit concussum (vt etiam Tertullianus loquitur) sed non excussum aut extinctum. Item: mota quidem fuit fides Petri, sed non amota: item cœpit quidem arescere, sed non exaruit. item ore quidem negauit Deum, sed corde eum tenuit. Idem D. Gregorius Tom. 2. in Ezech. homil. 15. colum 218. de Petro loquens, ait, illum, cùm negauit Christum, fuisse ceu herbam, cuius viriditas erat in mente: quamuis ipsa herba, valde flexibilis, pede conculcaretur timoris. Sic Gregorius: Non exsiccata igitur fuit tunc temeritate fides Petri, sed tantùm pede timoris conculcata. Manifestum ergo est ex iis locis, neque generatim vllũ verè pium, cùm peccat, tota voluntate peccare: neque speciatim ipsum Petrum, cùm Christum negauit, toto corde, seu plena voluntate, & ex animo negasse: quare neque penitus à fide excidisse. Dicere vero, Petrum à fide penitus excidisse, est dicere vel Christum fuisse mentitũm vel eius precationem fuisse inefficacem. vtrunque autem impium est dicere vel sentire. Nunquam ergo Petri fides prorsus defecit. Etenim Dominus Iesus, antequàm Petrus eum negasset, Petro dixit Luc. 22. Satan expetiuit vos, vt cribraret tanquam triticum: sed ego rogaui pro te Petre, vt ne deficiat fides tua. Verum autem dixit, ipsius etiam oratio fuit efficax & exaudita: impetrauit ergo ne deficeret, quare nũquam defecit. At quidam sic interpretantur dictum Christi: vt non deficiat finaliter. Etsi igitur ad tempus defecit fides Petri, quia tamen non defecit finaliter, iccirco dictum Christi non pugnare cum sua doctrina. Respon. Sed hæc interpretatio deprauatio est verborum Christi. Dixerat Christus: Simon Simon, ecce Satan expetiuit vos vt cribraret, seu vt ventilaret, sicut triticum, ἐγὼ δὲ ἐδεήθην περὶ σοῦ ἵνα μὴ ἐκλείπῃ ἡ πίστις σου. non dixit vt non deficeret finaliter: neque dixit, vt fides amissa iterum tibi restituatur: neque etiam simpliciter: ἵνα μὴ λείπῃ, sed ἐκλείπῃ. Hoc autem significat prorsus deficere, & illud prorsus, seu ἐκ in verbo ἐκλείπῃ, refertur non ad tempus, sed ad rem quæ deficit, quocunque id tempore fiat. Si enim prorsus deficiat vinum in cella, & si postea aliud vinum loco epoti reponatur, illud tamen primum defecisse prorsus dicitur. Cùm in nuptiis apud Ioh. totum vinum fuisset exhaustum, annon penitùs defecit? & tamen posteà Dominus aliud ex aqua factum restituit: dicendum ergo fuerit, si ita licet Scripturas interpretari, vinum non defecisse, quia finaliter non defecit: & tamen Scriptura ait, vinum defecisse. Locus Psal. quem Apostolus in Epist. ad Heb. citat, declarat, quæ sit huius verbi significatio: cùm ait cap. 1. Ipsi cœli peribunt, tu autem permanes: & omnes, vt vestimentum veterascent, ac velut amictum circumuolues eos, & mutabuntur, tu autem idem es, καὶ τὰ ἔτη σου οὐκ ἐκλείψουσι. Hoc verbum opponitur verbis præcedentibus, Peribunt. Veterascent. Mutabuntur: & respondet illis, tu autem permanes, tu autem idem es. Ergo deficere, significat mutari ab eo statu in quo erat, & mori, & non permanere. Sic in veteri Testamento LXX. interpretes habent idem verbum in eadem significatione sæpenumero. Genes. 25. de Abrahamo ait: καὶ ἐκλείπων ἀπέθανεν Ἀβραάμ. Quid igitur est, Rogaui pro te, ne deficiat fides tua: nisi, ne intermoriatur, ne extinguatur: sed eadem in te maneat & perseueret? Luna dicitur ἐκλείπειν cùm lumen eam deficit propter terræ inter ipsam & Solem è diametro oppositionem, tametsi postea eidem lumen suum restituatur. Pugnat ergo cum verbis Christi interpretatio per particulam finaliter.

Deinde pugnat cum aperto Christi sensu & mente. Hic enim dixit se orasse, nimirum pro ea re, quam antea promiserat. Matth. 16. cùm Petrus & suo & omnium Apostolorum nomine confessus fuisset fidem suam de Iesu, dixit Christus: Beatus es Simon: & super hanc petram, id est, fidem, quam confessus es, ædificabo Ecclesiam meam & portæ inferorum non præualebunt aduersus eam, scilicet non tam Ecclesiam, quàm fidem, nempe vt eam expugnent: sicut etiam Bucerus, & ante eum Lutherus Tom. 1. in Resolutionibus de primatu Papæ, exposuit. Quid igitur est, Rogaui pro te, ne deficiat fides tua, nisi etsi Satan cum suo exercitu oppugnabit vos, vt si possit, fidem vestram expugnet, tamen rogaui, & impetraui ne expugnet ita, vt penitus extinguatur, & ita ipse contra vos præualeat? Certè si Petrus prorsus amisit fidem, ergo Satan eam expugnauit, & portæ inferorum præualuerunt aduersus eam, etiamsi postea dicamus fuisse restitutam. Absit autem, vt dicamus fuisse expugnatos Apostolos, & contra illorum fidem præualuisse inferorum portas. Nam in Psal. Ecclesia & omnes fideles de se aiunt, Sæpe oppugnarunt me à iuuẽtute mea, at non potuerunt mihi, seu contra me. Nunquam ergo defecit fides Petri & Apostolorum.

Præterea si expositio illa admittatur, quòd fides defecerit, sed postea tandem restituta ei fuerit, consequitur, aliam igitur, à prima numero diuersam, Petro fuisse donatam primam verò defecisse. Si autem hoc demus, consequetur, vel Christi precationem fuisse inefficacem vel Christum malè locutum fuisse. ait enim, Rogaui pro te, ne deficiat fides tua: quæ? Illa ipsa, quam habes in me. pro hac enim orauit, ne deficeret. Atqui impiũ est dicere, vel Christi precationem non fuisse efficacem, vel Christum malè loquutum fuisse. Ergo sensus Christi est, Rogaui, ne deficiat fides, qua iam donatus es, sed perseueres in ea, & ab ea prorsus non excidas. Neque aliter interpretati sunt Patres. Tertullianus in lib. de fuga in persecutione, paulò post principium libr. pag. 540. Siquidem (inquit) Dominus in Euangelio ad Petrum, Ecce, inquit, postulauit Satanas vt discerneret vos velut frumentum: verùm ego rogaui pro te, ne deficeret fides tua, id est, ne tantum Diabolo permitteretur, vt fides periclita-

„ retur, quo vtrunque ostenditur apud Deum esse, concussionem fidei & protectionem. cum vtrumque à Deo petatur: concussio à Diabolo, protectio à Filio. Hæc ille. Notanda sunt illa tria verba: primum, ne periclitaretur. Tantum ergo abest, vt fides Petrum defecerit prorsus, vt neq; sit periclitata. Alterum, quod ait, concussionem fidei: concussa ergo fuit, sed non excussa. Tertium illud, quod ait Diabolum petiisse à Deo, vt concuteret fidem Apostolorum: & Filium rogasse Patrem, vt eam protegeret. Fides ergo Apostolorum fuit quidem concussa à Satana, sed protecta a Deo propter Filij intercessionem.

Augustinus vbique hoc dictum interpretatur de firma & constanti in fide perseuerantia vsque in finem. Tom.7. de Correct. & Gratia cap.6. colum. 1330. B. Quod ait Dominus Petro, Rogaui pro te ne deficiat fides tua: quid ei rogauit, nisi perseuerantiam vsque in finem? cap.7. colum. 1334. A. Quid molitur es contra verba dicentis, Rogaui pro te Petre, ne deficeret fides tua? an audebis dicere etiam rogante Christo, ne deficeret fides Petri, defecturam fuisse si Petrus eam deficere voluisset, hoc est, si eam vsque in finem perseuerare noluisset? Quasi aliud Petrus vllo modo vellet, quàm pro illo Christus rogasset, vt vellet? Nam quis ignorat tunc fuisse perituram fidem Petri, si ea quæ fidelis erat voluntas ipsa deficeret: & permansuram, si eadem voluntas maneret? sed quia præparatur voluntas à Deo, ideo pro illo non posset esse inanis oratio. Quando rogauit ergo ne fides eius deficeret, quid aliud rogauit, nisi vt haberet in fide liberrimam, fortissimam, inuictissimam, perseuerantissimam voluntatem? Deinde subdit id, quod ad omnes fideles pertinet, dicens, Voluntas quippe humana non libertate consequitur gratiam: sed gratia potius libertatem, & vt perseueret, delectabilem perpetuitatem, & insuperabilem fortitudinem. Tantum Augustinus. Habemus interpretationem duorum Africanorum Doctorum, Tertulliani & Augustini: audiamus etiam interpretationem doctorum Græcorum.

Chrysostomus Tom.2. in Matt. cap. 26 homil.88. colum. 608 A. docet, Christum ex professo permisisse Petrum in tale facinus labi, vt alia quædam interna peccata, vt arrogantia, & pertinax contradicendi durities, ex corde eius conuellerentur: pro Petro vero rogasse, ne eius fides euanesceret. Quomodo igitur (in quit) negauit? non dixit quippe, non negabis, sed vt non deficiat fides tua. Cura enim ipsius atque fauore factum est, „ ne omnino Petri fides euanesceret (notetur illud euanesceret.) Ingens enim pauor eum inualerat: & ingens ideo, quoniam diuina protectione valde fuit denudatus. Quod porro factum est propter arrogantiam & contradicendi pertinaciam duritiem. ita quoniam & Christo, & Prophetæ (Zachar. percutiam pastorem & dispergentur oues gregis) apertissimè repugnauit. in eum terrorem deuenire permisit, vt radicitus ab eo illæ passiones euellerentur. Hæc Chrysostomus. Ergo illud, ne deficiat fides, iuxta Chrysostomum, non est (vt quidam interpretantur) ne deficiat finaliter, sed ne euanescat, hoc est, ne penitus in Petro exstinguatur. Non ergo fuit penitus exstincta, seu non euanuit, nec penitus defecit.

Theophylactus elegantissimè eundem sensum expressit, in Luc. 22. ἐδεήθην οὖν, φησὶν, ἵνα μὴ ἐκλείπῃ ἡ πίστις σου. εἰ γὰρ καὶ πρὸς μικρὸν μέλλεις σαλευθῆναι, ἀλλ᾽ ἔχεις ἀποκείμενα τὰ σπέρματα τῆς πίστεως. κἂν τὰ φύλλα ἔρριψε τὸ πνεῦμα τοῦ πειράζοντος, ἀλλ᾽ ἡ ῥίζα ζῇ, καὶ οὐκ ἐκλείψει ἡ πίστις σου. hoc est, Rogaui ergo, inquit, vt non deficiat fides tua. Etsi enim ad modicum tempus concutiendus es: habes tamen imposita fidei semina: Etsi folia deiiciat Spiritus (seu ventus) tentatoris: tamen radix viuit, & non deficiet fides tua. Quid clarius? quid elegantius? Nunc adde testimonium etiam Gregorij primi, quod paulo antè citaui ex Tom. 1. in Iobi cap. 34. colum. 841. Adde & testimonium Leonis Pontificis 1. in sermone de passione Domini: qui de fide Petri idem planè concludit. Manifestum ergo est, Petri fidem nunquam prorsus defecisse: tum quia tale peccatum, per quod solum fides excutitur, nunquam admisit: tum propter testimonium Domini apertum Luc. 22. Rogaui pro te Petre, ne deficiat fides tua: idque orthodoxe iuxta aliquot etiam Patres intellectum: ad quod accedunt tum testimonia veterum Patrum, tum etiam recentiorum Doctorum, atque in primis Buceri. Fatentur autem Antagonistæ, dictum illud: Rogaui pro te Petre, ne deficiat fides tua non solùm de Petro, & reliquis Apostolis, sed de vniuersa Ecclesia & singulis veris Ecclesiæ membris, sicut etiam Augustinus interpretatur, esse intelligendum. Hoc autem dicto Dominus indicauit, se orasse, ne deficiat fides Petri, & eorum omnium, qui sunt ædificati super Petram, quæ est Christus. Ergo conclusum cùm sit, Petri fidem nunquam defecisse propter Christi precationem: concluditur neque cuiuspiam veri fidelis fidem aliquando prorsus deficere posse, propter eãdem Christi intercessionem.

His addo duo loca Lutheri ex Tom.5. cap 17. Ioh. Primus « est in fol. 195. facie prima circa medium: Qui Christo adhæresit, abunde habet gratiæ, nec perire potest, etiamsi carnis imbecillitate adductus, lapsus fuerit: sicut sancto Petro accidit, dum modò verbum non contemnat, sicut Spiritus fanatici. Duo docet his verbis: Primò Petrum non peccasse ex animo, seu tota voluntate, sed ex infirmitate, in peccatũ illud fuisse lapsum: deinde Petrum, etiam cùm lapsus est à Christo tamen non defecisse, sed illi adhæsisse, quia verbum Dei non contemsit.

Alter locus est fol. 197. facie altera ad calcem, vbi sic ait: « Rogat Christus penes rectam fidem maneant inque ea proficiant, ac pergant, neque ab ea desciscant. Deinde ait in eodem capite, orationem hanc Christi fuisse exauditam. Consequitur ergo necessario, neque Petrum, neque vllum vere Christianum a fide vnquam defecisse, aut deficere posse, propter precationem Christi, vt nos habemus in nostra Thesi. Pomer in epist. ad Rom. cap. 8. exponens illa verba. Quis nos separabit à charitate Dei? ait, se hoc dictum malle de dilectione Dei erga nos, quàm de nostra erga Deum interpretari. Nam (inquit) nostra dilectio sæpenumero fluctuat, vti Dauidis & Petri Apostoli Docet igitur, cum peccauit Petrus, illius dilectionem erga Christum & Deum, non penitus fuisse submersam, sed tantum fluctuasse. Charitas autem non est sine fide. Ergo fides non defecit prorsus Apostolum Petrum, cùm Christum negauit. Huius autem infirmatæ, sed non penitus exstinctæ fidei Petri typus fuit illud quod legitur Matth. 14. cùm Petrus supra mare ad Iesum veniret: vbi vidisset ventum validum, territus cœpit demergi, sed mox Christus eum, antequam submergeretur, extensa manu subleuauit, dicens, ὀλιγόπιστε. hoc est modica fide prædite, quare dubitasti? non ait fuisse submersum, sed cœpisse mergi: neque Christus dixit, ἄπιστε, sed ὀλιγόπιστε. De hoc etiã Petri peccato, quod scilicet ex infirmitate, & non ex destinata malitia aut ex contemtu Dei, & ideò non ex toto corde admissum fuerit, vide Luth. in magno comm. in Epist. ad Galat. in cap 5. fol. 422. in illa verba, Manifesta sunt opera carnis.

Quod verò postea Antagonistæ mei Iudam, in receptione fidei & Spiritus sancti, exæquant Petro, dicentes: vterque accepit fidem & Spiritum sanctum, vehementer miror: quasi verò Iudas fuerit tali fide præditus, qua & Petrus, atque ideò ita coram Deo iustificatus, sicut & Petrus. Contrà ego dico, Iudam nunquam vera & viua fide in Christum præditum fuisse, ac proinde nunquam fuisse coram Deo iustificatum. Non enim iustificantur nisi electi. Rom. 8. Quos prædestinauit, hos & vocauit. & quos vocauit. hos & iustificauit. Item, omnes iustificati glorificantur. Rom. 8. Quos autem iustificauit. hos & glorificauit. Item, vera fide in Christum non donantur, nisi electi, vt antè e S. Scripturis, ex Augustino, Luthero, & Bucero demonstratũ fuit. Quod si aduersarius reiicit omnes has Apostolicas rationes, saltem audiat Lutherum in Tom. 5 in 17. cap Iohan. f. 203. explicans illa verba, Quos dedisti mihi, ego custodiui, & nemo ex iis periit, nisi filius perditionis: ait, Ego seruaui eos, ne falsa doctrina & sanctimonia quærerentur & deciperentur, tantóque studio retinui, vt ne vnus quidem ex eis periret, nisi Iudas filius ille perditus. Quamobrem? quia nunquam ex animo mihi adhæsit, nec seriò verbum meum amplexus est, sed ideo sectabatur me, quò apud me & sub nominis mei prætextu diuitias sibi cumularet, tanta tamen integritatis simulatione, & fuco sanctitatis, vt eius nequitiam nullus discipulorum persentisceret. Postea subdit, Igitur Iudas typum gerit omnium eorum, qui suum emolumentum quærunt per Euangelium, &c. Quid his Lutheri verbis clarius? quid apertius de Iuda dici potuit? Iudas igitur nunquam ex animo, & nunquam seriò, ideóque nunquam vera & viua fide Christo adhæsit. Quare neque reliqui reprobi, vtut fidẽ simulent, & sanctam coram hominibus vitam traducant, ex animo, & vera fide Christo vnquam adhærent. Hoc idẽ tradit Brent. in Exegesi in Iohan. cap. 13. f. 225. in illa verba: Vos mundi estis, sed non omnes, ait, Iudam corpore tantùm, non item fide Christi ministerium admisisse, nec fide Apostolatum administrasse.

Nicolaus, inquit, vnus ex septem Diaconis fuit iustificatus: & tamen postea ita amisit Spiritum sanctum & omnem

omnem fidem, vt damnatus perierit. Ergo, &c.

Respondeo: Nicolaum hunc fuisse iustificatum, & Spiritu regenerationis donatum, dari nullo modo potest, si damnatus creditur. Nam si fuisset iustificatus, fuisset tandē etiam glorificatus. Rom. 8. Quos enim iustificauit, hos & glorificauit. Non fuit autem tuo iudicio glorificatus: sed damnatus æternis afficitur pœnis. Nunquā igitur fuit iustificatus, aut Spiritu regenerationis, ideòq; fide iustificāte, donatus. De hoc Nicolao, non est eadem omnium sententia: sed de Nicolaitis hæreticis, alia est ratio. lege Apocalyps. 2. Item lib. 1. cap. 27. Tertulliani de præscript. pag. 133. Clem. Alexand. Strom. libr. 3. Eusebium Cæsar. in Histor. Eccles. lib. 3. ca. 29. Augustin. Tom. 6. de hæresibus ad Quoduldæum colum. 13.

Admittis certè, ô bone vir, paralogismum ὁμωνυμίας. Nomine enim Spiritus sancti, hoc in loco propriè veniunt dona Spiritus sancti, quæ ad Diaconiam Ecclesiasticam dignè & rectè administrandam necessaria sunt, vt est amor quidam in pauperes, fides & prudentia in dispensandis Ecclesiæ bonis, comitas, benignitas, modestia, fortitudo & temperantia. De iis Spiritus sancti donis propriè loquebātur Apostoli: necesse enim fuisse, vt tales deligerentur viri qui iis instructi donis, Diaconiæ Ecclesiasticæ administrandæ idonei essent. Sicut etiam Brentius in Acta hunc locum interpretatus est. vnde concludens ait: Itaque Apostoli inquirunt dispensatores, non quosvis, sed plenos donis & virtutibus Spiritus sancti, vt quicquid hoc est muneris, non iuste solùm & prudenter: sed etiam fortiter & temperanter administretur. Quod si ab iis Spiritus sancti donis, ad Spiritum regenerationis argumentari velis: dico te admittere paralogismum, qui est ex ignoratione Elenchi. Non enim sequitur, aliquis est donatus Spiritu, verbi gratia, prophetiæ, vel gratia sanationis: Ergo etiam Spiritu regenerationis: cùm multi etiam hypocritæ variis Spiritus sancti donis ornari soleant, nec tamen sint vel iustificati vel regenerati: vt exempla permulta in Scripturis docent. Sicut etiam non sequitur, aliquis est spectatæ (nempe in Ecclesia) probitatis vir: ergo etiam coram Deo verè animo est probus. Nicolaum ergo hunc, fuisse & spectatæ probitatis virum, id est, boni nominis & bonæ famæ in Ecclesia, & egregiis Spiritus sancti donis ornatum, ita vt, qui ad ministerium illud eligeretur, Ecclesiæ dignus fuerit visus, non possum inficiari: verùm inde non consequitur, fuisse igitur iustificatum & sanctificatum, veráque fide præditum. Deinde etiamsi dem, nomine Spiritus sancti Apostolos intellexisse ipsum quoque Spiritum sanctum regenerationis, vnà cum aliis donis prædictis: tamen inde non efficietur, omnes igitur illos septem, quos elegit Ecclesia, fuisse vero regenerationis Spiritu præditos. Nam cùm aiunt Apostoli, eligite viros ex vobis septem plenos Spiritu sancto: Sensus est, eligite septem, quos vos iudicetis esse primò plenos Spiritu regenerationis, hoc est, verè pios: Deinde etiam Spiritus sancti donis ad hoc munus necessariis ornatos. Ecclesia autem non iudicat nisi ab externis effectis: externa autem effecta sæpenumero fallunt iudicium Ecclesiæ. Quare nullo modo ex loco Act. Apostolicorum euincitur, ipsum Nicolaum vero adoptionis & regenerationis Spiritu præditum & iustificatum fuisse: ac proinde neque concluditur amisisse Spiritum sanctificantem.

Affertur etiam exemplum Hymenæi & Alexandri ex 1. Tim. 1. Hymenæus (inquiunt) & Alexander abiecta bona conscientia, naufragium fecerunt circa fidem. Ergo antea habuerunt fidem: & deinde eam, abiecta bona conscientia, id est, peccatis commissis contra conscientiam, amiserunt. Est & hic paralogismus homonymias. Fides enim in Scripturis multa significat. Sed sæpe capitur pro virtute, qua verbo Dei verè creditur: & de hac nobis est quæstio. Aliquando accipitur pro doctrina fidei, seu pro Euangelio ipso, cui fides adhibetur, atque adeò pro tota Christiana religione. 1. Timoth. 4. Deficient quidam à fide, id est, à religione & doctrina Christiana. sic Rom. 1. Vt obediatur fidei in omnibus gentibus, hoc est Euangelio. Et iuxta hanc significationem accipitur ab Apostolis in hoc etiam loco. Duo enim requirit Apostolus in Episcopo. Primò, vt retineat puritatem doctrinæ & religionis: ideò ait, retine fidem. Deinde vt sanctæ vitæ studeat: atque ita doctrinam non ex ambitione, neque ex auaritia, neque ex vllo malo affectu, sed ex puro corde administret. Hoc autem sanctæ vitæ studium vocat bonam conscientiam. Sic etiam Scholia Græca interpretata sunt. πίστιν δὲ ἐνταῦθα τὸ δόγμα: συνείδησιν δὲ τὴν περὶ τῆς πολιτείας, καὶ τοῦ ὀρθῶς βιοῦν. Sincera doctrina vera fide recepta regenerat, & proinde parit hoc sanctæ vitæ studium, id est, bonam conscientiam: iuxta illud Pauli: finis legis est charitas de corde puro, conscientia bona, fide non ficta. Hoc autem studio seu bona conscientia, retinetur & conseruatur fides puráque doctrina. Qui verò doctrinam Euangelij recipit quidem, sed fide ficta & mortua, is non regeneratur: ac proinde quia non est regeneratus pergit vt antea in suis vitiis, atque sceleribus. Qui autem ita pergunt se prostituere contra suam ipsorum conscientiam ad omnia scelera: ij tandem ipsam quoque doctrinam, à qua sentiūt suas ipsorum conscientias damnari, reiiciunt: & hoc est reiicere fidem, seu, vt Paulus hic loquitur, naufragium facere circa fidem. Ideò scholia Græca aiunt. ὅταν γὰρ τις ἀδόκιμος ζῇ, καὶ περὶ τὴν πίστιν ναυαγεῖ: ἵνα γὰρ μὴ τὸν ἔλεγχον τῆς μελλούσης βασανιζόμενος κολάσεως φανταζόμενος ἀλγῇ, ὅλην ψυχὴν ἀναπείθει ἀπὸ τῶν ... περὶ ... Hoc contigit etiam Alexandro & Hymenæo. ij amplexi quidem fuerant fidem, hoc est, fidei doctrinam seu Euangelium: cœperant etiam vtcunque, quod ad externam vitam attinet, aliquam bonam conscientiam præ se ferre, hoc est, vtcunque honestè viuere: sed quoniam non receperunt Euangelium vera, & regenerante ac iustificante fide: idcirco nulla facta in ipsorum cordibus renouatione, tandem reiecta etiam illa externa & hypocritica sanctitate, ad flagitiosam vitam relapsi sunt: id quod Apostolus vocat abiicere bonam conscientiam: hac verò reiecta, ipsam quoque doctrinam reiecerunt: id quod Apostolus appellat περὶ τὴν πίστιν ναυαγεῖν, id est naufragium fidei, vel circa fidem facere. Tantum ergo abest, vt ex hoc loco concludi possit, Alexandrum & Hymenæum fuisse verè iustificatos & regeneratos: vt potiùs ex eo, quòd abiecerunt ipsam etiam fidei doctrinam, euincatur, illos nunquam, vera & iustificante fide, Euangelij doctrinam amplexos fuisse. Qui enim vera fide Euangelium amplectuntur, ij regenerantur, & regenerati perpetuum sanctæ vitæ studium retinent. Proinde non exciderunt à fide vera, quam nunquā habuerunt: sed fidei tantùm doctrinam, quam ficta & hypocritica fide receperant, abiecerunt: & fidem ipsam temporariam, ideóque hypocriticam amiserunt, vera enim & iustificans fides, est ἀμεταμέλητος (vt ait Apostolus) ideóque perpetua.

Hi (inquit) Galatæ conuersi fuerant ad Christianismū, baptizati à Paulo, & acceperant Spiritum sanctum: sed postea à vera ista doctrina, seducti per falsos prophetas, defecerunt. vnde eos Apostolus vocat fascinatos. Ergo amiserunt fidem & Spiritum sanctum.

Respondeo Hic etiam est σόφισμα, qui dicitur ὁ ἁπλῶς καὶ πῇ, τοῦτ' ἔστι πῇ, καὶ μὴ κυρίως. Nam quod ad primum antecedentis membrum attinet aiunt Galatas conuersos fuisse ad Christianismum, & baptizatos à Paulo accepisse Spiritum sanctum. Hoc certè, si de vera conuersione, de vero baptismo, déque Spiritu regenerationis loquantur, non potest intelligi simpliciter de vniuersis & singulis, sed tantùm de quibusdam quorum caussa fit, vt totum illud corpus Galatarum, conuersum ad Christianismum & baptizatum & Spiritu sancto donatum fuisse dicatur. Nō enim omnes qui erant in illis Ecclesiis Galatiæ, conuersi sunt verè ad Dominum, etsi omnes, quod ad externam fidei professionem attinet, conuersi fuisse legantur: neque omnes baptismo Spiritus baptizati fuerunt, etsi omnes baptismo aquæ fuerunt aspersi: neque denique omnes acceperunt Spiritum regenerationis, licet omnes (quod tamen probari non potest) varia Spiritus sancti dona, vt gratiam linguarum, donum prophetiæ, & alia accepisse dicantur. Duo igitur sicut in reliquis, sic etiam in Ecclesiis Galatiæ fuerunt hominum genera. quidam verè pij & verè fideles: alij hypocritæ. Quare quod in primo antecedentis membro aiunt, Galatas conuersos fuisse ad Christianismum: & baptizatos à Paulo accepisse Spiritum sanctum: si de vera conuersione, & de Baptismo Spiritus & de Spiritu regenerationis loquantur, non potest illud ἁπλῶς de vniuersis & singulis Galatis intelligi: sed tantùm de multis. Si verò de externa tantùm coram hominibus conuersione, & de externo tantùm aquæ baptismo, déque multis Spiritus sancti donis, sine regeneratione sit sermo: nihil contra nos concludunt. Nos enim de vera conuersione, déque vera fide disputamus.

Quod ad alterum antecedentis membrum attinet, aiunt, Galatas à falsis prophetis seductos, à doctrina Apostolica defecisse: & proinde fascinatos ab Apostolo appellari. Sic intelligunt, eos fuisse perfectè seductos, ita, vt prorsus à doctrina Apostolica defecerint: hoc non potest dari, nisi in reprobis seu hypocritis. Electi enim (vt Christus ait Math. 24.) hoc seditionis genere seduci non possunt, Quare quod postea concludunt: fide igitur excidisse,

hoc verè concluditur de reprobis hypocritis. ij enim ab ista fide ficta exciderunt & excidunt. At de vere electis & fidelibus concludi ex præmissis minimè potest. Si verò seduci accipiatur pro in aliquibus rebus & aliquomodo mentes fidelium perturbari, exagitari, quatefieri: concedo multos, eósque verè fideles, illa Pseudapostolorum doctrina fuisse perturbatos, & in varias dubitationes pertractos. Sicut etiam de Petro dixit Dominus, Satan expetiuit vos, vt cribraret sicut triticum. Cæterùm hoc nihil facit contra nostram doctrinam.

Quare apparet, hic multas esse fallacias, homonymias, secundum quid ad simpliciter, & ex ignoratione Elenchi. Iis addo, quæ habet Lutherus in altero Tom. in magno commentario in Epistolam ad Galatas in cap. 1. in illud verbũ, Ecclesiis Galatiæ: Quæstionem proponit ex Diuo Hieronymo. cùm Apostolus scribat ad subuersos Galatas, & translatos à Christo & gratia, ad Moysen & ad Legem: cur eos vocet Ecclesias? nempe Christi, easque sanctas? Respondet id fieri per Synecdochen: cuius vsus (inquit) in Scripturis est frequentissimus. Erãt ibi multi boni, non seducti, inquit, qui non defecerant à doctrina Pauli. Horum gratia, omnes simul appellantur Ecclesiæ: itẽ, ibi erat Euangelium & baptismus: ista (inquit) si sunt in populo, dicitur sanctus. Affert etiam exemplum ex Ecclesia Corinthiorum, dicens: Hic scribens ad Corinthios gratulatur eis gratiam Dei datam in Christo: quod in omni verbo & scientia diuites facti essent per illum: & tamen (inquit) multi ex ipsis seducti per Pseudapostolos non credebant resurrectionem mortuorum. Apparet hinc neque omnes Galatas fuisse sanctos & renatos, & tamen ita vocari respectu eorũ, qui vere sancti erãt inter eos: neq. etiam omnes à doctrina Apostoli defecisse, sed hoc nomine accusari omnes simul, propter multos qui fuerant seducti.

Addant quæ etiam Bugenhagius Pomeranus habet in Epistolã ad Rom, in cap. 11. in illa verba: Quod si nonnulli rami defracti sunt. Fieri (inquit) potest vt bona arbor habeat poma aliqua verminosa, & corrupta intẽperie auræ: tamen nihilominus arbor bona est: & fert quædam poma optima. Corrupta igitur abiiciuntur, integra seruãtur. Rami hic quidam mali sunt, id est, Iudæi quidam non credentes: hi defringuntur: inseruntur autem alij rami, tametsi natura nõ sint boni, in arborem natura bonam, quibus significamini vos gẽtes. Estis enim rami syluestris arboris, id est, filij impietatis: nunc autem per Dei misericordiam abiectis ex bona arbore, id est, ex Patribus sanctis Iudæorum, Iudæis incredulis, vos inserti estis in locum eorum. Hæc ille. Hinc duo apparent: Vnũ, in populo Israëlitico, multos fuisse qui non erant verè fideles: & ideò nec vere insiti in Christum per fidem, sed tantum per externam fidei professionem & Sacramenta: & tamen omnes etiam respectu verè fidelium, fideles & ramos oliuæ appellatos fuisse. Alterum: illos tantum excisos à Christo fuisse, qui videbantur quidem esse insiti in Christum, cum verè insiti non essent: ac proinde, qui verè insiti sunt, à Christo non exscindi. Sic de Galatis dicendum est. Quid plura? Brentius ipse in Ioan cap. 15. hom. 34. dicta illa Pauli, Excidistis à gratia, quicunque in lege iustificamini: dicit intelligenda esse de hypocritis, qui erant in Ecclesiis Galatiæ.

Apoc. 2. Memento vnde excideris: ergo exciderat fide, & sanè à gratia Dei & excusserat Spiritum sanctum.

Respondeo. Negatur consequentia. paralogismus est ex ignoratione Elenchi. Non enim solum non sequitur ex verbis Apostoli hæc illatio: sed etiam cum illis pugnat. Sic enim habent verba Christi per Apostolum: Angelo Ephesinæ Ecclesiæ scribe: (sed ad totam Ecclesiam pertinebat hæc Epistola) hæc dicit qui tenet septem stellas in dextra sua (id est Christus, qui Ecclesias sua manu sustentat) qui obambulat in medio septem candelabrorum aureorum (id est, qui Ecclesiis suis semper adest, seruat eas, erudit, iuuat semper in eis operatur) Noui (probo) opera (bona) tua (non tantum Episcopi, sed totius Ecclesiæ Ephesinæ) & laborem (id est studium bonorũ operũ, mortificationẽ carnis, sollicitudinem in via Dei, crucem, & aduersa quæ propter nomen meum & Euangelium patimini & sustinetis) & patientiam tuam ὑπομονήν σου (id est, cõstãtiã ac patientiã & tolerantiam: qua fortes in fide sustinetis aduersa & persecutiones Domitiani) & quòd non potes sustinere malos (est etiam hoc verbum præsentis temporis hoc est, prauos, præfractos, improbos & impostores ferre nõ potes in Ecclesia) & tẽtasti eos, qui se dicũt Apostolos esse, & non sunt, & inuenisti eos mendaces (ij erãt hæretici.) Laudatur igitur Episcopus & Ecclesia, quod fortes ipsi in fide & in fidei doctrina, hæreticos & improbos ferre & sustinere noluerũt, nec potuerũt: sed coarguerunt, & Scripturis conuicerunt, eos esse verè mendaces, quia negabant Iesum esse Christum, & tulisti (scilicet labores & molestias, quas hæreticos conuincendo, & extra Ecclesiam eiiciendo, ab iis passus es tu & Ecclesia tua) & patientiam habes (id est, & adhuc constanter fers, constanter in fide perseuerans) & laborasti propter nomen meum (propter nomen meum & doctrinam defendendam contra hæreticos) & non defecisti (id est, laborib. pressus, non tamen à fide & doctrina mea defecisti, nec laboribus succubuisti.) Quis hic non videat Episcopum hunc cum sua Ecclesia laudari à constantia in fide & in pura Christi doctrina? Cùm igitur postea subdit, Memento vnde excideris, illud non potest referri ad fidem, quasi exciderit a fide, vt quidam interpretantur (pugnaret enim secum Dominus in verbis Apostoli:) Sed ad quid refertur illud excideris? ad feruorem charitatis, qui deferbuerat in Episcopo & in Ecclesia. Postquam enim laudauit Episcopum & Ecclesiam ab operibus bonis, quæ fecerant, & à constantia in fide, & doctrina Christi, in qua etiam tum, cùm hæc loquebatur, persistebant: postea mox subiungit, quæ in eis reprehendat, dicens: sed habeo aduersum te pauca, quod charitatem tuam (id est, feruorem charitatis in Deum & in sanctos) primam reliquisti. non ait absolute, quod charitatem reliquisti, sed primam, id est, tam feruentem, sicut habebas initio. Initio enim cum acciperent Euangelium à Paulo & Iohãne, & aliis viris Apostolicis: magnus charitatis, ideoque & fidei feruor apparebat in omnibus fidelium dictis & factis, vt fieri solet. Ardere enim quodam feruentissimo amoris Dei & proximi, & studio reformandorum morum flagrabant: postea remissiores effecti sunt, & deferbuit ille feruor. Hoc est quod in eis reprehendit. Et ad hanc charitatis remissionem refertur verbum insequens, cùm ait, Memento igitur vnde excideris. Vnde? Ab illo charitatis feruore, ab illa charitate prima, non absolutè à charitate, sed à charitate illa prima feruentissima & ardentissima.

Nos quoque damus sanctos sæpe excidere à charitatis, adde & fidei feruore: sed quòd excidere prorsus à fide possint, tantum abest vt ex hoc loco deduci possit, vt potius contrarium euincatur: nimirum sanctos plerunque excidere à feruore charitatis, & tamen constantes manere in fide Christi: quia hic, cui dicit charitatem primam reliquisti, & memento vnde excideris: eidem etiam in præsenti tempore ait ὑπομονὴν ἔχεις, & laborasti propter nomen meum, & non defecisti. Apparet igitur aduersarium illud ex iis Apostoli verbis intulisse, quod ex diametro cum verbis Apostoli pugnat. Christus enim ait, non defecisti, & ὑπομονὴν ἔχεις. Is autẽ ait, Ergo defecit, Ergo excidit à fide. Cæterum, quoniam peccarunt excidendo à prima charitate, & à feruore charitatis: ideò iure hortatur eos ad resipiscentiam, hoc est, vt veniam peccati deprecentur, & redeant ad primum charitatis feruorem. Atque ex hoc facilè colligi potest, etsi dicimus sanctos nunquam prorsus excidere à fide: non tamen consequi, tolli igitur à nobis pœnitentiam. Cum enim demus nos excidere à feruore fidei & charitatis, & feruorem hunc remittere peccatum sit: simul etiam docemus, sanctis resipiscendum esse cùm ita peccant.

Franciscus Lambertus lib. 1. pag. 82. in ea verba: Et patiẽtiam habes & sustinuisti, &c. sic ait: Laus est perseuerantiæ. Puto autem hic denuo agi de patientia, quia mox commendarat, quod Pseudoapostolos expulerat: Hi nimirum pulsi, solent grauius malignari in sanctos. Et indubiè pulsi ab Ecclesia Ephesina, vt poterant eos à quibus pulsi erant, diuexabant: at illi nullis malis à veritatis tramite absterrebantur: propter quod eorum stabile constánsque propositum hic à Domino commendatur. Sed habeo aduersum te, quòd charitatem tuam primam reliquisti. Coram æterno iudice reprehenduntur, nedum qui a fide & charitate deficiunt (deficiunt autem, qui non vera, sed tẽporaria fide donantur) sed & qui in seipsis hæc imminui sinunt. Nam qui eiusmodi sunt, pro deterioribus coram Domino habentur. Quasi enim relinquunt, & id non sunt, quod prius erant: dum minus sunt, quàm fuerint. Iustorum quippe semitæ, quasi lux splendens, crescunt & proficiunt vsque ad perfectam diem Prouerbio. 4. Quod si nõ crescit, iustorum semita esse nequit. Ephesina Ecclesia ardentior fuerat in veræ fidei fructibus, quàm tempore scriptæ huius Epistolæ esset, quòd ipsa fides non esset in ea tam efficax per charitatem, vt prius fuerat: & ecce ideò eam reliquisse dicitur. Non enim solis Episcopis, sed & Ecclesiæ dicitur, Charitatem tuam priorem reliquisti. Ergo perniciosissima res est, fide & charitate imminui: principium siquidem & via quædam est ad perditionem.

Charitas

Charitas enim ignis est: proinde illius flammas augeri, nō imminui oportet. Etenim si imminuitur, in proximo est vt extinguatur, nisi à Deo seruetur misericorditer: Ignis quippe imminutio, est via ad extinctionem. Hæc ille. Item Alfonsus Mantuanus pag. 32. explicans ea verba: Sed habeo aduersum te, &c. sic ait: Non qui inceperit, sed qui ad finem vsque perseuerauerit, laudem mereri dignoscetur. Nec dici poterit, eum vsque ad finem peruexisse, qui Christi fidem & cognitionem vtcunque retinuerit: nisi etiam modis omnibus det operā, vt per ipsum iuxta vocationē fructus indies augeatur in Ecclesia. Non igitur hic Antistes ad finem vsque perseuerauit, quamuis à Christi fide & cognitione non exciderit: quia cùm in illo fidei feruor tepesceret, charitatem primam reliquerat. Quod hunc non minimus erat in pastore næuus, sed planè maximum, & omni prorsus correctione dignum facinus. Quia charitas, vt est finis præcepti, & legis plenitudo, ita maximè omnis [illegible] refert, vt qui docendi munus in Ecclesia obtinent, charitatem præ cæteris æmulentur: vt aliis ministris præstant, ita sint ardentiore charitate præditi. Cùm huius Ecclesiæ pastor non solùm remiserit, sed etiam amiserit charitatem: omnino correctione dignus erat. Hinc enim fiebat, vt lupi & malorum dogmatum autores quæcunque dogmata vellent, in Ecclesiam introducerent, quod pastorem gregem suum non curare animaduerterent. Quare inclamat illi Spiritus sanctus, habere se aduersus illum expostulandi occasionem, quod charitatem primam reliquerit. Danda igitur opera vt resipiscat. Thomas etiam Aquinas in hunc locum f. 41. ait: Episcopum hunc & Ecclesiam defecisse à feruore charitatis, sed non à sustinentia tribulationis.

Ad Argumenta secundæ classis: hoc est, ad quosdam Scripturarum locos, qui cum doctrina de Perseuerantia Sanctorum in fide pugnare videntur, responsio.

PRimum adducunt locum ex 1. Epistola ad Corinth. in cap. 10. Qui stat, videat ne cadat. Quia enim Apostolus dicit, ne cadat: lapsum igitur facilem esse: & contingere posse, vt qui nunc stat, præoccupatus à Satana, vel infirmitate carnis, vel ab ipso mundo, qui plenus est scandalorum, possit implicari aliquo delicto, vt se rursus contaminet prioribus peccatis, à quibus initio, fide in Christum, fuerat extractus & ablatus. Hæc illi.

Respondeo. Primùm, lapsum facilem esse quis neget? Ego quoque dico, etiam sanctos facile labi: sed nego eos excidere prorsus à fide. Contingere etiam posse, vt, qui nūc stat, à Satana præoccupatus, possit implicari aliquo delicto, quis inficietur? Verùm quod aiunt fieri posse, vt qui fide stat, prioribus peccatis rursus contaminetur: bifariam potest intelligi: primò, vt admittat eadem peccata, quod ad externas actiones attinet, hoc concedo: Deinde vt eodem modo peccet, hoc pernego, nimirum, si de electis iustificatis, quique fide stant, loquantur. Homo enim ante iustificationem & donatam fidem, peccat toto animo & plena voluntate: quia totus caro est: post iustificationem & regenerationem, nunquam plena voluntate aut ex studio peccat: sed tantùm ex infirmitate. Non enim amat id, quod admittit, malum. Rom. 7. Si igitur ex illo Pauli dicto, nihil concludant, nisi, posse eos, qui fide nunc stant, cadere, seu labi in peccatum aliquod, idque etiam graue: nihil concludunt aduersus me. Si vero inde inferre velint, Eos igitur, qui fide vera stant, posse à fide prorsus excidere: dico illud non posse vllo modo ex Apostoli dicto inferri, sine multis paralogismis. Primò Apostolus non ait, qui stat, sed [illegible], qui sibi videtur stare, vel qui se existimat stare. Non igitur loquitur de illis, qui vera fide credunt, & verè stant, de quibus est disputatio: sed de illis, qui cùm falsa fide credant, putant tamen se verè credere, & fortiter stare, & ideò securi sunt. iis autem opus erat reuera tali admonitione ad securitatem illis excutiendam. Et hos ab illa etiam ficta fide posse prorsus excidere, imò reipsa excidere: nos ipsi prædicamus. Deinde etiamsi dem, intelligi posse de iis qui verè stant: tamen non ait Apostolus [illegible] vel [illegible], sed tantùm [illegible]. Do autem, sanctos à fide cadere posse, hoc est, à feruore, & fortitudine fidei, seu fidem illorum sæpe infirmari propter scelera: sed illos nego posse penitus à fide excidere, seu illorum fidem prorsus extingui. Hoc enim ex illis Apostoli verbis colligi nequit. Præterea etiamsi darem, posse verbum [illegible] capi pro [illegible], &

[illegible], & deinde darē ex Apostoli verbis inferri posse, sanctos posse penitus à fide excidere: illud tamen intelligendum esset, quod ad ipsos attinet, & spectata illorum imbecillitate: sed non sequitur, spectata etiam Dei promissione & gratia, eos posse à fide prorsus excidere. Quare firma adhuc stabit mea propositio: propter promissionem Dei, & Christi precationem, eos excidere à fide penitus non posse, Deo eam, ne deficiat, conseruante & stabiliente. At ergo vana, inquies, talis admonitio: Minimè verò. Deus enim iis admonitionibus primo docet, ne simus otiosi, & vult nos sibi esse cooperatores: ideò Iudas, obsecrò, inquit, certando adiuuetis, eam, quæ semel tradita est sanctis, fidem. Deinde admonet nos nostræ imbecillitatis, vt nos ipsos, quàm simus propensi ad lapsum, agnoscamus. Hæc vero nostri cognitio, quanto maior est, tantò altiùs nos euehit ad cognoscendam Dei potentiam: quemadmodum in bilance, quanto profundius vna lanx grauatur, tantò altiùs altera surgit. Hæc autem cognitio nostræ infirmitatis, & periculorum, in quibus versamur, cum cognitione potentiæ & virtutis Dei coniuncta, quid parit? excitat nos ad Dei auxilium inuocandum, vt scilicet nos, ne cadamus, sua manu sustentet. Qui autem inuocat ex fide Deum, exauditur. Ergo prosunt hæ admonitiones ad fidem sustentandam & confirmandam. Proinde tertio loco dico, hasce admonitiones esse alimenta quibus fides à Domino alitur, & sustentatur. Fac, parentem filiolum suum imposuisse equo, & eum sua manu ita tenere, vt cadere ex equo non possit, & interim tamen filiolum suum subinde monere ne cadat, dicendo, vide ne cadas, mi fili: cedò, quorsum ista admonitio, cùm cadere non possit, patre illum sustentāte? Frustrāne monet? minimè verò. Nam vtilis est admonitio, vt scilicet filiolus admonitus periculi, caueat, patrémque roget dicens. Tene me, pater, ne cadam, Sic nobiscum agit Deus. Propterea Dauid ait, impulsus euersus sum, vt caderem, & Dominus suscepit me. Atque hæc esto, non solùm ad hunc Apostoli locum, sed etiam ad omnes huic similes admonitiones, responsio. Cæterum, si quis cupiat genuinam huiusce loci Pauli explicationem, paucis aperiam. Turgebant atque inflati erant Corinthij, etsi non singuli, maxima tamen illorum pars, inani quadam sui fiducia, quæ multis ex fontibus illis scaturiebat, tum inde quod baptizati, factíque Christiani, Cœnæ etiam Dominicæ participes effecti, multis præterea Spiritus sancti donis (de quibus in eadem Epistola cap. 12.) ornati essent: tum etiam inde, quod & vrbe & pecuniis, & omni rerū copia potentes, summa fruerentur pace, iis Dei beneficiis, & Spiritus sancti donis inflati sibi ipsis confidebant. Ex hac sui confidentia oriebatur carnis securitas: ex hac vero carnis securitate fiebat, vt in multa vitia & scelera prolaberētur. Quid igitur Apostolus? vt eos retrahat à sceleribus admittendis, conatur Corinthiis adimere illam carnis securitatem: id facit docens, præsentibus donis non fieri, vt propterea sint extra omnē teli iactum. Hoc demonstrat exemplo Israelitarum, qui etsi multa habuerunt testimonia gratiæ Dei, tamen non propterea factum est, vt fuerint extra omne periculū: imò quia securi torpebant, propterea in multa lapsi sunt scelera, & proinde exterminati. Minime igitur debere præsentibus Dei bonis inflari, & propterea in sua conditione acquiescere, & esse securos, sed esse potius vnicuique vigilandum & orandum. Proinde qui videtur stare, videat, ne cadat. Ad omnes igitur praua sui confidentia inflatos & securos verba faciens Apostolus, conatur illos à carnis securitate auocare iis verbis, Qui videtur stare, videat, ne cadat, Quasi dicat: Nolite in vobis esse securi, dico securi in vobis, non in Deo. Est enim duplex securitas, vna in Deo, & eius verbo: altera in nobis & in aliis rebus à Deo conditis, seu vna Spiritus & fidei, altera carnis & carnalis confidentiæ.

Securitas Spiritus & fidei est ea qua propter tantùm diuinas promissiones, proptérque Christi precationē & merita, certi & securi simus de nostra in gratia Dei perseuerantia, ideóque de æterna nostri salute, atque ita securi in sinu Christi acquiescimus atque dormimus. Quò enim firmiori fide credimus, tum diuinis de sua erga nos gratia continuanda, déque sua æterna nostri protectione, promissionibus, tum Euangelio, quod ait Christum pro nobis orasse, & impetrasse à Patre vt in nobis suam seruet gratiam & fidem, eo etiā securiores simus de nostra in gratia Dei, & fide perseuerantia: ac proinde de æterna nostri salute. Hæc securitas non solùm bona est, sed etiam ad salutem necessaria. Proinde ad hanc perpetuo Scripturæ nos hortantur, vrgent, & stimulant.

Securitas carnis est ea, qua non in Deo, neque in Dei

promissionibus acquiescimus: sed tum nostris operibus, tum nostris vitibus & virtutibus, tum aliis Dei in nos collatis donis elati, putamus nos esse extra omne periculum, & labendi, & in æternum exitiû ruendi: ac proinde etiamsi omnibus Satanæ incursionibus expositi simus, in nobis tamen, & in nostra conditione acquiescentes, nihil curamus: & hinc fit, vt ita securi, in multa subinde ruamus facinora, & tandè, nisi resipiscamus, in æternum exitium. Securitas hæc perniciosa est. In hac erant multi Corinthij: ideò vt eos ab hac retraheret Apostolus, post allatum Israelitarum exemplum dixit, itaq; qui videtur stare, videat ne cadat. Istæ autem duæ securitates, contrariæ sunt inter se: & ita se habent, vt quo magis ponimus securitatem carnis, eò magis firmetur securitas fidei & Spiritus. Quo enim magis desperamus de nobis ipsis, eò etiam magis cogimur in cœlum ascendere, & fiduciam nostram in Deo collocare. Inde vero oritur sancta securitas, qua in Deo acquiescimus, & econtrà. Sunt enim hæ duæ securitates (vt ante dictum est) sicut duæ lances in bilance: quò vna profundiùs grauatur & deprimitur, altera eò altiùs tollitur. Cùm ergo Apostolus ait, qui videtur stare, videat ne cadat: tum securitatem carnis tollit, tum consequenter ad securitatem Spiritus Corinthios excitat. Perinde enim est atq; si dixisset, Nemo sit securus in seipso, & in sua carne, quasi non possit amplius cadere, aut perire: sed contrà potius timeat sibi à se ipso: imo agnita sua infirmitate atque imbecillitate, desperet de se ipso. ac proinde speret in Deum, & ex certa fide petat vt se seruet, ne cadat & pereat: petat inquam hoc à Deo ex certa fide, certus & securus, se à Deo propter illius promissionem, & Christi intercessionem, in fide & gratia, ne ab ea prorsus excidat, conseruatum iri. Hic fuit sensus Apostoli. Itaque dico, neque hoc, neque aliis similibus locis, quibus iubemur timere & cauere ne cadamus: concludi posse, Sanctos igitur, vtut aliter promiserit Deus, excidere tamen prorsus à fide & gratia posse: sed potiùs, illis adhortationibus & admonitionibus fidem in sanctis excitari & seruari contendo: his enim sancti ad timendum de seipsis: & ideò ad precandum Deum, vt se custodiat in fide & gratia excitantur. Deus autem à nobis rogatus ex fide, sua complet promissa: & ideo sicut petimus, sic ipse facit, hoc est, gratiam & fidem in nobis seruat. Atque hic est finis & scopus, & caussa istarum admonitionum & adhortationum Apostolicarum. Quare cùm aduersarij ex iis inferunt, posse igitur sanctos à fide & à gratia prorsus excidere, admittunt paralogismum non solùm ex ignoratione Elenchi, sed etiam non caussæ, vt caussæ.

Alter locus est ex expistola ad Tim. priore, cap. 1. Milita bonam militiam, retinens fidem, & bonam conscientiam: qua repulsa, quidam naufragium fecerunt circa fidem.

Respondeo. Ad hoc dictum satis responsum est suprà, in responsione ad exemplum Hymenæi & Alexandri. Nunc ad illationem quam hinc inferunt, respondeo. Hoc Scripturæ testimonio (inquiunt) affirmatur in iustificatis & renatis opus esse fide, seu militia fidei & bona conscientia. Quis hoc negat? Nam de nomine fidei, siue hoc nomine intelligant doctrinam fidei (vt vere intellexit Apostolus) siue ipsam fidei virtutem, quæ doctrinam ipsam amplectitur, nos quoque dicimus vtrunque in renatis esse necessarium: vt scilicet tam doctrina, quàm virtus fidei retineatur. De nomine quoque bonæ conscientiæ, dico etiam esse necessarium, vt bona conscientia retineatur: ita vt sancti non peccent contra conscientiam. De hoc, seu quid debeant sancti, nulla est quæstio, sed quæstio est de facto & possibili: an scilicet verè sancti perpetuò retineant veram fidem, tam doctrinam, quàm virtutem fidei, & bonam conscientiam: an verò vtranque amittere possint. Quod ad conscientiam attinet, si peccare contra conscientiam accipiatur pro peccare ex assensu, sed non pleno: dico sanctos non solùm hoc posse, sed sæpè etiam hoc modo peccare. Si verò accipiatur pro peccare ex pleno consensu, plenáq. voluntate, id quod alij dicere solent, ex animo & ex studio destinatáque malitia, dico primum illos nunquam hoc modo contra conscientiam peccare, vt antè demonstratùm est. Ad quæstionem verò, An hoc possint, aio si spectentur ipsi in sua natura, sine Spiritu regenerationis, & sine promissione Dei, eos posse hoc modo peccare, sicut & reliqui homines peccant, ex pleno consensu, plenáque voluntate. Si verò spectetur tum Spiritus regenerationis, qui eorum corda regit, tum promissio Dei, quæ ait, Faciam, vt ambulent in præceptis meis, quæ promissio irrita fieri non potest, dico eos non posse peccare contra conscientiam, seu plena voluntate: vt antè demonstratum fuit. Proinde quod ad fidem attinet, si pro doctrina fidei accipiatur: dico primùm sanctos sicut peccat, & quidem ex consensu, sed non ex animo, ita nonnullos circa fidei doctrinam naufragium quodammodo fecisse, hoc est, veritatem negasse, & negando quodammodo reiecisse: sed non ex animo, sicut Petro contigit. Deinde dico sicut reliqua peccata admittere possunt, ex pleno consensu, quod ad ipsos attinet, sed propter Spiritum sanctum eos conseruantem & propter promissionem Dei, non possunt: sic etiam eos à doctrina ex animo etiam deficere posse, quantum in ipsis est: sed non posse propter promissionem Dei & Christi precationem. Si vero fides pro ipsa virtute veræ fidei accipiatur: itidè dico, primum sanctos ab ea, id est, ab eius feruore non tantum posse, sed etiam reipsa sæpè deficere: sed à tota fide, seu penitus, nunquam deficere. Deinde quantum etiam in ipsis est, prorsus ab ea deficere posse: sed propter promissionem Dei non posse. Atque hæc de verè sanctis, & verè renatis: de quibus nunc est quæstio. De iis autem non loqui Apostolum in eo loco, manifestum est: quoniam Hymenæi & Alexandri, hominum reproborum & hypocritarum, nomina subiecit, dicens: ex quibus est Hymenæus & Alexander.

De iis verò & similibus hypocritis, qui in speciem, & coram hominibus sancti & renati videntur, cùm non sint: facilè fateor, eos non solum posse, sed etiam re ipsa tandè aliquando tum illam, quamcunque habebant, consciētiā bonam: tum illam, quam profitebantur, rectam fidem ac fidei doctrinam reiicere. Sed de iis nobis quæstio non est. Quare locus Apostoli 1. Tim. 1. nihil contra me facit. Siuero ex ista adhortatione Apostoli Timotheo facta vellent colligere, potuisse Timotheum abiicere bonā conscientiā, & naufragium circa fidem facere, alioquin adhortationē fuisse superuacaneā, fallerentur. Apostolus enim ait: Hoc præceptum tibi commendo, Timothee, secundum præcedentes in te prophetias, vt milites in illis bonam militiam. Quibus ex verbis colligitur, fuisse prophetias de Timotheo, illum futurum talem, qualem hic iubet esse Apostolus. Si veræ fuerunt hæ prophetiæ, sicut erant (eas enim probat Apostolus) necesse igitur erat vt implerentur, & talis foret Timotheus, qualem futurum fuisse prædixerant. Non poterat ergo non militare bonam militiam, & seruare fidem & bonam conscientiam. Neque tamen hinc sequitur, superuacaneam fuisse Apostoli adhortationem: nā hac excitabatur Timotheus ad militandam bonam militiam, & conseruandam fidem ac bonam conscientiam, seu ad complementum quoque illarum prophetiarum assequendum. Proinde non sine caussa prophetiarum quoque illarum mentionem fecit, quid ita? nimirum, vt factus certior se talem futurum, qualem esse iubebat Paulus ad præceptum hoc Apostoli strenuè complendum, alacrior & fortior fieret: & ita reipsa retineret fidem & bonam conscientiam.

Tertium locum afferunt ex Epistola ad Hebr. c. 10. qui sic citatur: Quantò peioribus afficietur pœnis, qui Filium Dei conculcauerit, & sanguinem testamenti ipsius, ceu rē profanam duxerit, per quam sanctificatus fuerat? Hactenus verba Apostolica. Sanctificari autem per sanguinem Christi, nisi per fidem Euangelij, & per Spiritum sanctum qui hanc fidem verbo Euangelij, & vsu Sacramentorum accendit, nemo potest. Hæc est ipsorum propositio. subdunt: sed affirmat Apostolus quosdam, licet fuerint initiò per sanguinem Filij Dei sanctificati, & Deo reconciliati: tamen postea in tam horrenda peccata fuisse prolapsos, vt illis Filium Dei publicè conculcatint: propter quæ reos esse docet iudicio Dei, & dignos maioribus pœnis. Tantū illi. Conclusio sequitur, Ergo possunt iustificati iterum prorsus amittere fidem, & ita damnati.

Respondeo. Primo loco explicandus est locus Apostoli: tum demùm facilè diluetur argumentum. Apostolum ibi loqui non de quouis, etiam ex consensu & contra conscientiam admisso scelere, neque de quauis [illegible]. sed tantùm de illa, qua quis semel illuminatus, & veritatem edoctus, postea deserta vltrò Ecclesia, in totum à Christo deficit, & Christi gratiam prorsus reiicit: ex ipsis Apostoli verbis liquidum fieri facilè potest. Primùm scopus Apostoli erat adhortari Hebræos ad perseuerantiam in fide, & Religione Christiana: idque propterea, quod nōnulli, qui ex Hebraismo ad Christianismum conuersi fuerant, postea propter persecutiones deficiebant à fide Christiana. Ideò eo cap. paulo antè dixerat. Teneamus confessionē spei inflexibilem. Non simpliciter dicit: teneamus fidem, sed confessionem spei (id est, fidei) inflexibilem. Quasi dicat: Ne in persecutionibus terreamur, ita vt non audeamus confiteri Christum: multò minùs vt deficiamus ab Ecclesia & à Christo. Cùm ergo postea loquitur de peccato,

post

Poft quod non relinquitur hoftis pro peccato: de defectione, qua à Chrifto & eius fide in totum deficimus, loqui Apoftolum manifeftum eft. Idem patet à pœna, quam argumento à minore ad maius ducto, ex lege contra Euangelij contemtores colligit, dicens: Qui abiecerit legem Moyfis, fine mifericordia fub duobus aut tribus teftibus moritur Non ait, qui tranfgreffus fuerit aliquod legis mandatum, morte morietur: fed qui abiecerit legem id eft, qui in totum defecerit à lege & religione Moyfis) fine mifericordia moritur: & refpicit ad id quod eft in Deuteron. 17. Ergo cùm poftea ait. Quanto grauiore putatis dignus iudicabitur fupplicio, qui Filium Dei conculcauerit apparet, cum loqui de Apoftafia à Chrifto & eius fide ac religione. Idem poftremo verba Apoftoli in eodem verfu apertè demonftrant cùm ait. Qui Filium Dei conculcauerit, & fanguinem Teftamenti per quem, &c. profanum duxerit. Quæ enim pedibus conculcamus? Quæ tanquam exfecranda, vel faltem quæ tanquam prorfus inutilia & nullius pretij in totum reiicimus. Huiufcemodi autem ἀποστασία non cadit in electos verè iuftificatos, & verè Ecclefiæ membra. Stat enim immotum illud 1. Ioh. 2. Si fuiffent ex nobis, manfiffent vtique nobifcum: imo ne peccata quidem illa, quæ plena voluntate fiunt, & ex deftinata malitia in fanctos cadunt, vt often fum eft: multò minùs hæc apoftafia. Quare nullo modo loquitur hic Apoftolus de peccatis fanctorum.

At vero ait Apoftolus, per quem fuerat fanctificatus. Quanquam ad hanc exceptionem fuprà refponfum eft in exemplo Corinthiorum, vbi docuimus, nomina hæc fanctificationis, iuftificationis, iuftitiæ item & fanctitatis ac fimilium, non vno & eodem modo de omnibus dici intelligi-ve debere: non fuerit tamen abs re aliquid breuiter etiam hîc repetere. Tria funt hominum genera in Ecclefia, qui vocantur in Scripturis fanctificati, iuftificati, abluti fanguine Chrifti, imo & electi. Quidam funt verè & coram Deo tales: illi nimirum, qui ab æterno primùm fecundùm propofitum electi fuerunt in Chrifto: & qui deinde fecundùm idem propofitum vocati & iuftificati, péque Spiritum fanctum non folum veritatem in intellectu edocti, verùm etiam in corde verè renouati & regenerati funt: de quibus Rom. 7. Atque ij funt verè Ecclefia Dei. Horum verò gratia, reliqui quoque qui in Ecclefia funt, ἡγιασμένοι & κεκλημένοι fanctificati & iuftificati appellantur.

Sic omnes Ifraelitæ, licèt non omnes verè & coram Deo populus Dei effent, omnes tamen communi nomine populus Dei appellabantur. Sic omnes Corinthios Apoftolus vt fuprà vidimus, vocauit fanctificatos. Sic Petrus omnes, ad quos fcribit, appellat fanctum Dei populum. 1. Pet. 2. Vos autem genus electum, regale Sacerdotium, gens fancta populus acquifitionis: qui aliquando non populus, nunc autem populus Dei: qui non confecuti eratis mifericordiã, nunc autem mifericordiã confecuti eftis. Ita fanctos omnes Galatas vocat filios Dei: & Romanos omnes fanctos. ἡγιασμένοι igitur & κεκλημένοι omnes qui funt in Ecclefia, etiam fi non fint omnes de Ecclefia, & verè fancti, fancti tamen & fanctificati per fanguinem Chrifti appellantur. Sed horum etiam qui fic appellantur & reuera non funt, non eft vnum duntaxat genus alterum igitur Sanctorum genus eorum eft qui licet non fint verè & coram Deo fanctificati & iuftificati, quia nimirum Chriftum veram iuftitiam & fanctificationem noftram, non tenent in corde vera & viua fide apprehenfum: tamen quia hunc Chriftum tenent non folum lingua, fed etiam intellectu, hoc eft, non folum Chriftum cum alijs profitentur, fed etiam cum agnofcunt, & fanctum Euangelium per lumen Spiritus fancti edocti, & vero etiam aliquo modo fe participes factos effe Spiritus Chrifti declarant, dum partim verbis, partim factis, li quo modo Deum glorificant, ita vt verbi femen in illis iactum, enatum, & in herbam erupiffe videatur, de quibus Heb. cap. 6. idcirco iuftificati & fanctificati vocantur. Cæterum (ficut dixi) femen, hoc non penetrat in illorum voluntatem, feu cor: neque ibi vllas habet radices, & proinde fine vlla funt cordis regeneratione, ij habent Spiritum Chrifti vtcunque docentem & fructus aliquos bonos in eis proferentem, fed non regenerantem. Quia verò cognitio hæc regenerationis initium eft: ideo fit vt nonnunquam regeneratio nominetur, & qui tali cognitione prædici funt, regenerati appellentur. Tertium eft eorum, qui neque in corde, ficut primi, neque in mente, ficut fecundi, fed tantùm in ore habent Chriftum, iuftitiam & fanctificationem noftram eúmque quem verè non norût, cum alijs colunt & confitentur: fimiles illis de quibus Chriftus dicebat Samaritanæ Vos adoratis, quod nefcitis. Quia vero hæc. huius confeffio externum eft internæ regenerationis teftimonium (omnium fi quis vere fit regeneratus:) iccirco fit vt etiam id genus homines, qui Chriftum confitentur, nifi aperta accedat & pertinax iniquitas, regenerati, iuftificati, fanctificatique appellentur. Primi ergo funt regeniti & fanctificati: fecundi initium quoddam, vel potius fpeciem quandam habent fanctificationis: poftremi vero habent externum duntaxat fanctificationis teftimonium. Apoftolus igitur de generali, feu (vt ita loquar) totali apoftafia à fide & à Religione Chriftiana loquens hæc tria fidelium, feu fanctificatorum hominum genera hortatur ad perfeuerantiam in fide Chrifti Vt vero hoc efficacius faciat, proponit quid hanc à fide Chrifti ἀποστασίαν confequatur, æternus nimirum fine vlla mifericordia interitus. Etfi verò ipfi electi, vereque fanctificati, talem apoftafiam facere. Deo illos fua gratia perpetuò in fide retinente, non poterant; adhortatio tamen hæc Apoftolica haud inutilis illis fuit. Hac enim incitabantur ad perfeuerandum in fide. Reprobis vero, etfi omnino defecturi erant, non fruftrà tamen fuit facta. Hac enim redditi funt inexcufabiles. Quis dicet hac oratione concludi, ipfos igitur vere electos & vere fanctificatos poffe hac apoftafia deficere à Chrifto, adeóque à fide in Chriftum: cum hæc adferat æternum exitium Electi autem & verè fanctificati perire æternum nequeant? Si igitur aliquid hinc concluditur: de reprobis tantum, qui inter vere fanctificatos connumerantur, concluditur. Ex iis apparet in argumento aduerfariorum, paralogifmum effe ὁμωνυμίας. Nomen enim fanctificationis, & verbum fanctificari, vno tantum modo, nempe propriè accipiunt, cum tamen impropriè etiam accipi folita fint.

Sed ô vtinam locum hunc Apoftoli de conculcato (pedibus) Filio Dei, & fanguine teftamenti, id eft Chrifti, quo fœdus fancitum eft profanato, cum illo eiufdem Apoftoli, 1. Corinth. 11. de reatu corporis & fanguinis Domini, quo implicantur illi, qui panem & vinum Domini indignè edunt & bibunt, diligenter examina um, fana mente conferres. Videres enim ficut ad Hebræos illi dicuntur Filium Dei pedibus conculcare, non quòd illum realiter fub pedibus habeant, ibíque realiter conculcent: fed quia verbum Euangelij, quo Filius Dei, eiúfque fanguis fœdus confirmans fide percipiendus offertur, fua infidelitate reiecerunt, illúdque exfecrantur: Sic ad Corinthios, non ideo illos dici reos corporis & fanguinis Domini, quia reale corpus, realémque fanguinem Domini indignè ore corporis realiter edunt & bibunt: Sed quia panem & vinum, per quæ corpus & fanguis percipienda offeruntur, vt vel contemptu tanti Sacramenti, vel per infidelitatem reiecto, vel per impœnitentiam neglecto, indignè manducant & bibunt. Sic ex loco ad Hebræos non licet argutari: Filium igitur Dei fanguinémque teftamenti realiter effe fub pedibus eorum, qui illum dicuntur conculcare. Cur tu vis me ad tuam illam non fatis Dialecticam confecutionem, nempe, Qui edunt & bibunt indignè, rei funt corporis & fanguinis Domini, Ergo realiter ore corporis edunt & bibunt, admittendam cogeret

Memineris frater. Auguftinianæ regulæ. Scripturas per Scripturas effe interpretandas, & fimilia fimilibus effe explicanda.

Quartum locum ex 2. Petri cap. 2. adducunt. Apoftolus de quibufdam feductoribus loquens, ait Ij funt fontes fine aqua, nebulæ quæ à turbine aguntur, quibus caligo tenebrarum in æternum parata eft. Nam vbi plus quàm faftuofa vanitatis verba fonuerint: inefcant (δελεάζουσιν) per concupifcentias carnis (&) lafciuias eos qui verè (ὄντως) ἀποφυγόντας τοὺς ἐν πλάνῃ ἀναστρεφομένους, (& hoc eft, eos qui vere aufugerant ab iis, qui in errore conuerfantur) libertatem illis pollicendo: cùm fint ipfi ferui corruptionis: à quo enim quis fuperatus eft, huic in feruitutem addictus eft. Nam fi ij, qui aufugerant ab inquinamentis huius Mundi, per cognitionem Domini & Seruatoris Iefu Chrifti, rurfum iifdem impliciti fuperantur, facta funt illorum poftrema peiora prioribus (h. e. illorum côditio peior priori) Melius enim ipfis fuiffet, non cognouiffe viam iuftitiæ, quàm vbi cognouerunt, conuerti ab eo quod ipfis traditum fuerat, fancto propofito: feu, quam regredi à tradita ipfis fancta doctrina. Sed accidit illis, quod prouerbio dicitur, Canis reuerfus ad proprium vomitum: &, Sus lota ad volutabrum luti vel cœni.

Ex iis Apoftoli verbis conantur colligere, multos, qui vere ab idololatrijs & alijs inquinamentis ad Chriftum

conuersi fuerunt, idque per veram Christi cognitionem, id est, fidem, ideóque qui vera fide prædiri fuerant, postea ab impostoribus seductos, ad pristinas immunditias rediisse, id quod fieri nequit, nisi abiecta vera fide, & amisso Spiritu sancto. Posse igitur eos, qui donati sunt vera fide, illam amittere.

Respondeo: Apostolum non sentire electos, qui vera & iustificante fide præditi sunt, à fide hac prorsus excidere, manifestum fit tum ex hoc, tum ex aliis huius Apostoli locis. Primùm in Epistola prima ait, Nos (scilicet electos) renatos esse ex semine incorruptibili, per sermonem Dei, viuentem in æternum: Quandoquidem omnis caro fœnū: verbum autem Domini manet in æternum. Quibus verbis docere vult, eum qui nascitur ex carne, cum omni sua gloria euanescere, quia ex semine corruptibili natus est, & est ceu flos agri: Illum autem qui natus est ex semine Dei, per fidem in verbum Euangelij, manere & viuere in æternum, quia ex semine incorruptibili (nimirum non solùm in sese, sed etiam in eo, qui ex ipso natus est, incorruptibili) natus est: Verbum igitur semel, & regenerante fide apprehensum, manere in renato in æternum. Id quod ipse quoque Lutherus in eum locum aperte docet: Euangelium (inquit) quando prædicatur, ilico quidem transit: sed si suscipitur corde, & fueris ipsum fide amplexus, iam non potest amplius excidere.

Apparet igitur Petrum sensisse, in iis qui semel renati sunt ex hoc semine verbi Dei, perpetuo manere incorruptam fidem, & verbum Dei.

Deinde ibidem ait, fideles custodiri virtute Dei per fidem (vel iuxta versionem Lutheri, in fide) in salutem. Si ergo custodiuntur in fide vel per fidem in salutem, custoditur etiam in eis fides, per quam in salutem custodiuntur. In epistola verò altera in cap. 1. Primùm veram fidem eam esse describit, quæ viua sit, hoc est, per dilectionem efficax. Eam enim vt arborem viuam depingit, quæ suos etiam bonos fructus proferat. Hoc facit, cùm ait; subministrate in fide vestram virtutem, in virtute scientiam, in scientia temperantiam, in temperantia patientiam, in patientia pietatem, in pietate fraternum amorem, in fraterno amore charitatem. Ecce fructus qui ab arbore fidei oriuntur. Ergo non esse veram fidem, nisi sit viua & efficax per dilectionem, docet cum subdit: Hæc enim si vobis adsint, & abunde suppetant, non otiosos, neque infructuosos vos constituent in cognitione Domini nostri Iesu Christi: h. e. qui hæc præstant, illi declarāt, se non habere otiosam Christi cognitionem & fidem. Quasi dicat, Fides Christi vera non potest esse otiosa. Probat à contrario, dicens, cui hæc non adsunt, cœcus est, manu palpans, purgationis oblitus veterū delictorum, h. e. Qui non profert hos fructus, declarat aperte se non esse præditum vera Christi cognitione & fide, sed cæcum esse, adeóque nescire, quò eat, oblitumque esse sui baptismi. In quo (quod ad ipsum baptismum attinet) peccatorum purgationem acceperat. Illi enim ab Ecclesia iudicantur peccatorum purgationem accepisse, qui baptismum susceperunt, tametsi sæpenumero contingat, vt multi aquæ baptismo baptizentur, sine baptismo Spiritus, per quem solius Spiritus baptismum, verè homo à peccatis purgatur. Iis igitur omnibus docet Petrus, veram fidem eos nunquam habuisse, neque peccatorum ablutionem verè accepisse, qui tales fructus non proferunt. Deinde mox docet Apostolus, qui habent hanc viuam fidem, illos non posse amplius ea excidere, dicens, Quamobrem magis, fratres, studete firmam vestram vocationem & electionem facere (nempe fidem viuam exercendo, & hos prædictos fructus proferendo.) Hæc enim si feceritis, non cadetis vnquam. Sic enim abunde subministrabitur vobis ingressus in regnum æternum Domini & Seruatoris nostri Iesv Christi. Quibus verbis tria docet Apostolus. vnum, certitudinem de nostra electione, & secundum propositum vocatione per Spiritum sanctum in animis nostris genitam, exercitiò fidei viuæ, & bonorum operum in nobis confirmari. Alterum, illos, qui in hoc studio se exercent, nempe fideles, immunes esse à periculo cadendi, & constanter in gratia Dei perstare. postremum, rationem, qua sancti in gratia & fide constanter perseuerant, hanc esse, quia Dominus nouas illis gratias perpetuò suggerit, & ita has suggerendo, subministrat illis ingressum in regnum æternum: vt ita liceat ex verbis Petri componere hunc Syllogismum, Quicunque sunt donati vera & viua fide, ij subministrant in fide virtutem, in virtute scientiam, &c. hoc est, in studio bonorum operum se exercent. Quicunque autem in studio bonorum operum se exercent, ij ita conseruantur in fide, vt & de sui electione & vocatione fiant indies magis ac magis certi, & extra periculum excidendi à gratia Dei sint: Deo illis subinde nouas gratias suggerente, & in regnum Christi perpetuo ingressum subministrante. Ergo certo certius est ex doctrina Petri, quæ eadem est cum doctrina reliquorum Apostolorum & Prophetarum, Apostolum non sensisse, Electos fideles posse à sua fide prorsus excidere. Nam & quid Christus pro se & omnibus fidelibus rogasset sciebat, & vim eius orationis expertus fuerat, dum sensit suā fidem quidem patefactam, idque suo vitio, sed tamen non fuisse penitus extinctam, Deo illam sua gratia conseruante, ac custodiente. Non potest igitur ex hoc secundi capitis loco contraria doctrina colligi. Et certe nihil est, cur ex hoc loco inferri debeat, aut possit, Electos fideles à fide prorsus excidere posse. Etenim primò Apostolus hîc non loquitur de sanctis aut de lapsibus sanctorum, qui etsi labuntur, à via tamen non recedunt, & lapsi resurgunt: sed loquitur de reprobis, & lapsu reproborum, cum scilicet reiecto Christo & eius Euangelio, ad impietatem toti redeunt: quod non est, nisi ἀποστασία: de qua etiam suprà diximus locutum esse Apostolum ad Hebr. 10. Patet hoc tum inde, vbi ait: facta sunt postrema illius peiora prioribus: tum inde, Melius fuisset non nouisse viam iustitiæ quam ea cognita conuerti (hoc est, relabi) à sancto proposito: hoc est, a doctrina Euangelij deficere. Denique ide docēt duo prouerbia, quæ subdit, quorū primum est, Canis reuersus ad vomitum, scilicet resumendum. Alterum, Sus lauta ad volutabrum cœni. De defectione igitur à doctrina Christi loquitur. Atqui talis defectio non cadit in sanctos: vt supra diximus. non igitur ille locus pertinet ad sanctos. Hoc dictum Dominus etiā Philippus recitat, de iis, qui tentati tentatione Diabolica, securi, sine vllo timore Dei peccāt: in illud 1. Cor. 10. Fidelis autem Deus. Hoc autem modo nō peccant sancti: ij enim humana tantū tentatione tētati peccant, vt idem Philippus ibidem docet, sicut Dauid & Petrus. Ergo non pertinet ad verè sanctos & fideles.

At dices, Petrus ait ὄντως ἀποφυγόντας, idque per cognitionem Domini nostri Iesu Christi: indicat igitur eos, qui vera fide præditi verè conuertuntur, posse ad pristinos errores, vt canis ad vomitum redire: atque ideo fidem amittere. Primùm quidem, vetus interpres Latinus non habet *verè*, sed *paululum*. Sic etiam vertit Hieronymus To. 2. contra Iouinianū lib. 2. pag. 71. Ex qua lectione colligere est, exemplar Hieronymi & veteris interpretis habuisse ὀλίγον, vel certé, οὕτως, *sic*. Hæc autem particula οὕτως in Scripturis nonnunquam rem extenuat, & significat *vtcunque*: vt Ioh. 4. Iesus autem sedebat οὕτως *sic*, super fontem, hoc est, *vtcunque*, & meliori, quo poterat modo, sedebat idque annotauit etiam Erasmus Roterodamus.

Robertus quoque Stephanus in suo nouo Testamento annotauit, in aliis exemplaribus Græcis, loco ὄντως reperiri ὀλίγως id est, *propemodum*, in aliis exemplaribus ὀλίγον, *paululū*: in aliis οὕτως *sic*. & certé fuit facilis lapsus ex ὄντως in ὄντως vna litera υ in altera nempe in ν mutata. Quare argumentum ex illa particula ὄντως petitum, firmum non est. Sed demus legendum esse ὄντως ex illo tamé Apostoli loco colligi non potest eos, qui veré ab impietate ad pietatem, à regno Satanæ ad regnum Christi per verā fidem conuersi sunt, posse à fide vera penitus excidere.

Apostolus enim non loquitur de vera & plena ab impietate ad pietatem conuersione, quæ fit per veram & viuam fidem Spiritúsque sancti regenerationem: sed tantùm de conuersione non simulata, ab erroribus ad veram scientiam: quæ conuersio non semper secum affert cordis renouationē & regenerationem, sed sæpe in intellectu tātùm locum habet. Quot enim etiamnum sunt, qui relicto papatu & impia doctrina, piam religionem amplexi sunt, eámque intelligunt, & tamen nondum sunt regenerati, nec veré in Christum insiti? ij principium veræ fidei habent (principium enim fidei, est ipsa veritatis cognitio) sed nondum veram fidem. vera enim & iustificans fides, non tantùm est nuda veritatis cognitio, sed coniunctum habet assensum, πληροφορίαν fiduciam, charitatem, & cèrtam spem. Proinde etiam D. Philippus in Commentario in 1. Cor. 10. cap. ea explicans verba: Ideo qui existimat se stare, videat ne cadat, cùm citat hunc locum Petri, sic ait. Quòd autē in aliquibus, qui initia fidei habuerunt (notandum, quòd non ait, qui veram fidem habuerunt: sed tantum qui initia fidei: initia autem fidei sunt erroris positio, & veritatis cognitio) & postea lapsi non redeunt, fides illa priusquam excutitur, vera sit, dictum Petri restatur 2. Petr. 2. Quis non videat, quid hic appellet ve-

ram fidem Philippus? nimirum id, quod ante appellauerat initia fidei: nimirum veritatis Euangelicæ cognitionē. Ac de vera quidem ac iustificante fide Philippum non loqui manifestum est, quia ait: Qui initia fidei habuerunt, & postea lapsi non redeunt. Est autem manifestum, eos, qui vera & iustificante fide præditi sunt, postquam lapsi sunt, redire & renouari: quia quos iustificauit, hos & glorificauit. Nomine igitur veræ fidei Philippus, in hoc Apostoli dicto, non intellexit nisi initia veræ fidei, hoc est, ipsam veram veritatis Euangelicę cognitionem, sed eam nudam & mortuam. Et de hac loqui Apostolum, manifestum fit ex verbis ipsius Apostoli: primo cùm ait, eos, qui verè aufugerant ab iis, qui in errore conuersantur: hoc est, qui deseruerunt eos, qui versantur in errore: & consequenter amplexi sunt consortium illorum, qui versantur in veritate: ac proinde, qui errore deposito amplexi sunt veritatem. Item cum ait, Satius fuisset illis non cognouisse viam iustitiæ, quàm illa cognita retrogredi à sancto præcepto, seu à sancta doctrina. Non ait, satius fuisset non habuisse veram fidem, aut verè credidisse, aut iustificatos fuisse, quàm posteà à vera fide aut à iustitia defecisse: sed tantùm ait, satius fuisset non agnouisse viam iustitiæ, quàm illa cognita retrogredi à sancta doctrina. Nos autem non negamus multos, qui verè errores posuerant, & veritatem amplexi fuerant, illos dedoctos & hanc edoctos, postea à vera doctrina defecisse, seu deficere, & hoc modo fidem, id est, fidei doctrinam vel principium fidei (vt loquitur Philippus) excussisse atque excutere: sed non hinc sequitur, Ergo qui præditi fuerant vera fide, ab ea prorsus defecerunt: quia discrimen magnum est inter veræ fidei doctrinam, principiaque: & ipsam veram fidem: hæc enim iustificat, illa autem non: hæc inserit in Christum coram Deo, illa autem in facie tantùm Ecclesiæ. Summa, loquitur de illis, qui fidem habent temporariam. Quæ fides licet coram Deo sit reuera hypocritica (sola enim iustificās fides est [illegible], 1. Tim. 1.) tamen ipsis, qui eam habent nobis quibus cum illi conuersantur, videtur vera. Neque enim vel ipsi se, vel alii eos fidem simulare putant. Ideò spectato, tum ipsorum, tum Ecclesiæ iudicio dicuntur [illegible] credere: sed coram Deo [illegible] credunt: hoc est enim proprium Electorum tantùm, vt coram Deo [illegible] credant. Iis similes fuerunt illi, de quibus Iohan. 2. Multi crediderunt in eum: IESVS autem non se credebat eis: eò quòd nosset omnes, nec opus haberet, vt quis testimonium perhiberet de homine. Ipse enim sciebat quid esset in homine. Quasi dicat: Illi putabant se vere credere, sed Christus bene videbat eos non vere credere: ideo non se credebat eis. Sed postremò demus intelligi de iis, qui vera fide donati, vere ad Christum conuertuntur: tamen non inde sequitur hos posse excidere prorsus à fide. Nam Apostolus ait [illegible], non ait, quòd eos capiāt: sed quòd inescent, seu escam illis ad capiendum præbeant, etiam multi pisces inescantur, seu esca captantur, sed non capiuntur. Nō autem inficiamur, etiam electorum fidem nonnunquam labefactari: sed conuelli prorsus ex illorum cordibus, pernegamus: neque id vel ex hoc, vel ex alio Scripturarum loco euinci potest.

Nam quòd postea afferunt ex Mat. 12. parabolam illam de immundo Spiritu: nihil eo facilius ad dissoluendum. Primùm hæc parabola ipsos tantum Iudæos perstrinxit. Hoc patet ex conclusione, quam infert Dominus, dicens: Sic erit generationi huic pessimæ. Voluit autem hac parabola concludere, Iudaicæ genti in vniuersum extremū imminere exitium. Quare non quia semel iustificati, veraque fide præditi, postea fidem prorsus abiecerunt, & à gratia Dei exciderunt: sed quia, cùm primum legem acceptissent, qua videbantur à Dæmone, qui reliquas omnes gentes captiuas tenebat, prorsus liberati, nec tamen eam seruauerant: postea Euangelium etiam sibi per filium Dei oblatum reiecerunt, imò illud agnitum impugnauerunt, & in Spiritum sanctum blasphemarunt: vt in eodem capite paulo ante Dominus concluserat. Quid autem hoc fuit? Fuit penitus renuntiare Christo & totos se consecrare Diabolo. Perinde ac si quis domicilium optime præparet hospiti, vt ibi libentius & perpetuò habitet. Sic enim faciunt illi qui veritatem cognitam, qua videbantur è Diaboli manibus liberari postea oppugnant ex animo, illi in æternum renuntiando, Satanæ autem mendaciis adhærendo. Hæc fuit mens Christi in illa parabola, id quod patet, si quis omnia diligenter perpendat. Neque aliter interpretatus est locum hunc Bucerus, quem cupio legi. Quare apparet clarè, locum hunc nihil plane facere aduersus meam thesin: quasi qui semel donatus vera fide, & verè à Diabolo liberatus est: possit deinde fidem amittere, & in manus Diaboli penitus tradi, vt in æternum cū eo pereat: cum nihil minus quàm hoc, ex hoc loco Matth. concludi possit. Loquitur enim Christus de iis, quorum postrema fiunt peiora prioribus, hoc est, qui omnino perditi fiunt & pereunt desperati, qui autem vera fide præditi sunt Electi, perditi omninò non sunt, nec perire possunt desperati. Nihil minus igitur concludit Christus, quàm vere fideles à fide prorsus excidere, ideóque perire posse. Philippus etiam Melanchthon in 1. Corinth. 10. Fidelis autem Deus, 1.45. hoc dictum Matth. 12. recitat de his, qui tentati tentatione Diabolica, ideóque ab illa superati, peccant securi, sine vllo Dei timore, ac proinde ex contēptu, quod peccatum ipse alibi vocat peccatum contra cōscientiam. Non igitur intelligitur de iis, qui peccant tentati humana tentatione, ideoque non ex contemptu Dei, sed ex infirmitate & ignorantia, in quorum numero ponit Philippus Dauidem, &c.

In exemplo Ecclesiarum Galatiæ duo habent loca. ex Epistola ad Galatas, cap. 3. vnum, Num sic stulti estis, vt cū Spiritu cœperitis, nunc carne consummamini? Alterum, Excidistis à gratia, quicunque in lege iustificamini.

Respondeo, Quod ad primum attinet, [illegible], in nomine Spiritus. Nam accipiunt Spiritum pro Spiritu sancto, hoc est, regenerationis, cùm tamen aliter interpretes illū accipiant. Scholiastes Græcus Spiritum accipit pro efficacia Spiritus in miraculis efficiēdis, carnem vero pro circumcisione in carne. [illegible]. Ipse etiā Ambrosius sic interpretatur. Nomen enim Spiritus accipit pro donis Spiritus sancti, quibus visibiliter fideles tum donari solebant. Ad rudimenta enim (inquit) fidei commendanda, donum Dei hoc manifestabatur hominibus, & sic interpretatur illud Galatas accepisse Spiritum sanctum ex auditu fidei, & non ex operibus legis. Postquam autē redierunt ad legem, an eos perdidisse hanc Spiritus sancti gratiam, & hoc esse, Spiritu cœpistis, nunc carne consummamini. Eodem modo interpretatur Chrysostomus. Talia autem dona Spiritus sancti donantur etiam reprobis, nō vere iustificatis, vnde illud. Multi dicent, nónne in nomine tuo dæmonia eiecimus? quibus Dominus dicet, non noui vos. Accipi verò etiam potest pro doctrina Spiritus, hoc est, Euangelii, sicut etiam 2. Cor. 3. ad prædicationem enim Euangelii, Spiritus sanctus datur credentibus. Hæc doctrina Spiritus seu Euangelii tradit, hominem iustificari fide sola in Christum, sine operibus legis. Hanc verò amplexi fuerant initio Galatæ à Paulo prædicatam, & ideò dicuntur Spiritu cœpisse. sensus est, Ecclesias illas fuisse initio bene institutas, iuxta Spiritualem Euangelii doctrinam. Nomine vero carnis intellexit Apostolus carnalem sapientiam, & doctrinam, quæ tradebat hominem non iustificari sola fide, sed, etiam ex operibus legis. Iustitia igitur legis, quam carnalis Pseudoapostolorum sapiētia prædicabat & vigebat, caro (vt etiam Lutherus ait) hîc appellatur. Cùm igitur Ecclesiæ Galatarum, pòst Apostoli discessum incepissent spiritualem Euangelii doctrinam, quæ in sola Christi fide iustitiam collocabat, paulatim reiicere, & contrà, carnalem pseudoapostolorum doctrinam, quæ in legis operibus statuebat iustitiam, amplecti, Apostolus ait illos cœpisse Spiritu, & nunc carne consummari, hoc est, bene cœpisse, & pessimè finire. Hoc autē dicit in vniuersum de Ecclesiis Galatiæ, non autē de singulis fidelibus, qui vera fide Euangelium amplexi fuerant. Quis autem neget multas Ecclesias, imò multos priuatos ac singulares homines, initio quidē Euangelii doctrinā amplecti, deinde verò illā reiicere? Verùm quæstio nostra est, an qui vera fide semel Euangeliū amplexi sunt, posteà fide prorsus amissa, illud quoque penitus reiiciant, necne. Hoc pernegamus, & præsens Apostoli locus, vt manifestū est, cōtra nos minime facit. Nec mihi aliter sensisse videtur Theodoret. cùm ait in scholiis Græcis, [illegible]. Opponit hic statū legis statui Euāgelii, hinc [illegible], illū [illegible] appellās. Status gratię, est status libertatis, legis verò status, seruitutis. Sensus igitur Apostoli erit, sic stulti estis, vt cū cœperitis esse liberi, & in statu libertatis, nūc ad statū seruitutis redeatis, & ibi consummemini? Sed postremò, etiamsi accipiatur Spiritus pro Spiritu regenerationis, nihil tamē cōtra nostram thesin concluditur. Nos enim loquimur de illis, qui vere sunt per Spiritum sanctum regeniti, hic autem Apostolus loquitur de illis, qui initiū tātū aliquod Spiritus regenerationis, vel potiùs operū Spiritus regenerationis acceperunt, dicens; Spiritu incepistis,

Nos autem non negamus, quin ij talem Spiritum, seu huiuscemodi regenerationis initia prorsus amittant. De iis enim loquitur Apostolus ad Hebr. 6. impossibile est eos, &c. Tales sunt illi, de quibus Matth. 13. qui verbum cum gaudio accipiunt, & aliquam fructuum spem faciunt: sed postea arescit illorum herba, cùm nō habeat radices, hoc est, cùm talis spiritualis & cognitio & gustus non penetret vsque ad cor: quia scilicet non sunt regeniti: ac proinde Dominus vocat eos πρoσκαίρους. Horum autem fides & pietas non est vera vel fides vel pietas, vt Bucerus & alij testantur. Nihil igitur hic Pauli locus ad Galatas, contra perseuerantiam sanctorum concludit.

Quod ad alterum attinet locum, Gratia excidistis, quicunque in lege iustificamini: idem dico. Nomine gratiæ intelligitur doctrina gratiæ, seu Euangelij: Nomine vero gratiæ, sæpenumero in Scripturis venire doctrinā Euangelij, ipse quoque Lutherus testificatur: & sic illud Apostoli, obsecro, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis, interpretatur, dicēs, Illos in vacuum gratiam Dei recipere, qui verbum quidem, quo gratia offertur, audiunt, hoc est, auribus recipiunt: interim tamen nullo studio amplectuntur, nihilque per illud vita immutatur: in Postill. fol. 213. Quid igitur est, à gratia excidistis, quicunque in lege iustificamini, nisi, quicunque quæritis iustitiā in lege, nō contenti iustitia fidei: prolapsi estis ab Euangelio ad legem, à doctrina & statu gratiæ, ad doctrinam & statum legis? Multos autem recipere doctrinam Euangelij, deinde ab ea deficere, negare non possumus. Sed quæstio est, quinam hoc faciant: illine qui vera & solida fide Euangelium amplexi sunt, an vero qui simulata, quique videntur esse in gratia Dei & non sunt: Dico hoc fieri ab hypocritis ex animo: ij verè renuntiant Euangelio, & ita verè à gratia Dei (in qua scilicet esse etiam videntur) penitus excidunt. De piis verò dico, nonnunquam contingere, vt etiam aliquis verè pius Euangelio renuntiet, sed tantùm vel ex ignorātia, vel ex infirmitate: ex animo autem nunquam: Atque ita pij nunquam verè à gratia Dei excidunt. Ex infirmitate Petrus renuntiauit Christo: at non ex animo, vt ostensum est, & omnes Patres confirmant. Concedo etiam inter Galatas nonnullos fuisse verè pios, qui seducti, putabant ex ignorantia opera legis ad salutem fuisse necessaria. Ij etiam dicuntur excidisse à gratia, id est, à doctrina Euangelij defecisse: sed non prorsus, & ex animo: ideóque non propriè & verè exciderunt. Quare apparet, locum etiam hunc frustrà ab aduersariis, contra nostram de perseuerantia sanctorum in fide doctrinam afferri. Si quis velit nomen gratiæ propriè accipere pro ipsa iustificante gratia, sensus erit: si quæritis iustificari per legem, à gratia excidistis: hoc est, nihil vobis ampliùs negotij erit cum gratia Euangelij, & ea nihil vobis proderit; vt idem hic dicat Apostolus, quod paulò antè dixerat, si circumcidamini, Christus nihil vobis proderit: Item euacuati estis à Christo, qui in lege iustificamini, à gratia excidistis. Hæc Apostolus. Quid est euacuati estis à Christo? Græcè est, κατηργήθητε ἀπὸ τοῦ Χριστοῦ: Quasi dicat; Christus factus est vobis otiosus, seu inanis, & inutilis: est enim idem, quod antè dixerat, Christus vobis nihil proderit. Idem igitur significat etiam hæc locutio, quæ immediatè sequitur, à gratia excidistis, hoc est, gratia Euangelii & Christi fit vobis inutilis. Nam qui iustificari volunt per legem, non possunt iustificari per gratiam. Cæterùm hinc non sequitur conclusisse Apostolum eos, ad quos dirigit hunc sermonē fuisse prius in gratia iustificatos, deinde ab illa excidisse. Videbantur quidem esse in gratia, dum Euangelium purum amplexi sunt sine lege: sed cùm relapsi ad legem, voluerūt per legem iustificari, exciderunt à gratia, id est, agniti fuerunt non fuisse verè in gratia, nec ex animo doctrinam gratiæ amplexi. Docet igitur potiùs, quid consequatur illos, qui volunt iustificari per opera legis, quàm quid Galatis contigerit. Quare hic locus minimè concludit, eos qui prius fuerunt in gratia Dei, postea ab ea prorsus excidisse.

Refutatio trimembris partitionis eorum, qui fide iustificati dicuntur.

OBseruandum autem est (inquiunt) in his exemplis triplicem esse formam fide iustificatorum. Aliqui enim fide semel iustificati & regenerati per Spiritum S. in ea perdurant vsque in finem: quorum pauci inueniuntur. Exemplo nobis est Paulus, qui de se 2. Timoth. 4. ait, Bonam militiam certaui, cursum consummaui, fidem seruaui. Quod superest, reposita mihi est iustitiæ corona, quam reddet mihi Dominus in illo die, iustus iudex, &c. Hic igitur continuauit curriculum, donec perueniit ad metam.

Deinde sunt alij, qui quidem etiam fide iustificantur & regenerantur, sed postea peccatis contra cōscientiam admissis fidem amittunt, Spiritum sanctum excutiunt: sed illi cùm vident se cecidisse, nō perseuerant: resurgunt autem, & agunt pœnitentiam. In iis fides per prædicationem pœnitentiæ iterum accenditur, & ita fiunt à nouo, vasa misericordiæ, templa Spiritus sancti. Tales fuerunt Adam, Patriarchę, Dauid, Petrus. Et horum caussa instituta est in Ecclesia prædicatio pœnitentiæ.

Tertiò sunt alii qui vtcunque sint regeniti, iustificati & sanctificati: tamen postea cùm contra consciētiam ruunt in peccata, in iis furenter perseuerant, & moniti non resipiscunt. Itaque cùm non resurgant, & in malo perdurent vsque ad extremum vitæ halitum, pereunt & abiiciuntur in æternos cruciatus. Hæc omnia illi.

Respondeo. De primo genere non contendo: tantùm istud dico, quod ad paucos quosdam restringunt, me ad omnes verè fideles, veràque fide præditos, & coram Deo iustificatos extendere: quoniam licèt in itinere ad cœlestem patriam, alii sæpiùs & grauiùs labantur, à via tamen non recedunt, & lapsi resurgunt: & ita iter susceptum continuant.

De secundo, Non concedo quempiam ex verè iustificatis & renatis, aut peccare ex destinata malitia totóque corde, id quod est propriè peccare contra conscientiam, seu verè plenéque scientem ac volentem peccare, aut fidem prorsus amittere, & à Spiritu sancto penitus deseri, vtrumque enim suprà demonstratum est pugnare cum sacris literis, piisque doctoribus. Quòd horum etiam tātùm caussa instituta sit prædicatio pœnitentiæ, ineptè dicitur: quasi verò aliqui ita sancti sint in hac carne, vt non peccent: & ideò non opus habeant pœnitentia & peccatorum remissione. Sed illud prorsus est intolerabile & blasphemum: quosdam esse renatos & verè iustificatos, veréque in Christum credentes, qui in peccatis furenter perseuerent, nunquam resipiscant, & in æternum ruant exitium. Quid enim hoc aliud est, quàm totum Euangelium euertere, & Apostolos, Christúmque ipsum mendacii accusare, qui contrarium planè docuerunt?

1. Qui credit in me (inquit Christus) habet vitam æternam. Quomodo æterna fuerit, si pereas? At æterna fuerit etiam mihi, si æternùm credam. Verùm, si ad tempus credas, vera fides non est, sed temporaria, temporarii autem nunquam apprehendunt vitam æternam.

2. Illi soli certè vera fide credunt, qui præordinati sunt ad vitam æternam, vt Actorum 13. legimus. Quomodo igitur aliquis verè credens, in æternum ruere exitium potest?

3. Quid Apostolus ad Romanos? Quos iustificauit, hos & glorificauit: nemo igitur iustificatus æterno exitio inuolui potest. Neque valet glossa tua, hos glorificauit, qui manserunt in finem vsque iustificati, & iustitiam nō amiserunt: hoc est enim τὸ κρινόμενον. An qui Electi & iusti sunt, iustitia prorsus excidere possunt, & æterna morte damnari? Tu ais: Ego nego cum Apostolo. Audi & Bucerum in Luc. cap. 1. pag. 541. Vera iustitia non est, quæ finem nouit. Catena Apostoli indissolubilis est, ita vt de quocunque dici potest, hic iustificatus est, de eodem omnino pronuntiandum sit, hic igitur glorificabitur. Et contrà. Hic non est glorificatus, sed in æternum ruit exitium: Ergo idem nunquam fuit iustificatus.

4. Quid Dominus? Ioh. 10. Oues meæ vocem meam audiunt, & sequuntur me, & ego vitam æternam do eis, nec peribunt in æternum, & nemo potest eas rapere de manu mea. Concludit Dominus fieri non posse, vt qui sunt oues Christi, pereant, & in æternum ruant exitium. Quicunque autem credunt in Christum, & iustificati sunt per Christum, oues Christi sunt. Quomodo igitur fieri potest, vt qui credit in Christum, & iustificatus est, in æternum ruat exitium?

5. Ioh. 17. Orat Dominus pro omnibus qui in se crediturí erant, & ait, se velle vt ibi sint, vbi est ipse, item vt videant gloriam, quam sibi dederat Pater. Christus autem nō ruit in æternum exitium, sed in beata est vita. Quotquot igitur credunt in Christum, æterna cum Christo vita perfruuntur necesse est.

6. Postremò, doctrina hæc aduersariorum pugnat cum doctrina ipsius Lutheri, & omnium, qui Euangelium sincerum docuerunt. Etenim præter alia loca, Lutherus To. 5. in 17. Ioh. fol. 294. contendit eos, qui ad Euangelii participationem venerunt, & verbum Christi serio amplexi sunt, certò esse ex Electis, qui Christo dati sunt, neminem

enim

... venire ad Christum. Secundo [illegible] Christum [illegible] dati sunt, eos prorsus custodire, ne quisquam ipsorum pereat. Sicut ipse Ioh. cap. 6. ait: Haec est voluntas eius, qui misit me, Patris, ut quod dedit mihi, non perdam ex eo quicquam [illegible]. Et Ioh. cap. 17. Quos dedisti mihi, ego custodiui, & nemo ex eis periit, nisi filius ille perditionis. Et Ioh. 10. [illegible] oues meae vocem meam audiunt, [illegible]. Ego vitam aeternam do eis, nec peribunt in aeternum, neque rapiet eas quisquam de manu mea. Haec Lutherus. Sentit igitur Lutherus cum Scripturis, eos qui semel [illegible] Christum crediderunt, & iustificati sunt, non posse [illegible] perire. Eadem est doctrina Buceri, [illegible] & [illegible] ceterorum omnium: imò & Augustini, [illegible] scholasticorum.

Neque verò hîc mihi obstrepas, Ergo [illegible] qui in peccatis contra conscientiam [illegible] & in iis perdurant, usque ad extremum vitae [illegible] minimè verò. Nam ego quoque [illegible] negem: Sed contendo, [illegible] nunquam fuisse coram Deo iustificatos, nunquam ex animo Christo [illegible] in Christum fide credidisse: sicut & Lutherus [illegible] caput 17. Iohannis. Qui vero iustificati sunt, [illegible] extremum exitium ruere non posse: Sed [illegible] in caelis cum Christo, esse [illegible] cauit, hos & glorificauit, ait Apostolus. [illegible] cata contra conscientiam hoc est [illegible] admittere, & multò [illegible] posse, sicut & Scriptura (ut [illegible]) docent. & Protestantes in [illegible] tentiis. Quid igitur pugnantiam cum doctrina [illegible] potest, quàm esse [illegible] habuerint, tamen postea in peccata [illegible] tam ruant, & in iis, usque ad extremum vitae [illegible] perseuerent, & proinde [illegible] ciatus?

Ad argumenta tertiae classis: hoc est, ad autoritates Doctorum virorum nostri seculi, & Confessionem Augustanam Responsio.

IN tertia classe argumentorum contra perseuerantiam Sanctorum, continentur aliquot [illegible] Doctorum virorum sententiae, quae cum doctrina de perseuerantia Sanctorum pugnare [illegible]. [illegible] loco etiam ex Reformatione Coloniensi, [illegible] consentiente & approbante Philippo [illegible] duntur, loca tria. Primus locus est in cap. de [illegible] quaestione quarta, ubi sic legimus:

Tertia porrò necessaria causa bene operandi est, quod fieri non potest, ut absque [illegible] consistat fides vera, & certa in Christum fiducia, [illegible] peccatis, quae admittuntur contra conscientiam. Haec ipsa fidei natura perspicua sunt. [illegible] ex quo firma [illegible] Dei promissa propter Christum. [illegible] proposito peccandi, in quo manifestus est contemptus Dei & [illegible] Dei promissiones consistere non potest. [illegible] haec fides & peccata inter se repugnantia. [illegible], quicquid ex fide non est, peccatum est. [illegible] fidei naturam, ut ex se bona opera producat. Quare cum peccatur, ut id aliena fiducia [illegible] in Christum repellitur, & gratia atque aeterna [illegible] de salute hominis, nisi recepta fiducia Christi & [illegible] omni aliena fiducia, homo se Deo in obedientiam [illegible] restituat.

Respondeo, Bucerum non sensisse, eum qui vera fide donatus est, posse à fide prorsus excidere, [illegible] ex iis, quae antea ex eius libro de [illegible] tio, retulimus. Non est autem [illegible] pugnantia scripsisse. [illegible] Reformatione Coloniensi, contra nostram Thesin, [illegible] est doctrina Buceri, nihil planè concludit. [illegible] ut illi loci dextrè explicentur [illegible] nihil pugnare, [illegible] apparet. Quod igitur attinet ad hunc primum locum, nihil aliud concludit, nisi id quod nos [illegible], cum respondimus ad argumenta primae classis, è Scripturis, Patribus, & Protestantibus demonstrauimus: [illegible] esse verae fidei naturam, ut sic viuat: ideoque ut peccatum contra conscientiam, & haec fides, simul consistere non possint: ac proinde qui vera fide praediti sunt, eos peccata contra conscientiam, & ex animo non admittere. [illegible] contra conscientiam [illegible] contra mentem & Spiritum [illegible] in [illegible] peccant: sicut contigit Dauidi, & Petro & aliis. Hoc igitur docere voluerunt [illegible] autores. At subiiciunt, dicens: quare cum peccatur, ut id aliena fiducia fit, [illegible] in Christum repellitur, & gratia atque aeterna vita abiicitur, & actum est de salute hominis, nisi recepta fiducia Christi, & depulsa omni aliena fiducia, homo se Deo in obedientiam penitus restituat. Docet igitur [illegible] posse contra conscientiam peccare, & ita fiduciam Christi repellere, atque gratiam & aeternam vitam abiicere, & rursus posse [illegible] Deo in obedientiam restituere: [illegible] gratiam posse, & non semel [illegible] fidem, sed saepius &c.

Respondeo. Primo liber non ait, Quare cum peccatur à vere fidelibus: sed: quando peccatur. Porrò autem & debet referri ad [illegible], si illud, peccatur, [illegible] pro peccare contra plenam conscientiam, [illegible] plena & tota voluntate. Hoc [illegible] vere fideles. Proinde illud, fiducia Christi repellitur, & gratia abiicitur, intelligitur [illegible] vera fiducia sed de [illegible] quam habent [illegible] talis fiducia. & non habent [illegible]. Habent [illegible] qui non habet etiam quod videtur habere auferetur ab eo [illegible] non habet [illegible] vere habent [illegible] temporarij. Deinde etc., [illegible] habere, [illegible] habere veram fiduciam sed non habent [illegible] [illegible] & [illegible] fidem Deo in [illegible]. Quis hoc negarit? [illegible] & [illegible] Quod si [illegible] & [illegible] [illegible] plenam [illegible] & [illegible] tamen sensu [illegible] in prima, [illegible] repellitur, [illegible] peccent, [illegible] fidem extinguunt. [illegible] salute hominis, nisi recepta fide [illegible] in obedientiam Dei [illegible] Nam [illegible] peccare faceret, [illegible] ad Deum, [illegible] est, fidei [illegible] Spiritum sanctum, & fides [illegible] accenderetur. Sed hoc non contingit [illegible]: Deus enim [illegible] fidem [illegible]. Apparet igitur, nihil aduersus [illegible] hunc locum [illegible] de hypocritis [illegible] de vera fide [illegible] intelligatur.

Alter locus est desumptus ex eodem capite de bonis operibus, quaestione quarta. Secundum (inquit) [illegible] esse peccatum contra conscientiam, hoc est, quod quis sciens volens admittit: illud in similem locum non habet: & si [illegible] aliquod peccatum designent, gratiam Dei, fidemque abiiciunt, & Spiritum sanctum à se repellunt, neque denique sancti esse, & accepti Deo. Hoc clare testantur illa Spiritus sancti oracula 1. Corinth. cap. 9. & Gal. cap. 5. Qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt. & 1. Ioh. 3. Filioli [illegible], nemo vos seducat qui facit iustitiam iustus est, qui committit peccatum, ex Diabolo est. Quapropter & Paulus 1. Tim. 1. ait, Summa praecepti est dilectio, ex corde puro, conscientia bona, & fide non ficta. [illegible], habentes fidem & bonam conscientiam. [illegible] manifestum est, in reconciliatis Deo necessariam esse bonam conscientiam. Quare qui contra conscientiam peccat, [illegible] gratia & [illegible]. Ad hoc genus peccati pertinet [illegible] affectata ignorantia: qualis est [illegible] & Pharisaeorum, qui praedicatum à Christo & Apostolis Euangelium [illegible], & agnoscere voluerunt. Et nostris temporibus multi [illegible] hominum sunt, qui de Christo

saluatore, neque audire neque cognoscere volunt, & vocem Dei de cœlo sonantem, Hic est Filius meus dilectus, hunc audite, planè contemnunt. Tales sunt hodie & Iudæi & Mahometistæ, & alij multi inter aduersarios Euangelij: qui simulant se non intelligere Euangelium, cum tamen neque audire, neque in animum illud admittere velint. Hæc ibi.

Sed quid hoc loco clarius pro mea sententia? Si in sanctis hoc peccatum contra conscientiam locum non habet, & hoc solo exciditur à fide: Sancti igitur non excidunt à fide. At dices: Subdit, & si tale aliquod peccatum designent: gratiam Dei fidémque abiiciunt. Respondeo. Si peccatum contra conscientiam accipias pro peccato quod plena voluntate fit, quod etiam appellatur vastans conscientiam: cùm linea præcedenti dixerat, hoc peccatum locum non habere in sanctis, fieri non potest, vt modo is aliis verbis contrarium inferre velit: nimirum posse hoc peccatum à sanctis admitti: alioquin enim pugnaret secum in duabus lineis, & perinde esset, ac si dixisset, habet locum in sanctis, & non habet locum in sanctis. Quid igitur? locutio est conditionalis, qua ostendit, si per concessionem (id quod non conceditur) aliquando tale peccatum admitterent: profectò fidem abiicerent: quare? quia non possunt consistere peccatum tale, & vera fides. Nihil igitur concludere voluit liber, nisi peccatum contra conscientiam non posse consistere cum fide: quare non habere locum in sanctis. Est illa locutio similis huic, Deus non potest peccare: & si peccaret, desineret esse Deus. Consequitúrne hinc, Deum igitur posse peccare, & proinde posse desinere esse Deum? Imo contrà locutio hæc, quia impossibile est Deum desinere esse Deum: confirmat, etiam Deum non posse vllo modo peccare: nihil igitur isti duo loci euincunt contra me: sed potiùs stant à mea sententia: concludunt enim in sanctos verè fideles non posse cadere peccatum contra conscientiam. Hanc verò fuisse autoris mentem, docent Scripturarum testimonia quæ subiicit: vt illud Apostoli: Qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt: id est, declarant se non esse ex electis neque ex efficaciter vocatis, neque ex iustificatis, ad quos solos pertinet glorificatio. Illud quod citat ex 1. Ioh. 3. tollit omnem dubitationem. Filioli, nemo vos seducat: Qui facit iustitiam iustus est: qui vero peccatum facit, ex diabolo est: hoc est, ille tantùm verè iustus esse agnoscitur, qui facit iustitiam, seu, qui studet operibus iustitiæ faciendis. Ille verò qui facit peccatum (non faciunt autem peccatum renati, quia hoc est peccare tota voluntate & ex animo) verè declarat se non esse iustum, aut natum ex Deo, sed iniustum & ex Diabolo natum. Sed quid plura? Conclusio libri docet quid sibi voluerit. Ex iis (inquit) manifestum est, in reconciliatis Deo, necessariam esse bonam conscientiam. Quid est hoc, nisi, nemo reconciliatus Deo verè est, qui non habeat bonam conscientiam? Omnes igitur reconciliati Deo, bonam conscientiam habeant necesse est. Sed verba quæ sequùntur, perspicua sunt, nisi quis velit esse contentiosus. Hactenus, inquit, de peccatis eorum, qui non manent in gratia Dei, sed faciunt se, talia peccata admittendo, obnoxios iterum iræ Dei. Interim tamen & in iis, qui sunt in gratia & sunt reconciliati, hæret ingens naturæ corruptio, infirmitas, & mala concupiscentia, vnde perpetuò plurimi vitiosi affectus oriuntur. Dum autem sancti illis vitiosis motibus resistunt, petunt à Patre cœlesti eos sibi condonari propter Christum, & credunt hanc infirmitatem, atque affectus hos vitiosos remitti sibi propter eundem Christum, hi retinent gratiam, fidem, & Spiritum sanctum, manent iusti, accepti Deo, sancti & hæredes vitæ æternæ, sicut Paulus Rom. 7. & 8. præclarè docet, testificans, nullam illis damnationem esse, qui sunt in Christo Iesu: qui non secundum carnem, sed secundum Spiritum ambulant. Hæc ibi.

Nunc quæstio de istis est: An, dum secundum Spiritum ambulantes à carne impulsi, in eius opera, ceu in lutum, contra suum primum animi propositum, sed non tamen sine aliquo consensu, de improuiso labuntur, vt Petro contigit, isti propter tales lapsus, omnem penitus amittant fidem, & gratia Dei prorsus excidant: & an inter impios hypocritas, qui nullam veram habent fidem, an verò inter pios, sed infirmos, & qui se, propter Christum, filios Dei, quamquam peccatores esse agnoscunt, connumerandi sint, necne connumerandi. Quid enim, si cum carne certando, nonnunquam succumbant? num propterea desinunt esse pij & filij Dei? Hoc certè non docet Reformatio, multò minùs Scriptura: quando isti & antequam peccent, in animo non habent peccare, & dum peccant, non toto animo peccant: & post peccatum, mox admissum peccatum detestantur, non alia de caussa, quàm quia legem Dei transgressi sunt: & diligentiùs, quàm antea, ne denuo in peccata labantur, cauent: Sicut & Dauidem & Petrum & alios fecisse legimus. Annon verò hæc manifestissima sunt veræ regenerationis testimonia?

Postremo illud addo, si liber iis verbis concludit, posse eos, qui credunt, excidere prorsus à fide: concludit de iis, qui habent fidem temporariam, ideóque non veram: hos à fide tandem excidere non solum concedimus, sed edocti à verbo credimus & profitemur: idque quia etiam eosdem nouimus ex verbo Dei peccare contra conscientiam, seu facere peccatum. Cæterùm de verè sanctis, qui vera fide præditi sunt, contrarium concludit: eos scilicet neque peccare contra conscientiam, peccaréve ex destinata malitia, & ideò neque prorsus excidere à fide, & à gratia. Hoc ita esse manifestum est ex Testimoniis, quæ ego antè prope infinita citaui. Legantur, quæ Bucerus scripsit in tres postremos vers. Psal. 10. Ex eodem Spiritu (inquit) & illud erat, NON DEFLECTEMVS A TE: obsignati siquidem sunt huiusmodi, Spiritu filiorum Dei: vnde deficere ab ipso nunquam possunt. Hæc ille.

Atque hæc esto responsio ad hunc Reformat. Colon. locum, si de peccato propriè, & plene contra conscientiam intelligatur. Si verò de peccatis, quæ admittunt sancti, respondeo id, quod etiam ad alterum locum respondi: eo modo abiiciunt fidem sancti, quo modo peccant. Atqui peccant non plene contra conscientiam, seu non plena voluntate, sed ex parte: quia pugnando succumbunt: quemadmodum & de continente non dissimilia scripsit Aristoteles. Igitur amittunt tamen non penitus, sed ex parte, hoc est, fidei feruorem reprimunt, seu suffocant, non autem totum fidei ignem extinguunt.

Tertius locus ex Reformat. Colon. est in cap. de conuersione à peccatis. Sic autem habet, Vehementer dolendum & deplorandum est, tantam esse humanam infirmitatem, & Diaboli potentiam, vt tam multi ex eis, qui in filios Dei adoptati sunt, ab inchoata obedientia Dei, adeo facile recidant, & perceptam gratiam, & Spiritum sanctum reiiciant: ingrati erga Deum suum, quem tam impiè offendunt, & erga seruatorem suum Christum, quem adeò insanè repellunt, erga Spiritum sanctum, quem tam perfide contristant, perniciosi quoque in seipsos. Nam iram Dei in se prouocant.

Respondeo. Deplorat humanam infirmitatem, quod scilicet tanta sit vis peccati, vt non solùm illi, qui sunt extra Ecclesiam, & expertes fidei, & cognitionis Christi, toti sint serui peccati, atque ideò perditi, sed etiam multi ex iis, qui sunt in Ecclesia adoptati in filios Dei, & participes facti Spiritus sancti, ab inchoata tamen obedientia deficiant, & Spiritum sanctum excutiant. Pastoribus igitur curandum, vt quotidianis exhortationibus & admonitionibus ad populum, suos ad pœnitentiam excitent, & in timore Dei retineant. Loquitur igitur hic in genere de tota aliqua Ecclesia. In Ecclesia autem sunt Electi, & hypocritæ, qui omnes adoptati in filios Dei, & Spiritu sancto donati esse dicuntur, sed non eadem plane ratione. Illi, verè in filios Dei adoptati, & filij Dei electi sunt coram Deo, isti verò non verè, sed tantùm coram Ecclesia, quæ non est καρδιογνώστης, vt Deus, sed tantùm ab externa & confessione & vita homines iudicat: ac proinde secundum iudicium charitatis omnes, qui dant nomen Christo, & baptizantur in nomine Christi, & externa etiam tum fidei confessione, tùm inchoata legis obedientia se in Christum credere profitentur, filios Dei, renatos per Spiritum sanctum, & iustificatos appellare solet: vt antea exemplis Scripturarum demonstrauimus. Cùm igitur diuersa ratione Electi & hypocritæ, adoptati in filios Dei, & regenerati dicantur: diuersa etiam ratione peccant, atque ab inchoata obedientia deficiunt: Electi vere pij, ex parte, non in totum, neque plena voluntate: & ex infirmitate potiùs, quàm ex animo, & ex studio: Impij verò hypocritæ ex animo & plena voluntate peccant & deficiunt, ac proinde diuerso etiam modo Spiritum sanctum contristant, & excutiunt. Impij prorsus, & in totum: pij ex parte, vt suprà explicatum est, nempe quo ad quosdam Spiritus sancti motus in mente, & in corde excitatos, quos pij excutere dicuntur, cùm illis non prorsus obtemperant. Ita neque inficiamus in ipsis quoque sanctis, cùm peccant, præsertim ex consensu, vt fecit Dauid, & Petrus, in vocationem impediri, quatenus scilicet suo peccato confusi, non ita, vt antea, audent oculos in Deum attollere, & eum, vt patrem inuocare, sed non ideò tamen conce-

cedimus omnem penitus inuocationem [illegible] etiam non damus omnem [illegible] fiduciam [illegible] Sanctis [illegible].

De vtrisque autem in genere, Electis & reprobis loqui autores Reformationis, liquet primò ex exemplis duobus, Dauidis & Saulis, quorum alter electus vere pius, alter reprobus hypocrita. Deinde quod aiunt, Non omnes lapsi per pœnitentiam separantur, vt ad Deum redeant: illud de reprobis intelligitur. Ideò autem illi non redeunt ad Deum per pœnitentiam, quia extincta in illis prorsus est omnis, etiam illa temporaria fides, qua præditi erant. Electi verò redeunt, quia in eis remansit semper fides, partim permittentiæ, idque in profundo cordis, [illegible] cineribus, qui ad prædicationem pœnitentiæ, [illegible] cineribus, & adiectis lignis iterum in flammas erumpit, & vsque ad Deum cor rapit, & per veram resipiscentiam eo coniungit. Illud enim Dauidis, pius quisque semper verè dicere potest, Lex tua in medio cordis mei. Atque hæc de locis ex Reformatione Coloniensi, quæ à Philippo simul & Bucero conscripta fuisse dicitur.

Secundo loco afferunt ex scriptis D. Philippi varia loca, in quibus disertè scribit non solum de hypocritis, sed etiam de vere piis, illos, si peccatum contra conscientiam admittant (vult autem à multis etiam piis admitti), amittere fidem, excutereque Spiritum sanctum.

Respondeo. Agnoscimus ita locutum fuisse Philippum, neque tales locutiones damnamus, quanquam [illegible] illum diuersis locutionibus vsum fuisse, cum de sanctis Electis, eorumque peccatis: & alias, cùm de reprobis reprobis loquebatur, vt aliquod discrimen agnosci posset, sicut inter lapsus [illegible]orum & scelera impiorum, sic etiam inter illam amissionem Spiritus sancti, & fidei quæ fit in piis, & illam quæ fit in impiis. Hac etiam ratione [illegible] [illegible] fuisset occulio [illegible] eorum [illegible] male intellecta hæc [illegible] locutione Philippi. Iubemur [illegible] hic ad [illegible] plicandæ hæ locutiones [illegible] peccare contra conscientiam: [illegible] quid sit amittere [illegible] Spiritum sanctum & fidem. Peccare contra conscientiam est, scientem ac volentem, [illegible] prudenter & volenter peccare: hoc est, cum scias si hoc vel illud feceris, te male [illegible] contra legem Dei agere: velle tamen, contra legem Dei [illegible] do, hoc vel illud facere. Sed hoc contingit [illegible] modis: primò, plena & perfecta voluntate sine villa repugnantia, atque hoc est proprie peccare contra conscientiam. Fit enim ex contemptu Dei, & [illegible] Hunc modum hic modus proprius est reproborum. [illegible] & ex odio Dei. [illegible] Philippus peccare ex contemptu Dei. [illegible] Hoc patet ex quadam interpretatione Dominicæ [illegible] in Dominica Oculi in Euangelium Lucæ, [illegible] lippus: Ruens contra conscientiam, non credens agit [illegible] tentiam. Peccare igitur contra conscientiam, est [illegible] tu, contra illum verbum, non credendo, agere. Idem patet ex commentariolo in 1. Cor. 10. in ea verba: Tentatio [illegible] non apprehendit nisi humana, de Dauide loquens [illegible] illum peccasse quidē, sed non ex contemptu, sicut fecit Saul. *Valde (inquit) fuit tristis lapsus Dauidis, & Diabolus* [illegible] *non leuiter* [illegible] *sed tamen non potuit eum impellere* *ad Epicureum contemptum vel odium Dei, vt Saulem* [illegible]. Docet igitur Saulem, & omnes reprobos, vti erat Saul, cùm peccant contra conscientiam, peccare ex contemptu Dei. Idem patet in descriptione tentationis Diabolicæ, cùm ait, eam esse Epicuræam contemptum, odiumque Dei. Hoc verò modo peccare, Hebr. 10. appellatur conculcare (pedibus) Filium Dei. Considerantes enim peribus, qui contemptum [illegible] & odium [illegible] hoc modo peccant, scilicet plena voluntate, [illegible] verbum [illegible] ex voluntate & corde: qua scilicet illud non amant, & nullo modo volunt, ideoque & prorsus excutiunt Spiritum sanctum qui verbum illud mentis proponit, [illegible] vt tunc illud agnoscant.

Secundo modo peccant contra conscientiam imperfectè, sed non plenè: cùm scilicet, etsi noticiam perfectam in [illegible] id quod facturi sumus esse malum, illud tamen ab affectibus in transuersum acti, volentes quidē, sed perturbati, non tamen plena voluntate vel ex animo, sed, vt loquitur D. Gregorius) ex studio agimus: ita vt verum sit, non partim volentes partim nolentes peccare, vt Rom. 7 dicit Apostolus, volentes quidē, quatenus in id, quod appetimus, quodcunque offertur voluntati vt bonum vel vtile vel delectabile, inclinamus. Voluntas enim fertur in bonum, vel verū, vel apparēs. Nolentes verò, quia peccatum, vti peccatum, & contra Deum tendens, odimus ac proinde eadem

voluntas, qua renata est, non vult peccatum, quatenus verò adhuc reliquum concupiscentiæ originalis retinet, vult idem quod carni bonum esse videtur: ita vult & non vult: sed non ex tota voluntate: quia neque tota caro est, neque tota Spiritus, [illegible] pugna [illegible]. Hic modus est proprius Sanctorum: & est sine contemptu Dei aut ipsius verbi, sicut Philippus ostendit in exemplo Dauidis, cum ait, Valde tristis fuit lapsus Dauidis: & Diabolus eum non leuiter turbauit, sed tamē non potuit eum impellere ad Epicurēum contemptum & odium Dei, vt Saulem impulit. Proinde qui ita peccant, non prorsus eiiciunt è suo corde verbum Dei [illegible] illud, etsi non perfecta [illegible] obedientia, [illegible] fidem adhuc, & amore, retinent in corde. Quare nec eorum fidem penitus amisisse, nec Spiritum sanctum nec eorum fidem [illegible] excussisse, dici possunt. Nunc igitur videamus quid sit excutere Spiritum sanctum, [illegible] que fidem amittere, & gratia Dei excidere. Quod sic D. Philippo excutere Spiritum sanctum, [illegible] decimum in [illegible] Epistolæ ad Corinthios fol. 24. [illegible] scitet necessaria & [illegible].

Neque ergo (inquit) Apostolus, concessa esse talia quæ ream faciant conscientiam ad est, quæ excutiant Spiritum sanctum. Hæc ille. Docet igitur his verbis, excutere Spiritum sanctum idem esse quod ream fieri conscientiam [illegible] [illegible] verò intelligit [illegible] per transgressionem moralis legis, [illegible] Spiritus sanctus [illegible], qui esse *[illegible]*: quia scilicet Spiritus sanctus [illegible] bonāmque reddit, conscientiam fide in Christum, [illegible] certam eam de remissione peccatorum, deque placata Dei [illegible] per Christum [illegible]. Ergo qui hūc Spiritus sancti effectum excutit, id quod fit per peccatum ex consensu admissum, dicitur ipsum Spiritum sanctum excussisse, [illegible] quod ad hunc effectum Spiritus sancti attinet. In [illegible] verba ideò quòd [illegible] & Spiritum sanctum, [illegible] se [illegible] amittere gratiam & Spiritum sanctum, [illegible] exempla Adæ & Aaronis, de quo dicitur Deut. 9. Aduersus Aaron valde iratus est Dominus, & voluit conterere eum, &c. Hic docet, amitti gratiam & Spiritum sanctum, id est, quod Deum per peccata ad iracundiam contra nos [illegible] quoniam Spiritus sanctus [illegible], qui facit, vt per fidem sentiamus Deum nobis esse placatum. Qui igitur admisso peccato [illegible] Deum sibi esse iratum, quia [illegible] Spiritus sancti effectum amisisse dicitur Spiritum sanctum ipsum amisisse. In Apologia quoque de coniugio sacerdotum [illegible] [illegible] vera fides (inquit) [illegible] cum conscientia [illegible]. Hic etiam *[illegible]* fidem pro fidei effectu [illegible]: quia cum fide purificantur corda, vt habemus in Actis: ideò qui peccato conscientiam polluit, dicitur fidem ipsam excussisse, [illegible] qui fidei effectum excussit, [illegible] Spiritus sancti & fidei effectus, per [illegible]. Nos autem hos Spiritus sancti & fidei effectus, si non prorsus, [illegible] peccata ex consensu admissa excutit [illegible]. Quis est enim, qui tam magna ex parte, non sentiat [illegible] conscientiam suam esse cum peccauit, non modò [illegible] quòd ad se attinet, [illegible] [illegible] & Deum sibi esse iratum: atque ita [illegible], vt & [illegible] cum Deo in gratiā redeunte [illegible] peccati [illegible] missi remissione & noua cordis purificatione sibi opus omnino esse persentiat? Verum non hinc consequitur, neque hunc volunt inferre D. Philippus, [illegible] Spiritum sanctum, [illegible] fidem eam omnibus suis effectibus [illegible] penitus tolli, [illegible] nulla in eis [illegible] fides, nullique Spiritus sancti [illegible]. Nam absque [illegible] pugnaret D. Philippus, qui non alter [illegible] Scripturæ, Patres, Lutherus, Bucerus, & alij pij & docti nostri seculi viri de perseuerantia sanctorum in fide, [illegible] videtur, vt suprà ostensum est. [illegible] Philippus de excutiendo [illegible] Spiritu sancto, ipsum non loqui de [illegible] in cordibus nostris. Nam quod [illegible] Spiritus sancti in cordibus nostris [illegible] ad impios attinet, Spiritus sanctus in illorum cordibus nunquam habitat: non potest igitur inde expelli ubi nō [illegible]. In cordibus verò piorum perpetuam habet domicilium, vt è Scripturis, & Patribus, & nostri seculi Doctoribus ostensum est: quare ab illis penitus non discedit, sed [illegible] Apostolus [illegible] peccatis [illegible]. Secundo igitur loco notandum est, D. Philippum [illegible] Spiritus sancti intellexisse [illegible] certos quosdam motus, & certos quosdam affectus Spiritus sancti in hominibus. Quare cùm [illegible] motus & affectus, vel horum aliquos per peccata excutimus, [illegible] Philippus [illegible] Spiritum sanctum excuti: quanquam id longè aliter [illegible] hypocritis, quàm verè piis contingit. [illegible]

Quicquid bonarum cogitationum, affectuũ, & operationum tam in impiis, quàm in piis reperitur: totum illud Spiritu sancto est, quemadmodum & Scripturæ tradũt, & Patres omnes cõfirmant, & tota Ecclesia Catholica semper est confessa. Homines autem tam pij quàm impij, cũ peccant ex cõsensu, hæc Spiritus sancti effecta, si nõ omnia, saltem aliquot excutiunt: quanquam, vt dixi, diuersa ratione: sicut etiam aliter impij quàm pij peccant. Exemplum: Spiritus sanctus voluntatẽ Dei, siue in cuiusque animo impressam, siue in Scripturis expressam, mentibus tã impiorum, quàm piorum perpetuò ad imitandum proponit: atque vt illi pareant, licèt nõ omnibus persuadeat, omnibus tamẽ suadet. Atque hic est primus & proprius in mentibus hominum Spiritus sancti effectus: nimirum interna voluntatis diuinæ patefactio, atq; ad illã implendã suasio. Vnde, & qui veritatẽ agnitam oppugnant ex animo, dicuntur peccare in Spiritum sanctum: veritatis enim cognitio, & ad illam retinendam & sequendam adhortatio propria est Spiritus sancti operatio. Quoties autẽ peccatur ex consensu: hæc diuina Spiritus sancti suasio à voluntate repellitur: quid est enim peccatum (de actuali loquor) aliud, quàm diuinæ voluntatis per Spiritum sanctũ nobis patefactæ, & menti ad imitandum propositæ, voluntaria transgressio atque reiectio? Cum igitur ex consensu peccatur, quia tunc diuina hæc Spiritus sancti suasio reiicitur: iccirco tunc Spiritus sanctus expelli dicitur: sicut cùm alicuius consiliarij consilium à principe non auditur, ipse Consiliarius cum suo consilio reiectus à principe fuisse dici potest. Cæterùm, illud fit lõgè diuersa ratione à piis, quàm ab impiis. Pij ex animo tam ipsum consiliarium Spiritum sanctum apud se manentem semper amant, quàm salutaribus eius consiliis, licèt non semper reipsa obtemperent, mente tamen semper condelectantur: hoc est, ea & probant & amant, vt Rom. 7. docet Apostolus. Hypocritæ verò, quorũ externa iustitia simulata est & internum cor plenum est iniquitate, odio habent, tã Consiliarium, quàm eius consilia. Discrimen hoc inter peccata verè piorum & hypocritarum, præter alios tradit D. Gregorius Tom. ... in Iob. cap. 34. lib. 25. cap. 11. Ait Electos peccare alios ex ignorantia (vt Paulus ante conuersionem) alios ex infirmitate (vt Petrus post conuersionem:) reprobos verò ex studio, & de industria. Et peccare ex infirmitate ait esse, cùm bonum quidem amamus, sed tamen non facimus: ex studio verò, cùm bonum nec facimus nec amamus. Huius etiam rei testimonium quisque in seipso sentit. Pius cupit cum Apostolo liberari ab hac naturæ corruptione, ne possit ampliùs peccare: Rom. 7. Infelix ego homo (inquit Apostolus & omnis pius) quis me liberabit de corpore mortis huius? Quid hoc testificatur? in pio perpetuum residere amorem legis Dei, & odium peccati. Impius hoc non cupit, imò cupit semper in hac carne mortali viuere: vt semper possit sine fine peccare. quid hoc aliud indicat, nisi in corde impij perpetuum esse legis diuinæ odium & peccati amorẽ? Hinc fit, vt Electi, quia etiam cùm carne peccant, amorẽ tamẽ boni, & legis Dei in corde fixum retinent: ideò non tota, seu plena voluntate peccare dicantur: Impij verò, quia nũquam in eorum animis verus legis Dei amor residet: ideò tota voluntate dicuntur & toto corde peccare. Quia igitur verè pij, cùm peccant, non plena voluntate peccãt (odio enim habent peccatum) & cùm voluntatem Dei, sibi à Spiritu sancto propositam, non sequuntur, id non ex animo faciunt (eam enim amant:) iccirco neque Spiritum sanctum penitus reiicere atque excutere dicendi sunt: Impij verò hypocritæ, quia non solùm bonum Spiritus sancti consilium non faciunt, sed etiam ex animo illud repellunt, quatenus & illud, & illius autorem oderunt: iccircò totum etiam Spiritum sanctum nimirum in suo effectu, excutere dicuntur. Quod autem dixi de vno, eóque primo Spiritus sancti in animis nostris motu, & effectu: idem de multis aliis dictum volo. Multos enim alios motus excitat, multáque alia effecta parit in nobis Spiritus sanctus. In verè piis inest vera pax conscientiæ, vera cordis mundities, vera fiducia in Deum, vera accedendi ad Deum παῤῥησία, verum gaudium, vera salutis certitudo. Hos Spiritus sancti motus, & fructus ex animis piorum, cùm peccant, etsi non penitus, magna tamen ex parte excuti, hoc est, infirmari, suffocari, & quasi extingui, quis neget? Quis enim cùm peccat, non mox sentit suam conscientiam esse sauciatam, & cor pollutũ? Deum sibi iratum? ideóque animũ ita perculsum timore, vt non audeat, sicut antea, accedere ad Deum? Nemo tamẽ etiã verè pius est, qui propterea se odio Dei affectum esse sentiat: qui non desideret à peccatis liberari? qui non adhuc speret in misericordia Dei (electi enim nunquam penitus de Deo desperant) qui non credat, si resipiscat, & ad Patrem redeat, sibi per Christum peccata condonatum iri: qui denique nõ cupiat alius, hoc est, melior & perfectior fieri, quàm fuerit, aut sit. Vnde autẽ hæ pietatis scintillæ, atque reliquiæ in animis piorum etiam cùm peccarunt? Certè Spiritu sancto. Qui igitur hæc in se, etiã post peccatum, sentit Spiritus sancti effecta: annon verè aliquam adhuc in seipso præsentiam Spiritus sancti sentit, idcóque annon aperte concludere potest, se à Spiritu sancto nondum penitus esse desertum? Cùm verò sciat, per se non stetisse, quin prorsus excusserit totum Spiritum sanctũ, & omnia eius effecta: quid hinc concludit pius? quòd Spiritus sanctus non se penitus deseruerit: id factum esse tum gratia Dei, qui promisit, se suos nũquam penitus deserturum: tum Christi beneficio, qui hoc etiam semel suis Electis impetrauit, & perpetuò pro eis apud Patrẽ intercedendo, impetrat. Dum autẽ hoc cogitat, & credit quia sic scriptum est: annon declarat se præditum esse fide? & dũ credit, Deum, licet iratum, tamen nõ desiisse sibi esse Patrem (quia quibus Pater est in Christo, perpetuò Pater manet) annon reipsa demonstrat, se adhuc retinere Spiritum adoptionis Sanctum? Nõ dubito quin etiam D. Philippus, quæ sua fuit pietas, hæc in seipso expertus fuerit: sicut & reliqui quicunque verè pij sunt, in seipsis quotidie experiuntur. Non est igitur de D. Philippo tam impiè sentiendum, quasi ipse hac locutione, excutere Spiritum sanctum, docere voluerit eos, qui vere pij sunt, quoties peccant ex aliquo consensu: & totum plane Spiritũ sanctum in se habitantem, & omnes salutares eius motus, omniaque effecta à se penitus, & reipsa excutere, atque amittere: cùm præter testimonia Scripturarum & Patrum, ipsa etiam cuiusque verè pij experientia atque conscientia aliter testetur. Quòd autem, verbo excutiendi Spiritum sanctum, Philippus nil aliud intellexerit, quam contristare Spiritum, vt Paulus loquitur, vide Postill. Philippi concione de Trinitate pag. 487.

Ad Augustanam Confessionem quod attinet cap. 12. de pœnitentia sic ait, damnant Anabaptistas qui dicunt homines semel iustificatos non amittere S.S.

Respondeo. Tametsi ex iis, quæ dicta sunt, satis etiam abunde pateat ad Augustanam Confessionem responsio: non fuerit tamẽ inutile, si quid hic adiecero: quò melius nostra doctrina, & consentanea esse cum doctrina pietatis, & cum Augustana Confessione minime pugnare intelligatur. Illa particula Anabaptistas, & circumstantia tum temporis, quo Confessio hæc à Protestantibus fuit composita, tum personæ, cui Confessio hæc oblata fuit, declarant de quibusnam intelligenda sit ista pars articuli, nempe de Anabaptistis, & consequenter de aliis hominibus, qui reuera impij sunt, & qui, licèt iactent se esse iustificatos, séque omnibus actionibus agi à Spiritu sancto, mentiantur tamen. Initiò Euangelij, Anabaptistarum secta exorta est, quæ & ipsa Euangelium profitebatur. Hæc etsi longè differret à fide, & a moribus protestantium, in papatu tamen vnà cum Protestantibus connumerabatur, & eodem nomine hæc & aliæ sectæ appellabantur, nempe Lutherani. Hinc fiebat vt quæ tam hi, quam alij sectarij vel scelera admittebant, vel dogmata spargebant, illa toti corpori eorum, qui Lutherani & Euangelici, appellabantur, à pontificiis attribuerentur, & ita se rem habere à Cæsare crederetur. Cùm igitur sub nomine & titulo Euangelij, ab istis fæcibus, multa tum impia dogmata spargerentur, tum scelera admitterẽtur, propter quæ Euangelium & doctrina omnium Protestãtium pessimè audiebat, Protestantes coacti fuerunt, oblata suæ fidei & religionis Confessione, hanc à se maculam & labem, tum impiæ doctrinæ, tum scelerosæ vitæ abstergere, & Cæsari declarare, se non esse tales quales traducebantur. Inter alios errores Anabaptistæ sectæ, hic etiam præsens & quidem perniciosissimus fuit. Admittebant enim nefanda scelera, & quidem sub nomine Spiritus sancti, dicebántque se ad hoc vel illud faciendum adduci & afflari à Spiritu sancto, tantum abesse, vt hoc vel illo facto (puta concubitu cum alterius vxore) Spiritum sanctum vel conturbarint, vel extinxerint. Posteaquam enim semel fuissent iustificati, ita Spiritum sanctum fuisse in se confirmatum, vt non solùm non possent illum amittere, sed etiam in omnibus actionibus, quæcunque illæ essent, ab illo agerentur. Hæc ita se habere, apparet in libris eorum, qui de doctrina & moribus Anabaptistarum scripserunt. Hoc igitur est quod sibi voluerunt Protestantes

in suæ

stia Confessione: Dãnant Anabaptistas, qui docent homines semel, &c. Hoc autem dogma, quatenus illud [illegible] debant & docebant de se suisque similibus Anabaptistæ: damnandum fuisse & esse quis [illegible] de vere iustificatis non intelligatur, sed solum de Anabaptistis & horum similibus, qui cum impii sint, [illegible] tamen se esse iustificatos, & cùm agantur à spiritu Diabolico, iactant tamen se agi à Spiritu sancto. [illegible] Augustanæ Confessionem [illegible] de vere iustificatis, apparet, Confessionem Augustanam minimè contra nos facere. Quod [illegible] Augustanæ Confessionis de vere iustificatis [illegible] gendum esset: adhuc tamen doctrinam [illegible] tis. Damus enim etiam in verè sanctis [illegible] labefactari, sed penitus extingui [illegible]. Confessio autem Augustana hanc nostram, imò Spiritus sancti doctrinam minimè damnat: sed [illegible] ter docent, iustificatos non posse [illegible] Spiritum sanctum & fidem. Deinde fatemur [illegible] posse, ad ipsos quod attinet, [illegible] dem. sed quod non possint, hoc [illegible] promissionem, & propter efficacem [illegible] ac proinde hac nostra doctrina, [illegible] num, vt veritatem promissionum [illegible] rantiæ dono, & efficaciam [illegible] Deinde [illegible] suis sanctis. ne ipsorum fides [illegible] consequenti, vt fidem in ipsis [illegible] vnquam propter sua peccata de salute desperent, [illegible] veritate diuinarum promissionum, [illegible] Christi intercessione: atque [illegible] excitentur, tantum abest, vt [illegible] tur, pœnitentiam tollere [illegible] limus. Quæ igitur in eo cap [illegible] tenus cum vera doctrina de pœnitentia [illegible] que tollunt resipiscentiam. Quorum [illegible] mum, si quis dicat renatos non posse [illegible] peccare. Certè si quis ad [illegible] non possit amplius peccare [illegible] ne peccatorum, ideòque [illegible] Damnant [illegible] quod ait Augustana Confessio [illegible] dunt quibusdam tantam perfectionem [illegible] gere, vt peccare non possint. Hoc [illegible] telligeret, vt Ioh. 1. Epist. [illegible]: Qui natus est ex Deo, non peccat, & non potest peccare [illegible] de plenaque voluntate. [illegible] & ad mortē. Sed quatenus [illegible] baptistarum, qui [illegible] vllo modo peccare [illegible] tingere, vt non amplius [illegible] rò damnatur, quia tollit pœnitentiam [illegible].

Alterum, quod tollit [illegible] si quis dicat [illegible] [illegible] & [illegible] posse quidem peccare [illegible] sed illo peccato neque Deum [illegible] (neque etiam Spiritum [illegible]) ac [illegible] sanctum in se habitantem [illegible] modo [illegible] de peccata nulla, [illegible] semel [illegible] posse. Certe si res ita se haberet, [illegible] semel iustificati [illegible] deinceps peccent, licet [illegible] cum Deo reconciliatione opus haberent [illegible] cordis [illegible] peccatorū remissione [illegible] & [illegible] Spiritus [illegible] non opus haberent pœnitentia. [illegible] hoc dogma, quatenus scilicet [illegible] quantumuis grauissima, ita docebant, propter peccata, [illegible] neque Deum vllo modo [illegible] homines semel iustificatos, neque Spiritum sanctum [illegible] neque [illegible] nulla opus [illegible] per gratiam Dei [illegible] Caeterum [illegible] neque tam [illegible] sanctitatem [illegible] Fatemur [illegible] hæc docemus [illegible] quod ad hanc [illegible] & docemus ex Scripturis [illegible] [illegible] nunquam ad [illegible] in hac præsenti vita, [illegible] perfectionem [illegible] posse, vt peccare [illegible] Nam si dixerimus (inquit [illegible]) quod peccatum non habemus, [illegible] & hoc contra [illegible] quorundam Anabaptistarum [illegible] atque hæc docemus dari etiam esse peccata [illegible] quæ perpetuò in [illegible] vsque ad finem præsentis vitæ, ac [illegible] quæ nullo modo [illegible] possint, [illegible] quæ eadem concupiscentiæ, & [illegible] Alia sunt [illegible] in Scripturis appellantur Rom. 8. [illegible] sed non [illegible] & [illegible] & grauia, sed nullam [illegible]

mo, aut plena voluntate peccat. Ait enim idem Iohannes Ioh. 3. Qui natus est ex Deo, non peccat, & non potest peccare, quia semen Dei manet in illo, sed peccant semper [illegible] scientes & volentes, [illegible] & [illegible] semper in illis [illegible] propter [illegible] peccant, sicut Rom. 7. [illegible] & semper [illegible] peccant, sicut [illegible] post Augustinum [illegible] [illegible] docet, & ibi [illegible] Concedimus igitur [illegible] in [illegible] hac vita vnquam esse sine peccatis, sed discrimen [illegible] inter peccata [illegible], de quo [illegible] in Matth. cap. [illegible] quæ [illegible] Quare [illegible] Articulus in Confessione [illegible] Augustana [illegible] qui dicit, [illegible] perfectionem [illegible] in hac vita [illegible] contingere, vt amplius peccare nullo modo possint. Hoc enim tollit [illegible].

Quod ad secundum [illegible] (vt dictum est) voluntate, [illegible] plena [illegible] Deum [illegible] tamen peccata [illegible] [illegible] coram Deo [illegible] iustitiam [illegible] quia per [illegible] & Spiritum [illegible] quæ Dei [illegible] Dei donis [illegible] & consequenter [illegible] & [illegible] fides [illegible] ac proinde tanquam [illegible] æternæ [illegible] Dei, & [illegible] peccata, [illegible] misericordia Dei, [illegible] Deo [illegible] & [illegible] Quæ si [illegible] cum Deo reconciliatione, [illegible] docemus. [illegible] Verum sicut [illegible] propter immutabile Dei decretum [illegible] Deo [illegible] electi, [illegible] hæredes [illegible] filij Dei, [illegible] electi, [illegible] propter immutabilem Dei [illegible] & efficacem Christi intercessionem, [illegible] Nam & filij [illegible] Dei [illegible] Psalm. 89.) Ac proinde [illegible] & tamen [illegible] à Christo, & à [illegible] habent, vel [illegible] Huius autem [illegible] Spiritum [illegible] electi [illegible] Dei [illegible] electi sunt [illegible] in Christo electi sunt, & secundum propositum Dei in [illegible] reconciliati & [illegible] vere [illegible] per Christum [illegible] filij Dei [illegible] ex operibus, sed [illegible] Spiritu adoptionis [illegible] Apostolus Rom. 4. [illegible] gratia [illegible] promissio. Quod [illegible] fide, vt secundum gratiam [illegible] & non ex operibus [illegible] ex gratia [illegible] hæreditas, [illegible] Dei [illegible] vt firma sit promissio. Sicut igitur [illegible] opera [illegible] impedire non [illegible] & [illegible] quem Deus [illegible] ex gratia [illegible] hæredes [illegible] Spiritus [illegible] electi, non Deo [illegible] electi [illegible] Dei [illegible] Spiritus [illegible] impedire non possunt Deum, [illegible] hæredes [illegible] pro sua gratia [illegible] & Spiritum sanctum in nobis [illegible] promissionem [illegible] (ideo [illegible]) ex fide, vt secundum gratiam [illegible] vt firma sit promissio. Propterea [illegible] de perseuerantia Sanctorum, [illegible] non [illegible] propter [illegible] Diuina [illegible] promissio, [illegible] sed ex mera gratia [illegible] est facta, neque [illegible] Hæc vero doctrina [illegible] quam fides apprehendit. [illegible] semper propter promissionem, [illegible] fide de salute [illegible] Dei maneat firma & constans, [illegible] ex hac fide [illegible] [illegible] quod hic non est [illegible] filij & hæredes [illegible] [illegible] propter peccata, [illegible] neque [illegible] propter [illegible] filij & hæredes, [illegible] propter [illegible] Christi [illegible] peccata Deum [illegible] Patrem grauissimè offendere, [illegible] Spiritum adoptionis [illegible] [illegible] in ipsis est, Spiritum [illegible] à gratia Dei, atque à Christo [illegible] excidere.

Dico autem, quod in ipsis est, quia per ipsos non stat, quin hæc omnia mala incurrant, sed quod non incurrant, hoc fit ex gratia Dei, propter firmam eius promissionem, & efficacem Christi intercessionem. Deinde etiam re ipsa, etsi à fide penitus non excidant, ita tamen suā fidem concutiunt peccatis suis, vt labefcat: etsi ignem Spiritus sancti nō penitus, & in totum extinguāt, ipsius tamē ardorem, & flammas, reprimunt & suffocant, etsi interiorem hominem non omnino interimat, illum tamen grauissimè vulnerant: ita, vt nonnunquam prorsus mortuus esse videatur. Quare sanctos, docemus duabus rebus opus habere. Tum noua cum Deo Patre reconciliatione, & peccatorū nuper admissorum remissione, (Sed tali tamen reconciliatione, & peccatorum remissione, quali opus est filiis, cùm parentes offendunt,) Tum etiam noua fidei firmitudine, noua Spiritus accensione, & noua noui hominis instauratione, & renouatione: vtrunque autem fit in vera resipiscentia. Non igitur nostra doctrina, qua dicimus eos, qui semel vera fide donati, & vere in Christum per Spiritum sanctum insiti sunt, à fide & à Christo prorsus excidere non posse, tollit pœnitētiam, sed multò magis, quàm altera contraria sententia, firmat: vt postea perspicuum faciam. Totum hoc egregiè pingit Dauid in Psal. 37. Postquam enim ostendit impios suis sceleribus, sibi mortem accersere, ideóque illos verè consumi, & perire: postea de homine verè fideli & iusto, quanta sit eius per totam vitam felicitas, docet iis verbis: à Domino gressus viri (iusti) diriguntur: & (pro quia) viam eius volet. Via iusti, est institutum, & ratio viuendi, quam sibi per totam vitam proponit pius, hoc est, vt totam suam vitam ad voluntatem, & legem Dei conformet. Hoc propositum est in animo firmum: & studium sanctitatis, seu vitandi peccata, faciendæque legis Dei appellari solet. Hæc via est illud perpetuum studium bonorum operum, quod post Scripturas sacras, Lutherus quoque & Bucerus, cum aliis piis & doctis viris dicunt à fide separari non posse. Qui igitur vera fide præditi sunt: illi perpetuò secum habent in animo hoc studium bonorum operum. Gressus verò hominis iusti, sunt externæ omnes iusti actiones, & euentus.

Tria igitur concludit hoc versu: Primùm iustos perpetuò studere legi Dei implendæ, hoc est, verè omnes cupere, & pro virili curare, vt totam suam vitam ad voluntatem Dei componant. Hoc ita proprium, & inseparabile est fidei veræ ingenium: vt, qui hoc nondum sentiunt in suo corde, hi scire debeant, se nondum esse vera, & iustificante fide donatos. Quare gemant & rogent Dominum, vt se quoque hac vera fide donet: efficiátque vt ea cum suo studio sentiatur. Alterum, quod concludit est, externas omnes iustorum actiones à Domino gubernari, & ad propositum scopum, tum ad suam gloriam, tum ad salutem nostram dirigi: ita, vt omnia etiam peccata (inquit Augustinus) cooperentur ad salutem diligentibus Deum, iis qui secundum propositum vocati sunt, idque non ex se, sed ex Deo, omnes gressus piorum dirigente, sicut etiam Apostolus ait ad Romanos, Filios Dei agi à Spiritu Dei. Sed qui non possunt hanc de Prædestinatione, prouidentiáque Dei, omnia moderantis, doctrinam intelligere aut ferre, dicent: Quid? ergo cùm pij peccant, eorum actiones à Deo diriguntur? Maximè. At igitur Deus est autor peccati? Minimè verò. Cùm optimus pingendi præceptor, imperitum iuuenem pingere docet, ipse certè præceptor iuuenis manum tenet, eámque super papyrum mouet ac dirigit. Iam, si inter pingendum aliquod admittatur peccatum, vitius culpa id fieri dicendum fuerit? Præceptoris ne an discipuli? Vter illius malæ picturæ autor dicetur, præceptor ne, an discipulus? certè discipulus, cuius tanta est imperitia, vt etiam ab ipso Præceptore mota & directa eius manus, multa tamen admittat peccata. Sed simile Prophetæ, quod dico, perspicuum facit. Comparat iustum filiolo nondum per se incedere valenti. Deus comparatur parenti, qui filiolum hunc gressu titubantem, manu sua ducit, pater dirigit gressus filioli, inter incedendū tamen, sæpe filiolus tametsi à patre sustentatus, modò vno, modò altero, modò ambobus pedibus nutat, cespitat labitur. Vtrius vitio hoc fit? Non certè patris, gressus dirigentis, sed filioli rectos & firmos gressus facere, etiam adiuti, nescientis. Omnes igitur piorum actiones à Domino diriguntur: tum, quia quicquid ibi est boni, à Domino Deo est: tum, quia quicquid etiam ibi à nobis est mali, à Domino tamen tum ad suam gloriam, tum ad nostram salutem detorquetur atque dirigitur. Tertium quod concludit in illo versu, est αἰτιολογία, cur dirigat Dominus omnes iusti actiones: quia (inquit) viam eius volet, hoc est, quia Deus iustum amat, & eius vitam, id est, sanctum, quod in animo habet propositum, & studium viuendi iuxta regulam legis suæ, probat & diligit: idcirco externas quoque ipsius actiones dirigit & gubernat, seu, quia Dominus donat iustum illa sancta æterna via, ideo etiam externos gressus dirigit. Quos igitur Deus non amat, & quorum interna studia & corda non probat: illorum etiam actiones à Domino non diriguntur. Postea subdit, Cùm ceciderit, non collidetur, quia Dominus supponit manum suam.

Hic etiam tria docet, idque in eadem metaphora persistens. Primum: sicut puerulus: etiāsi à patre sustentetur, subinde tamen nutat, cespitat labitur: ita sanctos, etiamsi illorum gressus à Domino dirigantur, tamen subinde cadere in varia peccata. Ideò ait, cùm ceciderit: sicut etiam Prouerb. 24. Septies in die cadit iustus. Deinde docet, hos Sanctorum lapsus non esse ipsis sanctis lethales, ac proinde talibus lapsibus illos apud Deum non mori: & consequenter non excidere prorsus à Christo, qui est vita, neque à fide qua insiti sunt Christo, & ex qua iustus viuit: Ideò ait, non collidetur. Certè si sancti suis lapsibus amitterent prorsus sanctum Spiritum, & exciderent penitus à fide & à Christo, vita nostra, ipsi colliderentur & fractis animi ceruicibus, perirent. Ait autem Dauid, iustus cùm ceciderit non collidetur, & loquitur de lapsibus sanctorum, hoc est, verè fidelium, quicunque illi sint lapsus, siue graues, siue leues. Postremo adfert αἰτιολογίαν cur sanctorum lapsus non sint ipsis lethales, & cur sancti, cum cadunt, non collidantur, nempe quia Dominus supponit manum suam. Docet igitur lapsus quidem ipsorum suapte natura esse lethales, & per ipsos sanctos non stare, quin, cùm cadunt, etiam collidantur, sed ideò non collidi, id est, non mori, ideò non penitus à fide excidere quia Deus manu saluatrice sanctos sustentat, & in vita, in fide, in Christo seruat.

Tertium quod omnino tollit pœnitentiam est, si quis in alteram partem, huic, de qua modo diximus, omnino contrariam, peccet, nempe si quis dicat, cùm sancti post acceptam semel gratiam, peccant ex aliquo consensu, nō solum Deum offendi, sed ita grauiter offendi, vt ea peccata nolit ampliùs condonare, nec solùm ipsorum fidem quatefieri, & Spiritum S. conturbari, sed ita prorsus & fidem deficere, & Spiritum sanctum extingui, vt ad veram pœnitentiam redire amplius non possint: ac proinde huiuscemodi hominibus, qui post gratiam semel acceptam, ex aliquo consensu peccarunt, etsi pœnitere se dicant, & pœnitentiam coram Ecclesia profiteantur, absolutionem tamen à peccatis esse denegandam. Atque hęc fuit doctrina Nouatianorum, ad quam confirmandam duobus locis ex Epistola ad Hebræos abutebantur, vno ex 6. cap. altero ex 10. Certè si res ita se haberet, quod quicunque post acceptam semel gratiam, aliquod peccatum ex consensu admittit, is non possit ampliùs verè resipiscere, ideóque talis peccati remissionem cōsequi: miserrima esset omnium Sanctorum conditio in Ecclesia, & pœnitentia ab iis, qui sunt in & de Ecclesia, prorsus tolleretur.

Nemo enim ferè est tam sanctus, qui nō aliquando post acceptam gratiam peccet aliquomodo volens & consentiens. Iure igitur hoc tertium damnatur in Confessione Augustana, cum aiunt: Damnantur & Nouatiani, qui nolebant absoluere lapsos post baptismum redeūtes ad pœnitentiam. In quibus verbis notanda est primùm particula illa, Redeuntes ad pœnitentiam: Illud enim sic intelligendum non est, quasi nollent absoluere illos, qui verè, & ex animo resipiscerent. Non enim fuerunt Nouatiani vsq; adeo indocti, & in scripturis inexercitati, qui nescirent, verè & ex animo resipiscentibus peccata à Deo condonari, iuxta illud: Quotiescunque ingemuerit peccator, iniquitatum eius non recordabor: sed quia persuasi erant, qui post acceptam gratiam voluntate peccarent, & præsertim qui Christum fidémque negarent, eos non posse ampliùs verè resipiscere, idque ex dictis Apostoli ad Hebræos perperam intellectis, ac proinde talia peccata non posse condonari, idcirco huiuscemodi peccatores non absoluebantur. Obseruandum est etiam quod aiunt, lapsos, non autem prolapsos. Est enim magnum discrimen in Scripturis inter vtrunque. Labi, est in peccatum incidere, etiam voluntate, sed voluntate carnis, contra voluntatem Spiritus, ideóque non tota plenáque voluntate. Prolabi est tota & plena voluntate in peccatum ruere, & ad iniquitatem ex animo redire. Idcirco qui labuntur, resurgunt, & sui lapsus veniam consequuntur: qui prolabuntur, non amplius resurgunt. De iis enim qui prolabuntur, intelligitur illud Apostoli Hebr. 6. Impossibile est eos, qui semel fuerint illuminati, gustauerintque donum cœleste, & participes facti

[illegible] fuerint Spiritus sancti, gustauerintque bonũ Dei verbum, ac virtutes futuri seculi, si prolabantur, denuo renouari per pœnitentiam [illegible] ludibrio exponentes [illegible] simpliciter [illegible] sibile est, vt denuo renouentur in resipiscentiam. Negare absolutionem [illegible] nus prolapsos esse, non potest [illegible] cap. 5. suæ Epistolæ, vt pro iis non rogemus [illegible] quia isti non resipiscunt [illegible] plis simpliciter absolutionem negare [illegible] Domini: Hi enim redeunt ex animo ad resipiscentiam. Ergo sancti quidem labuntur [illegible] neque possunt (Deo illos semper [illegible]) plena & tota voluntate peccare. [illegible] Bucerus specialiter in Matt. cap. [illegible] Augustana dixit [illegible] Nouatiani renova lapsis negab [illegible] sanctis [illegible] labi & [illegible]

Denique quartum accedit [illegible] tionem, ideoque pœnitentiam [illegible] quis dicat pœnitentiam [illegible] tentia est [illegible] ne; sine fide autem non [illegible] damnatur hic etiam error in Conf. [illegible] vero nescio, quomodo doctrina [illegible] cum Confessione Augustana [illegible] mitti totum fidem per peccatum [illegible] per pœnitentiam. [illegible]

[illegible]

Refutatio exceptionum, quas aduersarij ad nostra Argumenta adferre solent

TRes ad summum sunt exceptiones, quibus aduersarij [illegible] argumentis [illegible] conantur.

Prima est: [illegible]

Respondeo [illegible] ad exemplum Petri [illegible]

[illegible]

2. Deinde [illegible] Scripturam [illegible]

[illegible]

non possit. Sic Augustinus de charitate ait in Epistola ad Iulianum Comitem, vt citatur in Decret. de Pœnitentia distinct.2.Canon.2. Charitas quæ deseri potest, nunquam vera fuit. Sic Bucerus in cap.1.Luc.in illud: Seruiamus illi omnibus diebus vitæ nostræ: Quia denique, inquit, nihil verè bonum, quod finē accipit: addit, omnib. diebus vitæ nostræ: Neque enim pietas est quæ finem nouit. Si igitur fides semel accepta, amitti aliquando, siue ad tempus potest: consequitur necessariò, illam nunquam fuisse veram fidem Vt interim taceam, quòd ista etiam expositio aliam veræ fidei naturam tollit quæ est, vt sit semper viua, per dilectionem efficax, & quæ perpetuum habeat sibi adiunctum sanctitatis studium: quemadmodum Scripturæ docent. & Patres vnà cum doctis nostri seculi hominibus testificantur.

Postremò, ista interpretatio est verè perniciosa: Tollit enim pœnitentiam, laxat frena cupiditatibus, reddit hominem securum, vt audeat etiam contra conscientiā peccare. Hoc manifestum est, quoniam quicunque certus est se habere veram fidem: certus est etiam, iuxta hanc aduersariorum interpretationem, licèt peccet cōtra cōscientiam, & fidem ad tempus per peccata contra conscientiam penitus amittat: se tamen finaliter non posse excidere: Ideóque non posse perire. Peccari igitur posse etiam contra conscientiam: quoniam tandem finaliter fides restituetur, qua seruemur. Atqui dicent, etiam tua doctrina, Zanchi, qua dicis sanctos nunquam posse à fide penitus excidere, eandem parit securitatem, & pœnitentiam tollit. Minimè verò. Ego enim dico talem fidem, de qua est quæstio, non posse stare aut esse cum peccato vastante conscientiam: & tales fideles non admittere talia peccata. & qui admittunt eos nondum habere hanc veram, de qua loquimur, fidem. Quare resipiscant. & rogent Dominum vt det fidem veram. Deinde doceo & vrgeo, quod ad veros fideles attinet, etsi non peccent vt impij toto animo plenáq. voluntate ipsorum tamen lapsus suapte naturâ, æterna morte esse dignissimos: item displicere Deo: item punitum iri à Deo: item illis Spiritus ardorem remitti: fidei flammas suffocari: Spiritum conturbari: inuocationem impediri: imo & quantum in ipsis peccantibus est totam fidem & Spiritum extingui, quia per ipsos non stat, quin excidant prorsus à fide & à Spiritu Dei penitus deserantur: resipiscant igitur & redeant ad Dominum, vti filij patri adhuc chari à Christo nondum excisi, & à Spiritu Dei nondum penitus deserti. Deinde doceo, fidem nostram semper esse imbecillam: semper igitur proficiēdum esse in fide, & in vita Christiana. Doctrina igitur mea neq. licentiam parit, neque pœnitentiam tollit: sed contrà. vtrunque facit ista altera doctrina, quæ docet, veros fideles & contra conscientiam peccare, ac proinde fide prorsus excidere posse: Finaliter tamen fidem restitui, & ideò huiuscemodi homines necessariò tandem saluari.

Altera exceptio aduersariorum ad mea argumenta de perseuerantia sanctorum, nititur hac dictione, Quandiu. Ad illud enim: nemo rapiet eas de manu mea, sic respondent, Oues Christi non posse rapi e manu Christi: quandiu manserint oues Christi, & naturam ouium retinuerint, Item illud. Et portæ inferi non præualebunt aduersus eam (scilicet Petri fidem, & aliorum fidelium) quandiu scilicet manserint in Petra fundati, & manserint Petri: sic ad reliqua Scripturarum loca. At quis non videt hanc esse nugationem, seu petitionem principij: & nihil aliud responderi, nisi tandiu fideles non poterunt excidere à fide, quandiu manserint in fide? id quod nihil aliud est, quàm dicere, tandiu perseuerabunt in fide, quandiu perseuerabunt in fide. Nam per quid fit aliquis ouis Christi? per fidem in Christum; & quid est retinere naturam ouis Christi? retinere veram fidem & Spiritum Christi, quo Christum sequatur. & vocem eius audiat. Quid igitur est, tandiu non poterit ouis Christi eripi è manibus Christi, quandiu retinuerit naturam ouis, & manserit ouis: nisi tandiu aliquis manebit ouis Christi, & erit cum Christo, quandiu manserit ouis Christi, & fuerit cum Christo? seu tandiu retinebit aliquis fidem in Christum, & Spiritum Christi, quo factus est ouis Christi: quandiu retinebit fidem in Christum, & Spiritum Christi? Quæstio autem nostra est, an, qui semel donatus est vera fide, qua factus est ouis Christi, perpetuò sit mansurus ouis Christi: an verò possit desinere esse ouis Christi.

Ego nego posse excidere à fide: & consequenter nego, qui semel factus est vera ouis Christi, posse desinere esse ouem Christi & meis argumentis tam vnum, quàm alterum euinco, Aduersarij affirmant posse excidere, & consequenter affirmant, posse desinere esse ouem Christi. Cùm igitur ita ad argumenta mea respondent, se admittere, qui donatus est vera fide, eum non posse excidere à fide, & consequenter qui in manibus Christi est, non posse ex eius manu eripi, sed addita hac particula, nimirum quandiu manserit ouis Christi, & retinuerit naturā ouis: si non nugantur, ego nescio quid sit nugari. Quid est enim, concedo ouem Christi non posse è manibus Christi eripi, quandiu manserit ouis, & naturam ouis retinuerit: nisi contendo fieri posse, & reipsa contingere, vt quæ in manibus Christi est ouis à Christo excidat, desinátque ouis esse? Sed hoc est, ô boni viri, quod controuertitur: An qui ouis Christi est, desinere possit esse ouis: & ita è manibus Christi eripi æternúmque perire. Ego nego: vos affirmatis: sententiam meam probo testimoniis doctorum virorum: vos hac responsione, hæc admittitis simul & negatis. Quod verò qui semel factus est ouis Christi, is semper maneat ouis Christi: vnus Bucerus apertè docet in cap. Iohan.10. Oues meæ vocem meam audiunt: Docet (inquit Bucerus) omnia à diuina Electione pendere: eósque quibus semel datum fuerit oues esse, perire nunquā posse. Hæc Bucerus. Cùm ait semel datum fuerit oues esse: docet semel tantum dari, vt aliquis ouis fiat. Non potest igitur aliquis semel factus ouis, desinere esse ouis: & secundò accipere, vt denuò fiat ouis. Cùm autem ait, cum cui semel datum est ouem esse perire non posse: apertè concludit, qui semel factus est ouis, eum non posse desinere esse ouem: alioqui enim eum periturum esse. Est igitur mera nugatio ista, aliquem non posse è manibus Christi eripi, quandiu ouis manserit: si intelligas fieri posse, vt ex vera oue fiat non ouis.

Nunc subiicio rationes aliquot, & testimonia doctorum virorum, quibus planum fiet, responsionem hanc meram esse nugationem, & inane commentum simúlque confirmabitur, eos, qui semel facti sunt per fidem oues, perpetuò manere oues Christi, & in fide. 1. Si quis potest abiicere naturam veræ ouis hoc est, non audire & sequi Pastorem Christum: non est vera ouis Christi. Nam verè ouis natura est vt audiat pastorem, & eum sequatur. Quicunque ergo pastorem non audiunt, nec sequuntur: declarant se non esse, nec vnquam fuisse veras oues. 2. Cùm Christus ait Iohan.10. Nemo potest rapere eas de manu mea: Sensus est cùm semel per fidem traditi sumus in manum Christi saluatricem: nos perpetuò à Christo regi, duci, seruari. Ideò Bucerus exponens illud, Ego cognosco oues meas, & cognoscor ab eis, sicut nouit me Pater, & Pater à me cognoscitur, ait hunc esse sensum: Ego cognosco oues meas, me agnoscit Pater: & cognoscor ab illis, vt Pater à me cognoscitur. Iā Pater cognoscit sic Filium, vt eū nunquam deserere possit, sed omnia in gloria eius attemperet: sic iam & ipse cognoscit oues suas, in quarum salutem omnia ea facit & patitur. Filius verò cognoscit Patrē, vt in omnibus gratiæ eius studeat: sic pendebunt tandē oues eius ab eo. Hæc ille. Non possunt igitur vnquam oues Christi à Christo deseri: nec ipsæ vicissim nō pendere à Christo. 3. Lutherus quoque in postillis pag.54. exponens illud, Populum peculiarem, primò ait verbum quo hîc Apostolus vsus est, τὸ περιούσιον. peculium significare, quod alicuius hæreditate, aut alio pacto proprium sit. & ita passim in Scripturis populus Dei, ipsius peculium & hæreditas vocatur. Vt enim paterfamilias, quod sibi hæreditate obuenit, colere solet, exercere & cura sua quotidiana melius reddere: ita Christus cui in peculium cessimus per fidem, exercet & excolit nos, vt quotidie meliores nobis ipsis euadamus, atque magis fructiferi. Hæc ille.

Bucerus in cap.8.Ioh.pag.704. Christus (inquit) fortiter tyrannidem peccati in piis reprimit: neque cedit, donec prorsus illam abiiciat. Si ergo Christus ita oues suas perpetuo agnoscit, & in manu sua retinet: &, si suum populū, suum inquam peculium perpetuò curat, & in suis piis perpetuò peccati tyrannidem reprimit: quomodo fieri potest, vt oues desinant esse oues, & ipsius peculium, desinat esse eius peculium: & pij ita à peccatis opprimantur, vt desinant prorsus esse pij?

4. Lutherus in Postill. fol.62. à Baptismo, quo semel baptizamur, cōcludit salutē nostrā nobis semel tātū donari. Non igitur iterū & sæpius: quod fieret si amissa priori fide iterum alia restitueretur. Quo (scilicet baptismo nos totos regenerante) rursus, inquit, testatur, nostram nobis salutē semel donari: vt acquirenda operibus non sit.

5. Gratia Dei res est, quæ perpetuò in sanctis operatur: ita vt seipsam quoque in eis conseruet. Lutherus in Postil. fol.63. (Magna, fortis, præpotēs, & mirè efficax res est

[illegible] sua gratia ipsa portat, ducit, vegetat, [illegible] & operatur omnia in omnibus, adeò vt [illegible] capere [illegible] liceat. & in Psalm. 51. in illud, Cor mundum crea in me Deus, postquam refutauit opinionem Sophistarum de Gratia, qui eam statuunt tanquam rem [illegible] in omnibus, Sed nos de gratia aliter docemus & credimus, nempe quod gratia sit continua & perpetua operatio seu exercitatio: qua rapimur & agimur Spiritu Dei: ne simus increduli promissionibus eius, & cogitemus, atque operemur, quid Deo gratum est, & placet. Spiritus enim est res viua, non mortua. Item: Quare monco, vt [illegible] vocabula Theologica assuescatis rectè intelligere: sic cum auditis vocabulum creandi (nempe in, Cor mundum crea in me Deus) cogitetis de vno aliquo momentaneo opere, sed de perpetua gubernatione, conseruatione, & [illegible] spiritualium actionum in corde fidelium. Hæc Lutherus. [illegible] si gratia est perpetua gubernatio, & operatio in corde fidelium, non igitur illud vnquam deserit penitus, quin [illegible] peremus, etiam cùm dormimus.

6. Euangelium est ceu vterus Dei in quo nos concepti, vt infantulus in vtero matris, continemur, [illegible] & [illegible] fingimur iuxta illud Esaiæ 46. Audite me domus Iacob, omnes reliquiæ domus Israel, qui ab vtero meo gestamini. Hæc Lutherus. Sicut igitur infantes perpetuò sunt in vtero matrum, donec fractis secundinis in lucem prodeant: Sic nos per fidè in Euangelium Filij Dei [illegible], perpetuo ob Euangelij gratia gestamur, inque [illegible] & [illegible] mus, & nutrimur, donec in lucem æternam & cœlestem exuti corpore, & quasi fractis secundinis prodeamus.

7. Iohan. 8. Seruus non manet in æternum, [illegible] quicunque seruo: filius autem manet in æternum. [illegible] perpetuo in domo. Qui semel factus est filius Dei per fidem, manet perpetuo [illegible] domo Dei, cum Christo fratre & [illegible] Iohannis. Si fuissent ex nobis (id est, ex numero filiorum Dei) mansissent vtique nobiscum, semper in domo Patris Dei. Sed quia [illegible], non ex nobis [illegible] nobis e domo Dei.

Nugatorium igitur est dicere, tandem non posse excidere e manibus Christi, seu excidere à Christo: quamdiu manserit cum Christo, & [illegible] quasi in consesso sit, possibile esse, [illegible] Christi & hinc velis probare possibile etiam esse, [illegible] excidat à Christo & à fide [illegible], & Christi sit impossibile propter diuinam promissionem, & Christi precationem.

8. Si quid potest fideles retinere in fide, ideóque in Christo, ne prorsus ab ea, ideóque etiā ab eo excidant; id vel est ipse solus homo suo libero arbitrio, & suis viribus: vel ipse solus Deus sua sola gratia: vel partim Deus sua gratia, partim homo suo libero arbitrio. Primum dicere plus quàm Pelagianum est. Tertium verò apertè Pelagianum: nam ipsi quoque [illegible] partim gratiæ Dei, partim nobis tribuebant, nec [illegible] salutem volebant soli gratiæ Dei acceptam ferre. Hoc dogma explosum est, & damnatum etiam à Luthero, & aliis [illegible] seculi hominibus. Reliquum igitur est, vt dicamus solum Deum esse, qui sua gratia suos fideles in fide & in Christo retinere possit & velit. Atque valet. Id enim promisit dicens: Dabo timorem meum in corda eorum vt non recedant à me. Hoc etiam valde Mediator noster Christus: sic enim [illegible] de Petro & aliis fidelibus. Rogaui vt non deficeret fides [illegible] 17. Ioh. eandem voluntatem [illegible] significauit Petro & aliis Apostolis. Dubitandum igitur non est, quin [illegible] omnibus suis fidelibus Electis seruaturus sit fidem, ita vt penitus ab ea non excidant.

9. Sic de discipulis veris dicit Christus: Si manseritis in sermone meo, & sermo meus in vobis manserit, veri discipuli mei eritis. Describit hic [illegible] veri discipuli Christi esse, vt maneant, id est, perseuerent in sermone Christi, & illum in se manentem retineant. Ergo qui secus faciunt, declarant se non esse, nec fuisse veri discipulos Christi. Necesse igitur est, vt vera oues semper maneant ouis, & naturam veræ ouis retineant.

Item si quis potest retinere naturam ouis vt non credat Christo, [illegible] fides illius erat temporaria, ideóque non vera. Necesse est igitur, vt qui vere credit, perpetuo retineat naturam veræ ouis, vt credat, seu perpetuo retineat [illegible] & fidem Christum. At dices, fides non vera, & temporaria est illa, quæ ita deficit, vt non amplius testimoniu [illegible] fidei homines fecerunt, Matt. 13. Sic enim illi temporariæ fidei homines fecerunt, Marc. 13. Ergo vero loquimur de ea, quæ ad tempus manserunt, & postea ceciderunt.

Resp. Si illa dicatur dicitur temporaria, ideóque non vera fides, quæ non amplius [illegible], quia sic legimus de illis Matth. 13. Ergo illa tantum etiam est vera eóque perpetua, quæ nunquam [illegible]. Nam illo quarto, qui verā habuerant fidem, nunquam legitur [illegible] ad tempus, & postea [illegible] Christum aut eos retinuisse [illegible]. Ad-do, quod temporarium opponitur perpetuo. Perpetuum autem est illud, quod nunquam deficit: ergo temporarium est illud, quod aliquando deficit. Quæcunque igitur fides aliquando deficit: illa temporaria est. His locis [illegible] perpetuum factum est, fieri non posse, vt qui semel facti sunt [illegible] oues Christi, filij Dei, habitacula Spiritus sancti, seu vasa gratiæ, desinant esse id, quod sunt eóque [illegible] [illegible] esse [illegible]. Quod quod ex hoc [illegible] talis formatur syllogismus [illegible] maior & minor confirmatur: Syllogismus autem talis est: Tandem Sancti, oues Christi, & fide Christi non excidunt [illegible] manent Sancti & oues Christi. Atqui sancti perpetuo manent sancti & oues Christi [illegible] est, quia [illegible] est vere constantem qui non sit perpetuo constans [illegible] est verè sanctus, qui non sit perpetuo sanctus. Quod [illegible] de constantia tradit Aristoteles in 7 Ethic. 2. & 9. cap. [illegible] [illegible]. Inde Eustachius interpretatur, absolutè & propriè ac vera, id est, bona opinione, qui perseuerat, est constans: inconstans, qui non perseuerat. Et alius vir doctissimus, sine constantia, neque, virtutem veram consistere non posse. Id quod ipsum quoque doctissimum Bucerum non latuit proponit in Luc. cap. 8. [illegible] quæ, Nihil esse verè bonum quod [illegible] aliquo [illegible].

Item, Neque enim inquit, pietas ill. quæ [illegible] [illegible] Deus æternus est, & non [illegible] qui [illegible] haud potest. Hinc & æternum [illegible] ab [illegible] temporum reliquerent, charitatem Augustinus & Ambrosius [illegible] veram charitatem, item, quæ deficere potest [illegible] sunt dona Dei & vocatio.

Adde, quod sine pœnitentia sunt dona Dei & vocatio secundum propositum. Dicitur autem vocatio [illegible] secundum propositum vocare, [illegible] ad [illegible] Deus aliquem secundum propositum vocare, vero, cum [illegible], cum illum facit sanctum. pœnitere vero, cum quod fecerat, mutat, vt non amplius, id quod erat, aut quale erat, existat. [illegible] Deum nunquam pœnitet, eos quos semel efficaciter ad sanctitatem vocauit, vocasse, [illegible] legimus, qui sunt vere sancti, eos à Deo, vt prorsus desinant esse sancti, oues Christi, non permitti.

Tertia Exceptio. Fides, inquiunt est [illegible] iustificans [illegible] & simulata. Prima est vera, secūda etiam vera: temporaria & simulata. Prima est vera, secūda etiam vera: [illegible] in illud. [illegible] & hæc sic enim ait [illegible] in illud [illegible] temporaria [illegible] de veris non disputamus.

Resp. Apostolus duplicem tantum docet esse fidem: veram seu non simulatam & simulatam eóque non veram: quum ait 1. Timoth. 1. Finis præcepti est charitas de corde puro, & [illegible] docet enim in verbis Apostolus, contra fidem esse [illegible] hypocriticam, [illegible] pertinacem, sed veram. Si est hypocritica non est vera, nec efficax per dilectionem, si non hypocritica, ea efficax est per dilectionem. Ideo hanc vocat [illegible]. Nulla igitur est vera fides, nisi iustificans, Apostolo. Temporaria non est talis, ex qua dilectio. Non igitur vera fides.

Item Scriptura cum nominat fidem, quæ in Christum credere iubemur semper intelligitur fidem veram & iustificantem. Cum de fide simulata loquuntur, addunt circumstantias quasdam, quibus intelligatur, ibi de simulata, non autem de vera sermonem haberi.

Iacobus eadem duplicem tantum ponit fidem, vnam veram, qua Abraham iustificatus est. Alteram mortuam, qua etiam dæmones credere dicit, & illam comparat corpori humano viuenti, hanc vero cadaueri sine spiritu. Sicut ergo homo vel pictus, vel mortuus, quia viuus non est, nō est verus homo, ita fides mortua non est vera fides. Atqui fides temporaria non est viua, quia illa nemo regeneratur [illegible].

Fatetur doctus, eam charitatē, quæ potest deficere, non esse veram charitatem, vt supra ostensum est ex Augustino & Ambrosio. Non est igitur vera fides, quæ potest deficere, id est, temporaria. [illegible] Bucerus in Lucam, Vera pietas non est, quæ finem inuenit.

Interpretes etiam nostri Lutherus, Brentius, Musculus [illegible] fidem temporariam non esse veram fidem. Legantur in Euangelium Matthæi cap. 13. & Luc. 8. in parabolam seminis.

Musculus in locis communibus loco de Patientia, cap. Quid sit patientia pag. 777. Illa non potest vera patientia [illegible], quæ non sic est comparata: vt simul sit & voluntaria, & diuturna, quemadmodum & fides eorum, qui [illegible]

tempus credunt, & tempore tentationis deficiunt, vera fides non est, nec vera eorum electio, qui hodie diligũt, cras oderunt: ita nec vera patientia est, si ad tempus sis patiens, & paulò post patientiam in impatientiam mutes: sine cõstantia, veritas virtutum consistere non potest. Hæc ille.

Bucerus lib. de vera Ecclesiarum reformatione impresso anno 44. multis in locis tradit fidem temporariam non esse imaginem fidei, non autem veram fidem.

Manifestum igitur est temporariam fidem, nõ esse veram fidem, neque dignam nomine fidei, sed hypocriticam.

Cęterùm duplex est huius fidei hypocrisis, vna cùm ita simulamus nos credere, vt nostra fidei simulatio non solùm Deo, sed etiam nobis ipsis nota ac perspecta sit. Altera, quæ soli Deo nota est. Sunt enim qui non solùm aliis, verùm etiam sibi ipsis videntur verè in Christum credere: cùm tamen non verè credant: id quod tandem ab effectis patefit, quia à fide deficiũt. i) dicuntur à Christo πρόσκαιροι. Fides hæc coram Deo semper est hypocrisis. Talis erat illorũ fides, de quibus Ioan. 12. Multi crediderunt in eum: Iesus autem se non credebat eis, eo quòd nosset omnes, &c. Omnis igitur fides vel est vera, ideóq; iustificãs. Quare inepta est aduersariorum partitio: & nihil ad rem facit.

Ad locum 2. Pet. 1. Supra responsum est. Ita manent firma atque inuicta, quæ pro perseuerantia sanctorum attuli argumenta: cùm nulla harum trium exceptionum, ea labefactare, nedum penitus euertere potuerit.

Atque hæc etiam olim ad meos accusatores: quæ omnia ad alterum Caput Tractationis de perseuerantia pertinent.

Quæ sequuntur duo capita post compositionem pòstque meum discessum, à me, vt absoluta tandem & perfecta prodiret tractatio, conscripta fuerunt.

Fidem Piorum peccatis labefactari: & quænam huius rei caussa.

CAPVT III.

EX iis, quæ diximus satis liquere arbitror, licèt fidem in electis nunquam penitus deficere secundum Scripturas doceamus: minime tamen, quin ea labefactetur, modo magis, modo minus, & quin in aliis diutius, in aliis non tam diu, labefactata permaneat, à nobis vllo modo negari: qui agnoscimus, contraria à contrariis oppugnari, infirmari, & si Deo placeat, tandem pelli atque subuerti. Fidei autem aduersantur omnia peccata: quippe quorum & radix est infidelitas, & finis est vel Epicuræus contemptus Dei, vel Iudaica desperatio. Peccata autem non malè diuiduntur in ea, quæ omissionis, & in ea quæ commissionis nominari solent.

Nõ minus enim peccatur, si ea omittamus, negligamus, contemnamus, quæ fieri iubet Dominus: quàm si ea, quæ prohibet, atque ne fiat, sua cauet lege, committamus. Vnde præcepta negatiua, & affirmatiua, vetantia & iubentia. Cuiusuis autem peccati stipendium mors est, ait Apostolus. Sicut igitur corporis humani vita, duobus aut infirmatur, aut penitus amittitur modis, nempe, si vel ea, quæ ad vitæ conseruationem necessaria sunt, puta, cibum, potum, somnum, & alia huius generis, negligas: aut si, quę ex diametro & per se vitæ aduersantur, eámque violẽter tollunt, veluti sunt, venenata bibere, de turri sese præcipitẽ dare, manum sibi inferre, & alia his similia, admittas: sic vita animæ, quæ in fide per dilectionem efficaci consistit: tum neglectis illis rebus, quæ ad eam fouendam & sustentandam institutæ sunt, veluti sunt, auditio & lectio verbi Dei, perceptio Sacramentorũ, preces Ecclesiasticæ, studiũ sanctæ vitæ disciplina Christiana: tum manifestis facinorib. & iniquis actionib. admissis, veluti sunt scortationes, furta, ebrietates, & id genus alia, labefactatur: vt in ipsis verè fidelibus, qui aut ex infirmitate, aut ex ignorantia peccant, & quibus, cum cadunt, Dominus supponit manũ suam, ne collidantur, fieri videmus: vel tandem penitus exstinguitur, vt in temporariis: qui ad tempus credunt & in tempore tentationis recedunt: de quibus nulla est controuersia. Quod verò de priorib. dixi, hoc est, de piis & veris fidelibus, hoc ita se habere: haud multis probationib. opus est, cum nemo piorum hominum sit, qui id non sæpenumero in se ipso expertus sit, atq. etiam subinde non experiatur. Certè Dauid post admissum adulteriũ reipsa sensit, quod dicimus: ac proinde petiit, vt cor mũdum in se à Domino crearetur, & Spiritus rectus innouaretur in visceribus suis, Hoc petere non potuisset, si Spiritus ab eo prorsus recessisset, & nihil fidei retinuisset. Spiritus enim est, qui interpellat pro nobis, id est, qui facit vt interpellemus & inuocemus Deum: quomodo autem inuocabunt, in quem non crediderunt? inquit Apostolus. Sed neque petiisset innouari in se Spiritum, si eũ nullo modo in se defecisse sensisset. Quis enim petat à medico curari, si nullo se morbo laborare sentiat? Rursus si medicum inuocat, quomodo planè mortuus est, nihilque sentit sibi reliquum esse vitæ? Sed, quòd sanctos deficiat spiritus & fides, hoc ex ipsorum est peccatis: quòd verò non penitus ipsi à Spiritu sancto deserantur, nec fides penitus in eis deficiat, hoc est, ex gratia Dei: qui eis, cùm labuntur, iuxta promissionem suam, supponit manum, ne collidantur & pereant.

Licèt igitur sancti nunquam penitus à Spiritu sancto sibi ipsis neglectis relinquantur, aut fide prorsus destituantur, Deo illos, ne à se omnino deficiant & pereant, iuxta factam promissionem, & propter Christi intercessionem, conseruante, & timorem sui in eis retinente: quis tamen, peccatis ipsorum, & Spiritum sanctum contristari, & fidẽ eorum languefieri negare queat? Ita certe fides sanctorum peccatis concutitur, vt nisi Dominus eam sustentet, mox sit funditus ruitura. Quantus, obsecro, fidei languor, quanta ardentis antea ignis suffocatio subsecuta est primam Petri negationem? Tanta certè, vt secundò, & tertio Christum maiori cum impudentia, addito etiam iuramento & anathematismo, abnegarit: grauiora etiam admissurus flagitia & totam fidem illis tandem exstincturus: nisi oculis suæ clementiæ cum Christus respexisset, & in fide retinuisset, atque ad pœnitentiam excitasset.

Quod porro fides, earum rerum, quibus fouetur, intermissione languescat: ac tandem nisi à Deo seruetur, prorsus deficiat, & penitus exstinguatur: quis piorum hominũ in seipso non sentiat? imò verò & in aliis non queat obseruare? Ignis nisi subinde ligna suppedites, paulatim remittit & tandem exstinguitur. Vita animantium, si cibo & potu destituatur perit. Quin & habitus animi, virtutum ac scientiarum, si debitis actionibus non exerceantur: tandem aliquando amittuntur. Apostolus verò ait, fidem esse ex auditu hoc est, virtute Spiritus sancti per auditionem verbi, in cordibus nostris ingenerari: & Dauid, Iustum ex assidua meditatione, legis diuinæ fieri beatiorem: & non secus atque arborem ad riuos aquarum plantatam, prædicat viuã ac feracem bonorum operum, conseruari. Et Christus Matth. 18. beatos prædicat qui audiunt verbum & custodiunt illud: homines ex aqua & Spiritu sancto regenerari: esu carnis suæ viuificari, & eos in se, séque in illis manere: exercitio disciplinæ fratres lucrifieri Deo: & precibus Ecclesiæ, quicquid in nomine suo petitur, obtineri. Et Apostolus, 2. Timoth. 8. donum veræ fidei, confessione prędicatione, defensione, aliisque fidei operibus, in animis nostris, instar sopiti ignis exsuscitari, & ea re accendi atque foueri. Et Petrus 2. 1. per opera fidei, electionem & vocationem fieri certam. Si hæc vera sunt, vt sunt certissima: quis contrà non videat, harum rerum remissione, & spiritualis exercitij in operib. pietatis intermissione, fidem ita paulatim languefieri, vt, nisi Dominus succurrat, tandem planè interitura sit: pertinet huc, quod Apostolus ad Heb. cap. 3. scribit. debetur nos mutuò quotidie hortari ad fidẽ fideique opera, & dehortari à peccatis, dum dies est, & lux Euangelij lucet: ne (inquit) obduretur quis ex vobis fallacia peccati. Ex neglectu enim verbi & quotidianarum adhortationum prætermissione, peccatum vires recipit: & contrà, fides languet: & quò magis hæc languet, eò faciliùs peccatum nos, ad obediendũ suis concupiscentiis, fallẽdo allicit: atq. hinc paulatim obduratio cordium nascitur: quam defectio à Deo vero, & æterna damnatio consequuntur: quemadmodum & ex populo Israelitico multis contigisse ibid. narrat Apostolus. Sed bene habet: quod Deus eò non sinit suos Electos à diabolo adduci: eos timore sui in officio retinens, & lapsos ad pœnitentiam reuelans. Deus stat suis promissis, & precatio Christi efficax est: Dabo timorem meum, inquit, in corda eorum, vt non deficiant à me. Rogaui pro te Petre, ait Christus, vt non deficiat fides tua.

Vtrumque ergo nos docemus: Fidem in sanctis & sæpenumero labefactari, & nunquam tamen penitus deficere: labefactari nostro vitio, non deficere gratia Dei, propter Christum. Et vtrumque in sanctis ideò locum habet: quia ipsi constant & carne & spiritu, quorum vno seruiũt legi Dei & ea delectantur: altero autem legi peccati, & ab eo sæpe vincuntur: Deo interim eorum Spiritũ & volun-

Voluntatem, nec tota & prorsus in peccatum consentiat, conseruante. Regeneratio enim vt semel [illegible] per dum sumus in hoc mundo imperfecta est. Hinc fit vt peccemus, Spiritum sanctum contristemus, fidem [illegible] ... & labefactemus: inde verò [illegible] peccatum non penitus consentiat, [illegible] ... fidem non prorsus amittat [illegible] ... lecti perire possint, tandemque [illegible] ... nerari oporteret, quorum neutrum [illegible] ... è manu mea: Iohan. 10. [illegible] ... bunt in æternum: & Paulus, [illegible] ... non corruptibili, sed incorruptibili [illegible] ... uentis, & manentis in æternum [illegible] ... gnificauit, talem esse regenerationem [illegible] ... semel facta est. Quo pertinet etiam illud [illegible] ... natus est ex Deo, non peccat nec potest peccare [illegible] ... qui scilicet natus est ex Deo [illegible] ... baptismo, sacramento regenerationis [illegible] ... nantur fideles. Semel igitur [illegible] ... electi, & horum baptisma [illegible] ... Regenerati autem [illegible] ... donec ad plenitudinem ætatis Christi [illegible] ... illos semper Spiritu Christi [illegible] ... fidem in eis seruante, vt [illegible] ... iuxta promissionem factam [illegible] ... sempiternum permaneat. Hæc [illegible] ... ritus S. dicet nos in varia labi peccata [illegible] ... esse homines agnoscamus, & hoc [illegible] ... mur, & humiliati nos per [illegible] ... ligamus, & aliis etiam [illegible] ... men nos, omni prorsus [illegible] ... ximus, extincta, in peccatum [illegible] ... igne sub cineribus conseruari [illegible] ... mortuos, viuos tamen in Christo [illegible] ... tum, ne fœdus quod in Christo [illegible] ... est, vllo modo irritum [illegible] ... quod fides in nobis, nósque in Christo [illegible] ... tum ex mera & gratuita Dei [illegible] ... promissionibus constantia [illegible] ... eóque totam salutem nostram [illegible] ... acceptam semper feramus. [illegible]

Quapropter, quæ Apostolus de se, [illegible] ... in alio negotio scripsit [illegible] ... dicere possumus. Habemus Thesaurum istum in vasis testaceis.

Magnum sanè Thesaurum vocat [illegible] ... [illegible]

Etenim in omnibus premimur: at non [illegible] ... [illegible]

bis penitus extinguatur, hoc non consequitur: quid ita? Quia Deus non deserit nos, sed in Christo per fidem retinet.

Deiicimur, at non perimus. Quid [illegible] ... [illegible] ... At non perimus, inquit Apostolus, [illegible] ... [illegible]

Etsi igitur fides in Sanctis labefactatur. Deus tamen illam extingui & penitus perire non sinit. [illegible] ... [illegible] ... [illegible]

Vsus doctrina de perseuerantia Sanctorum.

CAPVT IV.

DOctrinæ verò huius, [illegible] ... [illegible]

Hæc est promissio non autem [illegible] ... [illegible]

Deinde ad [illegible] etiam electos ex gentibus, sicut in eodem loco ad Rom. [illegible] ... [illegible]

Porrò Deus, quæ de nouo fœdere simpliciter promisit, ea simpliciter etiam, & ipsis omnino præstat. Cùm igitur electis vniuersis & singulis per Ieremiam promiserit,

se effecturum, vt Spiritus, quem erat illis per Christum daturus: & verba Euangelij, quæ erat in ipsorum ora & corda positurus, nunquam exciderent: cúmque dona ac vocatio secundum propositum, sint sine pœnitentia: fieri nequit, vt ex electorum cordibus Spiritus, atque verbum Christi prorsus eripiantur atque tollantur.

Sed clariorem locum habemus apud Ier. cap. 31.

Ecce dies veniet, dicit Dominus, & feriam cum domo Israel & cum domo Iuda fœdus nouum: non iuxta fœdus quod pepigi cum patribus eorum, tempore, quo, apprehensa manu eorum, eduxi eos è terra Ægypti: quod fœdus meum ipsi irritum fecerunt: & ego ostendi me esse Dominum eorum: dicit Dominus. Hoc vero fœdus est, quod feriam cum domo Israelis, post dies illos: dicit Dominus: inseram legem meam in interiora eorum, & in cor eorum scribam eam: eóque Deus eorum: & ipsi erunt mihi populus. Et non docebit vltra quis proximum suum, dicens, cognosce Dominum: sed omnes cognoscent me à minimo eorum, ad maximum eorum, dicit Dominus: quia propitius ero iniquitatibus eorum: & peccata eorum non recordabor amplius.

Multa quidem in hoc contextu digna sunt obseruatione: sed quæ ad rem nostram maxime faciunt, duo sunt: Primùm: fœdus nouum opponit veteri, hac etiam in parte, quòd vetus fuit temporarium, nouum autem æternum. Caussam verò, cur illud fuerit temporarium, in se non fuisse docet Deus: quasi verò dederit ipse beneficus declarare se esse populi Dominum: (& ego ostendi, inquit, me esse eorum dominum) sed culpam hæsisse in populo, quòd legem, vt promiserat, non seruando, ite um fecerit fœdus. Cùm igitur promiserit Deus se effecturum, nempe per Christum, vt fœdus sit reapse æternum: annon contrà promittit, se effecturum, vt populus non amplius illud sua inobedientia irritum faciat? Ex parte enim Dei primum quoque fuerat firmum: sed ideò ex parte populi non fuit, quia, quæ promiserat, non præstitit. Si igitur simpliciter promittit fore, vt sit firmum & æternum: profectò promittit, se effecturum vt à populo promissa præstentur & Lex seruetur. Hoc verò primùm in Christo homine perfectè impletum est, qui pro nobis legem impleuerit: & ita, fœdus vt æternum esset, effecit: id quod & suo sanguine confirmauit. Deinde in singulis fidelibus impletur ex parte, quatenus Spiritu condelectantur Lege Dei, licet carne seruiant sæpè lege peccati. Est autem præcipua pars obedientiæ, fides in Deum, qua nostræ inobedientiæ condonatio, & perfectæ Christi obedientiæ imputatio apprehenditur.

Quomodo igitur veritas huius promissionis defendi potest: si, quod aduersarij contendunt, concedatur, nempe fideles, qui ad nouum fœdus pertinent, suis peccatis omnem penitus amittere fidem?

Sed audi alterum huius promissionis caput. Modum subdit, quo sese effecturum promittit, vt fœdus maneat æternum ex parte etiam populi. Modus ille in duobus positus est: Primùm in eo, quod nouus populus legem in corde scriptam habiturus erat, eóque illam amaturus, ea se oblectaturus, eámque vt seruet, sponte operam daturus: alterum in eo consistit: quòd, quicquid interim per carnem deliquerit iustus: totum hoc gratis condonabitur propter Christum: eóque singuli electi, veram fidem, per quam resipiscant, & remissionem peccatorum apprehendant, habituri & retenturi sint: non enim peccata condonantur, nisi credentibus & resipiscentibus. Primùm tradit, cùm ait: Inseram legem meam in interiora eorum, &c. Alterum cùm subdit, quia propitiabor iniquitatibus ipsorum. His duabus rebus fit, vt etiam ex parte populi fœdus maneat æternum: vera scilicet & æterna Dei cognitione, perpetuo Legis amore, diuinæque volũtatis faciendæ studio: & deinde perpetua resipiscentia peccatorum, & fide, qua eorum remissionem apprehendant.

Nam contrà, ideò vetus pactum factum fuit irritum, quia populus legem non habebat scriptam nisi in tabulis lapideis & chartaceis eóque illam non amabat: quia in corde non habebat. Deinde, cum peccabat, eum suorum peccatorum non pœnitebat: eóque nec remissionem consequebatur.

Vt igitur vltimum fœdus maneat æternum: vera ac perpetua promittitur Dei cognitio, diuinæque voluntatis dilectio & condelectatio. Hæc enim significantur illa phrasi: Scribam legem meam in cordibus eorum. Et prætcrea promittitur solida fides ac pœnitentia, qua peccatorum remissio impetratur. Deo autem hæc gratis præstante, quis ea non habeat? Deo inscribente in alicuius corde, fidem, spem & charitatem, quæ sunt summa legis: quomodo ex eo corde expungi hæc penitus possunt? Si Deus efficaciter efficere vult, vt eum cognoscamus, in eum credimus, in eo speremus, eum timeamus & amemus: quomodo possumus ita peccare, vt eum ignoremus, vt omnem in eũ fidem, spem, timorem, dilectionem exsuamus? Ego certè quomodo veritas huius promissionis gratuitæ defendi queat, nisi fateamur, quæ hic promittuntur, ea in omnibus electis impleri, eóque in illorum cordibus semper manere insitam fidem, & legis amorem, atque studium, videre non possum.

Sed aliud etiam audiamus.

Ierem. 32. de populo Noui Testamenti, tam ex gentibus quàm ex Iudæis, qui Christo erat adducendus, sic ait: Erunt mihi in populum, & ego ero illis in Deum.

Hoc fit per gratuitam adoptionem, qua ille sponte assumit electos in populum suum, & in filios suos: condonatis peccatis & donata fide, qua efficit, vt vicissim nos illum agnoscamus pro Deo & patre nostro. Ac fœdus in hoc consistit vt Deus sit nobis in Deum, & nos illi in populum. Vtrumque verò promittit se effecturum: & sunt ita hæc coniuncta, vt neque nos possimus ei esse in populum, nisi ipse fiat nobis in Deum: neque ille nobis sit in Deum, nisi nos vicissim fiamus ei in populum. Sunt enim correlatiua Deus & populus, pater & filius. Et cùm dicit: Ero, & erunt: non intelligit, modò ero, & modò non ero: nunc erunt populus, postea non erunt: sed constantiam & perpetuitatem significat, his verbis. Ero & erunt: Quasi diceret: Perpetuò ero illis in Deum, & illi in sempiternum erunt mihi in populum. Quomodo autem potest quis in populum esse Deo, sine fide, & sine timore, ac reuerentia, obseruantiaque erga Deum? & quomodo Deus esse nobis potest in Deum, sine condonatione peccatorum, ac perpetua gratia, & dilectione in Christo: in quo nos sibi adoptauit?

Ergo fieri nequit, quin, quibus Christus cœpit esse in Deum, iis semper maneat in Deum: & vicissim quin, quos fecit sibi esse in populum, eos efficiat perpetuò sibi esse in populum. Promissio enim hæc, quia simpliciter in Christo, facta est, tota gratuita est: à sola Dei gratia, à nobis autem minime vlla ex parte, dependens. Gratuitæ adoptioni subdit gratũitam regenerationem, & gratuita eius effecta, dicens: Et dabo eis cor vnum & viam vnam, vt timeant me cunctis diebus, vt bene sit illis.

Quos sibi in Christo adoptat in populum suum: iis etiam certè dat cor vnum, viam vnam, & facit, vt se timeant, idque non ad certum tempus, vt postea timere & colere eum desistant: sed vt timeant cunctis diebus vitæ suæ? Quid pro dono veræ perseuerantiæ clarius?

Dabo, ait: nec vllam addit conditionem: Ergo certò dat, quæ hic promittit omnibus, quos in Christo elegit & adoptauit. Deo autem dante, quis nõ accipiat & habeat? Quænam verò dat? Primùm: Regenerationem promittit per vnum & eundem Spiritum. Est enim hic locus explicandus per illum Ezech. 11. Auferam cor lapideum & dabo cor carneum, id est, flexibile in obedientiam fidei & in obsequium Christi.

Ego dabo. Ergo non alius, neque homo ipse, potest sibi mutare cor. Quare merum Dei donum est regeneratio. Cor sedes est affectuum, & cognitionis in sacris literis. Vnde & Roman. 10. Corde creditur ad iustitiam. Promittit ergo & fidem & spem & charitatem, totámque pietatem.

Dabo: Nulla addita conditione. Tota igitur gratuita, regeneratio, fides, spes, charitas. Quare nihil impedire potest, quin Deus suum præstet promissum: quia promittit, non solùm finem, sed omnia etiam media ad finem.

Vnum, inquit. *Cor*. Cur vnum? Quia efficit, vt omnes fideles, sicut per vnum Spiritum regenerantur: sic vnum habeant velle, vnam & eandem in Christo & cultu Dei confessionem. Et sic de Christianis legimus. Act. 4. Erat illis anima vna, & cor vnum, nempe in Deo. Non enim omnis consensus, sed tantùm, qui in Deo est, & in eius verbo, probatur Deo, eóque & promittitur.

Addit: Et *viam vnam*. Nomine viæ intelligitur actionum nostrarum & totius vitæ instituendæ ratio. Via enim est motus & profectio quædam. Ratio igitur huius vitæ, via appellatur. Sic apud Iesaiam, Non sunt viæ meæ, ait Deus, sicut viæ vestræ id est, agendi rationes. Hoc sequitur à priori tanquam effectum à caussa. Ergo, vt velle, quod significatur per cor: sic perficere, quod innuitur nomine viæ, donum Dei est: quia & interna pietas, & externa pietatis opera, non ex nobis, sed simpliciter à Deo sunt: & certò

donantur

iuntur electis ad finem vsque. Cùm enim ait: viam, intelligit, viam, per quam in cœlum vsque perueniant. Ergo donum perseuerantiæ, in finem vsque promittitur. Rursum, inquit, viam. Vnus igitur & idem cultus, vna fidei confessio, vna viuendi regula promittitur electis, & adoptatis in Christo: à quo? à Deo. Ergo talis cultus talisque operatio, quæ fit secundum verbum Dei, promittitur. Quare quod quis non consentit cum hypocritis, & cum hæreticis, in iis quæ non consentiunt cum verbo Dei: ideo propterea extra numerum eorum, quibus facta est hæc promissio, esse censendus est.

Rursus, qui in Christo electus & adoptatus est: etiamsi in hac via promissa, nonnunquam ex imbecillitate vitiis labatur, aut aliquo modo declinet, non tamē penitus recedit: sed & surgit, & mox redit, susceptumque iter continuat. hoc enim se in illis effecturum promittit Deus: cum ait: Dabo viam vnam: in qua scilicet constanter ambulent: & labentes resurgant: donec ad me vsque in cœlum perueniant. Hanc constantiam perpetuam explicat, dicēs: Vt timeant me, omnibus diebus. Nomine timoris, totum cultum intelligit: nomine vero omnium dierum totum cuiusque fidelis vitæ curriculum. Manifeste autē hac particula excluduntur ab hac promissione omnes illi, qui aut nunquam credunt: (nunquam enim timent Deum) aut temporaria fide credunt: quia ideo non timent Deum cunctis diebus, sed ad tempus, eòque nec vera fide credunt. Non enim ex corde illo, nempe puro, quod vnū omnibus suis electis dat Dominus, credunt: neque ex bona conscientia Christum confitentur: quippe qui non confitentur ex via illa pura, quam Deus omnibus suis vnam & communem pollicetur. Nam temporarij male sibi conscij sunt: cum Deum confiteantur verbis, factis autem negēt: neque hoc animo credunt & confitentur, vt parati sint pro hac Confessione cum Christo mori aut crucifigi: sed tantum dum Euangelium res alitere secundas, & ipsorum cupiditates non impedit. Libenter enim sunt in monte Thabor, cum Christo glorioso: sed in montem Caluariæ, cum eodem spinis coronato ascendere recusant. Cum igitur omnes credentes aut temporarij sint, eòque non vera & sincera fide: aut perpetui, eòque vera & pura fide præditi: ab hac autem promissione excludantur temporarij: quis non videat promissionem hanc de timendo Deo cunctis diebus, ad omnes vere fideles de quibus solis nostra est disputatio & electis pertinere: eòque illos perpetua fide credere, & Deū cunctis diebus timere: Si enim Deus, quæ hic promittit, efficaciter ea efficit in suis electis & in Christo adoptatis: qui fieri potest, vt cum labuntur in peccata, desinant timere Deum, & omnem penitus fidē amittant? Ac si dat illis cor vnum purum & viam vnā bonam, idque vt se timeant cūctis diebus, quomodo ex corde peccant, destinatâque malitia, ac non potius ex carnis infirmitate?

Si etiam vult Deus (quemadmodum subdit propheta) vt bene sit illis, electis scilicet & adoptatis in Christo & filiis eorum, filiis scilicet tam secundum carnē quā secundum Spiritum; & ideo, vt bene sit illis, id est, vt æternam felicitatem consequantur, dat illis cor vnum & viam vnā, & efficit vt se timeant cūctis diebus: quomodo igitur cōstabit, quod quidam imperitissimè docuerūt, electos sanctos ita posse fieri reprobos, & ita amittere fidem, vt in æternum damnentur? O supinam Theologorum imperitiam! Sed, vt, quod de perseuerantia sanctorum docuit, illud magis confirmet, subdit propheta, Dabo timorē meū in corda eorum, vt non recedat à me. Hoc oraculum passim vrgetur ab Augustino, aduersus Pelagianos ad probandum perseuerantiæ donum in sanctis, electisque omnibus. Et Hieronymus in hunc locum præter alia scribit, Sic liberum donat arbitrium, vt tamen ipse timor, qui tribuitur gratia permaneat largitoris.

Nota verbum, Permaneat. Permanet igitur timor in sanctis non viribus ipsorum, prudentia, diligentia, meritis: sed gratia largitoris Dei: & non simpliciter manet in sanctis, sed permanet, inquit Hieronymus, id est semper, & constanter manet nec prorsus deficit. Et cur hoc in illis efficit Deus? Caussam subdit: vt, inquit, non deficiant à me.

Duo promittit: Vnum, se effecturum vt à se non deficiāt electi: hic est finis totius promissionis: alterum, medium quoque, quo retineantur ne deficiant: hoc est timor, quem ait se inditurum in cordi eorum. Si igitur Deus nolit suos à se deficere: quis deficeret? Vt ne deficiant, indit eis timorem, quomodo hunc timorem amittere penitus possint? Et si hunc indit in corda: quomodo hoc non delectabuntur, & eum carum non retinebunt?

Ne quis verò dubitare possit, an Deus suis electis, quos vera fide semel donauit, gratuitum perseuerantiæ donum promiserit se daturum, ac proinde, vt à fide prorsus non deficiant, effecturum: Ecce Apostolum, optimum prophetarum interpretem, qui hoc luculenter testificatur 2. Thess. 3. Postquam enim de hypocritis, qui fidem videntur habere & non habent, dixisset, Non omnium est fides nempe vera, subiicit de veris fidelibus: sed Deus fidelis est, qui stabiliet vos & custodiet à malo. Cur vocat Deum fidelē? quia stat suis promissis. quid promisit? quod subdit, confirmaturum se fideles (in fide) & custoditurum à malo, hoc est, à diabolo, ne ita illos tentet, vt à fide deficiant. Promisit igitur duo Deus: se suos in fide constabiliturum, &, vt ne à fide deficiant à Satanæ insidiis: ne scilicet talia admittant peccata, cum quibus fides consistere non potest, præseruaturum. Quorsum vero hæc Apostolus? vt argumento à tali promissione de dono perseuerantiæ ducto, Thessalonicenses ad constantiam in fide hortetur, atque extimulet. Doctrina igitur qua docemus, Deum nunquā permissurum vt sui electi deficiant prorsus à fide, verè Prophetica & Apostolica est, & ad retinendos fideles in fide, accommodata, & ex consequenti contraria, hæretica est & perniciosa.

Quis vero hinc non videat, tum vt tueamur fidem Dei in suis promissis, tum vt salutem proximi & nostram promoueamus, necessariam esse hanc doctrinam, qua docemus, qui semel vera fide donati sunt: eos à tali fide penitus excidere non posse, propter promissiones Dei? Altera caussa, cur doctrinam hanc de gratuita Sanctorum perseuerantia, retinendam in Ecclesia esse iudicemus, est, vt efficacem Christi pro hoc dono intercessionem tueri possimus. Si enim cum aduersariis statuamus, sanctos propter quoduis ex aliquo consensu admissum peccatum omnem penitus amittere fidem, quomodo illam Christi precationem, qua docuit se pro omnibus verè in se credentibus, (quorum tamen peccata præuidit) precatum esse ne ipsorum fides, in quouis scilicet afflictionum & tentationum genere deficeret, efficacem fuisse tueri poterimus? De hac precatione Luc. 22. sic legimus. Christum (qui præuidebat grauissimas Satanæ tētationes quibus captata ex passione Christi occasione, conaturus erat omnem penitus fidem e cordibus discipulorum excutere adeoque eò adducturus erat Petrum, vt turpiter Christum abnegaret) dixisse Petro, & in eius persona reliquis omnibus, Simon, Simō, ecce Satanas expetiuit, vt vos ventilaret sicut triticum, sed ego rogaui pro te ne deficiat fides tua. Quibus ex verbis colligo primum, Satanæ consilium fuisse, sicut iam omnem fidem in Christum excusserat ex animo Iudæ, sic etiam, capto Christo, reliquos discipulos turbare, atque, vt omnem, quam de Christi Deitate & regno fidem conceperant, plane abiicerent, omnibus viribus conari, id quod facile consecutus fuisset nisi Christus, oratione, iuxta promissiones diuinas, pro Apostolis, vt in fide seruarentur, ad patrem facta, illius conatus impediuisset. Secundo igitur loco, intelligimus, Christum sese Satanæ, pro salute discipulorum, ne illorum fides deficeret precibus ad Patrem opposuisse. Speciatim vero pro Petro, hoc supplicasse, quia præuidebat, illum grauius, quàm alios tentatum iri, vsque adeo vt ter suum Dominum esset negaturus, precatum igitur fuisse, ne propter talem abnegationem, aliave peccata, pater sineret Petri fidem deficere, sed eam, etiam inter negandum, sustentaret, atque foueret. Cæterum, quia fides in eo consistere non potest, qui ex animo, & toto corde, ac destinata malitia peccat, vt in Iuda liquido apparet, ideo rogasse patrem, ne vel Petrum vel alios electos discipulos, eo modo peccare permitteret, quo Iudas & alia Satanæ mancipia peccarunt, & peccant, sed licet carne peccemus, Spiritu tamen, quod malum agimus, non probemus, & quod, vt & metu mortis ore negamus, illud ipsum corde retineamus, & si carne seruiamus legi peccati, mente tamen condelectemur lege Dei, ac quod etiam carne peccamus, illud mox detestemur & defleamus, atque à peccati resurgamus. Mihi dubium non est, quin, cum Christus, ait Petro, precatum se esse pro illo ne deficiat eius fides, indicare simul voluerit, se hæc omnia quibus fides seruetur, petiisse. Nam & res ipsa in Petro hoc manifeste confirmat, quippe, qui & antequam Christum negaret, hoc non habuit in animo, neque cum negauit ex corde & ex destinata malitia: & ideo etiam, postquam tertio negauit, Christo illum intuente, exiuit foras & fleuit amare. Et vnde hæc omnia? à gratia Dei, propter precationem Christi, qui pro Petro rogans ne fides eius deficeret, simul etiam, ne ita peccare permitteretur, quo fides prorsus defi-

cere posset, petiit: id quod liquet ex oratione quam habuit ad Patrem Iohan. 17. vbi dicit. Serua eos à malo. Item: Sanctifica eos in veritate. Hæc certè fuit summa petitionis Christi, tam pro electis omnibus verèque fidelibus, quàm pro Petro: ne scilicet fides nostra deficiat, eóque nec ea admittamus, quibus deficere penitus possit.

Est autem certum, precationē Christi exauditā fuisse à Patre: quia ea petiit, quæ cum diuinis promissionibus, vt supra visum est, consentanea erant, de inserendo scilicet timore Dei in corda electorum, ne prorsus ab illo deficiat: sed eum timeant cunctis diebus.

Nisi ergo fateantur, propter promissionem Dei, & propter precationem Christi fieri nōn posse vt electi fideles ex animo, vt reprobi, peccent, & eorum fides penitus deficiat, quomodo, aut veritatem promissionum Dei, aut efficacitatem precationum Christi tueri poterimus?

Harum rationū vnaquæque sola satis ad hoc esse posset & deberet, vt doctrinam de perpetua Dei gratia erga electos, déque perpetua electorum in Deum & in Iesum Christum fide, in Ecclesia constanter retineamus: sed accedit & tertia, eáque & grauissima caussa, cur contraria ferri nullo modo possit aut debeat: nimirum, quia nō solum veritatem multarum promissionum, & efficacitatem precationis Christi tollit: verum etiam, quia ipsorum hominum salutem impedit; fidei exercitia, inuocationem, accessum ad Deum, spem salutis, dilectionem Dei extinguit.

Si enim quis post, & propter admissum aliquod peccatum persuasus sit, vt persuadere volunt aduersarij, se etiam gratia Dei omnino excidisse, & omnē penitus fide amisisse, quomodo poterit ad Deum inuocandum accedere: Dicente Apostolo Rom. 10. Quomodo inuocabunt, in quem non crediderunt? Quomodo spem cōcipere impetrandæ ab eo sui peccati remissionis, cui persuasum habet se esse in odio & nullo modo placere posse? Heb. 11. Sine fide impossibile est placere Deo. Quomodo in eius conspectum prodire, ab eo quippiam petere, à cuius gratia prorsus excidisse, & à quo planè reiectum se esse credat? Quis etiam eum amet, à quo se odio haberi existimet? Quis eius seruitio consecrare se audeat, quem ita seuerum esse iudicat, vt propter quamuis offensam, licet non ex animo, sed ex infirmitate carnis admissam, seruos suos, omni suo fauore spoliatos, à se omnino propellat? Quid autem aliud est persuadere, vt quisque se propter peccatum, quod sciens commisit, omni prorsus fide destitutum esse credat: quàm ei animum ad resipiscentiam adimere & ad desperationē adigere? Quando sine fide, nemo à peccatis resipiscere potest. Contra, cum nos doceamus ex verbo Dei, in sanctis, etiam post ipsorum delicta, à clementissimo Deo, propter Christum mediatorē, & intercessorem, cuius sunt membra, quanquam infirma, & ex lapsu in peccatum luxata, fidei tamen radicem & vitalem Spiritum pro infinita ipsius misericordia conseruari: tacitè simul etiā monemus, vt quas Deus pro sua clementia, & propter Christi intercessionem, fidei reliquias atque scintillas, in ipsis reliquit: eos ne penitus suffocent, sed à Deo clementissimo patre foueri, & augeri, humiliter petant, eóque sese ad veram resipiscentiam excitent, cum vero cordis dolore, & lacrymis: ne fortè si maneant impœnitentes & præfracti, eos tanquam temporarios hypocritas, & reprobos mittat in gehennam, quam certè suis peccatis sibi promeruerūt: quando Apostolis etiam ipsis dixit Christus, Ostendā vobis quem timere debeatis: Timete eum, qui postquam occiderit corpus, potest & animam mittere in gehennam.

Nō enim sine caussa relictas in ipsis esse fidei reliquias, sed vt inde excitati, ad optimum patrem cum filio prodigo redeant, dicentes: peccaui in cœlo & coram te. Et cum Dauide, Miserere mei: cor mundum crea in me Deus: redde mihi lætitiam salutaris tui: & cætera quæ sequuntur.

Neque enim doctrinam de perseuerantia simplicem, & nudam, sed vestitam doctrina de pœnitētia: neque frustra temerè eam populis proponimus: sed vt, quorum peccata grauiter reprehendimus, eos aduersus desperationē, in fide retineamus: cuius semen in cordibus electorū, à Deo, propter suas promissiones, & propter Christi intercessionem ac merita conseruari prædicamus. Quorsum igitur nostra de perseuerantia Sanctorum doctrina: nisi vt sancti, lapsi etiā in grauia peccata, ne se tamen à Satana obrui desperatione permittant: sed. vt potius retento in primis fundamēto gratuitæ & immutabilis electionis, cuius testimonia in seipsis nō pauca experti sunt, retentis itē gratuitis & immutabilibus promissionibus de perseuerantia Sanctorum, & quòd omnes obsignati sint Spiritu promissionis Sancto arrhabone hæreditatis nostræ perpetuo donec in plenam cœlestis hæreditatis possessionē introducamur, retento denique gratuito & immutabili beneficio Christi, qui pro suis electis semel mortuus est, semper autem ne pereant, & ne ipsorum fides deficiat, apud patrem interpellat: sese in fide firmos contineant, & per eam ad veram resipiscentiam excitentur? Quid enim est fides aliud, quam certa, de gratuita æterna, & immutabili beneuolentia Dei, in Christo erga nos, déque peccatis omnibus, misericorditer nobis propter Christum condonatis, déque perpetua Spiritus sancti nos præueniente & subsequente gratia, e sacris literis & ex auditu Euangelij, concepta persuasio? Vnde autem vera resipiscentia, verum peccati odium, verum ac serium sanctæ vitæ studium, quā ex hac firma & certissima fide? Apostolus certè Petrus, docet per hanc fidem, Dei nos virtute custodiri ad salutem, quę parata est reuelari tempore vltimo. 1. Pet. 1. Cuius autem virtute custoditur fides ipsa? num nostra? an verò eiusdem Dei? Sed quibus medijs custoditur? Annon præter alia, diuinarum promissionum inculcatione de certa salute per Christum? Fides enim ex auditu, auditus autem per verbum Christi. Vnde autem doctrina de perseuerantia Sanctorum, nisi ex promissionibus diuinis, & ex doctrina Euangelij, à nobis probata est? Si autem ex fide oritur salutaris resipiscentia, quomodo igitur doctrinam de perseuerantia tollitur pœnitentia: ac non potius constabilitur?

Non possum non hic repetere, quæ supra ex sanctissimo & doctissimo totius Germaniæ Theologo, bene merito Martino Bucero, in Iohan, cap. 6. retuli.

Primum in margine sic habetur, *Nihil vtilius quàm prædicare credentibus, impossibile esse, vt vnquam gratia excidant.*

Deinde in commentario hæc leguntur. Reliqua commendant nobis iterum Christi incomparabilem dignitatem, fidei præstantiam, & electionis Dei immutabilē virtutem. Nemo siquidem Christo vnquam credet non electus, non à patre filio donatus, sic nemo quoque illi donatus, non veniet ad eum, cumque venerit, nunquam poterit ab ipso auelli. Fortior namque is est, qui in filiis Dei agit, quàm qui in mundo. Non glorificantur nisi iustificati, non iustificantur, nisi vocati, non vocantur nisi prædestinati. Hi autem, qui à Deo, qui mutari nequit, prędestinati ad vitam sunt, & eam æternam, impium est cogitare, vitam horum, quam semel fide perceperunt, non esse æternam, & hos perire posse contra decretum Dei. Hæc cū nullis persuaderi possint nisi electis, id est, Spiritu Dei donatis, ac ita ex Deo renatis, his autem tam absit, vt ignauiā prædicata pariant, vt nihil æque illos ad amorē Dei, atque inde ad omne opus bonū queat extimare, satis cōstat illos nescire quid dicant, qui negant ista palam prædicanda. Vtique quo maiorem quisque Dei erga se amorem agnoscit, eo ardentius illum redamabit. Reprobi si istis offendantur, non mirum est, illi nulla re nō offendūtur. Sacra, sanctis & electis scripta sunt, iis debent lucide & clare impertiri, quicquid inde veneni, more araneorum, reprobi hauriant. Hæc beatissimus Bucerus, olim Argentinensis Ecclesiæ Episcopus, & Doctor. O magnam temporum mutationem.

Eant igitur & melius discant principia Theologiæ, qui hanc oppugnant doctrinam: cùm ea manifestè eò spectet, vt fides, parens pœnitentiæ in animis fideliū, virtute Dei, cōseruetur, & vt nos per hāc fidem ad salutē custodiamur. Quòd si qui fortassis illā ad carnis securitatem abutantur, culpa non hæret in doctrina, sed in carnalib. ac reprobis hominibus: quib. & Christus est Petra scandali: & Euangelium odor mortis ad mortem, & libertas Christiana, licentia carnis, & quibus denique omnia cedunt ad mortem: sicut contra, diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, etiam peccata, inquit Augustinus, non ex sui natura sed ex Dei gratia. Solet enim Deus, optimus animarum nostrarum medicus, suos electos in quædam crassiora & notiora labi peccata permittere, vt subtiliora, minúsque cognita, (quale est exempli caussa, perniciosissimum superbię vitium, quę in bonis potissimum operibus insidiatur) in lucem nobis proferat, & prolata purget: non secus ac medici venena venenis purgare, & dolores doloribus tollere consueuerunt, qua de re Augustinus, de Natura & Gratia cap. 27. & 28. & alibi.

Ad summam: Deus pater Christum filium suum nunquam deseruit, etiam cum maximè, vt in cruce, eum deseruisse videretur: Ecclesia autem corpus Christi est & singuli fideles illius membra. Horum igitur nemo vnquam

dicat,

... dicere potest, cur ... reliqui alii quin etiam in ... dicat, discereque docuit. Deus meus, Deus meus, ... & veri sensum eius: Deus eorum est, fide ... aeterno. Iustus certe ex hac fide viuet: & Deum sem... pro Deo suo, & inuocabit vt patrem & vt sui ... redamabit, obseruabit. Faxit hic optimus pater ... vt haec dulcissima doctrina, ab omnibus & recte, & ... intelligatur: ac quam suauis ea sit & salutaris ... conscientiis, vero animi sensu & viua experientia ... ratur ac cognoscatur.

... Bucerus in disputatione contra Melchiorem Hoffmannum de Praedestinatione & lib. Arbitrio, habita Argentinae Anno 1533. proposit. 41.

Ex fide, qua credimus nos esse electos, & Deum velle in nobis habitare, & omnia bona operari: consequitur, vt libero & libenter studeamus huic diuinae gratiae & vocationi conuenienter viuere, gratosque nos erga Deum toto corde, animo, omnibusque viribus exhibere.

Ego vero secundo Tantum beneficiorum Dei spiritualium ad salutem animae pertinentium, quale est & donum Perseuerantiae, vnumquemque in se habere: quantum e manu Dei in scripturis loquentis, promittentis & offerentis, manu suae fidei accipit iuxta illud Christi: sicut credidisti fiat tibi.

Tametsi qua sequitur tractatio de libro Vitae, in libris quoque de Natura Dei explicata est: Duabus tamen de causis nequaquam hic eam praetermittendam esse duximus: tum vt qua ad controuersiam illam Argentinensem pertinebant, ea omnia in vnum corpus collecta perpetuo integra permaneant: tum etiam quia nonnulla maxime commemoranda hic continentur, qua in libris de Natura Dei ... omissa fuerunt, quia ad illud ... attributum Dei ... non pertinebant. Eam ergo consulat ... Lector hanc ... repetitionem, te etiam atque etiam rogamus.

DE LIBRO VITAE, IN QVARTVM IESAIAE CAPVT, in ea verba: Et fiet, vt qui reliquus fuerit in Sion, & qui residuus fuerit in Ierusalem, Sanctus vocetur: omnis (scilicet) qui Hierosolymis ad vitam scriptus fuerit.

SINE vlla controuersia alludit Propheta ad librum illum vitae, de quo prius Moses mentionem fecerat in lib. Exod. 32. cap. cum dixit: Domine, nunc remitte peccatum hoc eis: aut si non vis (remittere) expunge me de libro tuo, quem scripsisti: id est, de libro vitae, vt omnes interpretantur.

Quoniam autem de hoc libro vitae mentio fit saepissime in Scripturis (vt Exod. 32. quem locum iam citaui Psalm. 69. precatur suis & Dei hostibus exitium aeternum, & ... Deleantur de libro viuentium, & cum iustis non scribantur. Psalm. 139. In libro tuo omnes scripti erant. Dan. 12. loquens Michael Angelus Danieli, de tragoedia quae futura erat per Antichristum ait: Et in tempore illo seruabitur populus tuus omnis, qui inuentus fuerit scriptus in libro. Ezech. 13. loco libri vitae, habet Scriptura domus Israel. Etiam in Nouo testamento saepius. Luc. 10. Gaudete quia nomina vestra scripta sunt in caelis: id est, in libro vitae. Phil. 4. Sane rogo & te socie germane, adiuua eas quae in Euangelio decertarunt mecum, vna cum Clemente, quoque, & reliquis cooperatoribus meis: quorum nomina sunt in libro vitae. Apocal. 3. Non delebo nomen eius de libro vitae. Item 20. Et alius liber apertus est, qui est liber vitae. Item: Qui non est scriptus in libro vitae, missus est in stagnum. Item 21. Non intrabit in eam ciuitatem aliquod coinquinatum, nisi qui scripti sunt in libro vitae agni.) Quandoquidem igitur saepius mentio occurrit huius libri in Scripturis, occasione accepta ab hoc loco Iesaiae, de hoc libro tres mihi Quaestiones explicandae sunt. Prima: Quid sit iste liber: ad intelligentiam vero huius loci Iesaiae, explicatio haec necessaria est. Secunda quaestio: An qui semel scripti sunt in libro illo possint inde deleri. Quaestio haec explicanda: quoniam saepius legimus in Scripturis, vt in Exod. & in Psalmis, precari sanctos vt ex libro illo aliqui expungantur. Contra Iesaias dum hic ait, Omnes illos qui scripti sunt ad vitam (iuxta priorem interpretationem) fore sanctos: videtur innuere, non posse eos qui scripti sunt in libro vitae, non fieri sanctos: & non posse non viuere: eoque non posse inde deleri. Tertia quaestio: Cum Deus non solum ad vitam multos praedestinarit, vnde fit vt in libro vitae scripti dicantur: sed alios etiam ad mortem ordinarit, cur horum caussa non traditus fuit in sacris literis etiam liber mortis?

Quod ad primam attinet: illud primum nos non latet, Deo nullum esse librum materialem, in quo scribat: sed cum attribuitur liber aliquis Deo, illum metaphorice esse accipiendum pro firma certaque Dei notitia, quam de nobis nostrisque rebus & actionibus habet, atque ab aeterno habuit. Sicut enim nos in libro scribimus ea quae notamus & ideo scribimus, vt quoniam memoria facile exciderent, firmiter eorum notitiam in libro saltem aliquo retineamus: ita iuxta hanc metaphoram certa firmaque, & aeterna Dei de nobis nostrisque rebus & actionibus praescientia, quin etiam certum firmumque decretum & praescientia eorum quae ipse facturus est, liber Dei appellatur. Sic Augustinus & alij omnes interpretantur librum Dei, id est, praescientiam Dei.

Tres autem libros lego in Scripturis Deo attribui. Vnus est, in quo scriptos fuisse dicuntur omnes homines, eorumque nomina, antequam etiam nascerentur: omnes inquam homines, qui vnquam nascituri erant. Huius libri meminit Dauid Psalm. 139. vers. 16. loquens ibi de prouidentia Dei, qua omnia, antequam fiant, praeuidet, ait: Imperfectum meum viderunt oculi tui, & in libro tuo omnes scribentur: dies formabuntur, & nemo in eis. Sic habet vulgata editio. Quanquam varie vertatur hic versus: haec tamen mihi placet: Informem massam meam (id est embryonem) viderunt oculi tui: & in libro tuo omnes conscripti (scilicet homines erant) cum dies formarentur, & ne vnus quidem in eis esset. Quasi dicat: Quid dico quod me, cum formaret in vtero, praeuiderit? Imo cum dies initio mundi formarentur, & ne vllus quidem hominum adhuc (in rerum natura) esset, omnes scripti erant in libro tuo, id est, omnes tibi notissimi, & in praescientia praeuisi ac ceu in libro quodam conscripti erant. Hic liber pertinet ad prouidentiam, & nihil est, nisi praescientia, qua Deus praeuidit ab aeterno homines omnes, eorum nomina, & quaecunque acturi erant.

Secundus liber est in quo scribi dicuntur omnes homines iam nati, & quaecunque agunt: vt secundum sua quisque facta, etiam iudicetur. De hoc Iohannes in Apoc. 20. loquens de iudicio illo vniuersali, in quo omnes secundum sua ipsorum facta iudicabuntur, ait: Et vidi mortuos magnos & pusillos, stantes in conspectu throni. Et libri aperti sunt, & iudicati sunt mortui ex iis quae scripta erant in libris secundum opera ipsorum. Id est aperti sunt libri, in quib. singuli, singulorumque nomina & acta, quae viui gesserant, scripta erant. Hic liber nihil est aliud, quam cognitio, quam Deus habet eorum omnium, quae quisque gessit vt secundum ea iudicetur: quare pertinet ad iudicium vniuersale Dei: & est ceu liber iudicis, in quo scribuntur rei, & omnia illorum acta. Quanquam obiter hic etiam notandum est, in Apocalypsi 20. fieri mentionem cuiusdam libri, qui Liber Vitae appellatur, cum dixisset: Vidi mortuos pusillos & magnos, stantes in conspectu throni: Postea subdidit: At alius liber apertus est, qui est vitae. August. Tom. 5. de Ciuitate Dei lib. 20. cap. 14. sic exponit: Qui est vitae, scilicet vniuscuiusque: Et esse hunc, diuersum librum a libro vitae, scilicet aeternae: de quo in fine capitis ait Iohannes: Et missi sunt in stagnum, quicunque non fuerunt inuenti scripti in libro vitae, scilicet praedestinationis. Quid est igitur liber ille vitae vniuscuiusque? Augustinus loco supra citato, vult esse cognitionem, qua quisque (atque per vim diuinam) in die iudicij cognoscet, quicquid in vita egit boni vel mali propria sua conscientia. Quare hic liber pertinet ad hoc secundum genus librorum: id est, ad librum iudicij, de quo iam diximus. Verba Augustini haec sunt: Et alius (inquit Iohannes) liber apertus est. Quaedam igitur vis est intelligenda diuina, qua fiet, vt cuique opera sua bona vel mala, cuncta in memoriam reuocentur: & mentis intuitu mira celeritate cernantur, vt accuset vel excuset scientia conscientiam: atque ita simul & omnes & singuli iudicentur. Quae nimirum vis diuina, libri nomen accepit: in eo quippe quodammodo legitur, quicquid a faciente recorditur.

Tertius est liber, qui dicitur vitæ, scilicet æternæ: Sed hic etiam duplex est:

Vnus temporalis: in quo aliqui scripti sunt ad vitã non perpetuo aut firmiter, sed ad tempus, secundum præsentem iustitiam, & apparentem non veram in Christo insitionem: è quo tandem exscinduntur, ideóque ad vitam æternam non verè præsciti esse cognoscuntur: Id quod deleri de libro vitæ, Augustinus & alij interpretantur. De hoc Psalm. 69. Deleantur de libro viuentium: id est, Videntur quidem per hypocrisin, quia in Ecclesia sunt, & in fœdere continentur, videntur inquam esse scripti in libro vitæ: Tu autem declara eos non esse scriptos in libro viuentium: id est, retege illorum ὑπόκρισιν, & ita cum iustis non scribantur, id est, non appareant amplius esse scripti. Hic liber hoc sensu non est liber ille vitæ, in quo Deus conscriptos habet suos ad vitam: non enim agnoscuntur à Deo tanquã ad vitã pertineant: sed est liber potius, in quo (vt ita loquar) & Ecclesia & ipsimet se scripserũt ad vitam: i. est cognitio, qua Ecclesia illos in numero eorum qui ad vitam sunt electi, habet & agnuscit: idque propterea, quod videt illos secundum externam vocationem & iustitiam in fœdere Dei de vita æterna contineri. Et est cognitio, vel opinio potius, qua ipsi quoque hypocritæ putant se ad vitam æternam pertinere: idque, quia cernunt se aliquam habere in Christum (licet nunquã veram) fidẽ, & aliquam (licèt hypocriticam) iustitiam. At vbi Deus illorum hypocrisin retegit, & palam damnatur tum & Ecclesia, & ipsimet agnoscunt, se non fuisse in vero & æterno Dei libro scriptos: & tunc dicuntur deleri de libro. Quin etiam dici potest esse cognitio Dei, qua Deus ipse videt eos secundum præsentem externam iustitiam, quodammodo pertinere ad æternam vitam: quanquam secundum internam & veram iustitiam, nouit eos non pertinere ad vitam. Delentur autem de libro hoc, cùm externam etiam iustitiam amittunt: tunc enim nullo modo apparent ad æternam vitam pertinere.

Alter est liber æternus ipsius Dei: in quo firmiter & æternùm conscripti sunt ad vitam æternam, omnes verè filij Dei, idque ab æterno. De hoc Dan. 12. Philip. 4. Apoc. 20. 21. & de hoc etiam hic Ies. 4. loquitur.

Quid igitur est hic liber? Est illud: Nouit Dominus qui sint sui: Scimus librum appellari, vbi multa scribuntur. Multa enim scribi non possunt in vno folio, sed in libro aliquo iustæ magnitudinis. Scimus etiam res scribi non solùm in chartis, sed etiam in corde, in mente, in intellectu. Sic enim loquitur Apostolus 2. Cor. capi. 3. Item Ieremias: Scribam leges meas in corda eorum. Librum igitur vitæ dico esse pectus seu mentem illam diuinam, in qua ab æterno iuxta suum propositum & definitum consilium conscripsit ipsemet Deus ad vitam æternam omnes, quos sibi placuit eligere in filios, in fratres Christi, & consortes cœlestis regni, idque ex sua pura gratia, & non ex meritis hominum præuisis. Seu est (vt clarius loquar) ipsa æterna & firma certorum hominum in mente ad vitam æternam conscriptio, seu electio & prædestinatio: quam indubitato sequitur efficax vocatio, iustificatio & glorificatio: vt est ad Rom. 8. Seu est (vt breuius dicam) illa æterna Dei præscientia, qua quos suos esse voluit, semper agnoscit & agnouit, de qua 2. Tim. 2. Nouit Dominus qui sint sui. Ideo sæpius in Euangelio ait Christus, se dicturum impiis, Non noui vos. De electis verò ait: Ego agnosco eos.

Augustinus Tom. 5. de ciuitate Dei, lib. 20. cap. 15. exponens verba Iohannis Apoc. 20. Qui non inuenti sunt scripti in libro vitæ, missi sunt in stagnum ignis, &c. hæc scribit: Non Deum iste liber commemorat (id est, liber iste apertus non admonet Deum qui sint seruandi) sed prædestinationem significat eorum quibus æterna dabitur vita. Neque enim nescit Deus eos, & in hoc libro legit vt sciat: sed potius ipsa eius præscientia de illis, qui falli non potest, liber est vitæ, in quo sunt scripti, id est præcogniti.

Nunc (vt ad alteram quæstionem veniamus) cum Moses Exod. 32. dicat, Dele me seu expunge de libro, & Psalm. 68. Deleantur de libro viuentium, quærunt omnes, An fieri possit, vt qui semel in libro illo vitæ æternæ scriptus fuit, expungi postea ex eo possit, id est, Qui prædestinatus est ad vitam, possit perire.

Principio Sophistarum quorundam refero responsionem, qui hanc propositionem, Petrus (verbi gratia) ad vitam æternam electus, potest damnari (quod idem est ac si dicas, potest deleri de libro vitæ) dicunt in sensu (vt loquuntur) diuiso esse veram, in sensu verò composito, falsam. In sensu autem diuiso, intelligunt id, quod alij vocant, simpliciter: in sensu verò cõposito, id quod dicimus, ex suppositione. Ergo an prædestinatus ad salutem possit damnari, seu qui scriptus est in libro vitæ, possit inde expungi: dicendum esse contendunt: In sensu diuiso posse: nempe, Ille, qui est prædestinatus, si in seipso, absque eo quod sit prædestinatus, consideretur, potest damnari: quia non est simpliciter necessarium vt saluetur, sed tantum ex suppositione, id quod est in sensu composito: h. e. si ille qui est prædestinatus ad vitam, consideretur coniunctus cum sua prædestinatione, & ab illa non separetur, propositio est impossibilis, nempe, quod qui est prædestinatus ad vitam, quatenus prædestinatus est, possit damnari. Hæc est illorum responsio.

Secundo. Catharinus nouum dogma commentus est. Is statuit, quosdam, eosque paucos, esse prædestinatos: hoc est, præ aliis ad æternam vitam singulariter electos. Et hos ita à Spiritu sancto per totam vitam regi, & in fide conseruari, vt ab ea nunquam excidant, multo minus ab æterna vita. donari enim hos perseuerantia in fide: quia ex sola prædestinatione hæc omnia dona habent, & consequenter æternam vitam. Hos igitur non posse vllo modo ex libro expungi. Reliquos homines non esse quidem prædestinatos ad salutem, sed neque tamen ita ab illa reiectos, vt nullo modo saluari possint, si velint. Omnibus enim offerri gratiam tantam, quanta sit satis ad salutem consequendam. Cæterum horum quosdam esse, qui gratiam oblatam nunquam recipiunt: hos igitur nunquam in libro conscribi. Alios autem esse, qui gratiam amplectantur ad tempus, sed eos tandem gratiam reiicere, & damnari. Hos igitur, cum gratiam recipiunt, scribi in libro vitæ: cùm vero reiiciunt, deleri de libro. Postremò, alios gratiam modo recipere, modo reiicere: sed tadem finaliter in gratia mori: hos igitur quoque, modo scribi, modo expungi. Cæterũ quia hoc est ipsius somnium, quosdam scilicet saluari, qui non sint prædestinati ad salutem: ideo eius responsionem reiicimus. Imo quoniam nos, cũ de libro vitæ loquimur, prædestinationem intelligimus: & quos paucos esse dicit prædestinatos, nos dicimus esse omnes qui saluantur: & de ipsius sententia, prædestinati è libro nunquam expunguntur: ideo concludimus, Quicunque in libro vitæ scripti sunt, eos nunquam deleri.

Tertiò, referam responsionem Thomæ in prima parte, quæst. 24. artic. 3. Liber vitæ (inquit) est conscriptio prædestinatorum ad vitam æternam. ad quam ordinatur aliquis ex duobus. Primo, ex prædestinatione diuina, & hæc ordinatio nunquam deficit. Secundò, ex gratia ordinatur aliquis ad vitam. Quicunque enim habet gratiam Dei, dignus est vita (per gratiam vero intelligit rem creatam in anima, donum Spiritus S. non æternam beneuolentiam, & fauorem Dei,) & hæc ordinatio deficit interdum, deficiũt enim aliqui à gratia per peccatum mortale, & ita etiam deficiunt ab ordinatione, qua propter gratiam, quam habebant, ordinati erant ad vitam æternam. Hæc Thomas. Concludit, Illos igitur, qui ad vitam æternam sunt ordinati ex prædestinatione, non posse deleri de libro, nec amittere vitam æternam. Quare? Quia scripti sunt in libro simpliciter, ad vitam æternam ex prædestinatione Dei, quæ mutari non potest, habendam. (conclusio hæc vera est) Illi vero (inquit) qui ordinati sunt ad habendam vitam non ex prædestinatione, sed solum ex gratia, deleri possũt. Quare? Quia non sunt scripti in libro simpliciter, id est, ad habendam vitam ex sola prædestinatione, quæ est immutabilis, sed secundum quid, id est, ad habendam vitam ex gratia, quæ amitti potest. In hac Thomæ responsione quædam sunt vera, quædam falsa.

Quod ait Thomas, qui sunt ea prædestinatione ad vitam æternam, ideoque scripti in libro vitæ, non posse ab illa ordinatione excidere, ideóque non posse e libro vitæ deleri, vt Christianè & piè dictum amplector. Quod verò ait, quosdam non ex prædestinatione, sed ex gratia ad vitam esse ordinatos, si intelligit de vera gratia, vt de vera fide, déque gratia veræ regenerationis, non admitto, Quia gratia hæc non potest contingere nisi prædestinatis, & effectus est prædestinationis. Quomodo igitur, qui non sunt ordinati ad vitam ex prædestinatione, ordinati esse possunt ex vera gratia prædestinationis effectu? Si vero intelligit de gratia, vt de fide temporaria, quæ non est vera fides, tunc, quod ait ex gratia hac quosdam esse ad æternã vitam ordinatos, partim admitto partim non admitto. Admitto, secundum præsentem iustitiam in facie Ecclesiæ, quatenus in Ecclesia multi videntur ex hac fide temporaria ad vitam ordinati, cùm tamen non ita sint coram Deo. Non admitto autem, quia reuera neque coram Deo, neque à Deo ordinati fuerunt ad vitam æternam. Quare

quod

quod etiam subdit, hos deleri de libro vitæ: impropriè dictum est, cùm in ipso prædestinationis libro nunquam fuerint conscripti.

Vera & simplex responsio est, quam Augustinus, & alij post Augustinum Patres ex verbo Dei proferunt: Qui verè fuerunt in libro vitæ conscripti, eos nunquam inde deleri posse. Quod perinde est, ac si dicas: Qui semel fuerint prædestinati ad vitam æternam, ab illa non possunt in mortem æternam reiici. Hoc ita esse, infinita testimonia Scripturarum cuincunt: quæ singula recitare, operæ precium non est in præsentia: duo aut tria sufficiant. Iohan. 6. Omne quod dedit mihi Pater, ad me veniet: & eum, qui venit ad me, non eiiciam foras, sed resuscitabo illum in nouissimo die. Dedit autem Pater Christo electos in prædestinatione, cum illos prædestinauit in Christo ad vitam æternam. Veniunt ad Christum per fidem: non eiiciuntur foras, quia perseuerantiæ donum accipiunt, & manent semper cum Christo: non igitur possunt perire. Iohan. 10. Oues meæ vocem meam audiunt, & nemo potest rapere eas de manu mea. Hic locus etiam apertus est.

Sed locus ad Rom. 8. omnem tollit dubitationem, cùm ait, Quos præsciuit, eosdem & præfiniuit conformes fieri imaginis Filij sui, vt ipse sit primogenitus inter multos fratres. Porrò quos præfiniuit, eosdem & vocauit: & quos vocauit, eos & iustificauit, quos iustificauit, hos & glorificauit. Quatuor annuli sunt vnius catenæ quæ è cœlo demissa, Pater in cœlum trahit electos, annuli inquam quatuor indissolubiles. Primus est prædestinatio ad vitam in Christo. Secundus, vocatio efficax ad Christum. Tertius, iustificatio per Christum. Quartus glorificatio cum Christo. Glorificatio igitur, quæ futura est in vita æterna, separari non potest à primo annulo, neque primus ab vltimo. Quare prædestinati perire non possunt. Huiusce verò conclusionis ratio est, quam Paulus docet Rom. 11. Dona Dei & vocatio sunt sine pœnitentia. Ergo multo magis prædestinatio est sine pœnitentia. Ideo Augustinus To. 8. in Psal. 68. exponens verba, Deleantur de libro viuentium ait, Fratres, non sic accipere debemus, quod quenquam Deus scribat in libro vitæ, & deleat illũ. Si homo (Pilatus) dixit, Quod scripsi, scripsi. (de titulo, vbi scriptum erat. Rex Iudæorũ.) Deus quenquam scribit, & delet? Præscius est, prædestinauit omnes ante constitutionem mundi, regnaturos cũ Filio suo in vita æterna. Hos, quos conscripsit, ipsos continet liber vitæ. Denique in Apocalypsi quid ait Spiritus Dei, cum de pressuris ab Antichristo futuris loqueretur eadem Scriptura? Consentient illi (inquit) omnes, qui non sunt scripti in libro vitæ. Proinde sine dubitatione non erunt consensuri qui scripti sunt. Illi ergo quomodo inde delentur, vbi nunquam scripti sunt? Hoc dictum est secundum spem ipsorum, quia ibi se scriptos putabant. Quid est, Deleantur de libro vitæ? ipsis constet, non illos ibi esse. Ex hac locutione dictum est in alio Psalmo, Cadent à latere tuo mille, & dena millia à dextris tuis, id est, multi scandalizabuntur, etiam ex eorum numero, qui se sperabant staturos ad dextram tuam, separati ab hœdis sinistris. non quia cum ibi steterit aliquis, postea cadet, aut cum sederit cum illo quisquam, abiicietur, sed quia multi casuri erant in scandalum, qui iam ibi se esse putabant, id est, multi qui sperabant sessuros se tecum, multi qui sperauerant staturos ad dextrã, ipsi casuri sunt. Sic ergo & hic, illi qui se sperabant tanquam merito iustitiæ suæ in libro Dei scriptos quib. dicitur, Scrutamini Scripturas, in quibus putatis vos vitam æternam habere, cum perducta fuerit damnatio eorum, etiam ad cognitionem illorum, delebuntur de libro viuentium, id est, non ibi se esse cognoscent. Nam versus qui sequitur, exponit quod dictum est, Et cum iustis non scribantur. Dixi ergo, deleantur secundum spem eorum, Secundum autem æquitatem tuam, quid dico? Non scribantur. Hæc ille. Non ergo possunt deleri. Etenim si adduci Deus posset ad eos delendos, nulla re adduceretur, nisi peccatis ipsorum, non est enim alia causa expunctionis, nisi peccatum. At sicut Deus nõ potuit impediri à peccatis electorum præuisis, quin illos elegerit ad vitam, & in Libro vitæ conscripserit, ita propter eadem peccata non potest adduci, vt illos è libro vitæ expungat, quos semel à Deo gratis pro sua tantum gratia conscripsit, Imo quia conscripti sunt ad vitam, etiam à Deo custodiuntur, ne ita peccent, sicut reprobi peccant, hoc est, ex animo, & destinata malitia, & pertinaciter ac perseueranter, ita vt tandem damnari cogantur. Quia igitur gratis secũdum suum beneplacitum elegit & scripsit nos in libro vitæ, ideo certa & firma est nostra salus, 1. Ioh. 5. & ex libro isto nullo modo expungi possumus, quicunque ibi sumus cõscripti. Hæc est conclusio Responsionis ad hanc quæstionem, quę certa & perspicua est. Ideo Iesaias (iuxtà priorem interpretationem huius contextus) ait sanctos fore, quicunque scripti sunt ad vitam: id est, necessario erunt sancti, & viuenti: quia scripti in libro vitæ.

At, quomodo igitur intelligendi sunt loci ex Exodo & Psalmis adducti, Dele me de libro item, Deleantur de libro viuentium? Accipite modo horum locorum explicationem.

Quod ad locum Exodi attinet, variè hunc exposuerunt interpretes. Primo. Rabbi Sapheradi (vt Munsterus refert) ait Mosen locutum fuisse de libro legis, qui dicitur liber vitæ eò quod præcepta vitæ cõtineat. Petiit igitur à Deo, secundum hunc Rabinum, vt si nollet populo parcere, se deleret de libro legis, vt nulla vnquam sui memoria in lege amplius exstaret: Quasi dicat: si tu non vis parcere populo, sed illum perdere, quia legem hanc, quã mihi dedisti, iam transgressus est: ego nolo amplius nominari in hac tua lege, & illam populo promulgare: quasi ego hac seuera lege sim autor, vt totus populus perdatur. Dele me ergo de libro legis potius.

Secundo: Alij Mosen loquutum fuisse sentiunt, nõ de libro vitæ æternæ, sed de libro vitæ præsentis. Quasi dicat: si tu vis populum hunc ob hoc peccatũ perdere, ego malo mori, quàm videre tantam populi huius calamitatem & stragem. aut igitur populo parce: aut me vnà cum populo interfice. Satius fuerit, vt ego moriar, quam vt tantum populum in fœdus tuum adscriptum, & tot miraculis ex Ægypto liberatum, cum perpetua tui nominis ignominia in hoc Arabũ deserto perire videam. Quid enim dicet mũdus? Te & me hunc populũ seduxisse, & ceu boues ad macellum adduxisse. Ergo potius me dele de libro præsentis vitæ, quàm vt sinas me tanti populi stragem atque exitium videre. Iuxta hanc expositionem videtur iudicari à Mose liber, in quo vita vniuscuiusque scripta sit: seu, quot quisque annis, aut mensibus & diebus viuere debeat: & videtur petere, vt sibi potius maturetur mors, quàm vt sinatur interitum tanti populi videre.

Tertiò: Quidam de libro vitæ æternæ intelligunt locũ: sed Mosen cum conditione locutum aiunt, quam tamen locum habere non posse sciebat. Ait enim: Dimitte eis hanc noxam, aut si non vis (scilicet remittere, sed penitus perdere) expũge me de libro vitæ æternæ. Iam Moses (inquiunt) certo sciebat, Deum non perditurum totum populum, quem iam in fœdus suum adsciuerat: propterea quòd fidem Dei irritam facere non poterant peccata populi. Cum igitur conditionaliter loquatur, si non vis parcere: sciat autem certo, Deum nolle populum perdere: idcirco dicens, Aut dele me, nihil petit, & hac locutione nõ indicat fieri posse, vt quis è libro vitæ deleatur. At ait ibi apertè Deus, respondens Mosi, Qui deliquerit in me, delebo ego eum de libro vitæ. Peccata igitur populi possunt mouere Deum, vt fidem datam non præstet, & vt deleat è vitæ libro eos, qui ibi conscripti sunt.

Respondeo, nomine libri vitæ intellexit fœdus, quod cum toto corpore illius populi pepigerat Deus. Id electis futurum erat perpetuum, & ab eo fœdere non poterat excidere, illi enim erant verum semen Abrahæ, Reprobis verò, temporarium, quia sua infidelitate erant inde abscindendi, vt Apostolus docet Roman. 11. nec tamen propterea fœdus futurum erat irritum, nec fides Dei poterat fieri irrita, quia in electis mansurum erat firmum. De libro igitur huius fœderis loquitur, non de libro vitæ, id est prædestinationis, Et de reprobis, non de electis intelligebat Dominus. Quod si quis contendat, eum loqui de libro prædestinationis, & non tantum de reprobis, sed etiã de electis, tunc dicam, etiam nihil hac locutione cõcludi, cùm sit conditionalis. Est enim sensus, si quis deliquerit, scilicet, ita, vt me penitus deserat, & toto corde in me peccet, ita vt ad me per pœnitentiam non redeat, delebo eum. Atqui hoc modo non possunt peccare illi, qui in libro vitæ æternæ scripti sunt. nam de iis Propheta ait, Scribam in corda eorum legem meam, & timorem meum dabo in corda eorum, vt non recedant à me. Ierem. 31. & 32. Imò Moses ipse electis ex populo ait. Deut. 30. Circumcidet Dominus Deus tuus cor tuum, cor seminis tui, vt diligas Dominum Deum tuum ex toto corde tuo. Quare neque verba hæc conditionaliter prolata concludunt, scriptos in libros æternæ prædestinationis, inde expungi posse.

Quartò. Alij interpretantur quidem de libro vitæ æternæ. sed Mosen præ maxima charitate erga populum, & pro zelo gloriæ Dei, quam videbat periclitari, si tantus populus deleretur, κατ' εὐχὴν locutũ fuisse, & optasse (id quod tamẽ sciebat fieri nõ posse) se potius damnari in morte æter-

nam, quàm vt tantus populus perderetur, & simul gloria Dei periclitaretur. Quare Mosen his verbis nequaquã iudicasse, posse quempiam è libro vitæ, in quo semel est scriptus, deleri: cum locutus sit κατ' ἀνθρωπον. Quasi dicat: Si fieri potest (id quod non potest) dele me potius de libro vitæ, quàm vt populus iste perdatur. Sicut & Paulus Rom. 9. optauit anathema esse à Christo, pro fratribus.

Quintò. Alij volunt, Mosen nomine libri vitæ intellexisse catalogum populi Dei, seminis Abrahæ, seu illã fœderis communicationem, à qua exclusæ erant gentes: & in qua omnes Iudæi, etiã non prædestinati, comprehendebãtur, erat enim ceu liber, in quo scripti omnes Iudæi, vt in familia Dei censerentur. Quasi dicat Moses: Si non vis, ô Deus, parcere populo, sed illum à cõmunione fœderis tui reiicere: dele etiam me de libro hoc, id est, de cõmunione fœderis tui: expunge me ex albo & libro populi tui. Hæc expositio simplicior est. Dominus enim statim respondet Mosi: Qui peccauerit in me, hunc ego expungam è meo libro. Quasi dicat: Nõ expungã, nõ excludã à communione fœderis mei, nisi illos qui peccauerint in me. Illi enim non erunt participes vitæ, quam in fœdere meo promisi: illique non censebuntur in meum populum & familiam. Huc spectat & illud Ezech. 18. Si iustus auerterit se à sua iustitia, & fecerit iniquitates, secundum omnes abominationes, quas operari solet impius, nunquid viuet? omnes iustitiæ eius, quas fecit, in recordationem non veniẽt. Hoc est deleri è libro vitæ, non censeri amplius in familiam Dei, in cõmunionem sanctorũ, in fœderis diuini communicationẽ, in qua antea cõtinebatur, & ceu script⁹ videbatur: id quod fit propter peccata infidelitatẽ, & defectionẽ à Deo.

Huic expositioni videtur fauere illud Ezech. 13. In arcano populi mei nõ erunt, & in Scriptura (id est in catalogo) domus Israel non scribentur. Cum igitur iuxta hanc interpretationem Moses non loquatur de libro prædestinationis ad vitam æternam: ideo ex hoc loco Mosis non potest concludi, deleri quempiam posse ex libro electionis.

Quocunque modo exponamus hunc locum: videmus hinc non consequi, quod quis possit deleri è libro prædestinationis, in quo semel conscriptus est.

Sed quid ad locum Psalmi: Deleantur de libro viuentium, & cum iustis non scribantur?

Hic etiam locus potest sic exponi, sicut locum Exodi postremo declarauimus. Loquitur Dauid de Iudæis hypocritis, qui etiam ipsi in familia Dei censebantur, & participes erant diuini fœderis, vnà cum sanctis. Cùm autem impij essent, & inimici Dei: propterea precatur Deum David, vt illos expellat à cõsortio sanctorum, eiiciatq. ex hac fœderis communione: ne vllam cum iustis, id est, cũ populo Dei, habeant communionẽ. Et hoc est deleri è libro vitæ, & cum iustis non scribi. Et hæc etiam simplex est expositio: vt idem sit liber viuentium & iustorum i. fœdus Dei.

Quidam tamen volunt, diuersum esse librum viuentiũ à libro iustorum. Videntur velle, librũ viuentium esse fœdus, quod Deus in veteri testamento cum Patribus pepigit: Quod ideò viuentiũ liber dicitur, quia qui fecerit hæc, viuet in eis. Iustorum verò librum, fœdus noui testamenti: quod certè adiunctam habet prędestinationem æternam, vt fundamentum: Quod etiam ideò liber iustorũ dicitur, quia per fidem noui testamenti iustificamur. Impij ergo illi, de quibus Propheta loquitur, deleti sunt de primo libro, quia legem non seruarunt, nec sunt scripti in secundo, quia nunquam crediderunt in Christum, nec sunt electi ad vitam æternam. Ab hac non videtur dissentire Hieronymus, qui Tom. 8. hunc locum exponens, ita ait: Duos hic libros indicat scriptos, viuentium, & iustorum, in quo ante aduentum Dei, Prophetæ ac Patriarchæ scripti sunt: de quo Moses peccante populo ait, Si nõ dimittes eis noxam, dele me de libro tuo. Iustorum verò dicit illum, de quo Dominus ad eos, qui per fidem sunt secuti, ait: Gaudete, quia nomina vestra scripta sunt in cœlis. Persecutores ergo isti, & è primo libro deleti sunt, & in secundo non sunt scripti. Hæc Hieronymus in Psal. 68.

Augustinus Tom. 8. exponit aliter hunc locum. Sensus, secundum Augustini interpretationem, hic est: Domine damna & perde hos impios hypocritas, qui se putãt scriptos esse in libro vitæ, & cum sanctis esse connumeratos: & ita declara eos non esse scriptos in libro vitæ, neque cũ iustis conscriptos. Quare deleri aliquem è libro vitæ, est, declarari illum non esse scriptum in libro vitæ. Verba Augustini superius recitata sunt.

Stat igitur firma conclusio: Ex libro vitæ neminem, qui ibi scriptus sit à Deo ante mundi constitutionem, expũgi posse. Nunc addo: Neque quempiam, præter eos, qui in eo scripti sunt ante mundi constitutionem posse eo in libro conscribi. Clausus est liber, obfirmatúsque signaculis: in die iudicij aperietur, vt qui scripti sunt legantur.

Augustinus de Corrept. & Gratia cap. 13. Hæc de iis loquor, qui prædestinati sunt in regnum Dei: quorum ita certus est numerus, vt nec addatur eis quisquam, nec minuatur ex eis.

At Deut. 1. Dominus Deus noster addat ad hunc numerum multa millia, vbi Glossa ait, Ad hunc numerum, id est definitum apud Deum: Nouit qui sunt eius, qui numerat multitudinem stellarum.

Respondeo: non loquitur de numero prædestinatorum, sed de numero populi, id est, eorum qui in fœdere Dei numerabantur, secundum præsentem iustitiam, non secundum æternam prædestinationem. Ac de secunda quæstiostione satis.

Ad quæstionem tertiam: Si liber vitæ est præscientia diuina eorum, qui ad vitã sunt conscripti, id est, electi: Deus autem nõ solum præsciuit electos, sed etiam reprobos, qui & quot essent damnandi. Cur igitur in Scripturis non statuitur etiam liber mortis, seu illorum, qui ad mortem sunt destinati?

Respondeo. Metaphora, iuxta quam præscientia electorum dicitur liber vitæ, non fert, vt præscientia reprobatorum appelletur liber mortis: apud nos enim non consueuerunt vnquam conscribi, nisi illi qui eliguntur, non autem illi qui reiiciuntur. Exempla habes in militia, & in senatoribus. Cùm Imperator aliquis exercitum colligit, non solet conscribere nisi eos, qui eliguntur in milites: reliqui non scribuntur. Ita cum colligitur Senatus, illi tantum conscribuntur, qui in Senatores eliguntur: reliqui ciues minime. Ita etiam apud Deum non dicuntur scripti, nisi illi qui sunt ad vitam electi: reliqui in sua morte sinuntur, negliguntúrque.

De gradibus nostræ salutis: atque in primis de Gratia Dei: in ea verba Iesaiæ Cap. 3.

In die illa erit germen Domini, &c.

Diximus, in hac promissione summã & gradus salutis nostræ contineri. Quorũ primus est ipsa gratia Christi seu gratia Dei in Christo. Secundus, prædestinatio, seu conscriptio ad vitam æternam. Tertius, vocatio ad Christum & ad sanctitatem. Quartus, iustificatio, seu remissio peccatorum, ablutio à sordibus quam consequitur sanctificatio & reformatio. Quintus, ipsa perpetua Dei gubernatio: quam consequitur æterna pax vita, glorificatio.

Nunc, vt de singulis capitibus quàm breuissimè aliquid dicamus: dicendum primum est de gratia Dei in Christo, eatenus tantum, quatenus facit ad hos gradus explicãdos.

Gratia (quod ad eius notationẽ attinet) ita propriè appellatur, eo quod gratis detur: vt Augustinus in Epistola ad Sixtum presbyterum, & alibi sæpius docet. Et hæc notatio conuenit omnibus gratiis Dei, dantur enim omnes gratis. Nam quod Augustinus ait, gratia ita appellari duas ob caussas, tum quia gratis datur, tum quia gratos facit, nõ conuenit hoc gratiæ omni: vt gratiæ prophetiæ, linguarũ, gratiæ sanandi, & aliis, de quibus 1. Cor. 12. Ideirco vera huius vocis generatim acceptæ etymologia est, quia gratis detur. Rom. 11. Sic ergo, etiam in hoc tempore, reliquiæ secundum electionẽ gratiæ Dei saluæ factæ sunt. Si autem gratia, iam non ex operibus: alioqui gratia iam non est gratia: id est (vt Augustinus optimè interpretatur) Gratia non est gratia vllo modo, si non est gratuita omni modo. Idem Tom. 7. de Natura & Gratia cap. 4. Hæc igitur Christi gratia, sine qua nec infantes, nec ætate grandes salui fieri possunt, non meritis redditur, sed gratis datur: propter quod etiam gratia nominatur. Hæc de notatione.

Gratia Dei (quantum ad præsentem explicationem attinet) accipitur bifariã. Primò, pro fauore beneuolẽtiáque Dei æterna, qua nos in Christo dilexit: & à qua permotus fuit, vt nos ad ęternã vitam eligeret, redimeret, vocaret, iustificaret, glorificaret. Sic solem⁹ fauorẽ principis, & beneuolentiã qua nos cõplectitur, gratiã principis appellare, & illũ esse in primis gratia, cui princeps fauet, & quẽ princeps diligit. ita gratia Dei hoc primo dicitur modo. Et hoc pacto gratia in Deo est, in nobis tãtũ eius cognitio & sensus. de hac Tit. 2. Apparuit gratia Saluatoris nostri Dei omnib. hominib. Ro. c. 5. Iustificati per gratiã ipsius. i. fauorem & beneuolẽtiã. Itẽ: Multo magis gratia Dei & donũ in gratia vni⁹ Iesu Christi, in plures abũdauit. Hęc gratia est amor ille gratuitus, quo nos dilexit ab æterno Deus, de quo

Rom 1

Ro. c. 9. Iacob dilexi, Esau odio habui. Duplex enim amor Dei: Vnus quo omnia quæ condidit diligit: de quo Sap. 11. Diligis omnia quæ sunt, & nihil odisti eorũ quæ fecisti: id est, omnibus benefacis. Sic etiam reprobos diligit: omnibus enim benefacit. Alter amor est, quo solum electos diligit: de quo Rom. cap. 9. Iacob dilexi, &c. Hanc gratiam dedit nobis ante tempora æterna: sed manifestata est postea in tempore, tum cùm promisit, tũ maxime cùm dedit Christum. 2. Tim. 1. Vocauit nos vocatione sua sancta, non secundum opera nostra, sed secundum propositum suum, & gratiam quæ data est nobis in Christo Iesu ante tempora æterna, manifestata autem nunc per aduentum Saluatoris nostri: id est, ab æterno diligebat nos Deus in Christo: sed amorem hunc non nouimus, nisi tum maximè cùm venit Christus, & se ob salutem nostram venisse dixit, & patefecit quod Deus Pater ob nimiam charitatem, qua dilexit nos, Filium suum miserit in mundum. Hæc est prima significatio nominis gratiæ. Et hæc gratia, caussa est & fons aliarum gratiarum omnium.

2. Secundò accipitur gratia pro huius primæ gratiæ effectis, seu donis, quæ Deus ob suam gratiam & beneuolentiam in nos cõfert. Et solent vocari dona, & vero etiam gratiæ: vt gratia regenerationis, gratia fidei, vita etiam æterna gratia dicitur. Sed hæ duplicis sunt generis:

Quædam gratiæ seu dona sunt, quæ nobis donantur ad salutem nostram, & nostrum bonũ: qua de caussa, gratiæ etiam gratum facientes appellantur, vt Gratia fidei, charitatis, regenerationis, vita æterna. Et hæ gratiæ non verè dantur, nisi electis. Fidei enim vera & viua, initium est reliquorum huius generis donorum in nobis. Hæc autem est tantùm electorum. Act. 13. Crediderunt quotquot præordinati erant ad vitam æternam. Tit. 1. Fides electorum dicitur. Quædam dantur ad aliorum salutem: vt est gratia loquendi linguis, gratia prophetandi, de quibus 1. Cor. 12. Hæ dantur etiam reprobis: sed ad aliorum, id est, electorum salutem, ad Ecclesiæ Christi vtilitatem, & instaurationem Sanctorum. Qua de caussa, gratiæ tantum gratis datæ vocantur.

At, si dantur etiam reprobis, quomodo igitur semper proficiscuntur hæ secundæ à prima illa quæ est dilectio æterna? Vtique: sed à gratia & fauore ideo, non erga illos quibus dantur: sed erga illos, in quorum salutem, etiam reprobis dantur.

Modò quæ gratia est illa, quam (iuxta doctissimi interpretis sententiam) intelligimus nomine germinis Domini? Possumus intelligere vtramque, & beneuolentiam ac fauorem Domini: & eius effecta omnia ac dona, tam quæ ad nostram, quàm quæ ad aliorum salutem faciunt: hæc cum copiosissima tum fuerunt in Apostolis, reliquis Israel: tum extant in aliis reliquiis, quæ conuertentur in fine seculi. Sed in primis intelligimus gratiam id est, fauorem & beneuolentiam Dei, hæc enim vndiquaque germinat & relucet, si quis donatus fide eam contemplari possit. Quod enim è terra, cùm tot vberes fructus affert: quid è mari vnde tot piscium genera in nostram vtilitatem: quid è cælo, è stellis, denique è creaturis omnibus relucet, nisi hæc æterna erga nos electos Dei beneuolentia & fauor? Hæc igitur gratia, iure germini vocatur: & fructibus terræ qui vndiquaque pullulant, propter sua effecta cõparatur.

Hanc autem Dei gratiam in Christo, dico fontem esse, vnde salus nostra scaturit: & quæcumque attinent ad salutem nostrã profecta sunt: imo est initium, medium, & consummatio salutis nostræ: ita vt sine hac, nulla ratione haberi possit salus, & vita æterna. Quod verissimum esse, hac inductione fiet perspicuum. Nemo potest saluari & vitam æternam consequi, nisi sit ad illam prædestinatus & electus. Regnum enim Dei non dabitur nisi illis, quibus paratum est à constitutione mundi: Matth 5. venite benedicti, possidete regnum quod vobis paratum est. Item Christus: Non est meum (inquit) dare vobis, sed quibus paratum est à Patre meo. At vnde nostri electio? cur nos elegit Deus, vt nos præ aliis ad vitam æternã in Christo elegerit, nũ ex præuisis operibus nostris? Minimè. Excludit hoc passim Scriptura Rom. 9. Antequam quicquam boni aut mali fecissent, vt secundum electionem propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante, dictum est: Maior seruiet minori. Sicut scriptum est: Iacob dilexi, Esau odio habui. Non ex operibus: scilicet neque quæ fecissent: quia nondum nati: neque quæ ipsi sibi vindicare facturi, quia hæc omnia peccata: neque quæ facturi ex gratia Spiritus sancti, quia præterquam quod & hæc ob carnis contagionẽ & imperfecta & contaminata sunt, cadũt etiam sub prædestinationem, & sunt eius effecta. Ephes. 2. Ipsius factura sumus, creati in operibus bonis, quæ præparauit vt in illis ambulemus. Ergo non ex Operibus est prædestinatio: sed vnde? Ex gratia, ex fauore, ex amore, quo Deus in Christo nos ab æterno est complexus, seu ex gratuita sua erga nos bona voluntate & εὐδοκίᾳ. Ab hac enim adductus fuit Deus, vt præ aliis nos eligeret. Finis verò fuit amor suæ gloriæ, vt pateffieret eius bonitas, iustitia, misericordia, amor & ita laudaretur Deus. Ephes. 1. Elegit nos in Christo, in sese, iuxta beneplacitum voluntatis suæ (en vnde motus Deus) in laudem gloriæ gratiæ suæ (en caussam finalem) 2. Tim. 1. Deus saluos nos fecit, & vocauit vocatione sua sancta, non secundum opera nostra, sed secundum suum propositum & gratiam (id est, propositum gratuitum, quod ab amore erga nos profectum est) quæ data est nobis per Christum Iesum ante tempora æterna, sed palàm facta est nunc per apparitionem seruatoris nostri Iesu Christi.

Manifestum est igitur, gratiam Dei, seu eius erga nos fauorem & amorẽ in Christo gratuitámque erga nos bonam voluntatem, caussam fuisse, vt nos præ aliis ad vitam æternam eligeret. Quare gratia fons est salutis nostræ.

Scio prædestinationem & electionem nostri, esse fundamentum salutis nostræ: sic enim Paulus 2. Tim 2. vocat: Firmum stat fundamentum, habens signaculum hoc, Nouit Dominus qui sint sui. Sed cum discrimen sit inter prædestinationem seu electionem, & inter ipsam caussam electionis: dico, gratiam hanc, seu gratuitum Dei propositum, & voluntatem atque amorem, caussam esse electionis, itémque initium salutis nostræ.

Nemo potuisset saluari, nisi Christus venisset, & suo sanguine pro peccatis mundi, diuinæ iustitiæ satisfecisset, Actor. 4. Non est aliud nomen sub cœlo in quo oporteat nos saluos fieri. At vnde Christi ad nos aduentus, & passio, satisfactio & omnia bona? Ex gratia, seu ex æterna erga nos Dei dilectione. Iohan. 3. Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret.

Nemo (adultus) potest seruari, nisi ad Christum, eiúsque Euangelium vocetur, & quidem efficaciter. At vnde hæc vocatio? Ex gratia. 2 Timoth. 1. Vocauit nos vocatione suâ sancta, secundum propositum & gratiam, quæ data est nobis ante tempora æterna. Vnde & Paulus Galat. 1. se vocatum dicit à Christo, per gratiam suam.

Nemo potest saluari, nisi fide habeat in Christum, qua assentiatur vocanti: vel saltem Spiritum fidei, nam & pueri Spiritum fidei habeant, si debeant saluari, necesse est, cum vnusquisque iustus sit ex sua fide, & ex ea viuat. At vnde fides? Ex gratia. Ephes. 2. Gratia salui facti estis, per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum est.

Nemo (adultus) potest saluari sine bona voluntate, qua velit in Christum credere, & velit quod in Euangelio offertur amplecti, & velit seruare mãdata. At vnde hæc voluntas? Ex gratia. Præparatur enim voluntas à Domino, item Philip. 3. Deus operatur in nobis velle & perficere, pro sua bona voluntate, id est, gratia. Augustinus de Gratia & libero arbitrio, ad Valentinum c. 16. Certum est nos mandata seruare si volumus, sed præparatur voluntas à Domino. Item certum est nos velle, quum volumus, sed ille facit vt velimus bonum, de quo dictum est. Psal. 36. A Domino gressus hominis diriguntur & viam eius volet.

Nemo potest seruari, nisi iustificetur, & iustus fiat. Psal. Oculi Domini super iustos: vultus autem Domini, id est, ira, super facientes mala. At vnde iustificatio nostra? Ex gratia. Rom. 3. Iustificati gratis per gratiam ipsius.

Nemo potest saluari, nisi per Spiritum regenerationis regeneretur & sanctificetur: Ioan. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non intrabit in regnum cœlorum. At vnde Spiritus quo regeneramur? Et vnde hæc sanctificatio? Ex gratia. Ioel. 2. Effundam ego (ait Dominus) de Spiritu meo super omnem carnem: Tit. 3. Quem effudit in nobis abunde. Eph. 1. Prædestinauit nos, vt essemus sancti & immaculati in conspectu eius: elegit, inquam, secundum propositum voluntatis suæ.

Nemo (adultus) potest saluari, sine charitate in Deum & proximum. 1. Cor. Qui non diligit Dominum Iesum, sit anathema. 1 Ioan. 2. Qui non diligit fratrem, manet in morte. At vnde hæc charitas? Et gratia à Deo. Is enim sua dilectione, qua nos prius dilexit, parit in nobis dilectionem, qua vicissim nos eum diligamus. 1. Ioan. 4. Non quia nos dilexerimus eum, sed quia ipse prior dilexit nos, misit Filium suum. Huc & illud Rom 5. Diffusa est charitas Dei in cordibus nostris per Spiritum sanctum. Augustinus, Amor quo diligimus Deum, non est nisi à Deo. 1. Ioan. 4. Charitas ex Deo est.

Nemo potest saluari, nisi (si per ætatẽ licet) bonis etiam operibus studeat, inque illis ambulet. Hæc enim sunt re-

stimonia fidei, & prædestinati in iis ambulant, vnde Eph. 2. Ipsius factura sumus, creati in operibus bonis, quæ præparauit vt in illis ambulemus. At vnde bona in nobis opera? Ex gratia. Ezech. 36. Dabo Spiritum meum in corda eorum, & faciam vt ambulent in præceptis meis.

Nemo potest saluari sine continua peccatorum (quotidie enim labuntur sancti) remissione. Atque vnde hæc remissio peccatorum perpetua? Ex gratia, Esa. 43. Ego, ego, qui deleo iniquitatem, propter me, id est, propter meam gratiam & voluntatem.

Nemo potest seruari, nisi perseueret in fide, in bonis operibus, in dilectione, denique nisi perseueret in Christo, Matt. 24. Qui perseuerauerit in finem, hic saluus erit. At vnde hæc perseuerantia? Ex gratia Dei. Ier. 32. Dabo timorem meum in corda eorum, vt non recedant à me, Philip. 1. Vobis donatum est pro Christo, non solùm vt credatis in eum, sed etiam vt patiamini pro illo. Ecce perseuerantiam.

Quid ipsa vita æterna? vnde? Ex gratia datur. Rom. 6. Gratia Dei, vita æterna. Pertinet huc pulcherrima Fulgentij explicatio, quam de effectis gratiæ habet ad Monimum libr. 1. pag. 8. Ipse (Deus) donat gratis indigno gratiam, qua iustificatus impius illuminetur munere bonæ voluntatis & facultate bonæ operationis, vt præueniente misericordia, bonum velle incipiat, & subsequente misericordia, bonum quod vult, facere valeat. Vtrumque autē prædestinando Deus præparauit in illa commutabili voluntate, in qua sic futurum effectum hominis renouandi disposuit, vt eius voluntas in opere nouo noua esse nō possit. Donat etiam gratiam digno in retributione mercedis æternæ, vt scilicet, siue cùm impium piè iustificat, iustus, (quia de ipso Apostolus dicit, vt sit ipse iustus, & iustificās eum qui ex fide est Iesu,) seu cum iustum iustè glorificat, pius: (Quia quos iustificauit, illos & glorificauit,) Eadem fit operatio gratiæ, quæ meritū hominis bonum, & initiat ad iustitiam, & consummat ad gloriā. Primò inchoans in homine voluntatem bonam, deinde eandem voluntatem adiuuans inchoatam, vt eadem volūtas, & diuino dono bona sit, & diuino adiutorio malam superare concupiscentiam possit, & Deo perficiente talis postmodum ipsa voluntas sit, vt malam concupiscentiam habere non possit: Ac sic in præsenti vita gratiæ adiutorio infirmitati non cedat, in futuro autem, gratiæ beneficio, infirmitatem non habeat: Et nunc recreetur continuo iuuamine medicaminis, tunc verò fruatur æterna plenitudine sanitatis. Hæc autem Deus sicut in prædestinatione semper habuit, sic per gratiā, sicut prædestinauerat, facit.

En quo pacto omnia, tum quę ad salutem nostram faciunt, & necessaria sunt, tū ipsa salus, omnia inquam sunt ab hac Dei gratia seu fauore, & dilectione qua nos ab æterno in Christo complexus est: Ab hac inquā gratia, quæ à Iesaia germen Domini, & fructus terræ appellatur. hæc enim est germen, vnde omnes ij fructus, quos recensui, nascuntur. Iure ergo dixi, hanc esse fontem, vnde tota nostra salus: esse principium, medium, & consummationem salutis nostrę. Quare non ab re Iesaias in hac diuina promissione, quā de Ecclesiæ salute & felicitate facit, primo loco posuit gratiam Christi. Proinde tota nostra salus est gratuita: & quia est gratuita, ideo certa: & quia certa, ideo debemus liberati omni timore & metu, læto animo & hilari conscientia continenter gratias agere tanto cœlesti Patri in Christo, debemúsque Deo cum Dauide dicere: Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Nihil restat, nisi quod sequitur: Calicem salutis accipiam, & nomē Domini inuocabo. Nomine inuocationis, totus Dei cultus intelligitur. Debemus ergo Deo fidere, sperare in Deum, diligere Deum, ad eius voluntatem, nostram conformare: mandatis eius implendis studere: & ad quæuis tormenta, propter Domini nostri Iesu Christi seruatoris nomen, æquo animo ferenda, nostra corda præparare. Hic est enim finis tot tantorúmque eius erga nos beneficiorum. hic est finis, cur Deus gratuitam esse voluerit, ideóque certam nostram salutem, quemadmodum Zacharias in Cantico cecinit; vt scilicet de manu inimicorum nostrorum liberati, seruiamus illi in sanctitate & iustitia, coram ipso omnibus diebus nostris. Faxit Dominus, vt ita à nobis fiat.

De prædestinatione.

QVod verò ad alterum nostræ salutis gradum, h. e. ad prædestinationem attinet: etsi Deus omnes homines amat, quosdā tamē, & nō omnes, ad salutē æternā esse electos ac prædestinatos, manifestū fit ab ipsa etiā dissimilitudine, quæ in rebus omnibus à Deo cōditis conspicitur. Quāquā enim omnia, quæ sunt, Deus ipse cōdidit: ideóq. omnia etiā diligit (sicut legimus, in Sapiētiæ libro: Diligis ô Deus omnia quæ sunt, & nihil eorū odisti, quę fecisti) diuerso tamē amore à Deo diligi, inde colligere est, quòd diuersas eorū cōditiones esse voluit: quemadmodū cernimus, longe aliā conditionem & virtutē cōmunicatam esse plātis, quàm lapidibus: & aliam animalibus, quàm plantis: longè verò diuersam hominibus, quàm brutis. Hæc certè diuinarū benedictionū diuersitas, diuersum esse Dei erga res à se creatas amorem, apertè demonstrat. Ita, tametsi omnes homines diligit, cùm omniū etiam sit creator, rector & Dominus: non eodē tamen amore omnes ex æquo prosequitur, id quod diuersa, quam inter ipsos esse voluit, cōditio apertè cōuincit. Cùm enim omnes ex æquo peccarint, alios tamen ita diligit, vt à peccatis per Christum liberet, vt ab inferis eripiat, vt donet fide in Christum, vt ex filiis Adæ Spiritu sancto regeneret in filios Dei, vt in aduersis donet patientiā, vt faciat ambulare in præceptis suis, vt eis det Spiritum timoris, quo non recedant à se: vt denique donet vitam æternam. Alios verò ita diligit, vt tamen nihil harum rerum diuinarum & cœlestium illis impertiat: sed in suis peccatis, in suáque corrupta natura, ideóq. in manu Satanæ, in morte, in inferno illos deserat.

Dominus Iesus Matth. 24. miram diuersámque fore hominum conditionem in aduentu suo ad iudiciū, docet iis verbis: Tunc duo erunt in agro, vnus assumetur, alter relinquetur: duæ molentes in mola, vna assumetur, altera relinquetur: duo in lecto, alter assumetur, alter relinquetur. Sed certè diuersa hæc hominum conditio, post conditum orbem quotidie spectatur. Nam prætquam quod duo peccaut, homo & angelus: & vnus, id est, homo assumitur à peccato: alter, id est, angelus in peccato relinquitur: duo etiā sunt primi fratres, Abelus & Cainus: & vnus assumitur in gratiam, vitámq. æternam: alter relinquitur in peccato, mortéque æterna. Duo etiā fratres Isaacus & Ismael, vnus assumitur, alter relinquitur. Rom. 9. Neque omnes qui sunt semen Abrahæ, ij filij, sed in Isaac vocabitur tibi semen. Duo vterini gemelli, Iacob & Esau, vnus assumitur in gratiam, & diligitur à Deo, Iacob; alter relinquitur & odio habetur, Esau, vnde illud, Iacob dilexi, Esau odio habui. Duo eunuchi peccant in suum regem Pharaonem, propter quod ambo etiam in carcerem coniiciuntur, sed inde vnus ad pristinum officium assumitur, alter relinquitur, & tandem in furcam adigitur. Duo regna Iuda & Israel, ambo propter sua scelera in captiuitatem ducuntur, sed inde tamen vnum assumitur, nimirum Iuda, alterum relinquitur, Israel. Tempore Christi duo erant populi, Gentilis & Hebræus, vnus assumitur, Gentilis, ad gratiam Euangelij, alter (id est, maxima Iudęorum pars) relinquitur in sua cæcitate, & in peccatis. Vnde Christus, Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta. Item, Multi veniēt ab oriente, &c. filij autem regni eiicientur in tenebras exteriores. Duo Apostoli in Christum peccant, Petrus & Iudas, vnus assumitur, Petrus, alter in peccato relinquitur, Iudas. Duo latrones in cruce cum Christo, vnus assumitur, alter relinquitur. Quod vero singularibus populis & hominibus contigit, idem contigit toti hominum generi. Hoc enim in peccatum lapso, ac ceu in duas partes diuiso, vna pars assumitur ad gratiam & gloriā: altera in peccato & morte relinquitur. Et proinde ab æterno partem vnam Deus decreuit assumere (isti sunt electi:) alteram verò in suis peccatis relinquere (isti sunt reprobi.)

Diuersissima igitur est hominum omnium à Deo amatorum conditio. Quoniā alij quidem ita amantur à Deo, imò ab æterno fuerūt amati, vt eos amārit ad æternā salutem: hoc est, cōstituerit illos seruare, Alij verò ita amātur, & variis beneficiis afficiuntur, vt tamen ad æternā vitam eos Deus nō amet. Neque tamē hinc vllo modo Deus vel iniustitiæ, vel προσωποληψίας accusari potest, quòd res à se conditas non omnes iisdem affecerit qualitatibus, & iisdē facultatibus ornarit, sed alias fecerit viliores, alias nobiliores, alias ad contumeliam, aliàs ad honorem, sicut Apostolus dicit de figulo, ad Rom. cap. 9. Idque propterea, quòd liber est Deus, & nulla lege erga quempiam tenetur. Ita eandem ob caussam de nullo crimine accusari potest, quòd homines à se conditos, & à se amatos, non omnes tamen eodem amore prosequatur: sed quosdam ad ęternam salutem & vitam gratis elegerit, alios verò ab hac gratia reiecerit, & ad æternam mortem destinarit, cùm illud factum sit per misericordiam, hoc verò per iustitiam. Vnde Augustinus contra Iulianum Pelagianum: In vna eadémque caussa, alius relinquitur, iustitia iudicante, non fato, alius assumitur, gratia præstante, non merito. Et Apostolus, cū hoc discrimen diuinę erga homines voluntatis,

quòd

quod scilicet alios ad æternam vitam elegerit, alios verò reiecerit, explicuisset, mox eatum prudentiæ occurrens, dicit: Nunquid igitur est iniquitas apud Deum? Absit: Mosi enim dicit: Miserebor, cuius miserebor: & misericordiam præstabo, cui misericordiam præstabo. Ex quibus verbis, & ex verbis de Pharaone dictis concludit Apostolus: Ita cuius vult miseretur, & quem vult indurat.

Hæc est prædestinatio, de qua dicturi sumus. Cæterùm quo meliùs omnia intelligantur, quatuor nobis capita in hac tractatione explicanda sunt. Primum, de discrimine harum vocum, *Præscientia, Prouidentia, Prædestinatio.* Aliquando enim in Scripturis, sæpè verò in Patribus, hæ tres voces promiscuè, vna pro alia, vsurpantur: cùm tamen inter eas sit non parua differentia. Secundo, de etymologia huius vocis prædestinare, vnde prædestinatio: seu προορίζειν, vnde προορισμός: déque triplici huius vocis significatione. Hinc tertium. Quid sit prædestinatio generatim accepta, declarata definitione, duę quæstiones explicabuntur: Vna, an omnes homines sint prædestinati vel ad vitā, vel ad mortem. Altera, an omnia quæ agunt homines, tā mala quàm bona, cadat sub prædestinationem. Quartum caput: quid propriè sit prædestinatio in specie accepta, nempe prædestinatio Sanctorum. De hac enim propriè loquitur hoc in loco Iesaias, cùm ait illos repertum iri sanctos, qui sunt scripti in libro vitæ: vt suo loco declarauimus. Ex hac verò definitione aliquot conclusiones efficientur: & testimoniis Scripturarum & Patrum confirmabuntur.

De nomine præscientiæ, prouidentiæ, prædestinationis.

CAPVT I.

PRædestinationem partem esse prouidentiæ diuinæ, Theologi omnes vno consensu fatentur. Discrimé igitur inter ea aliquod sit necesse est, sicut inter genus & speciem. præscientiam verò necessario concludi in prouidentia, & in prædestinatione, manifestum est. Quare præscientia generalior vox est, quàm prouidentia vel prædestinatio. Quod igitur discrimen inter hæc assignatur?

Præscientia Dei, est cognitio qua Deus præcognouit ab æterno, non tam ea quæ ipse facturus erat, vel est; quā quæ non ipse, sed alij facturi erant vel sunt, nempe peccata. De his quæ ipse facturus erat (iuxta Patres) est illud, Rom. 8. Quos præsciuit (scilicet se facturum sanctos, & similes imagini Filij Dei) eos & prædestinauit: quanquā hic illud verbū προέγνω nōnullis perinde est, atque præamauit & vt suos præcognouit. De iis quæ alij facturi erant, ait: Præsciui te sedentem cōtra me. 2. Reg. 19. Et igitur præscientia, tā eorū quæ ipse facturus erat; quàm eorum quæ non ipse, sed alij erant facturi: & tantū ad intellectū pertinet. Prouidētia verò, & prædestinatio, sunt eorū dūtaxat, quæ ipse facturus erat. Sed hic discrimen quoddā notandū est inter prouidētiam & prædestinationem. Prouidentia est omniū rerum, seu ad omnia opera Dei se extendit, vt Scriptura testatur, dicens: Tua autem prouidētia ab initio cūcta gubernas. Prædestinatio verò est tantùm hominum (adde & angelorum) seu ad creaturas tantum rationales extēditur. Et quanquā enim aliquando apud Patres prædestinatio pro prouidentia vsurpetur, tanquam species pro genere, atque ita ad omnia extendatur: propriè tamen prædestinatio ad creaturas tantum rationales pertinet. hę etiam solæ dicuntur prædestinari à Deo, vel ad bonum, id est, ad gratiam & gloriam: vel ad malum, id est, ad pœnam. Notandum est etiam hoc: præscientiam in Scripturis aliquando accipi pro prædestinatione: Rom. 11. Non repulit Deus plebem, quam præsciuit: id est, prædestinauit, vt Augustinus de Bono perseuerantiæ cap. 18. exponit. est enim προέγνω, hoc est, præamauit, & vt suam ab æterno nouit.

Cæterum prædestinatio hæc, prout est species prouidentiæ, bifariam accipitur. Aliquādo generatim, pro prædestinatione tā malorū quàm bonorum. Hoc pacto dicitur Deus prædestinasse homines ad omne illud, quod preuidit se in hominib. facturū, siue per iustitiam, siue per misericordiā. Hoc modo accipit Augustinus: inter gratiā porrò (inquit lib. 1. de prædest. Sanctorum cap. 10. litera C.) & prædestinationē hoc tantùm interest: quod prædestinatio est gratiæ præparatio: gratia verò iam ipsa donatio. Quod itaque ait Apostolus, Non ex operibus, ne fortè quis extollatur, ipsius enim sumus figmentum, creati in Christo Iesu in operib. bonis: gratia est. Quod autē sequitur: Quæ præparauit Deus vt in illis ambulemus, prædestinatio est. quæ sine præscientia non potest esse, potest autē esse sine prædestinatione præscientia. Prædestinatione quippe Deus ea præsciuit, quæ fuerat ipse facturus. Vnde dictū est. Fecit quæ futura sunt. Præscire autē potens est etiam quæ ipse non facit: sicut quæcunque peccata, quia etsi sunt quædā, quæ ita peccata sunt, vt pœnæ etiam sint peccatorum (vnde dictum est: Tradidit illos Deus in reprobam mentem, vt faciant quæ non conueniunt) non ibi peccatum Dei est, sed iudicium. Quocirca prędestinatio Dei, quæ in bono est, gratia est: Gratia verò, est ipsius prædestinationis effectus. Hæc ille.

Prosper in Responsionibus ad capita Gallorum, cap. 15. docet primum discrimen esse inter præscientiam & prędestinationem: quod etiam mala, nempe peccata, quæ alij facturi erant, præsciuerit: non autem quempiam ad ea facienda prædestinarit: prædestinauerit verò tantùm bona, quæ ipse erat facturus: nempe vel gratiam & gloriam in electis, vel pœnam vltionemque peccati in reprobis, quæ bona est. Dubium non est (inquit) sine vlla temporali differentia Deum & præsciuisse simul, & prædestinasse, quæ ipso erāt autore faciēda: vel quæ malis meritis iusto erant iudicio retribuenda: Præsciisse autem tantummodo, non etiā prædestinasse, quæ nō ex ipso erant causā operationis habitura. Potest itaque sine prædestinatione esse præsciētia: Prædestinatio autem sine præscientia esse non potest.

Item in Sententiis de singulis capitulis Gallorum, sententia super 6. cap. Prædestinatio quoque Dei semper est in bono: quæ peccatum sola hominis voluntate commissum aut remittendum nouit cum laude misericordiæ, aut puniendum cum laude iustitiæ.

Fulgentius quoque vsus est hac voce prædestinationis, pro prædestinatione tā malorū quàm sanctorū, & eā ita in genere acceptam definit, ad Monimum lib. 1. Neque enim (inquit) alia est eius prędestinatio, nisi futurorū operū eius æterna præparatio: in qua nullius causa mali poterit inueniri: quia ex voluntate Dei nunquā processit origo peccati. Clarius autem idem paulo post explicans: Et quia malæ voluntatis (ait) perseuerans iniquitas multa remanere non debuit: tales ad interitum prædestinauit. quia talibus iustæ punitionis supplicia præparauit. Quod utiq. manifesto Dominus ipse sermone perdocuit, in eo quod à se ostendit paratū nō solum regnum, vbi lætētur boni: sed & ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius. Ecce, ad quid Dominus iniquos & impios prædestinauit: id est ad iustā supplicium, nō ad aliquod opus iniustum: ad pœnam, nō ad culpā: ad punitionem, non ad transgressionem: ad interitū, quē ita iuste meritis peccantib. reddidit: non ad interitū, quo in se iram Dei peccantiū iniquitas prouocauit. Item: Iniqui ergo (inquit) prædestinati sunt ad mortem secundam id est, ad stagnum ignis & sulfuris. Item lib. 1. ad Monimum. ex Augustini & Prosperi verbis eam sic definit: Prædestinatio Dei nihil aliud est, quā præparatio operum eius, quæ in æterna sua dispositione aut misericorditer se facturum præsciuit, aut iuste.

Anselmus lib. de Concordia præscientiæ & liberi arbitrij: Prædestinatio (inquit) non solùm bonorum est, sed etiam malorum.

Deinde accipitur prædestinatio in specie, pro prædestinatione sanctorum de qua iam dicturi sumus. De prædestinatione verò impiorum dicemus alias, in sexto scilicet cap. Iesaiæ: vbi est proprius locus.

De verbo prædestinandi, & quorumnam sit prædestinatio.

CAPVT II.

QVantum verò ad notationem huius vocis, prædestinare, attinet, duplex est vox: vna Latina, prædestinare: altera Græca, qua vtitur Paulus ad Rom. 8. προορίζειν. Prędestinatio à destinare est: Destinare autem duo significat Latinis. Primum quidem deliberare, definire, cōstituere apud se aliquid agere: Ita 2. Machab. 6. Eleazarus destinauit in corde, non admittere illicita propter vitæ amorem. Deinde significat mittere & dirigere ad aliquem finem. Suetonius in Galba: Aliasque legationem ad prætorianos cum mandatis destinarunt. Quidam igitur Latini Theologi, iuxta vtramque significationem accipiendam esse prædestinationem docent. Primò, quo ad Deum, prædestinare est proponere, decernere, deliberare de aliquibus saluandis, & aliquibus perdendis. Deinde, quo ad ipsos homines prædestinatos, prædestinari est præmitti, & ceu dirigi in certum finem, vel vitæ æternæ, id quod fit per Spiritum sanctum: vel mortis, id quod fit per Spiritum Satanæ, in peccata agentis.

Thomas Aquinas hanc etymologiam secutus est in 1 p. q. 23 art. 1 in corpore quæstionis Summa hæc est: Cùm prædestinatio sit pars prouidentiæ: prouidentiæ autem officium sit, res in finem suum dirigere, & mouere: duplex verò finis sit rationalis creaturæ: vnus naturalis, creaturæ

proportionatus, ad quem potest suis viribus peruenire: alter supernaturalis, qui excedit proportionem naturæ creatæ, qui est vita æterna: hunc finem assequi non potest, nisi ad illum ab alio, nempe à Deo, transmittatur: sicut sagitta à sagittario ad signum seu scopum. Ratio igitur istius transmissionis, seu decretum transmittendi aliquem ad vitam æternam, prædestinatio rectè nominatur, nempe sanctorum. Hæc est Thomæ explicatio.

Dictio etiam Græca *προορίζειν*, duo significat: præfinire, seu antequam agas aliquid definire: & vnumquodque, antequam fiat, ad suum certum finem & vsum deputare, atque ab aliis rebus segregare. Sic Leuit. 20. & Num. 16. Verbum Hebraicum (*habhdel*) quod est Græcè *προορίζειν*, significat separationem & electionem populi à reliquorum populorum colluuie, & in suum proprium vsum segregationem. Iam cum Deus nihil agat, quod prius non definierit agere: & deinde omnia antequam fierét, ad certum suum finem & vsum deputarit, vnumquodque (quantum ad hunc suum vsum attinet) ab aliis separando: idcirco prædestinatio Dei, primo in genere accepta, significat propriè decretum Dei, quo singulas res, antequam conditæ essent ab æterno ad certum aliquem vsum & finem destinauit.

1. Hoc pacto prædestinatio erit non tantum hominum, sed etiam creaturarũ, tam irrationalium quam rationalium. Sic solemus dicere de pluuia, igne, de domo aliqua conflagrante, deque rebus singulis: sic fuisse prædestinatas, vt contingerent tali tempore: id est, in talem vsum fuisse destinatas ab æterno Deo. Et hæc est prima & generalissima eius significatio.

2. Cæterum Patres frequentius vocem hanc prædestinationis ad homines ipsos contrahunt, tam malos quàm bonos, vt ipsi propriè dicantur fuisse prædestinati vel ad vitam, vel ad mortem: non autem aliæ res rationis expertes. Sic vox Prædestinationis contracta ad homines ipsos, significat decretum Dei æternum, quo vnumquemq. hominum ad certum vsum & finem deputauit: alios nimirũ ad hunc vsum & finem, vt æternùm viuant cum Christo beatam vitam, ideóq. in eis bonitas & misericordia Dei declaretur: alios verò in hunc, vt in æternum, propter sua peccata, cum Satana in igne crucientur, ideóque in eis iustitia & potentia Dei illustretur. Hoc pacto, Prædestinatio erit non tantùm bonorum, sed etiam malorum: vt tam mali dicantur prædestinati, sed ad mortem, quàm boni prædestinati dicuntur ad vitam. Sic Scriptura rem ipsam tradit: vt Rom. 9. Antequam quidquam boni vel mali egissent, Iacob dilexi, Esau autem odio habui. Sic Act. 1. de Iuda, Apostoli Deum orantes dicunt: Iudam præuaricatum esse ab Apostolatu, vt abiret in locum suum. Quid hoc est nisi vt abiret in locum damnatorum, & in mortem æternam, ad quam cum Satana prædestinatus fuerat? Sic Patres, Augustinus, Fulgentius, Honorius, Anselmus, & alij, tam impios quam pios dicunt esse prædestinatos: sed ad contrarios fines & vsus, sicut ostensum est.

Imò in hanc significationem, quatenus de malis etiam dicitur eadem voce vsus est Spiritus sanctus in Actis cap. 4. quum Apostoli dixerunt de Herode & Pilato, illos fuisse congregatos aduersus Iesum, vt facerent quæcunque manus tua, (ô Deus) & consilium tuum *προώρισε γενέσθαι*.

Cæterum aliis in locis non lego vsurpatam fuisse hanc vocem à Spiritu sancto, nisi cum de electis loquitur: sicut etiam ait Rom 8. Quos præsciuit, & prædestinauit, &c. Et sic vsus in Scholis obtinuit, vt vox hæc prædestinatio singularissimè ad ipsos pios seu sanctos contrahatur, & loco electionis vsurpetur.

Sic Augustinus, & alij, Prosper, Fulgentius, Honorius, Anselmus, cum definiunt prædestinationem, ad electos eam contrahunt, dicentes: Prædestinatio est præscientia, & præparatio beneficiorum Dei, quibus certissimè liberantur, quicunque liberantur.

Hæ sunt tres huius vocis significationes, quarum prima ad omnes creaturas pertinet, secunda ad omnes homines extenditur, tertia ad ipsos tantum electos & sanctos restringitur, & propriè dicitur prædestinatio sanctorum.

Prædestinationis definitio: Definitionisque confirmatio.

CAPVT III.

IVxta has tres significationes, prædestinatio trifariam definiri potest. Iuxta primam definitur sic: Prædestinatio est sapientissimum, æternum, immutabiléque Dei decretum, quo vnamquámque rem, antequam crearetur, ad suum certum & vsum & finem deputauit, seu destinauit. De hac in præsentia non loquimur.

Iuxta secundam: Prædestinatio est sapientissimum, æternum, immutabiléque decretum, quo Deus apud seipsum pro sua libera voluntate ab æterno constituit: Primum, omnes homines, tum creare, tum vt in peccatũ laberentur, & in mortem ruerent, permittere: Deinde horum alios in Christo, sua tum gratia, tum æterna vita gratis donare: alios vero hac gratia non dignari: sed cum Satana, tũ excæcare & indurare, tum æterno exitio perdere: idque vt in illis diuina bonitas & misericordia, in istis vero diuina potentia & iustitia declaretur, atque ita in omnibus Deus glorificetur.

Definitio hæc habet omnes suas caussas. Causa agens, Deus est, cum suo æterno immutabilique decreto. Materialis, homines omnes prædestinati: alij ad vitam, alij ad mortem. Formalis, ipsa hominum, antequàm vel crearentur, vel in peccatum & mortem labi permitterentur, deputatio: quorundam quidem ad æternam salutem & vitam, quorundam vero ad æternam damnationem & mortem. Finis duplex: Electorum quidem ad vitam, vt in iis bonitas & misericordia Dei illustretur: reprobatorum vero ad mortem, vt in illis potentia & iustitia Dei declaretur: atque ita in vtrisq. glorificetur Deus. Caussa impulsiua, cur, cum omnes ex æquo prouideret in peccatum lapsuros, quosdam tam inde liberare & seruare, aliis in suo peccato & morte relictis, decreuerit, fuit ipsa libera Dei voluntas: quæ quatenus respicit electos, amor erga illos: quatenus reprobos, odium erga illos appellatur.

Primò, quod sit *Decretum Dei*, patet ex significatione & etymologia ipsius vocis prædestinare, vt ante dictum est. Et Paulus ad Romanos, ad Ephesios, & alibi, vocat prædestinationem propositum voluntatis Dei.

Deinde, quod *Æternum*, patet à perfectione diuinæ & scientiæ & voluntatis. nihil enim vel cognoscit vel vult iam Deus, quod etiam non nouerit & voluerit ab æterno. Prædestinatio autem nihil est, nisi & præscientia & voluntas Dei. Ergo prædestinatio est æterna, seu æternum est decretum. Et Scriptura aperte fatetur, prædestinatos nos fuisse ante mundi constitutionem: item, Ante tempora æterna.

Tertiò, quod *Immutabile*, patet ex perfectione diuinæ naturæ: mutatio enim sententiæ, imperfectionem iudicij significat. Psal. verò ait: Consilium autem Domini manet in æternum. Et 2. Timoth. 2. Firmum stat fundamentum, habens signaculum hoc, nouit Dominus qui sint sui.

Quartò, *Quo Deus apud seipsum ab æterno constituit, &c.*) Deus solus prædestinat, non homines seipsos prædestinant: neque horum voluntas caussa potest esse prædestinationis: sed Deus pro sua libera, voluntate.

Quintò, *Omnes homines, &c.* nullus est enim, qui non sic prædestinatus, vel ad mortem, vel ad vitam: vt postea probabimus. Non loquimur hic de angelis, qui etiam ipsi prædestinati fuerint, alij ad vitam, alij ad mortem: neque de Christo hic sermo est: neque enim prædestinatus fuit, vt ad tempus in peccatum labi permitteretur: sed de solis hominibus loquor.

Sextò: *Tum creare, tum vt in peccatum laberentur, & in mortem ruerent permittere.*) Hoc addidi, ne quis existimet peccatum fortuito euenisse, non autem diuino consilio. nam etiam hoc cadit sub prædestinationem. Peccatum quidem ipsum effectus non est diuinæ prædestinationis, quia Deus nemini malitiam indit, qua peccet, sed non sine diuina præscientia, & ordinatione contigit.

Et in hunc sensum Augustinus, Fulgentiúsque, præsertim ad Monimum, contendit, Deum neminem ad peccatum prædestinare. Quare? Quia malitia peccandi à Deo non est. Prædestinatio autem tantũ operum Dei est. Neque enim (inquit Fulgentius) alia est eius prædestinatio, nisi futurorum operum eius æterna præparatio, in qua nullius caussa mali poterit inueniri; quia ex voluntate Dei nunquam processit origo peccati. Hæc ille. Origo peccati malitia fuit Satanæ. hæc ex Deo non est, quare nec peccatum hominis. At permissio, & voluntaria quidem permissio, qua Deus sinit homines labi in peccato, opus Dei est. Ergo ab æterno prædestinauit, id est, decreuit permittere hominem labi in peccatum. Quare permissio peccati, sub prædestinatione concluditur. Huc illud Prouerb 16 Omnia propter semetipsum creauit Dominus, etiam impium ad diem malum. Sed de hoc aliàs.

Septimò: *Horum vero alios.*) Hoc etiam probandum erit,

Est enim humanum genus in duas diuisum partes: In electos ad vitam, & reprobatos ad mortem. Harum duarum partium humani generis, typus, vel potius exemplum fuit ille fœtus duorum gemellorum in vtero Rebeccæ, de quibus sic dixit Dominus Gen. 25. Duæ gentes sunt in vtero tuo, & duo populi ex visceribus tuis diuidentur.

Octauò: *In Christo.* Ephes. 1. Deus enim Pater neminem decreuit seruare nisi per Christum, & omnia bona communicare tantum per Christum. Propterea sicut vocatio, & iustificatio, & glorificatio fit per Christum: sic etiā prædestinatio in Christo facta fuit: & extra Christum nemo vel electus, vel vocatus, vel iustificatus, vel glorificatus vnquam fuit, aut esse potest.

Nonò: *Tum gratia, tum vita æterna.*) Nomine gratiæ complector non solum Dei fauorem & beneuolentiam: sed omnia Dei dona, quæ ad salutem consequendam faciunt: fidem & opera fidei, & perseuerantiam. omnia enim hæc effecta sunt prædestinationis: Vita æterna, est vltimum effectum.

Decimò. *Gratis:* non propter opera præuisa, vel vsum liberi arbitrij, sed gratis, tota enim salus gratuita est, vt postea probabitur. Ideo Paulus dicit, Secundum beneplacitum voluntatis suæ.

Vndecimò, *Alios non dignari.*) Patet ab effectu. Videmus, quòd cum omnes homines ex æquo nati sint in peccatis, alios tamen inde eripit, alios non, aliis dat fidem aliis non dat. Ergo non est dignatus omnes eadem gratia: & hoc est reprobare.

Duodecimò: *Excæcare indurare.* Scriptura tradit apertè, Deum quosdam, id est, reprobos excæcare & indurare. Ergo prædestinauit eos ad indurationem & excæcationē, quæ sunt pœnæ præcedentium peccatorum.

Decimotertiò: *Vt in illis misericordia & diuina bonitas.* Ephes. 1. Ad laudem gloriæ gratiæ suæ: ideo Rom. 9. vasa misericordiæ appellantur, eo quod in hunc finem eos elegerit, vt in eis, ceu vasis, sua misericordia locum haberet, & mundo pateficeret. *In istis diuina potentia & iustitia declaretur.* Rom. 9. In hoc ipsum excitaui te, vt ostendam in te potentiam meam. Item, Quid si Deus volens ostendere iram & notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia vasa iræ, aptata ad interitum? ideo vocantur vasa iræ.

Decimoquartò. *Atque ita in omnibus glorificetur Dominus.* Finis vniuersalis atq. vltimus, & reprobationis quorundā, & electionis aliorū, est gloria Dei. Prou. c. 16. Omnia propter semetipsum creauit Dominus, etiam impium ad diem malum. Et quod ex perditione impiorum resultet gloria Dei, docet Esaias cap. 5. cùm ait, Et exaltabitur Dominus solus in die illa, Idem Iesaias cap. 5. vers. 25.

Hæc est definitio prædestinationis in genere sumtæ, quatenus omnes homines tam malos quàm pios complectitur. Sed quoniam de prędestinatione tantùm Sanctorum nobis est sermo in hoc loco Iesaię, qui eam vocat librum vitæ, ideo non amplius in generali immorabor.

Tantùm quædam in hac definitione notanda sunt. Primum eam sumtam & conflatam esse tum ex caussis, tum ex effectis. Caussæ superius explicatæ fuerunt. Effectorum verò prædestinationis, quædam sunt communia reprobis & electis quędam singulorum propria. Communia sunt, creari, & sinere vt labantur in peccatum & mortem, omnes enim creati, permissi sunt in peccatum & mortē ruere. Electorū propria sunt, donari gratia, & vita æterna in Christo, gratis, neque enim reprobi donantur vnquam gratia, id est, vel fauore & beneuolentia Dei, vel gratia regenerationis, vel vera fide, vel operibus veræ fidei, vel perseuerātiæ dono, nec denique vita æterna: Sed solis electis, & omnibus electis hæc donantur. Sunt ergo hæc, in electis, propria effecta prædestinationis. Propria reproborum sunt, primum excludi ab hac gratia & vita æterna, deinde, relinqui in peccatis, excæcari, indurari, ac denique cum Satana æterno exitio perdi, solis enim reprobis hæc contingunt sunt ergo ipsorum propria.

Secundò notandū, definitionē hanc esse dispositā iuxta eum ordinē effectorū Dei, quo illa operatur Deus in prædestinatis omnibus, primò enim creauit homines, deinde permisit labi in peccatum, & ruere in mortem, tertiò, hinc quosdam gratia donat, à peccatis liberat, iustificat, regenerat, sanctificat, ducit in vitam æternam, & omnia gratis in Christo, quosdam vero in peccatis relinquit, imo & in pœnam præcedentis peccati excæcat & obdurat per ministerium Satanæ, & tādem in æternū iustissimè deiicit, & æterno exitio perdit. Hūc ordinē effectorū Dei in hominibus, tradunt sacræ literæ. Licet ergo sic argumentari, Deus primo creauit homines, deinde permisit eos labi in peccatū,

& per peccatum in mortē: tertiò, horū ex peccato & morte quosdam pro sua gratia eligit, ac Christo donat: eos per Christum iustificat, donat perseuerantia, ducit in æternā vitam: alios vero hac gratia non dignatur, sed in peccatis suis relinquit. & propter illa excæcat etiam & indurat, ac tandem in æternam mortem iustissime tradit. Quæ autē nunc facit ab æterno voluit facere: & sciuit se facturū: id quod nihil aliud est, quā prædestinare. Ergo prædestinauit primo homines creare, deinde permittere omnes in peccatum labi & in mortē ruere: postremo, quosdam gratis à peccato & morte per Christum liberare, iustificare, donare perseuerantia, ducere in æternam vitam: alios verò hac gratia non dignari, sed in suis peccatis & morte relinquere, & propter illa indurare, excæcare, & tandem æterna morte pro sua iustitia afficere. Quis hanc argumētationem a posteriori potest improbare?

Possumus & inuerso ordine, ab vltimo effecto exorsi, sic definire, vel potius describere prædestinationem. Æternum est, immutabileque decretum, quo Deus apud se constituit ab æterno, idque citra hominum merita, suæ tum misericordiæ, tum iustitiæ patefaciendæ, ideóque suæ gloriæ illustrandæ gratia, quosdā æterna vita beare quosdam vero æterna morte perdere. atque vt vtrumque commodè, id est, vt & illud misericorditer, & hoc iustè fieret, decreuit primum permittere, omnes homines iam conditos in peccatum labi, & in mortem ruere: deinde hos, quos ad vitam deputarat, per Christum saluare, efficaciter vocare, iustificare, regenerare, & perseuerantia in fide vera donare, quos verò ad interitum, eos in peccatis deserere, excæcare, obdurare.

Differentia inter vtramque est, quod illa prior est iuxta ordinem effectuum, prout sunt in exsecutione. Primo enim Deus creat, permittit vt in peccatum ruant, deinde donat gratiam: postremò vitam æternam. Hæc vero posterior, est iuxta ordinem effectuum, prout sunt in intentione. Etsi enim in Deo non sit neque prius, neq: posterius, res tamen, quas decreuit, habent naturaliter suum prius & posterius, ita vt dicere possimus, Deum prius destinasse homines ad suos fines: quosdam ad vitam quosdam ad mortem. Deinde ea statuisse quæ ad hos fines consequendos facerent, qualia sunt post permissionem peccati, gratia in electis, & excæcatio atque obduratio in reprobis. In exsequenda vero sua prædestinatione, primo electos donat gratia, fide, fructibus fidei, postremò vita æterna, reprobos vero primo in peccatis deserit, excæcat, obdurat, deinde morti æternæ adiudicat. Primum enim in intentione seu in consilio, semper vltimum est in exsecutione, & certo ita se res habet. Sed prior etiam vera est, & minus simpliciores offendit.

Iam duæ quæstiones: quæ ex definitione oriuntur, explicandæ sunt. *Prima*, An omnes homines sint prædestinati vel ad vitam, vel ad mortem æternam, idque nō conditionaliter, si crediderint, vel non crediderint (vt quidam noui Pelagiani docent) sed absolute: ita, vt etiam ideo credant, quia fuerunt prædestinati ad credendum, alij vero non credant, quia reprobati.

Respondeo. Maxime. Hoc est perspicuum, primùm quidem ex definitione iam allata, deinde multo magis ex locis Scripturarum sacrarum, vnde definitio desumta est, denique ex rationibus à Scriptura deductis, tres affero.

Vult & facit Deus, vt aliquibus prædicetur Euangelium quod est instrumentum salutis, aliquibus non prædicetur: vnde & ad illos mittit Apostolos & concionatores, ad hos verò neminem, Imò si aliqui ad eos velint ire prædicatum, aliquando prohibet ne eant. Actor. cap. 16. prohibetur enim Paulus à Spiritu sancto, ne in Asia loquatur verbum Dei: item ne eat in Bithyniam, ibique prædicet, nempe pro eo tempore. Contrà iubetur ire in Macedoniam, ibique prædicare: Item ire Corinthum, ibique Euangelium annunciare. Act. 18. Et rationem adfert Deus, dicens Populus est mihi multus (scilicet electus: id quod significatur illa particula Mihi, alioqui etiam in Asia multus erat populus, sed non Deo, id est, electus) in hac ciuitate. Quo ex loco colligere est, Deum nolle prædicari Euangelium, vbi nullus est ex suo populo. Hoc enim esset spargere margaritas ante porcos.

Ergo hominum omnium alij sunt prædestinati ad audiendum Euangelium, alij ad non audiendum, ideóque ad mortem. Ab æterno enim voluit Deus, vt aliquibus prædicaretur Euangelium, aliquibus non. Huc illud Christi, Matth. 11. Gratias tibi ago Pater, quod abscondisti hæc a sapientibus, & reuelasti paruulis, ita Pater, quia sic placuit tibi.

Eorum qui audiunt Euangeliū, aliis aperit cor ad intel-

ligendum, datque fidem vt credant; ideóque saluentur: aliis non aperit cor, nec fidem dat: vt patet exemplis infinitis, in sacris literis. Actor.19 Mulieri purpurariæ aperit Deus cor, vt credat iis, quæ dicuntur à Paulo: alij autem fœminæ Pythonissæ non aperit. Est enim fides donum Dei, & hoc dat cui vult. Ergo ab æterno decreuit, aliis dare fidem ad salutem, aliis non dare. Quare omnes sunt prædestinati, aut ad vitam, aut ad mortem.

At datur fides etiam impiis, reprobis, qui non perseuerant.

Respondeo, Vera & viua, ideóque perpetua fides non datur reprobis sed tantum electis. Hæc enim fides electorum, a Paulo ad Titum 1. appellatur: & actor. 13. legimus, illos tantum credidisse, qui fuerant ad æternam vitam præordinati. Sic ab ipsa regeneratione, & aliis fidei effectis duci possunt argumenta: Alij regenerantur, alij non regenerantur: idque fit, quia Dominus alios vult regenerare, alios non. Ergo alij prædestinati sunt ad regenerationem, ideóque ad vitam: alij non, ideóque ad mortem: cum sine regeneratione, ad vitam æternam peruenire nemo possit.

In fine seculi Deus ex omnibus hominibus, qui ante se congregati erunt, aliis dicet, Percipite regnum, quod vobis paratum est. aliis, Ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo, &c. Matt. 25.

Ergo omnes homines sunt prædestinati, vel ad vitam, vel ad mortem æternam. Si enim alios introducet in vitam æternam, alios vero abiiciet in æternam mortem: vtique vtrumque faciet, quia volet & illos æterna vita donare, & istos æterno supplicio afficere. Non enim nisi volens facit quicquid facit ipse Deus: vt ait Augustinus in Enchiridio ad Laurentium. Si autem volens vtrumque faciet, Ergo ab æterno voluit & decreuit id facere: propterea quod nihil nunc vult, aut postliac volet, quod non ab æterno voluerit, Vnde Augustinus 15. de Trinitate ait, Deum nihil posse velle voluntate noua & accidente. Voluntas autem hæc, est prædestinatio ipsa.

Huc adferantur sententiæ Scripturarum quę apertè docent, ab æterno quibusdam hominibus præparatum fuisse regnum Dei: aliis verò ignem æternum cum Satana, Matt. 25. Possidete regnum, quod vobis paratum est à Patre meo: aliis: Ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius. Ergo omnes sunt prædestinati, vel ad vitam vel ad mortem. Verum est igitur, quod diximus in definitione, quod Deus suo decreto æterno decreuit hominum aliis gratiam & gloriam donare, alios indurare, excæcare perdere.

Ex hoc eodem loco, quo diximus Deum decreuisse ab æterno dare aliis gratiam & fidem vnde fit vt bene operentur: alios in suis peccatis corruptaque natura deserere, adde excæcare, atque indurare: vnde fit vt nullam fidem adhibere possint Euāgelio: sed sua infidelitate reiiciant, ideóque magis peccent: nunc alia ferè offert quæstio. An omnia quæ agunt prædestinati, siue mala (vt faciunt reprobi) siue bona, vt faciunt electi, cadant in prædestinationē: id est. An ideo electi credant, benéque operentur, quia ad credendum & bene operandum sunt prædestinati, & an reprobi ideo non credant & peccent, quia non sunt prædestinati ad fidem, neque ad bona opera: eóque nec ad vitam, sed ad mortem. Respondeo, de electorum bona voluntate, fide fideique operibus dubitandum non est, quin effecta sint prædestinationis. hoc est, quin ideo credant & bene operentur, quia ad credendum & ad bene operandū sunt prædestinati. Etenim (vt à fide incipiam) de fide, quæ initium & caussa bonorum operum est, ait Lucas Actorum 13. prædicationi Pauli eos tantum credidisse, qui erant pręordinati ad vitam æternam. Quid hoc est, nisi, Ideo crediderunt isti, non alij, quia isti præordinati erant ad credendum, & ad vitam æternam, quæ sine fide haberi non potest, alij autem non?

Ephes. 1. Elegit nos, vt essemus sancti & immaculati, non ait, Quia futuri eramus sancti ideo elegit, sed elegit, vt essemus. Ergo sanctitas nostra, & quicquid ad sanctitatē facit, cadit in prædestinationē, & effect⁹ est pręd estinationis.

Eph. 2. Ipsius opus sumus, creati in operibus bonis, quæ præparauit, vt in illis ambulemus. Ergo quod quis etiam ambulet in operibus bonis, caussa est, quia ita prædestinatus est à Deo, vt in eis ambulet.

Ioh. 10. reprobis ait, Non creditis, quia non estis ex ouibus meis. Ergo quòd aliquis credat, caussa est, quia est ex ouibus, id est, electis.

1. Cor 7. Misericordiam cōsecutus sum, vt fidelis essem. Non ait, quia fidelis eram, sed, vt fidelis essem.

Doctrina hæc manifesta est in Scripturis, comprobata à Patribus, recepta ab orthodoxa Ecclesia. De electis igitur dubium non est si credant, si bonum velint, si sancti, si bona opera faciant: ideo illos credere, ideo bene velle, ideo esse sanctos, ideo bene operari, quia prædestinati sunt à Deo ad hanc gratiam. Omnia hæc bona in sanctis, effecta sunt prædestinationis.

Legito de hac de re post Augustinum in libro de Prædestinatione sanctorum, & ad Simplicianum & vbique fere, ipsum etiam D. Prosperum eius discipulum cum alibi, tū in Responsionibus ad capitula Gallorum, & in libro contra Cassianum: item Fulgentium in libro ad Monimum primo, qui est de Prædestinatione: Ait enim concludens inter alia: Hæc autem omnia (id est vocationis nostræ initia & iustificationis augmenta, & glorificationis præmia) in prædestinatione Deus semper habuit: quia & in vocatione, & in iustificatione, & in glorificatione sanctorum, gratiæ suæ opera futura præsciuit.

At dè reproborum infidelitate, & reliquis peccatis, an cadant sub prædestinationem: difficilior est quæstio. Fulgentius, in libro ad Monimum de prædestinatione, Prosper & alij multi contendunt, neminem à Deo prædestinatum fuisse ad peccandum: ideóque mala quæ agunt reprobi, cadere quidem in præscientiam, quia à Deo præuisa fuerunt: sed non in prædestinationem, quia peccata non sunt Dei opera, neque à Deo: prædestinatio autē est præscientia & præparatio operū Dei, quæ ipse facturus erat: vt Augustinus & Fulgetius definiūt. Quare quod reprobi peccēt, in caussa non esse prædestinationē, sed sua ipsorū malam voluntatem. Quod vero electi bene operentur, in caussa non esse ipsorum liberum arbitrium, sed prędestinationem: nam etiam voluntas præparatur à Deo. hæc omnia pie & Christianè dicta. nam reuera nemo prædestinatus est, propriè loquendo, ad peccandum, licet quisque ad ea facienda, quæ facit, destinatus sit: nempe quatenus opera sunt, nō autē quatenus sunt peccata: & hæc fuit mens Patru. Cæterū viderunt Patres, si absolute dixissent, impios ideo peccare, quia fuerint prædestinati ad peccādū homines impios, quæ est ipsorū malitia, omnē caussa & culpam in Deū reiecturos fuisse: ideircò ne impiis frena ad peccādū laxarent, cōtinuerunt se ab huiuscemodi locutionibus: quas tamen non raro vsurpat Spiritus S. in sacris literis.

Ac primùm quidem sacræ literæ, quod impij vel non credant in Deum ac Christum, vel non bene operentur: apertè aiunt hoc ideo fieri, quia non sint prædestinati à Deo ad fidem, & ad bona opera.

1. Reg. 2. de filiis Heli Scriptura ait illos non paruisse patri eos corrigenti. Quare? Quia eos Deus volebat occidere, ait Scriptura: id est, quia prædestinati erāt ad mortem.

Matt. 13. Semē cecidit in terram bonam, & fructū adfert: Quid ita? Quia terra bona. Reliquæ partes quæ inter spinas, inter petrosa, & in viam ceciderunt non adferūt fructum. Quamobrem? Quia nō in terram bona ceciderunt: Quasi dicat: Reprobi, etsi audiant verbum: fructum tamē non proferunt ex verbo, quia non sunt electi, sed reprobi.

Matt. 13. Vobis datum est nosse mysteria regni Dei: cæteris in parabolis, vt videntes non videant, &c. Cur igitur impij non percipiūt mysteria regni Dei, ideóque non credunt, & saluantur? Quia illis non est datum: hoc est, quia non sunt electi ad hoc.

Ioh. 8. Sed vos non creditis, quia non estis ex ouib. meis. Quid hoc dicto Christi clarius? ibidē, Qui ex Deo est, verba Dei audit: propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis: hoc est, quia non habetis Spiritum Dei, neque ad habendum estis prædestinati.

Ioh. 12. Propterea hoc non poterant credere, quoniam rursus Iesaias dixit: Excæcauit oculos eorum ne videant, neque bene operētur. Quod ergo reprobi nō credāt, neq. bene operētur, Scriptura apertè dicit hoc esse, quia nō sunt ex numero electorum, & ad vitam prædestinatorum. Immo & altius ascendens tradit: impios, si aliquod opus agant quod tamen in ipsis peccatum est, ideo illud facere, quia ita præordinatum a Deo fuerat, vt hoc facerent.

Act. 2. Petrus docet quòd Iudæi crucifixerint Christum per manus iniquorum (quod maximū fuit scelus) ideo hoc illos fecisse, quia sic in prædestinatione præfinierat Deus: vt se per illos traderetur, & crucifigeretur: alioqui id non facturos, si Deus in eorū manus, illū ad occidendū nō tradidisset, & tradere decreuisset. Hunc etiam locū sic interpretati sunt, præter Augustinum viri alij nostri seculi doctissimi. Actor. 4. Tota Ecclesia ait, Herodem & Pilatum conuenisse cum gentibus & populis aduersus Christum, vt facerent, quę Deus suo ęterno consilio decreuerat per manus illorum fieri. Quasi dicat ideo ij duo impij condemnarunt Christum (quod maximum fuit scelus) quia consilium Dei ita decreuerat, vt facerent.

Apostolus

Apostolus etiam ait Rom. 9. Reprobos esse vasa iræ apparata ad interitum: nempe à Deo: vbi ait doctiss. Musculus: Hinc est, quod nihil planè contenditur impij viuere conentur: Quare? Quia parati sunt ad interitum. Hæc ille. Idque confirmat exemplo filiorum Heli, de quibus 1. Reg. 2. Augustinus de Prædestinatione sanctorum, exponens illud Ioh. 6. Omnis qui audiuit à Patre, & didicit, venit ad me: Ergo (inquit) omnis qui venit ad Christum, ideo venit, quia audiuit ex Patre, & didicit: Et Omnis qui non venit ad Christum, ideo non venit quia non audiuit à Patre.

Plura testimonia adferam alias, cùm peruenero ad 6. cap. Iesaiæ, vbi locus proprius est hanc doctrinam explicandi. Sint ad explicationem definitionis allatæ hæc pauca attulisse testimonia: quibus manifestum factum est, & bona opera, quæ non faciunt impij, & mala quæ agunt, contineri sub prædestinatione, non tantùm sub præscientia: hoc est, ideo non bene agere impios, quia non sunt ad bonū prædestinati: & ideo malum agere quia sunt reprobati. Sic loquitur Spiritus sanctus in Scripturis: Ideo nō creditis, quia non estis ex ouibus. Sed hic prudentia carnis fremit, & multa obiicit. Cæterùm responsionem ad obiecta carnis differo vsque ad 6. caput. ibi respondebo ad omnia quæ caro obiicere solet. In præsentia duo tantum quæ faciunt ad explicationem huius quæstionis, declarabo.

1. Primum: Si impij non credunt, quia non sunt ex ouibus, sed ex hœdis: Ergo videtur prædestinatio causa esse peccati, vt scilicet reprobi non credant, neque bene operentur.

Respondeo. [illegible] est non causæ vt causæ. Etsi enim homo nō potest credere, nisi sit prædestinatus ad fidem: non tamen sequitur prædestinationē in causa esse, vt aliquis non credat. Prædestinatio enim causa est omnis boni, & nullius mali. Causa efficiens & vera peccati est malitia & corruptio naturæ nostræ. [illegible] sine gratia Dei & Spiritu Dei nemo potest credere. Spiritum sanctū autem Deus dat cui vult, & cui non vult non dat pro suo arbitrio, atque iusto. Cùm ergo quis destitutus Spiritu Dei non credit: numquid voluntas (vt ita loquar) Dei dicenda erit causa cur ille non credat? Minime. cùm sit tacita denegatio seu remotio causæ sine qua non: id est, remotio voluntatis & gratiæ Dei, sine qua nemo credere potest. Etenim si Deus vellet hunc donare Spiritu suo, crederet: sed quia nō vult donare, ideo ille non potest credere. Caussa igitur propriè efficiens peccati est ipsa propria innataq́ue infidelitas ac malitia, talis & tanta: quæ, si Dominus nolit eam tollere, efficiat vt impij non possint non peccare. Capite hoc simile. Natus est aliquis claudus: fac te ego possim curare, si velim: sed nolim, neque enim debito aliquo teneor. Quod ergo ille claudicet: in caussa est proprium illius vitium ac morbus, non autem voluntas mea, qua illum sanare nolo. Sic prædestinatio & voluntas Dei non ideo caussa dici potest cur impij non credant, quia illos noluit ad fidem prædestinare: sed propria & vera caussa, cur non credant, est propria ipsorum & innata ab Adamo cæcitas atque malitia.

2. Alterum, quod hic explicandum venit, est hoc: Si ideò (verbi gratia) Pilatus & Herodes conuenerunt aduersus Christum, quia à consilio æterno fuerant ad hoc prædestinati: & si quæ agunt mala impij, ideo agunt, quia ad hæc fuere prædestinati: videtur ergo Deus prædestinasse aliquem ad peccandum, id quod patres omnino impugnant & meritò.

Respondeo. Sunt & quidem nō vulgares, neque indocti viri, qui hoc facilè concedunt prædestinatos esse à Domino aliquos ad peccatū. Cùm enim Scriptura dicat, Deum tradere quosdā in reprobum sensum, excæcare, obdurare, tradere in desideria cordis sui: Quare non etiam dicere liceat, Deum prædestinasse quosdam ad excæcationem, & ad ea quæ excæcationem consequuntur: hoc est, ad peccata? Sed ego aliter respondeo. In quouis peccato duo sunt: Opus ipsum, seu actio: alterum, ipsa malitia peccantis, qua fit, vt opus illud, alioqui suapte natura bonum, malum & peccatum fiat. Quod ergo nullum opus agant impij, ad quod non sint à Deo prædestinati, omnino fatendum est. Nihil enim fit in mundo, quod Deus non ab æterno præsciuerit futurum, & quod etiam nō decreuerit fieri: hoc autem est prædestinare. Item omnes actiones, quà actiones sunt, actiones sunt etiam Dei: operatur enim omnia in omnibus. Nihil autē agit Deus in nobis, quod nō ab æterno prædestinauerit se facturum in nobis, & vt fieret per nos. An non peccant impij Tyranni, cùm pios propter Christum, & propter benefacta persequuntur, affligunt, occidunt? An non verò Dei voluntate hæc fiunt per impios? Petrus certè hoc disertè tradit, dicens. Melius est enim, vt bene agentes, si ita velit Dei voluntas, malis afficiamini, quàm male facientes.

Si hoc Deus vult, & voluntas Dei æterna est, an nō igitur ab æterno Deus impios Tyrannos, ad pios malis afficiēdos prædestinauit? Sed notandū est, piorū afflictiones, quatenus à Dei sunt voluntate, bonum opus esse: nihil enim vult seu approbat Deus quod non sit bonum. Quatenus autem sunt à voluntate impiorum, mala esse opera, & peccata. Neque enim hæc agunt, vt diuinæ obediant voluntati, imò norunt se facere contra, quàm Deus mandauit. Adde quod in alium etiam finem hæc agunt, quàm Deus per illos hæc fieri vult. Proinde idem factum, quatenus à Deo est, Deo ipsi probatur: quatenus ab impiis, improbatur, eóq; & punit. Ergo verū est, nullū opus fieri ab impiis, ad quod faciendum non fuerint ab æterno prædestinati. Quòd vero homines sint prædestinati propriè ad peccandū, dari non potest quia [illegible] id est, malitiam, vitiumque quo peccant impij, neque à Deo, neque à Dei prędestinatione habēt, sed à Satana: & in ipsis residet ab Adamo. Atque hoc est, quod Patres oppugnant. Fulgentius, Porrò autem (inquit) in iniquis punitor est Deus, quod vt essent mali non dedit: nec eos ad iniquitatem aliquam prędestinauit. Nemo ergo prædestinatus est ad peccandū: id est, ad faciendum opus aliquod malum, quà malū & peccatum est: sed omnes sunt prædestinati ad facienda ea omnia quæ agunt, non quà peccata sunt, sed quà sunt opera & actiones quædam, quæ suapte natura bonæ sunt. Proinde iure puniuntur à Deo Herodes & Pilatus, ambo impij, ob illa perpetrata opera, ad quæ tamen perpetranda fuerant prædestinati. Quare? Quia non ea fecerunt benè, sed male: id est contra legem Dei, malitiaque sua opus Dei contaminarunt.

Proinde diligenter obseruandum, quod est in Actor. 2. Ibi Petrus, etsi Iudæos docet impleuisse consilium Dei, crucifigendo Iesum (quia ad hoc faciendum fuerant prędestinati:) tamen eos accusat peccati maximi & vt resipiscant hortatur. Quid ita? Quia consilium & opus Dei sua malitia infecerunt. Odio enim in Christum non vt obedirent Deo, conati Christum crucifigendum.

Videtur quæstio hæc vtcunq; explicata: An omnia quę agunt homines tā mala quàm bona, cōtineantur in prædestinatione. De electorū operibus bonis nulla est apud pios dubitatio: de operibus vero malis, scripturę affirmare continerí (qua scilicet opera Dei sunt) in prædestinatione: qua vero sunt peccata, continentur in præscientia, non in prædestinatione. Permissio tamen peccati quia illa est bonum opus Dei, continetur in prædestinatione.

De Prædestinatione Sanctorum.

CAPVT IIII.

IAm vt ad quartum Caput veniam, cùm duplex sit prædestinatio, vt ex definitione allata patet, vna piorum, altera impiorum: de impiorum prędestinatione in 6. capite Iesaiæ dicemus, de prædestinatione vero sanctorum nunc videndum est diligentius, quid sit, & quid de ea Sacræ literæ tradant.

Multæ & variæ à Patribus definitiones allatæ fuerunt. Augustinus de prædestinatione sanctorum cap. 10. sic definit, Prædestinatio Dei, quæ in bono est, gratiæ est præparatio, gratia autem ipsius est Prædestinationis effectus. Idem de bono perseuerantiæ, cap. 14. sic. Prædestinatio est præscientia & præparatio beneficiorum Dei, quibus certissimè liberantur, quicunque liberantur. Item de prædestinatione sanctorum, Prædestinatio est propositum miserandi. Item de fide ad Petrum, Prædestinatio est gratuitæ donationis præparatio.

Fulgentius ad Monimum lib. 1. Neque enim alia est (inquit) Prædestinatio, nisi futurorum operum eius æterna præparatio, in qua nullius caussa mali poterit inueniri, quia ex voluntate Dei nunquam processit origo peccati. Item. Ipsa est enim prædestinatio Dei, sempiterna scilicet dispositio futuri operis sui. Item lib. 2. Prædestinatio Dei nihil est aliud, quàm præparatio operum eius, quæ in æterna sua dispositione, aut misericordiam se facturum pręsciuit, aut iustè.

Thomas Aquinas 3. p. q. 24. art. 1. Prædestinatio propriè accepta est diuina quædam præordinatio ab æterno de iis quæ per gratiam Dei sunt facienda in tempore. Item 1. p. q. 23. art. 2. Prædestinatio est quædam ratio ordinis aliquorum in salutem æternam, in mente diuina existens.

Nos aliqua suprà dicta repetemus: & inde definitionem prædestinationis sanctorum colligemus.

Apostolus Rom. 8. cū loquitur de prædestinatione sanctorū, vtitur verbo προορίζειν: ὅτι οὓς προέγνω καὶ προώρισεν. τούτους καὶ ἐκάλεσεν. Ita ad Ephes. Elegit nos ante mundi constitutionem, vt essemus sancti & irreprehensibiles in conspectu eius, in charitate: προορίσας ἡμᾶς εἰς υἱοθεσίαν. Verbū autem hoc, vt suprà dixi, duo significat. Primò, præfinire & constituere apud te aliquid agere, antequam agas. Hoc pacto significat προορισμὸς decretū Dei, quo statuit quosdam sibi in filios eligere. Secundò significat, quamque rē in suū finē destinare, atque ita à reliquis reb. segregare, seligereque: quod Moses per Hebraicum verbū (*habhdel*) in Leuit. 20. & Num. 16. exprimit. cū loquitur Deus in Mose de electione & segregatione suorum à reliquis populis, deputationeque ad certum suum finem & vsum, à quo alieni sunt gentiles. Hoc pacto προορισμὸς significat quorūdam hominum à reliquorum hominum colluuie separationem seu electionem, atque in certum suum vsum (nēpe, vt sint vasa misericordiæ, membra Christi, templa Spiritus sancti) & in certum finem (nempe ad vitam æternā) deputationem. Sic ergo definiri potest.

Prædestinatio sanctorum, est æternum immutabileque decretum, quo Deus citra vlla hominum merita, apud se constituit, certos quosdam homines in vitam hanc suo tēpore productos, & opera diaboli in peccatum & mortem vnà cum aliis lapsos, gratis à peccato & morte, atque à reliqua hominum colluuie segregatos, Christo inserere, perque fidem iustificare: & Christo insitos ac iustificatos regignere, & ad sua placita sanctificare: sanctificatos perpetua quotidianorum peccatorum condonatione, perpetuàque Spiritus sancti gratia comitari: denique vti Dei filios, ac regni cœlestis cum Christo hæredes, beata & æterna vita donare: totúmque hoc, vt in iis misericordia & bonitas Dei perpetuò illustretur, ipseque Deus semper glorificetur.

Descriptio hæc prædestinationis sanctorum, à superiore descriptione, quantum ad eam partem, quæ sanctorū est, attinet, nihil distat, nisi quòd hac multos effectus gratiæ, ordine illo, quo etiam solet Deus in electis eos operari, explicaui, cùm ibi simpliciter dixerim, tum gratia, tum vita æterna donare. Sunt autem hi effectus gratiæ Dei.

Primus. *A peccato & morte per sanguinē Christi liberare.* Hoc factum est in cruce, cùm Christus sanguine suo electos Patri reconciliauit, & chirographum decreti, quod erat aduersus nos, deleuit, & cruci affixit.

Secundus, *Per Spiritum S. suo tempore vocare*, nempe vocatione efficaci. Hæc enim fit per Spiritum sanctum, internè vocantem. *Suo tempore*, quoniam non omnes electi eodem tempore efficaciter vocantur, sed suo quisque tempore, à Patre scilicet præfinito.

Tertius, *A reliqua hominum colluuie segregare.* Ante vocationem enim electi mixti sunt cū reprobis, & corpore & spiritu: cùm eadem sapiant quæ alij, quæ scilicet sunt carnis. Vocati autem per Spiritum sanctum segregantur, id quod Christus in Euangelio vocat, eligere de mundo.

Quartus, *Christo inserere*, quod fit, cum participes simus spiritus Christi, de qua insitione Paulus Rom. 6.

Quintus, *Iustificare.* Insiti Christo, & donati eius Spiritu, per fidem apprehendimus remissionem peccatorum, & iustitiam Christi, id est, sentimus nos Deo patri propter Christum gratos, charos, dilectos esse factos.

Sextus, *Regignere.* Iustificati enim per Spiritum sanctū, regeneramur ex filiis Adæ in filios Dei, & in nouam creaturam.

Septimus, *ita regeniti sanctificamur ad ea facienda, quæ Deo placent*, hoc est, ad studium bonorum operum, & obedientiam Legis.

Octauus, Sed quoniam filij Dei quotidie peccant ex imbecillitate carnis propter quæ peccata opus habent quotidie dicere, Dimitte nobis debita nostra, ideò sequitur alius effectus, qui est, quòd Deus comitatur iustificatos perpetua quotidianorum peccatorum *Remissione*, hoc est, non imputat illis peccata, qui sunt in Christo, vt est Roman. 8.

Nonus, *Præsentia Spiritus sancti nunquam deseruntur.* Is enim electos, iustificatos, & Christo insitos, gubernat, regit, & ne pereant defendit & custodit. Ierem. 32. Dabo timorem meum in corda eorum, vt non recedant à me.

Denique, *Vita æterna donat*, non solùm animos electorū (id quod fit cùm hinc auolant ad cœlum) sed etiā corpora, id quod fiet in resurrectione, quādo exuta omni mortalitate, induentur immortalitate. Hæc autem ita se habere nemo mediocriter in pietate Christiana institutus ignorat. Quare ne in re perspicua immoremur, Testimonia Scripturarum, quibus singula hæc gratiæ effecta comprobem, non citabo. Quasdam tantùm conclusiones de prædestinatione Sanctorum scitu necessarias, & consolationis plenas, ex hac descriptione colligemus: & quæ opus habuerint probatione, testimoniis Scripturarum & Patrum confirmabimus.

Primum. Ex eo, quod diximus, Prædestinationem esse æternum decretū, colligimus: falsum igitur esse, quod quidam Sophistæ negarunt, Deum non prędestinasse in præterito, sed prædestinare semper in præsenti: cùm Deus non sit sub tempore. Contrà Paulus in præterito semper profert, Elegit nos, prædestinauit nos, & quidem ante mundi constitutionem. Etsi enim Deus non sit sub tempore: nos tamen, qui prædestinamur, sumus sub tempore: ita, vt si hodie (verbi gratia) prædestinemur, cras simus prædestinati necesse sit.

Deinde colligimus: Si est æternum decretum, ergo ab ęterno fuimus Deo chari & dilecti. Testimonia extant in Scripturis. Ioh. 17. Dilexisti eos, sicut & me dilexisti. Dilexisti autem me ante mundi constitutionem. 2. Timoth. 1. Gratiam hanc nobis datā ante tēpora æterna, manifestatam autem per apparitionē Iesu Christi, scribit Apostolus.

Secundum, Ex eo, quod diximus, decretum hoc esse immutabile, colligere promptum est: salutem electorum esse certissimam: ideóque electos perire non posse. Hoc confirmari potest infinitis locis Scripturarum. Præter illa autem loca, quæ extant in veteri Testamento, præsertim in Psalmis & Prophetis, de certissima electorum salute, in nouo Testamento passim occurrunt hæc de re testimonia.

Matth. 24. de seductione, quæ fiet per Antichristū. ait Christus, ita vt si fieri possit, in errorem etiam ducantur electi. Ergo, cùm non possit fieri vt seducantur, certa est illorum salus.

Mat. 16. Ecclesiam, ideóque electos, fundatos esse ait supra petram, ita vt portæ inferorum non possint præualere aduersus eam.

Ioh. 10. Nemo potest rapere eas (oues meas) de manu mea. Item 6. Omne quod dedit mihi Pater, ad me veniet: & ego non eiiciam foras.

Ibidem. Hæc est voluntas Patris mei, vt omne quod dedit mihi Pater, non perdam ex eo. Euangelium Iohannis refertissimum est iis sententiis, de certitudine salutis electorum.

Rom. 8. Quos prædestinauit, hos vocauit, iustificauit, glorificauit. Quid ergo dicemus? Si Deus pro nobis, quis contra nos? Certus sum, quod neque mors, neque vita, &c. poterunt nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro.

Item cap. 11. Sine pœnitentia sunt dona & vocatio Dei.

2. Tim. 2. Firmum stat fundamentum, habens signaculū hoc Novit Dominus qui sint sui.

1. Ioh. 2. Exierunt à nobis, sed non erant ex nobis. Nam si fuissent ex nobis, mansissent vtique nobiscum. Qui ergo electi sunt ad vitam æternam, non possunt omnino deficere à corpore Christi, quod est Ecclesia sanctorum.

Tertium. Ex eo quod diximus, certos quosdam homines fuisse prædestinatos ad vitam, colligimus, certum esse numerum electorum, qui nec augeri, nec minui possit. Confirmatur etiam Scripturarum testimoniis. Ioh. 13. Ego scio quos elegerim. Ergo certus est numerus.

Ioh. 10. Christus de ouibus dicit, quod pastor eas vocat nominatim. Ergo certus numerus.

2. Tim. 2. Signati sunt omnes electi hoc sigillo, Nouit Dominus qui sint sui. Ergo certus est numerus. Luc. 10. Nomina vestra scripta sunt in cœlis. Ergo certus numerus apud Deum. Augustin. de correp. & Gratia c. 13. Hæc de iis loquor, qui prædestinati sunt in regno Dei: quorū ita certus est numerus, vt nec addatur eis quisquam, nec minuatur ex eis. Falsum est ergo, quod docent iam quidam, omnes promiscuè esse prædestinatos, hac conditione, vt quicunque crediderit saluetur. Contrà se res habet: Quidam enim sunt ita ad vitam prædestinati, vt quia prædestinati sunt, sint etiam credituri, & credendo in æternam vitam ingressuri. Alij verò non sunt ad vitam prędestinati: ideo etiam non sunt credituri, ac proinde nec in ęternam vitam peruenturi. Qui enim prædestinati sunt ad vitam æternam, sunt etiam prædestinati ad fidem habendam.

Quartum: Ex eo quod diximus, citra vlla hominum merita Deum prædestinasse, quos prædestinauit ad vitam, colligimus, prædestinationem esse totam merè gratuitam: Deúmque à nulla re permotum ad nos prædestinandos

nandos

[illegible]ados ad vitam, quàm à sua mera voluntate, seu à suo aeterno amore, sed in Christo. Hoc confirmandum pluribus argumentis & testimoniis Scripturarum: adde quoniam & hoc maximi momenti est, totaque ratio praedestinationis sanctorum in hoc posita est: & multos quoque illustres viros & Patres habemus, qui sententiae nostrae adversari videntur. Iudicat enim humana prudentia Deum eos ad vitam aeternam praedestinasse, quos praevidit Euangelio credituros, legemque Dei servaturos (quasi vero non etiam ad fidem & bona opera praedestinarit, quos ad vitam praedestinavit) atque ita totam Dei praedestinationem, à praevisis nostris meritis dependere. Fuerunt autem eorum, qui haec iudicarunt, sententiae quatuor, hae quidem diversae.

1. Quidam (& hic fuit Origenes) somniarunt omnes hominum animas in initio simul creatas fuisse in caelo, ibique alias peccasse, alias non peccasse: pro diversitate autem meritorum, diversa accepisse corpora, & diversos status in hoc mundo sortitas. Deum igitur merita cuiusque animae, antequam uniretur corpori praeexistentis in caelo, attendentem, quosdam praedestinasse ad mortem, quosdam ad vitam, pro diversitate meritorum. Sed hanc excludit Apostolus Rom. 9. Cum nondum nati essent, aut quidquam boni vel mali egissent, ut secundum electionem propositum Dei maneret: non ex operibus, sed ex vocante dictum est, Maior serviet minori. Sicut scriptum est, Iacob dilexi, Esau autem odio habui.

2. Alij, Deum spectasse cuiusque merita, quae quisque habiturus erat in hac vita, in corpore iam existens, atque iuxta illa praevisa merita praedestinasse quoque aliquos ad vitam, aliquos vero ad mortem.

In hac sententia fuerunt multi Patres: immo & Augustinus aliquando hoc sensu exponens verba illa, Iacob dilexi, Esau autem odio habui. lib. 83. Quaest. quaest. 68. Tom. 4. habet haec verba: Cui vult miseretur Deus, & quem vult indurat. Sed ista voluntas Dei iniusta esse non potest, venit enim de occultissimis meritis. Quia & ipsi peccatores, cum propter generale peccatum unam massam fecerunt, non tamen nulla inter eos est diversitas. Praecedit ergo aliquid in peccatoribus, quo quamvis nondum sint iustificati, digni efficiantur iustificatione: & item praecedit in aliis peccatoribus, quo digni sint obtusione. Haec ille. Sed hanc postea sententiam quod ad primum membrum attinet, idem Augustinus diminutam, docens, non ex meritis nostris, sed ex gratia Dei esse, quod simus praedestinati ad vitam aeternam: ut postea ostendemus ex Augustino. Hanc etiam confutavit Aquinas.

3. Alij, Deum spectasse in unoquoque homine proprium liberi arbitrij usum, an esset usurus bene sua gratia, & fidem praedicationi Euangelij [illegible], & quos bene usuros praevidit, ad gratiam percipiendam [illegible] praedestinasse. In hac sententia fuit Ambrosius ad Rom. 9. loquens enim in Dei persona ait: Dabo gratiam ei quem scio toto corde reversurum ad me, post errorem. Augustinus etiam aliquando ita sensit, ut patet in Epistola ad Xystum: sed hanc etiam sententiam ipse retractavit, & apertis Scripturarum testimoniis ostendit etiam bonum usum liberi arbitrij esse effectum praedestinationis: ideo non potuisse esse caussam aut meritum, propter quod Deus praedestinaverit quempiam ad gratiam & ad gloriam. In libro quoque de Praedestinatione sanctorum, hunc errorem refutavit. Quin etiam Thomas Aquinas hunc refutat in 1. p. q. 23. art. 5.

4. Alij volunt, caussam aliquam seu rationem esse in Deo, praeter eius voluntatem, cur unum elegerit, alterum reprobarit: sed caussam & rationem hanc esse nobis occultam: & hoc innuere Apostolum Rom. 11. cum verba de hac quaestione faciens, dicit inscrutabilia esse Dei iudicia, & investigabiles vias eius. Si esset (inquiunt) mera Dei voluntas caussa, cur quidam ad vitam, alij ad mortem sint praedestinati: non essent iudicia Dei inscrutabilia, quia posset quisque dicere caussam esse voluntatem Dei.

In hac sententia est Bonaventura, & citat dictum Augustini, quod sententiae huic favere videtur, ex libro Retract. Deus proponit, eligit & reprobat ratione certissima & à nostris sensibus remotissima. Sententia haec videtur aliquibus incongrua non esse: sed refutatur à Richardo, & aliis. Quod citat ex Paulo ad Rom. 11. Si mera Dei voluntas caussa esset praedestinationis, iudicia Dei essent scrutabilia, quia assignari caussa iudiciorum Dei posset, nihil est. Nam primo, si etiam aliqua esset ratio ex parte nostra, cur unum eligeret, alterum reprobaret, non essent tamen scrutabilia: possemus n. dicere, aliqua in hoc futura merita praevidisse Deum, non in illo. Secundo, ipsa voluntas Dei per se iustissima est, & ratio rerum omnium. Excludat ergo omnia nostra merita, & usum liberi arbitrij, & quicquid in nobis est: postea dicat, voluntatem Dei esse caussam rationabilem dabimus.

Conclusio igitur esto, Praedestinationem sanctorum totam esse gratuitam: sanctosque ad vitam aeternam, ad gratiam, & omnia Dei dona praedestinatos fuisse gratis: hoc est, citra ulla sua merita, vel praeterita, hoc est, quae praecesserint in caelo eorumque hominum nativitatem, ut finxit Origenes, vel quae futura erant in hac vita: & citra praevisum bonum usum liberi arbitrij, & citra omnem in nobis caussam, praeter voluntatem Dei, & meritum Christi.

Haec enim conclusio est Pauli in Epistolis ad Romanos, ad Ephesios, ubique. Est Augustini in lib. de Praedestinatione sanctorum, & Bono perseverantiae, denique in libris fere omnibus, quos edidit, post susceptum episcopatum. Est Prosperi, est Fulgentij, est [illegible], est etiam sanctorum scholasticorum. Thomae, Richardi, Waldensis in sua summa, Aegidij Romani, Gregorij Ariminensis.

Argumenta autem ad hanc quaestionem probandam, ex [illegible] Scripturarum sumuntur. Referam in summa, quae Augustinus ad hanc probandam affert in lib. de Praedest. sanctorum & bono perseverantiae.

Argumentum primum ab effectu praedestinationis ad ipsam caussam sumitur. Eo modo Deus decrevit ab aeterno dare sua beneficia, & gratiam & gloriam, quo modo illa dat. Si enim gratis dat, [illegible] procul dubio gratis quoque dare decrevit. Atqui gratiam & gloriam, & omnia bona quae nobis dat Deus dat gratis citra ulla merita nostra, & citra ullum bonum liberi arbitrij, & citra ullam nostram rationem, praeter Dei voluntatem & meritum Christi. Minorem hanc probat Augustinus per totum librum 1. & 2. hoc est, de Praedestinatione sanctorum, & de bono perseverantiae [illegible] fidei, quae est initium & ultimum salutis [illegible] perseverantia in fide usque in finem, quae quidem perseverantia est postremus terminus [illegible] ad salutem, seu ad vitam aeternam denique, ipsa quoque vita aeterna, nobis à Deo donantur gratis, non propter nostra merita, nec propter bonum usum liberi arbitrij nostri. Ergo gratis quoque non propter nostra merita, nec propter praevisum bonum usum liberi arbitrij, Deus ea nobis dare ab aeterno decrevit, & praedestinavit. Hoc est primum argumentum Augustini.

Quod vero & fides, & initium fidei, & finis fidei, id est, perseverantia, & denique vita aeterna gratis donentur à Deo, multis è Scriptura citatis locis, & multis argumentis probat. Ac primo fidem [illegible] locis, qui docent eam esse donum Dei [illegible].

Ioh. 6. Hoc est opus Dei, ut credatis in illum quem misit. Nemo venit ad me nisi Pater traxerit eum. Quae verba perpendens D. Augustinus contra duas epistolas Pelagianorum lib. 1. [illegible] Christum dixisse, Traxerit, non Duxerit. [illegible] Ne ullam nostram praecedere credamus voluntatem aut meritum. Quis enim trahitur si iam volebat? & tamen nemo venit, nisi velit. Trahitur ergo miris modis, ut velit, ab illo qui novit intus in ipsis hominum cordibus operari, non ut homines (quod fieri nequit) nolentes credant, sed ut volentes ex nolentibus fiant. Haec Augustinus.

Ephes. 2. Gratia salvi facti estis per fidem, & hoc non ex vobis: Dei enim donum est.

At Pelagiani excipiebant, Fidem quidem esse donum Dei, quoad incrementum, sed non quoad initium. Sic enim sentiebant, quod etiam multi hodie: Deus primo facit, ut praedicetur nobis Euangelium, & haec gratia Dei. Secundo, ubi audivimus Euangelium, in nostra potestate situm est velle illi assentiri vel non assentiri. Tertio, Deus vero, ubi videt hanc nostram bonam voluntatem, quae est initium fidei, donat perfectionem fidei, sine quo augmento illud fidei initium non prodesset. Augustinus igitur multis rationibus probat, etiam initium fidei donum esse Dei, adeoque gratis dari, quarum rationum haec est prima:

Si plus incrementum fidei, quod ô Pelagiani dicitis donari, non autem initium, vel est gratia Dei, vel non est gratia Dei. Si non est gratia: Ergo fides nullo modo erit gratia Dei, sed à nobis. Si vero augmentum, gratia est Dei, & hoc augmentum datur alicui, quia habet initium: & non datur alij, quia non habet initium, quod à nobis esse dicitis: ergo gratia datur secundum merita: i. augmentum fidei quod est gratia Dei, propter initium fidei, quod est opus nostrum. Atqui hoc absurdum est, & haereticum, gratiam dari secundum merita, alioquin enim gratia non esset gratia: ad quod etiam Pelagiani in Palaestina

Synodo, victi rationibus, damnarunt, licet non ex animo. Ergo falsum est, initia fidei à nobis esse, non autē à Deo.

2. Initium fidei est, cogitare ea quæ sumus credituri. August. Quid enim est credere, nisi cum assensu cogitare? Atqui non possumus à nobis cogitare, quæ sunt nobis ad credendum à Deo proposita. Non sumus sufficientes cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis: sed sufficientia nostra ex Deo est. Ergo initium fidei à nobis non est, sed à Deo. 2. Cor. 3.

3. Philip. 1. Vobis datum est pro Christo, vt credatis in eum: non ait, vt perfectius credatis: sentiens, & initium & incrementum fidei esse à Deo.

4. Quod Deus promittit, ipsemet præstat, non alij: alioqui non esset promissio, sed prædictio. Atqui promisit fidem gentibus, & electis omnibus. Ier. 31.

5. Deus vel potest initium fidei dare, sicut & augmentum: vel non potest. Si non potest: Ergo Deus non est omnipotens: Et cum tu possis eam habere ex te, non ex Deo, potentior eris. Si potest: cur ergo non fateris, etiā initium fidei à Deo dari? Quid enim (ait Augustinus) tu tibi primas vēdicas partes, vt nouissimas ab illo merearis accipere? Quid aliud ais hoc modo, nisi vt alteras gratiam secundū merita nostra dari? atque ita gratia iam non sit gratia? redditur namque hoc pacto, non donatur gratis. Debetur enim credenti, vt a Domino ipsa fides augeatur: & sit merces fidei cœptæ, fides aucta.

6. 1. Cor. 4. Quid habes, quod non accepisti? Hac autoritate (ait Augustinus) vtebatur D. Cyprianus ad docendū, quòd in nullo gloriandum, quando nostrum nihil est. Hoc loco & testimonio Cypriani conuictus Augustinus, coactus fuit errorem suum reuocare: quo, antequam esset Episcopus, dixerat, fidem à nobis in nobis esse: per hāc vero impetrari à Deo reliqua dona, sanctitatem, iustitia. Ipse hoc fatetur: in libro de Prædestinatione sanctorum c. tert. Si enim dicas, Omnia alia à Deo habeo, fidem non habeo: tibi dicet Apostolus, Quid habes quod non accepisti? Si dicas, Augmentum fidei habeo a Deo, initium à me ipso: protinus dicet Apostolus, Quid habes quod non accepisti? Et probat Augustin. de Prædestinatione sanctorum cap. 5. Paulum hic loqui de donis spiritualibus, quorum primum est fides. Videte locum.

7. Col. 4. Orationi instate, orantes simul & pro nobis, vt Deus, nobis aperiat ostium verbi sui. Augustinus de Prædestinatione sanctorum c. 20. Quomodo aperitur ostiū verbi nisi cum sensus aperitur audientis, vt credat? Concludit dicens: Quid est igitur Orantes simul & pro nobis, vt aperiatur ostium verbi, nisi apertum testimonium, & apertissima demonstratio, etiam ipsum fidei initium esse donum Dei?

8. Ad prædicationem Petri multi auditores confluunt, & omnes audiunt: quidam tamen credunt, alij non credunt. Vnde hæc diuersitas? Dices: Quia illi volunt credere, isti nolunt. Bene dictum. Sed vlterius quærit Augustinus: vnde fit, vt isti velint, hi autem nolint credere? Oportet altius ascendere, ad caussam scilicet superiorem quæ voluntatē hominis mouet, hic est Deus, de quo Philip. 2. Deus operatur nobis velle & perficere. Caussa igitur est, quia præparatur voluntas à Deo in illis, vt velint, non præparatur in istis. Caussa est, quia Deus operatur in illis velle, in istis non operatur. Caussa est, quia Deus illorum voluntates mouet efficaciter istorum non mouet.

At quomodo mouet voluntates hominū Deus? Respondet Augustinus, Miro modo, intus docendo & trahendo.

Ioh. 6. Nemo venit ad me, nisi Pater meus traxerit eū. Ibidem, Omnis qui audiuit à Patre, & didicit, venit ad me. Ex quibus duobus locis Augustinus haurit tres Conclusiones.

1. Omnis qui audiuit à Patre, & trahitur, venit ad Christum, hoc est, Nullus est qui audiat, qui trahatur, & non veniat.

2. Omnis qui venit ad Christum, ideo venit, quia audiuit à Patre, & didicit, & trahitur.

3. Omnis qui non venit ad Christum, ideò non venit, quia non audiuit à Patre, si enim audiuisset, & didicisset, venisset. Cur autem quosdam trahat, alios non trahat, hoc venit de iudicio, illud de misericordia. Ratio hæc, est in lib. de Prædest. Sanctorum cap. 8.

9. Eph. 6. Pax fratribus, & charitas cum fide, à Deo patre. Augustinus de Bono perseuerantiæ, c. 17. A quo igitur pax & charitas, ab eo est & fides. Charitas autem ex Deo est, ait Apostolus. & Iohan. 1. Epist. c. 4. At (inquies) Christus præcipit vt credamus, Credite Euangelio, Si credideris, saluaberis. In nostra ergo potestate situm est credere. Respondet August. de Prædestinatione sanctorum c. 19. Et facere quod iubet, & accipere quod promisit, vtrumque Dei donū est. Sed ideo & præcipiuntur nobis, & dona Dei esse monstratur, vt intelligatur, quod & nos ea facimus, & Deus facit vt illa faciamus. Sic in Ezech. ait: Ego faciam, vt faciatis, id est, Ego faciā vos facere, quæ iubeo vt faciatis. Vnde August. alibi, alloquens Deū, ait: Da quod iubes, & iube quod vis. His atque alijs multis rationibus probat Augustinus, fidē, & quo ad initiū, & quo ad incrementū, totam esse merum Dei donum ideóque dari gratis a Deo.

II. Quod vero & bona opera, quæ sunt effecta fidei, dona sint Dei, primò quidem hinc patet: quia si caussa, quæ est fides, donum Dei est, ergo & eius effecta. Sed Augustinus adfert alias rationes, & testimonia è Scripturis. Sunt autem hæc fere:

Iacobi 1. Omne datum optimum. & omne donum perfectum, de sursum est, descendens à Patre luminum.

Philipp. 2. Deus operatur in nobis velle & perficere.

1. Cor. 4. Quid habes, quod non accepisti?

Sapient. 8. Et vt sciui, quoniam aliter non possum esse castus seu continens, nisi Deus det (& hoc ipsum erat summa sapientia, scire cuius hoc esset donum:) adij Dominū, & deprecatus sum illum.

Ezech 36. Faciam vt ambuletis in præceptis meis.

Ecclesia rogat: Da, vt cogitemus, te inspirante, quę recta sunt, & te gubernante eadem faciamus.

Ephes. 2. Ipsius opus sumus, creati in operibus bonis, quæ præparauit vt in illis ambulemus. Ergo etiam effecta fidei, id est, bona opera, dona sunt Dei.

III. Quod vero etiam perseuerantia in fide vsque in finem sit donum Dei gratuitum, probat multis rationibus in libro de Bono perseuerantiæ. Et forte titulus erat, DE DONO PERSEVERANTIAE: nam & in 1. cap. initio sic ait: Perseuerantiæ donum, qua vsque in finem perseueratur in Christo. Rationes Augustini, & testimonia è Scripturis hæc sunt:

Philipp. 1. Vobis donatum est pro Christo, non solum vt credatis in illum, sed etiam vt patiamini pro illo. Horum vnum (ait Augustinus) pertinet ad initium. alterum ad finem: vtrumque tamen est donum Dei, vtrumque donatum: initium Christiano est, credere in Christum: finis melior nullus, quàm pati pro Christo.

1. Pet. 3. Melius est benefacientes, si velit voluntas Dei, pati, quam malefacientes. Augustinus: Cùm dicit (inquit) Si voluntas Dei velit, ostendit diuinitus donari omnibus sanctis, vt pro Christo patiantur: illis scilicet, qui patiuntur pro eo: quia multi, licet non patiantur, tamen ad regnum cœlorum perueniunt.

2. Thess. 2. Deus pater noster exhortetur corda vestra, & confirmet in omni opere & sermone bono.

Philipp. 1. Qui cœpit in vobis bonum opus, perficiet vsque in finem.

1. Pet. vlt. Deus autem omnis gratiæ, ipse perficiet, firmabit solidabitque.

Psalm. 79 Fiat manus tua super virum dexteræ tuæ, & super filium hominis, quem confirmasti tibi, & non discedimus à te. Augustinus de Bono perseuerantiæ, ca. 7. Quis est iste vir. dexteræ Dei? Iste non est Adam primus homo, in quo discessimus ab eo (scilicet Deo) sed Christus, per quem opere, seu manu Dei fit, vt non discedamus ab eo. Manus ergo (inquit) Dei est ista, non vestra, vt non discedamus à Deo. Perseuerantia igitur donum Dei est.

Iere. 32. Dabo timorem meum in corda eorum, vt non recedant à me.

Petimus in oratione Dominica perseuerantiam, idque in omnibus ferè petitionibus quæ ibi continentur: vt Cyprianus ostendit in sua expositione orationis Dominicæ. ergo donum Dei est.

IV. Quod etiam vita æterna sit donum Dei, testatur Apostolus Rom. 6. Gratia Dei, vita æterna.

Quod si quis dicat, vt Thomas dixit prædestinationem Dei, quantum ad gratiam, gratuitam esse: quia prædestinauit eam dare gratis: quod etiam nomen ipsum docet: sed quantum ad gloriam, non esse gratuitam, quia hanc reddit meritis, quæ ex gratia habemus: Respondeo. Hoc falsum esse: tum quoniam nulla nostra sunt merita, si proprie loquamur, sicut idem Thomas fatetur: tum, quoniam Paulus eam vocat gratiam. Rom. 8. Postremo, quoniam contra potius Deus ideo prædestinauit nobis dare gratiam, quia voluit vt per illam consequeremur gloriam, igitur gratis vitam dare decreuit: sed quia ad illam consequendam necessaria est gratia, vt fides: ideo hanc quoque donare constituit.

Repetamus igitur argumentum *primum*, quo probare instituimus prædestinationem totam esse gratuitam. Eo

modo

modo decreuit Deus dare nobis sua beneficia, gloriam & gratiam, quo etiam illa dat. Dat autem hæc gratis. dat enim fidem, tam quoad initium, quàm quoad augmentū, gratis: dat opera fidei gratis: dat finem fidei, id est, perseuerantiam gratis. Ergo hæc gratis prædestinauit. Prędestinatio igitur tota est gratuita. Hoc est primum argumentum Augustini, & certè ἀναντίρρητον irrefutabilis.

Alterum argumentum, quo probat prædestinationem sanctorum esse gratuitam, à pueris ducitur: est autem hoc.

Filij fidelium infantes hinc ad cœlum migrant: ergo ad illud fuerunt prædestinati. Quibus meritis? non suis præteritis, quia nulla habuerunt: non futuris, quia nulla habituri erant, neque propter præuisum bonum vsum liberi arbitrij, quia ad illum non peruenerunt morte præuenti. Quid ergo? Nunquid forte prædestinauit eos propter merita quæ habuissent, si vixissent? Quidam Pelagiani hoc dicebant: sed diluit Augustinus hanc exceptionem lib.1.de Prædest. sanctorum cap.12. & de bono perseuerantiæ cap.9. vsque ad 11. Nemo vel punitur, vel præmium accipit, pro iis vel malis vel bonis, quæ acturus erat: & Rom.14. Omnes astabimus ante tribunal Christi, vt quisque referat, prout gessit in corpore, siue bonum, siue malum. Ait, gessit, non autem gesturus erat.

Secundo sequeretur, quod Tyrij & Sidonij non essent condemnandi, quia acturi fuissent pœnitentiam, si virtutes factæ fuissent inter illos, sicut in Capernaum, Corazin & Bethsaida.

Tertiò, Igitur Christus præuideret futurum id, quod nūquam est futurum: nempe futura opera puerorum, quæ nunquam erunt: ideóque præuideret falsum, si propter opera seu merita, quæ habituri fuissent si vixissent, pueros prædestinasset: quia nunquam fuissent. Pueri ergo propter solam Dei gratiam prædestinati sunt ad vitam æternam. Si pueri, ergo & adulti: quia vna est omnium conditio & ratio. Ideo Augustinus de Bono perseuerātię, cap.11. Ex ore infantium & lactātium Deus perfecit laudē gratiæ suæ & gloriæ: vt quod in iis fieri videmus, hoc etiam in maioribus fieri non dubitemus. Legitote caput ipsum 11.

Tertium argumentum, ab exemplo Christi ducitur. Christus qua homo, prædestinatus fuit à Patre, vt conciperetur de Spiritu sancto, & nasceretur & esset filius Dei: Prædestinatus est, inquam, ex mera gratia & voluntate Patris, sine vllis suis meritis. Ergo neque nos prædestinati sumus ex meritis, sed ex mera gratia. Legitote hoc argumentum Augustini in lib. de Bono perseuerantiæ cap.24. Quisquis (inquit) fidelis vult prædestinationem bene intelligere, attendat ipsum (scilicet Christum) atque in illo inueniat seipsum.

Sunt postea multæ autoritates Scripturarum, quas citat Augustinus sparsim. 3.Reg.19. & citatur ad Rom.11. à Paulo, ad hoc propositum de prædestinatione: Reliqui mihi 7000. virorum, qui non curuarunt genua coram Baal. Verba hæc perpendens Augustinus de Bono perseuerantiæ, cap.18. Non ait (inquit): relicta sunt mihi, aut reliquerunt se mihi: sed Reliqui mihi. Ergo gratis reliqui.

Iohan. 15. non Apostolis tantum, sed omnibus piis ait Christus: Non vos me elegistis, sed ego elegi vos. Augustinus de Prædestinatione sanctorum. cap.17. Si autem ideo Deus eos prædestinauit & elegit, quia vel credituri erant, vel bene operaturi: Ergò ipsi eum prius elegerunt, credēdo in eum, vt eligi mererentur ab eo. Aufert autem hoc omnino, qui ait: non vos me elegistis. Significat Christus, in seipsis nihil habuisse, quare eligerentur, nisi ipse sua gratia illos anteuertisset. Videte ibi, quæ circa hoc argumentum sequuntur. Consonat iis, quod contra Iulianum Pelagianum lib.5.cap.3. scribit: Nullum elegit dignum, sed eligendo effecit dignum: nullum tamen punit indignum.

Rom.8. Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, iis qui secundum propositum vocati sunt sancti.

Roman. 9. locus est proprius de hac re: Cùm nondum nati essent, aut egissent aliquid boni vel mali, vt secundū electionem propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante dictum est. Maior seruiet minori.

Ephes.1. Elegit nos in Christo, ante constitutionem mūdi, vt essemus sancti. Cùm ait, In Christo, excludit omnia nostra merita, & dignitatem. Est enim, ac si dicat: Quia in nobis ipsis non eramus tanta excellentia & gratia digni: ideo in Christo, & in gratiam Christi, ad tantam dignitatē, excellentiam & hæreditatem fuimus electi: deinde in Christo, hoc est, vt per Christum, & propter merita Christi seruaremur.

Item: Elegit nos secundum beneplacitum voluntatis suæ, in laudem gloriæ gratiæ suæ: imò præparauit opera, in quibus ambularemus. Igitur non propter opera seu merita fuimus electi.

Item, Elegit vt essemus sancti, non quia eramus: igitur nō propter merita electi sumus, sed vt haberemus merita.

2.Timoth.1. Vocauit nos vocatione sua sancta, non secundum opera nostra sed secundum propositum suum, & gratiam, quæ data est nobis ante tempora æterna.

Ita Ephes.1. secundum propositum voluntatis suæ, quod proposuerat in semetipso. Quid est in semetipso? Quasi dicat: Extra se nihil considerauit, cuius rationem haberet in nobis eligendis.

Concludit Augustinus, electionem sanctorum totam esse gratuitam. Ita contra Iulianum Pelagianum lib.6.cap. 8. concludit: Quos elegit ante mundi constitutionem per electionem gratiæ: non ex operibus vel præteritis, vel præsentibus, vel futuris: alioqui gratia iam non esset gratia. Hæc est doctrina sacræ Scripturæ, & Catholicæ Ecclesiæ, totam salutē nostram esse gratuitam: absolutamque caussam salutis esse gratiam Dei.

Et certè quibus doctrina hæc displicet, non sunt nisi inimici gratiæ Dei. volunt enim isti Pelagiani, vt etiam aliqua ex parte à seipsis pendeat salus, & à suo libero arbitrio. Quare? Vt sint tutiores de sua salute. Quasi vero tutior sit nostra salus in manibus nostris, quàm in manu Dei. At (vt inquit Augustinus) tutiores viuimus, si totum damus Deo: vbi enim tutior est nostra salus, quàm in voluntate Dei firma & immutabili? Si à nobis penderet, incerta esset salus, quia mutamur. Sed ideo certa est, quia in volūtate Dei est sita. Quos enim semel elegit, saluat. Legantur etiam quæ scripsit D. Fulgentius ad Monimum lib.1. pag. 18. vsque ad 21. vbi pulchrè demonstrat, & prædestinationem, & vocationem, & iustificationem, & glorificationem beneficia esse ac dona gratuita. Ac de quarto, hoc est, de gratuita prædestinatione, satis.

Quintum. Ex eo verò, quod diximus in definitione Prædestinationis sanctorum, Deum prædestinasse etiam opera, in quibus ambularent electi: conclusio illa est, nullos esse electos (de adultis loquor) qui hinc in cœlum migrent sine bonis operibus. Confirmata fuit exemplo etiam Latronis, nam in eo fuerunt omnia illa bona opera, agnitio peccati sui, confessio Christi, patientia, fraterna correctio, &c. Quare prępostere illos argumentari, qui dicunt, Si sum prędestinatus etiam sine bonis operibus saluabor.

Hæc est fallacia diuisionis: diuidunt enim res inseparabiles, effecta à sua caussa. opera enim bona effecta sunt prædestinationis, & ab illa pendent, ideóque separari non possunt. Sic potius argumētandum est, Prædestinatus sum ad vitam æternam, ergo mihi ambulandum est in bonis operibus, quandoquidem prædestinatis ad vitam prępara- ta sunt etiam bona opera, in quibus ambulent. Atque hæc est via ad cœlum ordinaria.

Sextum. Ex omnibus iis prædestinationis effectis, quæ enumerauimus, colligimus: Igitur quicunque cernit in se hæc effecta, id est videt se vocatum, sentit se iustificatum, donatum fide, patientia in aduersis, studio bonorū operum, & aliis gratiæ effectis, certissimè sibi persuadere debet, se esse ex numero prædestinatorum. Confirmatur hæc conclusio. Duo enim sunt, quæ electos reddunt certiores, quòd sint electi ad vitam. Primum est, testimonium Spiritus sancti internum. De hoc Paulus ad Roman. 8. Spiritus autem (scilicet Dei) reddit testimonium Spiritui nostro, quod simus filij Dei, ergo etiā quod prædestinati ad vitam. Et hoc est seu argumentum a priori seu à caussa, quæ est Dei bonitas, & gratia & charitas diffusa in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. Rom.5. Alterum sunt effecta prædestinationis, seu gratiæ: vocatio, iustificatio, bona opera. De iis Petrus 2. Epist. 1. Quapropter magis studete vt per bona opera (sicut habent quidam codices Græci) firmam & certam faciatis vestram vocationem & electionem. Cui facienda est certa vocatio nostra, & electio, per bona opera? Non Deo: Quia certa fuit & est Deo, antequā essemus conditi: sed nobis, & proximo. Discernūtur enim hac nota electi à reprobis: quod illi ambulant, & perpetuò pergere conantur in studio bonorum operum: atque ita pergunt, vt tametsi nonnunquam inter ambulandum labantur, tamen dolentes lapsus suos, mox erecti à Spiritu Dei, surgant, & suum iter continuent, peccato in illis nunquam regnante: quia peccato perpetuò reluctantur, eique nunquam ex animo, obtemperant: de quibus 1.Ioh.3. Omnis qui natus est ex Deo, nō peccat (scilicet ex animo, & ad mortē, seu peccatū regnās) nec potest

peccare, quia semen Dei manet in illo. Isti autem, nempe reprobi, nihil minus curant, quàm vt obtemperent legi Dei, & ambulent in studio bonorum operum. Sunt enim captiui à Satana, ambulant in tenebris, nesciunt quò eant, in ipsorum cordibus regnat peccatum, & ipsi illud tanquam suum regem amant, libenter & ex animo illius cōcupiscentiis, tanquam regiis mandatis, obtemperant, idque semper & vbique, & pro tota sua virili. Proinde illi reprobi, etsi ad tempus aliquando videantur credere in Christum, studere bonis operibus, & ideo esse ex numero electorum: reuera tamen non sunt, nec reuera credunt in Christum, nec reuera amant legem Dei, & perpetuò mentiuntur. De iis prima Ioh.3. Omnis qui peccat (scilicet ex animo) non nouit Deum: hoc est, declarat se nunquam vera in Deum fide fuisse præditū. Videmus igitur, quātum discriminis sit inter electos & reprobos: quod electi, præsertim post regenerationem, perpetuò student legi Dei faciundæ & ambulant in eis operibus, quæ præparauit Deus vt in illis ambulemus: & hac ratione certam reddunt suæ vocationem & electionem: reprobi verò, etsi nonnunquā ad tempus simulent fidem & sanctitatem: intus tamen nūquam verè credunt in Christum, nec amant legem Dei. Faxit Dominus, vt quisque nostrûm ambulet in via electorum, & veræ fidei operibus: vt certum, tum sibi tum aliis, suam reddat electionem, Amen.

De impiorum excæcatione atque induratione: deque eorum æterna ad excæcationē & indurationem, atque adeo ad interitū prædestinatione, quæstiones quinque: ex eiusdem H. Zanchij in Cap. Esaiæ 6. in ea verba: Excæca cor populi huius, prælectionibus desumta.

I.

An Deus ipse aliquos induret, excæcet, tradátque in reprobū sensum: vt faciāt quæ nō cōueniunt, atque ita pereā?

II.

Quosnam excæcet, & induret?

III.

Propter quam caussam aliquem induret & excæcet?

IIII.

Quomodo, seu quibusnam mediis Deus induret & excæcet: num sola permissione aut gratiæ duntaxat, subtractione: an verò externa etiam & interna actione?

V.

Cùm Deus nihil agat, quod non ab æterno prædestinauerit & decreuerit se facturum: an Deus aliquem ad excæcationem, ac proinde ad malum prædestinauerit?

Quæstio I.

QVod ad primum attinet quæstionem, An Deus ipse aliquos induret, excæcet, tradatq. in reprobum sensum, vt faciant ea quæ non conueniunt, & ita pereant: respondeo: Scripturæ simplicissimè id, & disertis verbis tradunt: Exod. 4. Volebat liberare populum suum, multis iam annis sub dura seruitute Ægyptiorum oppressum: volebat inquam liberare, maximis & multis portentis editis, & per omnia secula memorando Ægyptiorum exitio (quémadmodum postea contigit) atque ita tum potentiam suam aduersus hostes, tum erga suum populum beneuolentiam mundo declarare. Ad hoc autem faciendum necesse erat vt Pharao, Domino suum dimitti populum iubenti, resisteret. Resistere verò ita, vt restitit, non poterat nisi cor suapte natura, nimirum corrupta, durum, magis etiam ac magis induraretur. Dominus ergo simplicissimè pronuntiat Mosi, se Pharaonis cor induraturum, dicens, Vide, vt omnia ostenta, quæ posui in manu tua, facias coram Pharaone. At si ipse statim dimittat populum, quorsum opus erit vt faciam portenta? Respondet Dominus, Ego indurabo cor eius, & non dimittet populum. Dominus simplicissimè loquitur cum suis filiis, vt intelligatur. Simplicissimè igitur sentiendum est, Deum indurasse cor Pharaonis, ne dimitteret populum suum, de modo postea dicemus. Exod. 7. idem repetit Dominus, Tu Moses loquêris (scilicet fratri suo Aaroni) quæ mandauero tibi, & frater tuus Aaron loquetur ad Pharaonem, vt dimittat filios Israel de terra sua. At ego indurabo cor Pharaonis, & multiplicabo signa mea, & portenta mea in terra Ægypti, & non audiet vos Pharao, & immittam manum meam in Ægyptum, & cognoscent Ægyptij, quòd ego sum Deus, &c. Exod. 10. Vade ad Pharaonem, Ego induraui cor eius, &c.

Ac capite 8. legimus, Pharaonem, suū ipsius cor aggrauasse. Respondeo. Verum est, quia & culpa, propter quam indurabatur à Deo, hærebat in Pharaone: & Pharao ipse non indurabatur inuitus: sed sciens & volens contra mandatum Dei, cor suum obfirmabat. Interim tamen certum etiam est, Deum tanquam iustum iudicem, primarium fuisse indurationis istius autorem. nam prius dixerat cap. 4. Ego indurabo, & idem vrgetur alibi.

Roman. 9. Deus quos vult indurat, & quorum vult miseretur. Roman. 1. Tradidit illos Deus in reprobum sensum, & in desideria cordis eorum, vt faciant ea quæ non conueniunt. Ita hic locus Esaiæ 6. perspicuus est. Quod enim iubet Prophetam facere, ipse per ministerium Prophetæ fecit. Sic Iohan. 12. exponit dicens, Propterea non poterant credere quia rursus dicit Esaias, Excæcauit (scilicet Dominus) oculos eorum, & indurauit cor eorum, &c. Quanquam Actorum 26. Paulus dicit, Et oculos suos occluserunt (scilicet ipsi Iehudæi) ne quando viderent oculis, &c. Sed hoc modo loquitur Paulus, quia ipsorum malitia in caussa fuit cur excæcarentur, sicut etiam in libro Sapiētiæ: Excæcauit eos malitia eorū, &c. Ideo excæcatio hæc, & induratio non potest verti vitio ipsi Deo, sed ipsis hominibus, propter suam ipsorum contumaciam. Manifestum est igitur, Deum quosdam excæcare & indurare, & in reprobum sensum tradere, inque desideria mala.

Quæstio II.

QVod ad secundam attinet quæstionem, Quosnam induret, excæcet, tradatque in reprobum sensum: Respondeo, Electos nunquam, sed tantum reprobos, nec hos quidem omnes (nempe hoc singulari, de quo loquitur, excæcationis genere) sed tantum insignes quosdam impios & contumaces. Quanquam enim reprobos omnes tandem deserat, nec illuminet, nec eorum corda emolliat, atque ita omnes tandem excæcet & induret ac perdat (omnes enim reprobi tandem excæcantur, & indurantur, vt Rom. 11. patet: Electio consecuta est, cæteri verò excæcati sunt) non de omnibus tamen in vniuersum legitur in Scripturis, quod illos Deus excæcet, induret, in reprobū sensum tradat, vel eis immittat Spiritum erroris & deceptionis, vt credant mendacio: sed de quibusdam tantùm insignibus impiis & contumacibus reprobis, infidelibúsque id tradunt sacræ literæ. Exempla: Vt Pharao, insignis impius, dicitur induratus fuisse à Deo: sic populus ille Iudaicus, præfractus & contumax: vt etiam legitur in Epistola ad Rom. 11. Dedit illis Dominus Spiritum compunctionis. Sic illi sapientes Romæ qui, cum cognouissent Deum non sicut Deum glorificauerunt, sed mutauerunt gloriam eius in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, dicuntur traditi in reprobum sensum. Sic 2. Thess. 2. de illis infidelibus qui veritati prædicatæ & agnitæ noluerunt credere, ait Apostolus, Ideo immittet illis Deus operationem erroris, vt credant mendacio, omnes qui non crediderunt veritati, sed consenserunt iniquitati.

De omnibus autem reprobis ait 2. Corinth. 4. Quòd si etiam opertum est Euangelium nostrum, in iis, qui pereunt, opertum est, in quibus Deus huius seculi (id est, Satan, iussu Dei omnipotentis) excæcauit mentes infideliū. Quāuis igitur omnes reprobi deserantur à Deo, & ita etiā ipsi destituti lumine Spiritus sancti excæcētur, & destituti gratia regenerationis indurentur, & tandem pereant: tamen cùm in Scripturis legimus Deum aliquos indurasse, & excæcasse, de quibusdam insignibus impiis & contumacibus intelligitur: vt illi loci, in quibus hæc leguntur, satis apertè indicant.

Quæstio III.

QVod attinet ad tertiam, Cur Deus istos excæcet & induret: Respondeo, Si caussam finalem requiras, triplex est.

Vna spectat ipsos contumaces, qui excæcantur. Ea est, vt hoc spirituali flagello, quod tandem ad æternam mortem ducit: propter præcedentia peccata, & inprimis propter contumaciam contra Dominum, puniantur. Solet enim Deus peccata peccatis punire. Hæc caussa est manifesta. Rom. 1. & alibi sæpè. Excæcat ergo eos, ne conuertantur, & ita ne sanentur (vt hîc docet Iesaias:) atque ita vt tandem damnentur, & maiores grauiorésque pœnas luant.

Secunda ad ipsos electos pertinet. Ea est, vt exemplo horum impiorum, qui propter contumaciam & alia scelera adeò excæcantur & indurantur, vt non possint amplius

plius resipiscere, & saluari: discant timere Dominum: discant non repugnare, & contumaciter recalcitrare Domino: discant continere se, suósque sensus omnes in verbo Domini, nec ab eo vel ad dextram, vel ad sinistram deflectere: quandoquidem Dominus contumaces, rebelles, quique sine timore Domini in peccatis ambulare pergunt, tandem excæcat, indurat: vt nulla amplius de eis supersit spes salutis. Omnia enim in salutem cedunt electis: ita vt etiam reprobi creati sint propter ipsorum salutem: vt Augustinus tradit Tom. 7. contra Iulianum Pelagianum lib. 5. cap. 8.

Tertia ad ipsum Deum, eiúsque gloriam & iustitiā pertinet: atque hæc est præcipua, & vere finalis caussa. Ea est, vt iustitia & potentia Dei in ipsis impiis hac ratione, id est, excæcatione & induratione toti mundo pateficat, dum contumaces punit. Caussa hæc perspicua est in Pharaonis induratione, Exod. 4. & 7. Ego indurabo cor Pharaonis, & non dimittet populum: & (ita) immittam manum meam in Ægyptum, educámque populum meum de Ægypto iudiciis maximis: & agnoscent Ægyptij, quod ego sum Dominus. Et clariùs Paulus caussam hanc Rom. 9. ex Exod. 9. sumtam, explicat dicens: Dicit enim Scriptura Pharaoni: in hoc ipsum excitaui te, vt ostendam in te potentiam meam, & annuntietur nomen meum in tota terra: id est, in hoc ipsum te finxi, in hoc te in lucem produxi, in regem extuli, hac potestate præditum orbi te exhibui, te excæcaui & indurau, ne dimitteres populum. In quem finem? Vt hac ratione, tot signis & portentis meis editis, & tanta potentia mea populo è manibus tuis erepto, te palàm punirem: & in te, tāquam exemplo per omnia secula memorando, iustitiam & potentiam meam toti orbi manifestarem: efficerémque, vt nomen meum vbique nominaretur. Si ergo caussam finalem quæras, cur Deus excæcet induretque hos contumaces: habes triplicem, vt demonstraui. Si verò quæras, quæ sit caussa cur Deus illos excæcet & induret, non item alios: ea duplex est. Vna in ipsis est hominibus, qui excæcantur & indurantur: ea est peccatum ipsum, atque in primis ipsa hominū aduersus Deum contumacia, pertinacia, rebellio: quia scilicet Deo sæpe vocanti contumaciter resistunt, pergúntque sine timore in peccatis suis ambulare. Peccatis enim & sceleribus impiorum mouetur Deus ad pœnas de ipsis sumendas. Caussa hæc perspicua est Rom. 1. Quia cum cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerūt, &c. Propterea tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam, &c. Item: Et quia commutauerunt veritatem Dei in mendacium, & seruierunt potius creaturæ quam creatori, propterea tradidit illos Deus in passiones ignominiæ. &c. Item, Et sicut non probauerunt Deum habere in notitia, tradidit illos Deus in reprobum sensum. Sic 2 Thess. 2. Eo quòd charitatem (seu dilectionem) veritatis non receperunt, vt salui fierent, ideò immittet illis Deus operationem (id est efficaciam) erroris seu illusionis, vt credant mendacio, vt iudicentur omnes (hoc est, damnentur) qui non crediderunt veritati, sed consenserunt iniquitati. Caussa igitur impulsiua & proxima cur Deus excæcet quos excæcat, in ipsis est hominibus, & est ipsum peccatum, atque in primis (vt dixi) ipsa contra Deum contumacia, pertinacia, rebellio.

Altera caussa in Deo est. Ea verò est, ipsum æternum Dei propositum, seu libera voluntas. Cum enim in omnibus hominibus peccatum inueniatur, imò in multis & contumacia & peruicacia quædā, quos tamē nō excæcat, nec indurat, sed illuminat & emollit, cur quosdam emolliat, alios verò induret, caussa est ipsa Dei voluntas, quia sic Deo placet. Caussa hæc apertissima est in Scripturis. Rom. 9. Ergo quorum vult miseretur, & quos vult indurat. Si enim duo sint ex æquo peccatores & impij & rebelles, quorum tamen vnus ex numero electorum sit, alter vero ex numero reprobatorum, Deus electi miseretur, & cor eius emollit, reprobum verò excæcat & indurat. Caussa cur vterque mereatur indurari, in vtroque æqualis est quo fit, vt qui induratur, iustissimè induretur, quia caussa indurationis in ipso residet. Cur tamen alterum emolliat, & alterum induret? Quia sic Domino placet. An non Dominus est omnium? An non potest misericorditer vnum emollire, & iustè alterum indurare? Qui ergo, vt heri dixi, sentit se emolliri & illuminari, ideóque saluari, supra cœlos mente conscendat, agnoscátque hanc salutem proficisci è gratuita Dei erga se beneuolentia, gratia prædestinatione, & gratias agat Deo patri per Iesum Christum. Qui verò sentit se excæcari, indurari, vel saltem non, sicut alterum, illuminari, descendat in seipsum, & ibi, id est, in seipso inueniat caussam suæ indurationis, suum esse peccatum, suam peruicaciam: eam deploret, detestetur, veniam petat, supplicet se liberari & emolliri, si forte Dominus misereatur. Iam tenemus caussas & finales & impulsiuas, cur Deus, quos excæcat, & indurat, excæcet & induret.

Quæstio IV.

QVod attinet ad quartam quæstionem, quomodo excæcet, induret, tradat in reprobū sensum, & desideria cordis: tametsi quæstio hæc difficilior est explicabo tamen, vt vt potero breuissimè & dilucidè. Primo: Quidam dicunt Deum quos excæcat, excæcare sola permissione. Sic, tradere aliquos in desideria cordis eorum, interpretantur, permittere & derelinquere eos in desideriis suis, quibus antea æstuabant. Et talis fuit expositio Iuliani Pelagiani: vt patet in Augustino, Tom. 7. contra Iulian. Pelag. lib. 5. cap. 3. quam expositionem ibidem etiam Augustinus confutat. Isti putant Deum simpliciter nihil agere in impiis, qui excæcantur: sed tantùm, quod cùm videat aliquem periclitari vt excæcetur, vel induretur, permittat, & quidem dolens, illum suo libero arbitrio: vt si excæcari velit, excæcetur: non secus atque si quis stans in littore, videat in mari nauim periclitari vt submergatur: & dolens de eius submersione, permittat tamen submergi. Sed expositio hæc non congruit. Primo, iis locutionibus, quæ actionem quandam Dei, in iis qui excæcantur, significant, cum dicit Scriptura Deus excæcauit, Deus indurauit, Deus tradidit in desideria cordis eorum. Secundo non congruit dictis Scripturarum, quæ diserte tradunt, Deum operari omnia in omnibus: item, corda omnium in manu esse Dei, & Deum illa flectere quocunque velit. Tertio, si tantùm permissione Dei excæcarentur, id est, quia deseruntur: non hac particulari locutione vterentur Scripturæ, de quibusdam particularibus & insignibus impiis: vt de Pharaone, de quibusdam Iudæis, &c. omnes enim reprobi deseruntur à Deo & permittuntur in suis desideriis. Grauius igitur aliquid indicant hæ locutiones, quàm solam permissionem: quandam nimirum voluntariam Dei actionem in impiis, qua eos excæcat. Fateor in Psal. 80 inueniri talem locutionem: Dimisit eos in desideria cordis sui: sed talis permissio Dei non est inuoluntaria, quia nihil inuito Deo fit, nec sine vlla prorsus actione Dei: quia Deus operatur omnia in omnibus: vult ergo & facit, vt in suis desideriis impij viuant.

Alij intelligunt, Deum excæcare & indurare homines gratiæ suæ subtractione, id est, subtrahendo gratiam & auxilium suum, quo illi indigni erant, & ita sinendo illos ruere præcipites in desideria mala, excæcationem, &c. Fingunt ij Deum ita excæcare & indurare subtractione gratiæ suæ: quemadmodum si nauta, qui suo auxilio, industria & opera nauem regebat, exeat e naui, & subtracta sua opera sinat illam mergi. Sed neque id sufficit ad hoc, vt dicatur Deus excæcare & indurare aliquem ob rationes suprà allatas. Actionem enim quandam indicant hæ locutiones, non autem solam gratiæ subtractionem, reprobis enim atque impiis omnibus tandem subtrahit suam gratiam, nec tamen omnes, sed præcipuos quosdam indurare dicitur.

Melius igitur sentiunt qui dicunt Deum quosdam excæcare & indurare externa quadam sua actione, sed indirectè, quædam illorum oculis & auribus obiiciendo, per quæ illi deberent illuminari, emolliri, à peccatis & desideriis malis retrahi, sed sua ipsorum culpa & vitio, per illa, sibi à Deo oblata, magis excæcantur, indurantur, impingunt, ruunt in illa peiora desideria, flagitia, &c.

Hæc obiecta sunt prædicatio verbi, miracula, Sacramēta, diuitiæ, dignitates, imperia, & alia beneficia, quæ in illos confert Deus, quibus deberent impij potius illuminari, vt cognoscerent Dei bonitatem, & emolliri ad Deum amandū, quàm excæcari. Imò sunt etiam flagella, quibus deberent impij incitari ad agnoscendam Dei iram, itaque caussam, hoc est, suum peccatum, atque ita, ad Deum timendum prouocari atque impelli, sed quia illis abutuntur, per accidens fit, & indirectè, vt iis obiectis, tam beneficiis, quàm flagellis, magis excæcentur & indurentur, sicut heri declarauimus.

Capite exempla in Pharaone, in Iudæis & Pharisæis. Visis miraculis, audiróque sermone Dei per Aaronē ad se facto, Pharao magis induratur, Pharisæi itidem, audita suscitatione Lazari, magis obdurati sunt quàm antea, Vnde colligunt consiliū, dicentes, Quid facimus? Quia hic

homo multa signa facit. Hoc pacto Christus petra scandali illis fuit: sed indirectè, & per accidens. Hoc pacto Apostoli odor erant mortis in mortem, iis qui pereunt: sed ex accidenti. Sicut etiam suauissimum vinum, mortem affert ægroto, sed id vitio ægroti, non autem vini fit. Quia tamen ille ægrotus non moreretur ita cito, nisi vinum illi datum fuisset: dicimus, illum qui dedit vinū bonum ægroto, ægrotum occidisse. Sic, nisi Deus offerret impiis istis miracula, verbum, Sacramenta, & alia beneficia, item, nisi ita durè flagellarentur, non ita indurarentur & excæcarentur. Sic etiam Christus ait de Iudæis: Si non venissem, & locutus eis non fuissem, peccatum non haberent. Ideo dum hæc illis obiicit Deus, & illi iis, suo ipsorum vitio, excæcantur: dicitur Deus illos indurare. Sensus hic verus est. Et huc pertinet illud Ieremiæ 6. ver. 21. Ecce ego ponō (ait Dominus) populo illi offendicula, & offendent in ea patres & filij simul: vicinus & socius eius peribunt. Sed neque hoc sufficit, meo iudicio. Requiritur enim adhuc interna actio Dei in corde impij: quia omniū corda sunt in manu eius, & ipse ea flectit quocunque vult, ait Scriptura.

Quarta itaque, veriórque sententia est, quandam Dei actionem requiri, qua agat in corde impij: quia externa obiecta, ad illum indurandum non sufficiunt. Patet hoc primò in excæcatione & induratione Pharaonis, Exod. 7. & 9. in hac excæcatione & induratione Pharaonis tria video concurrisse: Prædicationem verbi per Aaronem: Miracula quæ per Mosen edebantur: & Actionem Dei internam, qua cor illius indurabat. Sic enim Deus hæc tria distribuit. Mosi dat vim edendi miracula: Aaroni virtutem loquendi: sibi reseruat vim indurandi. ait enim: Ego vero indurabo cor Pharaonis.

Deinde. Exod. 14. locus est perspicuus: Iubet Dominus, vt populus iam ex Ægypto egressus, iter suum conuertat Phihahiroth, seu ante fauces Hairothæ. Quare? Hoc consilio, vt Pharao arbitratus Israelitas regionum ignaros hærere, & syluis conclusos teneri, Domino ipsius cor indurante, Israelitas persequeretur: & ita à Domino ipse in nassam traheretur deceptus, & in eo, eiúsque exercitu perdito, Deus glorificaretur. Hic apertè ait Dominus: Et indurabo cor eius, & persequetur vos. Indicat hic Dominus se interna actione cor Pharaonis indurasse: immisit enim in cor eius opinionem, qua deceptus putauit populum syluis conclusum, facilè posse capi. Adde, quod Deut. 28. vbi describuntur maledictiones, quas prædicit venturas super eos, qui legem Domini non audiunt: inter alias hanc recenset Moses: Dominus percutiet eos amentia, cæcitate, Spiritu vertiginis, &c. Indicat hic locus, Dominum rebelles & contumaces solere interna sua actione, sed ineffabili, excæcare, amentes reddere, Spiritu vertiginis agitare. Huc illud Ier. 13. v. 12. loquens enim de populo hoc Iudaico, quod cum Dominus esset Spiritu vertiginis & infatuationis agitaturus: Spiritum vertiginis vino & siceræ comparat: populum vero lagenæ, quæ vino & sicera impleatur: Dominus autem est, qui implet lagenam hāc vino hoc. Omnis lagena, inquit, implebitur vino & sicera, docet autem, Dominum interna actione, impios rebelles Spiritu vertiginis agitare: vt ceu ebrij qui sui compotes non sunt stulta agant. Pertinet huc & illud Prou. 21. Cor. regis, in manu Domini, & quocūque voluerit flectet illud, manifestè docet his verbis omnium corda in manu esse Domini, & Dominum ea vertere quocunque vult. Quomodo? interna sua, sed iusta actione. Hac de re legatur Augustinus Tom. 7. lib. de Gratia & libero arbitrio, cap. 20. & 21. ibi permultis autoritatibus & exemplis Scripturarum ostendit, Deum omnium hominum voluntates & corda, interna sua, sed ineffabili actione flectere quocunque vult. Idem docet de Prædestinatione sanctorum lib. 1. cap. 10. Agit Deus (inquit) quod vult in cordibus hominum, vel adiuuando, vel iudicando: vt per ea impleatur quod manus eius & consilium prædestinauit fieri. Legito reliqua. Item, in eodem Tom. 7. lib. 5. contra Iulianum Pelagianum, cap. 3. col. 1067. & deinceps. Iulianus Pelagianus contendebat, hæc dicta Scripturarum (nempe Deum excæcare, indurare, tradere in desideria cordis, & in passiones ignominiæ) sic esse intelligenda: quod Deus hæc faceret in impiis, illos deserendo, & per patientiam permittendo illos excæcari, & in desideria varia tradi, id est, in desideriis, quibus antea æstuabant, relinquendo, negabat autem Deum per potentiam suam illos in hæc talia facta & scelera tradere, vnde & hæc verba Iuliani recitat Augustinus colum. 1067. Quomodo igitur (dicebat Iulianus) per potentiam tradentis Dei putandi sunt in talia facta cecidisse? Contra quam Iuliani sententiam scribit Augustinus, & in summa concludit, Deum hæc operari in impiis, non per patientiam tantùm, & permissionem: sed per potentiam suam, illos in hæc peccata, cæcitatem, & alia impellendo, non tamen inuitos, aut coactos. quamquam miris & ineffabilibus id modis faciat. Vnde colum. 1069. sic contra Iulianum ait: Quid est autem quod dicis, Cum desideriis suis tradi dicuntur, relicti per patientiam intelligendi sunt, non per potentiam in peccata compulsi? Quasi non simul potuerit hæc duo idem Apostolus, & potentiam & patientiam, vbi ait, Si autem Deus volens ostēdere iram, & demonstrare potentiam suam, pertulit in multa patientia vasa iræ? Quid horum tamen dices esse, quod scriptum est, Et Propheta si errauerit, & locutus fuerit, ego Dominus seduxi Prophetam illum, & extendam manum meam in illum, & exterminabo eū de medio populi mei Israel. patientia est, an potentia?

Item eadem colum. 1069 prope finem, contra eos, qui iactant, permittere Deum fieri mala, quasi nolens permittat, ait, Deum permittere mala, sed volentem permittere: eò tamen non peccare Deum, licet possit eos impedire, id quod nobis certè contingere non potest. Nos certè (inquit Augustinus) si eos, in quos nobis potestas est, ante oculos nostros perpetrare scelera permittamus, rei cum ipsis erimus. Quàm verò innumerabilia ille (Deus) permittit fieri ante oculos suos, quæ vtique, si noluisset, nulla ratione permitteret, & tamen iustus & bonus est. Item col. 1071. contra sententiam Iuliani ait, Quis vero ita desipiat, vt cum audierit, quod in Psal. canitur, Ne tradas me Domine, à desiderio meo, peccatori, hoc dicat orasse hominem, ne Deus sit patiens erga illum, si Deus non tradit vt mala fiant, nisi patientem bonitatem præbendo eis? &c. Quid est autem, quod quotidie dicimus, Ne nos inferas in tentationem, nisi, vt non tradamur concupiscentiis nostris? Hæc ille. Sed notandum, hanc Dei actionem, qua dicimus eum excæcare & indurare reprobos, bifariam considerari posse, Primò immediatè, quatenus scilicet Deus immediatè, sine interno alterius ministerio, excæcare & indurare prædicatur in Scripturis, vt cum dicunt, Deus indurauit cor Pharaonis, immittit enim in illorum corda, cogitationes per se bonas, sicut & oculis bona obiicit obiecta, sed quibus illi abutentes, magis ac magis obdurantur, vt paulo antè dixi de Pharaone. Secundo mediatè, quatenus scilicet Deus per ministerium Satanæ, sui carnificis, excæcare & indurare dicitur, vt 2. Cor. 4. In quibus (scilicet pereuntibus & reprobis) Deus huius seculi (id est, Satan, qui etiam dicitur princeps huius mundi. in Euangelio Iohannis) excæcauit mentes infidelium. Sæpenumero enim Deus, volens impium aliquem punire, tradit illum in manus Satanæ, carnificis diuinæ iustitiæ, vt ipse eum excæcet, induret, in praua desideria tradat, in passiones ignominiæ, ipse autem carnifex Satan diligenter suum facit officium. Hoc est, quod ait Paulus, Deus seculi, id est, Satan, excæcat mentes infidelium. Quanquam nonnulli etiam ex Patribus locum hunc sic exposuerunt. Deus, scilicet verus, excæcauit mentes infidelium. Iren. lib. 3. cap. 7.

Dubitandum igitur non est, Deum quosdam, (id est, reprobos, & in primis verbi Dei contemptores) excæcare, indurare, & in desideria cordis & praua flagitia tradere, idque non tantum permittendo (quæ permissio semper est voluntaria) nec tantùm gratiam subtrahendo, nec tantùm externa offendicula, in quæ impingant, reprobis obiiciendo, sed etiam interna quadam particulari, sed ineffabili actione, eaque vel immediatè per se, vel mediatè per ministerium Satanæ, eos in cæcitatem, obdurationem & praua desideria impellendo, sed non cogendo. Neque ob id tamen Deum esse, vel dici posse peccati autorem vel caussam, quia semper iustus est & nihil agit iniustè, neque iniustitiam cuipiam indit, instillatve. At hic multum obstrepit prudentia carnis, multáque habet quæ obiiciat. Si hæc ita se habeant (inquit humana prudentia.) Quomodo ergo Deus iubet, ideóque vult, vt homo vitet peccata, non mœchetur, non furetur, sed potius vt resipiscat, sic enim iubet, Non mœchaberis, non occides, pœnitentiam agite, conuertimini ad me, si ipse est qui excæcat, indurat, ne conuertantur, ne resipiscant, & tradit in varia desideria, in passiones ignominiæ, vt faciant quæ non conueniunt? An non hoc est illudere hominibus? Sic certe iudicat prudentia carnis.

Hæc & alia multa obiicit, ad quæ singula si respondere velim, nimis prolixus fuero. Itaque rogo legatis obiecta

recta hæc prudentiæ carnis, & quid ad hæc etiam responderi debeat, in Comment. Buceri super cap.9. Epistolæ ad Rom. in conciliatione harum sententiarũ: Deus quos vult indurat, & Deus vult omnes homines saluos fieri: & quæ cum vtrisque consonant. Summa responsionis ad hæc omnia, est: In iis Dei iudiciis, quæ sunt abyssus multa, nō esse audiendam prudentiam carnis nostræ: sed simpliciter sequendum Dei verbum, quod apertè tradit, Deum omnibus præcipere vt credant, vt vitent peccata, vt resipiscant, atque hoc esse officium nostrum. Eundem tamen etiam Deum quosdam excæcare ne credant, indurare ne resipiscant, tradere in desideria cordis, vt faciant quæ non debent: atque hoc esse iudicium Dei iustissimum: & licet nobis occultum, adorandum tamen. In iis igitur iudiciis non esse audiendam carnem. Si enim rationi humanæ de omnium iudice Deo iudicare semel permittas: semper illa habebit quod in iudiciis Dei criminetur. Sunt multa quæ Deus vult vt adoremus & suspiciamus: non autem vult vt cognoscamus & videamus. Mysteria diuina, quæ erant in Sancto sanctorum, volebat Deus ab omnibus adorari & suspici: non autem videri aut conijectari: sed contentos omnes esse debere iis, quæ tum audiebantur, tum cernebantur in altero atrio, quod Sanctum vocabatur. Debemus igitur contenti esse iis, quæ audimus & cernimus in Ecclesia, verbo scil. eet reuelato, & Sacramentis: quæ autem latent in Sancto sanctorum, hoc est, in cœlo, & in pectore Dei, inuestiganda nobis non sunt: sed tantum suspicienda, atque adoranda.

Idem docent etiam Patres. Tertullianus contra Marcionem lib.2. pag.181. de eadem materia loquens: Stultissimi (ait) qui de humanis diuina præiudicant. Ad vnam tantum obiectionem (quoniam magni est momenti, multique docti & pij eam subinde vrgent contra hanc, quam explicauimus, doctrinam) respondebo. Quomodo (inquiunt) cohærere hæc possunt: Deum tradere homines in desideria cordis, vt faciant quæ non decent, & excæcari & indurare ne possint credere: ne possint resipiscere, & tamen Deum non esse autorem peccati?

Respondeo. Supra etiam alio modo ostendi, non esse Deum caussam, & autorem peccati, quia caussa peccati in hominibus ipsis residet, non in Deo, apud quem nulla est iniquitas. Ea est corruptio naturæ, seu praua concupiscētia, seu voluntas deprauata, & peccatum originis. Hæc autem corruptio ex Deo non est, qui naturam integram & bonam fecit, sed tum ex diabolo est, qui primos parentes seduxit, tum ex libero Adami arbitrio, qui cum posset non peccare, liberè tamen peccare voluit. Hæc ratio optima est, ad ostendendum, Deum non esse autorem peccati. Sed iam addamus aliam declarationem, ad præsentis obiectionis solutionem.

Notandum itaque est, cæcitatem, obdurationem, in desideria mala impulsionem, & alia similia multa, trifariam considerari posse: quatenus peccata sunt, quatenus sunt pœnæ præcedentium peccatorum, & quatenus sunt caussæ aliorum sequentium peccatorum. Hæc enim sunt, & peccata, & pœnæ peccatorum, & caussæ peccatorum, vt Augustinus fusè docet Tom.7. contra Iul. Pelag. lib.5. cap. 3. vbi & particularem huius excæcationis Iudaici populi mentionem faciens, quam hic prædixit Iesaias, ait col. 1066. Sicut cæcitas cordis, quam solus remouet illuminator Deus, & peccatũ est, quo in Deũ nō creditur, & pœna peccati est, qua cor superbũ digna animaduersione punitur: & caussa peccati est, cum mali aliquid, cæci cordis errore committitur: ita & concupiscentia carnis, aduersus quam bonus concupiscit Spiritus, & peccatum est, quia inest illi inobedientia contra dominatum mentis, & pœna peccati est, quia reddita est meritis inobedientis, & caussa peccati est, defectione consentientis, vel contagione nascentis. Cum igitur cæcitas, induratio, & id genus alia, considerari possint trifariam, primo vt peccata, deinde vt pœnæ peccati, tertio vt caussæ peccati, ad dubitationem sic respondemus, Deũ non illa cuiquam infligere quatenus peccata sunt, nec quatenus caussæ sunt aliorum peccatorum, sed tantum, quatenus sunt pœnæ præcedentis peccati, iis enim ceu pœnis & flagellis punit præcedentia peccata, id quod facere, iusti iudicis, non autem autoris peccati opus est. Quis enim accusare potest Deum, quod puniat peccata quibus velit flagellis, & pœnis? Ita fit, vt cum Deus aliquem excæcat, indurat, tradit in reprobum sensum, in desideria, in passiones ignominiæ nullo pacto accusari possit vt autor peccati, sed potius laudãdus sic vt iustus iudex. Ratio. Quia non hæc infligit cuipiã, vti peccata sunt, aut caussæ peccatorum, sed tãtum, quatenus sunt pœnæ peccatorum. Sic etiam Tertull. contra Marcionem lib.2. pag 180. excæcationem Pharaonis ait inflictam ei fuisse, quatenus pœna erat peccati. Quod vero postea consequatur, vt cæcitas hæc & obduratio, sit in homine & peccatum, & peccati caussa: hoc non est à Deo, neque hoc spectat proprie Deus. Hoc tantum spectat Deus, vt præcedentia peccata iis spiritualibus flagellis puniantur, quia nullum flagellorum genus grauius, atrocius & acerbius isto reperiri potest. Deus ergo autor est omnis pœnæ peccati, quæcunque illa sit: quia omnis pœna peccati, qua pœna est, bona est, quia iusta est. Tertull. contra Marcion. lib.2. pag.180. Non est (inquit) autor Deus peccati: quia peccatum, qua peccatum, malum est, & iniustum: Deus autem iustus, iniusti autor esse non potest. Similibus rem illustro.

Simile primum. Pharmacum aliquod vehemens, vt (verbi gratia) quod conficitur ex agarico, diagredi, & aliis fortibus medicamentis, ad malos crudissimósque humores expellendos accommodatus: (solent enim medici etiam venenis venena expellere) nunquam ferè humores malos expellit, quin etiam bonos magna ex parte cum malis extrudat: nec prodest corpori, quin etiam aliqua ex parte noceat. Hoc pharmacum & bonum est, & malum: bonum, qua malos humores pellit: malum, qua etiam bonos extrudit. Medicus qui pharmacum ægroto præscribit, in quem finem dat? In hunc tantum, vt malis humoribus purgatis, ægrotum sanet: nullo autem modo dat, vt bonos expellat. Si ergo ad illud bonum, hoc est, ad expulsionem malorum humorum, consequatur etiam hoc malum, vt boni simul pellantur: nunquid accusari potest medicus, quasi autor mali, quod illud bonum consecutum est? Minime: quia illud pharmacũ non dedit, qua malũ est & lædit: sed qua bonum est & prodest. Cæterum cùm voluerit medicus hoc vti pharmaco, vt re aptissima, & omnium accommodatissima ad curandum ægrotum, necessario cōsecutum est, vt etiam aliqua ex parte fuerit ægroto incōmodum. Ita cum Deus pro suo optimo iudicio aliquem hoc flagellorum genere, tanquam optimo, & diuinæ iustitiæ cōmodissimo, punire vult, consequitur quidem necessario, vt tale flagellum, in eo qui punitur, sit peccatum, & caussa peccati: sed accusari non potest Deus, vt caussa & autor talis peccati: cum illius autor tantum fuerit, quatenus pœna est peccati.

Simile secundum, à lege. Lex, quæ data fuerat ad cohibenda peccata, auxit peccatum: vt est Rom.7. id quod futurum præuiderat Deus. Nunquid igitur dicetur Deus, quia legem dedit, autor fuisse vt augeretur peccatum? Minime. Quare? Quia non in hunc finem dedit legem, sed in longe alium: nempe vt peccatum cognosceretur, & cohiberetur. Consecutum verò est vitio carnis nostræ, vt per legem auctum fuerit peccatum. Ita etsi cæcitas, induratio, &c. quibus Deus peccata punit, in homine impio peccata sint, & caussa peccati: Deus tamen huius peccati autor dici non potest: quia non eis vtitur, quatenus peccata, sed tantum quatenus pœnæ sunt peccatorum.

Simile tertium: Concupiscentia in homine inhabitans, & contra Spiritum pugnans, an non in homine relicta est vt pœna peccati, idque iusto Dei iudicio? Maximè. Et tamen ob id nemo dicit, Deum esse autorem peccati: cum ipsa concupiscentia sit peccatum, & caussa peccati. Quid ita? Quia non est à Deo, qua peccatum est: sed quatenus pœna peccati. Ita & de excæcatione dicendum est.

Hoc igitur firmum teneamus: Deum autorem esse omnis boni, minimè vero mali: id est, peccati, quatenus peccatum est. Hæc est definitio Dei, hoc tradunt Sacræ literæ: Psal.5. Deus non volens iniquitatem tu es: qua scilicet iniquitas est. Patres omnes idem confitentur, vnde Clemens Alexandrinus in Stromat. lib. 4. pag. 149. D. citata sententia ex lib. Regum, quæ ait, absurda non faciet omnipotens: Quid ad hanc (inquit Clemens) vocem adhuc dicunt hæreses, cùm omnipotentem bonum Deum prædicet Scriptura, vitij & iniustitiæ minimè esse autorem? Item lib.4. pag.184. D. Eius qui elegerit (scilicet malum culpæ) non potest in Deum caussa conferri. Deus enim nunquam est caussa malorum. O Troiani bellicosi (inquit Lycicus:) Iupiter regnator superum, qui omnia aspicit, non est mortalibus caussa malorum.

Sed cum hoc tamen ne negemus (id quod apertum est in S. literis, & Patres ipsi confirmant) Deum quosdam excæcare, indurare, in hunc finem, ne conuertantur, sed pereant. Si caro obstrepat: obturemus illi os, illo Pauli, O homo tu quis es? &c.

Quæstio V.

QVod attinet ad quintam quæstionem: An Deus, qui in tempore excæcat, ad excæcationem ab æterno prædestinauerit: Responsio facilis est ex iis, quæ diximus. Quia nihil in tempore agit Deus, quod ab æterno non præcognouerit, & decreuerit se facturum: ideo cùm manifestum sit, Deum quosdam excæcare: consequitur necessariò, eosdem etiam ad excæcationem prædestinasse. Sed hic in memoriam reuocanda est distinctio superiùs ex Augustino allata: Excæcationem considerari posse, tũ quà pœna est præcedentis peccati: tum quà peccatum est, & caussa peccati. Suprà dictum est autem, Deum non infligere cuipiam simpliciter excæcationem, quà peccatum est, & caussa peccati: quia Deus non delectatur peccato, nec est autor peccati: sed tantùm qua pœna est præcedentis peccati, quia iusta est: & quia iusta, ideo bona: & quia bona, ideo à Deo. Ergo manifestum est, neminem prædestinari ad excæcationem, quà peccatum est, sed tantum quà pœna peccati est.

Huc pertinet quæstio illa, quà etiam Scholastici cum Patribus quærunt: An Deus quempiam prædestinauerit ad malum? Distinctio talis de malo affertur ab omnibus, ab ipso etiam Tertulliano lib. 2. contra Marc. pag. 180. respondens ad illud, Ego creans malum, ait, malum esse duplex: malum pœnæ, & malum culpæ. Malum culpæ, peccatum ipsum est, qua peccatum Deo displicens, & cum Dei lege pugnans. Malum pœnæ, est omnis peccati pœna, quæcunque illa sit. Sunt autem hæ pœnæ duplicis generis: Quædam sunt tantùm pœnæ & supplicia peccatorũ: quarũ aliæ sunt ęternæ, vt in inferno: aliæ temporales, vt in hoc seculo. Aliæ vero sunt ita pœnæ peccatorũ, vt sint peccata, caussæque peccatorum. Cùm hæc ita se habeant, iuxta hanc mali distinctionem, ad quęstionem variè respondetur iis conclusionibus.

Prima. Deus neminem prædestinauit ad malum culpę, quatenus culpa est peccatum, pugnans contra Dominum. Etenim Deus non est autor peccati, qua peccatum est, & malum pugnans cum lege Dei. est enim autor tantùm bonorum: quando etiam mala, quæ sunt pœnæ, bona sunt. Huc spectant sententiæ Patrum, cùm tradunt, Deum neminem ad peccatum prædestinasse.

Iustinus Martyr in Dialogo cum Tryphone, pag. 143. Cæterùm Deum non esse in caussa, vt prædestinati sint iniusti, siue angeli, siue homines, sed sua quemque culpa talem esse, qualis apparebit, iam ante docui. Hæc D. Iustinus.

Fulgentius libro primo ad Monimum, pagina 8. vtitur hoc argumento: Peccatum, qua scilicet peccatum est, non est opus Dei, nec connumeratur inter opera Dei, quæ omnia valde bona sunt. Ergo illud non prædestinauit Deus. Concludit in summa, malos non ad culpam, sed ad pœnam prædestinatos fuisse. Idem pulcrè explicat pag. 22. demonstrans peccatum non esse ex Deo, sed ex Diabolo: quia omnis peccati initium est superbia illa, qua Diabolus aduersus Deum elatus fuit.

II. Cæterùm, peccatum consideratum etiam vt peccatum, quatenus ad gloriam Dei illustrandam, non suapte natura, sed bonitate Dei, facit, eatenus peccatum, & malum culpæ præordinatum est à Deo. Exempla: Prędestinatus fuit Iudas ad prodendum Christum, id est, ad faciendum id, quod in ipso futurum erat peccatum, & hoc voluit Deus, non simpliciter, sed quatenus ex hoc peccato Deus ipse erat magnum bonum collecturus, salutem scilicet humani generis, & illustrationem gloriæ suæ. Herodes item & Pilatus prædestinati ad condemnãdum Christum fuerunt, sic enim aiunt Apostoli, Actor. 4. Conuenerunt verè in ciuitate ista, aduersus sanctum puerum tuum Iesum, quem vnxisti, Herodes & Pontius Pilatus, cum Gẽtibus & populis Israel, ad faciendum quæcunque manus tua & consilium tuum prius decreuerat vt fierent. Etenim, an non Deus præsciuit, quid essent isti facturi? Vtique. Quare autem præsciuit, nisi quia ita ordinauit? nihil enim propriè futurum præscit, nisi quod ipse velit & ordinauit. Sicut enim ad suam sapientiam pertinet, omnia præscire: ita ad eius omnipotentiam, omnia manu sua & arbitrio moderari, & dispensare, &c. Lapsi ergo homines omnes, atque in primis Adam: quia ita expedire censuerat Deus: ac proinde tandem illos volens permisit peccare. Cauendum est enim ne quidpiam inuito Deo euenisse dicamus. Legantur ij loci in Augustino, Tom. 5. de Ciuitate Dei, lib. 14 cap. 11. Sed quia Deus, inquit, cuncta præsciuit, & ideo hominem quoque peccaturum ignorare non potuit: secundum id quod præsciuit atque disposuit, ciuitatem sanctam debemus asserere: non, secundùm illud, quod in nostram cognitionem peruenire non potuit, quia in Dei dispositione non fuit, nec enim homo peccato suo diuinum potuit perturbare consilium, quasi Deum, quod statuerat, mutare compulerit, cum Deus præsciendo vtrunque pręuenerit, id est, & homo, quem bonum ipse creauit, quem malus esset futurus, & quid boni etiam sic de illo esset ipse facturus, &c.

Item eodem libro cap. 26. col. 800. litera A. Veruntamẽ omnipotenti Deo summo, ac summè bono creatori omniũ naturarum, voluntatum autem bonarum adiutori ac remuneratori, malarum autem relictori & damnatori, vtrarumque ordinatori, non defuit vtique consilium, quo certum numerum ciuium, sua sapientia prædestinatorum, etiam ex damnato genere humano suæ ciuitatis impleret: non eos iam meritis (quandoquidem vniuersa massa tanquam in vitiata radice damnata est) sed gratia discernens, & liberatis non solum de seipsis, verum etiam de nõ liberatis, quid eis largiatur, ostendens. Non enim debita, sed gratuita bonitate tunc se quisque agnoscit erutum à malis, cum ab eorũ hominũ consortio fit immunis, cum quibus illi iusta esset pœna communis. Cur ergo non crearet Deus, quos peccaturos esse præsciuit, quandoquidem in eis, & ex eis, & quid eorum culpa mereretur, & quid sua gratia donaretur, posset ostendere, nec sub illo creatore ac dispositore peruersa inordinatio delinquentium, rectum peruerteret ordinem rerum? Item ibidem cap. 27. Proinde peccatores, inquit, & angeli & homines, nihil agunt, quo impediantur magna opera Domini exquisita in omnes voluntates eius. Item paulo pòst, sub finem capitis, Cum igitur huius futuri casus humani Deus non esset ignarus, cur eum non sineret immundi angeli malignitate tentari? Nullo modo quidem quod vinceretur, incertus, sed nihilo minùs præscius, quod ab eius semine, adiuto sua gratia, idem ipse diabolus fuerat sanctorum gloria maiore vincendus. Ita factum est, vt nec Deum aliquid futurorum lateret, nec præsciendo quenquam peccare compelleret, & quid interesset inter propriam cuiusque pręsumtionem, & suam tuitionem, angelicæ, & humanæ rationali creaturæ, consequenti experiẽtia demonstraret. Quis enim audeat credere, aut dicere, vt neque angelus neque homo caderet, in Dei potestate non fuisse? Sed hoc eorum potestati maluit non auferre atque ita, quantum mali eorum superbia, & quantũ boni sua gratia valeret, ostendere. Item Tom. 7. de Corrept. & Gratia, cap. 9. colum. 1339. Quippe saluberrimè cõfitemur, quod rectissimè credimus, Deum, Dominùmque rerum omnium, qui creauit omnia bona valde, & mala ex bonis oritura præsciuit, & sciuit magis ad suam omnipotentissimam bonitatem pertinere, etiam de malis bene facere, quàm mala esse non sinere, sic ordinasse angelorum & hominum vitam, vt in ea prius ostenderet, quid posset eorum liberum arbitrium, deinde, quid posse suæ gratiæ beneficium, iustitiæque iudicium.

III. Tertia conclusio, Deus quosdam ab æterno prædestinauit ad malum pœnæ, quod tantùm est pœna peccati, & non peccatum, siue hæc pœna sit temporalis tantum, siue æterna. Conclusio perspicua est, de temporalibus Quosdam enim in hoc seculo temporalibus pœnis punit, vt fame, peste, gladio. &c. Ergo ad has eos prædestinauit. De æternis patet. Quibusdam enim dicet, Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & angelis eius. Nec tamen iniustus est quia omnis peccati pœna iusta est. Deus ergo ad eam quempiam prædestinans, iustus est, & iustè agit.

IV. Quarta conclusio, Deum quosdam prædestinauit ad pœnas peccati, quæ etiam peccata sunt. & caussæ peccatorum, vt sunt, excæcatio, & induratio, non qua peccata sunt, aut caussæ peccatorum, sed tantùm qua pœnæ sunt peccatorum. Patet de Pharaone, Exod, 9. quod etiam ad Rom. 9. citatur, In hoc ipsum excitaui te, id est, prædestinaui, finxi, &c. Act. 4. Pilatus & Herodes prædestinati dicuntur ad condemnandum Christum Condemnare Christum fuit peccatum, & caussa peccati, quia inde in alia peccata prolapsi, & pœna peccati, id est, infidelitatis in Christum, ad hanc ergo, vt pœnam prædestinati fuerunt. Eandem doctrinam tradit Augustinus multis in locis. Nec tamen iniustus est Deus, quia ad hanc prædestinauit, vt ad pœnam peccati, non vt ad peccatum. Omnis autem pœna peccati iusta est, quæcunque illa sit. Et ideò Tertullianus lib 2. contra Marcionem pag, 180. post allatã mali diuisionem in malum culpæ & pœnæ, sub quo malo

pœnæ

pœnæ collocat, & Pharaonis excæcationem & indurationem, ait: Malorum quidem peccati & culpæ autorem (scilicet primum) diabolum: malorum verò supplicij & pœnæ, Deum creatorem esse: vt illa pars malitiæ deputetur, illa iustitiæ, mala condenti iudicia aduersus mala delicta. De iis ergo creator profitetur malis, quæ congruunt iudicijs: quæ quidem illis mala sunt, quibus rependuntur: cæterùm suo nomine bona, quæ iusta sunt, &c.

Conclusio hæc, præter alios, est etiam Buceri in multis locis: sed speciatim in Com. in 8. cap. ad Rom. in quæstione de prædestinatione. pag. 358. facit enim triplicem prædestinationem: Vnam, rerū omniū in genere: & hæc nihil aliud est (vt ipse tradit doctissime) quàm cuiusque rei in suum finem deputatio. Alteram, sanctorum: & hæc est æterna quorundā certorum hominum e reliquis hominibus electio, atque ad vitam æternam, ideóque ad ea quæ ad vitam æternam habendam faciunt, designatio & deputatio. Tertiam, reprobatorum: atque hæc est quorundam etiam certorum hominum ad mortem æternam, ideóque ad excæcationem & indurationem, aliaque mala, iusta, licet nobis occulta destinatio, idque in finem hūc præcipuum, vt in iis gloria & iustitia Dei appareat.

Duplex enim finis, cur Deus quosdam excæcet, & ad excæcationem prædestinauerit: proximus & vltimus. Proximus est, vt in ipsis, qui excæcantur & pereunt, peccata puniantur: & ideo Rom. 9. Vasa iræ aptata in interitum, vocantur. Finis autem vltimus, est gloria Dei id est, vt in iis vasis iræ, iustitia Dei contra peccatum manifestata, ipse vt iustus glorificetur. Prouerb. 16. Fecit Dominus omnia propter semetipsum, etiam impium ad diem malum. Rom. 9. In hoc ipsum excitaui te, vt ostendam in te potentiam meam. Accedit iis tertius finis, qui est salus electorum. Rom. 9. & 11.

Illud vero notandum est & memoria retinendum, cum dicimus Deum aliquem excæcare, indurare, &c. non ita intelligendum esse, quasi Deus aliquem ex illuminato & vidente cæcum faciat: ex molli & flexili ad obedientiam Dei, durum reddat: denique, ex bono in malum conuertat. Absit vt hoc cogitemus. nemo enim fit Deo autore malus. Sed cum omnes reperiat malos, cæcos, duros: quosdam pro sua bonitate & misericordia illuminat, mollit, bonos facit: quosdam vero pro sua iustitia & iusto iudicio, nō solùm in suis tenebris, duritie & peccatis deserit: sed etiam vt peccata peccatis puniat, eos magis excæcat, indurátque: idque eo modo, quo superius declarauimus.

Quare cum ait, *Excæca cor* &c. non ita intelligendum est, quasi iubeat Prophetam, vt populum hunc de vidente cæcum, de audiente surdum, de intelligente & fideli infidelem, de molli durū & obstinatum reddat: absit. Sed indicat primo, qualis sit populus: nempe cæcus, surdus, durus, præfractus, cōtumax: & secundo, qualis sit ad Prophetæ prædicationem futurus, scilicet cæcior, surdior, præfractior, contumacior: ita volente & ordinante iusto iudice Deo, in pœnam præcedētis contumaciæ & obstinationis: seu Deo hoc spirituali pœnarum genere populum, propter præcedentem contumaciam, puniente. Iubet ergo vt prædicet: prædicit autem, quem exitum habitura sit ipsius prædicatio, maiorem scilicet populi excæcationem & indurationem, Deo ita populum castigante. Proinde ex hoc loco discimus, iustissimum esse, vt, qui sua propria malitia sibi ipsis oculos claudunt ne videant: aures obturant, ne audiant: & cor obdurant, ne intelligant & pereant, & ita non conuertantur & sanentur: iustissimum inquam esse, vt ij in eiusmodi oculorum excæcatione, aurium obturatione, cordis obduratione, magis & magis obfirmentur: donec impleta malitiæ & impietatis mensura, extremo tandem exitio perdantur. Hæc sunt iustissima Dei iudicia, nobis etiam certè pertimescenda. Quæ enim hic prædixit Iesaias, non solùm suo & Christi tēpore impleta fuerunt, sed etiam nunc implentur: nec ad Iudæos tantum, sed etiam ad nos pertinent. Verbū Dei syncere prædicatur, Sacramenta purè administrantur in Ecclesia, multa Dei iudicia contra impios quotidie spectatur: sed quid? Multi oculos sibi malitia claudunt, ne videant: aures obturant, ne audiant: cor indurant, ne intelligant, ne conuertantur & sanentur. Quid igitur? Metuendum, ne iusto Dei iudicio fiat, vt quo plura vident & audiunt, eo magis excæcentur & indurentur: donec, impleta impietatis mensura, extremo tandem exitio perdantur. Loquor de Germanis: loquor de iis, qui Euangelicos sese appellant: loquor de nobis ipsis.

De Redemtione Ecclesiæ, certitudinéque salutis nostræ: In illud vaticiniū Iesaiæ, cap. 9. Populus, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam, &c. quòd scilicet quisque tenetur credere, se esse ex electorum numero: & quibus rationibus sese in hac fiducia confirmare possit, & stabilire.

HActenus interpretati sumus præsens hoc vaticiniū, quantum ad historiæ, quæ tempore Iesaiæ in illa Hierosolymitana Ecclesia contigit, veritatem attinebat, nempe non futurā Hierosolymitanam calamitatem ab Assur infligendam, talē, qualis fuit Israelitica ab eodē Assur inflicta: sed omnino lucem Iudæis affulsuram, id est, vrbē ab obsidione & tyrānide Assur idque propter Christum, fauore & zelo Patris liberandam. Nunc idem vaticinium iterum diligentius est nobis excutiendū, quatenus pertinet ad veram Hierosolymam, id est, Ecclesiam Christi: quæ non solùm ex Iudęis, sed etiam ex gentibus collecta est. Non enim Propheta, cum hæc vaticinaretur, respiciebat in illam duntaxat terrenam Hierosolymam, & carnalem populum, & externum regnum Dauidis, sed longius, & vltra hoc carnale, in ipsū spirituale Christi regnum oculos suos intendebat, ideoque non semel tantū, sed iterum & sæpius impletum est, ac impletur quotidie vaticinium hoc. Huc facit quod Matthæi 4. partem huius vaticinij impletam suo etiam tempore ostendit, versu 13, 14. 15. 16. cùm ait, Cùm audisset Iesus Iohannem traditum esse, secessit in Galilæam: & relicta Nazareth, profectus habitauit in Capernaum maritima in finibus Zabulon & Nephthalim. vt impleretur quod dictum fuerat per Iesaiā prophetam: Terra Zabulon & Nephthalim, vergens ad mare, vltra Iordanem, Galilæa gentium populus qui sedebat in tenebris vidit lucem magnam. & iis, qui sedebant in regione & vmbra mortis, lux orta est.

Dubitant hic interpretes, quomodo Matthæus citarit hunc locum Iesaiæ ad ostendendum, debuisse Christum in Galilæam proficisci, & ibi exordiri prædicationem, qua lux affulsit illis populis, vt impleretur vaticinium illud Iesaiæ, Terra Zabulon & Nephthalim, &c. cùm Iesaias locutus fuerit, tum de clade, quam terra Zabulon & Nephthalim accepit à rege Assyriorum: tum de luce, quæ affulsit Hierosolymæ in obsidione Sennacheribi. Videtur omnino Matthæus abusus fuisse hoc loco, cum (vt prima fronte videtur) extra propositum Prophetæ illum citet.

Respondent docti interpretes. Primùm, verum esse Iesaiam non esse immediate vaticinatum de initio prædicationis Christi, quod hæc debuerit primum fieri in hac regione Galilææ, ideóque quod lux illa primum huic regioni debuerit affulgere. sed de re, quę suo tempore contigit, id est, de liberatione Hierosolymæ ab obsidione Sennacheribi.

Secundo aiunt neque Matthęum citasse hunc locum simpliciter, quasi senserit, immediate Iesaiam vaticinatum fuisse de initio prædicationis Christi in Galilęa faciendo, quódve lux Euangelij esset huic regioni Zabulon & Nephthalim primum affulsura: sed allusione vsum fuisse, ac propter similitudinem quandam quę est inter vaticinium Prophetæ & hoc præsens factum Christi, dixisse illud Iesaiæ vaticiniū impletum fuisse in hoc facto Christi, Quasi dicat: Ita Christus relicta Nazareth, venit in Galilæam in terram Zabulō & Nephthalim, & illis hominibus lucem Euangelij sui cœpit in ea regione dispergere, vt quodammodo impletum tum fuerit dictum Iesaiæ, Terra Zabulō & Nephthalim, Populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam, & habitantibus in regione & vmbra mortis lux orta est. Allusionem igitur fuisse, non autem simplicem, propriam, & immediatam illius vaticinij impletionem.

Hæc est communis & simplex responsio. sicut etiam illud Oseæ, Ex Ægypto vocaui filium meum, per allusionē dictum intelligunt interpretes, id est, sicut populus Iudaicus vocatus fuit ex Ægypto, sic etiam Christus. Ideo etiam in Christo quodammodo impletum est illud Oseæ, Ex Ægypto vocaui filium meum.

Ita Christus ipse declarare videtur dicta hæc prophetarum permulta, quæ primum ante suum aduentū, *integrè* impleta fuerunt, postea, cum ad Christum applicantur, applicari per allusionem, propter aliquam similitudinem inter Christi facta, & illa prophetarum vaticinia. Exemplū, vt cū ait Matt. 12. Sicut fuit Ionas in vtero ceti, sic erit

filius hominis in corde terræ. Item Iohan.3. Sicut Moses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis, Et has allusiones frequentes esse in Scripturis.

Cæterum mihi aliter citra vllius præiudicium dici posse videtur. Si enim simpliciter dicamus, tantum per allusionem quandam multa huiuscemodi prophetarum dicta citari, & Christo applicari, cogemur fateri Euangelistas dicta hæc citasse extra propositum Prophetarum, proinde habebunt fortassis Iudæi, quod in nostris Euangelistis carpant & calumnientur, quippe qui dicta Prophetarum alio quàm Prophetis propositum fuit, nimirum ad Christum, torquere videantur.

Sic ergo mihi dicendum videtur, Scopum Prophetarũ omnium, in id genus vaticiniis quæ ad Christum & ad regnum Christi, ab Euangelistis & Apostolis applicantur, reuera, & secundum propositum Prophetarum, vaticinia hæc ab Euangelistis ad Christum, & ad Christi regnum accommodari, & iure optimo adduci.

Cæterum notandum, vaticinia hæc duplicis esse generis: Quædam ita aperta & nuda sunt, nullis figurarum velaminibus tecta, vt de nullo, neque de vlla re quam de Christo déque Christi regno immediate intelligi queant. Et hæc sunt, quæ in nullo alio vnquam ante Christum impleta sunt, sed in Christo primum, & in eius spirituali regno complementum acceperunt. Vt (verbi gratia) hoc præsens vaticinium de Christo: Puer natus est nobis filius datus est nobis cuius imperium erit super humerum eius, & vocabitur nomen eius, admirabilis, consiliarius, Deus, heros fortis, pater æternitatis, princeps pacis, ad proferendum imperium, & ad pacem, quæ finem non habet, super solium Dauidis, & super regnum eius, sedebit, vt instauret illud & fulciat illud iudicio & iustitia, abhinc vsque in æternum, &c. in nullo vnquam impletum fuit hoc vaticinium, nisi in Christo.

Alia vero sunt, quæ quibusdam figurarum velaminibus ita tecta fuerunt, vt prius in aliis, ceu in Christi & eius regni typis, impleri cœperint, quàm in Christo & eius spirituali regno perfectum complementum habuerint: cum tamen ea ad Christum & eius regnũ, ceu ad proprium scopum principaliter à Prophetis dirigerentur. Et hæc sunt, quæ aliquam historiæ, quæ ante Christi aduentum contigit, veritatem prius habuerunt, quàm in Christi persona & spirituali eius regno impleri cœperint. Quale est hoc vaticinium de liberatione Ecclesiæ ab hostibus per Christum, & propter Christum: sed velatum illa historia liberationis Hierosolymæ, ab obsidione Sennacheribi. Item quale est illud Oseæ, quum dixit: Ex Ægypto vocaui filium meum: non tantum hoc dixit de euocatione populi ex Ægypto, sed in primis de reditu Christi ex Ægypto vaticinatus est Propheta verum ita, vt sub vocatione Israelitici populi ex Ægypto, ceu sub typo, vocationem Christi per angelum ex Ægypto principaliter intellexerit. Sic Moses, quando exaltauit serpentem principaliter indicare voluit, Christum exaltandum in cruce.

In vtroque igitur horum vaticiniorum genere propositum prophetis fuisse loqui principaliter de Christo, deque regno eius, tanquam omnium suorum vaticiniorum scopo & fine, dubitandum non est: quò illud pertinet: Finis legis est Christus.

Quod cùm ita sit, ergo cùm Euangelistæ hæc secundi quoque generis vaticinia citant, & ad Christum eiúsque regnum referunt: non citant extra propositum prophetarum: ideóque talibus dictis non abutuntur, neque per solam allusionem ea ad Christum applicant: sed propriè, & iuxta mentem Spiritus sancti in prophetis ea ad Christum referunt, quia Christus scopus fuit prophetis in omnibus iis vaticiniis. Ex iis perspicuum fit, Matthæum locum Iesaiæ minimè extra propositum prophetæ citasse. Iesaias enim (vt antè dicere cœperam) cùm hęc vaticinaretur, oculos principaliter intendebat in Christum, eiúsque spirituale regnum: quòd scilicet electis omnibus quocunque in loco essent, siue in terra Zabulon siue in Galilæa, in magnis peccati tenebris constitutis, lux Christi erat affulsura: sed hoc vaticinium sub velo illius historiæ velatum protulit Proinde cum Matthæus vna ex parte sciret, vaticiniũ hoc propriè & principaliter dictum fuisse à Iesaia de Christo & eius regno, & alia ex parte videret, Christum luce suæ prædicationis cœpisse Galilæam, Zabulon & Nephthalim illustrare: iccirco locum hunc Iesaiæ ad illud factum Christi applicauit, & quidem propriè sine vlla allusione: idque vt ex Christi facto & Iesaiæ dicto inuenerct, nunc Iesum verum fuisse Ecclesiæ liberatorem & saluatorem, lucémque illam, quę illuminare debebat Ecclesiam Dei. Et quoniam Christi regnum etiam in terris continuatur in finem vsque seculi: ideo sicut alia de hoc regno vaticinia, ita hoc præsens, non semel & iterum, sed sæpenumero impletum est, & quotidie impletur in Ecclesia Christi: Populus qui ambulabat in tenebris, vidit magnam lucem: & qui sedebant in regione & vmbra mortis, lux splenduit super eos. Hæc fusius forte, quàm par erat, explicuimus: sed id non abs re. Feci primum, vt Matthæum Euangelistã defenderem, non abusum fuisse illo loco Iesaiæ: sed propriè, non autem per simplicem allusionem citasse: quia hoc fuit propositũ Prophetæ. Deinde, vt regulã traderẽ, qua omnia de Christo eiúsque regno vaticinia discamus interpretari. Tertiò, & per consequens vt intelligeretis, totũ vaticinium hoc noni capitis quod explicauimus, iuxta historiæ veritatem, principaliter referendum esse ad Christi regnum, id est, ad Ecclesiam: sed ita tamen, vt veritas etiam historiæ firma retineatur. Etsi enim vere hæc, quæ hic vaticinatus est, corporaliter Hierosolymæ contigerunt in obsidione Sennacheribi, vt exposuimus, & bene etiam Hebræi exponunt: tamẽ non est cur negemus, Iesaiã iis verbis de vera in primis Hierosolyma, hoc est de Christi Ecclesia vaticinatum fuisse. Ergo vaticinium hoc interpretemur quatenus ad Ecclesiam Christi, ex Iudæis & gentibus collectam pertinet.

Summa eorum, quæ dicturi sumus de Ecclesia Christi.

DE Ecclesia Christi, quæ est vera Hierosolyma, & de qua hic propriè vaticinatur Propheta, sub typo tamen Hierosolymæ terrenæ, septem hic a Propheta summatim traduntur.

Primum graues esse tenebras & calamitates, tum terrenas, tum spirituales: partim in quas statim post & propter peccatum cecidit: partim quibus quotidie premitur. Atque hoc quidem primum commune habet Ecclesia Christi cum Ecclesia Antichristi, seu Ecclesia piorum cum Ecclesia impiorum: sed quæ sequuntur capita, non ita communia sunt, sed propria Ecclesiæ Christi.

Secundum igitur est liberatio, qua Ecclesia Christi, partim semel per Christum & in Christo liberata fuit: partim in seipsa indies liberatur à suis calamitatibus, diuina luce tenebras illius quotidie magis ac magis dispellente: donec tandem (id quod futurum est in fine seculi) perfectissimè ab omnibus malis & hostibus liberetur.

Tertium, quòd hoc beneficium liberationis & tantæ lætitiæ ita proprium est Ecclesiæ Christi, id est, electorum, vt nullo modo ad reprobos pertineat: tametsi isti plures sint illis: id quod admirans Propheta exclamat, Multiplicasti gentem, at non magnificasti lætitiam.

Quartum, est fructus qui hanc liberationem continuò sequitur: quis, qualis, & quantus sit, Et quidem fructus iste, est lætitia Spiritus.

Quintum, quando & vnde propriè Christiani hunc fructum, id est, lætitiam Spiritus sentiant.

Sextum, est caussa totius liberationis, quæ duplex est, vna, per quam, & propter quam: hæc est Christus, & merita Christi, altera est quæ, id est, efficiens, eáque primaria & principalis, hæc est æternus & constans amor Dei specialis erga suam Ecclesiam, id est, electos.

Septimum sunt media, quibus quisque electus sese, in certitudine de sua salute æterna, confirmare potest.

Hæc omnia septem capita habemus à Propheta in hoc præsenti vaticinio de salute Ecclesiæ.

I. Quò ad primum, sunt in hoc vaticinio Iesaiæ, quod ad historiam attinet, duæ ciuitates, Hierosolyma & Samaria, & duo populi, Israelitæ & Iudęi, fuere ambæ obsessæ à regibus Assyriorum, ideóque vterque populus in maximis ambulauit tenebris. Sed diuersus fuit exitus, quia Israelitis nulla affulsit lux, Iudæis verò affulsit. Israelitæ enim, expugnata Samaria, in perpetuam captiuitatem adducti, Iudæi verò, conseruata Hierosolyma, minimè ab hoc rege abducti fuere, ideóque non fuit talis caligo Hierosolymæ, qualis Israelitarum.

Hierosolyma typus fuit ciuitatis Dei, id est, veræ Ecclesię Christi. & Iudæi typus electorum, id est, verorum Iudæorum, qui non in manifesto, sed in occulto Iudæi fuere, & circumcisi corde, non carne, vt est Rom.2. Hi sunt in ciuitate Dei.

Samaria, typus fuit ciuitatis huius seculi, & Israelitæ, typus

…us reproborum & hypocritarum: qui in hac habitant …uitate
Vterque populus peccauit: quia contempto verbo Dei, …thonicorum consilia audierunt. Sic omnes homines, …cti quàm reprobi, peccarunt in Adamo, quando con…mto verbo & præcepto Domini, Pythonis, id est, Serpen…s consilium omnes audiuimus.
Propter illud peccatum (vt de aliis taceam) vterque po…lus in magnas incidit calamitates: quia vtraque ciuitas …obsessa, vterque populus in magnis fuit tenebris. Ita omnes homines tam electi quàm reprobi post & propter peccatum illud contempti verbi Dei, & auditi consilij serpentis (vt alia peccata omittam) in magnas, tam spirituales quàm corporales calamitates incidimus. Consecutæ sunt etenim omnes non primùm hæ tenebræ, cæcitas mentis, ignorantiæ Dei, duritia cordis, exagitatio conscientiæ, ceu impulsus quidam continuus: deinde externa mala corporis morbi, fames, variæ cruces, & mors ipsa. Denique obsessi omnes fuimus à rege Assyriorum, & toto eius exercitu potentissimo: id est à Satana & diabolis omnibus, à carnis concupiscentia ab illecebris mundi, & à morte.

Hæ sunt communes calamitates in quas omnes, tam electi, quàm reprobi propter peccatum, iusto Dei iudicio coniecti fuimus: sicut Rom. 5. docet Apostolus.

Magna certe fuit & est hæc calamitas, quæ toti humano generi tam electis quàm reprobis contigit: & ita magna, vt omnes pariter in terra vmbræ mortis, ceu mortui sederamus. Cæterum diuersus est exitus: cuius caussa fit, vt calamitas, & caligo hæc, quæ contigit Hierosolymæ, id est, Ecclesiæ Dei, seu electis, non sit similis illi, quæ contigit Israelitis, id est, reprobis & hypocritis.

Quomodo? Populus enim (electorum) ambulantium in tenebris, vidit lucem magnam. hæc est lux cœlestis nobis reipsa affulsit, & semper affulget: reprobis vero non vere affulsit, nec affulget nec affulgebit vnquam ita vt eius vere fiant participes: idque iusto Dei iudicio, tametsi nobis occulto.

II. Secundum igitur caput huius vaticinij est liberatio, qua Ecclesia electorum Dei, partim semel per Christũ & in Christo, qui est ipsa lux cœlestis liberata fuit: partim quotidie liberatur, donec perfectissime tandem in fine seculi liberetur: & tunc plenissime videbit lucem magnam, & Christum in cœlis, qui lucem habitat inaccessam. Notetis, quæ dico. Primùm dico, partim liberata fuit: deinde dico, partim quotidie liberatur, donec perfectissimè liberetur. Ergo tres significo liberationes: quarũ prima fons est reliquarum. Ac prima quidẽ liberatio habet duas partes: Vna est, quod Christus ipse lux diuina, sese carni nostræ inseparabiliter & … vniuit: sicut lux, quæ primo die creata fuit, vnica postea fuit corpori solari inseparabiliter: & ita lux hæc, id est, Christus Deus & homo, pro electis mundo apparuit, & pro electis orauit, non pro mundo: pro electis sacrificiũ obtulit Patri, & pro tota electorũ Ecclesia satisfecit: ita reipsa per Christum & in Christo, coram patre Ecclesia liberata fuit. Hoc enim fuit propositum æternum Dei patris & filij, & Spiritus S. vt filius pro electis tantùm ad æternam vitam carnem sumeret, oraret, moreretur, satisfaceret, resurgeret, ascenderetque in cœlum, & plenam regni cœlestis possessionem, nomine omnium electorum perciperet.

Hæc est prima pars. Huc faciunt multæ sententiæ Scripturarum, cùm ita absolutè loquuntur, quod per sanguinem Christi redempti simus, saluati per Christum, & in Christo, tanquam in capite membra.

Altera pars est, quod Ecclesia non solùm per Christum coram Patre liberata fuit, sed ipso etiam Christi Spiritu, depulsis e mente tenebris infidelitatis, & luce fidei in ipsius mentem illapsa, vidit hanc lucem Christum sibi affulsisse, hoc est pro se incarnatum passum & mortuũ, sensitque realiter in seipsa liberationem hanc, hoc est, se esse prorsus liberatam, iustificatam, seruatam. Ita luce fidei sibi donata, videt lucem Christum, hoc est, beneficium Christi percipit & sentit. Huc faciunt infinitæ sententiæ vt cum Scriptura tradit, quod per fidẽ & fide iustificamur & seruamur, hoc est, fide videmus & sentimus, ideoque recipimus salutem nostram in Christo. Ideo non temerè Propheta vsus est illa repetitione, Populus qui ambulauit in tenebris, vidit lucem, & habitantibus in terra vmbræ mortis, affulsit lux Christus, affulsit Ecclesiæ, & quodammodo toti mundo, quantũ ad sufficientem satisfactionẽ, & quantum ad prædicationem Euangelij, sed non omnes, qui erant in tenebris, viderũt hanc lucẽ, tantũ electi, quibus aperti fuerunt oculi à Spiritu sancto luce fidei, lucem Christum viderunt, & illius beneficij participes facti sunt.

Electis igitur solis Christus lux affulsit internè in cordibus: ideoque soli electi crediderunt, & salui facti sunt & fiunt.

Actor. 13. Et crediderunt, quotquot præordinati erant ad vitam æternam. Quid hoc est aliud, nisi soli electi ad æternam vitam præordinati, viderunt lucem magnam, & solis electis lux affulsit. Huc illud Pauli 2. Cor. 4. Deus, qui iussit è tenebris lucem splendescere, ipse luxit in cordibus nostris, ad illuminationem scientiæ claritatis Dei, in facie Iesu Christi. Hic locus Pauli declarat præsentem versum Iesaiæ: Populus qui sedebat in tenebris, vidit lucem magnam. Sensus est, Deus, sicut in creatione iussit lucem è tenebris splendescere: ita nunc Spiritus illuxit in cordibus nostris: id est, luce fidei nostra corda illuminauit, & ceu oculos nobis aperuit. In quem finem? Subdit: Ad illuminationem claritatis Dei in facie Christi: id est, vt hac luce fidei, videre possimus lucem clarissimam Euangelij, Deum ipsum, qui in Christo resplendet.

Duplicem hic ponit Paulus illuminationem: vnam, qua videmus: alteram, quam videmus. Ita Iesaias vtraque innuit, illa repetitione: Populus qui sedebat in tenebris, vidit lucem magnam, & iis qui sedebant in regione vmbræ mortis, lux affulsit. Populus, qui ambulauit in tenebris, vidit lucem magnam: ecce vnam, quâ vidit: sequitur altera, qua vidit, cum ait: Populo sedenti in regione vmbræ mortis, lux affulsit. Hæc est prima liberatio per Christum, quæ duas habet partes, vt vidistis: redemptionem ipsam, & redemptionis communicationem, seu fidem qua ipsum videmus, ideoque & ampleĉtimur, redemtionisque sumus reipsa participes. Huius autẽ primæ liberationis minimè participes sunt reprobi. Primò: quoniã etsi Christus pro illis etiã sufficienter (vt loquuntur Scholastici) mortuus est, pro illis tamen secundùm ipsius propositum mortuus non est: sicut etiam ipse disertis verbis dixit Se non rogare pro mundo, sed pro electis, qui credituri erant. Secundò quoniam etsi ipsis etiam reprobis affulsit externè Euangeliũ (nam plerisque illorum etiam prædicatum est) tamen lux fidei, qua Euangelij lucem viderent & amplecterentur illorum cordibus non affulsit nec affulget.

Sequitur secunda liberatio: Ea est, qua quotidie magis ac magis à malis, tam spiritualibus quàm corporalibus, quæ nos etiamnum in finem vsque seculi circumstãt, per eundem Christum liberamur. Nam quandiu sumus in hac carne, semper obsidemur à Satana ab infinito exercitu dæmonum, qui circum nos volitant, quique in hoc aëre habitant: vt ait Paulus. Obsidemur à carnis concupiscentia, à peccato in carne nostra inhabitante, à mundo, à tyrannis, ab hæreticis, à falsis fratribus denique ab omnium postremo & potentissimo hoste, qui est mors: ab iis inquam hostibus, qui partim sunt spirituales, partim corporales, obsidemur & oppugnamur: vt non quæcunque volumus Spiritu, ea facere possimus vt est ad Gal. 5. & ad Rom. 7. Sed ab his etiam per Christum liberamur: nõ quod nos prorsus desinant obsidere ij hostes, sed quod nos expugnare non possint propter Christum, qui pro nobis & in nobis contra eos fortiter pugnat.

Quomodo liberamur? Fide & Spiritu. Fide, quia scimus eos non posse nos expugnare, & penitus suo imperio subiicere, vt illis etiam Spiritu pareamus, cùm Christus in nobis sit, & nos in ipso per fidem. Ait autem Paulus Rom. 8. Nihil damnationis esse iis, qui sunt in Christo Iesu. Spiritu vero, quoniam in dies magis ac magis, dum spiritus noster per Spiritum Christi fortescit, caro & alij inimici nostri magis infirmantur. Huc spectat illud Apostoli 2. Cor. 4. cùm dixisset: Deus, qui iussit de tenebris lucẽ splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris ad illuminationem scientiæ claritatis Dei. Quæ verba, vt vidimus, faciunt ad explicationem huius versus. Populus qui ambulauit in tenebris, vidit lucem magnã, & ad primam liberationẽ pertinent. Postea, quoad hanc alteram & obsidionem & liberationem, subiecit dicens, Habemus autem thesaurum istum in vasis fictilib. vt sublimitas sit victoris Dei, & non ex nobis. In omnibus tribulationẽ patimur, sed nõ angustiamur, adoriamur (id est, ad summã angustiã redigimur) sed nõ destituimur (hoc est, non vincimur & opprimimur malis) persecutionẽ patimur, sed non derelinquimur, humiliamur, sed nõ confundimur, deiicimur, sed nõ perimus, semper mortificationem Domini nostri Iesu Christi in corpore nostro circũferẽtes, vt & vita Iesu manifestetur in

corporibus nostris. Semper enim nos, qui viuimus, in mortem tradimur propter Iesum Christũ, vt vita Domini nostri Iesu Christi manifestetur in carne nostra mortali. Et infrà: Licèt is qui foris est, noster homo corrumpatur: tamen is qui intus est, renouatur de die in diem. Ecce obsidionem: ecce etiam liberationem. Sic Christus Apostolis Ioh. 16. In mundo pressuram habebitis (ecce obsidionem) in me autem pacem (ecce liberationem.)

Sumus igitur semper in aliquibus tenebris, sed lux semper etiam è cœlo nobis affulget: habitamus in terra vmbræ mortis, sed semper etiam nobis vitam ex alto donari sentimus. Atque hæc est liberatio secunda.

Continuatur autem ista, vt dixi, & per hostes nostros obsidio, & per Christum nostrum ab obsidione liberatio, in finem vsque seculi: donec tandem perfectissimè ab hac obsidione liberemur: & perfectissimè lucem magnam, quæ in cœlis est videamus, excitatis etiam à morte corporibus nostris ad æternam vitam. Ideo Paulus de hac loquens, ait Rom. 7. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Sentiebat continuari hanc obsidionē in finē vsque seculi. Ideo dixit: Quis me liberabit? Sed quia sentiebat etiam continuari liberationem, quæ perfectissimè futura est in resurrectione: ideo subdit, Gratia Dei per Iesum Christum. Atque illa tertia erit perfectissima ab obsidione omnium inimicorum nostrorum liberatio. nouissimè enim etiam inimica destruetur mors, vt 1. Cor. 15. ait Apostolus.

Ecce triplicem liberationem, quam habemus per Christum ab obsidione hostium nostrorũ: ideóque ecce quomodo populus (electorum) hoc est, Ecclesia Dei, qui ambulat in tenebris, & vidit, & videt quotidie, & videbit in perpetuum, lucem magnam: & lux eis affulsit, affulget semper, & in æternum affulgebit. Huius autem lucis & liberationis participes non fuerunt vnquam, aut futuri sunt, ipsi reprobi: idque iusto Dei iudicio, licet nobis occulto. Lux enim venit in mundum, & ipsi dilexerunt magis tenebras quàm lucem. Ita facti sunt saltem inexcusabiles quia caussa cæcitatis in ipsis est. Atque hoc satis esse debet cuique pio, in hoc mysterio magis admirando, quàm hominibus inuestigando. Sic etiam facit Propheta, cùm per ἀποστροφὴν conuersus ad Dominum, & tantam Dei in electos bonitatem admirans, & tam iustum Dei iudicium reprobos obstupescens, ait: Multiplicasti gentem & non magnificasti lætitiam. Sequitur ergo.

III. Tertium caput: nempe hoc beneficium, seu hanc per Christum ab hostibus liberationem, ita propriam esse electorum, id est, Ecclesiæ Christi, vt nullo modo ad reprobos pertineat, tametsi illi longè plures sint illis. Propheta hoc admirans, exclamat ad Dominũ dicens: *Multiplicasti gentem, at non magnificasti lætitiam.* Præter alias expositiones, quas in hunc locum attulimus, puto, quo ad historiæ veritatem, hanc etiã non alienam fuisse à mente Prophetæ. Spectans Propheta hoc singulare beneficium, quod Deus in Iudæos pro sua misericordia, non autem in Israelitas pro suo iusto iudicio contulit: nempe quòd Iudæos ab expugnatione Sennacheribi regis Assyriorum seruarit ne in perpetuam captiuitatē abducerentur: Israelitas verò qui longè plures erant Iudæis, permiserit ab aliis regibus Assyriorum expugnari & in perpetuam captiuitatem abduci, cum admiratione exclamauit dicens, *O Deus, multiplicasti gentem hanc* (scilicet totum corpus populi ex Israele nati) *at non multiplicasti lætitiam*: quia hoc beneficium & conseruationem regni, in solis Iudæis esse voluisti: Israelitas autem qui sunt multò plures, deseruisti, & in tenebris reliquisti.

His verbis duo egit Propheta. Primùm quasi gratias egit Deo, quòd tanto beneficio dignatus sit Iudæos: cùm eo non sit dignatus Israelitas. Qua in re indicauit Deus, se pluris facere Iudæos quã Israelitas: nēpe propter promissionem factam ipsis speciatim Iudæis, tribui Iuda & domui Dauidicæ. Secundo, admiratus est & adorauit iudicium Dei: occultum quidem, sed tamen iustum: quòd scilicet Israelitas, qui maxima pars erant totius illius corporis Israelitici, permiserit à regibus Assyriorum expugnari, & in perpetuam captiuitatem abduci, totúmque illorum regnum funditus euerti: cùm tamen Iudæi etiam, non minus grauiter peccarint in Deum, quàm Israelitæ, vbi videmus Prophetam iudicium hoc Dei duntaxat admirari, non autē caussas quærere & interrogare, sed relicto hoc iudicio aduersus Israelitas, statim redit ad magnificandum beneficium Dei, in Iudæos collatum, & ait, Lætabuntur (scilicet ipsi Iudæi) de quibus dixerat, Populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam. Hanc interpretationē, quoad historiæ veritatem, non puto alienam esse à mente Prophetæ. nam rem ita se habuisse, manifestum est. Deinde Oseæ 1. cap. qui de eadem re, de qua hic etiam Iesaias loquitur, sic Deum loquentem introducit. Vltra non miserebor domus Israelis, quin potius in vniuersum tollam eos, domus verò Iudaicæ miserebor, & seruabo eos in Domino Deo eorum, non autem seruabo eos per arcum, nec per gladium, nec per bellum, nec per equos, nec equites. Iam verò quatenus oculos extendit Propheta in regnum Christi spirituale, quod ex gentibus & Iudæis constat, sic voluit dicere, Tu quidem Deus multiplicasti genus humanum mirum in modum, at non magnificasti lætitiam, quia cum omnes in Adamo peccarint, paucos tamen quosdam pro misericordia tua inde selegisti ad huiusce redemtionis & lætitiæ participationem, aliis omnibus pro iusto tuo, at nobis occulto, iudicio, in peccato & æterna damnatione relictis, omnes quidem vocasti, sed paucos elegisti. Atque hoc summoperè tuam erga nos beneuolentiam & gratiã cōmendat, quia cum nos perinde atque alij indigni essemus hac gratia, ea tamen nos præ aliis dignatus es. Ergo iure lætabimur, & lætabuntur omnes electi huius lucis participes, coram te. Hic est sensus.

Nec dubito, quin alluserit Propheta ad illam duplicem de multiplicando semine Abrahæ similitudinem, quando dixit primò, Multiplicabo semen tuũ sicut stellas cœli, secūdò, Multiplicabo sicut arenam maris. Indicare voluit Dominus (vt Iustinus quoque interpretatur, in dialogo cum Tryphone Iudæo) numerosissimum quidem futurũ populũ qui ex Abrahamo erat oriturus, sed tamen, comparatione reproborum, paucos futuros electos, comparatione Iudæorum secundum carnem, paucos futuros filios Abrahæ secundum spiritum, sicut etiam stellæ, respectu arenæ, paucæ sunt. Similitudine enim stellarum intellexit electos, & pios omnes, similitudine verò arenæ maris, reprobos impios. Illi enim pertinent ad regnũ cœleste, & lucidi sunt, imo lux in Domino, & incorruptibiles futuri sunt ac beati, illi verò pertinent ad regnum huius seculi, cuius princeps est Satan, & sunt terreni, tenebricosi, immundi, vt arena. Hoc igitur beneficium redemtionis proprium est electorum, qui pauciores sunt reprobis. Et ideo ij electi lætabuntur coram te. Hic est fructus, qui ex redemtione consequitur, lætitia coram Domino. Sequitur ergo.

IV. Quartum caput, nempe quis, qualis, & quantus sit ille fructus, qui ex hac redēptione electus pios consequitur. Is est lætitia vera, solida, spiritualis, immēsa, & æterna coram Deo, sicut passim in Scripturis habemus, regnum Dei esse gaudium & pacem in Spiritu sancto, Rom. 13. Et iustos semper lætari in Domino, Psalmi docent. Et Paulus subinde: Gaudete in Domino semper, iterum dico Gaudete. Ideo Iesaias inquit, Lætati sunt coram te iuxta lætitiã (quæ est) in messe, & quemadmodum exsultant (milites) quando diuidunt spolia.

Primo hac particula *corã te*, indicat lætitiã Christianorum, quam nobis reliquit Christus, veram esse & solidam lætitiam (sicut iustitia corã Deo est vera iustitia) ideóque & perpetuã. Lætitia, quã adfert mundus & caro, nō est solida, ideóque nec perpetua. Sæpe post magnum risum & lætitia, magnæ sequuntur lachrymæ & planctus. Quare? Quia lætitia non fuerat solida & vera lætitia. Non talis est lætitia, quam iusti habent in Christo. Ideo Ioh. 16. ait Christus, Iterum videbo vos, & gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tollet à vobis. Secundo indicat, lætitiam hanc Christianorum non esse in carne, nec corã mundo, sed propriè in corde, & coram illo, qui corda intuetur, Deo. Imo corã mundo sunt afflicti, sæpe dolent, tristantur, lugent: sed coram Deo in corde & in Spiritu læti sunt, exsiliuntque gaudio. Ioh. 20. Mundus gaudebit, vos verò contristabimini, sed tristitia vestra vertetur in gaudium. Et Apostolus: Et pax Christi, qui exsuperat omnē sensum, exsultet in cordibus vestris. Ideo ait *coram te*, quasi dicat: Pij, etsi coram mundo non semper læti erunt: tamen coram te, ô Deus, semper lætabuntur. Hoc est proprium filiorum Dei, qui vera fide sciunt se seruatos esse per Christum, vt ineffabili gaudio in cordibus suis semper exsiliant. Magna res est hoc gaudium: ita vt nisi quis illud in seipso sentiat, quid illud sit, prorsus scire nequeat. Lætabuntur igitur coram te.

Sicut qui lætantur in messe, & qui diuidunt spolia. Hæ duæ similitudines non tantum demonstrant lætitiã electorum magnam esse, sed etiam appositissimè id faciunt, vtpote ad præsentem caussam accommodatissimæ.

Prima. Magnum est certè gaudium eorum, qui diu fame pressi, postea messe collecta, & pane inde confecto,

sed

ad vitam alunt: alioqui mox morituri: Ita nos, ante exortam Euangelij lucem, & ante acceptam fidem in Christum, fame fuimus confecti, & ceu mortui: vbi verò affulsit nobis lux Euangelij & fidei, collegimus messem. Quia promissiones Euangelicas, quæ seminatæ fuerant à prophetis: & ex illis fide eruimus triticum, & panem viuum, qui est Christus (is enim in promissionibus latebat, sicut granum & panis in spicis.) Et hoc pane verè alimur ad vitam æternam. Quanto gaudio nunc afficiuntur Spiritus fidelium? Ideo dicit: Lætabuntur, sicut qui lætantur in messe. Item, Christus seminauit iustitiam, sua opera & merita omnia in agro Ecclesiæ: nos, vbi affulsit lux Euangelij, fide collegimus omnia, & nostra facta sunt: Opera Christi, iustitia Christi, quicquid Christi est, nostrum est: imò postquam affulsit lux fidei, totus factus est noster. Sicut Paulus dicit: Omnia vestra sunt, vos autem Christi, Christus autem Dei. Iure igitur lætabuntur Christiani, sicut qui lætantur in messe.

Secunda similitudo: *Lætabuntur sicut qui diuidunt spolia.* Diuidere spolia hostiû signum est victoriæ & triumphi de hostibus expugnatis. Diuidere igitur spolia, accipitur pro triumphare de deuictis hostibus. Quantum gaudium sit illis, qui de expugnatis hostibus triumphant & illorum etiam spolia in signum victoriæ secum portant in triumpho, nemo est qui nesciat. Ita nos Christiani, vnà cû Christo, de deuictis nostris hostibus omnibus peccato, morte, Satana, mûdo triumphabimus. Vnde Paulus primo triumphum Christi describit, Ephe.1. Suscitans illum (Christum) à mortuis, & constituens ad dexteram suam in cœlestibus supra omnem principatum & potestatem. &c. Deinde statim subdit nostrum triumphum in cap. 2. dicens: Et vos conuiuificauit, cùm essetis mortui delictis: & conresuscitauit, & consedere fecit in cœlestibus in Christo Iesu. Ecce triumphum nostrum.

Iure igitur lætabuntur Christiani, sicut qui diuidunt spolia: id est sicut qui de deuictis hostibus, distributis illorum spoliis, triumphant: quoniam & ipsi vere per Christum triumphant de hostibus suis. At vnde, & quando præcipuè hac lætitia exultant Christiani? Nunc Propheta.

V. Quinto loco speciatius explicat naturam tantæ lætitiæ, & quando electi hanc in se lætitiâ sentiant. *Quando* (inquit) *iugum oneris eius, & virgam humeri eius, sceptrû exactoris confregisti in eo secundum diem Midian.*

Summa. Tunc hac vera, solida & perpetua lætitia afficimur nos electi Christiani, quando vera fide, quæ clarissimum est viuúmque lumen, videmus, ac reipsa sentimus nos verè liberatos esse per Christum à tyrannide mortis & Satanæ, & à iugo peccati & legis: idque solius Dei potêtia, deuictis insuper hostibus nostris & condemnatis ignique æterno adiudicatis Satana & angelis eius. Quando inquâ hæc ita se habere, fide viua & clara & in nobis ipsis sentimus: tunc lætamur coram Deo, sicut qui in messe, & qui diuidunt spolia. Hæc enim sunt materia lætitiæ nostræ. Ideo quando hæc sentimus, tû fieri nequit, quin vera, solida & ineffabili lætitia afficiamur. Hæc est summa horum duorum versuum, tertij & quarti.

Quando (inquit) iugum oneris eius, & virgam humeri eius, sceptrum exactoris confregisti in eo, secundum diem Midian. Iugum onerosum, inquit, confringes. Omnia iuga, quæ confregit Christus, onerosissima nobis erant & vsque adeo nos premebant, vt nec ea ferre, nec oculos ad cœlum tollere possemus.

I. Primum iugum fuit peccatum cum morte, quod nobis Adamus suprà humeros imposuit & impositum reliquit. De hoc iugo Ecclesiast. 40. Molestia magna creata est omnibus hominibus, & iugum graue supra filios Adam à die exitus de ventre matris eorum, vsque in diem sepulturæ in matrem omnium: cogitationes eorum, & timores, cordis adinuentiones, & expectationes, & dies exitus. &c.

Confregit hoc Christus, nempe iugum peccati: quia etsi illud adhuc nobiscû gestamus: tamen *Primò* effecit, vt nos coram Deo nequaquâ grauet: id est, vt nô imputetur. *Secundò*, Quia suo Spiritu quotidie illud mortificat & infirmat, donec tandem penitus aboleatur.

Iugum itidem mortis confregit, quia *Primò* ademit ei suam (vt ita dicam) immortalitatem, resurgemus enim. *Secundò*, quia effecit vt nos certiores facti de nostra resurrectione, déque nostra salute per Spiritum Christi, minimè mortem timeamus, ideóque grauis nobis non sit.

II. Secundum iugum fuit durissima exactio totius legis implendæ, cum eiusdem legis maledictione, si à nobis perfectè non obseruaretur, coniuncta. Iugum hoc grauissimum fuit, & (vt Græcè dicam) ἀφόρητον. De hoc iugo Act. 15. Petrus contra eos Iudæos, qui volebant circumcisioni ipsos etiam gentiles, qui ad Christum conuertebantur, astringi. Erat autem circumcisio testimonium totius legis implendæ, vt est in Epist. ad Galat. Nunc ergo (inquit Petrus) quid tentatis Deum? vt imponatur iugum supra ceruices discipulorum, quod neque Patres nostri, neque nos portare potuimus?

Confregit hoc iugum Christus: Primò, quia liberauit nos, tum ab illa exacta totius legis obedientia, tum à legis maledictione. Secundò quia spiritu suo nobis donato effecit, vt legê, si non omni, magna tamen ex parte impleamus. Et si quid per carnis infirmitatem vel omittimus, vel contra eam cômittimus: illud nobis non imputetur: perfecta legis impletione, quæ solius est Christi, nobis etiam propter Christum imputata. Huc illud Pauli Gal. 3. Christus redemit nos de maledictione legis, factus pro nobis maledictio. Rom 8. Deus, misso filio suo, de peccato damnauit pecca. û vt iustitia legis impleretur in nobis. Iugum ergo onerosum confregit Christus.

Item confregit *Virgam humeri nostri*: virgam inquâ exactoris nostri. Virga hæc fuit, iræ Dei æternæ metus, quo ceu virga durissima quotidie cædebantur conscientiæ nostræ: quippe qui conscij eramus, quod debita nostra Deo nec persoluebamus, nec persoluere poteramus: & tamen Deus eleuata virga iræ sur, per solutionem debitorû nostrorum continenter à nobis exigebat. Durissima fuit hæc virga exactoris: sed hanc confregit Christus: *Primò* quia pro nobis debita omnia nostra Patri persoluit, & chirographum debiti, quod erat contrarium nobis, confregit: & ita contractum in testimonium persoluti debiti affixit cruci: ita vt iure Pater ab electis, pro quibus Christus satisfecit, debitorum solutionem exigere amplius nequeat. Col. 2. Et vos, cùm mortui essetis per delicta & præputiû carnis vestræ, simul cum illo viuificauit, condonans nobis omnia delicta, deleto, quod aduersus nos erat, chirographo, quod erat nobis contrarium per decreta: & illud sustulit è medio, affixum cruci, exspoliatósque principatus ac potestates ostentauit palam, triûphans de illis per semetipsum. *Secundò*, quia donata nobis fide, effecit vt sentiamus persoluta esse nostra debita: ideóque liberati omnibus debitis, virgam æternæ iræ Dei non amplius timeamus, neque conscientia nostra amplius ea virga cædatur. *Tertiò*, quia donato Spiritu suo, facit vt sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati, in sanctitate & iustitia coram ipso omnibus diebus seruiamus Deo Patri, & obsequia nostra ei propter Christum gratissima sint, perinde ac si perfectissima essent.

Huc illud Zachariæ, Luc. 1. Laudandus Dominus Deus Israelis, quia visitauit & perfecit redemptionem populo suo. Et erexit cornu salutis nobis, in domo Dauid pueri sui. Sicut locutus est per os sanctorum, qui ab æuo fuerût, Prophetarum suorum vindicationem ab inimicis nostris, & è manu omnium, qui oderunt nos: vt faciat misericordiam cum Patribus nostris, ac memor sit testamenti sui sancti: iusiurandum quod iurauit Abrahæ patri nostro, vt daret nobis: vt sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati, seruiamus ipsi in sanctitate & iustitia coram ipso, omnibus diebus vitæ nostræ.

Virga etiam exactoris, Tyrannis erat Satanæ aduersus nos: qua quotidie ad obsequia illi præstanda, & ei in omnibus parendû cædebamur, & compellebamur. Virgam hanc exactoris, id est, tyrannidem Satanæ, confregit Christus sua virga, id est, cruce: ita vt in nos nullû ius amplius habeat Satan. Huc illud Hebr. 2. Et per mortem destruxit eum, qui habebat mortis imperium. Iohan. 12. Nunc iudicium est mundi: nunc princeps huius mundi eiicietur foras. Et hoc quidem sentimus fide. Deinde donato suo Spiritu, facit, vt etiamsi Satan virga sua tentet nos cædere, ei tamen nos fortiter resistere valeamus: imò contrà illum quodammodo feriamus: tantum abest vt possit nos suo imperio subiicere. Huc illud 1. Pett. 5. Diabolus circuncuit, quærens quem deuoret: sed vos ei resistite, fortes in fide.

Virga etiam exactoris potentia est tyrannorû & principum huius seculi: seu tyrannidis mundi huius in filios Dei. Hanc etiam confregit Christus: Primò, quia effecit, vt tyranni, etiamsi corpora nostra cædere suis virgis possint, animas tamen ferire aut perdere minime valeant. Huc illud Matth. 10 Nolite timere eos, qui occidunt corpus. Secundo, quia donato suo Spiritu, facit vt neque illorum vel minas, vel tormenta, vel cruces timeamus: vel si carne timemus, non tamen Spiritu succumbamus, imò lætissimo etiam fortique animo tormenta quæque per-

feramus. Huc illud Iohan.16. Confidite, ego vici mundū. Ideo Actorum 5. ibant Apostoli gaudentes à conspectu concilij.

Omnia ista iuga, omnes has virgas, omnes has tyrannides confregit Christus. Quomodo? Respondet, dicens: *Sicut in die Midian.*

Dies Midian, pro victoria contra Midianitas accipitur. Duo indicat hæc particula: primū, hostes nostros fractos & expugnatos fuisse à Christo, sua solius virtute: ideóque nos à iugo peccati & mortis, à iugo & maledictione legis, à virga iræ Dei, à virga & tyrannide Satanæ & mundi liberatos esse, sine viribus & operibus nostris, sola Christi virtute. Non enim Gedeon & illi 300. Israelitæ, tantum Midianitarū exercitum expugnarunt, cùm & pauci essent, & omnes inermes: sed Deus solus autor fuit totius illius victoriæ. Sic & Hierosolymitani, ab obsidione Sennacheribi liberati non fuerunt suis viribus, nec suis armis exercitum illum partim perdiderunt, partim fugarunt, sed solus Deus per Angelū. Sic nos non expugnauimus hostes nostros, nos non confregimus iugum nostrum onerosum: sed Christus sua tantùm virtute. Huc pertinent infinitæ sententiæ Scripturarum, quæ salutem nostram omnino negant operibus aut viribus nostris deberi, sed soli Dei misericordiæ, & virtuti Christi acceptam ferunt: vt illud Tit.3. Non ex operibus, quæ fecimus nos, sed secundùm suam misericordiam saluos nos fecit. Deinde indicat hæc particula, *Sicut in die Midian,* licet nostris neque viribus neque operibus, sed sola Christi virtute expugnati sint hostes nostri, & Ecclesia ab hostibus liberata: tamen si volumus huiusce victoriæ & salutis per Christum partæ participes fieri, necessariam nobis esse veram viuámque fidem, qua Christum recipiamus in cordibus nostris: & apertam sonorámque fidei confessionem, qua Christum tum ore, tum tota vita confiteamur. Gedeon enim & 300. illi Israelitæ, licèt suis armis, quæ nulla habebant, hostes suos non debellarunt ipsi, sed Deus, victoria tamen illa potiti nō sunt, nisi luminibus quæ in vasis testaceis habebant & tubis, quibus sonabant & classicum canebant. Ita nos partæ per Christum victoriæ & salutis participes esse non possumus, nisi fide & fidei confessione. Nam lumen quod in lagenis testaceis habebant Israelitæ, typus fuit fidei viuæ. Hāc nos quoque in vasis his testaceis habeamus necesse est. Sic 2. Corint. 4. Paulus dicebat, loquens de hoc lumine. Deus qui iussit de tenebris lucem splendescere, illuxit in cordibus nostris, ad illuminationem cognitionis gloriæ Dei, in facie Iesu Christi. Habemus autem thesaurū hunc in testaceis vasis, vt virtutis eminentia sit Dei, & non ex nobis. Tuba vero, qua quisque Israelita canebat, typus fuit sonoræ confessionis, qua tum ore tum tota vita confitemur Christum verum esse seruatorē nostrum. Hæc duo nobis necessaria sunt, si participes esse volumus salutis per Christum partæ. Totū hoc docet Paulus ad Rom. 3 Primū concludit, sine operibus & viribus nostris manifestatam esse iustitiam Dei, & hac hominem iustificari sine operibus. Deinde docet, tantò fide & confessione opus esse, tum ad iustitiam tum ad salutē: cùm ait Roman. 10. Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Quid est, Corde creditur ad iustitiam? Corde gestatur lumen ad victoriā parandā, reportandámque de hostibus nostris. Quid, Ore autem confessio fit ad salutem. Ore & tota vita sonat tuba, ad salutem plenè & perfectè possidendam. Ecce quid indicet nobis illa particula, Sicut in die Midian. Atque hæc certè magna est materia lætitiæ, quòd Dominus à nobis exigat tantùm fidem & confessionem, lumen & tubas: hoc est, vt quantum possimus, & credamus in Dominum Iesum, & eundem confiteamur tum verbis tum factis. Subdit:

Quoniam omnis præliando prælians in tremore, & vestimentum in sanguine volutatum: & erunt, in combustionem, cibus ignis.

Summa accedit ad lætitiam nostrā, quòd videmus hostes nostros, etsi fortissimos, veteranósque milites, sanguiníque fundendo assuetos: à Christo tamen timore perculsos, & consternatos, deinde æterno igni adiudicatos esse. Hoc apertè videbimus, cùm dicet Christus tyrannis & reprobis omnibus: Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius. Hunc ignem indicat Propheta dicens: Erunt cibus ignis.

Hoc inquam faciet ad lætitiam nostram. Vnde Psal 57. Lætabitur iustus, quum videbit vindictam. Sapient. 5. Stabunt iusti in magna constantia, aduersus eos qui se angustauerunt.

VI. Iam sequitur sextum caput: nempe caussa totius huius liberationis, quæ duplex est.

Vna, per quam, & propter quam. Hæc est Christus, & Christi merita. Hanc explicat versu 5. & partim sexto: *Puer natus est nobis.*

Ac primò, per Christum tanquam per mediatorem & sequestrem inter Deum iratum, & nos inimicos propter peccatum: reconciliatio, idcóque liberatio Ecclesiæ ab ira Dei, & malis omnibus facta est. Mediator autē esse nō poterat inter Deū & homines, nisi fuisset & Deus & homo: (vt est ad Galat.) Necesse enim erat, vt esset eiusdem naturæ cum eis, quos seruare volebat, quo posset illis compati: vt Paulus docet ad Hebr. 2. Qui enim sanctificat, & qui sanctificantur, ex vno omnes, propter quam caussam non confunditur eos nominare fratres, dicens, Annuntiabo nomen tuum fratribus meis, in medio Ecclesiæ celebrabo te. Et rursum: Ego ero fidens in illo. Et iterum, Ecce ego, & pueri quos mihi dedit Deus. Postea quam igitur pueri commercium habent cum carne & sanguine, & ipse similiter particeps factus est eorundem, vt per mortē aboleret eum, qui mortis habebat imperium, hoc est diabolū, & liberos redderet eos, quicunque metu mortis per omnem vitam obnoxij erant seruituti. Vt homo igitur fieret, opus erat. Necesse enim erat, hunc mediatorem eiusdem esse cum Deo naturæ, quo ipsius mediatoris virtus & intercessio efficax esset ad homines Deo reconciliandos. Infinitæ enim virtutis esse oportebat ipsius intercessionem & mediationem. Puri autē hominis virtus finita est. Illū igitur Mediatorē, per quem facienda erat reconciliatio hæc, Deum & hominē esse oportebat. Ideo Propheta primo loco veramque Christi naturam tradit, dicens *Puer natus est nobis:* ecce hominem, *Filius datus est nobis.* Deus fortis, pater æternitatis, &c. ecce Dei filiū, verúmque Deum. Et quidē recte ait, filius: quia decebat vt filius non autem Pater, vel Spiritus S. talis esset mediator, vt aliàs docuimus in cap 7. Ecce virgo concipiet filiū. Huc spectant infinita loca Scripturarum, quæ tradunt liberationem & reconciliationē factā per Christū tanquam per mediatorē. Rom. 5. Per quē (Christū) habemus accessum ad Deum. Item per Christum tanquam per principem & fortē imperatorē, Ecclesia, quæ est regnum Dei, erepta est è manibus Satanæ tyranni, & Patri Deo restituta per Christum. 1. Cor. 15. Paulus hoc explicat, dicens: Deinde finis cum tradiderit (Christus) regnum Deo & Patri cùm euacuauerit omnem principatū, & virtutem & potestatem: Oportet autem illum regnare, donec ponat omnes inimicos sub pedibus suis. Proinde Esaias secundo loco describit eum vt optimum & fortissimū principem, qui totum principatum, & omnia principatus regnique onera humeris suis sustinet, dicens: *Cuius principatus super humerum eius.* Principatus & regnum Christi est Ecclesia: id est, electorū fideliū cœtus, iuxta illud suprà citatum Pauli verbum 1. Cor 15. Deinde finis &c. Gestamur igitur omnes nos fideles humeris Christi. Quos autē semel suscepit humeris suis gestādos, eos nunquā ex humeris suis deiicit: iuxta illud Ioh. 17. Quos dedisti mihi Pater, ego custodiui. Proinde salus nostra tuta est in Christo: quia vbicunque sumus in humeris Christi sumus, & ab eo gestamur. Ergo vbi Christus, ibi & nos. Deinde, hac particula indicat Propheta, Christum omnia sui regni onera in se vnum, & supra suos humeros recepisse. Onera autem regni, quod regnum sumus nos, in primis nostra sunt peccata. Hæc igitur in humeris sunt Christi. Esa. 53. Posuit in eo Deus omnes iniquitates nostras. Cur? Vt nos iis grauissimis oneribus exoneraret. Tertio indicat, regnum Christi de hoc mundo non esse, neque terrenum. Quæ enim in humeris gestantur, à terra eleuata sunt Christus autem humeris gestat regnum suum. Huc illud, Elegi vos de mundo. Item: Regnum meum non est de hoc mundo. Quartò indicat, curam totius regni, è manibus hostium redimendi, saluandi, custodiendi, regendi, beandi, huic vni Principi nostro à Patre esse impositam: hoc enim modo principatus est super humerum eius. Ioh. 6. Christus ipse testatur hanc sibi curam impositam fuisse, cùm ait: Descendi de cœlo, non vt faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit me, Patris. Hæc est autem voluntas eius, qui misit me, vt omne quod dedit mihi, non perdam ex eo, sed resuscitem illud in nouissimo die: id est, vt saluem, conseruem, defendam, donec tandem etiam resuscitem in nouissimo die. Indicat se continenter curare suos electos, vsque ad diem resurrectionis: tunc tradet regnum Deo & Patri.

Interim

Interim igitur, etsi in cœlis ipse sit corpore, Ecclesiam tamen etiam militantem gubernat ipse, imò in Ecclesia & per Ecclesiam contra hostes militat, eósque quotidie expugnat, donec omnes sub pedes suos subiiciat. Hinc verò consequitur, Ecclesiam, spectato hoc Principe, esse monarchiam, quia suum habet monarcham Christum, solum & vnicum. Hinc etiam sequitur, Ecclesiam nunquam esse ἀκέφαλον, quia semper habet suum caput Christum. Ergo Ecclesia vnum tantum, eúmque immortalem, & nobis semper præsentem, nósque semper regentem habet Principem & regem Christum. Videmus hac particula indicari, per Christum tanquam per sapientissimum, potentissimum & optimum principem, redemptam esse Ecclesiam è manibus hostium, idque mirabili modo, quia mortem morte, peccatum peccato, serpentem serpente deuicit. Nā mortem occidit, dum ipse mortuus est, peccatum abstulit, dum ipse factus est peccatum vt Paulus loquitur, Serpentem Satanam expugnauit, dum ipse factus est serpens in cruce exaltatus.

Ideo iure appellatur *Admirabilis*, scilicet mediator, & admirabilis princeps. Item per Christum tanquam admirabilem consiliarium, doctorem & magistrum, liberati sumus à tenebris ignorantiæ Dei, & rerum cœlestium. Euangelio, quod fuit æternum Patris consilium, per Christum nunc nobis reuelato.

Ideo vocatur *Consiliarius*, idque fecit mirabili modo. Alij enim externa tantùm voce consulunt, & docent, at Christus interna sui Spiritus actione & persuasione in cordibus electorum, suum inscribit & obsignat Euangelium, sicut promiserat per Ieremiam, Scribam legem meam in cordibus eorum, & dabo timorem meum in eorum corda, vt non recedant à me. Idcirco non tantùm vocatur *Consiliarius*, sed etiā *Admirabilis* consiliarius. Huc illud Matth. 7. Admirabantur omnes, quod non sicut Pharisæi docebat, sed loquebatur tanquam habens autoritatem, scilicet in corda auditorum. Et certè iis tribus præcipuè modis Christus Ecclesiam, hoc est, nos electos seruauit. Primò, vt mediator, reconcilians nos Patri. Secundò vt fortissimus heros, & optimus Princeps, eripiens è manibus hostium. Tertiò, vt mirabilis consiliarius & doctor, totum hoc mysterium, quod quidem æternum fuit Dei consiliū, donata nobis fide, in corda nostra inscribens, atque ita à tenebris ignorantiæ liberans. Per Christum igitur Mediatorem, Principem, admirabilem Consiliarium facta est nostra liberatio. Habemus per quem.

Nec solùm per Christū, sed etiā propter Christū liberata est Hierosolyma cœlestis, id est, Ecclesia, idque bifariā. Primo, propter Christū, id est, propter merita Christi: iis enim meruit electis suis salutem. Merita autem hæc in ipsa incarnatione inchoata sunt, in tota vita cōtinuata, in morte verò perfecta & consummata. Huc faciunt infinita Scripturarum loca, quæ salutem nostram acceptam ferunt sanguini, passioni, morti, meritis Christi. Propter hæc merita nobis donata, & nostra facta, fit vt æterna vita iure nobis debeatur. Merita hæc Christi innuit Esaias, dicens, *Puer natus est nobis*, vt scil. pro nobis legem impleret, pateretur, &c. Et præsenti illa particula, cum ait, *Et vocabitur nomen eius heros fortis*, indicauit, illum fortiter perlaturum mortem pro nobis, & hostes expugnaturum. Deinde propter Christum, tanquam caussam finalē, liberata est 2. Ecclesia. Ideo enim Ecclesia è manibus Satanæ liberata est per Christum, vt Christus, qui prædestinatus fuerat princeps & rex noster, suo tandem potiretur regno, suóque frueretur principatu, vnà cum Patre, in perpetuum in cœlo: vt Paulus innuit, cùm ait 1. Corint. 15. Deinde finis, cùm tradet regnum Deo & Patri. Significat enim, in hunc finem Christum quotidie suam colligere Ecclesiam, seu suum defendere & gubernare, atque è manibus hostium eripere regnum, in finem vsque seculi: vt illo tandem regno vnà cum Patre in cœlo æternùm perfruatur, sicut etiam nos vicissim fruemur nostro principe & rege Christo. Sed finis vltimus est gloria Dei in Christo. Huc illud in Prouerbiorū 16. Omnia propter semetipsum creauit Deus, etiam impium ad diē malum. Ergo multo magis propter semetipsum, & gloriam suam, redemit Ecclesiam suam Christus. Huc & illud Coloss. 1. Et ipse (Christus) est caput corporis Ecclesiæ, qui est principium, primogenitus ex mortuis, in quem finem hæc omnia, ait, Vt sit ipse in omnibus primatum tenens. Atque hæc est caussa cur necessarium erat Ecclesiam, id est, cœtum piorum electorum, è manibus hostium redimi: quia necesse erat, vt Christus caput esset Ecclesiæ, princépsque suo potiretur regno, quod est Ecclesia: primatum in omnibus tenens. Caussam hanc finalem tangit Propheta, quùm ait, *Quoniam puer natus est nobis, ad proferendum imperium, & ad pacem quæ finem non habet: super solium Dauidis & super regnum eius sedebit, vt instauret illud, & fulciat iudicio & iustitia ab hinc vsque in sempiternum. Zelus Domini exercituum faciet hoc.* Quasi dicat: Ideo necessarium est, vt Hierosolyma redimatur, quia decretum est à Deo, vt Messias nobis, & è nobis nasceretur, qui in ea Hierosolyma regnet, id est in Ecclesia, & vt regnum Dauidis instauret, firmet in perpetuum, amplificétque.

Caussa *altera* salutis nostræ est efficiens & principalis quidem caussa, fons atque origo totius salutis: ea est cum æternus & constans Dei erga suam Ecclesiā amor: tū suæ ipsius gloriæ & honoris zelus. Hæc enim duo nomine zeli hoc loco intelliguntur.

Ac primum quidem, vt de amore Dei erga nos dicam; radix salutis nostræ fuit ille Dei amor æternus & constans erga nos. *Æternus*, quia ab æterno nos dilexit Pater. non enim cœpit in tempore nos diligere, alioqui mutatio caderet in Deum: sed ab æterno dilexit. Testimonia Scripturarum confirmant. Hierem. 31. In charitate perpetua dilexi te. Iohan. 3. Sic Deus dilexit mundum, vt filiū suum vnigenitum daret. Dedit autem etiam ab initio mundi quodāmodo: quia agnus fuit occisus ab origine mundi: Iohan. 17. Dilexisti eos, sicut me dilexisti: dilexisti autem me ante conditum mundum. 1. Iohan. 4. Ipse prior dilexit nos, nos in tempore diliximus Deum. Ergo Deus ante tempora, item prædestinauit nos ab æterno: vt Paulus Ephes. 1. testatur. Ergo ab æterno dilexit. prædestinasse enim, est dilexisse ad æternam vitam. Roman. 9. Antequam quicquam boni fecissent, Iacob dilexi, &c. Amor ergo Dei erga nos æternus est. *Constans*, id est, immutabilis continuatus & perpetuus. Ego Deus, & non muto. Deus immutabilis est, ergo & amor: quia amor Dei est ipse Deus amans. Esa. 49. Et dixit Zion: Dereliquit me Dominus, & Dominus oblitus est mei. Nunquid obliuisci potest mulier infantem suum, vt non misereatur filij vteri sui? Et si illa oblita fuerit: ego tamen non obliuiscar tui. Oseæ 11. Quomodo dabo te Ephraim (inimicis tuis?) Quomodo te tradam ô Israel? non faciam pro æstu nasi mei: non vertar vt Ephraim perdam, quoniam ego sum Deus, & non homo: id est, constans in amore: id quod non potest semper homo: & qui possū iram continere, id quod non potest homo: Rom. 8. Quis nos separabit à dilectione Dei qua scilicet nos diligit? Indicant & hi & alij, innumeri loci amorem Dei erga nos constantem, immobilem & perpetuum esse: & vbi cœpit aliquem ab æterno amare, Deum suum erga illum amorem continuare in perpetuum.

Christus, qui est imago Patris, & in cuius amore resplēdet amor Patris, item confirmat. Iohan. enim 13. de Christi amore erga discipulos suos sic ait: Et cum dilexisset suos in finem dilexit eos. Ergo & Pater, quos cœpit ab æterno diligere, eos diligere pergit in finem vsque seculi: imo in perpetuum. Amor ille Dei erga nos, fons est totius salutis nostræ. Hinc enim factum est, vt nos prædestinarit ad æternam vitam in Christo, vt Christum miserit in mundum, vt nos vocarit per Euangelij prædicationē, vt nos iustificarit, vt quotidiana peccata condonet, vt denique daturus sit vitam æternam. Amorem hunc appellat Iesaias zelum Domini: tum vt indicet vehementem esse amorem & ardentem: sicut amor viri erga charissimā vxorem; tum propter dolorem & metum, qui cum tali amore cōiuncti esse solent. Dolemus enim vehementer, si persona à nobis amata, ab alio possideatur: Et recuperata, ne denuo eripiatur, metuimus. Fateor in Deum nō cadere tales passiones: si tamen iuxta consuetudinem Scripturarum loqui liceat, Deus sicut ab æterno nos electos amat, sic quum à Satana occupamur, suo modo dolet, & redempti, ne denuo rapiamur, metuit, hoc est, & captiuos nos teneri à diabolo non probat, & ne captiui fiamus, diligenter curat. Hæc enim natura est zeli. Hinc fit, vt cùm sit potentissimus, nullo modo sit permissurus nos electos & charos à Satana sibi eripi. Ergo cùm ait, *Zelus Domini faciet hoc*, perinde est, ac si dicat: Quia Dominus ab æterno nos ardenter & constanter amat, & ita amat, vt & ipsi vehemēter displiceat nos à Satana possideri, & ne ipsius manibus erepti, in sempiternum pereamus, efficit, idcirco omnino & extra omnem controuersiam Dominus faciet hoc, id est, liberabit & saluabit nos per filium suum, puerum nobis natum. Habemus hic vnam caussam salutis nostræ efficientem & necessariam: id est, zelum Domini, seu ardentem amorem erga nos.

Altera caussa efficiens nostræ salutis fuit zelus quo Dominus gloriam suam zelabat & zelat. Zelus iste ferre non poterat, vt præter reprobos, etiam electi in manibus Satanæ perpetuo detinerentur. Iesa. 42. Gloriam meã alteri non dabo. Quæ est hæc gloria? Nempe quòd ego solus sim verus, & agnoscar vt verus Deus, qui suis stat promissis: ita vt præter me nullus alius pro tali Deo habeatur. Promiserat autem Deus iste, se fore in Deum Abrahæ & semini eius (id est, electis fidelibus, qui sunt semen Abrahæ verum, secundùm Spiritum, vt est Rom. 2.) eóque illos redempturum. Iam si Deus iste electos non redemisset, non fuisset agnitus vt illorum Deus. Ad gloriã igitur Domini non pertinebat permittere vt electorũ Ecclesia in perpetuis esset tenebris, & à Satana prorsus occuparetur. Quare zelus Domini, quo partim suam ipsius gloriã, partim nos ipsos zelabat, id est, ardenter, perpetuò & constanter amabat & amat: FACIT HOC: id est, caussa fuit efficiens principalis, salutis nostræ per Christum partæ & conseruatæ. Habemus sextum caput huius vaticinij.

VII. Septimum caput est, quomodo ex hoc contextu Iesaiæ possit quisque fidelis, se in certitudine suæ æternæ & certiss. salutis confirmare. Nam hic est finis huius vaticinij Iesaiæ, vt sc. pij (quo ad historiã) qui erant Hierosolymis, in fide confirmarentur, fieri non posse, vt Hierosolyma, regnúmque Dauidis ab Assur destruatur. Quo verò ad Ecclesiã Christi, vt quisque nostrûm in fide, de certissima securissimáque, tum totius Ecclesiæ, tum sui ipsius salute confirmetur. Atque hæc ingens consolatio & fructus qui ex hoc contextu hauriendus est.

Iam, vt hoc fiat, ante omnia fundamentũ vnum iaciendum est illúdque bene firmandum, supra quod tota structura de certitudine salutis statuenda & confirmanda est. Fundamentum hoc est: Nemini contingit, aut contingere potest salus & vita æterna, seu cœleste regnũ, nisi electis ad salutem, vitã, regnúmque cœleste. Mat. 20. duobus filiis Zebedæi petentibus à Christo, vt alter à dextris, alter à sinistris in suo regno illi assiderent, sic Christus respondit: Calicẽ quidem meũ bibetis. sedere autem à dextris, vel à sinistris in regno meo non est meum dare vobis, sed quibus paratũ est à Patre meo. Indicauit, cœleste regnum non posse dari, nisi electis, quibus ab æterno illud præparatum fuit à Patre. Matth. 25. Tunc dicet iis, qui à dextris: Venite benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est à constitutione mundi. Roman. 8. Quos prædestinauit, hos & vocauit: quos vocauit, hos & iustificauit: quos iustificauit, hos & glorificauit. Docet Paulus, neminem in æterna vita & cœlesti regno glorificatum iri, nisi qui ad eam gloriam & æternam vitam ab æterno fuerit prædestinatus. Nemo enim seruari potest, & ad æternam vitam peruenire, nisi quos Deus præsciuit seruandos: seu quos præamauit, & vt suos præcognouit (Deum enim nihil ab æterno latuit) & quos ipse ab æterno decreuit seruare. salus enim à Deo est. hoc autem est prædestinasse ad salutem. Ergo salus non contingit nisi electis.

Cùm hoc ita se habeat, consequitur necessariò, neminẽ igitur de sui salute certiorem posse fieri, nisi certus fiat de æterna sui electione.

Vt verò quis certiori fieri possit de æterna sui ad æternam vitam electione, duæ sunt viæ, vna à priori (vt vocant) altera à posteriori. A priori vocamus, quæ est à caussis: caussa autẽ sicut electionis, sic etiã salutis nostræ efficiens, est Christus, Non vos, inquit, me elegistis, sed ego elegi vos. Idem salutem sanguine suo partam nobis communicat, & in nobis efficit, tũ verbo, quod etiã Sacramentis obsignat, tum Spiritu suo in nobis efficaciter operante, & testimoniũ Spiritui nostro reddente, quòd simus Filij Dei. Possumus igitur & à verbo, quo Christus nobis loquitur, tanquam à caussa instrumentali salutis nostræ, & à Spiritu Christi in nobis habitante, & salutem efficaciter operante argumenta ducere: id quod à priori argumentari dicimus.

A posteriori autem viam vocamus, quæ est ab effectis: Effecta autem hæc sunt, efficax vocatio, iustificatio, sanctificatio, pax conscientiæ, & alia de quibus postea. Nunc priorem viam ingrediamur: & primum à verbo Euangelij argumenta ducamus: Euangelium enim, sicut est caussa instrumentalis salutis & fidei nostræ (fides enim est ex auditu verbi Christi) sic etiam est certitudinis, quod simus Filij Dei, eóque ad hanc *υἱοθεσίαν* in Christo electi: quando fides nihil aliud est, quàm certa persuasio, è verbo Dei concepta, quod simus in Christo gratis electi, per Christum seruati, & cum Ecclesia Christi glorificandi. A verbo igitur Euangelij si confirmare nos possumus, quòd simus ad æternam vitam electi.

I. Iubemur à Christo credere Euangelio, & toti quidem Euangelio, id est, omnibus quæ Euangelium annuntiat. Marc. 1. Pœnitentiam agite, & credite Euangelio: atque ita iubemur, vt nisi credamus Euangelio, pereamus, & damnemur. Atqui Euangelium annuntiat, quòd simus electi ad æternam vitam: Ephes. 1. Benedictus Deus & pater Domini nostri Iesu Christi, sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, vt essemus sancti & immaculati in conspectu eius in charitate, qui prædestinauit nos in adoptionem filiorum Dei per Iesum Christum. Ergo quia iubemur credere Euangelio: Euangelium autem, sicut annuntiat nos esse redemptos per Christum, sic etiam prædicat nos esse prædestinatos in Christo: idcirco sicut iubemur credere simpliciter, nos esse per Christum redemptos: sic iubemur simpliciter credere, nos ab æterno fuisse in Christo, ad habendam redemtionem & vitam æternam, prædestinatos.

II. Iubemur credere, quòd Deus ab æterno nos diligat ad æternam vitam. Hoc enim annuntiat Euangelium, Iohan 3. Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum dederit, vt quicunque credit in eum, habeat vitam æternam. Ioh. 17. Dilexisti eos (loquitur de credituris omnibus) sicut & me dilexisti, dilexisti autem me ante mundi constitutionem. 1. Ioh. 4. Ipse prior dilexit nos. Omnes ij & alij similes in Euangelio loci, qui de amore Dei erga nos loquuntur, de amore ad æternam vitam intelligendi sunt. Est enim duplex amor Dei. Vnus, quo omnes, etiam reprobos, omnia denique amat: quia omnibus bene vult, & benefacit. Sap. 11. Diligis omnia quæ sunt, & nihil odisti eorum quæ fecisti. Alter, quo specialiter quosdã amat ad vitam æternam. Hi vocantur electi. Rom. 9. Iacob dilexi, Esau autem odio habui. De hoc amore loquitur Euangelium, cùm nobis proponit quod Deus nos amet. Iam iubemur credere quod Deus nos amet ad æternam vitam, vt iam ostendimus. Atqui Deum amare aliquem ad æternam vitam, est illum ad æternam vitam prædestinasse. Iubemur ergo credere, ad æternam vitam prædestinatos nos esse.

III. Iubemur credere, quòd Christus natus sit pro nobis, orarit pro nobis, passus sit pro nobis, mortuus sit pro nobis, ita vt vnusquisque iubeatur credere, quod pro se passus & mortuus sit: sicut & Paulus dicebat Galat. 2. Qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me: hoc enim prædicat Euangelium, & sic confitemur in Symbolo. Atqui Christus secundùm propositum voluntatis & Patris & suæ, non orauit, nec passus est nisi pro electis. Patet de oratione, Iohan. 17. Non rogo pro mundo. De passione & morte inde concluditur à minori ad maius. Deinde confirmatur Iesa. 53. Et ipse peccata multorum portabit: non ait omnium, sed multorum: id est, electorum. Dan. 9. Et roborabit fœdus cum multis: id est, cũ electis. Et Apostolus ad Hebr 9. Christus semel oblatus est, vt multorũ peccata tolleret. Et Christus in cœna de suo sanguine ait: Qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Ioh. 11. Prophetauit, quod Iesus moriturus erat, non solum pro gente Iudaica, sed vt filios Dei (id est, electos) qui erant dispersi (inter gentes) congregaret in vnum, 1. Iohan. 2. Qui est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam pro peccatis totius mundi. Quid est pro peccatis totius mundi? pro peccatis omnium electorum, qui sunt, fuerunt, & futuri sunt in mundo: non solùm pro nostris. Et locus ille respondet illi suprà citato: Christus moriturus erat pro gente: nec pro gente tantùm, sed vt filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in vnum. Cùm ergo iubeamur credere, Christum pro nobis mortuum, & non sit mortuus, nisi pro electis, vt Euangelium tradit: ergo iubemur credere nos esse electos.

IV. Iubemur credere, quòd Deus sit Pater noster, nósque eius filij: & ita iubemur eum quotidie vt patrem inuocare, dicentes, Pater noster. Sic enim prædicat Euangelium, cui toti tenemur credere. Atqui Deum nobis esse Patrem, nósque eius filios, quid est, nisi Deum nos elegisse in filios in Christo & propter Christum? Sicut ait Paulus Ephes. 1. Qui prædestinauit nos in adoptionem filiorum, per Christum, in ipsum. Iohan. 11. Vt filios Dei congregaret in vnum. Iubemur ergo credere, nos esse prædestinatos in filios Dei, à Patre æterno, in Christo. HOC pacto studiosi à partibus Euangelij, seu ab iis singulis quæ nobis annuntiat Euangelium, quæ omnia non nisi in electis locum habere possunt, discant argumentari: & videbunt consequi necessariò, si iubemur credere Euange-

lio,

lio, & singulis quæ annunciat Euangelium bona nuntia: nos igitur iuberi credere, quod simus ad æternam vitam electi. Tunc confirmemus conscientias nostras in certitudine de nostri prædestinatione, ideóque de salute æterna, hoc modo: Iubeor credere quod sim prædestinatus: ergo exitar vt credam: & sicut credo Christum pro me passum, ita volo credere me esse electum in Christo ad vitam. Cur enim me ab hac æterna Electione excludam, in qua me, vna cum aliis credentibus in Christum, Euangelium includit? Hic est primus modus argumentadi a priori: nempe à verbo Euangelij cui iubemur credere, & quod caussa est instrumentalis salutis, fidei, & certitudinis nostræ.

V. Alter modus est à caussa verè efficiente salutis fideique nostræ, & certitudinis de nostra salute. Hæc caussa efficiens est Spiritus sanctus in nobis inhabitans. Quisque fidelis in seipso testimonium habet Spiritus sancti, quod sit filius Dei Rom. 8. Spiritus autem sanctus testimonium reddit Spiritui nostro, quod filij Dei sumus. Gal 5. Quoniam autem estis filij Dei, misit Deus Spiritum filij sui in corda vestra, quo clamatis Abba Pater, 1. Iohan. 3. Scimus quod manet in nobis Christus, ex Spiritu quem dedit nobis. Atqui testimonium habere, quod sumus filij Dei est testimonium habere, quod sumus electi. nemo enim esse filius Dei potest, nisi electus sit in adoptionem filiorum Dei. Ephes. 1. Ergo quisque fidelis, quia testimonium habet Spiritus sancti, quod filius Dei sit habet etiam per consequens testimonium quod sit electus. Quoties ergo sentimus in nobis ipsis testimonium hoc Spiritus sancti, per certam fiduciam in Christum, quod simus filij Dei, tunc concludamus: Igitur nos sumus electi ad æternam vitam.

A posteriori verò seu ab effectis quæ in nobis sentimus & experimur, confirmare etiam nos certo possumus in certitudine nostræ salutis: nos scilicet prædestinatos esse ad salutem & æternam vitam.

VI. Primus effectus est, vera Dei & Christi cognitio seu lux & fides solida, qua tum Deum vt Patrem in Christo tum Christum vt saluatorem agnoscimus & amplectimur, eique vocanti nos per Euangelium assentimur. Hoc est initium salutis nostræ quod in nobis sentimus: efficax vocatio interna Dei, & fides nostra assentiens: Roman. 8 Quos prædestinauit: hos & vocauit. Iesaias etiam hanc primo loco ponit dicens: Populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam, & lux affulsit eis, qui sedebant in regione vmbræ mortis. Sic ergo nos confirmemus: Qui vera & solida præditus est fide. & cui lux fidei interne in corde affulsit, qua vere videt lucem Deum, & Christum, illúmque vt Patrem, & hunc vt saluatorem amplectitur: hic est ad æternam vitam prædestinatus, neque enim quisquam solidam hanc fidem habere, & lucem diuinam videre potest nisi electus sit. Patet testimoniis Scripturarum Iohan. 6. Omne quod dedit mihi Pater ad me veniet, id est, illi tantum, quos dedit mihi Pater in prædestinatione, ad me venient per fidem: Et ego eum qui venerit ad me, non eiiciam foras: i. perpetuo in mea gratia seruabo, & tandem in possessionem æternæ vitæ introducam. Mat. 13. Vobis datum est nosse mysteria. Quasi dicat: quia electi estis. ideo vobis affulsit lux & datum est vt lucem videatis. Ioh 12. Et non poterant credere, quia dixit Iesaias: Excæcabo cor populi huius, vt videntes non videant, audientes non audiant: Hoc est, quia reprobi erant, destinati ad excæcationem iusto Dei iudicio. Actorum 13. Et crediderunt quotquot erant præordinati ad vitam æternam.

Vocatio efficax, cum scilicet quis ita vocatur, vt fide vocanti assentiatur: tantum est electorum. Sic enim Paulus coniungit: Quos prædestinauit, hos (tantum) vocauit. Rom. 8.

2. Corint. 4. Quod si opertum est nostrum Euangelium, iis qui pereunt opertum est, in quibus Deus huius seculi excæcauit mentes infidelium, ne illucesceret illis lumen Euangelij gloriæ Christi.

Tit. 1. Fidem solidam & agnitionem veritatis dat solis electis, dicens: Paulus Dei seruus, secundum fidem electorum Dei, & agnitionem veritatis, quæ secundum pietatem est in spem vitæ æternæ.

At reprobi & hypocritæ multi habent fidem, licet temporariam. Respôdeo. Non est illa vera & solida fides. Qui enim vera & solida fide in Christum credit, iam habet ius certum & immutabile vitæ æternæ, Iohan. 6. Qui credit in me, habet vitam æternam, id est, etsi non plenam possessionem. ius tamen certum, quod infallibiliter plenam etiam possessionem habiturus sit. Atqui reprobi non sunt habituri vitam æternam, ideo nec ius ipsum habêt, quare nec fidem & veram Manifesta est ex iis Maior propositio: veram fidem tantum esse electorum: ac proinde qui verã habent fidem, esse electos. Subdat quisque fidelis Minorê dicendo: Atqui sentio in corde meo, mihi affulsisse diuina luce ad Euangelij prædicationê, & donatam esse verã viuámque fidem: qua, cum ante in maximis essem tenebris, nunc video, solidéque sentio mihi per Christum, Deum factum esse patrem: & Christum meum video esse seruatorem, vereque pro me Patri satisfecisse: ita vt verè cum Paulo illud sentiam me posse dicere, quod est 2. Corinth. 4. Deus qui iussit de tenebris lucem splendescere, illuxit in corde meo, ad illuminationem scientiæ claritatis Dei. Iam cùm lux hæc in cordibus tantum electorum effulgeat, & fides hæc sit duntaxat electorum: in me autem sentiam hanc fidê, & lux hæc mihi affulserit atque affulgeat: consequitur ergo, me ad æternam vitam à Deo per Christum gratis prædestinatum fuisse. Cur ergo dubitem de mea prædestinatione, ideóque de mea salute?

At (inquiet aliquis) nemo potest certò cognoscere, an præditus sit vera fide nec ne. Contra docet Apostolus, nô solum suo exemplo, dicens Scio cui credidi, sed etiam exhortatione, cum ait 2. Corint. 13 Tentate vosmetipsos, an sitis in fide: ipsi vos probate. An non cognoscitis, quod Christus in vobis est, nisi forte reprobi sitis? Spero autem quod cognoscetis, quia non sumus reprobi. Docet hic locus Pauli, primum: fidem, ideóque Christum fide apprehensum, non posse esse in reprobis: fidem igitur tantum esse electorum. Deinde, Quemque, qui fidem habet, & Christum in se, posse certo cognoscere se habere fidem. Postremo: Debere quemque fidelem certo statuere, se esse non ex reprobis sed ex electis. Si nemo potest certò cognoscere, se præditum esse vera in Christum fide: quomodo igitur Christus adigebat homines ad confitendum fidem, dicens: Credis? Quomodo etiam fideles possent respondere, Credo? dicendum potius esset, Nescio an verè credam. 1. Ioh. 3. Per hoc nouimus quod habitat in nobis, ex Spiritu quem dedit nobis.

Patres etiam confirmant sententiam nostram.

Augustinus Tom. 2. Epist. 112. c. 3. 4. 5. Fides ipsa (inquit) mente vtique videtur: quamuis hoc fide credatur, quod non videtur. Item, videt fidelis ipsam fidem suam, qua se credere, sine dubitatione respondet. Item cap. 4. Menti nostra (inquit) fides nostra conspicua est. Et cap. 5. Mente (ait) ipsam in nobis, qua credimus fidem videmus.

Summa igitur argumenti est. Fidem tantum esse electorum Quicunque fide præditus est, scire certo potest se fidem habere. Quisque ergo fidelis côcludere certo potest & debet, se esse ad vitam æternam electum Hoc argumentum à posteriori, quo confirmamus nos in fide, quod simus prædestinati ad vitam æternam, ex primo versu Esaiæ colligimus: Populus qui ambulabat in tenebris vidit lucem magnam. Ergo certissime saluus est, & electus ad æternam vitam.

VII. Secundus prædestinationis effectus est iustificatio, Roman. 8. Quos vocauit, hos & iustificauit. Quicunque iustificatus est: electus & prædestinatus fuit ab æterno ad iustificationem & salutem. Patet ex catena Pauli indissolubili, Roman. 8. Quos prædestinauit, hos (solos) iustificauit &c. Atqui sentio (dicet fidelis) me esse iustificatum, mihi condonati peccata: & quidem verè potest hoc scire & dicere, qui fidelis est, quia fide iustificatur homo. Scit autem fidelis certo se habere fidem. Ergo qui dubitare debeo, me esse ab æterno ad æternam salutem prædestinatum?

VIII. Tertius est pax & gaudium in conscientia, quo fideles mirabiliter exsultant. idque coram Deo, quod videant se factos esse filios Dei, Rom. 5. Iustificati ergo ex fide, pacem habemus apud Deum Iesaias fructum hûc explicans dicit: Lætabuntur coram te, sicut qui in messe, & qui diuidunt spolia. Gaudium hoc. & pax, propria est electorum: quia à iustificatione & fide, quæ propriæ sunt electorum (vt vidimus) proficiscuntur.

IX. Ab effecto illo, quo quisque verè fidelis sentit in seipso, fractû esse per Christum iugum peccati & mortis: itê iugû, i. durã exactionem & maledictionê legis: item virgã exactoris, id est, metû iræ Dei æternæ: item virgam, id est, tyrannidem Satanæ aduersus nos. item tyrannidem mûdi, ex eo inquam, quod quisque fidelis sentit reuera in se fide & Spiritu & experientia, fracta esse per Christum omnia hæc iuga, eo modo, quo supra declarauimus, potest se confirmare in certitudine de sui electione, ideóque de

homo multa signa facit. Hoc pacto Christus petra scandali illis fuit: sed indirectè, & per accidens. Hoc pacto Apostoli odor erant mortis in mortem, iis qui pereunt: sed ex accidenti. Sicut etiam suauissimum vinum, mortem affert ægroto, sed id vitio ægroti, non autem vini fit. Quia tamen ille ægrotus non moreretur ita cito, nisi vinum illi datum fuisset: dicimus, illum qui dedit vinũ bonum ægroto, ægrotum occidisse. Sic, nisi Deus offerret impiis illis miracula, verbum, Sacramenta, & alia beneficia, item, nisi ita durè flagellarentur, non ita indurarentur & excæcarentur. Sic etiam Christus ait de Iudæis: Si non venissem, & locutus eis non fuissem, peccatum non haberent. Ideo dum hæc illis obiicit Deus, & illi iis, suo ipsorum vitio, excæcantur: dicitur Deus illos indurare. Sensus hic verus est. Et huc pertinet illud Ieremiæ 6. ver. 21. Ecce ego ponã (ait Dominus) populo illi offendicula, & offendent in ea patres & filij simul: vicinus & socius eius peribunt. Sed neq̃ue hoc sufficit, meo iudicio. Requiritur enim adhuc interna actio Dei in corde impij: quia omniũ corda sunt in manu eius, & ipse ea flectit quocunque vult, ait Scriptura.

Quarta itaque, veriórque sententia est, quandam Dei actionem requiri, qua agat in corde impij: quia exteriora obiecta, ad illum indurandum non sufficiunt. Patet hoc primò in excæcatione & induratione Pharaonis, Exod. 7. & 9. in hac excæcatione & induratione Pharaonis tria video concurrisse: Prædicationem verbi per Aaronem: Miracula quæ per Mosen edebantur: & Actionem Dei internam, qua cor illius indurabat. Sic enim Deus hæc tria distribuit: Mosi dat vim edendi miracula: Aaroni virtutem loquendi: sibi reseruat vim indurandi. ait enim: Ego vero indurabo cor Pharaonis.

Deinde. Exod. 14. locus est perspicuus: Iubet Dominus, vt populus iam ex Ægypto egressus, iter suum conuertat Phihairoh, seu ante fauces Hairotha. Quare? Hoc consilio, vt Pharao arbitratus Israelitas regionum ignaros hærere, & syluis conclusos teneri, Domino ipsius cor indurante, Israelitas persequeretur: & ita à Domino ipse in nassam traheretur deceptus, & in eo, eiúsque exercitu perdito, Deus glorificaretur. Hic apertè ait Dominus: Et indurabo cor eius, & persequetur vos. Indicat hic Dominus se interna actione cor Pharaonis indurasse: immisit enim in cor eius opinionem, qua deceptus putauit populum syluis conclusum, facilè posse capi. Adde, quod Deut. 28. vbi describuntur maledictiones, quas prædicit venturas super eos, qui legem Domini non audiunt: inter alias hanc recenset Moses: Dominus percutiet eos amentia, cæcitate, Spiritu vertiginis, &c. Indicat hic locus, Dominum rebelles & contumaces solere interna sua actione, sed ineffabili excæcare, amentes reddere, Spiritu vertiginis agitare. Huc illud Ier. 13. v. 12. loquens enim de populo hoc Iudaico, quòd eum Dominus esset Spiritu vertiginis & infatuationis agitaturus: Spiritum vertiginis vino & siceræ comparat: populum vero lagenæ, quæ vino & sicera impleatur: Dominus autem est, qui implet lagenam hãc vino hoc. Omnis lagena, inquit, implebitur vino & sicera, docet autem, Dominum interna actione, impios rebelles Spiritu vertiginis agitare: vt ceu ebrij qui sui compotes non sunt stulta agant. Pertinet huc & illud Prou. 21. Cor regis in manu Domini. & quocũque voluerit flectet illud, manifestè docet his verbis omnium corda in manu esse Domini, & Dominum ea vertere quocunque vult. Quomodo? interna sua, sed iusta actione. Hac de re legatur Augustinus Tom. 7. lib. de Gratia & libero arbitrio, cap. 20. & 21. ibi permultis autoritatibus & exemplis Scripturarum ostendit, Deum omnium hominum voluntates & corda, interna sua, sed ineffabili actione flectere quocunque vult. Idem docet de Prædestinatione sanctorum lib. 1. cap. 20. Agit Deus (inquit) quod vult in cordibus hominum, vel adiuuando, vel iudicando: vt per ea impleatur quod manus eius & consilium prædestinauit fieri. Legito reliqua. Item, in eodem Tom. 7. lib. 5. contra Iulianum Pelagianum, cap. 3. col. 1067. & deinceps. Iulianus Pelagianus contendebat, hæc dicta Scripturarum (nempe Deum excæcare, indurare, tradere in desideria cordis, & in passiones ignominiæ) sic esse intelligenda: quòd Deus hæc faceret in impiis, illos deserendo, & per patientiam permittendo illos excæcari, & in desideria varia tradi, id est, in desideriis, quibus antea æstuabant, relinquendo, negabat autem Deum per potentiam suam illos in hæc talia facta & scelera tradere, vnde & hæc verba Iuliani recitat Augustinus colum. 1067. Quomodo igitur (dicebat Iulianus) per potentiam tradentis Dei putandi sunt in talia facta cecidisse? Contra quam Iuliani sententiam scribit Augustinus, & in summa concludit, Deum hæc operari in impiis, non per patientiam tantùm, & permissionem: sed per potentiam suam, illos in hæc peccata, cæcitatem, & alia impellendo, non tamen inuitos, aut coactos, quamquam miris & ineffabilibus id modis faciat. Vnde colum. 1069. sic contra Iulianum ait: Quid est autem quod dicis, Cum desideriis suis tradi dicuntur, relicti per patientiam intelligendi sunt, non per potentiam in peccata compulsi? Quasi non simul posuerit hæc duo idem Apostolus, & potentiam & patientiam, vbi ait, Si autem Deus volens ostẽdere iram, & demonstrare potentiam suam, pertulit in multa patientia vasa iræ? Quid horum tamen dices esse, quod scriptum est, Et Propheta si errauerit, & locutus fuerit, ego Dominus seduxi Prophetam illum, & extendam manum meam in illum, & exterminabo eũm de medio populi mei Israel. patientia est, an potentia?

Item eadem colum. 1069. prope finem. contra eos, qui iactant, permittere Deum fieri mala, quasi nolens permittat, ait, Deum permittere mala, sed volentem permittere: eò tamen non peccare Deum, licet possit eos impedire, id quod nobis certè contingere non potest. Nos certè (inquit Augustinus) si eos, in quos nobis potestas est, ante oculos nostros perpetrare scelera permittamus, rei cum ipsis erimus. Quàm verò innumerabilia ille (Deus) permittit fieri ante oculos suos, quæ vtique, si noluisset, nulla ratione permitteret, & tamen iustus & bonus est. Item col. 1071. contra sententiam Iuliani ait, Quis vero ita desipiat, vt cum audierit, quod in Psal. canitur, Ne tradas me Domine, à desiderio meo, peccatori, hoc dicat orasse hominem, ne Deus sit patiens erga illum, si Deus non tradit vt mala fiant, nisi patientem bonitatem præbendo eum? etc. Quid est autem, quod quotidie dicimus, Ne nos inferas in tentationem, nisi, vt non tradamur concupiscentiis nostris: Hæc ille. Sed notandum, hanc Dei actionem, qua dicimus eum excæcare & indurare reprobos, bifariam considerari posse, Primò immediatè, quatenus scilicet Deus immediatè, sine interno alterius ministerio, excæcare & indurare prædicatur in Scripturis, vt cum dicunt, Deus indurauit cor Pharaonis, immittit enim in illorum corda, cogitationes per se bonas, sicut & oculis bona obiicit obiecta, sed quibus illi abutentes, magis ac magis obdurantur, vt paulo antè dixi de Pharaone. Secundò mediatè, quatenus scilicet Deus per ministerium Satanæ, sui carnificis, excæcare & indurare dicitur, vt 2. Cor. 4. In quibus (scilicet pereuntibus & reprobis) Deus huius seculi (id est, Satan, qui etiam dicitur princeps huius mundi. in Euangelio Iohannis) excæcauit mentes infidelium. Sæpenumero enim Deus, volens impium aliquem punire, tradit illum in manus Satanæ, carnificis diuinæ iustitiæ, vt ipse eum excæcet, induret, in praua desideria tradat, in passiones ignominiæ, ipse autem carnifex Satan diligenter suum facit officium. Hoc est, quod ait Paulus, Deus seculi, id est, Satan, excæcat mentes infidelium. Quanquam nonnulli etiam ex Patribus locum hunc sic exposuerunt. Deus, scilicet verus, excæcauit mentes infidelium. Iren. lib. 3. cap. 7.

Dubitandum igitur non est, Deum quosdam (id est, reprobos, & in primis verbi Dei contemptores) excæcare, indurare, & in desideria cordis & praua flagitia tradere idque non tantum permittendo (quæ permissio semper est voluntaria) nec tantùm gratiam subtrahendo, nec tantùm externa offendicula, in quæ impingant, reprobis obiiciendo, sed etiam interna quadam particulari, sed ineffabili actione, eaque vel immediatè per se, vel mediatè per ministerium Satanæ, eos in cæcitatem, obdurationem & praua desideria impellendo, sed non cogendo. Neque ob id tamen Deum esse, vel dici posse peccati autorem vel caussam, quia semper iustus est & nihil agit iniustè, neque iniustitiam cuipiam indit, instillátve. At hic multum obstrepit prudentia carnis, multáque habet quæ obiiciat. Si hæc ita se habeant (inquit humana prudentia.) Quomodo ergo Deus iubet, ideóque vult, vt homo vitet peccata, non mœchetur, non furetur, sed potius vt resipiscat, sic enim iubet, Non mœchaberis, non occides, pœnitentiam agite, conuertimini ad me, si ipse est qui excæcat, indurat, ne conuertantur, ne resipiscant, & tradit in varia desideria, in passiones ignominiæ, vt faciant quæ non conueniunt? An non hoc est illudere hominibus? Sic certè iudicat prudentia carnis.

Hæc & alia multa obiicit, ad quæ singula si respondere velim, nimis prolixus fuero. Itaque rogo legatis obiecta

iecta

...cta hæc prudentiæ carnis. & quid ad hæc etiam respon... cri debeat. in Comment. Buceri super cap. 9. Epistolæ ad ...om. in conciliatione harum sententiarū: Deus quos vult ...durat, & Deus vult omnes homines saluos fieri: & quæ ...m vtrisque consonant. Summa responsionis ad hæc o...nia, est: In iis Dei iudiciis, quæ sunt abyssus multa, nō es... audiendam prudentiam carnis nostræ: sed simpliciter ...quendum Dei verbum, quod aperte tradit, Deum omni...us præcipere vt credant, vt vitent peccata, vt resipiscat, atque hoc esse officium nostrum. Eundem tamen etiam Deum quosdam excæcare ne credant, indurare ne resipiscant, tradere in desideria cordis, vt faciant quæ non debent: atque hoc esse iudicium Dei iustissimum: & licet nobis occultum, adorandum tamen. In iis igitur iudiciis non esse audiendam carnem. Si enim rationi humanæ de omnium iudice Deo iudicare semel permittas: semper ill... habebit quod in iudiciis Dei criminetur. Sunt multa quæ Deus vult vt adoremus & suspiciamus: non autem vult vt cognoscamus & videamus. My[st]eria diuina, quæ erant in Sancto sanctorum, volebat Deus ab omnibus adorari & suspici: non autem videri aut connectari: sed contentos omnes esse debere iis, quæ tum audiebantur, tum cernebantur in altero atrio, quod sanctum vocabatur. Debemus igitur contenti esse iis, quæ audimus & cernimus in Ecclesia, verbo scilicet reuelato, & Sacramentis: quæ autem latent in Sancto sanctorum hoc est in cœlo, & in pectore Dei, inuestiganda nobis non sunt: sed tantum suspicienda, atque adoranda.

Idem docent etiam Patres. Tertullianus contra Marcionem lib. 2. pag. 181. de eadem materia loquens: Stultissimi (ait) qui de humanis diuina præiudicant. Ad vnam tantum obiectionem (quoniam magni est momenti, multique docti & pij eam subinde vrgent, contra hanc, quam explicauimus, doctrinam) respondebo. Quomodo (inquiunt) cohærere hæc possunt: Deum tradere homines in desideria cordis, vt faciant quæ non decent, & excæcare & indurare ne possint credere: ne possint resipiscere, & tamen Deum non esse autorem peccati?

Respondeo. Supra etiam alio modo ostendi, non esse Deum caussam, & autorem peccati, quia caussa peccati in hominibus ipsis residet, non in Deo, apud quem nulla est iniquitas. Ea est corruptio naturæ, seu praua concupiscētia, seu voluntas depravata, & peccatum originis. Hæc autem corruptio ex Deo non est, qui naturam integram & bonam fecit, sed tum ex diabolo est, qui primos parentes seduxit, tum ex libero Adami arbitrio, qui cum posset non peccare, liberè tamen peccare voluit. Hæc ratio optima est, ad ostendendum, Deum non esse autorem peccati. Sed iam addamus aliam declarationem, ad præsentis obiectionis solutionem.

Notandum itaque est, cæcitatem, obdurationem, in desideria mala impulsionem, & alia similia multa, trifariam considerari posse: quatenus peccata sunt, quatenus sunt pœnæ præcedentium peccatorum, & quatenus sunt caussæ aliorum sequentium peccatorum. Hæc enim sunt, & peccata, & pœnæ peccatorum, & caussæ peccatorum, vt Augustinus fusè docet Tom. 7. contra Iul. Pelag. lib. 5. cap. 3. vbi & particularem huius excæcationis Iudaici populi mentionem faciens, quam hic prædixit Iesaias, ait col. 1066. Sicut cæcitas cordis, quam solus remouet illuminator Deus, & peccatū est, quo in Deū nō creditur, & pœna peccati est, qua cor superbū digna animaduersione punitur: & caussa peccati est, cum mali aliquid, cæci cordis errore committitur. ita & concupiscentia carnis, aduersus quam bonus concupiscit Spiritus, & peccatum est, quia inest illi inobedientia contra dominatum mentis, & pœna peccati est, quia reddita est meritis inobedientis, & caussa peccati est, defectione consentientis, vel contagione nascentis. Cum igitur cæcitas, induratio, & id genus alia, considerari possint trifariam primo vt peccata, deinde vt pœnæ peccati, tertio vt caussæ peccati, ad dubitationem sic respondemus, Deū non illa cuiquam infligere quatenus peccata sunt, nec quatenus caussæ sunt aliorum peccatorum, sed tantum, quatenus sunt pœnæ præcedentis peccati, iis enim ceu pœnis & flagellis punit præcedentia peccata, id quod facere, iusti iudicis, non autem autoris peccati opus est. Quis enim accusare potest Deum, quod puniat peccata quibus velit flagellis, & pœnis? Ita fit, vt cum Deus aliquem excæcat, indurat, tradit in reprobum sensum, in desideria, in passiones ignominiæ nullo pacto accusari possit vt autor peccati, sed potius laudādus sit vt iustus iudex. Ratio. Quia non hæc infligit cuipiā, vti peccata sunt, aut caussæ peccatorum, sed tātum, quatenus sunt pœnæ peccatorum. Sic etiam Tertull. contra Marcionem lib. 2. pag 180. excæcationem Pharaonis ait inflictam et fuisse, quatenus pœna erat peccati. Quód vero postea consequatur, vt cæcitas hæc & obduratio, sit in homine & peccatum, & peccati caussa: hoc non est à Deo, neque hoc spectat proprie Deus. Hoc tantum spectat Deus, vt præcedentia peccata iis spiritualibus flagellis puniantur, quia nullum flagellorum genus grauius, atrocius & acerbius illo reperiri potest. Deus ergo autor est omnis pœnæ peccati, quæcunque illa sit: quia omnis pœna peccati, qua pœna est, bona est, quia iusta est. Tertull. contra Marcion. lib. 2. pag. 180. Non est (inquit) autor Deus peccati: quia peccatum, qua peccatum, malum est, & iniustum: Deus autem iustus, iniusti autor esse non potest. Similibus rem illustro.

Simile primum. Pharmacum aliquod vehemens, vt (verbi gratia) quod conficitur ex agarico diagredi, & aliis fortibus medicamentis, ad malos crudissimósque humores expellendos accommodatum: (solent enim medici etiam venenis venena expellere) nunquam fere humores malos expellit, quin etiam bonos magna ex parte cum malis extrudat: nec prodest corpori, quin etiam aliqua ex parte noceat. Hoc pharmacum & bonum est, & malum: bonum, qua malos humores pellit: malum, qua etiam bonos extrudit. Medicus qui pharmacum ægroto præscribit, in quem finem dat? In hunc tantum, vt malis humoribus purgatis, ægrotum sanet: nullo autem modo dat, vt bonos expellat. Si ergo ad illud bonum, hoc est, ad expulsionem malorum humorum, consequatur etiam hoc malum, vt boni simul pellantur: nunquid accusari potest medicus, quasi autor mali, quod illud bonum consecutum est? Minime: quia illud pharmacū non dedit, qua malū est & læsit: sed qua bonum est & prodest. Cæterum cum voluerit medicus hoc vti pharmaco, vt re aptissima, & omnium accommodatissima ad curandum ægrotum: necessario consecutum est, vt etiam aliqua ex parte fuerit ægroto incōmodum. Ita cum Deus pro suo optimo iudicio aliquem hoc flagellorum genere, tanquam optimo, & diuinæ iustitiæ cōmodissimo, punire vult, consequitur quidem necessario, vt tale flagellum, in eo qui punitur, sit peccatum, & caussa peccati: sed accusari non potest Deus, vt caussa & autor talis peccati cum illius autor tantum fuerit, quatenus pœna est peccati.

Simile secundum, a lege. Lex, quæ data fuerat ad cohibenda peccata, auxit peccatum: vt est Rom. 7. id quod futurum præuiderat Deus. Nunquid igitur dicetur Deus, quia legem dedit, autor fuisse vt augeretur peccatum? Minime. Quare? Quia non in hunc finem dedit legem, sed in longe alium, nempe vt peccatum cognosceretur, & cohiberetur. Consecutum vero est vitio carnis nostræ, vt per legem auctum fuerit peccatum. Ita etsi cæcitas, induratio, & e quibus Deus peccata punit in homine impio peccata sint, & caussa peccati: Deus tamen huius peccati autor dici non potest: quia non eis vtitur, quatenus peccata, sed tantum quatenus pœnæ sint peccatorum.

Simile tertium. Concupiscentia in homine inhabitans, & contra Spiritum pugnans, an non in homine relicta est vt pœna peccati idque iusto Dei iudicio? Maximè. Et tamen ob id nemo dicit, Deum esse autorem peccati: cum ipsa concupiscentia sit peccatum, & caussa peccati. Quid ita? Quia non est à Deo, qua peccatum est: sed quatenus pœna peccati. Ita & de excæcatione dicendum est.

Hoc igitur firmum teneamus. Deum autorem esse omnis boni, minime vero mali: id est, peccati, quatenus peccatum est. Hæc est definitio Dei, hoc tradunt Sacræ literæ: Psal. 5. Deus non volens iniquitatem tu es: qua scilicet iniquitas est. Patres omnes idem confitentur, vnde Clemens Alexandrinus in Stromat. lib. 4. pag. 149. D. citata sententia ex lib. Regum, quæ ait, absurda non faciet omnipotens: Quid ad hanc (inquit Clemens) vocem adhuc dicunt hæretici, cum omnipotentem bonum Deum prædicet Scriptura, vitij & iniustitiæ minimè esse autorem? Item lib. 4. pag. 184. D. Eius qui elegerit (scilicet malum culpæ) non potest in Deum caussa conferri. Deus enim nunquam est caussa malorum. O Troiani bellicosi (inquit Lycicus:) Iupiter regnator superum, qui omnia aspicit, non est mortalibus caussa malorum.

Sed cum hoc tamen ne negemus (id quod apertum est in S. literis, & Patres ipsi confirmant) Deum quosdam excæcare, indurare, in hunc finem, ne conuertantur, sed pereant. Si caro obstrepat: obturemus illi os, illo Pauli, O homo tu quis es? &c.

Quæstio V.

QVod attinet ad quintam quæstionem: An Deus, qui in tempore excæcat, ad excæcationem ab æterno prædestinauerit: Responsio facilis est ex iis, quæ diximus. Quia nihil in tempore agit Deus, quod ab æterno non præcognouerit, & decreuerit se facturum: ideo cùm manifestum sit, Deum quosdam excæcare: consequitur necessariò, eosdem etiam ad excæcationem prædestinasse. Sed hic in memoriam reuocanda est distinctio superiùs ex Augustino allata: Excæcationem considerari posse, tū quà pœna est præcedentis peccati: tum quà peccatum est, & caussa peccati. Suprà dictum est autem, Deum non infligere cuipiam simpliciter excæcationem, quà peccatum est, & caussa peccati: quia Deus non delectatur peccato, nec est autor peccati: sed tantùm quà pœna est præcedentis peccati, quia iusta est: & quia iusta, ideo bona: & quia bona, ideo à Deo. Ergo manifestum est, neminem prædestinari ad excæcationem, quà peccatum est, sed tantum quà pœna peccati est.

Huc pertinet quæstio illa, quà etiam Scholastici cum Patribus quærunt: An Deus quempiam prædestinauerit ad malum? Distinctio talis de malo affertur ab omnibus, ab ipso etiam Tertulliano lib. 2. contra Marc. pag. 180. respondens ad illud, Ego creans malum, ait, malum esse duplex: malum pœnæ, & malum culpæ. Malum culpæ, peccatum ipsum est, qua peccatum Deo displicens, & cum Dei lege pugnans. Malum pœnæ, est omnis peccati pœna, quæcunque illa sit. Sunt autem hæ pœnæ duplicis generis: Quædam sunt tantùm pœnæ & supplicia peccatorū: quarū aliæ sunt ęternæ, vt in inferno: aliæ temporales, vt in hoc seculo. Aliæ vero sunt ita pœnæ peccatorū, vt sint peccata, caussæque peccatorum. Cùm hæc ita se habeant, iuxta hanc mali distinctionem, ad quęstionem variè respondetur iis conclusionibus.

Prima. Deus neminem prædestinauit ad malum culpę, quatenus culpa est peccatum, pugnans contra Dominum. Etenim Deus non est autor peccati, qua peccatum est, & malum pugnans cum lege Dei. est enim autor tantùm bonorum: quando etiam mala, quæ sunt pœnæ, bona sunt. Huc spectant sententiæ Patrum, cùm tradunt, Deum neminem ad peccatum prædestinasse.

Iustinus Martyr in Dialogo cum Tryphone, pag. 143. Cæterùm Deum non esse in caussa, vt prædestinati sint iniusti, siue angeli, siue homines, sed sua quemque culpa talem esse, qualis apparebit, iam ante docui. Hæc D. Iustinus.

Fulgentius libro primo ad Monimum, pagina 8. vtitur hoc argumento: Peccatum, qua scilicet peccatum est, non est opus Dei, nec connumeratur inter opera Dei, quæ omnia valde bona sunt. Ergo illud non prædestinauit Deus. Concludit in summa, malos non ad culpam, sed ad pœnam prædestinatos fuisse. Idem pulcrè explicat pag. 22. demonstrans peccatum non esse ex Deo, sed ex Diabolo: quia omnis peccati initium est superbia illa, qua Diabolus aduersus Deum elatus fuit.

II. Cæterùm peccatum consideratum etiam vt peccatum, quatenus ad gloriam Dei illustrandam, non suapte natura, sed bonitate Dei, facit, eatenus peccatum, & malum culpæ præordinatum est à Deo. Exempla: Prędestinatus fuit Iudas ad prodendum Christum, id est, ad faciendum id, quod in ipso futurum erat peccatum, & hoc voluit Deus, non simpliciter, sed quatenus ex hoc peccato Deus ipse erat magnum bonum collecturus, salutem scilicet humani generis, & illustrationem gloriæ suæ. Herodes item & Pilatus prædestinati ad condemnādum Christum fuerunt, sic enim aiunt Apostoli, Actor. 4. Conuenerunt verè in ciuitate ista, aduersus sanctum puerum tuum Iesum, quem vnxisti, Herodes & Pontius Pilatus, cum Gētibus & populis Israel, ad faciendum quæcunque manus tua & consilium tuum prius decreuerat vt fierent. Etenim, an non Deus præsciuit, quid essent isti facturi? Vtique. Quare autem præsciuit, nisi quia ita ordinauit? nihil enim propriè futurum præscit, nisi quod ipse velit & ordinauit. Sicut enim ad suàm sapientiam pertinet, omnia præscire: ita ad eius omnipotentiam, omnia manu sua & arbitrio moderari, & dispensare, &c. Lapsi ergo homines omnes, atque in primis Adam: quia ita expedire censuerat Deus: ac proinde tandem illos volens permisit peccare. Cauendum est enim ne quidpiam inuito Deo euenisse dicamus. Legantur ij loci in Augustino, Tom. 5. de Ciuitate Dei, lib. 14. cap. 11. Sed quia Deus, inquit, cuncta præsciuit, & ideo hominem quoque peccaturum ignorare non potuit: secundum id quod præsciuit atque disposuit, ciuitatem sanctam debemus asserere: non, secundum illud, quod in nostram cognitionem peruenire non potuit. quia in Dei dispositione non fuit, nec enim homo peccato suo diuinum potuit perturbare consilium, quasi Deum, quod statuerat, mutare compulerit, cum Deus præsciendo vtrunque pręuenerit, id est, & homo, quem bonum ipse creauit, quem malus esset futurus, & quid boni etiam sic de illo esset ipse facturus, &c.

Item eodem libro cap. 26. col. 800. litera A. Veruntamē omnipotenti Deo summo, ac summè bono creatori omniū naturarum, voluntatum autem bonarum adiutori ac remuneratori, malarum autem relictori & damnatori, vtrarumque ordinatori, non defuit vtique consilium, quo certum numerum ciuium, sua sapientia prædestinatorum, etiam ex damnato genere humano suæ ciuitatis impleret: non eos iam meritis (quandoquidem vniuersa massa tanquam in vitiata radice damnata est) sed gratia discernens, & liberatis non solum de seipsis, verum etiam de nō liberatis, quid eis largiatur, ostendens. Non enim debita, sed gratuita bonitate tunc se quisque agnoscit erutum à malis, cum ab eorū hominū consortio fit immunis, cum quibus illi iusta esset pœna communis. Cur ergo non crearet Deus, quos peccaturos esse præsciuit, quandoquidem in eis, & ex eis, & quid eorum culpa mereretur, & quid sua gratia donaretur, posset ostendere, nec sub illo creatore ac dispositore peruersa inordinatio delinquentium, rectum perverteret ordinem rerum? Item ibidem cap. 27. Proinde peccatores, inquit, & angeli & homines, nihil agunt, quo impediantur magna opera Domini exquisita in omnes voluntates eius. Item paulo pòst, sub finem capitis, Cum igitur huius futuri casus humani Deus non esset ignarus, cur eum non sineret immundi angeli malignitate tentari? Nullo modo quidem quod vinceretur incertus, sed nihilo minùs præscius, quod ab eius semine, adiuto sua gratia, idem ipse diabolus fuerat sanctorum gloria maiore vincendus. Ita factum est, vt nec Deum aliquid futurorum lateret, nec præsciendo quenquam peccare compelleret, & quid interesset inter propriam cuiusque pręsumtionem, & suam tuitionem, angelicæ, & humanæ rationali creaturæ, consequenti experiētia demonstraret. Quis enim audeat credere, aut dicere, vt neque angelus neque homo caderet, in Dei potestate non fuisse? Sed hoc eorum potestati maluit non auferre, atque ita, quantum mali eorum superbia, & quantū boni sua gratia valeret, ostendere. Item Tom. 7. de Corrept. & Gratia, cap. 9. colum. 1339. Quippe saluberrimè cōfitemur, quod rectissimè credimus, Deum, Dominūmque rerum omnium, qui creauit omnia bona valde, & mala ex bonis ortura præsciuit, & sciuit magis ad suam omnipotentissimam bonitatem pertinere, etiam de malis bene facere, quàm mala esse non sinere, sic ordinasse angelorum & hominum vitam, vt in ea prius ostenderet, quid posset eorum liberum arbitrium, deinde, quid posse suæ gratiæ beneficium, iustitiæque iudicium.

III. Tertia conclusio, Deus quosdam ab æterno prædestinauit ad malum pœnæ, quod tantùm est pœna peccati, & non peccatum, siue hæc pœna sit temporalis tantum, siue æterna. Conclusio perspicua est, de temporalibus. Quosdam enim in hoc seculo temporalibus pœnis punit, vt fame, peste, gladio, &c. Ergo ad has eos prædestinauit. De æternis patet. Quibusdam enim dicet, Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & angelis eius. Nec tamen iniustus est quia omnis peccati pœna iusta est. Deus ergo ad eam quempiam prædestinans, iustus est, & iustè agit.

IV. Quarta conclusio, Deum quosdam prædestinauit ad pœnas peccati, quæ etiam peccata sunt, & caussæ peccatorum, vt sunt, excæcatio, & induratio, non qua peccata sunt, aut caussæ peccatorum, sed tantùm qua pœnæ sunt peccatorum. Patet de Pharaone, Exod. 9. quod etiam ad Rom. 9. citatur, In hoc ipsum excitaui te, id est, prædestinaui, finxi, &c. Act. 4. Pilatus & Herodes prædestinati dicuntur ad condemnandum Christum. Condemnare Christum fuit peccatum, & caussa peccati, quia inde in alia peccata prolapsi, & pœna peccati, id est, infidelitatis in Christum, ad hanc ergo, vt pœnam prædestinati fuerunt. Eandem doctrinam tradit Augustinus multis in locis. Nec tamen iniustus est Deus, quia ad hanc prædestinauit, vt ad pœnam peccati, non vt ad peccatum. Omnis autem pœna peccati iusta est, quæcunque illa sit. Et ideò Tertullianus lib. 2. contra Marcionem pag. 180. post allatā mali diuisionem in malum culpæ & pœnæ, sub quo malo

pœnæ

pœnæ collocat, & Pharaonis excæcationem & indurationem, ait: Malorum quidem peccati & culpæ autorem (scilicet primum) diabolum: malorum verò supplicij & pœnæ, Deum creatorem esse: vt illa pars malitiæ deputetur iustitiæ, mala condenti iudicia aduersus mala delicta. ...e iis ergo creator profitetur malis, quæ congruunt iudi...quæ quidem illis mala sunt, quibus rependuntur: cæterum suo nomine bona, quæ iusta sunt, &c.

Conclusio hæc, præter alios, est etiam Buceri in multis locis: sed speciatim in Com. in 8. cap. ad Rom. in quæstione de prædestinatione, pag. 358. facit enim triplicem prædestinationem: Vnam, rerũ omniũ in genere: & hæc nihil aliud est (vt ipse tradit doctissime) quàm cuiusque rei in suum finem deputatio. Alteram, sanctorum: & hæc est æterna quorundã certorum hominum e reliquis hominibus electio, atque ad vitam æternam, ideóque ad ea, quæ ad vitam æternam habendam faciunt, designatio & deputatio. Tertiam, reprobatorum: atque hæc est quorundam etiam certorum hominum ad mortem æternam, ideóque ad excæcationem & indurationem, aliáque mala, iusta, licet nobis occulta destinatio, idque in finem hũc præcipuum, vt in iis gloria & iustitia Dei appareat.

Duplex enim finis, cur Deus quosdam excæcet, & ad excæcationem prædestinauerit: proximus & vltimus. Proximus est, vt in ipsis, qui excæcantur & pereunt, peccata puniantur: & ideo Rom. 9. Vasa iræ aptata in interitum, vocantur. Finis autem vltimus, est gloria Dei id est, vt in iis vasis iræ, iustitia Dei contra peccatum manifestata, ipse vt iustus glorificetur. Prouerb. 16. Fecit Dominus omnia propter semetipsum, etiam impium ad diem malum. Rom. 9. In hoc ipsum excitaui te, vt ostendam in te potentiam meam. Accedit iis tertius finis, qui est salus electorum. Rom. 9. & 11.

Illud vero notandum est & memoria retinendum, cum dicimus Deum aliquem excæcare, indurare, &c. non ita intelligendum esse, quasi Deus aliquem ex illuminato & vidente cæcum faciat: ex molli & flexili ad obedientiam Dei, durum reddat: denique, ex bono in malum conuertat. Absit vt hoc cogitemus. nemo enim fit Deo autore malus. Sed cum omnes reperiat malos, cæcos, duros: quosdam pro sua bonitate & misericordia illuminat, mollit, bonos facit: quosdam vero pro sua iustitia & iusto iudicio, nõ solùm in suis tenebris, duritie & peccatis deserit: sed etiam vt peccata peccatis puniat, eos magis excæcat, indurátque: idque eo modo, quo superius declarauimus.

Quare cum ait, *Excæca cor*, &c. non ita intelligendum est, quasi iubeat Prophetam, vt populum hunc de vidente cæcum, de audiente surdum, de intelligente & fideli infidelem, de molli durũ & obstinatum reddat: absit. Sed indicat primo, qualis sit populus: nempe cæcus, surdus, durus, præfractus, cõtumax: & secundo, qualis sit ad Prophetę prędicationem futurus, scilicet cęcior, surdior, pręfractior, contumacior: ita volente & ordinante iusto iudice Deo, in pœnam præcedẽtis contumaciæ & obstinationis: seu Deo hoc spirituali pœnarum genere populum, propter præcedentem contumaciam, puniente. Iubet ergo vt prædicet: prædicit autem, quem exitum habitura sit ipsius prædicatio, maiorem scilicet populi excæcationem & indurationem, Deo ita populum castigante. Proinde ex hoc loco discimus, iustissimum esse, vt, qui sua propria malitia sibi ipsis oculos claudunt ne videant: aures obturant, ne audiant: & cor obdurant, ne intelligant & pereant, & ita non conuertantur & sanentur: iustissimum inquam esse, vt ij in eiusmodi oculorum excæcatione, aurium obturatione, cordis obduratione, magis & magis obfirmentur: donec impleta malitiæ & impietatis mensura, extremo tandem exitio perdantur. Hæc sunt iustissima Dei iudicia, nobis etiam certè pertimescenda. Quæ enim hic prædixit Iesaias, non solùm suo & Christi tẽpore impleta fuerunt, sed etiam nunc implentur: nec ad Iudæos tantùm, sed etiam ad nos pertinent. Verbũ Dei syncere prædicatur, Sacramenta purè administrantur in Ecclesia, multa Dei iudicia contra impios quotidie spectãtur: sed quid? Multi oculos sibi malitia claudunt, ne videant: aures obturant, ne audiant: cor indurant, ne intelligant, ne conuertantur & sanentur. Quid igitur? Metuendum, ne iusto Dei iudicio fiat, vt quo plura vident & audiunt, eo magis excæcentur & indurentur: donec, impleta impietatis mensura, extremo tandem exitio perdantur. Loquor de Germanis: loquor de iis, qui Euangelicos sese appellant: loquor de nobis ipsis.

De Redemtione Ecclesiæ, certitudinéque salutis nostræ: In illud vaticiniũ Iesaiæ, cap. 9. Populus, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam, &c. quòd scilicet quisque tenetur credere, se esse ex electorum numero: & quibus rationibus sese in hac fiducia confirmare possit, & stabilire.

HActenus interpretati sumus præsens hoc vaticiniũ, quantum ad historiæ, quæ tempore Iesaiæ in illa Hierosolymitana Ecclesia contigit, veritatem attinebat, nempe non futurã Hierosolymitanam calamitatem ab Assur infligendam, talẽ, qualis fuit Israelitica ab eodẽ Assur inflicta: sed omnino lucem Iudæis affulsuram, id est, vrbẽ ab obsidione & tyrãnide Assur idque propter Christum, fauore & zelo Patris liberandam. Nunc idem vaticinium iterum diligentius est nobis excutiendũ, quatenus pertinet ad veram Hierosolymam, id est, Ecclesiam Christi: quæ non solùm ex Iudęis, sed etiam ex gentibus collecta est. Non enim Propheta, cum hæc vaticinaretur, respiciebat in illam duntaxat terrenam Hierosolymam, & carnalem populum, & externum regnum Dauidis, sed longius, & vltra hoc carnale, in ipsũ spirituale Christi regnum oculos suos intendebat, ideóque non semel tantũ, sed iterum & sæpius impletum est, ac impletur quotidie vaticinium hoc. Huc facit quod Matthæi 4. partem huius vaticinij impletam suo etiam tempore ostendit, versu 13. 14. 15. 16. cùm ait, Cùm audisset Iesus Iohannem traditum esse, secessit in Galilæam: & relicta Nazareth, profectus habitauit in Capernaum maritima in finibus Zabulon & Nephthalim, vt impleretur quod dictum fuerat per Iesaiã prophetam: Terra Zabulon & Nephthalim, vergens ad mare, vltra Iordanem, Galilæa gentium populus qui sedebat in tenebris vidit lucem magnam. & iis, qui sedebant in regione & vmbra mortis, lux orta est.

Dubitant hic interpretes, quomodo Matthæus citarit hunc locum Iesaiæ ad ostendendum, debuisse Christum in Galilæam proficisci, & ibi exordiri prædicationem, qua lux affulsit illis populis, vt impleretur vaticinium illud Iesaiæ. Terra Zabulon & Nephthalim, &c. cùm Iesaias locutus fuerit, tum de clade, quam terra Zabulon & Nephthalim accepit à rege Assyriorum: tum de luce, quæ affulsit Hierosolymæ in obsidione Sennacheribi. Videtur omnino Matthæus abusus fuisse hoc loco, cum (vt prima fronte videtur) extra propositum Prophetæ illum citet.

Respondent docti interpretes. Primùm, verum esse Iesaiam non esse immediate vaticinatum de initio prædicationis Christi, quod hæc debuerit primum fieri in hac regione Galilæę, ideóque quod lux illa primum huic regioni debuerit affulgere, sed de re, quę suo tempore contigit, id est, de liberatione Hierosolymæ ab obsidione Sennacheribi.

Secundo aiunt neque Matthęum citasse hunc locum simpliciter, quasi senserit, immediate Iesaiam vaticinatum fuisse de initio prædicationis Christi in Galilęa faciendo, quódve lux Euangelij esset huic regioni Zabulon & Nephthalim primum affulsura: sed allusione vsum fuisse, ac propter similitudinem quandam quę est inter vaticinium Prophetæ & hoc præsens factum Christi, dixisse illud Iesaiæ vaticiniũ impletum fuisse in hoc facto Christi, Quasi dicat: Ita Christus relicta Nazareth, venit in Galilæam in terram Zabulõ & Nephthalim, & illis hominibus lucem Euangelij sui cœpit in ea regione dispergere, vt quodammodo impletum tum fuerit dictum Iesaiæ, Terra Zabulõ & Nephthalim, Populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam, & habitantibus in regione & vmbra mortis lux orta est. Allusionem igitur fuisse, non autem simplicem, propriam, & immediatam illius vaticinij impletionem.

Hæc est communis & simplex responsio. sicut etiam illud Oseæ, Ex Ægypto vocaui filium meum, per allusionẽ dictum intelligunt interpretes, id est, sicut populus Iudaicus vocatus fuit ex Ægypto, sic etiam Christus. Ideo etiam in Christo quodammodo impletum est illud Oseæ, Ex Ægypto vocaui filium meum.

Ita Christus ipse declarare videtur dicta hæc prophetarum permulta, quæ primum ante suum aduentũ, integrè impleta fuerunt, postea, cum ad Christum applicantur, applicari per allusionem, propter aliquam similitudinem inter Christi facta, & illa prophetarum vaticinia. Exemplũ, vt cũ ait Matt. 12. Sicut fuit Ionas in vtero ceti, sic erit

I

us reproborum & hypocritarum : qui in hac habitant litate

Vterque populus peccauit: quia contempto verbo Dei, thonicorum consilia audierunt. Sic omnes homines, ti cti quàm reprobi, peccarunt in Adamo, quando contempto verbo & præcepto Domini, Pythonis, id est, Serpentis consilium omnes audiuimus. Propter illud peccatum (vt de aliis taceam) vterque populus in magnas incidit calamitates: quia vtraque ciuitas fessa, vterque populus in magnis fuit tenebris. Ita omnes homines tam electi quàm reprobi post & propter peccatum illud contempti verbi Dei, & auditi consilij serpentis (vt alia peccata omittam) in magnas, tam spirituales quàm corporales calamitates incidimus. Consecutæ sunt etenim omnes non primùm hæ tenebræ, cæcitas mentis, ignorantiæ Dei, duritia cordis, exagitatio conscientię, ceu impulsus quidam continuus: deinde externa mala corporis morbi, fames, variæ cruces, & mors ipsa. Denique obsessi omnes fuimus à rege Assyriorum, & toto eius exercitu potentissimo: id est à Satana & diabolis omnibus, à carnis concupiscentia ab illecebris mundi, & à morte.

Hæ sunt communes calamitates in quas omnes, tam electi, quàm reprobi propter peccatum, iusto Dei iudicio coniecti fuimus: sicut Rom. 5. docet Apostolus.

Magna certe fuit & est hæc calamitas, quæ toti humano generi tam electis quàm reprobis contigit: & ita magna, vt omnes pariter in terra vmbræ mortis, ceu mortem sederamus. Cæterum diuersus est exitus: cuius caussa fit, vt calamitas, & caligo hæc, quæ contigit Hierosolymæ, id est, Ecclesiæ Dei, seu electis, non sit similis illi, quæ contigit Israelitis, id est, reprobis & hypocritis.

Quomodo? Populus enim (electorum) ambulantium in tenebris, vidit lucem magnam hoc est, lux cœlestis nobis reipsa affulsit, & semper affulget: reprobis vero non vere affulsit, nec affulget nec affulgebit vnquam ita vt eius vere fiant participes: idque iusto Dei iudicio, tametsi nobis occulto.

II. Secundum igitur caput huius vaticinij est liberatio, qua Ecclesia electorum Dei, partim semel per Christũ & in Christo, qui est ipsa lux cœlestis liberata fuit, partim quotidie liberatur, donec perfectissime tandem in fine seculi liberetur: & tunc plenissime videbit lucem magnam, & Christum in cœlis, qui lucem habitat inaccessam. Notetis, quæ dico. Primùm dico, partim liberata fuit: deinde dico, partim quotidie liberatur, donec perfectissimè liberetur. Ergo tres significo liberationes: quarum prima sensus est reliquarum. Ac prima quidē liberatio habet duas partes: Vna est, quod Christus ipse lux diuina, sese carni nostræ inseparabiliter & [illegible] vniuit: sicut lux, quæ primo die creata fuit, vnica postea fuit corpori solari inseparabiliter: & ita lux hæc, id est, Christus Deus & homo, pro electis mundo apparuit, & pro electis ortus, non pro mundo: pro electis sacrificiũ obtulit Patri, & pro tota electorũ Ecclesia satisfecit: ita reipsa per Christum & in Christo, coram patre Ecclesia liberata fuit. Hoc enim fuit propositum æternum Dei patris & filij, & Spiritus S. vt filius pro electis tantùm ad æternam vitam carnem sumeret, oraret, moreretur, satisfaceret, resurgeret, ascenderetque in cœlum, & plenam regni cœlestis possessionem, nomine omnium electorum perciperet.

Hæc est prima pars. Huc faciunt multæ sententiæ Scripturarum, cùm ita absolute loquuntur, quod per sanguinem Christi redempti sumus, saluati per Christum, & in Christo, tanquam in capite membra.

Altera pars est, quòd Ecclesia non solùm per Christum coram Patre liberata fuit, sed ipso etiam Christi Spiritu, depulsis e mente tenebris infidelitatis, & luce fidei in ipsius mentem illapsa, vidit hanc lucem Christum sibi affulsisse: hoc est pro se incarnatum, passum & mortuũ, sensitque realiter in seipsa liberationem hanc, hoc est, se esse prorsus liberatam, iustificatam, seruatam. Ita luce fidei sibi donata, videt lucem Christum, hoc est, beneficium Christi percipit & sentit. Huc faciunt infinitæ sententiæ, vt cum Scriptura tradit, quod per fidē & fide iustificamur & seruamur, hoc est, fide videmus & sentimus, ideóque recipimus salutem nostram in Christo. Ideo non temere *Propheta* vsus est illa repetitione, Populus qui ambulauit *in tenebris*, vidit lucem, & habitantibus in terra vmbræ *mortis*, affulsit lux Christus, affulsit Ecclesiæ, & quodam*modo* toti mundo, quantũ ad sufficientem satisfactionē, & *quantum* ad prædicationem Euangelij, sed non omnes, *qui* erant in tenebris, viderũt hanc lucē, tantũ electi, quibus aperti fuerunt oculi à Spiritu sancto luce fidei, lucem Christum viderunt, & illius beneficij participes facti sunt.

Electis igitur solis Christus lux affulsit internè in cordibus: ideóque soli electi crediderunt, & salui facti sunt, & fiunt.

Actor. 13. Et crediderunt, quotquot præordinati erant ad vitam æternam. Quid hoc est aliud, nisi soli electi ad æternam vitam præordinati, viderunt lucem magnam, & solis electis lux affulsit. Huc illud Pauli 2. Cor. 4. Deus, qui iussit è tenebris lucem splendescere, ipse luxit in cordibus nostris, ad illuminationem scientiæ claritatis Dei, in facie Iesu Christi. Hic locus Pauli declarat præsentem versum Iesaiæ: Populus qui sedebat in tenebris, vidit lucem magnam. Sensus est, Deus, sicut in creatione iussit lucem è tenebris splendescere: ita nunc Spiritus illuxit in cordibus nostris: id est, luce fidei nostra corda illuminauit, & cen oculos nobis aperuit. In quem finem? Subdit: Ad illuminationem claritatis Dei in facie Christi: id est, vt hac luce fidei, videre possimus lucem clarissimam Euangelij, Deum ipsum, qui in Christo resplendet.

Duplicem hic ponit Paulus illuminationem: vnam, qua videmus: alteram, quam videmus. Ita Iesaias vtraque innuit, illa repetitione: Populus qui sedebat in tenebris, vidit lucem magnam, & iis qui sedebant in regione vmbræ mortis, lux affulsit. Populus, qui ambulauit in tenebris, vidit lucem magnam: ecce vnam, quâ vidit: sequitur altera, qua vidit, cum ait: Populo sedenti in regione vmbræ mortis, lux affulsit. Hæc est prima liberatio per Christum, quæ duas habet partes, vt vidistis: redemtionem ipsam, & redēptionis cōmunicationem, seu fidem qua ipsum videmus, ideóque & amplectimur, redēptionisque sumus reipsâ participes. Huius autē primæ liberationis minimè participes sunt reprobi. Primò: quoniā etsi Christus pro illis etiā sufficienter (vt loquuntur Scholastici) mortuus est, pro illis tamen secundum ipsius propositum mortuus non est: sicut etiam ipse disertis verbis dixit Se non rogare pro mundo, sed pro electis, qui credituri erant. Secundò, quoniam etsi ipsis etiam reprobis affulsit externè Euangeliũ (nam plerisque illorum etiam prædicatum est) tamen lux fidei, qua Euangelij lucem viderent & amplecterentur illorum cordibus non affulsit, nec affulget.

Sequitur secunda liberatio: Ea est, qua quotidie magis ac magis à malis, tam spiritualibus quàm corporalibus, quæ nos etiamnum in finem vsque seculi circumstant, per eundem Christum liberamur. Nam quandiu sumus in hac carne, semper obsidemur à Satana ab infinito exercitu dæmonum, qui circum nos volitant, quique in hoc aëre habitant: vt ait Paulus. Obsidemur à carnis concupiscentia, à peccato in carne nostra inhabitante, à mundo, à tyrannis, ab hæreticis, à falsis fratribus denique ab omnium postremo & potentissimo hoste, qui est mors: ab iis inquam hostib. qui partim sunt spirituales, partim corporales, obsidemur & oppugnamur: vt non quæcunque volumus Spiritu, ea facere possimus vt est ad Gal. 5. & ad Rom. 7. Sed ab his etiam per Christum liberamur: nō quod nos prorsus desinant obsidere ij hostes, sed quod nos expugnare non possint propter Christum, qui pro nobis & in nobis contra eos fortiter pugnat.

Quomodo liberamur? Fide & Spiritu. Fide, quia scimus eos non posse nos expugnare, & penitus suo imperio subiicere, vt illis etiam Spiritu pareamus, cùm Christus in nobis sit, & nos in ipso per fidem. Ait autem Paulus Rom. 8. Nihil damnationis esse iis, qui sunt in Christo Iesu. Spiritu vero, quoniam in dies magis ac magis, dum spiritus noster per Spiritum Christi fortescit, caro & alij inimici nostri magis infirmantur. Huc spectat illud Apostoli 2. Cor. 4. cùm dixisset: Deus, qui iussit de tenebris lucē splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris ad illuminationem scientiæ claritatis Dei. Quæ verba, vt vidimus, faciunt ad explicationem huius versus. Populus qui ambulauit in tenebris, vidit lucem magnā, & ad primam liberationē pertinent. Postea, quoad hanc alteram & obsidionem & liberationem, subiecit dicens, Habemus autem thesaurum istum in vasis fictilib. vt sublimitas sit victoris Dei, & non ex nobis. In omnibus tribulationē patimur, sed nō angustiamur, adoriamur (id est, ad summā angustiā redigimur) sed nō destituimur (hoc est, non vincimur & opprimimur malis,) persecutionē patimur, sed non derelinquimur, humiliamur, sed nō confundimur, deiicimur, sed nō perimus, semper mortificationem Domini nostri Iesu Christi in corpore nostro circũferētes, vt & vita Iesu manifestetur in

corporibus nostris. Semper enim nos, qui viuimus, in mortem tradimur propter Iesum Christũ, vt vita Domini nostri Iesu Christi manifestetur in carne nostra mortali. Et infrà: Licèt is qui foris est, noster homo corrumpatur: tamen is qui intus est, renouatur de die in diem. Ecce obsidionem: ecce etiam liberationem. Sic Christus Apostolis Ioh. 16. In mundo pressuram habebitis (ecce obsidionem) in me autem pacem (ecce liberationem.)

Sumus igitur semper in aliquibus tenebris, sed lux semper etiam è cœlo nobis affulget: habitamus in terra vmbræ mortis, sed semper etiam nobis vitam ex alto donari sentimus. Atque hæc est liberatio secunda.

Continuatur autem ista, vt dixi, & per hostes nostros obsidio, & per Christum nostrum ab obsidione liberatio, in finem vsque seculi: donec tandem perfectissimè ab hac obsidione liberemur: & perfectissimè lucem magnam, quæ in cœlis est videamus, excitatis etiam à morte corporibus nostris ad æternam vitam. Ideo Paulus de hac loquens, ait Rom. 7. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Sentiebat continuari hanc obsidionẽ in finẽ vsque seculi. Ideo dixit: Quis me liberabit? Sed quia sentiebat etiam continuari liberationem, quæ perfectissimè futura est in resurrectione: ideo subdit, Gratia Dei per Iesum Christum. Atque illa tertia erit perfectissima ab obsidione omnium inimicorum nostrorum liberatio. nouissimè enim etiam inimica destruetur mors, vt 1. Cor. 15. ait Apostolus.

Ecce triplicem liberationem, quam habemus per Christum ab obsidione hostium nostrorũ: ideóque ecce quomodo populus (electorum) hoc est, Ecclesia Dei, qui ambulat in tenebris, & vidit, & videt quotidie, & videbit in perpetuum, lucem magnam: & lux eis affulsit, affulget semper, & in æternum affulgebit. Huius autem lucis & liberationis participes non fuerunt vnquam, aut futuri sunt ipsi reprobi: idque iusto Dei iudicio, licet nobis occulto. Lux enim venit in mundum, & ipsi dilexerunt magis tenebras quàm lucem. Ita facti sunt saltem inexcusabiles: quia caussa cæcitatis in ipsis est. Atque hoc satis esse debet cuique pio, in hoc mysterio magis admirando, quàm hominibus inuestigando. Sic etiam facit Propheta, cùm per ἀποστροφὴν conuersus ad Dominum, & tantam Dei in electos bonitatem admirans, & tam iustum Dei iudicium reprobos obstupescens, ait: Multiplicasti gentem & non magnificasti lætitiam. Sequitur ergo.

III. Tertium caput: nempe hoc beneficium, seu hanc per Christum ab hostibus liberationem, ita propriam esse electorum, id est, Ecclesiæ Christi vt nullo modo ad reprobos pertineat, tametsi illi longè plures sint illis. Propheta hoc admirans, exclamat ad Dominũ dicens: *Multiplicasti gentem, at non magnificasti lætitiam.* Præter alias expositiones, quas in hunc locum attulimus, puto, quo ad historiæ veritatem, hanc etiã non alienam fuisse à mente Prophetæ. Spectans Propheta hoc singulare beneficium, quod Deus in Iudæos pro sua misericordia, non autem in Israelitas pro suo iusto iudicio contulit: nempe quòd Iudæos ab expugnatione Sennacheribi regis Assyriorum seruarit ne in perpetuam captiuitatẽ abducerentur: Israelitas verò qui longè plures erant Iudæis, permiserit ab aliis regibus Assyriorum expugnari, & in perpetuam captiuitatem abduci, cum admiratione exclamauit dicens, *O Deus, multiplicasti gentem hanc* (scilicet totum corpus populi ex Israele nati) *at non multiplicasti lætitiam:* quia hoc beneficium & conseruationem regni, in solis Iudæis esse voluisti: Israelitas autem qui sunt multò plures, deseruisti, & in tenebris reliquisti.

His verbis duo egit Propheta. Primùm quasi gratias egit Deo, quòd tanto beneficio dignatus sit Iudæos: cùm eo non sit dignatus Israelitas. Qua in re indicauit Deus, se pluris facere Iudæos quã Israelitas: nẽpe propter promissionem factam ipsis speciatim Iudæis, tribui Iuda & domui Dauidicæ. Secundo, admiratus est & adorauit iudicium Dei: occultum quidem, sed tamen iustum: quod scilicet Israelitas, qui maxima pars erant totius illius corporis Israelitici, permiserit à regibus Assyriorum expugnari, & in perpetuam captiuitatem abduci, totúmque illorum regnum funditus euerti: cùm tamen Iudæi etiam, non minus grauiter peccarint in Deum, quàm Israelitæ, vbi videmus Prophetam iudicium hoc Dei duntaxat admirari, non autẽ caussas quærere & interrogare, sed relicto hoc iudicio aduersus Israelitas, statim redit ad magnificandum beneficium Dei, in Iudæos collatum, & ait, Lætabuntur (scilicet ipsi Iudæi) de quibus dixerat, Populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam. Hanc interpretationẽ, quoad historiæ veritatem, non puto alienam esse à mente Prophetæ. nam rem ita se habuisse, manifestum est. Deinde Oseæ 1. cap. qui de eadem re, de qua hic etiam Iesaias loquitur, sic Deum loquentem introducit, Vltra non miserebor domus Israelis, quin potius in vniuersum tollam eos, domus verò Iudaicæ miserebor, & seruabo eos in Domino Deo eorum, non autem seruabo eos per arcum, nec per gladium, nec per bellum, nec per equos, nec equites. Iam vero quatenus oculos extendit Propheta in regnum Christi spirituale, quod ex gentibus & Iudæis constat, sic voluit dicere, Tu quidem Deus multiplicasti genus humanum mirum in modum, at non magnificasti lætitiam, quia cum omnes in Adamo peccarint, paucos tamen quosdam pro misericordia tua inde selegisti ad huiusce redemtionis & lætitiæ participationem, aliis omnibus pro iusto tuo, at nobis occulto, iudicio, in peccato & æterna damnatione relictis, omnes quidem vocasti, sed paucos elegisti. Atque hoc summoperè tuam erga nos beneuolentiam & gratiã cõmendat, quia cum nos perinde atque alij indigni essemus hac gratia, ea tamen nos præ aliis dignatus es. Ergo iure lætabimur, & lætabuntur omnes electi huius lucis participes, coram te. Hic est sensus.

Nec dubito, quin alluserit Propheta ad illam duplicem de multiplicando semine Abrahæ similitudinem, quando dixit primo, Multiplicabo semen tuũ sicut stellas cœli, secũdo, Multiplicabo sicut arenam maris. Indicare voluit Dominus (vt Iustinus quoque interpretatur, in dialogo cum Tryphone Iudæo) numerosissimum quidem futurum populũ qui ex Abrahamo erat oriturus, sed tamen, comparatione reproborum, paucos futuros electos, comparatione Iudæorum secundum carnem, paucos futuros filios Abrahæ secundum spiritum, sicut etiam stellæ, respectu arenæ, paucæ sunt. Similitudine enim stellarum intellexit electos, & pios omnes, similitudine verò arenæ maris, reprobos impios. Isti enim pertinent ad regnũ cœleste, & lucidi sunt, imo lux in Domino, & incorruptibiles futuri sunt ac beati, illi verò pertinent ad regnum huius seculi, cuius princeps est Satan, & sunt terreni, tenebricosi, immundi, vt arena. Hoc igitur beneficium redemtionis proprium est electorum, qui pauciores sunt reprobis. Et ideo ij electi lætabuntur coram te. Hic est fructus, qui ex redemtione consequitur, lætitia coram Domino. Sequitur ergo.

IV. Quartum caput, nempe quis, qualis, & quantus sit ille fructus, qui ex hac redẽtione electos pios consequitur. Is est lætitia vera, solida, spiritualis, immẽsa, & æterna coram Deo, sicut passim in Scripturis habemus, regnum Dei esse gaudium & pacem in Spiritu sancto, Rom. 14. Et iustos semper lætari in Domino, Psalmi docent. Et Paulus subinde: Gaudete in Domino semper, iterum dico Gaudete. Ideo Iesaias inquit, Lætati sunt coram te iuxta lætitia (quæ est) in messe. & quemadmodum exsultant (milites) quando diuidunt spolia.

Primo hac particula *corã te*, indicat lætitiã Christianorum, quam nobis reliquit Christus, veram esse & solidam lætitiam (sicut iustitia corã Deo est vera iustitia) ideóque & perpetuã. Lætitia, quã affert mundus & caro, nõ est solida, ideóque nec perpetua. Sæpe post magnum risum & lætitia, magnæ sequuntur lachrymæ & planctus. Quare? Quia lætitia non fuerat solida & vera lætitia. Non talis est lætitia quam iusti habent in Christo. Ideo Ioh. 16. ait Christus, Iterum videbo vos, & gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tollet à vobis. Secundo indicat, lætitiam hanc Christianorum non esse in carne, nec corã mundo, sed propriè in corde, & coram illo, qui corda intuetur Deo. Imo corã mundo sunt afflicti, sæpe dolent, tristantur, lugent: sed coram Deo in corde & in Spiritu læti sunt, exsiliuntque gaudio. Ioh. 20. Mundus gaudebit, vos verò contristabimini, sed tristitia vestra vertetur in gaudium. Et Apostolus: Et pax Christi, qui exsuperat omnẽ sensum, exsultet in cordibus vestris. Ideo ait *coram te*, quasi dicat: Pij, etsi coram mundo non semper læti erunt: tamen coram te, ô Deus, semper lætabuntur. Hoc est proprium filiorum Dei, qui vera fide sciunt se seruatos esse per Christum, vt ineffabili gaudio in cordibus suis semper exsiliant. Magna res est hoc gaudium: ita vt nisi quis illud in seipso sentiat, quid illud sit, prorsus scire nequeat. Lætabuntur igitur coram te.

Sicut qui lætantur in messe, & qui diuidunt spolia. Hæ duæ similitudines non tantum demonstrant lætitiã electorum magnam esse, sed etiam appositissimè id faciunt, vtpote ad præsentem caussam accommodatissimæ.

Prima. Magnum est certè gaudium eorum, qui diu fame pressi, postea messe collecta, & pane inde confecto,

sed

ad vitam aluntur; alioqui mox morituri: Ita nos, ante ex-
tam Euangelij lucem, & ante acceptam fidem in Chri-
um, fame fuimus confecti, & ceu mortui: vbi verò afful-
nobis lux Euangelij & fidei, collegimus messem. Quã
omissiones Euangelicas, quæ seminatæ fuerant à pro-
etis: & ex illis fide eruimus triticum, & panem viuum,
i est Christus (is enim in promissionibus latebat, sicut
anum & panis in spicis.) Et hoc pane verè alimur ad vi-
n æternam. Quanto gaudio nunc afficiuntur Spiritus fi-
dium? Ideo dicit: Lætabuntur, sicut qui lætantur in mes-
. Item, Christus seminauit iustitiam, sua opera & merita
omnia in agro Ecclesiæ: nos, vbi affulsit lux Euãgelij, fide
collegimus omnia, & nostra facta sunt: Opera Christi, iu-
stitia Christi, quicquid Christi est, nostrum est: imo post-
quam affulsit lux fidei totus factus est noster. Sicut Paulus
dicit: Omnia vestra sunt, vos autem Christi. Christus au-
tem Dei. Iure igitur lætabuntur Christiani, sicut qui læ-
tantur in messe.

Secunda similitudo: *Lætabuntur sicut qui diuidunt spo-
lia.* Diuidere spolia hostiũ signum est victoriæ & triũphi
de hostibus expugnatis. Diuidere igitur spolia, accipitur
pro triumphare de deuictis hostibus. Quantum gaudium
sit illis, qui de expugnatis hostibus triumphant & illorum
etiam spolia in signum victoriæ secum portant in trium-
pho, nemo est qui nesciat. Ita nos Christiani, vnà cũ Chri-
sto, de deuictis nostris hostibus omnibus peccato, morte,
Satana, mũdo triumphabimus. Vnde Paulus primò trium-
phum Christi describit, Ephe. 1. Suscitans illum (Christum)
à mortuis, & constituens ad dexteram suam in cœlestibus
supra omnem principatum & potestatem, &c. Deinde sta-
tim subdit nostrũm triumphum in cap. 2. dicens: Et vos
conuiuificauit, cùm essetis mortui delictis: & conresusci-
tauit, & consedere fecit in cœlestibus in Christo Iesu. Ecce
triumphum nostrum.

Iure igitur lætabuntur Christiani, sicut qui diuidunt spo-
lia: id est sicut qui de deuictis hostibus, distributis illorum
spoliis, triumphant: quoniam & ipsi verè per Christum
triumphant de hostibus suis. At vnde, & quando præcipuè
hac lætitia exultant Christiani? Nunc Propheta.

V. Quinto loco specialius explicat naturam tantæ læ-
titiæ, & quando electi hanc in se lætitiã sentiant. *Quando
(inquit) iugum oneris eius, & virgam humeri eius, sceptrũ
exactoris confregisti in eo, secundum diem Midian.*

Summa. Tunc hac vera, solida & perpetua lætitia affici-
mur nos electi Christiani, quando vera fide, quæ clarissi-
mum est viuúmque lumen, videmus, ac reipsa sentimus
nos verè liberatos esse per Christum à tyrannide mortis
& Satanæ, & à iugo peccati & legis: idque solius Dei potẽ-
tia, deuictis insuper hostibus nostris, & condemnatis, ignî-
que æterno adiudicatis Satana & angelis eius. Quando
inquã hæc ita se habere, fide viua & clara & in nobis ipsi
sentimus: tunc lætamur coram Deo, sicut qui in messe, &
qui diuidunt spolia. Hæc enim sunt materia lætitiæ no-
stræ. Ideo quando hæc sentimus, tũ fieri nequit, quin ve-
ra, solida & ineffabili lætitia afficiamur. Hæc est summa
horum duorum versuum, tertij & quarti.

Quando (inquit) iugum oneris eius, & virgam humeri
eius, sceptrum exactoris confregisti in eo, secundum diem
Midian. Iugum onerosum, inquit, confringes. Omnia iu-
ga, quæ confregit Christus, onerosissima nobis erant: & es-
que adeo nos premebant, vt nec ea ferre, nec oculos ad
cœlum tollere possemus.

I. Primum iugum fuit peccatum cum morte, quod no-
bis Adamus suprà humeros imposuit, & impositum reli-
quit. De hoc iugo Ecclesiast. 40 Molestia magna creata
est omnibus hominibus, & iugum graue supra filios A-
dam à die exitus de ventre matris eorum, vsque in diem
sepulturæ in matrem omnium: cogitationes eorum, & ti-
mores, cordis adinuentiones, & expectationes, & dies exi-
tus, &c.

Confregit hoc Christus, nempe iugum peccati: quia et-
si illud adhuc nobiscũ gestamus: tamen *Primò* effecit, vt
nos coram Deo nequaquã grauet: id est, vt nõ imputetur
Secundò, Quia suo Spiritu quotidie illud mortificat & in-
firmat, donec tandem penitus aboleatur.

Iugum itidem mortis confregit, quia *Primò* ademit
ei suam (vt ita dicam) immortalitatem, resurgemus e-
nim. *Secundò*, quia effecit vt nos certiores facti de nostra
resurrectione, déque nostra salute per Spiritum Chri-
sti, minimè mortem timeamus, ideóque grauis nobis non
sit.

II. Secundum iugum fuit durissima exactio totius le-
gis implendæ, cum eiusdem legis maledictione, si à nobis
perfectè non obseruaretur, coniuncta. Iugum hoc grauissi-

mum fuit, & (vt Græcè dicam) ἀφόρητον. De hoc iugo Act.
15. Petrus contra eos Iudæos, qui volebant circumcisioni
ipsos etiam gentiles, qui ad Christum conuertebantur, a-
stringi. Erat autem circumcisio testimonium totius legis
implendæ, vt est in Epist. ad Galat. Nunc ergo (inquit Pe-
trus) quid tentatis Deum? vt imponatur iugum supra cer-
uices discipulorum, quod neque Patres nostri, neque nos
portare potuimus?

Confregit hoc iugum Christus: Primò, quia liberauit
nos, tum ab illa exacta totius legis obedientia, tum à legis
maledictione. Secundò quia spiritu suo nobis donato ef-
fecit, vt legẽ, si non omni, magna tamen ex parte implea-
mus. Et siquid per carnis infirmitatem vel omittimus, vel
contra eam cõmittimus: illud nobis non imputetur: per-
fecta legis impletione, quæ solius est Christi, nobis etiam
propter Christum imputata. Huc illud Pauli Gal. 3. Chri-
stus redemit nos de maledictione legis, factus pro nobis
maledictio. Rom 8. Deus, misso filio suo, de peccato dam-
nauit pecca ũ vt iustitia legis impleretur in nobis. Iugum
ergo onerosum confregit Christus.

Item confregit *Virgam humeri nostri*: virgam inquã ex-
actoris nostri. Virga hæc fuit, iræ Dei æternæ metus, quo
ceu virga durissima quotidie cædebantur conscientiæ no-
stræ: quippe qui conscij eramus, quod debita nostra Deo
nec persoluebamus nec persoluere poteramus: & tamen
Deus eleuata virga iræ suæ, per solutionem debitorũ no-
strorum continenter à nobis exigebat. Durissima fuit hæc
virga exactoris: sed hanc confregit Christus: *Primò* quia
pro nobis debita omnia nostra Patri persoluit, & chiro-
graphum debiti, quod erat contrarium nobis, confregit:
& ita contractum in testimonium persoluti debiti affixit
cruci: ita vt iure Pater ab electis, pro quibus Christus sa-
tisfecit, debitorum solutionem exigere amplius nequeat.
Col. 2. Et vos, cùm mortui essetis per delicta & præputiũ
carnis vestræ, simul cum illo viuificauit, condonans nobis
omnia delicta, deleto, quod aduersus nos erat, chirogra-
pho, quod erat nobis contrarium per decreta: & illud su-
stulit è medio, affixum cruci, exspoliatósque principatus
ac potestates ostentauit palam, triũphans de illis per se-
metipsum. *Secundò*, quia donata nobis fide, effecit vt sen-
tiamus persoluta esse nostra debita: ideóque liberati om-
nibus debitis, virgam æternæ iræ Dei non amplius timea-
mus, neque conscientia nostra amplius ea virga cædatur.
Tertiò, quia donato Spiritu suo facit vt sine timore de ma-
nu inimicorum nostrorum liberati, in sanctitate & iustitia
coram ipso omnibus diebus seruiamus Deo Patri, & ob-
sequia nostra ei propter Christum gratissima sint, perinde
ac si perfectissima essent.

Huc illud Zachariæ. Luc. 1. Laudandus Dominus Deus
Israelis, quia visitauit & perfecit redemptionem populo
suo. Et erexit cornu salutis nobis, in domo Dauid pueri
sui. Sicut locutus est per os sanctorum, qui ab æuo fuerũt,
Prophetarum suorum, vindicationem ab inimicis nostris,
& è manu omnium, qui oderunt nos: vt faciat misericor-
diam cum Patribus nostris, ac memor sit testamenti sui
sancti: iusiurandum quod iurauit Abrahæ patri nostro, vt
daret nobis: vt sine timore de manu inimicorum nostro-
rum liberati, seruiamus ipsi in sanctitate & iustitia coram
ipso, omnibus diebus vitæ nostræ.

Virga etiam exactoris, Tyrannis erat Satanæ aduersus
nos: qua quotidie ad obsequia illi præstanda, & ei in om-
nibus parendũ cædebamus, & compellebamus. Virgam
hanc exactoris, id est, tyrannidem Satanæ, confregit Chri-
stus sua virga, id est, cruce: ita vt in nos nullũ ius amplius
habeat Satan. Huc illud Hebr. 2. Et per mortem destruxit
eum, qui habebat mortis imperium. Iohan. 12. Nunc iu-
dicium est mundi: nunc princeps huius mundi eiicietur
foras. Et hoc quidem sentimus fide. Deinde donato suo
Spiritu, facit, vt etiamsi Satan virga sua tentet nos cædere,
ei tamen nos fortiter resistere valeamus: imò contrà
illum quodammodo feriamus: tantum abest vt possit nos
suo imperio subiicere. Huc illud 1. Pet. 5. Diabolus cir-
cumit, quærens quem deuoret: sed vos ei resistite, fortes
in fide.

Virga etiam exactoris potentia est tyrannorũ & prin-
cipum huius seculi: seu tyrannidis mundi huius in filios
Dei. Hanc etiam confregit Christus: Primò, quia effecit,
vt tyranni, etiamsi corpora nostra cædere suis virgis pos-
sint, animas tamen ferire aut perdere minimè valeant.
Huc illud Matth. 10 Nolite timere eos, qui occidunt cor-
pus. Secundò, quia donato suo Spiritu, facit vt neque
illorum vel minas, vel tormenta, vel cruces timeamus: vel
si carne timemus, non tamen Spiritu succumbamus, imò
lætissimo etiam fortique animo tormenta quæque per-

feramus. Huc illud Iohan.16. Confidite, ego vici mundũ. Ideo Actorum 5. ibant Apostoli gaudentes à conspectu concilij.

Omnia ista iuga, omnes has virgas, omnes has tyrannides confregit Christus. Quomodo? Respondet, dicens: *Sicut in die Midian.*

Dies Midian, pro victoria contra Midianitas accipitur. Duo indicat hæc particula: primũ, hostes nostros fractos & expugnatos fuisse à Christo, sua solius virtute: ideóque nos à iugo peccati & mortis, à iugo & maledictione legis, à virga iræ Dei, à virga & tyrannide Satanæ & mundi liberatos esse, sine viribus & operibus nostris, sola Christi virtute. Non enim Gedeon & illi 300. Israelitæ, tantum Midianitarũ exercitum expugnarunt, cùm & pauci essent, & omnes inermes: sed Deus solus autor fuit totius illius victoriæ. Sic & Hierosolymitani, ab obsidione Sennacheribi liberati non fuerunt suis viribus, nec suis armis exercitum illum partim perdiderunt, partim fugarunt, sed solus Deus per Angelũ. Sic nos non expugnauimus hostes nostros, nos non confregimus iugum nostrum onerosum: sed Christus sua tantùm virtute. Huc pertinent infinitæ sententiæ Scripturarum, quæ salutem nostram omnino negant operibus aut viribus nostris deberi; sed soli Dei misericordiæ, & virtuti Christi acceptam ferunt: vt illud Tit.3. Non ex operibus, quæ fecimus nos, sed secundùm suam misericordiam saluos nos fecit. Deinde indicat hæc particula, *Sicut in die Midian,* licet nostris neque viribus neque operibus, sed sola Christi virtute expugnati sint hostes nostri, & Ecclesia ab hostibus liberata: tamen si volumus huiusce victoriæ & salutis per Christum partæ participes fieri, necessariam nobis esse veram viuámque fidem, qua Christum recipiamus in cordibus nostris: & apertam sonorámque fidei confessionem, qua Christum tum ore, tum tota vita confiteamur. Gedeon enim & 300. illi Israelitæ, licèt suis armis, quæ nulla habebant, hostes suos non debellarunt ipsi, sed Deus, victoria tamen illa potiti nõ sunt, nisi luminibus quæ in vasis testaceis habebant & tubis, quibus sonabant & classicum canebant. Ita nos partæ per Christum victoriæ & salutis participes esse non possumus, nisi fide & fidei confessione. Nam lumen quod in lagenis testaceis habebant Israelitæ, typus fuit fidei viuæ. Hãc nos quoque in vasis his testaceis habeamus necesse est. Sic 1. Corint. 4. Paulus dicebat, loquens de hoc lumine. Deus qui iussit de tenebris lucem splendescere, illuxit in cordibus nostris, ad illuminationem cognitionis gloriæ Dei, in facie Iesu Christi. Habemus autem thesaurũ hunc in testaceis vasis, vt virtutis eminentia sit Dei, & non ex nobis. Tuba vero, qua quisque Israelita canebat, typus fuit sonoræ confessionis, qua tum ore tum tota vita confitemur Christum verum esse seruatoré nostrum. Hæc duo nobis necessaria sunt, si participes esse volumus salutis per Christum partæ. Totũ hoc docet Paulus ad Rom. 3 Primũ concludit, sine operibus & viribus nostris manifestatam esse iustitiam Dei, & hac hominem iustificari sine operibus. Deinde docet, tantù fide & confessione opùs esse, tum ad iustitiam tum ad saluté: cùm ait Roman.10. Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Quid est, Corde creditur ad iustitiam? Corde gestatur lumen ad victoriã parandã reportandámque de hostibus nostris. Quid, Ore autem confessio fit ad salutem. Ore & tota vita sonat tuba, ad salutem plené & perfecté possidendam. Ecce quid indicet nobis illa particula, Sicut in die Midian. Atque hæc certè magna est materia lætitiæ, quòd Dominus à nobis exigat tantùm fidem & confessionem, lumen & tubas: hoc est, vt quantum possimus, & credamus in Dominum Iesum, & eundem confiteamur tum verbis tum factis. Subdit:

Quoniam omnis præliando prælians in tremore, & vestimentum in sanguine volutatum: & erunt, in combustionem, cibus ignis.

Summa accedit ad lætitiam nostrã, quòd videmus hostes nostros, etsi fortissimos, veteranósque milites, sanguinique fundendo assuetos: à Christo tamen timore perculsos, & consternatos, deinde æterno igni adiudicatos esse. Hoc apertè videbimus, cùm dicet Christus tyrannis & reprobis omnibus: Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius. Hunc ignem indicat Propheta dicens: Erunt cibus ignis.

Hoc inquam faciet ad lætitiam nostram. Vnde Psal 57. Lætabitur iustus, quum videbit vindictam. Sapient. 5. Stabunt iusti in magna constantia, aduersus eos qui se angustiauerunt.

VI. Iam sequitur sextum caput: nempe caussa totius huius liberationis, quæ duplex est.

Vna, per quam, & propter quam. Hæc est Christus, & Christi merita. Hanc explicat versu 5. & partim sexto: *Puer natus est nobis.*

Ac primò, per Christum tanquam per mediatorem & sequestrem inter Deum iratum, & nos inimicos propter peccatum: reconciliatio, ideóque liberatio Ecclesiæ ab ira Dei, & malis omnibus facta est. Mediator auté esse nõ poterat inter Deũ & homines, nisi fuisset & Deus & homo: (vt est ad Galat.) Necesse enim erat, vt esset eiusdem naturæ cum eis, quos seruare volebat, quo posset illis compati: vt Paulus docet ad Hebr. 2. Qui enim sanctificat, & qui sanctificantur, ex vno omnes, propter quam caussam non confunditur eos nominare fratres, dicens, Annuntiabo nomen tuum fratribus meis, in medio Ecclesiæ celebrabo te. Et rursum: Ego ero fidens in illo. Et iterum, Ecce ego, & pueri quos mihi dedit Deus. Posteaquam igitur pueri commercium habent cum carne & sanguine, & ipse similiter particeps factus est eorundem, vt per mort' aboleret eum, qui mortis habebat imperium, hoc est diabolũ, & liberos redderet eos, quicunque metu mortis per omnem vitam obnoxij erant seruituti. Vt homo igitur fieret opus erat. Necesse enim erat, hunc mediatorem eiusdem esse cum Deo naturæ, quo ipsius mediatoris virtus & intercessio efficax esset ad homines Deo reconciliandos. Infinitæ enim virtutis esse oportebat ipsius intercessionem & mediationem. Puri auté hominis virtus finita est. Illũ igitur Mediatoré, per quem facienda erat reconciliatio hæc, Deum & hominé esse oportebat. Ideo Propheta primo loco vtramque Christi naturam tradit, dicens *Puer natus est nobis:* ecce hominem, *Filius datus est nobis* Deus fortis, pater æternitatis &c. ecce Dei filiũ, verúmque Deum. Et quidé iure ait, filius: quia decebat vt filius non autem Pater, vel Spiritus S. talis esset mediator, vt aliàs docuimus in cap 7. Ecce virgo concipiet filiũ. Huc spectant infinita loca Scripturarum, quæ tradunt liberationem & reconciliationé factã per Christũ tanquam per mediatoré. Rom. 5. Per quẽ (Christũ) habemus accessum ad Deum. Item per Christum tanquam per principem & forté imperatoré. Ecclesia, quæ est regnum Dei, erepta est é manibus Satanæ tyranni, & Patri Deo restituta per Christum. 1. Cor. 15. Paulus hoc explicat, dicens: Deinde finis cum tradiderit (Christus) regnum Deo & Patri cùm euacuauerit omnem principatũ, & virtutem & potestatem: Oportet autem illum regnare, donec ponat omnes inimicos sub pedibus suis. Proinde Esaias secundo loco describit eum vt optimum & fortissimũ principem, qui totum principatum, & omnia principatus regnique onera humeris suis sustinet, dicens: *Cuius principatus super humerum eius.* Principatus & regnum Christi est Ecclesia: id est, electorũ fideliũ cœtus, iuxta illud suprà citatum Pauli verbum, 1. Cor 15. Deinde finis &c. Gestamur igitur omnes nos fideles humeris Christi. Quos auté semel suscepit humeris suis gestãdos, eos nunquã ex humeris suis deiicit: iuxta illud Ioh. 17. Quos dedisti mihi Pater, ego custodiui. Proinde salus nostra tuta est in Christo: quia vbicunque sumus in humeris Christi sumus, & ab eo gestamur. Ergo vbi Christus, ibi & nos. Deinde, hac particula indicat Propheta, Christum omnia sui regni onera in se vnum, & supra suos humeros recepisse. Onera autem regni, quod regnum sumus nos, in primis nostra sunt peccata. Hæc igitur in humeris sunt Christi. Esa. 53. Posuit in eo Deus omnes iniquitates nostras. Cur? Vt nos iis grauissimis oneribus exoneraret. Tertio indicat, regnum Christi de hoc mundo non esse, neque terrenum. Quæ enim in humeris gestantur, à terra eleuata sunt. Christus autem humeris gestat regnum suum. Huc illud. Elegi vos de mundo. Item: Regnum meum non est de hoc mundo. Quarto indicat, curam totius regni, é manibus hostium redimendi, saluandi, custodiendi, regendi, beandi, huic vni Principi nostro à Patre esse impositam: hoc enim modo principatus est super humerum eius. Ioh. 6. Christus ipse testatur hanc sibi curam impositam fuisse, cùm ait: Descendi de cœlo, non vt faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit me, Patris. Hæc est autem voluntas eius, qui misit me, vt omne quod dedit mihi, non perdam ex eo, sed resuscitem illud in nouissimo die: id est, vt saluem, conseruem, defendam, donec tandem etiam resuscitem in nouissimo die. Indicat se continenter curare suos electos, vsque ad diem resurrectionis: tunc tradet regnum Deo & Patri.

Interim

Interim igitur, etsi in cœlis ipse sit corpore, Ecclesiam tamen etiam militantem gubernat ipse, imò in Ecclesia & per Ecclesiam contra hostes militat, eósque quotidie expugnat, donec omnes sub pedes suos subiiciat. Hinc verò consequitur, Ecclesiam, spectato hoc Principe, esse monarchiam, quia suum habet monarcham Christum, solum & vnicum. Hinc etiam sequitur, Ecclesiam nunquam esse ἀκέφαλον, quia semper habet suum caput Christum. Ergo Ecclesia vnum tantum, eúmque immortalem, & nobis semper præsentem, nósque semper regentem habet Principem & regem Christum. Videmus hac particula indicari, per Christum tanquam per sapientissimum, potentissimum & optimum principem, redemptam esse Ecclesiam è manibus hostium, idque mirabili modo, quia mortem morte, peccatum peccato, serpentem serpente deuicit. Nā mortem occidit, dum ipse mortuus est, peccatum abstulit, dum ipse factus est peccatum vt Paulus loquitur, Serpentem Satanam expugnauit, dum ipse factus est serpens in cruce exaltatus.

Ideo iure appellatur *Admirabilis*, scilicet mediator, & admirabilis princeps. Item per Christum tanquam admirabilem consiliarium, doctorem & magistrum, liberati sumus à tenebris ignorantiæ Dei, & rerum cœlestium. Euangelio, quod fuit æternum Patris consilium, per Christum nunc nobis reuelato.

Ideo vocatur *Consiliarius*, idque fecit mirabili modo. Alij enim externa tantùm voce consulunt, & docent, at Christus interna sui Spiritus actione & persuasione in cordibus electorum, suum inscribit & obsignat Euangelium, sicut promiserat per Ieremiam, Scribam legem meam in cordibus eorum, & dabo timorem meum in eorum corda, vt non recedant à me. Iccirco non tantùm vocatur *Consiliarius*, sed etiā *Admirabilis* consiliarius. Huc illud Matth. 7. Admirabantur omnes, quod non sicut Pharisæi docebat, sed loquebatur tanquam habens autoritatem, scilicet in corda auditorum. Et certè iis tribus præcipuè modis Christus Ecclesiam, hoc est, nos electos seruauit. Primò, vt mediator, reconcilians nos Patri. Secundò vt fortissimus heros, & optimus Princeps, eripiens è manibus hostium. Tertiò, vt mirabilis consiliarius & doctor, totum hoc mysterium, quod quidem æternum fuit Dei consiliū, donata nobis fide, in corda nostra inscribens, atque ita à tenebris ignorantiæ liberans. Per Christum igitur Mediatorem, Principem, admirabilem Consiliarium facta est nostra liberatio. Habemus, per quem.

Nec solùm per Christū, sed etiā propter Christū liberata est Hierosolyma cœlestis, id est, Ecclesia, idque bifariā. Primo, propter Christū, id est, propter merita Christi: is enim meruit electis suis salutem. Merita autem hæc in ipsa incarnatione inchoata sunt, in tota vita continuata, in morte verò perfecta & consummata. Huc faciunt infinita Scripturarum loca, quæ salutem nostram acceptam ferunt sanguini, passioni, morti, meritis Christi. Propter hæc merita nobis donata, & nostra facta, fit vt æterna vita iure nobis debeatur. Merita hæc Christi innuit Esaias, dicens, *Puer natus est nobis*, vt scil. pro nobis legem impleret, pateretur, &c. Et præsenti illa particula, cum ait, *Et vocabitur nomen eius heros fortis*, indicauit, illum fortiter perlaturum mortem pro nobis, & hostes expugnaturum. Deinde propter Christum, tanquam caussam finalē, liberata est Ecclesia. Ideo enim Ecclesia è manibus Satanæ liberata est per Christum, vt Christus, qui prædestinatus fuerat princeps & rex noster, suo tandem potiretur regno, suóque frueretur principatu, vnà cum Patre, in perpetuum in cœlo: vt Paulus innuit, cùm ait 1. Corint. 15. Deinde finis, cùm tradet regnum Deo & Patri. Significat enim, in hunc finem Christum quotidie suam colligere Ecclesiam, seu suum defendere & gubernare, atque è manibus hostium eripere regnum, in finem vsque seculi: vt illo tandem regno vnà cum Patre in cœlo æternùm perfruatur, sicut etiam nos vicissim fruemur nostro principe & rege Christo. Sed finis vltimus est gloria Dei in Christo. Huc illud in Prouerbiorū 16. Omnia propter semetipsum creauit Deus, etiam impium ad diē malum. Ergo multo magis propter semetipsum, & gloriam suam, redemit Ecclesiam suam Christus. Huc & illud Coloss. 1. Et ipse (Christus) est caput corporis Ecclesiæ, qui est principium, primogenitus ex mortuis, in quem finem hæc omnia ait, Vt sit ipse in omnibus primatum tenens. Atque hæc est caussa cur necessarium erat Ecclesiam, id est, cœtum piorum electorum, è manibus hostium redimi: quia necesse erat, vt Christus caput esset Ecclesiæ princépsque suo potiretur regno, quod est Ecclesia: primatum in omnibus tenens. Caussam hanc finalem tangit Propheta, quùm ait, *Quoniam puer natus est nobis, ad proferendum imperium, & ad pacem quæ finem non habet: super solium Dauidis & super regnum eius sedebit, vt instauret illud, & fulciat iudicio & iustitia ab hinc vsque in sempiternum. Zelus Domini exercituum faciet hoc.* Quasi dicat: Ideo necessarium est, vt Hierosolyma redimatur, quia decretum est à Deo, vt Messias nobis, & e nobis nascatur, qui in ea Hierosolyma regnet, id est, in Ecclesia, & vt regnum Dauidis instauret, firmet in perpetuum, amplificétque.

Caussa *altera* salutis nostræ est efficiens & principalis quidem caussa, fons atque origo totius salutis: ea est cum æternus & constans Dei erga suam Ecclesiā amor: tū suæ ipsius gloriæ & honoris zelus. Hæc enim duo nomine zeli hoc loco intelliguntur.

Ac primum quidem, vt de amore Dei erga nos dicam; radix salutis nostræ fuit iste Dei amor æternus & constans erga nos. *Æternus*, quia ab æterno nos dilexit Pater. non enim cœpit in tempore nos diligere, alioqui mutatio caderet in Deum: sed ab æterno dilexit. Testimonia Scripturarum confirmant. Hierem. 1. In charitate perpetua dilexi te. Iohan. 3. Sic Deus dilexit mundum, vt filiū suum vnigenitum daret. Dedit autem etiam ab initio mundi quodāmodo: quia agnus fuit occisus ab origine mundi: Iohan. 17. Dilexisti eos, sicut me dilexisti. dilexisti autem me ante conditum mundum. 1. Iohan. 4. Ipse prior dilexit nos, nos in tempore diliximus Deum. Ergo Deus ante tempora. Item prædestinauit nos ab æterno: vt Paulus Ephes. 1. testatur. Ergo ab æterno dilexit. prædestinasse enim, est dilexisse ad æternam vitam. Roman. 9. Antequam quicquam boni fecissent, Iacob dilexi, &c. Amor ergo Dei erga nos æternus est. *Constans*, id est, immutabilis continuatus & perpetuus. Ego Deus, & non muto. Deus immutabilis est, ergo & amor: quia amor Dei est ipse Deus amans. Esa. 49. Et dixit Zion: Dereliquit me Dominus, & Dominus oblitus est mei. Nunquid obliuisci potest mulier infantem suum, vt non misereatur filij vteri sui? Et si illa obliua fuerit; ego tamen non obliuiscar tui. Oseæ 11. Quomodo dabo te Ephraim (inimicis tuis?) Quomodo te tradam ô Israel? non faciam pro æstu iræ meæ: non vertar vt Ephraim perdam, quoniam ego sum Deus, & non homo: id est, constans in amore: id quod non potest semper homo: & qui possū iram continere, id quod non potest homo: Rom. 8. Quis nos separabit à dilectione Dei qui scilicet nos diligit? Indicant & hi & alij innumeri loci amorem Dei erga nos constantem, immobilem & perpetuum esse: & vbi cœpit aliquem ab æterno amare, Deum suum erga illum amorem continuare in perpetuum.

Christus, qui est imago Patris, & in cuius amore resplēdet amor Patris, item confirmat. Iohan. enim 13. de Christi amore erga discipulos suos sic ait: Et cum dilexisset suos in finem dilexit eos. Ergo & Pater, quos cœpit ab æterno diligere, eos diligere pergit in finem vsque seculi, imo in perpetuum. Amor iste Dei erga nos, fons est totius salutis nostræ. Hinc enim factum est, vt nos prædestinarit ad æternam vitam in Christo, vt Christum miserit in mundum, vt nos vocarit per Euangelij prædicationē, vt nos iustificarit, vt quotidiana peccata condonet, vt denique daturus sit vitam æternam. Amorem hunc appellat Iesaias zelum Domini: tum vt indicet vehementem esse amorem & ardentem: sicut amor viri erga charissimā vxorem; tum propter dolorem & metum, qui cum tali amore cōiuncti esse solent. Dolemus enim vehementer, si persona à nobis amata, ab alio possideatur: Et recuperata, ne denuo eripiatur, metuimus. Fateor in Deum nō cadere tales passiones: si tamen iuxta consuetudinem Scripturarum loqui liceat, Deus sicut ab æterno nos electos amat, sic quum à Satana occupamur, suo modo dolet, & redempti, ne denuo rapiamur, metuit, hoc est, & captiuos nos teneri à diabolo non probat, & ne captiui fiamus, diligenter curat. Hæc enim natura est zeli. Hinc fit, vt cum sit potentissimus, nullo modo sit permissurus nos electos & charos à Satana sibi eripi. Ergo cùm ait, *Zelus Domini faciet hoc*, perinde est, ac si dicat: Quia Dominus ab æterno nos ardenter & constanter amat, & ita amat, vt & ipsi vehemēter displiceat nos à Satana possideri, & ne ipsius manibus erepti, in sempiternum pereamus, efficit, iccirco omnino & extra omnem controuersiam Dominus faciet hoc, id est, liberabit & saluabit nos per filium suum, puerum nobis natum. Habemus hic vnam caussam salutis nostræ efficientem & necessariam: id est, zelum Domini, seu ardentem amorem erga nos.

Altera caussa efficiens nostræ salutis fuit zelus quo Dominus gloriam suam zelabat & zelat. Zelus iste ferre non poterat, vt præter reprobos, etiam electi in manibus Satanæ perpetuo detinerentur. Iesa. 42. Gloriam meã alteri non dabo. Quæ est hæc gloria? Nempe quòd ego solus sim verus, & agnoscar vt verus Deus, qui suis stat promissis: ita vt præter me nullus alius pro tali Deo habeatur. Promiserat autem Deus iste, se fore in Deum Abrahæ & semini eius (id est, electis fidelibus, qui sunt semen Abrahæ verum, secundùm Spiritum, vt est Rom. 2.) eóque illos redempturum. Iam si Deus iste electos non redemisset, non fuisset agnitus vt illorum Deus. Ad gloriã igitur Domini non pertinebat permittere vt electorũ Ecclesia in perpetuis esset tenebris, & à Satana prorsus occuparetur. Quare zelus Domini, quo partim suam ipsius gloriã, partim nos ipsos zelabat, id est, ardenter, perpetuò & constanter amabat & amat: FACIT HOC: id est, caussa fuit efficiens principalis, salutis nostræ per Christum partæ & conseruatæ. Habemus sextum caput huius vaticinij.

VII. Septimum caput est, quomodo ex hoc contextu Iesaiæ possit quisque fidelis, se in certitudine suæ æternæ & certiss. salutis confirmare. Nam hic est finis huius vaticinij Iesaiæ, vt sc. pij (quo ad historiã) qui erant Hierosolymis, in fide confirmarentur, fieri non posse, vt Hierosolyma, regnúmque Dauidis ab Assur destruatur. Quo verò ad Ecclesiã Christi, vt quisque nostrûm in fide, de certissima securissimáque, tum totius Ecclesiæ, tum sui ipsius salute confirmetur. Atque hæc ingens consolatio & fructus qui ex hoc contextu hauriendus est.

Iam, vt hoc fiat, ante omnia fundamentũ vnum iaciendum est illúdque bene firmandum, supra quod tota structura de certitudine salutis statuenda & confirmanda est. Fundamentum hoc est: Nemini contingit, aut contingere potest salus & vita æterna, seu cœleste regnũ, nisi electis ad salutem, vitã, regnúmque cœleste. Mat. 20. duobus filiis Zebedæi petentibus à Christo, vt alter à dextris, alter à sinistris in suo regno sibi assiderent, sic Christus respondit: Calicẽ quidem meũ bibetis. sedere autem à dextris, vel à sinistris in regno meo non est meum dare vobis, sed quibus paratũ est à Patre meo Iudicauit, cœleste regnum non posse dari, nisi electis, quibus ab æterno illud præparatum fuit à Patre. Matth. 25. Tunc dicet iis, qui à dextris: Venite benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est à constitutione mundi. Roman. 8. Quos prædestinauit, hos & vocauit: quos vocauit, hos & iustificauit: quos iustificauit, hos & glorificauit. Docet Paulus, neminem in æterna vita & cœlesti regno glorificatum iri, nisi qui ad eam gloriam & æternam vitam ab æterno fuerit prædestinatus. Nemo enim seruari potest, & ad æternam vitam peruenire, nisi quos Deus præsciuit seruandos: seu quos præamauit, & vt suos præcognouit (Deum enim nihil ab æterno latuit) & quos ipse ab æterno decreuit seruare. salus enim à Deo est. hoc autem est prædestinasse ad salutem. Ergo salus non contingit nisi electis.

Cùm hoc ita se habeat, consequitur necessariò, neminẽ igitur de sui salute certiorem posse fieri, nisi certus fiat de æterna sui electione.

Vt verò quis certiori fieri possit de æterna sui ad æternam vitam electione, duæ sunt viæ, vna à priori (vt vocant) altera à posteriori. A priori vocamus, quæ est à caussis: caussa autẽ sicut electionis, sic etiã salutis nostræ efficiens, est Christus, Non vos, inquit, me elegistis, sed ego elegi vos. Idem salutem sanguine suo partam nobis communicat, & in nobis efficit, tũ verbo, quod etiã Sacramentis obsignat, tum Spiritu suo in nobis efficaciter operante, & testimoniũ Spiritui nostro reddente, quòd simus Filij Dei. Possumus igitur & à verbo, quo Christus nobis loquitur, tanquam à caussa instrumentali salutis nostræ, & à Spiritu Christi in nobis habitante, & salutem efficaciter operante argumenta ducere: id quod à priori argumentari dicimus.

A posteriori autem viam vocamus, quæ est ab effectis: Effecta autem hæc sunt, efficax vocatio, iustificatio, sanctificatio, pax conscientiæ, & alia de quibus postea. Nunc priorem viam ingrediamur: & primum à verbo Euangelij argumenta ducamus: Euangelium enim, sicut est caussa instrumentalis salutis & fidei nostræ (fides enim est ex auditu verbi Christi) sic etiam est certitudinis, quod simus Filij Dei, eóque ad hanc υἱοθεσίαν in Christo electi: quando fides nihil aliud est, quàm certa persuasio, è verbo Dei concepta, quod simus in Christo gratis electi, per Christum seruati, & cum Ecclesia Christi glorificandi. A verbo igitur Euangelij si confirmare nos possumus, quòd simus ad æternam vitam electi.

I. Iubemur à Christo credere Euangelio, & toti quidem Euangelio, id est, omnibus quæ Euangelium annuntiat. Marc. 1. Pœnitentiam agite, & credite Euangelio: atque ita iubemur, vt nisi credamus Euangelio, peccemus, & damnemur. Atqui Euangelium annuntiat, quòd simus electi ad æternam vitam: Ephes. 1. Benedictus Deus & pater Domini nostri Iesu Christi, sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, vt essemus sancti & immaculati in conspectu eius in charitate. qui prædestinauit nos in adoptionem filiorum Dei per Iesum Christum. Ergo quia iubemur credere Euangelio: Euangelium autem, sicut annuntiat nos esse redemptos per Christum, sic etiam prædicat nos esse prædestinatos in Christo: idcirco sicut iubemur credere simpliciter, nos esse per Christum redemptos: sic iubemur simpliciter credere, nos ab æterno fuisse in Christo, ad habendam redemtionem & vitam æternam, prædestinatos.

II. Iubemur credere, quòd Deus ab æterno nos diligat ad æternam vitam. Hoc enim annuntiat Euangelium, Iohan 3. Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum dederit, vt quicunque credit in eum, habeat vitam æternam. Ioh. 17. Dilexisti eos (loquitur de credituris omnibus) sicut & me dilexisti, dilexisti autem me ante mundi constitutionem. 1. Ioh. 4. Ipse prior dilexit nos. Omnes ij & alij similes in Euangelio loci, qui de amore Dei erga nos loquuntur, de amore ad æternam vitam intelligendi sunt. Est enim duplex amor Dei. Vnus, quo omnes, etiam reprobos, omnia denique amat: quia omnibus bene vult, & benefacit. Sap. 11. Diligis omnia quæ sunt, & nihil odisti eorum quæ fecisti. Alter, quo specialiter quosdã amat ad vitam æternam. Hi vocantur electi: Rom. 9. Iacob dilexi, Esau autem odio habui. De hoc amore loquitur Euangelium, cùm nobis proponit quod Deus nos amet. Iam iubemur credere quod Deus nos amet ad æternam vitam, vt iã ostendimus Atqui Deum amare aliquem ad æternam vitam, est illum ad æternam vitam prædestinasse. Iubemur ergo credere, ad æternam vitam prædestinatos nos esse.

III. Iubemur credere, quòd Christus natus sit pro nobis, orarit pro nobis, passus sit pro nobis, mortuus sit pro nobis, ita vt vnusquisque iubeatur credere, quod pro se passus & mortuus sit: sicut & Paulus dicebat Galat. 2. Qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me: hoc enim prædicat Euangelium, & sic confitemur in Symbolo. Atqui Christus secundùm propositum voluntatis & Patris & suæ, non orauit, nec passus est nisi pro electis. Patet de oratione, Iohan. 17. Non rogo pro mundo. De passione & morte inde concluditur à minori ad maius. Deinde confirmatur Iesa. 53. Et ipse peccata multorum portabit: non ait omnium, sed multorum: id est, electorum. Dan. 9. Et roborabit fœdus cum multis: id est, cũ electis. Et Apostolus ad Hebr 9. Christus semel oblatus est, vt multorũ peccata tolleret. Et Christus in cœna de suo sanguine ait: Qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Ioh. 11. Prophetauit, quod Iesus moriturus erat, non solùm pro gente Iudaica, sed vt filios Dei (id est, electos) qui erant dispersi (inter gentes) congregaret in vnum, 1. Iohan. 2. Qui est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam pro peccatis totius mundi. Quid est pro peccatis totius mundi? pro peccatis omnium electorum, qui sunt, fuerunt, & futuri sunt in mundo: non solùm pro nostris. Et locus iste respondet illi suprà citato: Christus moriturus erat pro gente: nec pro gente tantùm, sed vt filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in vnum. Cùm ergo iubeamur credere, Christum pro nobis mortuum, & non sit mortuus, nisi pro electis, vt Euangelium tradit: ergo iubemur credere nos esse electos.

IV. Iubemur credere, quòd Deus sit Pater noster, nósque eius filij: & ita iubemur eum quotidie vt patrem inuocare, dicentes, Pater noster. Sic enim prædicat Euangelium, cui toti tenemur credere. Atqui Deum nobis esse Patrem, nósque eius filios, quid est, nisi Deum nos elegisse in filios in Christo & propter Christum? Sicut ait Paulus Ephes. 1. Qui prædestinauit nos in adoptionem filiorum, per Christum, in ipsum. Iohan. 11. Vt filios Dei congregaret in vnum. Iubemur ergo credere, nos esse prædestinatos in filios Dei, à Patre æterno, in Christo. Hoc pacto studiosi à partibus Euangelij, seu ab iis singulis quæ nobis annuntiat Euangelium, quæ omnia non nisi in electis locum habere possunt, discant argumentari: & videbunt consequi necessariò, si iubemur credere Euange-

lio,

io, & singulis quæ annunciat Euangelium bona nuntia: nos igitur iuberi credere, quod simus ad æternam vitam electi. Tunc confirmemus conscientias nostras in certitudine de nostri prædestinatione, ideóque de salute æterna, hoc modo: Iubeor credere quod sim prædestinatus: ergo enitar vt credam: & sicut credo Christum pro me passum, ita volo credere me esse electum in Christo ad vitam. Cur enim me ab hac æterna Electione excludam: in qua me, vna cum aliis credentibus in Christum, Euangelium includit? Hic est primus modus argumentandi a priori: nempe à verbo Euangelij, cui iubemur credere, & quod caussa est instrumentalis salutis, fidei, & certitudinis nostræ.

V. Alter modus est à caussa verè efficiente salutis fideique nostræ, & certitudinis de nostra salute. Hæc caussa efficiens est Spiritus sanctus in nobis inhabitans. Quisque fidelis in seipso testimonium habet Spiritus sancti, quod sit filius Dei Rom. 8. Spiritus autem sanctus testimonium reddit Spiritui nostro, quod filij Dei sumus. Gal. 5. Quoniam autem estis filij Dei, misit Deus Spiritum filij sui in corda vestra, quo clamatis Abba Pater. 1. Iohan. 3. Scimus quod manet in nobis Christus, ex Spiritu quem dedit nobis. Atqui testimonium habere, quod sumus filij Dei est testimonium habere, quod sumus electi. nemo enim esse filius Dei potest, nisi electus sit in adoptionem filiorum Dei. Ephes. 1. Ergo quisque fidelis, quia testimonium habet Spiritus sancti, quod filius Dei sit habet etiam per consequens testimonium quod sit electus. Quoties ergo sentimus in nobis ipsis testimonium hoc Spiritus sancti, per certam fiduciam in Christum, quod simus filij Dei, tunc concludamus: Igitur nos sumus electi ad æternam vitam.

A posteriori verò seu ab effectis quæ in nobis sentimus & experimur, confirmare etiam nos certo possumus in certitudine nostræ salutis: nos scilicet prædestinatos esse ad salutem & æternam vitam.

VI. Primus effectus est, vera Dei & Christi cognitio seu lux & fides solida, qua tum Deum vt Patrem, in Christo: tum Christum vt saluatorem agnoscimus & amplectimur, eique vocanti nos per Euangelium assentimur. Hoc est initium salutis nostræ quod in nobis sentimus: efficax vocatio interna Dei, & fides nostra assentiens: Roman. 8 Quos prædestinauit: hos & vocauit. Iesaias etiam hanc primo loco ponit dicens: Populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam, & lux affulsit eis, qui sedebant in regione vmbræ mortis. Sic ergo nos confirmemus: Qui vera & solida præditus est fide, & cui lux fidei interne in corde affulsit, qua verè videt lucem Deum, & Christum, illúmque vt Patrem, & hunc vt saluatorem amplectitur: hic est ad æternam vitam prædestinatus, neque enim quisquam solidam hanc fidem habere, & lucem diuinam videre potest nisi electus sit. Patet testimoniis Scripturarum Iohan. 6. Omne quod dedit mihi Pater ad me veniet, id est, illi tantum, quos dedit mihi Pater in prædestinatione, ad me venient per fidem: Et ego eum qui venerit ad me, non eiiciam foras: i. perpetuo in mea gratia seruabo, & tandem in possessionem æternæ vitæ introducam. Mat. 13. Vobis datum est nosse mysteria. Quasi dicat: quia electi estis. ideo vobis affulsit lux & datum est vt lucem videatis. Ioh. 12. Et non poterant credere, quia dixit Iesaias: Excæcabo cor populi huius, vt videntes non videant, audientes non audiant: Hoc est, quia reprobi erant, destinati ad excæcationem iusto Dei iudicio. Actorum 13. Et crediderunt quotquot erant præordinati ad vitam æternam.

Vocatio efficax, cum scilicet quis ita vocatur, vt fide vocanti assentiatur: tantùm est electorum. Sic enim Paulus coniungit: Quos prædestinauit, hos (tantum) vocauit. Rom. 8.

2. Corint. 4. Quod si opertum est nostrum Euangelium, iis qui pereunt opertum est, in quibus Deus huius seculi excæcauit mentes infidelium, ne illucesceret illis lumen Euangelij gloriæ Christi.

Tit. 1. Fidem solidam & agnitionem veritatis dat solis electis, dicens: Paulus Dei seruus, secundum fidem electorum Dei, & agnitionem veritatis, quæ secundum pietatem est in spem vitæ æternæ.

At reprobi & hypocritæ multi habent fidem, licet temporariam. Respódeo. Non est illa vera & solida fides. Qui enim vera & solida fide in Christum credit, iam habet ius certum & immutabile vitæ æternæ, Iohan. 6. Qui credit in me, habet vitam æternam, id est, etsi non plenam possessionem, ius tamen certum, quod infallibiliter plenam etiam possessionem habiturus sit. Atqui reprobi non sunt habituri vitam æternam, ideo nec ius ipsum habét, quare nec fidem & veram. Manifesta est ex iis Maior propositio: veram fidem tantum esse electorum: ac proinde qui verã habent fidem, esse electos. Subdat quisque fidelis Minorẽ dicendo: Atqui sentio in corde meo, mihi affulsisse diuina luce ad Euangelij prædicationẽ, & donatam esse verã viuámque fidem: qua, cum ante in maximis essem tenebris, nunc video, solidéque sentio mihi per Christum, Deum factum esse patrem: & Christum meum video esse seruatorem, vereque pro me Patri satisfecisse: ita vt verè cum Paulo illud sentiam me posse dicere, quod est 2. Corinth. 4. Deus qui iussit de tenebris lucem splendescere, illuxit in corde meo, ad illuminationem scientiæ claritatis Dei. Iam cùm lux hæc in cordibus tantum electorum effulgeat, & fides hæc sit duntaxat electorum: in me autem sentiam hanc fidẽ, & lux hæc mihi affulserit atque affulgeat: consequitur ergo, me ad æternam vitam à Deo per Christum gratis prædestinatum fuisse. Cur ergo dubitem de mea prædestinatione, ideóque de mea salute?

At (inquiet aliquis) nemo potest certò cognoscere, an præditus sit vera fide nec ne. Contra docet Apostolus, nõ solum suo exemplo, dicens Scio cui credidi, sed etiam exhortatione, cum ait 2. Corint. 13 Tentate volmetipsos, an sitis in fide: ipsi vos probate. An non cognoscitis, quod Christus in vobis est, nisi forte reprobi sitis? Spero autem quod cognoscetis, quia non sumus reprobi. Docet hic locus Pauli, primum: fidem, ideóque Christum fide apprehensum, non posse esse in reprobis: fidem igitur tantum esse electorum. Deinde, Quemque, qui fidem habet, & Christum in se, posse certo cognoscere se habere fidem. Postremo: Debere quemque fidelem certo statuere, se esse non ex reprobis sed ex electis. Si nemo potest certò cognoscere, se præditum esse vera in Christum fide: quomodo igitur Christus adigebat homines ad confitendum fidem, dicens: Credis? Quomodo etiam fideles possent respondere, Credo? dicendum potius esset, Nescio an verè credam. 1. Ioh. 3. Per hoc nouimus quod habitat in nobis, ex Spiritu quem dedit nobis.

Patres etiam confirmant sententiam nostram.

Augustinus Tom. 2. Epist. 112. c. 3. 4. 5. Fides ipsa (inquit) mente vtique videtur: quamuis hoc fide credatur, quod non videtur. Item, videt fidelis ipsam fidem suam, qua se credere, sine dubitatione respondet. Item cap. 4. Menti nostra (inquit) fides nostra conspicua est. Et cap. 5. Mente (ait) ipsam in nobis, qua credimus fidem videmus.

Summa igitur argumenti est. Fidem tantum esse electorum Quicunque fide præditus est, scire certo potest se fidem habere. Quisque ergo fidelis cõcludere certo potest & debet, se esse ad vitam æternam electum Hoc argumentum à posteriori, quo confirmamus nos in fide, quod simus prædestinati ad vitam æternam, ex primo versu Esaiæ colligimus: Populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam. Ergo certissime saluus est, & electus ad æternam vitam.

VII. Secundus prædestinationis effectus est iustificatio, Roman. 8. Quos vocauit, hos & iustificauit. Quicunque iustificatus est: electus & prædestinatus fuit ab æterno ad iustificationem & salutem. Patet ex catena Pauli indissolubili, Roman. 8. Quos prædestinauit, hos (solos) iustificauit &c. Atqui sentio (dicet fidelis) me esse iustificatum, mihi condonari peccata: & quidem verè potest hoc scire & dicere, qui fidelis est, quia fide iustificatur homo. Scit autem fidelis certo se habere fidem. Ergo qui dubitare debeo, me esse ab æterno ad æternam salutem prædestinatum?

VIII. Tertius est, pax & gaudium in conscientia, quo fideles mirabiliter exsultant, idque coram Deo, quod videant se factos esse filios Dei, Rom. 5. Iustificati ergo ex fide, pacem habemus apud Deum Iesaias fructum hũc explicans dicit: Lætabuntur coram te, sicut qui in messe, & qui diuidunt spolia. Gaudium hoc, & pax, propria est electorum: quia à iustificatione & fide, quæ propriæ sunt electorum (vt vidimus) proficiscuntur.

IX. Ab effecto illo, quo quisque verè fidelis sentit in seipso, fractũ esse per Christum iugum peccati & mortis: itẽ iugũ, i. durã exactionem & maledictionẽ legis: item virgã exactoris, id est, metũ iræ Dei æternæ: item virgam, id est, tyrannidem Satanæ aduersus nos. item tyrannidem mũdi, ex eo inquam, quod quisque fidelis sentit reuera in se fide & Spiritu & experientia, fracta esse per Christum omnia hæc iuga, eo modo, quo supra declarauimus, potest se confirmare in certitudine de sui electione, ideóque de

sua salute. Iuga enim hæc fracta non sunt nisi in piis & electis fidelibus. Reliqui adhuc sunt sub iugo peccati & mortis, sub iugo & maledictione Legis, sub virga furoris Domini, sub tyrannide Satanæ & mundi. Ergo qui sentit in se hæc esse fracta: concludat se electum liberatúmque per Christum fuisse.

X. *Quoniam puer natus est nobis.* Argumentum est tale: Messias filius Dei, filiúsque hominis, natus, & datus, & donatus est nobis in nostram certam salutem, vt nos tanquam mediator reconciliaret Patri, & sua incarnatione, tota vita & morte nobis mereretur remissionem peccatorum, iustitiam, salutem, æternam vitam. Atqui non est datus & natus nisi electis, id est, in salutem electorum, vt ante ostensum est. Ergo qui potest sentire, & ex animo dicere hæc verba, Puer natus est mihi, & datus est mihi: ille concludat, Ego sum ex electis, ideóque salus mea certa est. At (inquies) verum est, si fide perpetua illum retineam. Verum dicis. Sed tu debes de perseuerantia propter Christum esse certus, & dicere: Non dubito, quin perpetuo puer iste conseruaturus in me sit fidem, qua illum retineam, ideóque à salute non excidam. Nam mihi donatus est iste filius, vt mihi totam salutem mereretur & donaret. Salus autem mea in fide perfecta, eáque perpetua consistit. Dubitandum igitur non est, quin puer, qui datus est nobis, conseruaturus in nobis sit perpetuam fidem. Perpetua autem fides non nisi in electis esse potest. electum igitur me esse confido, quia puer mihi datus est in salutem.

XI. Principatus Christi securus est, & perdi non potest: quia est super humerum eius. Atqui nos sumus principatus & regnum Christi. Ergo nostra salus certissima. Fuit autem ille principatus Christo præparatus ab æterno. Nos ergo prædestinati sumus ab æterno, vt essemus regnum Christi, & Christus in nobis regnaret.

XII. Christus est *Admirabilis* tum in sua persona, tū in nobis: hoc est, in regno suo administrando & regendo, In sua persona: quia mirabilis in incarnatione: humana enim natura diuinæ cōiuncta est ὑποστατικῶς in persona filij, virtute Spiritus sancti. Mirabilis in natiuitate, in vita, in doctrina. Mirabilis, quia cùm sit Deus & Rex regū, exhibuit se in forma serui hominibus, & habitu est inuentus vt homo, cùm esset in forma Dei. Philip. 2. Denique in omnibus eius actionibus mirabile quiddam apparebat, & diuinū. Mirabilis in nobis: in nobis enim inhabitat vere, sed per fidē: Et cū in cœlo sit corpore, tamē sese offert verè in verbo & Sacramentis: quanquā è cœlo nō recedit. Facit in credentibus, vt cupiant omnibus benefacere: & tamen ab omnibus affligūtur. Mittit nos vt oues inter lupos, & tamen iubet vt simus fortes: imò facit reipsa vt lupos non timeamus. Facit vt in mundo pressuram habeamus: sed cor replet pace & gaudio: In mundo pressuram habebitis, in me autem pacem. Facit, vt nihil habentes, omnia tamen possideamus. Nos quo plus diligit, eò magis castigat. Facit, vt simus omniū περίψημα, & reiectamenta huius mundi: & tamē filij Dei sumus, & hæredes mundi. Permittit vt subinde labamur in peccata: vt inde surgamus humiliores: & donata resipiscentia, illa mox condonat. An non hæc est mirabilis ratio, qua suum administrat regnum Christus? Si igitur ita mirabiliter nos gubernat, vt licèt videamur omnium miserrimi, simus tamen omnium felicissimi: & nihil minùs videamur, quàm quòd simus hæredes mundi, cùm tamen reuera simus: dubitandum non est, quin etiam mirabili modo sit nos ad æternam vitam perducturus. Proinde dubium non est, quin simus electi.

XIII. *Consiliarius.* Hic puer, quia datus est nobis, datus est vt noster sit consiliarius. Consilium æternum nobis reuelauit: id est voluntatem Patris hanc esse, vt habeamus vitam æternam: & consilium hoc, id est, Euangelium, insculpsit cordibus nostris. Ergo proculdubio habebimus. Item consiliarius noster est: ergo semper consulet nobis, & quidem efficaciter in cordibus nostris, ita vt faciat nos parere suis sanis consiliis. Sic promisit per Ezechielem: Et faciam, vt ambulent in præceptis meis. Item, si consiliarius noster est, & quidem admirabilis: ergo pro consiliis capiendis nemo nobis adeundus est, nisi hic puer: tum in Scripturis, tum Spiritu in cœlis, & per precationem.

XIV. *Deus.* Puer iste declarauit se esse Deum, eúmque potentissimum. Cùm autem datus nobis sit, vt nos seruet, & in eius manibus simus positi: salus ergo nostra tuta est, quia in manib. est huius pueri, qui Deus est. Huc illud Ioh. 10. Nemo potest rapere eas (oues meas) de manu mea. Quare? Quia Deus maior est (i. potentior) omnib. Et ex manu patris nemo potest rapere quicquam. Ego & Pater vnum sumus, & eiusdem potentiæ.

XV. *Heros fortis.* Puer iste est heros, debellauit enim hostes nostros omnes. Atqui puer iste, & heros noster est: quia nobis datus. Ergo etiam in nobis erit fortis heros: & sua virtute in nobis vincet mundum, & omnes hostes, vt non valeant nos expugnare. Huc illud Iohannis 16. Nolite timere, ego vici mundū. Philip. 4. Omnia possum in eo, qui me confortat Christus. 1. Iohan. 5. Hæc est victoria quæ vincit mundum, fides nostra, id est, Christus fide apprehēsus, & fide in nobis habitans. Vbi ergo etiam venerit hora mortis, quando & Satan, & peccatum, & horror mortis nos aggredientur, vt expugnent, timendū non erit: Quia puer datus est nobis, qui & fortis heros est & pro nobis fortiter dimicabit, & expugnabit hostes.

XVI. *Pater æternus.* Puer iste datus est nobis, vt sit Pater, id est princeps & Dominus noster, non ad certum tēpus, sed in perpetuum, hîc & in cœlo: Vnde & Pater æternus dicitur. Ergo & nos ad æternum eius regnū prædestinati. Proinde semper ad æternum nos reget hic Dominus & pater: Et nos in perpetuo eius erimus regno cœlesti. Salus ergo nostra certa est.

XVII. *Amplificationi principatus eius & paci nullus finis.* Quæ de (*mem*) clauso in (*Lemarbeh*) tradunt interpretes, non recito: legantur ipsi. Galatinus etiam tradit quædam de hoc (*mem*) clauso: Legat eum qui volet, libro 4. cap. 19. contra Iudæos. Ego simpliciter duo dixi hac litera clausa in ista dictione indicari. Primum vocationē gētium ad Euangelium, mysterium fuisse absconditum. Quia enim hic vaticinatur Propheta de amplificatione regni & Ecclesiæ Christi, quæ facienda erat vocatione & accessione gentium ad gratiam Euangelij: hoc autem absconditū erat, & absconditū mansurum erat vsque ad Christū: imo & post ascensionem Christi in cœlos, ad aliquod tēpus: ideo Propheta mysteriosè hoc voluit innuere litera (*mem*) clausa in medio dictionis, præter consuetudinem linguæ sanctæ. Hoc est, quòd Paulus vocationē hanc gentiū, ad gratiam Euangelij, appellat subinde mysterium absconditum à seculis, nunc autem reuelatum Apostolis. Deinde dixi hac litera clausa hoc loco, vbi loquitur de amplificatione regni Christi, indicari regnum Christi clausum esse oculis mundi neque rem esse oculis carnis spectabilem: sed tantùm esse in Spiritu. Nunc Ecclesia & regnum Christi non apparet, quale sit, oculis mundi: & ita mansurum est in finem vsque seculi: tunc aperietur (*mem*) & apparebit gloria regni Christi nunc etiā non apparere: clausa est. Videtur enim Ecclesia esse pusillus grex, sicut est reuera: comparatione regni Satanæ: Sed tamen multo maior est regni Christi amplitudo, quàm oculis mundi appareat. Multi sunt filij Dei dispersi inter idololatras. Turcas, Iudæos, Papistas: qui tandē accedent ad regnum Christi, saltem in hora mortis: & horum accessione amplificabitur regnum Christi æternum & cœleste. Hoc mundum latet in præsentia: sed tandem aperietur (*mem*) amplificatio hæc apparebit.

Locus iste, si nobis applicetur, magnam adfert & consolationem. Quot quæso nostrûm sunt, qui verè pertinent ad regnum Christi, & quorum accessione amplificabitur regnum Christi, & qui verè sunt prædestinati, & veri Filij Dei, & qui reuera in cœlo triumphabunt cum Christo? Nunc tamen non apparent quales sint. Clausi sunt in regno Christi: quia clausum est (*mem*) viles sunt, abiecti, contemptibiles, imo etiam peccatores, & pro sceleratis & hæreticis habiti à mundo. Quare? Quia clausum est (*mem*:) Sed tamen tandem aperietur, & apparebunt qui sint isti pauperes. Huc illud 1. Iohann. 3. Charissimi, nunc Filij Dei sumus: sed nondum apparuit quid erimus. Quasi dicat, Nostra filiatio abscondita est, nostra vita abscondita est in Deo: nostrum regnum, beatitudo, felicitas abscondita est: & nondum apparuit quid erimus. Interim tamen certum est, nos esse Filios Dei. Vnde certum est? Ex fide, qua coniuncti sumus cum Christo, & qua credimus nos in adoptationem filiorum ab æterno prædestinatos fuisse. Ergo (*mem*) regni Christi clausum est in præsentia: sed tunc aperietur, quando in fine seculi apparebit quid erimus. Sic ergo hac particula confirmemus nos in fide de æterna nostri electione, ideóque de æterna salute, hoc modo: Non apparet quidē nunc nostra æterna electio: sumus tamen electi. Vnde scimus? Quia

Quia nunc filij Dei simus per fidem in Christum. Item, quotidie amplificatur regnum Christi, & amplificationi huic nullus futurus est finis, donec totum impleatur. Non amplificatur autem nisi electorum accessione. Cùm ergo iam simus non solùm in, sed etiã de regno Christi, dubitandum non est, quin simus ex numero electorum, quorum accessione amplificatur regnum.

At sumus peccatores. Respondeo: Si Deus hoc spectat: regnum Christi certè nõ amplificabitur: quia omnes peccatores. Necesse est autem vt amplificetur, quia amplificationi eius non est finis. Ergo electos de peccatoribus faciet iustos, propter Christũ peccatis condonatis. Peccata igitur non obstant, quominus credamus nos esse electos ad amplificationem regni Christi. Fide retinendum est verbum Euangelij, & res erit in vado. Si credendum est, multos, qui in præsentia extra Ecclesiam sunt, esse prædestinatos, & horum accessione amplificandum esse regnum Christi: cur non credemus, nos qui iam sumus in regno, ad hoc regnum fuisse electos, ideóque ad æternam vitam prædestinatos?

XIIX. *Super solium Dauidis & super regnum eius sedebit.* Duæ partes regni Dauidici: Vna temporalis & terrena: hæc erat illud regnum temporale, cuius sedes erat Hierosolymis. Supra hoc regnum non sedit Christus, quia Ioh. 18. dicit, Regnum meum non est de hoc mundo. Altera spiritualis & æterna: hæc erat Ecclesia, cum suo cultu & religione, huius etiam sedes erat Hierosolymis: ibi enim templum, verbum Sacramenta. Vnde Iesa. 2. De Sion exibit lex, & verbum Domini de Hierusalem: & in diebus illis erit exaltatus mons Domini. Christus super hanc partẽ regni, seu in hoc regno sedit, & sedem etiã regni occupauit, id est, Hierosolymam: quatenus scilicet ibi cœpit prædicare, regnum reformare, & inde Euangelium in omnem terrarum orbem ad gentes colligendas emittere, vt est Luc. 24. Iussit pœnitentiam prædicari, initio ab Hierosolymis facto. Ideo vtrumque ait: Et super thronum, id est, sedem: & super (totum) regnum Dauidis sedebit.

XIX. *Vt illud instauret, & firmet in iudicio & iustitia.* Quidam exponunt iudicio, id est, punitione malorum iustitia, id est, defensione & remuneratione bonorum: iis enim duobus regnum instaurari & conseruari. Nos simpliciter dicimus: Iudiciũ est reformatio & renouatio, quæ fit cùm à regni autores expelluntur, & omnia in ordinem suum primum restituuntur, vt Iohan. 12. Nunc iudicium est mundi, nunc princeps huius mundi eiicietur foràs. Iustitia, executio & conseruatio instituta reformationis, legum & ordinum in eo regno institutorum. Sic igitur Christus regnum id est Ecclesiam, quæ tota erat corrupta & collapsa, tum quo ad externum cultum & religionem, tum quo ad internum, instaurauit primùm iudicio, id est, reformatione, expulsa scilicet falsa doctrina, inutilibus sacrificiis: & vera doctrina, verisque sacrificiis introductis. Deinde expulso Satana è cordibus fidelium & peccatis ablatis ac condonatis: & horum loco donato Spiritu sanctò, suáque iustitia. Secundo instaurauit iustitia, executione & conseruatione ordinis Instituti: id quod quotidie facit verbi prædicatione, Sacramentorũ administratione, & operatione Spiritus S. in sanctis. Hoc eodem iudicio & iustitia regnum firmat in perpetuum. Iam hoc est iudicium Christi in suo regno reformando, vt omnis qui credit in eum habeat vitã æternam: sine sacrificiis legalibus, sine operibus legis. Item, vt qui incipit semel vera fide in eum credere, fides in eo seruetur, nec penitus deseratur, nec eiiciatur foràs: vt ait Ioh. 6. Omne quod dedit mihi Pater, veniet ad me: & qui venerit ad me, ego eum non eiiciam foràs. Atqui nos in eum credimus: dubitandum igitur non est, quin pro sua iustitia velit fidem in nobis seruare, nec foràs nos eiicere, sed æterna vita donare: hoc enim iustitia ipsius postulat.

XX. Nunc simplicius locum interpretor. Iudicium fit, cùm vnicuique rependitur iuxta facta sua. Iustitia fit, cum alicui, præter sua merita, aliquid boni præstatur: vt cùm peccata condonantur ex misericordia & gratia: iustitia enim sæpe capitur pro misericordia & gratia. Christus regnum suum instaurat iudicio, cùm impios reprobos punit iuxta ipsorum merita, eos foràs eiiciendo. Sic Ioh. De iudicio autem arguet mundũ, quia princeps huius mundi iam iudicatus est. Iustitia instaurat, cùm præter ipsorum merita, electorum miseretur, & eos iustificat. Iudicio instaurat etiam, cùm ipsos electos propter sua peccata castigat. Iustitia verò, cùm eisdem facit misericordiam, eósque seruat ex gratia. Hunc cursum seruat perpetuò Christus, in suo regno instaurando, & conseruando. Ergo suum regnum instaurat in iudicio & iustitia. Proinde Paulus, quia sciebat Christum iudicio recto & prudenti cœpisse regnũ suum in Philip. instaurare fidenter dixit Philipp. 1. Qui incepit in vobis bonum opus perficiet vsque in diem Christi, id est, vsque in finẽ, donec sit absolutũ. Sciebat Paulus hoc vaticinium Iesaiæ, quod Christus regnum suum non solùm erat instauraturus, sed etiam firmaturus in perpetuum pro suo iusto iudicio & iustitia: ideo ab inchoato opere argumentatus est ad eiusdem operis consummationem. Quare? Quia autor operis est Christus, qui prudenti & recto iudicio omnia facit. Ergo ab hoc loco Iesaiæ debemus confirmare nos in certitudine nostræ prædestinationis, eóque æternæ salutis, hoc modo. Quos Christus instaurat hi ad regnum eius pertinent æternum. suum enim duntaxat regnum instaurat: vt docet Propheta. Atqui nos instaurat. Iam enim regenerationem in nobis inchoatam sentimus. Ergo ad illius regnum pertinemus æternum.

Christus regnum suum instaurat in iudicio & iustitia, id est, & indurando, vlciscendo, foràsque pellendo quos vult, iuxta suum rectum iudicium. & miserando, saluandóque quos vult iuxta suam iustitiã hoc est misericordiã. Nos autem instaurat in iudicio, cum quotidie castigat propter nostra peccata: & in iustitia, cum nostri miseretur & nos iustificat iustitia sua. Ergo nos sumus illius regnum, illúdque æternum. Item, Christus regnum suum nõ solùm incipit instaurare, sed etiam illud firmat in perpetuum: id est, pergit quotidie, donec randem cœptum opus perficiat. Sic enim habet vaticinium Iesaiæ, & Paulus confirmat ad Philipp. Ergo cùm nos inceperit regenerare, cõtinuabit regenerationem & firmabit, donec tandem perficiat. Salus igitur nostra certa est in Christo.

XXI. *Zelus Domini exercituum faciet hoc.* Deus ardenter, constanter ab æterno amauit nos. Sentimus enim in nobis ipsis amorem hunc Dei, quo nos in Christo amauit. Roman. 5. Diffusa est charitas Dei in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. Atqui Deum amasse aliquem ab æterno in Christo, est, illũ prædestinasse ad æternam vitam in Christo. Igitur electi sumus, & omnino habituri sumus vitam æternam.

Item Deus ardentissimè zelat gloriam suam, & eam alteri non dabit. Hæc autem ea est, vt ipse solus appareat, & sit Deus noster. Atqui gloria hæc integra Deo nõ manet, nisi nos seruet, & re ipsa declaret se solum esse Deum, sicut promisit Abrahæ dicens, Ero Deus tuus, & seminis tui post te. Ergo omnes, quotquot fide in Christum, semen sumus Abrahæ, salui erimus. Zelus enim Domini faciet hoc: id est, non pro nostris meritis, sed pro suo erga nos amore & pro sua gloria, seruabit nos.

Habemus ex hoc præsenti contextu Iesaiæ, media quibus possit quisque fidelis seipsum confirmare in certitudine de æterna sui prædestinatione, ideóque de æterna salute. Neque enim quisquam certior fieri potest de sua æterna salute, nisi certior fiat de sui ad æternam vitam electione, vt antè ostendimus: quia salus solis ad salutem electis contingit.

Quisque igitur, cùm audit Paulum dicentem, Elegit nos in Christo, ante mundi constitutionẽ, vt essemus sancti, &c. Eph. 1 dicat cum ipso Apostolo ad Gal. Non abiicio, nec volo abiicere hanc Dei gratiam, à qua omnes reliquæ gratiæ, & dona ad salutem pertinentia. pendent: æternam nimirum & gratuitam electionem, factam & constabilitam in Christo: vt non credam me quoque in ea contineri, à qua nemo excluditur nisi qui sese per infidelitatem, eóque & per impœnitentiam, ac in peccatis pertinaciam à Christo excludit.

Deus igitur nos donet & augeat vera fide, veráque resipiscentia. Amen.

DE CHRISTO ADVOCATO.

Quorum Aduocatus sit Christus: ex tractatione de Christo aduocato; in illa verba, 1. Iohan. 2. Quòd si quis peccauerit, aduocatum habemus, &c.

CAPVT IV.

Q*Vorumnam verò est aduocatus?* Electorum tantùm: & omniùm quidem etiam sanctissimorum. Ioh. 17. Non rogo pro mundo: ergo neque nunc intercedit pro mundo, sed tantùm pro electis. Roman. 7. Quis accusabit

aduersus electos Dei? Deus(est)qui iustificat: quis est qui condemnet? Christus(est)qui pro illis mortuus est, qui & sedet ad dextram Patris, & interpellat pro nobis scilicet electis, de quibus antè dixerat, Quis accusabit aduersus electos Dei? Idem liquet ex contextu nostri Apostoli. Eorum est aduocatus, quorum etiam est ἱλασμός. Iohannes enim, quem dicit esse aduocatum nostrum, eundem ait esse ἱλασμὸν pro peccatis nostris. Est autem Christus ἱλασμὸς tantùm pro electis, qui credunt, aut credituri sunt in eum. Ait enim Ioh.17. Non rogo pro mundo, sed pro iis quos dedisti mihi. Pro quibus autem tantùm rogauit: pro iisdem tantùm mortuus est. Ergo hic locus docet, Christum & mortuum esse pro solis electis, & orasse: ideóque & aduocatum esse duntaxat pro iisdem electis. Roman.8. Quos præsciuit & prædestinauit, hos & vocauit: & quos vocauit, hos & iustificauit: & quos iustificauit, hos & glorificauit. Si ergo Deus pro nobis(scilicet electis, vocatis, iustificatis, de quibus paulò antè dixerat:) quis contra nos(electos, vocatos?) Qui & proprio filio non pepercit, sed pro omnibus (scilicet prædestinatis, vocatis) tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donabit? Sic Augustinus in Iohan. Tract.45. Igitur etiam tantùm electorum aduocatus est. Tota Ecclesia Smyrnensis in Epistola de vita Polycarpi, ad omnes parœcias Ponti, quæ extat apud Eusebium in historia Eccles. lib.4. cap.15. loquens de Christo ait, Qui pro totius seruandorū mundi salute passus est. Ergo nomine mundi veniūt tantùm seruandi è mundo. Proinde cùm ait Iohannes, Ipse est ἱλασμὸς pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantùm, sed pro peccatis totius mundi, nomine mundi accipienda est potior pars mundi, id est, ipsi electi, qui vnquam fuerunt, aut futuri sunt in mundo. Quidam sic exposuerunt, vt pro mundo acceperint omnes promiscuè homines, etiam reprobos, imò etiam diabolos, ita concluserunt: omnes tandem saluatum iri. Hic fuit Origenes: sed hoc fuit impium somnium. Alij, nomine mundi omnes quidem promiscuè intelligunt, sed ita distinguunt: Christum quidem esse ἱλασμὸν pro omnibus sufficienter: sed tantùm pro electis efficaciter. Hæc est vera doctrina: sed nihil ad locum præsentem Iohannis facit. Hic enim loquitur tantùm hoc loco de electis: seu de tota Ecclesia Christi, nimirum de iis qui student innocentiæ & pietati. Ideo Augustinus hunc locum exponens ait: Pro peccatis totius mundi? Illius(inquit) quem redemit. Sic Bucerus in Disputatione Ratisbonensi, de electis tantū interpretatus est. Ambrosius Tom.2. de Fide ad Gratianum, lib. 4. cap. 1. ad calcem: Si non credis (inquit) non descendit tibi, non tibi passus est. Ergo tantùm pro credentibus passus est.

At inquies: ait, Totius mundi, debemus autem stare τῷ ῥητῷ.

Respondeo. Est standum τῷ ῥητῷ sed cum dextra interpretatione, quæ non secum ferat absurda. Sequuntur autem multa absurda, si tales voces vniuersales velimus semper simplicissimè, nemine excepto, accipere & cogemur blasphemare, dicereque Deum mētitum fuisse. vt autem hoc absit à mentibus & linguis piorum, seruanda est regula Ambrosij, Tom.2. de vocatione Gentium libr.1. cap.3. Sæpenumero pro parte terræ totam terram, pro parte mundi totum mundum, pro parte hominum omnes homines, in sacra Scriptura nominari, idque tam de piis, quàm de impiis cùm loquitur. Est enim figura Synecdoche, qua totum pro parte capitur. Exempla, cùm loquitur tantùm de piis electis, Genes.18. Benedicendæ sunt in eo (semine Abrahami) omnes nationes terræ. Item 22. Omnes gentes terræ. Promissio est absoluta, non tamen omnes benedicuntur in semine Abrahæ, sed tantùm filij promissionis, qui sunt ex fide Abrahæ. Galat.3. Apostolus exponit: Qui sunt ex fide Abrahæ, ij benedicentur cum fideli Abraham. Ergo nomine omnium gentium, veniant gentes electæ necesse est.

Esa.40. Omnis vallis implebitur, & omnis mons & collis humiliabitur, id est, omnes subiicientur Christo, non tamen omnes subiecti ad salutem (vt ibi loquitur) sed tantùm electi. sic ille exponit. Item 66. Et veniet omnis caro in conspectu meo, vt adorent in Hierusalem. Ierem.31. de fide loquens, qua credituri erant in Messiam electi, ait: Omnes cognoscent me à maximo vsque ad minimū. Et Apostolus 2. Thessal.3. Non omnium est fides. Ioel.2. Effundam de Spiritu meo super omnem carnem.

Psal.44. Alleuat Dominus omnes qui corruunt, & erigit omnes collisos, non tamen omnes subleuat. Iohan.12. Omnia traham ad me ipsum, id est, omnes ad me conuertam, non tamen omnes conuertuntur, sed tantùm electi, Roman.5. Sicut per vnius delictum (scilicet propagatur malum) in omnes homines, in condemnationem: ita per vnius iustitiam (propagatur bonum) in omnes homines, in iustificationem: non tamen omnes iustificantur, sed tantùm electi. 2. Corinth.5. Vetera transierunt ecce fiunt omnia noua. Coloss.1. Placuit per ipsum reconciliari omnia, non tamen omnes reconciliati, sed tantum electi. Ideo ait Ambrosius ibi: Habet ergo populus Dei plenitudinem suam.

De impiis etiam tantùm loquens, sæpe in genere pronuntiat. Ioh.3. Qui de cœlo venit, supra omnes est, & testimonium eius nemo accipit: & tamen multi acceperunt.

Philipp.2. Omnes quærunt quæ sua sunt nō quæ Christi, & tamen Paulus quærebat quæ Christi. Apparet igitur, in Scripturis sæpe necessario hasce voces vniuersales, omnes homines, totū mundum, &c. accipiendas esse συνεκδοχικῶς pro parte terræ, mundi, hominū, modo pro omnibus electis, modo pro omnibus reprobis: Ideo subdit autor libri de Vocatione gentium, dicens: His igitur & aliis documentis, quæ possunt ab inquirentibus numerosiora proferri, non dubie demonstratur, interdum & pro parte terræ omnem terram, & pro parte mundi totum mundū, & pro parte hominum omnes nominari. Hæc ille. Ergo cū ait Iohannes, Pro peccatis totius mundi: intelligito: e. pro peccatis electorum mundi. Quare cum tantùm pro electorum peccatis ἱλασμὸς sit Christus: etiam tantùm electorum idem aduocatus est. Et certè nemo iure potest aut debet offendi hac nostra declaratione, quod scilicet Omnes, accipiamus pro omnibus electis, non autem pro omnibus in vniuersum hominibus. Nam si dicas, qui dicit omnes, neminem excludit: vicissim ego dicam, qui dicit: Multos, aliquos excludit. Atqui in Scripturis sæpe dicitur Christus mortuus pro multis, sanguis eius effusus pro multis: Ergo si standum est τῷ ῥητῷ, concludo non esse mortuum pro omnibus: quia dicto Multi, aliquos excipi demonstrat.

At inquies, alibi dicit pro omnibus. Fateor. Quomodo ergo conciliabimus hæc loca? Certè necesse est, vt illi multi accipiantur pro istis omnibus: & isti omnes, pro istis multis. Ideo Augustinus ait: Qui sunt illi omnes? Isti multi. Qui isti multi? Illi omnes. Qui sunt ij? Multi ex omnibus hominibus, id est, electi: & omnes isti multi, id est, omnes electi. Ita de mundo: Mundus aliquando accipitur pro vniuerso mūdo, tā pro electis quàm pro reprobis: vt Iohan.1. Mundus per ipsum factus est. Itē Iohan.3. Sic Deus dilexit mundum. omnibus enim obtulit Christum. An non hoc est maximum dilectionis testimonium? Aliquando pro parte, id est, reprobis tantùm: Ioh.15. Ego elegi vos de mundo: Vos non estis de hoc mundo: Iohan.17. Non rogo pro mundo. Aliquando pro altera parte mundi, id est, pro electis, vt Ioh.12. Nunc iudicium est mundi, id est, reformatio. Nunc princeps huius mundi eiicietur foràs, id est, extra mundū. Nunquid eiectus fuit extra corda reprobatorum? Non, sed tantùm electorum. Ita hic συνεκδοχικῶς esse accipiendum totū mundum pro parte manifestum est. Iohan.12. Totus mundus vadit post eum.

At quomodo (inquies) est electorū, illorum etiā qui fuerant à condito orbe ἱλασμός, cùm nondū esset oblatum sacrificium corporis Christi Deo, ἱλασμὸς autem sit illud sacrificium, per quod placatus est Pater? *Respondeo*, Discrimen est inter opus redemtionis, & inter vim redemtionis. Opus fuit certo tempori destinatum & definitum, ita vt neque cis, neque vltra illud tempus perfici posset. Ideo Christus sæpe dicebat, Nondum venit hora mea. Deinde cùm esset tempus, noluit differre. Vnde dicebat, An non vis vt bibam illum? Item nunc iudicium est mundi, nunc glorificatus est Filius Dei. Virtus vero redemtionis ad nullum certum tempus fuit restricta, nec ab vllo tēpore dependet, sed à condito orbe cōmunicata fuit electis. Huc illud Apocal.13. Agnus occisus est ab origine mundi. Et vltra tempus oblati sacrificij extenditur in finē vsque seculi. Ideo non ait Iohan. Erat ἱλασμός, sed est etiā nunc, & semper in finem vsque seculi. Christus in cruce, brachio vtroque extenso docuit, virtutem suæ passionis & crucis sese extendisse, & ad præteritos qui fuerunt à condito mundo vsque ad se Christum, & ad futuros quā futuri erant in finem vsque seculi post se. Quare? Quoniam virtus hæc æterna fuit, & est. Vnde Apostolus ad Hebr. vocat eam æternam, Heb.9. Christus introiuit semel in sancta, æterna redemtione inuenta. Quid autem est æternum? Omnia complectitur tempora, præterita, præsentia & futura. Ipsa autem crucis & sacrificij Christi

virtus

appellatur. Iure igitur ait Apostolus: Ipse est ἱλασμὸς pro peccatis totius mundi. Et illud totius mundi, respicit omnia tempora. Ergo Christus aduocatus est tantum electorum. Origen. in Leuit. Pro illis tantum exorat Pontifex & aduocatus & propitiator Christus, qui sunt sors Domini, qui eum pro foribus exspectant: qui non recedunt à templo ieiuniis & orationibus vacantes, &c. Quod verò omnium etiam sanctiss. sit aduocatus, inde patet: Iohannes enim noster ait, Habemus, non, Habetis.

De peccatorum Remissione. An peccatorum remissio semel impetrata, possit fieri irrita: ex Tract. de Remissione peccatorum, in illa verba, 1. Ioh. 1. Fidelis est, & iustus, vt remittat nobis peccata.

SEptima quæstio in hac tractatione de Remissione peccatorum, est: An peccatorum remissio semel impetrata per alia insequentia peccata irrita fieri possit. Vna ex parte videtur posse fieri irrita, propter duos locos: quorum alter est in Ezech. 18. alter in Matth. 18.

Ezech. 18. Dominus postquam dixisset de impio, Si se conuerterit ab impietate ad pietatem, illum victurum, & omnes præteritas illius iniquitates perpetuæ obliuioni mandatum iri: mox de iusto subiecit: Si auerterit se iustus à iustitia sua, & fecerit omnes abominationes, quas operari solet impius, nunquid viuet? Omnes iustitiæ eius quas fecerat, nunquam recolentur. Item cap. 3. Sic ergo argumentantur: Propter insequentem iniquitatem, præterita iustitia obliuioni mandatur. Ergo etiam propter sequentia peccata, præterita peccatorum remissio irrita fit. Matth. 18. Serue nequam, nonne totum debitũ remisi tibi: an non debuisses & tu misereri conserui tui? iussit eum conijci in carcerem, & tradidit eum tortoribus, donec redderet vsque ad minimum quadrantem, &c. Sic & pater cœlestis faciet vobis, si non remiseritis fratribus vestris, de cordibus vestris. Sed altera ex parte omnino apparet, sententiam hanc totum euertere Euangelium. In hoc enim totum versatur, vt nobis in Christum credentibus persuadeat, salutem nostram firmã esse atque constantem. Qui credit in me, habet vitam æternam. Item: Non veniet in iudicium, sed transit à morte ad vitam. Atqui non potest nostra salus esse firma atque constans: si peccatorũ remissio sit inconstans & fieri possit irrita. Quæ enim salus ibi fuerit, vbi remissio peccatorum non sit? Ergo, ne vana sit tota Euangelij doctrina, peccatorum remissio certa sit necesse est: & quæ peccata fuerunt semel remissa ea remissa in perpetuum maneant oportet. Deinde certum est illud Apostoli Rom. 11. Sine pœnitentia sunt dona & vocatio Dei. Ezech. 18. Cùm impius cõuersus fuerit ab impietate sua, omnium iniquitatum eius non recordabor amplius. Ergo remissa peccata non amplius veniunt in iudicium Dei, nec postulantur ad pœnam. Deum remittere peccata idẽ est atq. Deum peccata post tergum proiicere: Itẽ, delere iniquitates vt nubem: Item proiicere peccata nostra in profundum maris. Legatur Esa. 38. ibi ait rex Ezechias: Proiecisti post tergum tuum omnia peccata nostra. Apud eundem 44. Deus ait: Deleui iniquitates tuas vt nubem, ô Israel. Mich. 7. Reuertetur & miserebitur nostri, deponet iniquitates nostras, proiiciet in profundum maris omnia peccata nostra. Quid sibi volunt hæ locutiones, nisi cum Deus remittit peccata, ita ea remittere, vt perpetuæ tradat obliuioni: & ita ea dissipare, vt quasi in fumum, imò in nihilum redigat? Ac proinde quæ remittit peccata, in perpetuum remittere? Sunt hæc omnia certissima. Non potest igitur præteritorum peccatorum remissio, propter aliquod insequens peccatum, fieri irrita.

Ad hanc quæstionem, & pro conciliatione horum locorum, quidã sic respondendum esse censent. Primo faciunt discrimen inter gratiam Dei, quæ nullas habet adiunctas conditiones (vt est illa, qua pluit super iustos & iniustos, & solem suum oriri facit super bonos & malos, &c.), & inter eam, quæ non nisi conditionaliter confertur: qualis est gratia remissionis peccatorum, & consequenter tota salus nostra, quæ non confertur nisi conditionaliter: nempe si confiteamur peccata, si proximo nos etiam remittamus, si in Christum constanter credamus. Quod ad primam gratiam attinet: illam semper esse & fore firmam, vsque in finem seculi, nec mutari posse. Quod ad secundam, aiunt faciendum esse alterum discrimen, nimirum inter Deum & nos. Quod ad Dei bonitatem, clementiam & fidem attinet, gratiam hanc, id est, remissionem peccatorum, & totam salutem esse firmam: quia Deus non mutat sententiam, suámque propositum & promissiones. Per illum igitur non stare, quin remissio peccatorum semper sit firma & constans. Et hoc concludi illis locis, quibus probauimus remissionem peccatorum esse firmam & ratam: aiunt, nempe ex parte Dei. Cæterum quod ad nos attinet, eam posse nostro vitio, nempe si non seruemus constanter conditiones, quas in remissione peccatorum requirit Dominus, fieri irritam. Et hoc concludere illa loca, alterum ex Ezechiele, alterum ex Matthæo desumta. Quod si dicas, si ita se res habent, quis ergo poterit seruari? Quis est enim qui non peccet? quis non delinquit in iis conditionibus, quas requirit Dominus in resipiscentia vera & constante: in remittendis ex corde iniuriis? Item, in fide? Si igitur peccatum subsequens, præteritam peccatorum remissionem irritam facit, nemo certè seruari poterit. Respondent isti, faciendum esse tertium discrimen: nempe inter peccata, quæ per infirmitatem carnis à sanctis admittuntur: & inter relapsum, quo prorsus à fide, ab Euangelio, à professione & gratia Christi ad impietatem relabuntur, & ibi immoriuntur. Quemadmodum etiam magnum discrimen est, sordidare pedes post lauacrum: & aliud, post lauacrum prorsus redire ad lutum, & toto corpore in luto (sicut loquitur Petrus 2. 2.) instar suum volutare sese. Item quemadmodum discrimen est inter peccata quibus subinde offendit vxor maritum, & contra maritum peccat (id quod cadit in probas etiam, fidasque vxores) & inter peccatum, quo vxor fidem & vinculum matrimonij adulterando rumpit: id quod non potest cadere nisi in perfidam. Illis enim non se reddit coniugalis societatis expertem vxor fida & honesta: sed tantum illo. Sic etiam aliud esse, simpliciter peccare, etiamsi ex aliquo consensu: & aliud prorsus à Christo & eius Euangelio deficere, à gratia excidere, prolabi, Christum rursus crucifigendo, & ludibrio exponendo. Firmato hoc discrimine, dicunt: Primùm, peccata prioris generis cadere, etiam in sanctos, & de iis peccatis loquutum Iohannem. 1. Epist. cap. 2. Sed etsi quis peccauerit, aduocatum habemus. Peccata verò posterioris generis in reprobos tantum cadere: & de iis peccatis loquutum fuisse Hebr. 6. & 10 Apostolum. Deinde dicunt: peccata igitur prioris generis, non facere irritam præteritam peccatorum remissionem: sed tantum peccata posterioris generis. Et de iis posterioris generis peccatis Ezechiel 18. loquutum fuisse, quum ait, Si iustus auerterit se à iustitia sua, &c. Ibi enim loquitur de relapsu ad impietatem, in qua quis moritur. Summa illius responsionis est: Non quoduis peccatum, sed tantum relapsum, quo quis à pietate prorsus ad impietatem relabitur, & in ea contemto Christo & eius verbo constanter perseuerat: irritam facere præteritam peccatorum remissionem, & gratiam Dei extinguere.

At verò, huiusmodi relapsum non cadere in electos sed tantùm in reprobos. In reprobis igitur veram esse hanc sententiam: peccatorum remissionem semel acceptam fieri irritam, nimirum per huiusmodi relapsus ad impietatem.

Etsi in his verbis permulta doctè & piè dicta continentur: sententiam tamen ipsam, nempe præteritorum peccatorum remissionem semel impetratam, per insequens peccatum, id est, relapsum, fieri irritam: probare simpliciter non possum. Contendo autem nunquam, & in nemine, & ob nullum peccatum, irritam fieri posse. Nam hæc remissio peccatorum si fiat irrita, vel fit irrita in electis, vel in reprobis. Non in electis: nam per solum relapsum, seu per solum peccatum in Spiritum sanctum (vt isti viri docti optimè sentiunt) potest fieri irrita. Tale autem peccatum, per quod dicunt fieri irritam remissionem peccatorum semel impetratam, cadere non potest in electos, de istorum etiam doctorum virorum sententia. Electi enim nunquam peccant in Spiritum sanctum, nunquam penitus deserunt Christum, nunquam penitus abiiciunt fidem. Stat enim promissio de electis: Ier. 32. Dabo timorem meum in cor eorum, vt non recedant à me. Item, stat illud firmum: Rogaui pro te, Petre, vt non deficiat fides tua. Quod autem rogauit pro Petro, rogauit pro omnibus, qui erant in se credituri: sicut Ioh. 17. docet: Serua eos in veritate: sermo tuus veritas est. Non tantùm pro Apostolis hanc habuit orationem, sed pro omnibus fidelibus electísque. Cùm igitur peccatum tale, per quod remissio peccatorum potest fieri irrita, non cadat in electos: consequitur, peccatorum remissionem non posse fieri irritam in electis. Hoc est extra controuersiam.

At si dicas, in reprobis fieri irritam: reclamat ratio, reclamant Scripturæ. Ibi enim non potest peccatorum re-

missio fieri irrita, vbi nunquam fuit impetrata. In reprobis nullum verè vnquam habet locum peccatorum remissio. Ergo in reprobis nunquam fieri potest irrita. Quod verò reprobi nunquam verè recipiant remissionem peccatorum, manifestum fit iis argumentis, à locis Scripturarum desumptis.

Argumentum *primum* ducitur à sanguine Christi, per quem fit remissio peccatorum. Sanguis Christi non est effusus, secundùm propositum Dei, pro reprobis: sed tantùm pro electis. Alioqui omnes seruarentur. Christus autem ait de suo sanguine: Hic est sanguis meus, qui pro vobis Apostolis, & pro multis (non ait, pro omnibus) effunditur in remissionem peccatorum. Qui sunt isti multi? Electi. Et si enim alicubi legas, Christum mortuum pro omnibus: illud Pro omnibus, bifariam accipi potest. Primùm, pro omnibus hominibus, sed subintelligendum sufficienter (vt Scholastici interpretantur) non autem efficaciter. Nos verò loquimur de effusione sanguinis Christi efficaci ad remissionem peccatorum: hunc verò sanguinem ita effusum, efficaciam suam tantùm habere in electis contendimus.

Deinde, pro omnibus, id est, pro omnibus illis multis, ait Augustinus. Ergo reprobi nunquam recipiunt remissionem peccatorum.

Secundò, ab oratione Christi idem demonstratur. Illi nunquam impetrãt remissionẽ peccatorũ, pro quib. Christus non rogauit, nec rogat. Remissio enim peccatorum impetratur oratione & intercessione Christi. Atqui Christus non rogauit, nec rogat pro mundo: id est, pro reprobis. Ioh. 17. item 1 Iohan. 2. Aduocatum habemus, nos sc. electi fideles, ad quos scribitur. Ergo, &c. Et illud Rom. 8. apertũ est. Quis intentabit aduersus electos Dei? Deus (est) qui iustificat (scilicet electos Dei:) quis est qui condẽnet (scil. electos Dei?) Christus (est) qui mortuus est (scilicet pro electis:) imo vero qui etiam excitatus est: qui etiam est ad dextram Dei, qui etiam postulat pro nobis (scilicet electis de quibus perpetuo ibi loquitur:) pro solis ergo electis Christus & mortuus est, & intercedit, & solos electos Deus iustificat.

Tertiò, à medio interno, per quod Deus remissionem peccatorum donat: nempe à gratia Spiritus sancti, seu ab illapsu Spiritus sancti in corda. In reproborum corda nunquam illabitur Spiritus sanctus, suâ gratiâ. etsi enim aliqua luce illuminat illorum mentes: nunquam tamen penetrat illorum corda, alioqui fierent templum Spiritus sancti & membra Christi. Item qui sunt Christi, habent spiritum Christi: & qui non sunt Christi, non habent spiritum Christi. Atqui reprobi non sunt Christi, nec ad Christum pertinent. Ergo non habent spiritum Christi. Non communicatur autem remissio peccatorum, nisi per spiritum Christi.

Quartò, ab instrumento interno, quo recipitur remissio: id est, à fide. Remissio peccatorum non potest recipi nisi fide. Reprobi non habent vnquam veram fidem. Tit. 1 fides electorum appellatur Roman. 10. Non omnes obediunt Euangelio. Item 2. Thessal. 3. Non omnium est fides. Quasi dicat: Est tantum electorum. Actor. 13. Crediderunt, quotquot præordinati erant ad vitam æternam. Ergo, &c.

Quintò, à consequentibus remissionem peccatorum: & primum ab ipsa regeneratione. Quibuscunque peccata remittunt, ij etiam emundantur ab omni iniquitate: id est, regenerantur & purgantur. 1. Iohan. 2. vtrumque enim cõiungit dicens: Fidelis est, & iustus, vt remittat peccata, & emundet nos ab omni iniquitate. Reprobi nunquam purgantur à peccatis: id est, nunquam regenerantur, aut filij Dei. Id quod euincitur ex 5. cap. huius epistolæ. Qui natus est ex Deo, non peccat, & non potest peccare, peccatum scilicet ad mortem, de quo Hebr. 6. & 10. & per quod sententia prædicta contendit irritam fieri posse remissionem peccatorum. At reprobi peccant hoc modo, & tale admittunt peccatum. Ergo non sunt nati ex Deo: ac proinde sequitur, illis nunquam remitti peccata. Si autem illis non remittuntur vnquam peccata, ergo peccatorum remissio non potest in illis fieri irrita: vbi nulla vnquam fuit.

Sextò, ab alio consequenti, hoc est, à pace conscientiæ. Qui habet remissionem peccatorum, iustificatus est: & iustificatus pacem habet cum Deo. Roman. 5. Reprobi nunquam habent talem pacem conscientiæ apud Deum. Vnde Propheta: Non est pax impiis, dicit Dominus. Ergo, &c.

Septimò, ab alio consequenti remissionem peccatorum, nẽpe à iure & possessione æternæ vitæ. Qui remissionem peccatorum impetrat, ius etiam æternæ vitæ recipit: & qui ius recipit, tandem in possessionem ingrediatur necesse est. Atqui reprobi nunquam habent ius, neque possessionem æternæ vitæ. Ergo, &c.

Octauò, Remittere peccata, & iustificare: item remissionem peccatorum consequi, & iustificari: idem sunt. Rom. 4. de iustificatione loquens, citat dictum Psalm. 32. Beati quorum remissæ sunt iniquitates. Quicunque autem iustificantur, etiam glorificantur. Rom. 8. At reprobi non glorificantur, non igitur iustificantur: quare nec remissionem peccatorum consequuntur vnquam.

At excipies: Quomodo dicis, reprobos nunquam recipere gratiam Dei, Spiritum sanctum, remissionem peccatorum, cũ Heb. 6. Apostolus sic dicat: Impossibile est, eos qui semel illuminati sunt, gustaueruntque donum cœleste, & participes facti sunt Spiritus sancti, &c.

Respondeo. Discrimen est inter dona Spiritus sancti simpliciter, & dona Spiritus sancti regenerantis. Huius nunquam participes fiunt reprobi, & de hoc non loquitur ibi Apostolus. Sunt alia Spiritus sancti dona, vt illuminatio mentis: hanc damus. Item Apostolus ait: Gustauerunt, non autem, comederunt deglutiuerunt, in ventriculo retinuerunt: sed tantum gustauerunt. Faciunt igitur reprobi, sicut quidam, qui panem quidem oblatum, aut vinum gustant: sed mox expuunt, nec traiiciunt in stomachum, ideo illis non potest prodesse. Hic panis est Christus, vinum est sanguis Christi. Gustant sæpe reprobi dulcedinẽ etiam Euangelij, remissionis peccatorum, habent mirabiles gustus spirituales: sed nihil traiicitur in cordis ventriculum. Ergo hic locus non concludit, reprobos vnquam habuisse aut habere posse spiritum regenerationis & veram fidem. De fide autem temporaria damus: sed ea non est vera, neque iustificans fides.

Quod vero ait Petrus, 2. Petr. 2. de reprobis hypocritis, qui cognitionẽ Christi iactant, sed veram Christi cognitionem non habent, cùm neque veræ cognitionis fructus habeant: eos oblitos esse, sese à veteribus peccatis fuisse purgatos: iuxta consuetudinem Scripturarum intelligendum est, quæ sæpe solent, iuxta iudicium charitatis, omnes illos qui baptismum suscipiunt, & dant nomen Christo, etsi hypocritica præditi sint fide, appellare sanctos, electos, iustos, peccatorum remissionem consecutos, à peccatis ablutos: quia tales esse iudicat Ecclesia, licet coram Deo tales reuera non sint. Nunc ad illa duo supra citata Scripturarum dicta respondeo.

Primum ad illud Ezech. 18 Sciendum est, ibi Dominum loqui de vera & perfecta conuersione impij, ab impietate ad pietatem, ita vt in ea constanter perseueret in finem vsque, cùm ait: Si conuersus fuerit impius, vitâ viuet: omnium iniquitatum non recordabor. Ea enim est nota veræ conuersionis, si duret vsque in finem. Ita etiam cùm ait Si iustus auersus fuerit à iustitia, &c. de perfecta auersione à pietate ad impietatem loquitur. ij enim soli sunt, qui morte æterna moriuntur. Notandum præterea est, ibi non loqui de veris iustis coram Domino: ij enim, vt scripturæ docent, non possunt æterna morte perire: de hoc autem iusto in Ezech. ait, Morietur. Deinde verè iustorum memoria non perit coram Domino. Psal. In memoria æterna erit iustus. De hoc autem iusto in Ezechiele sic ait Dominus: Iustitiæ quas fecit, non recolentur. Item, verè iusti non possunt recedere à iustitia, eo modo quo hic loquitur Dominus: nempe per relapsum, qui est peccatum in Spiritum sanctum. Loquitur ergo de illis, qui videntur iusti coram hominibus: de quibus Christus ait, Matth. 9. Non veni vocare iustos, sed peccatores. Illud tertio notandum, Solis remissa esse peccata, qui sunt verè iusti coram Domino: & contrà, illos solos esse verè iustos, quibus condonata sunt peccata, cùm vera iustitia sita sit in remissione peccatorum. Hæc cùm ita se habeant, apparet, non posse hinc colligi, remissionem peccatorum semel impetratam, per insequentem iniquitatem irritam fieri posse. Nam tales iusti, de quibus hic loquitur, cùm non sint verè iusti coram Domino: nunquam remissionem peccatorum obtinuerunt, vt antè demonstrauimus. Ergo non potest irrita fieri quæ nulla est.

Sed esto, loquatur de verè iusto, cui remissa sunt peccata: hinc tamen nihil concluditur. Quare? Quia conditionaliter loquitur. Si, inquit, iustus auerterit se, &c. Conditionalis autem, vt Dialectici loquuntur, nihil ponit inesse. Non sequitur: igitur se auertit verè iustus à iustitia sua, &c. Potest quidem auertere se, spectatâ eius naturâ, sed spectata Dei promissione, qui de verè iustis pronuntia-

nunciauit. Iere. 32. Dabo timorem meum in cordibus eorum, vt non recedant à me, non possunt se auertere ea auersione de qua hic loquitur, perfecta scilicet & finali. At Quare ergo sic loquitur Dominus, si non possunt per Dei gratiam auertere se? *Respondeo.* Duabus de caussis: unum vt illis doceat, quid sibi faciendum sit: nempe perseuerandum in iustitia, & nullo modo ad iniquitatem declinandum: alterum, vt eos in timore retineat. Hoc facit bifariam. Primum, ostensa illorum imbecillitate, quòd scilicet suapte natura faciles sint ad hunc relapsum, à pietate ad impietatem: Deinde patefactâ suâ ira aduersus eos, qui sic prolabuntur: nimirum se illos æterna morte plexurum. Timor autem hic vtilis est sanctis: quia hoc tanquam freno retinentur in officio & vera pietate, & ita cum timore & tremore suam operantur salutem, vt ad Philipp. 2. Apostolus faciendum esse docet. Sed prior responsio, vera est responsio, sumta ex genuina verborum Prophetæ intelligentia.

Ad illud Matth. 18. Notandum primùm parabolas & similitudines non ita esse rebus, quarum declarandarum caussâ illæ proponuntur, accommodandas, vt debeant cum rebus ipsis omni ex parte conuenire: alioqui non essent parabolæ sed res ipsæ. Spectanda semper est mens illius qui parabolam proponit in quem finem proponat, & quid velit: alioqui multa absurda cõsequerentur. Cùm igitur hæc sit parabola, nõ debemus igitur singula parabolæ verba, ad rem, de qua loquitur Christus, nimis argutè accommodare, vel potius torquere: sed spectãda est Christi mens & propositum. Docuerat condonandas esse fratribus iniurias, seu debita. Mox subiecit hanc parabolam ad suum propositum confirmandum & declarandum. Hac igitur parabola docet necessarium esse, vt qui volunt sibi à Deo debita remitti: ipsi quoque fratribus debita condonent. Hæc enim parabola primo proponit exemplum Regis, qui condonauit seruo debitum. Docet igitur, nos habere Dominum cœlestem clementem & facillimũ ad condonanda peccata: sed ita, vt cùm non simus soluendo, ea nobis condonari petamus. Proponit deinde exemplum famuli, qui non condonauit consamulo suo: & verba regis, Annon debuisti & tu condonare conseruo tuo? Docet igitur, Deum à nobis exigere, vt vicissim fratribus, veniam petentibus, iniurias condonemus: & debita, cùm non sunt soluendo, remittamus. Subdit postremò, regem iussisse ingratum famulum tradi in manum tortoris, &c. Propositâ verò parabolâ, mox Christus, quid sibi illa voluerit indicare, explicat dicens: Sic & pater cœlestis faciet vobis, si non remiseritis quisque de cordibus vestris. Ex iis verbis non debet inferri, Deum igitur peccata iam condonata iterum nobis imputaturum, & ea puniturum: quia pugnat hæc doctrina cum apertis Scripturarum testimoniis, vt patet. Sed vnum concludit, idque conditionaliter: nisi igitur & nos remittamus fratribus, daturos nos grauissimas pœnas, idque (vt hoc demus ἐκ τοῦ ὑπέχειν) in carcere inferni. At quomodo potest hoc fieri, si iam condonata sunt nobis peccata? *Respondeo:* Quia si non remittimus, testimonio est, nobis quoque non fuisse remissa: cùm nostra fraternarum iniuriarum remissio, effectus sit remissionis diuinę, qua nobis nostra remisit peccata. Summa: voluit Christus ostendere, illos falli, qui putant sibi remissa esse peccata à Deo: cùm tamen interim ipsi non remittant fratribus.

Etiam sic dici potest: Christum voluisse docere hac parabola, quid nobis futurum foret, si Deus summo iure vellet nobiscũ agere, cùm nõ remittimus fratribus ex corde puro: nempe id quod etiam illi ingrato famulo. Iure enim posset Deus omnia à nobis repetere debita. At non sequitur, illud ergo fieri. Quis enim est nostrûm, qui etsi remittit iniurias, remittat tamẽ ex tam puro corde, quàm Christus exigit? Nobis tamen dubitandum non est de remissione peccatorum nostrorum.

Ad id, quod dicunt isti doctissimi viri pro conciliandis iis Scripturarum locis qui videntur pugnare: Etsi remissio peccatorum fit irrita, quia tamen non fit vitio Dei, sed nostro: iccircò loca Ezechielis & Matth. 18. non pugnare cũ aliis locis, quibus probatur remissio peccatorum esse rata & firma: hæc enim intelligi de firmitate remissionis peccatorum, quò ad Deum, & respectu Dei. *Respondeo:* Hoc modo loca illa, meo iudicio, nõ conciliari. Etenim si potest fieri irrita quouis modo, nẽpe vitio nostro: ergo Deus peccata, semel obliuioni tradita, in memoriã reuocabit: id est, puniet. At ipse ait absolutè, Non recordabor ampliùs. Non ait, Non recordabor ampliùs, nisi vos iterum peccetis: neque ait, Quod ad me attinet: sed absolutè pronuntiat, se non ampliùs recordaturum.

Deinde, Quæ erit certitudo nostræ salutis & condonatorum peccatorum, & quòd Deus non puniet nos propter illa, si remissa peccata iterum in iudicium & ad pœnam reuocari possunt?

Tollitur etiam discrimen inter Legem & Euangelium. Quod autem est discrimen? Hoc, quod in Lege, & per Legem offertur salus, sed cum operum conditione. In Euangelio, certa, sine conditione: tantummodo recipiamus illam. Quomodo? Fide. Vbi? In cor apertum & dilatatum per contritionem. Si igitur remittuntur peccata cum hac conditione, nimirum si non ampliùs peccemus, quòd si peccemus iterũ, illa antè condonata in iudicium productum iri: relapsi sumus ad Legem. Præterea si talis conciliatio valet, nos quoque de Lege sic possumus dicere: certam esse salutem & iustificationem ex Lege, quod ad Deum attinet, quia per eũ non stat, quin iustificemur ex operibus Legis: sed vitio nostro fieri, ne iustificemur. Et hoc verum est. Si autem idem etiam dicimus de Euãgelio, remissionem quidem peccatorum esse firmam & certam respectu Dei: sed nostro vitio fieri vt iterum imputentur, & salus sit incerta: Quod igitur erit discrimen inter Euangelium & Legem? In Lege, & per Legem, salus & iustitia, ac gratia Dei nobis erat incerta, non rata, non firma: idque vitio nostro. Differt autem in hac re Euangelium à Lege. Ergo in Euangelio iustitia, salus remissio peccatorum, gratia Dei, nobis in Christum credentibus est certa, firma, constans, nec potest fieri irrita: quia pendet ex gratia Dei, sine respectu & conditione nostrorum operum. Illud igitur constanter aio, remissionem peccatorum, in quibus locum habuit semel, in eis semper esse firmam & ratam, nec ob vllum peccatum in eis posse fieri irritam: Quia electi peccatum illud, per quod irrita fieri potest, numquam admittunt. Reprobi verò, nunquam ipsam peccatorum remissionem verè consequuntur. Illud verò addo, nouorum peccatorum nouam semper remissionem electis esse petendam, & impetrandam. Multi quoque Patres & inter Scholasticos pręcipui, non solùm mecum sentiunt: sed etiam multis, & firmissimis quidem illis rationibus, hanc nostram sententiam probant, atque confirmant. Scio quàm magni sint viri, qui diuersam sententiam defendunt: & illos obseruo, atque suspicio. Cæterùm quia nihil dicendum aut docendum est, contrà quàm sentias aut credas: iccirco (sine vllius tamen præiudicio) meam volui hac de re, candidè atque apertè explicare sententiam: meliorem amplexurus, si melior demonstrabitur. Quanquam (vt liberè quod sentio dicam) si bene altera sententia intelligatur, agnoscetur nihil à nostra differre: nisi in hoc, quòd illi volunt, ipsos quoque reprobos, sua fide temporaria, remissionem peccatorum assequi. De electis enim nulla inter illos & me est controuersia. Cæterùm cùm isti quoque doceant & scribant, fidem temporariam nõ esse veram & iustificantem fidem: consequitur, de istorum etiã doctorum virorum sententia, reprobos temporarios non consequi verè remissionem peccatorum, nempe coram Deo: quare neque verè irritam in eis fieri posse, vbi verè nulla est. De iudicio autem Ecclesiæ alia est quæstio: sed ea ad præsentem locum non pertinet. De septimo igitur capite hæc dicta sunto.

De studio Christiani hominis: in cap. 2. Epistolæ D. Iohannis, in illa verba:

Τεκνία μου, ταῦτα γράφω ὑμῖν, ἵνα μὴ ἁμάρτητε.

IN hac prima parte, summam totius doctrinæ Christianæ complectitur Apostolus. Duo enim sunt studia Christiani hominis, in quæ tota tendit Christiana doctrina: studium innocentiæ ac sanctitatis: & studium fidei ac pietatis.

Studium innocentiæ, voco studium vitandi peccata: & faciendi bona opera, denique studium diuinæ Legis implendæ. Studium pietatis, appello studium fiduciæ, de remissione peccatorum, déque æterna salute consequenda, in vnum verum Deum, & in vnum IesumChristum collocandæ & firmandæ: denique studium amplectendi & retinendi Euangelij fide.

In hæc duo studia resolui totam Scripturarum sacram, hinc manifestum est. Vniuersa enim Scriptura (vt scitis) secatur in duas partes, in Legem & Euangelium. Lex docet, quid voluerit & velit Deus nos in suum honorem facere: nempe & vitare malum, & facere bonum. Euangelium docet, quid Deus ipse voluerit & velit in nostram salutem præstare: nempe & ab omni malo liberare, & veris cœlestibusque bonis cumulare: vtrumque autem per

Christum. Illa requirit à nobis obedientiam mandatorum, hoc verò fidem promissionum. Hinc fingit vtrumque studium, nimirum innocentiæ & pietatis: seu, & obedientiæ in Legem, & fiduciæ in Christum. Sunt autem hæc duo studia ita simul coniuncta, vt vnum sine altero esse non possit. Nam neque Lex, quæ vetat iniusta, & mādat iusta, sine fide Euangelij, id est, sine fiducia in Christum, verè vel fieri vel impleri à nobis potest. neque Euāgelium, sine obedientia Legis: seu fides in Euangelium, sine charitate in Deum & proximum, sinéque charitatis officiis, vllum potest in nobis solidum habere locū. Quare qui innocentiæ studet, Euangelium, seu Christum in Euangelio, amplectatur: & rursus, qui fide Christum amplectatur, in studium Legis, seu in studium operum fidei incumbat, eámque in Christum fidem, operibus fidei testificetur omnino necesse est. In his autem sita est tota doctrinæ Christianæ summa.

Hæc tria tradit hic Apostolus in prima huiusce capitis parte. Primò docet, studium innocentiæ, id est, vitandi peccata & sanctitatem consequendi, finem esse, ad quem non solùm ipse hac Epistola, sed tota diuina Scriptura, nos Christianos vocat & ducit. Hoc docet, cùm ait: τεκνία μου, ταῦτα γράφω ὑμῖν, ἵνα μὴ ἁμάρτητε: hoc est Filioli, hæc scribo vobis, vt ne peccetis. Docet igitur, Christiano homini, qui iam remissionem præteritorum peccatorū consecutus est: deinceps in primis studendum esse peccatis vitandis, & innocentiæ assequendæ: & huc totam Epistolam, imò vniuersam Scripturam sanctam spectare. Proinde hæc est ceu totius Epistolæ propositio: Hæc scribo vobis, vt ne peccetis. Hoc est primum.

Cæterùm, quia iuxta etiam doctrinam huiusce nostri Apostoli, in capite præcedenti traditam, fieri nullo modo potest, vt quandiu sumus in hac carne corrupta, non peccemus: idcircò quódnam remedium huic malo adhibendum sit, docet: nimirum studium pietatis, seu fides in Christum aduocatum nostrum, & ἱλασμὸν pro peccatis nostris. Hoc docet, cùm ait καὶ ἐάν τις ἁμάρτῃ, παράκλητον ἔχομεν πρὸς τὸν πατέρα Ἰησοῦν Χριστὸν δίκαιον. Docet igitur, electis, fidelibusque, ad quos scribit, etsi, dum student innocentiæ, subinde præter suum animi propositum peccant: non propterea tamen de sui salute vllo modo esse dubitandū. Quid ita? Quoniam eum, quem semel habuimus redemtorem Iesum Christum, eundem perpetuò habemus iustum aduocatum: nostram scilicet iustam causam & iustissimè & efficacissimè agentem: idque non apud inimicum vel sibi vel nobis, sed apud eum, qui & ipsi aduocato, & nobis reis pariter est & clementissimus & iustissimus, ita vt nec (quæ sua est paterna clementia, est enim Pater) velit, nec (quæ sua est iustitia, est enim Deus) possit, nos electos fideles, quique studemus innocentiæ, propter hæc, in quæ quotidie præter Spiritus nostri sententiam labimur, peccata perdere & exhæredare, propterea quòd, qui noster est aduocatus Christus, idem etiam est ἱλασμὸς, id est, plena & perfecta satisfactio pro peccatis nostris, & omnium, qui fuerunt, aut futuri sunt in mundo, electorum. Hoc est alterum, studium scilicet pietatis, id est, fidei, certæque de nostrorum venia peccatorum, ideóque de æterna nostri salute propter Christum, nostrū & ἱλασμὸν & aduocatum iustum, fiduciæ, imò (vt ipse Apostolus vocat) scientiæ. Ecce igitur duo studia, in quæ Christiano homini semper est incumbendum; studium innocentiæ ac sanctitatis, & studium fidei ac pietatis.

Cæterùm, quoniam multi hoc alterum studiū, nempe pietatis & fidei, quam cognitionem & Dei & Christi appellat Apostolus, separant à priore, dum quidam iactant pietatem & fidem, Dei nimirum & Christi cognitionem, & interim tamen nil curant primum studium, vitandi scilicet peccata, seruandique Legem Dei (quales erant tempore Iohannis Carpocratiani, & alij multi) idcircò tertio loco docet Apostolus, hoc studium pietatis cum studio innocentiæ, seu fidem cum obedientia mandatorum Dei: & cognitionem Dei ac Christi, cum eiusdem Dei dilectione & Christi imitatione ita esse coniūctam, vt illa ab hac separari nullo modo queat. Hinc igitur facilè agnosci posse, in quónam verè sit pietatis studium: nimirum in eo, in quo etiam apparet ff: verum innocentiæ studium, seu, eum verè cognoscere Deum qui Legem Dei studeat seruare, eú nque verè in Christum credere, qui Christum studeat in obedientia Legis diuinæ imitari. Hoc tractat Apostolus illis verbis: καὶ ἐν τούτῳ γινώσκομεν, ὅτι ἐγνώκαμεν αὐτὸν, ἐὰν τὰς ἐντολὰς αὐτοῦ τηρῶμεν. ὁ λέγων ἔγνωκα αὐτὸν καὶ τὰς ἐντολὰς αὐτοῦ μὴ τηρῶν, ψεύστης ἐστὶ, καὶ ἐν τούτῳ ἡ ἀλήθεια οὐκ ἔστιν. ὃς δ' ἂν τηρῇ αὐτοῦ τὸν λόγον, ἀληθῶς ἐν τούτῳ ἡ ἀγάπη τοῦ θεοῦ τετελείωται. ἐν τούτῳ γινώσκομεν, ὅτι ἐν αὐτῷ ἐσμεν. ὁ λέγων ἐν αὐτῷ μένειν ὀφείλει, καθὼς ἐκεῖνος περιεπάτησε, καὶ αὐτὸς οὕτως περιπατεῖν. Hæc est summa totius huiusce primæ partis, imo summa totius Christianæ doctrinæ. Diligenter ergo (vt ad quartum gradum nostræ methodi veniamus) singula hæc tria capita, imò & singula verba, sunt nobis explicanda.

Quod ad primum, quod est de studio innocentiæ, vitandorumque peccatorum, ait: τεκνία μου ταῦτα γράφω ὑμῖν, ἵνα μὴ ἁμάρτητε. Christiani quà homines sunt, filij sunt Adæ, & filij hominum: quà Christiani, regeniti per Spiritum sanctum, primò & propriè filij Dei sunt. Iohan. 1. Secundò & impropriè, filij etiam eorum, quorum operā Deus ad eos regignendos est vsus, dicuntur. Sic Galat. 4 quia Paulus eos tanquam Dei minister regenerauerat in filios Dei, sua verbi Dei prædicatione: ideo eos suos vocat filiolos. 1. Corinth. 4. idem docet, idem Apostolus, dicens: Corinthios posse quidem dicere, se habere multos pædagogos, sed multos patres non. Quare? Quia (inquit) ego ipse per Euangelium vos genui. In hunc sensum etiam Iohannes, eos, ad quos scribit, fideles, vocat τεκνία, nō simpliciter ait τέκνα filij, sed in diminutiuo, τεκνία. Quasi dicat, nuper in salutem geniti filioli. Plus enim teneri amoris exprimunt hæc diminutiua, quàm sua positiua, vt corculum, ocellus, animula, filiolus. Hac ergo voce suum tenerum erga fideles amorem exprimere, & ita beneuolos, attentósque eos sibi reddere voluit Apostolus. Dum enim nos vocat filiolos, docet se paterno erga nos amore affectum esse: proinde se non posse tradere nobis doctrinam, nisi salutarem. Docet hic, quali amore pastores debeant esse erga suos populos affecti: nimirum paterno, & paternum affectum illis non tantùm verbis, sed reipsa officiis significare, vt reuera eos possint filiolos appellare.

Nunc videamus, quam salutarem doctrinam adferat hic bonus pater suis filiolis. τεκνία μου, ταῦτα γράφω ὑμῖν, ἵνα μὴ ἁμάρτητε. In hoc totus est iste bonus Pater, isque senex, vt filiolos suos retrahat à peccatis. Proinde docet, hoc primum esse debere bonorum filiorum studium, nimirum vt studeant peccatis vitandis, innocentiæque, quantum per Dei gratiam in hac carne licet, recuperandæ. Propterea hanc quasi totius Epistolæ propositionem proponit, dicens: τεκνία μου, ταῦτα γράφω ὑμῖν, ἵνα μὴ ἁμάρτητε. Atque huc etiam spectat illa prima propositio, quam toti suæ Epistolæ præfixerat, dicens, ἵνα ὑμεῖς καὶ κοινωνίαν (id est, vt Scholiastes ait,) μηδὲ ἄγνοιαν μηδὲ ἁμαρτίαν ἐν αὐτῷ οὐκ ἔστιν οὐδεμία. Quæ est ratio huius Apostolicæ propositionis? Hæc quoniam hanc Epistolam idcirco ad nos scripsit, vt communionem habeamus cum Deo & Christo, & ita gaudium nostrum sit plenum perfectúmque. Hoc in proœmio suç Epistolæ præmiserat. Communionem autem cum Deo habere non possumus, si in peccatis perseueremus: seu si in tenebris ambulemus. Hoc etiam antea demonstrauerat. Est enim Deus lux purissima: καὶ σκοτία (id est) μηδὲ ἄγνοια μηδὲ ἁμαρτία ἐν αὐτῷ οὐκ ἔστιν οὐδεμία. Nulla autem est conuentio luci cum tenebris. Ergo quicunque communionem habere vult cum Deo, peccare desinat necesse est. Videmus igitur in quem finem proponat hanc propositionem, totúsque in hoc sit Apostolus, vt retrahat nos à peccatis, & ad studium innocentiæ ac puritatis impellat, nimirum vt hac ratione perfectam cum Deo habere possimus communionem, ideóque perfectum gaudium.

Commodum autem, imò necessariò, iis quæ scripsit in primo capite, subiecit hanc propositionem, τεκνία μου, ταῦτα γράφω ὑμῖν ἵνα μὴ ἁμάρτητε. Duo enim præcipuè scripserat. Primum, officio legis functus, docuerat omnes homines, quamuis sanctissimos, conclusos esse sub peccato, & neminem esse qui non peccet. Et hoc, cùm dixit ἐὰν εἴπωμεν ὅτι ἁμαρτίαν οὐκ ἔχομεν ἑαυτοὺς πλανῶμεν, καὶ ἡ ἀλήθεια οὐκ ἔστιν ἐν ἡμῖν. Deindè, cum caput concludit, dicens, ἐὰν εἴπωμεν ὅτι οὐχ ἡμαρτήκαμεν, ψεύστην ποιοῦμεν αὐτὸν, καὶ ὁ λόγος αὐτοῦ οὐκ ἔστιν ἐν ἡμῖν. Hoc fuit proprium legis officium, per legem enim cognitio peccati. Hoc est primum. Alterum quod scripserat, fuit proprium Euangelij. Docuerat enim, gratiam & misericordiam Dei per sanguinem Christi omnibus peccatoribus esse expositam, ita vt si nos tantùm confiteamur peccata nostra, Deus mox pro sua fide & iustitia, ea nobis omnia sit gratis condonaturus. Hoc est alterum. Ex vtroque potuissent permulti maiorem peccandi licentiam sumere. Ex primo quidem sic. non possumus carere peccato, Ergo si peccemus, non simus admodum hac de re solliciti, neq; angamur animi. Quid enim? Volumus ne pro ea re

animo

animo cruciari, quam vitare non possumus? Ita studium vitandi peccata potuissent negligere. Ex altero verò hoc modo: Misericordia Dei exposita est omnibus: & modo cô[...] feramus peccata nostra, ille (quæ sua est fides & iustitia) à nobis propter sanguinem Christi remittet. Ergo nihil [re]fert si peccemus. nam remissio peccatorum semper est [in] promptu: imò bonum est peccare, vt & nos habeamus quod confiteamur, & gratia Dei inueniat in nobis quod [re]mittat. Iohannes igitur, cui optimè nota erant carnalia [ho]minum ingenia, occurrit, & ait se in longè alium finem [h]æc scripsisse & scribere, quàm vt huius scriptionis occasione peccatis laxentur frena: sed potiùs scribere hæc, vt non peccetur. Ideo ait. Hæc. Quæ? Primum, quòd scripsit nos huius esse naturæ (nempe corruptæ) vt nemo sit, qui possit vnquam dicere, se esse sine peccato. Hoc in hunc finem scripsit, vt agnita nostræ carnis infirmitate, & ad peccandum propensione, cautiores simus ne peccemus, neve carni nostræ obtemperemus. tantum abest vt propterea debeamus studium vitandi peccata remittere. Deinde, quòd scripsit de misericordia Dei omnibus exposita, ita vt, modò confiteamur peccata nostra, ille mox ea remittat: hoc non in hunc finem nobis scripsit, vt nobis peccandi licentiam concedat: Absit: sed contrà potius, vt per veram resipiscentiam, accepta peccatorum remissione, deinceps à peccatis, quoad eius fieri potest, abstineamus. Deinde, vt si forsan nostram incessat mentem aliqua diffidentiæ ac desperationis, propter admissa peccata, tentatio: illam mox spectata Dei misericordia, à nobis depellamus: & sic, ne cum alia admiserimus peccata, in hoc etiam peccati genere, id est, in diffidentia & desperatione, peccemus: quo peccato nullum grauius inueniri potest. Si enim post alia peccata hoc etiam admittamus, vt desperemus de misericordia Dei, nec fidamus Christo: fit vt reliqua etiam omnia imputentur, & præcludamus viam ne alia remittantur. Et propter hoc ait Christus, Arguet mundum de peccato, quia non crediderunt in me. Si vero post admissa reliqua omnia peccata, saltem seruemus præceptum de fidendo Dei misericordiæ & Christi meritis: reliqua omnia peccata remittuntur. Facit ergo hæc doctrina, de misericordia Dei omnibus exposita, non huc, vt laxet frena peccatis, sed magis huc, vt à præteritis peccatis liberemur, & præceptum, de spe salutis in misericordia Dei collocanda, non transgrediamur, & ita verè non peccemus.

Videmus nunc, quàm commodum Iohannes iis, quæ suprà dixerat, tum de peccatis nostris, déque nostra ad peccandum propensione, tum de sanguine Christi peccata abluente, déque misericordia Dei ad peccata remittenda omnibus exposita: subiecerit hanc propositionem, ταῦτα γράφω ὑμῖν, ἵνα μὴ ἁμάρτητε.

Facit Iohannes vt bonus medicus erga ægrotum. Esto ægrotus qui semper aliqua febri, id est hectica, laboret: & eam ipse ægrotus non sentiat. Medicus illum curaturus duo facit. Primùm proponit ægroto suum malum: & docet, eum febre ossibus inhærente ita laborare, vt nunquam possit dicere, se esse sine febri. In quem finem hoc facit? Non certè vt ægrotus desperet & dicat: Quandoquidem sum ita ægrotus, vt nunquam sim sine aliqua febri: ergo quidquid arriserit palato etiamsi noceat, comedam ac bibam. Minimè: sed in hunc finem facit hoc primũ officium medicus, vt ægrotus spectato suo morbo graui, sinat se curari: & studiosiùs caueat sibi ab illis rebus, quæ ipsum morbum magis ac magis grauare possunt. Admonet igitur illum suæ febris continuæ, ne in maiorem incidat febrim, & pereat. Ita Iohan. admonet nos peccati perpetuò nobis inhærentis, & in sui obsequium trahentis, nostræque ad peccandum propensionis. In quem vero finem? vt simus cautiores, studiosiúsque caueamus ne peccemus. Deinde aliud officium facit medicus ille. Ostẽdet ægroto, quódnam sit præsentissimum remedium aduersus febrem illam: illúdque ei præscribet & dabit, dicens: Ne dubites, vtere semper hoc medicamento, quod semper tibi ad manum erit: & non morieris. In quem finem hoc alterum facit officium? Non certè vt ægrotus per hoc præsentissimum medicamentum factus securus, licentiam sumat edendi, bibẽdi & agendi quidquis, etiamsi noceat, & ita sese in grauiorem morbum conijciat, sed contrà, vt spe sanitatis, propter oblatum & in promptu positum medicamentum, concepta, partim studiosiùs abstineat ab illis quæ febrim accendunt, partim continuo medicamenti vsu magis quàm antea valetudinem curet. Quare finis eorum omnium quæ & dicit & facit medicus erga hunc ægrotum est, ne grauiùs ægrotet, néve moriatur, sed sanetur & viuat. Ita facit Iohannes.

Nunc tenemus quorsum præcedenti doctrinæ subiecerit hanc conclusionem, dicens: ταῦτα γράφω ὑμῖν, ἵνα μὴ ἁμάρτητε. Qua conclusione, & eorum quæ dixit, & totius Epistolæ finem esse, vt ne peccemus, docet.

Hoc est primum studium hominis Christiani, studium scilicet vitandi peccata, & sanctitatis innocentiæque recuperandæ.

Παρέκβασις de vitandis peccatis, seruandáque lege Dei.

Quoniam verò hic locus insignis est de studio vitandi peccata: liceat nobis eum fusiùs explicare, & ostendere, studium hoc vitandi peccata, & sanctitatis atque innocentiæ promouendæ, non solùm Epistolæ Iohannis, sed omnium etiam Scripturarum imò & omnium operum Dei, quæ pro nobis egit & agit, finem esse. Multi sunt fines Scripturarum & operum Dei: quorum primus ac præcipuus est ipsius Dei gloria: alij vero sunt fines secundarij, qui omnes tamen ad hanc gloriam Dei promouendam ordinantur. Inter hos primum locum tenet studium sanctitatis & innocentiæ. Sicut igitur Iohannes dixit, Hæc scribo vobis, vt ne peccetis, Quasi dicat: sed vt sanctitati & innocentiæ studeatis: sic ego ex ista hypothesi hanc generalem thesin colligo. Quæcunque in diuinis literis scripta sunt, in hunc finem à Spiritu sancto scripta sunt, vt ne peccemus, sed vt sanctitati & innocentiæ studeamus. Quare hoc studium innocentiæ & sanctitatis, finis est Scripturarum. Idem enim finis fuit reliquis scriptoribus omnibus, tam Prophetis quàm Apostolis in suis scriptis, quàm etiam Iohanni in hac Epistola: fuit enim etiam omnibus idem dictator Spiritus sanctus. Finis autem in hac Epistola Iohanni fuit, vt studeamus peccatis vitandis, & sanctitati, seu bonæ conscientiæ in nobis conseruandæ. Hæc (inquit) scribo vobis, vt ne peccetis. Studium igitur sanctitatis & innocentiæ, finis est, in quem omnes Scripturæ tendunt. Sed hoc melius apparebit si totam Scripturam in suas partes secemus, & quódnam cuiusque partis officium, quíve finis sit, videamus.

Tota sacra Scriptura (vt nostis) secatur in Legem & Euangelium. historiæ enim omnes vel ad legem, vel ad Euangelium pertinent.

Lex, dum docet quid vitandum, quidve agendum sit tam in iis quæ Deum, quàm quæ proximum & nos ipsos spectant, quid aliud docet quàm innocentiam & sanctitatem? & in quem alium finem tendit, quàm vt & peccatis vitandis & sanctitati innocentiæque studeamus? Declina à malo (inquit) & fac bonum Hac sua de malo vitãdo bonóque faciendo doctrina, seu de peccatis fugiendis, iustitiaque, & sanctitate persequenda, tria nos docet Lex. Primò quales fuerimus à Deo scilicet creati, secundò, quales iã simus in nostra natura tertiò, quales esse debeamus. Finis autem horum trium vnus est: nimirum vt & peccatis vitandis, & innocentiæ consequendæ perpetuò incumbamus, bonámque conscientiã retineamus. Primò docet quales fuerimus scilicet à Deo creati, némpe iusti, innocentes, sancti. Docet enim nos tales fuisse, quales iam docet & iubet nos esse. Iubet autem nos esse sanctos, innocentes. Docet igitur nos fuisse innocentes. In quẽ finem hoc docet? Vt affecti desiderio prioris innocentiæ, ei recuperandæ studium continenter nauemus. Secundò docet, quales simus in præsentia in nostra natura, nimirum peccatores, impuri, Lernæ malorum omnium. Rom 3. Per legẽ enim cognitio peccati. Quorsum hoc? vt exosi peccatum, quod in nobis per Legem videmus, illúdque detestati, confugiamus ad Christum, quò ab eo liberemur, & veram iustitiam ac sanctitatem induamur, & vt cognita nostræ carnis imbecillitate, malitia & ad peccandũ propensione, studiosius peccata caueamus, néve nostræ carnĩ fidamus. Ideo Paulus ait Gal.3. Legem pædagogum fuisse ad Christum. Tertiò docet quales esse debeamus. Quales? Quales eramus initio ante peccatum, innocentes, sancti. In quem finem? Vt huic innocentiæ & sanctitati recuperandæ, diligentem perpetuámque nauemus operam. Ideo ait: Et quid Deus vult à te, nisi vt timeas Dominũ Deum tuum, & (sicut in Deuteronomio scriptum est) serues mandata eius? Quorsum igitur spectet Lex, & quis sit eius finis, videmus nempe vt ne peccemus, sed sanctitati studeamus. Ideo 1.Tim.1. Finis (inquit) Legis charitas de corde puro, &c.

Euangelium verò quid docet? quidve annuntiat? Cum nos non potuissemus per opera Legis iustificari: Christum filium Dei incarnatum, passum mortuúmque esse pro

peccatis nostris: pro nobis satisfecisse, nos per illum redemtos, remissionémque peccatorum consequutos esse. In quem finem hæc annunciat Euangelium? Vt præteritorum peccatorum remissione & Spiritu sancto per Christũ donati, deinceps vitemus peccata, & Legem Dei implere studiosius curemus. Luc.1. Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitauit & fecit redemtionem plebi suæ. (Quorsum?) vt sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati, seruiamus illi in sanctitate & iustitia coram ipso omnibus diebus nostris. Tit.2. Apparuit enim gratia Dei Saluatoris nostri omnibus hominibus, erudiens nos, vt abnegantes impietatem & secularia desideria, sobrie & iustè & piè viuamus in hoc seculo, exspectantes beatã spem, & aduentum gloriæ magni Dei & saluatoris nostri Iesu Christi, qui dedit semetipsum pro nobis, vt nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum. Locus Pauli ad Rom.6. perspicuè quod dico demonstrat, & docet: Quod enim hic facit Iohannes, fecerat idem Paulus in Epistola ad Romanos. Primum officio legis functus, cõuicit omnes homines peccati: omnes enim peccasse, & egere gratia Dei. Deinde officium Euangelij fecit, docens, misericordiam & gratiam Dei omnibus credentibus expositam esse in salutem, omnésque fide iustificari: imò vbi abundauit delictum, ibi superabundare & gratiam. Tertio: Quoniam hac doctrina abuti potuissent carnales homines ad maiorẽ peccandi licentiã, dicentes: Bene, peccemus igitur vt gratia abundet: idcirco Paulus occurrit, & docet, se in longè alium finem hanc Euangelij doctrinam de gratia Dei scripsisse, quàm vt licentiã Romanis daret peccandi: imò in hunc finem, vt semel in Christo per fidem mortui peccato, non ampliùs viuant in illo: id est, ne amplius (vt hîc loquitur Iohannes) peccent. Ideo ait cap. 6. Quid igitur dicemus? Manebimus in peccato vt gratia abundet? Absit. & adfert ibi duo præcipua argumenta, quibus docet ex ea doctrina de gratia Dei non posse colligi, esse igitur peccandum: sed contra potius, non esse peccandũ, atque ita docet, Euangelium & gratiam Euangelij eo spectare, vt semel mortui peccato, non amplius illi seruiamus: sed resuscitati cum Christo, in nouitate vitæ ambulemus. Vtrumque autem argumentum ἐμφατικῶς proponit, & egregiè amplificat. Primum fuit: Fide Euangelium amplexi, accessimus ad Christum, & mortui sumus peccato, (nam per fidem in Euangelium, peccato morimur coram Deo) atque ita mortui sumus, vt etiam simus sepulti: id quod Symbolo Baptismi testificamur. (hanc amplificat,) Qui autem mortuus est alicui, non potest amplius, nec debet ei seruire. (Concludit per interrogationem, dicens,) Qui igitur mortui sumus peccato, quomodo adhuc viuemus in illo? Hoc est primum argumentum.

Alterum ibi tractat: Quid igitur? Peccabimus, quia non sumus sub lege, sed sub gratia? Absit. An nescitis, quod cui accommodatis vosipsos seruos ad obediendum: eius serui estis, cui obeditis: siue peccati ad mortem, siue obedientiæ ad iustitiam, &c. Argumentum tale est: Illi seruiendum est, in cuius seruitutem nos addiximus, & cuius facti sumus serui. Atqui liberati à peccato per Christum, facti sumus serui iustitiæ: idque per doctrinam Euangelij, fide receptam. Ergo non est amplius seruiendũ peccato, sed iustitiæ. Ex hoc Pauli loco satis abundè patet, Euangelium in hunc finem annunciari & prædicari, vt mortui peccato non amplius viuamus in illo: sed iustitiæ, innocentiæ, & sanctitati, nouæque vitæ perpetuo studeamus. Huc etiam respicit tota lex, cum nihil aliud doceat quam innocentiam & sanctitatem. Ergo finis non solum epistolæ Iohannis, sed totius Scripturæ est, vt ne peccemus, sed innocentiæ & sanctitati incumbamus.

Neque vero hoc studium finis tantum est totius Scripturæ sanctæ: sed etiam finis eorum omnium, quæ Deus & Christus pro nobis egit & agit.

Partior autem hæc opera Dei in tria genera, in opera creationis, conseruationis, ac gubernationis: deinde, in opera redemtionis per Christum factę: denique, in opera communicatæ redemtionis & gratiæ. Quod ad primum operum genus attinet: creatus fuit mundus: idque propter hominem, & hoc in quem finem? Vt homo hinc agnoscat Deum, & agnitum glorificet. Rom.1. Inuisibilia enim ipsis à creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur: sempiterna quoque eius virtus & diuinitas: ita vt sint inexcusabiles: Quia cum cognouissent Deũ, nõ sicut Deũ glorificauerũt, aut gratias egerũt. Quomodo glorificatur Deus? obedientia legis ipsius, sanctitate scilicet & innocentia. Ergo studium sanctitatis & innocentiæ, finis vnus est, propter quem mundus creatus est. Fuit item homo creatus ad imaginem Dei in iustitia & sanctitate: Eph.4. Cur? vt in ea seruaret se & glorificaret Deum.

Postquam peccauit: peccatum à Deo punitur. Hoc tum in electis, tum in reprobis apparet. puniuntur enim peccata. Quis finis? vt cum in seipsis, tum in aliis agnoscant, peccatum Deo displicere, & ita illud fugiant, & discant obedire Legi Dei.

Item, Æternæ damnationi adiudicauit Satanam, & reprobos impios. Quis finis? Vt electi inde discant non peccare: & si peccent, resipiscere, obediréque legi Dei.

Non statim semper punit Deus peccata, sed differt. In quem finem? Vt homines ad hanc Dei patientiam resipiscant, discántque non peccare. Rom.2. An ignoras, quod benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit?

Benefacit Deus omnibus, etiam reprobis. Matth.5. Solẽ suum oriri facit super bonos & malos. Quorsum? Vt inde discamus esse perfecti, benefacere omnibus, etiam inimicis. Matth.5. Estote perfecti, sicut & pater vester cœlestis perfectus est: qui facit solem suum oriri super bonos & malos: & pluit super iustos, & iniustos.

Opera redemtionis eodem spectant. Cur enim post peccatũ adiecit promissiones, de redimẽdo humano genere per Christum, idque gratis? Ne desperemus de misericordia Dei, & sic tanquam desperati proiiciamus nos in omne vitiorum & scelerum genus: sed contra, spe veniæ peccatorum concepta, resipiscamus.

Cur dedit deinde Legẽ in monte Sina, instituit Ecclesiam dedit Prophetas: per eos eam rexit, gubernauit vsque ad Christum, modo peccata puniendo, modo resipiscentium gratis miserendo? Vt modo timore Dei affecti, abstineremus à peccatis: modo misericordia & gratia suffulti & adiuti, in sanctitatis studium neruos intenderemus.

Tandem venit Christus, subiicitur Legi, viuit sanctè & inculpate, ait se non venisse solutum Legem, sed impletũ, obediens est Patri in omnibus, idque vsque ad mortem: nempe etiam, vt eius exemplo disceremus & peccata vitare, & Legi Dei obtemperare. Exemplum dedi vobis, vt quemadmodum ego feci, vt vos faciatis. Et qui dicit se in eo esse, debet sicut ille ambulauit, & ipse ambulare. Finis ergo vitæ, & conuersationis, & obedientiæ Christi non postremus est, vt nos quoque peccatis vitandis, & sanctitati legisque implendæ operam demus. Curat ægrotos, suscitat mortuos, pascit famelicos: in quem vero finẽ? Præter alios fines, vti erat doctrinæ confirmatio, hic etiam vnus fuit: vt homines, agnita tanta Dei erga se bonitate, & certiores facti, suorum malorum causam fuisse peccatum: deinceps studerent peccatis cauendis. Ideo ait paralytico: Vide ne amplius pecces, ne forte tibi aliquid deterius cõtingat. Remittit peccata: certè ne ampliùs peccemus. Ideo adulteræ ait: Nemo te condemnauit? nec Ego: vade in pace, & noli amplius peccare.

Patitur suppliciũ crucis propter nos. Primo vt nos eriperet à suppliciis æternis. Deinde etiã in exemplum, vt tum propter Deum, tũ propter proximũ non grauemur omnia mala perferre, & demittere nos ad omnia erga proximum obsequia. Phil.2. Hoc sentite in vobis, quod & in Christo Iesu, qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualẽ Deo: sed semetipsum exinaniuit, formã serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo, humiliauit semetipsum, factus obediens vsque ad mortem mortem autem crucis. 1.Pet.4. Christo igitur passo in carne, & vos eadem cogitatione armemini: quia qui passus est in carne, desiit à peccatis: vt iam non desideriis hominũ, sed voluntate Dei, quod reliquum est in carne viuat temporis. Item, vt crucifigamus carnem nostram cum vitiis & concupiscentiis eius. Orat pro iis qui se cruci affixerunt: vt doceat abstinendum à vindicta, & omni peccato. Moritur: Non tantùm vt liberet nos à morte, sed etiam vt nos peccatis moriamur. Roman.6. Sepelitur, vt nos quoque cum eo peccatis mortui sepeliamur. Roman.6. Consepulti estis cum eo per baptismum in mortem. Resurgit in nouam vitam: vt & nos in nouitate vitæ ambulemus. Roman.6. Quemadmodum Christus resurrexit à mortuis per gloriam Patris: ita & nos in nouitate vitæ ambulemus. Mittit Apostolos in vniuersum mundum, prædicatum Euangelium, & remissionem peccatorum: vt ea accepta, deinceps caueremus à peccatis, studeremúsque mandatis Christi seruandis. Ideo dicit, Euntes in vniuersum mundum, prædicate Euangelium, baptizantes eos, & docentes seruare quæcunque præcepi vobis. Ascendit in cœlum: non solùm

vt appa-

vt appareret vultui Dei pro nobis, sed etiam vt nostros Spiritus in cœlum à terra eleuaret, vitámque cœlestem agere disceremus. Coloss. 3. Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, non quæ super terram. Paulus hoc faciebat: Conuersatio (inquit) nostra in cœlis est. Denique prædixit se venturum iudicatum viuos & mortuos, & redditurum cuique iuxta opera sua: Vt demus operam itandis peccatis, & bonis operibus faciendis: quando secundum ea quisque est iudicandus.

Quid opera communicatæ redemptionis? eundem finem spectant.

Hæc opera quatuor vocibus complectitur Apostolus Rom. 8. prædestinatione, vocatione, iustificatione, glorificatione.

Elegit nos Deus in Christo ab æterno: & ad redemtionem, quæ futura erat per Christum, participandam prædestinauit. In quem finem? Eph. 1. Paulus docet: Elegit nos, vt essemus sancti & immaculati in conspectu eius, in charitate. Item: Ipsius factura (seu figmentum) sumus, creati in bonis operibus, quæ præparauit vt in iis ambulemus. Electio igitur huc respicit, vt incumbamus in studium vitandorum peccatorum, & faciendorum bonorum operum, & reuera qui sunt electi, hoc facient.

Vocat ad Christum efficaciter: vt Christo incorporati, iustitiæ & innocentiæ sanctitatisque illius participes fiamus: non solùm per imputationem, sed etiam per realem cõmunicationem, 1. Thess. 4. Non enim vocauit vos Deus in immunditiem, sed in sanctificationem.

Donat fidem qua vocanti assentiamur: Primùm, vt per eam possimus iustitiæ Christi imputatæ fieri participes: Deinde, vt legẽ seruare possimus, & iustitia legis impleatur in nobis. Rom. 3. Legem ergo destruamus per fidem? Absit: imò stabilimus. Cur itẽ scribit suam legem in cordibus nostris? Vt nos faciat ambulare in mandatis suis, id est, vitare peccata, & seruare mandata. Ieremias & Ezechiel: Dabo leges meas in corda eorum, & faciam vt ambulent in præceptis meis.

Iustificat, peccatis condonatis, & facit nos mori peccato, seruos factos iustitiæ: vt non ampliùs seruiamus peccato, sed exhibeamus membra nostra seruire iustitiæ in sanctificatione. Rom. 6.

Instillat in nos suum Spiritum: vt facti membra Christi, & templum Spiritus sancti, deinceps caueamus corpora nostra peccatis polluere. 1. Cor. 3. An nescitis, quòd corpora vestra templum sunt Spiritus sancti? Qui autem violauerit templum Dei, perdet eum Deus.

Immittit in nos sui timorem: vt non recedamus ab eo per peccata. Iere. 32. Dabo timorem meum in cor eorum, vt non recedant à me.

Quidquid in Ecclesia instituit, vt prædicatio, Sacramẽta, preces, disciplina: quò illud spectat? Huc certè, vt quotidie admoneamur, moriendum esse peccato, viuendum autem Deo: nec admoneamur solùm, sed etiam ad hoc faciendum trahamur.

Quorsum denique glorificatio spectat? vt tandem perfecte liberati à peccato, ne ampliùs peccemus, sed verè legem Dei, de diligendo Deo & proximo, perficiamus. 1. Corinth. 15. Tunc erit Deus omnia in omnibus: quia nihil erit in nobis peccati, quod pugnet cum Deo Deique voluntate: sed pleni perfecte Dei Spiritu, & quasi essentia diuina, erimus perfectissime conformes diuinæ voluntati. Ergo erit Deus omnia in omnibus.

Videmus igitur studium innocentiæ & sanctitatis, seu innocentiam & sanctitatem ipsam, finem esse in quem Scripturæ, & in quem omnia Dei opera, tam creationis, quàm redemtionis & communicatæ gratię, ordinata sunt. Quare huc omnes sunt nerui intendendi, vt studeamus peccatis vitandis, & sanctitati innocentiæque recuperandæ.

Atque hæc omnia dico vobis, vt ne peccetis. At si quis per infirmitatem peccet (non possumus autem non peccare quamdiu sumus in hac carne) quid fiet? Sequitur: Quod si quis peccauerit: aduocatum habemus apud Patrem Iesum Christum iustum: & ipse est propitiatio pro peccatis nostris: non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi.

HIERONYMI ZANCHII AD CALVMNIAS QVASDAM, CONTRA SE PARTIM VOCE SPARSAS, partim scriptis consignatas, Responsio.

De fine seculi.



QVòd docuerim, nondum instare finem seculi; calumnia est. Docui, Non posse sciri certò, quando futurus sit: forte citiùs, fortè etiam tardius futurum, quam homines putent.

De Antichristo.

QVòd docuerim, Antichristum, de quo Daniel & Apostolus, non esse pontificem Romanum, ac vniuersum eius regnum & satellitium: calumnia est. Docui Nomine Antichristi in Scripturis aliquando intelligi ipsum Antichristi regnum: aliquando ipsam personam, quæcunque illa sit quæ in eo regnat, quocunque tempore regnet: aliquando vèro ipsum postremum tyrannum huius regni, qui κατ' ἐξοχὴν Antichristus appellatur, qui reliquos omnes superaturus sit malitia, hæresibus, tyrannide, hypocrisi contra Christum: & de hoc Patres locutos fuisse. Quoad regnum: docui, tam regnum Mahometis, quã Papæ (quatenus scilicet in eo continentur & defenduntur dogmata quæ pugnant cum doctrina Christi) esse regna Antichristi. Quod vero ad personas: omnes illos esse Antichristos, qui huiuscemodi regna tuentur: hoc est, qui cultum & dogmata cum cultu & doctrina Christi pugnantia defendunt. Quod autem ad illum vltimum Antichristum: publice in Schola nihil dixi, nisi iuxta sententias Patrum, tam Græcorum quam Latinorum, futurum quendam insignem nebulonem, qui reliquos omnes iniquitate & hypocrisi æque potentia superet. Deinde etsi non nego, regnum Papæ esse regnum Antichristi: quatenus in eo permulta defenduntur quæ ex diametro pugnant cum doctrina Christi, ac proinde etiam non inficior, ipsum Papã, dum regnum illud pugnans cum regno Christi defendit, & doctrinæ Christi sese pertinaciter opponit, esse Antichristum: negari tamen non potest (tanquã scilicet probabile) quin sub finem seculi futurus sit quidam homo in Ecclesia Christi, qui reliquos omnes Antichristos malitiã, potentiã, & aliis vitiis atque sceleribus superet, quique editurus sit miracula. Et de hoc homine aliquis contendere poterit, vaticinium illud Iohannis, adde & Danielis de tribus annis cũ dimidio, quibus ille regnaturus dicitur: intelligi posse, &c. Legantur meæ lectiones de Fine seculi. Priuatim verò dixi, & nunc publicè dico: illos hallucinari, qui ita restringunt nomen Antichristi ad regnum & ad personam Papæ, vt extra illius regnũ non sit regnũ Antichristi: & extra eius personã nõ sint & esse possint, idque in veris etiam Ecclesiis, Antichristi. Apparet enim multos esse Antichristos, qui non sunt in regno Papæ. Nam sic didici, omnes illos esse Antichristos, qui oppugnant doctrinam Christi: præsertim qui, cum sint in Ecclesia, quæ nomen habet veræ Ecclesiæ: sub prætextu veræ Ecclesiæ & ministrorum Euangelij, apertam doctrinã Christi impugnant: idque pertinaciter, vt pro magnis viris & sanctissimis doctissimisque habeantur: siue ij sint in Germania, siue in Italia, siue in Hispania. Non igitur se palpent, qui sunt extra regnũ Papæ: quasi non possint ipsi esse Antichristi. Antichristus fuit Arius: qui negauit Christum esse verum Deum. Antichristus fuit Nestorius: qui duas personas ponebat in Christo. Antichristus Eutyches: qui confundebat naturas & proprietates naturã in Christo. Antichristi fuerunt Pelagiani: qui dicebant, principium salutis esse à nobis, non à gratia Dei: qui negabant ideò saluari homines, quia sint ad salutem prædestinati ex proposito Dei: & dicebant, omnibus ex æquo gratiam proponi, in potestate autem esse nostra accipere vel reiicere gratiam Dei: & non desunt extra Papatum, qui has defendebant hæreses. Ergo etiam extra Papatum possunt esse, & sunt multi Antichristi. Ideo Iohan-

nes suo tempore, cum nondum esset Papatus: dixit tamen, Nunc autem Antichristi multi sunt.

2. Quòd non satis sit, me aliorum erroribus esse infectum, nisi etiam ipse noua monstra gignam: Proferant vel vnum monstrum: tunc respondebo. Si monstrum appellant dogma de Antichristo: monstrum hoc non ego genui, sed Patres tam Græci quam Latini simul.

3. Quòd, quia dixi negari non posse, quin sub finem mundi talis aliquis, qualem descripseram, Antichristus venturus sit: obtrudam auditoribus opinionem hanc firmiter credendam, & nequaquam negādā: calumnia est. Cùm dixi, negari non potest: intellexi vt probabile. neminem enim negare refutaréve posse, quin sit res admodum probabilis, venturum talem Antichristum, cum & à Patribus hoc firmiter asseueretur, & e Scripturis probabiliter colligatur.

De Prædestinatione.

QVòd, cùm doceo de Prędestinatione, ascendam supra cœlos in secreta Dei, & inuestigem quæ sciri nequeant: calumnia est. Nihil enim de prædestinatione vnquam docui sine verbo Dei, & Patrum testimoniis. Lectiones meæ testes optimi esse possunt, imò cùm veni ad argumenta prudentiæ carnis contra prædestinationem: ibi, exemplo Apostoli, dixi non esse audiendam humanā prudentiam contra verbum Dei. Et tu quis es ô homo, qui respondeas Deo?

2. Quòd omnium electorum & reprobatorū peccata diuinæ ascribam prædestinationi: calumnia est. Docui, ipsa etiam peccata cadere sub prædestinationē, quatenus scilicet, quia Deus permittit peccata, conclusi: Deū igitur decreuisse permittere: &, quia Deus quosdā excæcat, indurat: Deum igitur decreuisse eos indurare. omnem enim peccati pœnam, quæcunque illa sit, à Deo infligi. omnem igitur peccati pœnam à Deo fuisse prædestinatā. Sed peccatum, quatenus peccatum est, in Deum esse transferendum perpetuo negaui & refutaui. Prædestinatio enim est tantùm eorum, quæ facturus erat Deus. Deus autem non peccat, neque malitiam ad peccandum cuipiam indit: sed contra punit peccata, verum aliquando aliis peccatis.

3. Ac proinde, quòd faciam Deum non solùm θελητὴν, sed etiam συνεργὸν peccatorum, calumnia est. Docui semper, Deum prohibere peccata: imò ideo aliquid esse peccatum, quia prohibitum sit à Deo: Non est igitur θελητὴς peccatorum. Docui etiam, Deum non peccare, nec posse peccare, neque etiā malitiam peccandi nobis indere. non igitur est συνεργὸς peccati. Docui quidem & doceo secundum Scripturas: Nullam esse actionem, sicut in aliis creaturis, sic nec in homine, siue internam siue externam, cui non cooperetur Deus. Docent enim sic Scripturæ. Deus operatur omnia in omnibus. Item: In ipso (hoc est ipsius virtute & actione) viuimus, mouemur, & sumus. Nullus igitur motus, siue intellectus, siue voluntatis, siue animi, siue corporis: fieri in nobis, aut à nobis potest, qui non fiat virtute & actione Dei in nobis. Et Hebr. 1. Portátque omnia verbo virtutis suæ. Et hoc confitemur in Symbolo, cùm dicimus: Credo in Deum patrem omnipotentem, factorem cœli & terræ, visibilium omnium & inuisibiliū. Ita enim factorem confitemur, vt & conseruatorem, motorem, actorémque intelligamus. Et sic Patres omnes & tota Ecclesia Catholica semper docuerunt. Sed nullo modo consequitur inde, Deum igitur peccare vna cum homine peccante, vel, efficere vt homo peccet: id quod est esse συνεργὸν peccatorū. Quod si mei accusatores nesciunt discernere peccatum (quod est ἀνομία, & priuatio rectitudinis in actione) ab actione ipsa: non proinde calumnientur me, quòd faciam Deum συνεργὸν peccatorū. Est συνεργὸς τῷ ἔργῳ, sed non peccati, omne enim ἔργον, qua ἔργον, bonū est. Omnis autē boni autor est Deus. Imò ideo nos peccamus, quia actiones Dei in nobis, suapte natura bonas, nos nostra corruptione & malitia deprauamus, inficimúsque. Si puer scribendi ignarus, cuius manus à præceptore super papyrum ducatur, inter pingendum errorē admittat: erroris certè συνεργὸς non poterit dici præceptor: quia pueri manū ducat: sed puer tantū, quia manū præceptoris rectè ducentem non vsquequaque sequitur. Deus sua omnipotenti manu & actione omnes creaturas mouet, sed vnāquamque secundū suam naturam. Deus igitur, illius quod in peccato bonū est, nempe actionis in se, συνεργὸς est: illius verò quod propriè malū est & peccatū, nullo modo συνεργὸς esse aut dici potest. Lutherus ipse in libro de Seruo arbitrio, simile adfert equitis, qui claudū equū agit. Motus equi, συνεργὸς est eques, claudicationis verò, nequaquam. Est igitur calūnia, quod ego Deum faciam συνεργὸν peccati. Bucerus, præter alia loca, in libro de Reconciliatione Ecclesiarum. fol. 34. vulgatam Theologorum sententiam probat, Omnem humanam actionem ab actione Dei pendere.

Brent. in Iob. cap. 25. Porrò cū dicitur apud Deū esse potestatē: intelligas eum esse omnipotentē, nō solū δύναμιν, verùm etiā ἐνέργειαν id est & potentia & actione. omnia enim potest, & omnia agit. Ergo & mala operatur? Minimè, non ex se, sed ex instrumento per quod operatur. Est enim Deus (vt sic dicā) mundi anima, perinde vt in corpore humano anima mouens est. Iam si humana anima corpus debile aut claudū nacta fuerit: pergit nihilominus mouendo, & fit motus claudus, non ab anima, sed à corpore moto. Ita Deus operatur omnia in omnibus. Iam cū operetur in homine velle & facere, homo verò ex peccato ab Adam deriuato, male velit & faciat: fit mala voluntas & opus, non ex Deo operante, sed ex homine deprauato. Proinde quanquā Deus mala operetur, non tamen malitia Deo adscribēda est, sed instrumento male deprauato, &c.

Quod de prædestinatione doceam Ita esse certum numerum electorum, vt licèt viuant scelerate: tamen necessariò seruandi sint: & reprobatorum, ita vt licèt omnia bona sanctorum opera faciant, non possint tamen seruari calumnia est. Docui quidem esse certum quendam numerum electorum ad æternam vitam, qui seruetur necessariò, & certum numerum reprobatorum, qui non possunt non damnari, quia hoc tradunt sanctæ literæ, Augustinus, Lutherus, Bucerus, & alij: estque ratio aperta. Certi enim quidam seruantur, & certi quidam damnantur: non enim omnes seruantur, nec damnantur omnes. Ergo Deus decreuit ab æterno, suo iudicio certos quosdam seruare pro sua misericordia, & certos quosdam damnare, iusto suo iudicio: & quia hoc infallibiliter fit, iccircò necessario fieri. Cæterum illam particulam, *Etiamsi vel illi malè viuant, vel isti optimam ducant vitam*: non solum nunquā adieci, sed etiam refutaui tanquā [illegible] diuisionis. Qui enim ita argumentantur, separant eaque non sunt separanda, nempe studium bonorum operum, à prædestinatione ad vitam, & à consecutione salutis cum sint illius effecta & viæ ad hanc. Paulus enim, qui ait nos esse electos ad æternam vitam, ait etiam, Nos esse electos ad hoc vt essemus sancti: item nos creaturam Dei esse, creatos in operibus bonis, quæ præparauit Deus, vt in illis ambulemus. Quare ita semper solitus sum retorquere argumentum hoc diaboli, Ille ait, Si tu es prædestinatus, seruaberis, etiamsi mala agas: si non es prædestinatus, non seruaberis, etiamsi omnia bona feceris. Ego verò: Imò si sum prædestinatus ad vitam, debeo igitur ambulare in vita prædestinatorum, quæ est fides & studium bonorum operum: qui enim prædestinati sunt ad finem, etiam ad media sunt prædestinati. Et huc spectant quædam Lutheri dicta in Genesin & in Psalmos: quæ in me à nonnullis torquentur, sed non intelliguntur. Scio quidem, Brentium hac locutione vsum fuisse in sua Exegesi in Iohan. cap. 15. fol. 360. vbi scribit: Si spectetur diuinus captus & Dei immutabilitas, reprobos non posse saluari, etiamsi omnia bona opera Sanctorum faciant. Verùm ego tali locutione nunquam vsus sum, neque etiam vterer. Absit verò, vt credam me non esse ad vitam prædestinatum.

5. Quòd statuam, Deum quosdam dānare in æternos cruciatus, & damnare decreuisse, non propter ipsorū peccata, sed ex suo solius placito, calumnia est. Docui perpetuò, neminem damnari sine caussa: & caussam proximā in ipso qui damnatur esse, nempe peccatum, saltem originale, vt in pueris infideliū. sed reprobationem tantū factam fuisse ab æterno à Deo, sine vllo operū malorū respectu, vt docet Apostolus ad Rom. Distinguant igitur reprobationem à condemnatione, seu decretū non miserendi à decreto damnandi, & me non calumnientur.

6. Quòd doceam, impietatem creari à Deo: calumnia est. Docui homines etiam impios creari à Deo, iuxta illud: *Omnia creauit propter semetipsum Dominus, etiam impium ad diem malum*, non autem ipsam iniquitatem. Hæc enim primò per traducem in nos deriuatur ab Adamo: deinde per Satanam accenditur atque augetur. Iniquitas enim, quatenus iniquitas, à Deo nullo modo est, aut esse potest, cùm Deus sit ipsum summū bonum, iniquitas autem malum.

7. Quòd, cùm dico, Deum permittere peccata, ita doceam eum permittere peccata, quasi per hanc permissionem nobis liceat peccare, calūnia est. Doceo, Deum permittere peccata, quatenus scilicet nō vult impedire, cùm

possit;

posset non semper permittere, id est, concedere. lege enim semper prohibere peccatum.

8. Quòd doceam, præscientiam Dei solam, esse caussam omnium & euentorum: calumnia est simpliciter, & Sophistica. Si præscientiam capiant pro simplici notitia, qua Deus nouit se posse creare alia, vt (verbi gratia) ram mundorum: tam docui eam esse caussam euentorum omnium, requiritur enim necessario voluntas Dei: alioqui contingeret quicquid simpliciter nouit. Si vero nomen præscientiæ capiatur, quatenus cum illa coniungitur voluntas Dei, (est enim propriè præscientia illarum rerum, quas vel ipse facit, vel fieri permittit) dico, præscientiam caussam esse euentorum omnium: sed ita tamen, vt caussæ secundæ & proximæ non excludantur.

9. Quòd doceam, ita promissiones de æterna salute ad electos tantũ pertinere, vt cùm Christus ait (verbi gratia) *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos*: non vocet omnes, sed tantùm electos: nec omnibus promittat salutem: sed tantum electis: calumnia est. Doceo, omnes vocari ad Christum, & omnibus promissiones offerri: sed neque omnes venire, neque omnes promissionum complementũ consequi: quia non omnes trahantur ad Christum. nemo autẽ potest ad Christum venire nisi trahatur à Patre: ij vero sunt tantùm electi ad hoc. Proinde promissiones esse quidem vniuersales, sed in solis electis suum habere complementum.

10. Quòd ponam in Deo odium quoddam erga reprobos, quasi affectum quendam contrarium affectus amoris: quod odium Deus nolit placari filij sui *sanguine*, nec eius sanguine: calumnia est. Primùm, in Deo nullum pono odij affectum: sed odium Dei, in illo dicto Rom. 9. Esau odio habui: docui nihil esse aliud, quàm propositum non miserendi: sicut amor etiam in Deo non est affectus, sed ipsa beneuolentia seu voluntas & propositum miserendi & benefaciendi ac seruandi in ętemã vitam. Et Deum aliquem ab æterno odisse, nil aliud esse, quàm Deum ab æterno decreuisse nolle alicuius misereri, sed in suis peccatis eũ deserere, & proinde illum iustè punire: Illis verò inauditis verbis (*Deum nolle, vt suum odium placetur sanguine Christi*) quomodo vti potui, cùm ne per somnium quidem mihi in mentem vnquam venerint? Docui quidem, propositum Dei, siue miserendi, siue non miserendi, mutari non posse; sicut Scriptura docet, *Ego Deus, & non mutor*: sed illa verba portentosa nemo vnquam ex me audiuit.

11. Quòd affirmarim, filium Dei velle suam supplicationem esse inanẽ: Quę est ista horrenda calũnia? Imo docui etiam in ea Epistola, quam interpretabar, Iohannis, Christum pro suis electis tantùm orasse. Iohan. 17. cùm dixit, *Non rogo pro mundo*: & nunc etiam in cœlo pro ipsis intercedere, & ipsius intercessionẽ esse efficacem, & exaudiri à Patre: & proinde electos perire non posse. Inanis esset, si pro reprobis supplicasset, & supplicaret patri, cùm in ipsis neque passio, neque merita, neque supplicatio Christi vim & effectum suum consequantur: Sed proinde non est inanis, quia pro ipsis tantùm electis, qui erant in se credituri & credunt, ita orauit & orat: vt etiam exorauerit atque perpetuò exoret.

12. Quòd fingam, Deum tanquam inexorabilem & rigidum iudicem e tabulis damnationis nomen reproborũ nunquam exéturum, neque ipsis vllã gratiam præstiturũ. Tam rigidis verbis vsus sum nunquã: Imò docui, Deũ suapte natura elementissimum esse & exorabilem, sed in Christo tantùm. Cùm igitur reprobi non sint neque electi in Christo, neque donati Christo, neque redemti per Christũ, neque iustificati in Christo: propterea neque glorificatum iri, sed ituros ad eum locum, ad quẽ sunt destinati: sicut & de Iuda legitur in Actis, Ideò præuaricatum fuisse vt abiret in locum suum.

Quòd verò fingã, Deum nullam gratiam præstiturum reprobis, nimis impudens est calumnia. Quasi verò nesciã, Iudam, Saulem, & alios reprobos, egregiis & multis gratiis Dei donatos fuisse, & quotidie donari: sed gratiam specialem, nimirum tum fauorem Dei ad æternam vitam, tum regenerationis: reprobis reipsa non præstari, etiamsi per Euangelium offeratur, dico & affirmo cum sacris literis, & res ipsa confirmat. Ipsi enim neque regenerantur, neque seruantur.

13. Quòd doceã, falsum esse, dicere, Omnes esse prędestinatos, si credant: calumnia est Sophistica. Si de ipsa prædestinatione in se loquamur, docui, illam non fuisse factam cum conditione, Si: quasi Deus sic dixerit intra se, Ego omnes prædestino, si crediderint: Proinde falsum esse, dicere, Omnes esse hac conditione prædestinatos ad vitam, si crediderint. Prædestinationem enim docui esse firmum gratuitum & absolutum Dei decretum quosdam seruandi ad æternam vitam, &, vt possint seruari, eos redimendi per Christum, trahendi, vocandi, donandi fide, operibus bonis fidei, denique perseuerantia in fide. Si vero loquamur de effectis & notis prędestinationis, docui, omnes illos verè esse prædestinatos, qui vera in Christum fide præditi sunt, & hac nota illos discerni à non prædestinatis. Nego igitur prædestinationem ipsam esse conditionalem: nego caussam prædestinationis esse fidem nostram: affirmo autem, fidem effectum esse & notam prædestinationis. Proinde calũnia est etiam nimis aperta, qua dicunt quidam, me negare, fidem esse notam prædestinationis.

14. Quòd defendam Stoicam necessitatem: calumnia est. Stoica necessitas, est ex certo caussarum secundarũ nexu atque ordine: Christiana autem, ex immutabili Dei decreto. Hanc defendo, non illam.

15. Quòd ponam in Deo contrarias voluntates: calũnia est. Vna tantùm est voluntas Dei in se, quia est tantum vnus Deus volens. Cæterum Deum contraria velle, sed diuersa ratione: nempe aliquid absolute & simpliciter, aliquid tantum ex conditione, manifestum est. Absolutè enim vult electos saluos fieri: ideo etiã dat illis, quęcunque ad salutem sunt necessaria, vnde & seruantur necessariò. Conditionaliter verò vult vt alij omnes, etiam reprobi, seruentur, si ipsi velint credere, obedireque legi Dei: & hoc illis significatur per prædicationem verbi. At quia nec Deus vult donare ipsis fidem, nec ipsi ex se credere possunt propter innatas tenebras & imbecillitatem: ideo non possunt seruari. Vult igitur Deus reprobos absolutè non seruari: & hæc voluntas impletur: vult verò eos seruari ex conditione, si ipsi velint & possint credere, & hæc sola in nullo impletur. Si quis hos diuersos volendi modos diuersas appellet voluntates, fateor me has ponere in Deo, sed si loquatur de ipsa voluntatis essentia, nego me duas in Deo ponere voluntates, alioqui esset ponere duos Deos. Atque hæc etiam est doctrina Lutheri & Buceri, post Augustinum, cum scribunt de Deo reuelato & abscondito, seu de voluntate reuelata & non reuelata.

16. Quod dicam, Deum, quando vocat reprobos, aut aliquid promittit reprobis, illis illudere, quia nolit vt ad se veniant, nec illis quod promittit dare, Respondeo, Deum vocare etiam reprobos, & mandare vt ad se veniant, salutémque illis promittere, si velint in Christũ credere, manifestum est. Omnes enim vocat per verbum, & omnibus vitam promittit æternam, modo in Christum velint credere. Atque hæc est voluntas conditionalis. Eundem tamen Deum nolle absolute & simpliciter vt omnes veniant & seruentur, manifestum etiã est, quia si simpliciter hoc vellet, etiam fieret, iuxta dictum Prophetæ, Omnia quæcunque volui, fecit, item iuxta illud Iesaiæ, Consiliũ meum stabit, & voluntas mea fiet. Reprobis vero non illudi, cùm à Domino vocantur, manifestum etiã est, quia si ipsi velint & possint venire, sicut ab illis exigitur, profectò a Domino recipientur, & seruabuntur. Culpa igitur in ipsis est. Atque hoc satis est ad hoc, ne Deus dici possit cuipiã illudere. Exemplo nobis sunto primi inuitati ad cœnam. Si enim venissent, fuissent recepti. Quod verò alios iusserit compelli intrare (quo verbo indicat, illos quoque recusaturos fuisse, nisi fuissent compulsi intrare) gratia fuit specialis. Hac igitur vtitur erga electos, cõpellit enim quodammodo eos intrare, dum de nolentibus facit volentes, hac non dignatur reprobos, nec tamen illudit eis cùm vocat, quia per ipsum non stat quin veniant & seruentur, si velint, sed defectus in illorum est voluntatibus. Ille dicitur illudere, qui aliquem ad cœnam inuitat, & postea, si veniat, repellit. Non sic facit Deus. Calumnia igitur est, me docuisse, Deum reprobis illudere, cùm vocat, aut promittit.

17. Quod abducam homines à Christo, & à patefacto suo Euangelio, doctrina de prædestinatione, Quæ est ista calumnia? Quasi ego doceam, quempiã esse prædestinatũ ad vitã sine Christo, & doceã, homines debere extra Christum & Euangelium contemplari sui electionem.

18. Quòd doceam, decreto æterno interposito aliquos prohiberi, ne ad Christum accedant, Quasi verò ipsi homines velint & possint ad Christũ accedere, nisi à decreto Dei impediantur. Doceo, quicunque volunt accedere, ideóque accedunt ad Christum, idcircò accedere, & quia trahuntur à Patre, suo Spiritu, ad Christũ. & proinde, quia prædestinati fuerunt ad hunc patris tractum. Si qui

autem non accedant: propterea illos non accedere, tum quia nesciunt: (animalis enim homo non percipit ea quæ sunt Dei:) tū quia nolunt (est enim corrupta illorū volūtas) ideóque non possunt (Nemo enim potest venire ad me, nisi Pater illū traxerit) ad Christum accedere. Vitio igitur ipsorum, non autem decreto & voluntate Dei interposita, fieri vt non accedant, doceo: Et si aliquando cū Scripturis dixi, reprobos ideò non venire ad Christum, & in illū non credere, quia non sint ex ouibus, id est, quia nō sint ad hoc prædestinati: non ideo hoc dixi, vt culpam in Deum transferrem: quasi ipsi potuissent venire, nisi Deus sua prædestinatione illos impediuisset, sed ideo cum Scripturis ita loquor, vt ostendam, adeò corruptam esse in Adamo humanā naturā, vt nisi Deus sua gratia illos trahat, ac proinde nisi decreuerit ab æterno in sua prædestinatione, illos trahere: nullo ipsi modo ad Christum venire & seruari possint. Hoc autem docendo non transfertur culpa in Deum trahere nolentem (neque enim tenetur vlla lege homines trahere) sed in ipsum hominem venire suo vitio nescientem, detrectantem, non valentem: iubetur enim venire, & non venit. Atque hinc patet solutio ad illam calumniam, qua traducor, quod doceam, reprobos ita à Deo efficaciter ad peccata compelli, vt non possint non peccare. Quasi vero ipsi per se possint non peccare, nisi à Deo vt ad peccatum adigantur. Quod enim homo peccat, habet ex se, atque ex innato ab ortu vitio non autem a Deo, vt est apud Hoseam: *Perditio ex te Israel est.*

19. Quòd sentiam, Deum nihil velle ex animo reprobis conferre: Quasi verò inuitus conferat in illos, quæcunque beneficia confert.

20. Quòd doceam Deum velle peccatum: & id non otiose, sed efficaciter: calumnia est. Huiuscemodi enim verbis nunquam sum vsus, imò dicere, Deū velle peccatum, hoc est, eo delectari, vel homines non posse nec potuisse peccare, nisi Deus malitiam peccati eis indat: vel denique hominibus mandare vt peccent: perpetuo docui esse blasphemiam. At Deum velle peccatum, hoc est, primò, voluisse & velle illud permittere: deinde, velle peccatum, quatenus est pœna peccati, doceo cum Augustino, Bucero & Luthero.

21. Quòd cuidam priuatim dixerim, reprobos ita necessario peccare, vt etiam sol lucet, Dico, me nullo modo meminisse huiuscemodi locutione vsum fuisse, vel publicè, vel priuatim, sed si vsus sum nego me illa non declarasse in hunc sensum, quòd, sicut sol talis est naturæ, vt non possit non lucere, ita reprobi atque impij talis naturæ sint, hoc est, tā malæ, vt non possint non peccare. Et hoc est, Necessariò lucere, &, Necessario peccare. Docent hoc Scripturæ. arbor enim mala non potest bonos fructus facere. At discrimen est, quia sol talem naturam, ideóque talem lucendi necessitatē accepit à Deo: homo autē corruptam hanc naturam, ideóque peccandi necessitatē accepit ab Adamo, & ille non nouit, aut vult quod agit, ille autem omnino.

22. Quod doceam, ex eodē æterno Dei consilio duos contrarios riuos effluere, alterū illuminationis, alterū excæcationis, calumnia est. Talibus locutionibus vsus nunquam fui. Quasi verò ponā in Deo & lucem & tenebras, cum Apostolus, quem interpretabar, dicat, Deus lux est, & tenebræ in eo sunt nullæ. Illud vero docui & doceo, si quis illuminetur, illuminari à Deo, pro ipsius misericordia, si quis excæcetur, excæcari à Deo, pro suo iusto iudicio, in pœnam præcedentis peccati. omnis enim pœna à Deo est, quia ipse est solus qui mortificat, & viuificat, qui deducit ad inferos & reducit.

23. Quòd contendā, caussam prædestinationis, nempe voluntatem Dei, nobis esse incognitā & non reuelatam, Respondeo. Docui voluntatem hanc, quod scilicet voluerit ex toto hominū genere quosdam ad æterna vitam eligere ac prædestinare, alios autē reprobare, ideóque ad æternā mortē præfinire, in Scripturis esse reuelatam. At verò voluntatē hanc, nempe quósnam ad vitam aut mortem prædestinarit, non esse in Scripturis simpliciter de singulis reuelatā, sed tantum ab effectis prædestinationis probabiliter indicatam. Item, cur maluerit vnum quàm alterum eligere, nobis esse incognitum.

Quòd non concedam, prædestinationem factam esse Christo, & per Christum consistere, impudentissima est calumnia. Docui cum Apostolo, electos nos esse in Christo, non extra Christum, decreuit enim Deus Pater seruare nos non simpliciter, sed per Christum. Illud quidē doceo, electionis primatiam caussam non fuisse merita & passionem Christi, sed solam Dei voluntatem & gratiā, voluntas enim Dei ad nos eligendos & prædestinandos in æternam vitam, à nulla re extra se fuit mota, sed tantùm à seipsa. Quare nec merita Christi fuerunt caussa nostræ electionis primaria: quanquā sint caussa (vt ita dicā) meritoria nostræ iustificationis. Quamobrem Ioh. 3. dilectionem præponit dationi & missioni filij, dicendo, *Sic Deus dilexit mundum* (hæc est prædestinatio) *vt filium suum vnigenitum daret.* Hic est vnus effectus prædestinationis. Ideo enim misit filium, & decreuit ab æterno mittere, quia decreuerat nos seruare, non autem contra.

De peccatis Sanctorum, déque illorum perseuerantia in fide.

QVòd doceam, electos, etsi peccent contra conscientiam, non tamen ita peccare, vt gratiam Dei, remissionem peccatorum, & Spiritum sanctū amittant, iram & mortem incurrant: calūnia est grauissima. Talem propositionem nemo vnquam ex me audiuit. Primū, Si per peccatum contra conscientiam, intelligunt peccatum, quod Paulus vocat regnans: docui & doceo, illud non cadere in electos iam renatos. Regnat enim in illis Christus, non peccatum: & aguntur à Spiritu Christi non Satanæ: alioqui non essent Christi, Rom. 8. & repugnant peccato, licet aliquando pugnando quodammodo succumbant. Si verò intelligant peccatum ex aliquo consensu, licet non pleno admissū: (quo modo nonnunquam peccant sancti) docui & doceo, quantum in ipsis est, propter huiuscemodi peccata eos omnino gratiam Dei & Spiritū sanctū amittere, & in iram mortemque æternam incurrere: sed quia Deus huiuscemodi peccata electis, qui in Christo sunt, condonat, & nihil damnationis est iis, qui sunt in Christo, qui non secundum carnem ambulant, Rom. 8. & sine pœnitentia sunt dona & vocatio, & nemo potest eos rapere de manu Christi seruatrice, & Christus pro eis rogauit, ne deficiat illorum fides, & Deus perpetuo conseruat in eis semen quo sunt regeniti, ideo docui, Etsi iis suis peccatis sancti iram Dei contra se prouocent: non tamen penitus excidere ab illa gratia, id est, fauore Dei, quo illos in Christo complexus est, & elegit in filios, manere enim eos perpetuo filios Dei, quanquam sæpe immorigeros: & Deum perpetuo manere illorum patrem, quanquā sæpè illis infensum & iratum. Remissionem etiam peccatorum semel condonatorum, non fieri in eis irritam, quia non potest fieri irrita, nisi per peccatum in Spiritum sanctum, seu per relapsum, qui relapsus non cadit in electos. etsi etiam suis grauibus peccatis Spiritum sanctum conturbant, fidemque labefactant & suffocant, non tamen vel illum penitus ab eis recedere, vel hanc prorsus in eis extingui, quòd Deus perpetuo iuxta suam promissionē & propter precationem Christi, semen in illis conseruet, & doctrinam hanc, tum ad gloriam Dei amplificandam, tum ad fiduciam in Deum in Sanctis retinendam ac conseruandam pertinere.

Quod vero dicunt, me dicere, Sanctos iis peccatis non incurrere in iram Dei, aperta est calumnia. Deus enim irascitur peccatis omnibus & omniū: id quod flagella etiā contra Sanctos testificantur. Et ipse ait, Quòd si filij mei dereliquerint Legem meam, visitabo in virga iniquitates eorum. Sed aliud est ira Dei, aliud odium. Deus electis, cùm peccant, irascitur. sed eos nunquam odit, quia quos semel ad æternum vitam dilexit, perpetuò in finem vsque diligit.

Quare grauissima & apertissima est calumnia, cùm dicunt. Me docere, electos donatos semel vera fide, etiamsi peccent contra conscientia, & viuant sceleratè, nunquam tamen amittere fidem. Primo ipsi addunt id, quod ego nunquam dixi, nēpe etsi peccent contra conscientiam, & viuant sceleratè. Imo præter alia argumenta, quibus probaui, Sanctos non penitus amittere fidem, etiam hoc adieci, quod scilicet Sancti non admittant illud peccatū, propter quod solum fides amitti possit, nempe peccatum regnans, sed semper eos peccare aut ex ignorantia, aut ex infirmitate, nunquā ex animo seu tota volūtate, vel, vt Lutherus loquitur, ex destinata malitia. Deinde adimunt id, quod solitus erā adiicere, nēpe penitus, prorsus, omnino, in totum. Cur autem quædam meis dictis adiiciant, quædam etiam detrahant, viderint ipsi.

Quòd docuerim, Dauidem, cum adulterium & cædem fecit, sua mala voluntate non excussisse, aut potuisse excutere Spiritum sanctum, quia in illis peccatis fuerunt actiones Dei, calumnia est, & deprauatio meorum dictorum. Docui cum Bucero & aliis piis doctísque viris, Dauidem non penitus amisisse fidē & Spiritum sanctum, quum peccauit, non quod ibi essent actiones Dei (est hæc

357 :) sed cùm quia ipse non peccauit nio calumniatur ad Verum ex infirmitate fidei:(vt Bu- ma ti plena volunt quàm in libro de Reformatione teras ut cum in 7. Rom tum quia Deus semen fidei in illo Ecclesiae & in Gal. 2. am promissionem. Quod addunt, securare voluit iuxta si referunt ad Dauidé ipsum, calũ- Nec potuisse excutere non potuit nisi excutere.si adDeum, nia etiam ipse ex se illam conseruante, nos illam excute- verum etiamquia Deo illas. re penitus non valemus. Quod doceam, quando Dauid adulterium & cædem ad- misit: eos illius & voluntatem non consensisse in illam cę- calumnia est grauissima.Docui & do- deat & adulterium: pij electi peccant, nunquam ex animo, hoc ceo, quando pij electi eos peccare:quia quotiescunque san- est plena voluntate peccant, etsi partim, hoc est secundũ car- cti ex consensu peccant carnis, volunt peccatum: tamen par- nem & voluntatem secundum spiritum & spiritus voluntatem tim, hoc est, secundum Apostolus docet Roman. 7. & post peccatum nolunt: sicut doctos viros. Bucerus in illud 7. ad Augustinum alióque in libro de Reform. Eccles. & alibi Rom. & in 11. Matth. & Dauidem, cùm illa admisit, alio- sæpe: ac proinde neque neque Petrum, cùm negauit Chri- quin grauissima scelera voluntate peccasse, quemadmodũ stum ex animo & tota & Patres & Bucerus ipse docue- speciatim de iis duobus consentire in peccatum, aliud ple- runt. Aliud igitur est consentire. Aristoteles ipse in Ethicis tra- na voluntate consentire. Nautam cum propter tempestatem merces proiicit didit: partim ἑκόντα, partim ἄκοντα, partim in mare, hoc facere partim nolentem, quod Latini dicunt, non ex volentem, partim nolentem, quod Latini dicunt, non ex animo, id est, non plena seu tota voluntate. Ac certum est: Electos renatos antequam peccent, odisse peccatum, & malle mori quàm peccare: postquàm peccarunt, dolere & odisse peccatum: quum peccant peccare non cum odio Legis aut contemtu Dei, sed ex infirmitate fidei. exem- plum est in Petro. Non igitur peccant plena voluntate, vt faciunt reprobi.

Quòd doceam licentiam, reddámque homines licen- tiosos, calumnia est, imo in 2. cap. 1. Epist. Iohan. quam in- terpretatur, docui multis, duo esse studia, in quæ Christia- no homini perpetuo sit incumbendũ: studiũ vitandi pec- cata, & seruandæ Legis Dei: in illa verba. Filioli mei, hæc scribo vobis vt ne peccetis: Et studium fiduciæ in Christo, & per Christum in Patre collocandæ, in illa verba: Sed etsi quis peccauerit, aduocatum habemus apud patrem. Et studia hæc duo ita esse coniuncta, vt alterum ab altero separari non possit, in ea verba: In hoc scimus, quod co- gnouimus eum, si mandata eius obseruamus. Qui dicit, Noui eum, & mandata eius non seruat, mendax est. Non sum, non sum tam improbus, aut imperitus voluntatis Dei in sacris literis reuelatæ, vt vel velim vel possim auditori- bus fenestram vitiorum & licentiam aperire. Meæ le- ctiones tandem aliquando toti orbi patefacient, Deo vo- lente qualé doctrinam de moribus docuerim Argentinæ. Sed simul etiam semper hoc in primis curaui, vt fiduciam in Deum firmarem.

Quare quod dicunt etiam, mé facere homines securos ista doctrina de perseuerantia Sanctorum in fide: ad hoc respondeo, me cupere facere securos, non in carne & in seipsis, sed in Spiritu & in Deo: & hanc securitatem incul- cant sacræ literæ, imo & Euangelium totũ huc spectat: vt reddat nos securos de æterna Dei erga nos beneuolentia, ideóque de æterna nostri electione in Christo, de nostri redemtione, ideóque æterna salute per Christum: & quod, licèt sæpe nos pro nostra ingratitudine deseramus Deum, quantum in nobis est, Deus tamen propter suã certam e- lectionem & promissionem non deserat nos: proinde de nobis semper esse metuendũ: vnde illud, Qui stat, videat ne cadat; sed de Deo semper debere vos esse securos, vn- de illud, Fidelis autem Deus, qui non sinit vos tentari su- prà quàm ferre potestis. Distinguant igitur securitatem Spiritus à securitate carnis. Quòd si aliqui securitate Spiritus abutuntur ad securitatem carnis, vitio ipsorum id fit, non meo. Etiam tempore Apostolorum multi libertate Spiritus abutebantur ad libertatem carnis, vt est in Epist. ad Gal. & alibi, id quod etiam nunc fit, nunquid igitur non debemus prædicare libertatem Spiritus & Euan- gelij?

Quòd negẽ, electos in atrocissima scelera ruere posse, calumnia est. Quasi nesciam & non doceam, Dauidis sce- lera, adulterium & homicidiũ fuisse atrocissima & grauis- sima. Doceo in electos non posse cadere peccatum in Spi- ritum sanctum, alioqui damnarentur. Doceo in Sanctis renatis non esse peccatum regnans, seu non regnare pec- catum, quia ibi regnat Christus, & Satanas eiectus est fo- ras, sed quin in varia, & nonnunquam grauissima laban- tur peccata, nunquam sum inficiatus, nec possum inficia- ri. Sed sunt tamen semper lapsus, ideóque contra Spiritus & animi propositum. Est enim discrimen magnum, inter proiicere se in lutum, vt faciunt sues, & labi in lutum, vt munditiei quoque studiosissimis iisdémque robustissimis hominibus contigit. Illo modo peccant reprobi, hoc vero pij electi.

Quòd tollam discrimen peccatorum, dum à renatis ne- go admitti peccatum mortale, calumnia est etiam, ex i- gnoratione, quid proprie in Scripturis sit & appelletur peccatum mortale, profecta. Duplex huius vocis in Scri- pturis significatio est. I. Omne peccatum quodcunque illud sit, mortale dici potest, quia licet sit vnum grauius a- lio, omnia tamen suapte natura sunt digna morte. Cæte- rùm quia peccata electis condonantur, nec imputantur ad mortem, ideo respectu personarũ, quæ sunt in Christo, peccata ab ipsis admissa, mortalia dici non possunt. Qua- re in renatis & vera fide præditis, omnia sunt venialia, in reprobis, omnia mortalia. II. Peccatum ad mortem, speciatim appellatur ipsum peccatũ in Spiritum sanctum. Hoc autem peccatum in electos cadere non potest, quia non remittitur: & proinde, qui hoc admittunt, seruari am- plius nequeunt, quia nec resipiscere possunt. Etsi igitur nego, & hoc peccatum ab electis admitti posse, & pecca- ta, in quæ pij electi labuntur, esse in ipsis mortalia, non ta- men inde sequitur. Me igitur tollere discrimen peccatorũ. Non sum Stoicus, sed Christianus. Et facio primùm dis- crimen inter peccatum originale, & actualia deinde inter ipsa peccata actualia, quatenus vnum est grauius alio, tum in se, quia grauius est peccatum occidere ho- minem, quàm tantùm odisse, tum propter diuersas circũ- stantias, quia grauius peccatum est, peccare ex malitia & animo obstinato, quam ex infirmitate aut ignorantia. Ter- tiò facio discrimen inter peccatum in Spiritum sanctum & reliqua peccata, quia hoc secum adfert impœnitentiã, & ideo est irremissibile, alia non ita. Quartò differentiam constituo inter peccata piorum & impiorum. Sunt enim multæ inter hæc differentiæ. Postremo discrimino pecca- tum piorum, quod in ipsis est, etsi non regnet, ab his quos Motus inordinatos appellant: & ab his, quæ ex ali- quo consensu admittunt. Neque verò ex eo, quod dixi pec- cata in piis electis semper esse venialia, aliquis pius rectè inferri poterit, Ergo possumus scortari, inebriari, furari, quia omnia peccata in piis electis sunt venialia. nam si quis hoc inferat, declarat se non esse ex istorum piorũ & electorum numero. Pij enim talem consecutionem non faciunt, neque talia peccata cum ista sequela & hoc animo admittunt. Etenim pugnant hæc ex dia- metro cum illo Spiritu Christi, quo donati sunt & quo aguntur filij Dei, non secus atque pugnat cum Spiritu ve- ri legitimi filij, honestissimi patris virtutem edocti, si ex eo quod audiuit se à patre ita amari, vt nullam ob caus- sam velit se exhæredare, inde inferat, Ergo proiiciam me in omnia scelera, etiamsi patri displiceant, quia nihil po- test mihi ad damnationem nocere. Non possunt veri & virtute præditi filij hoc facere, Etsi qui faciant, non sunt veri filij.

8. Quòd negem, Sanctos quum peccant, in diuinam mortis æternæ sententiam incurrere, calumnia est. Etsi e- nim doceo Sanctos, cùm peccant, quia non peccant ex a- nimo seu plena voluntate, non amittere penitus fidem, Spiritum sanctum, & excidere prorsus à fide & Christo, non ideò tamen sequitur iuxta hanc doctrinam, Sanctos non grauiter Deum offendere, non Dei iram contra se prouocare, non fieri, quantum in ipsis est, reos æternæ mortis, ac proinde non opus habere resipiscentia, & nouo suæ fidei, quæ intus quasi suffocata latebat, actu, ad huius peccati remissionem consequendam. Nam etiam qui in aliquẽ incidũt morbum, eúmque lethalem: etsi medi- cus dicat illos nondum esse mortuos, nec morituros: non inde tamen sequitur, illos igitur non opus habere medicina ad pristinam valetudinem consequendam: quã medicinam si negligant, pereant tandem necesse est. Sed Dominus facit, ne sancti hanc medicinam negligant. Statim enim post peccatum illis adest, & excitato in illis cum sopitæ fidei igne, facit vt reualescant. Atque hæc est caussa cur electi perire nequeant: non quia non in- cidant in lethales morbos, sed quia Dominus vt optimus medicus & amantissimus pater, semper illis adest, & ne pereant succurrit propter Christum: iuxta illud etiam Da- uidis, iustus cùm ceciderit, non collidetur: quia Dominus suam supponit manum.

De Sacramentis.

QVod, cùm dico in Thesi: Sacramenta, verbi gratia, Baptismum, esse externum, visibile, & solubile vinculum, nihil aliud intelligam, quàm illud non requiri ad regenerationem necessario, sed solam occultam electionē, & afflatum arcanum Spiritus sancti sufficere: Respondeo: Me illis verbis hoc intellexisse, calumnia est. Verba mea sunt perspicua. Baptismum vero aquæ non ita necessariò requiri ad salutem, vt electionem & Spiritum Christi, doceo: sine illo enim multi seruati sunt: sine illis, seruari nemo potest. At non sequitur me sentire: Baptismum nullo modo esse necessarium.

2. Quòd doceam electos non esse carne renatos, atque ita violem Baptismi & Spiritus sancti virtutem: calumnia est, profecta ex crassa ignorantia horum nominum. Carnis & Spiritus. Carnem vocant Scripturæ totum hominem, tā animam quàm corpus: quatenus vtrumque ab Adamo corruptum natum est. Eundem totum hominem vocant Spiritum: quatenus vtrumque ex Spiritu Christi renatum est, & perpetuo magis ac magis vtriusque renascentia perficitur. Cùm igitur docui, electos non esse renatos carne iuxta Scripturas: declaraui, eos nondum esse plenè renatos, nempe quo ad carnem, id est, quoad illam partem, quam tractiam ex ipso Adamo adhuc retinent. Electos enim iustificatos, in hac vita perpetuo constare Spiritu & carne, quæ ambo perpetuo pugnant inter se, vnde etiam fit, vt nunquam peccent tota voluntate: quia semper contra carnem & peccatum pugnant renati. Sed aliquando in pugna superior est caro, aliquando Spiritus, nunquam autem penitus expugnantur in hac vita, sicut à caro à Spiritu, sic nec Spiritus a carne. Hinc etiam apparet, calūniam esse cum dicunt, me etiā Baptismi & Spiritus sancti virtutem violare. Quod enim electi in hoc mundo non perfecte regenerentur: id non fit vitio Baptismi, aut imbecillitate Spiritus, sed dispensatione diuina.

3. Quòd, quia verbum & Sacramenta solubilia vincula appellaui: stabiliam impium Schvvenckfeldij delirium: Quid Schvvenckfeldius sentiat, nescio: Sed quæ ego docui, neque deliria esse, neque impietates, quanquam quiuis facilè videre potest: apparet etiam ex ipsis Academiarum iudiciis.

4. Quòd illis Thesibus de vinculis, dirimam verbum, Sacramenta, Spiritum sanctum: atque ita corrigam Christum tanquam errantem, & agitur Spiritu Schvvenckfeldico & Postellico, calumnia est Sophistica & contumeliosa. Aliud est dirimere illa inter se: aliud dirimere in ipsis hominibus. Quoad primum, verbum & Sacramenta in ipso ministerio, nunquam sunt sine Spiritu sancto: quia illis semper adest Spiritus sanctus: vt est apud Iesaiam: Spiritus vero sanctus non est ita alligatus vel verbo, vel Sacramētis: quin nonnunquam etiam sine illis operetur in cordibus Electorum, vt in infantibus, qui neque verbū audire, neque Sacramenta percipere possunt. Quod ad alterum: Etiamsi Spiritus sanctus semper adsit verbo & Sacramentis in ipso ministerio: non semper tamen in ipsis hominibus sunt hæc tria inseparabiliter coniuncta. In reprobis semper sunt diuisa, Spiritus regenerationis à verbo & Sacramentis. Audiunt enim verba, & recipiunt Sacramenta, sed sine Spiritu regenerationis. In Electis etiam aliquando sunt disiuncta, antequam incipiant regenerari: sicut contigit Apostolo, qui & circumcisus fuerat & verbum audierat: tamen nunquā acceperat Spiritum regenerationis, nisi posteaquàm fuit ad Christum conuersus: ideo quicquid antea egerat boni, omnémque suam iustitiam, stercoribus comparat, Philipp. 3. Vbi verò semel renati sunt: verbum & Sacramenta non dirimuntur à Spiritu sancto in renatis. Hinc responsio patet ad aliam similem calūniam: quòd scilicet Euangelium & Sacramenta Spiritu sancto spoliem, dum ea offeruntur impiis: rursum, dum offeruntur Electis, tum demum & Spiritum sanctum illis tribuam.

De vi Spiritus sancti in Electis.

1. Quòd doceam: neminē posse resistere Spiritui sancto: calūnia est. Quasi verò non legerim illud Stephani: in Actis, Vos semper Spiritui sancto restitistis. Possunt omnes resistere suapte natura: sed ita efficax est in Electis Spiritus, vt non sinat illos prorsus & perpetuò reluctari.

2. Quòd, quia dico, homines resistere quidem posse Spiritui sancto, per externum tantùm verbum loquenti, sed non posse resistere eidem intus persuadenti, atque trahenti: necessariò constituam duplicem Spiritū sanctū: vnum qui per verbū externū in Prophetis atque ministris loquatur, sed non efficaciter, alterū, qui per seipsum intus loquatur sine verbo ministrorū efficaciter, Quasi verò nō possit esse vnus idémque Spiritus, qui diuersa operetur, qui vni loquatur tantum per verbum externum, alteri per internum etiam afflatum, qui vni suadeat, tantùm alteri persuadeat. Certè Paulus multa dona ait distribui ab vno eodémque Spiritu. Ergo dicendum etiam erit, duos esse Deos, vnum, qui misereatur, alterum qui induret, quia Paulus ait, Deum quosdam indurare, quorundam misereri Sic redibitur ad Manichæos, qui à duobus effectorum generibus in mundo, à bono & malo, duos concludebant esse Deos, vnum boni, alterum mali autorem. Dominus autem contrà ait, Ego Deus, creans bonū, & faciens malum. Ita idem est Spiritus, qui aliis per verbum tantùm externū inefficaciter loquitur, aliis per internū etiam afflatum efficaciter persuadet, sicut idem Dominus, qui quosdam inuitauit ad cœnā, sed inefficaciter, quia non compulit eos venire, alios efficaciter inuitauit. Est igitur ineptissima Sophistica, à diuersitate actuum & operationum Spiritus sancti concludere, diuersos esse Spiritus sanctos. Hinc patet etiam responsio ad aliam similem huic calumniam, qua dicunt me facere duo Euangelia, vnum vacuum à Spiritu Christi, alterum plenum Spiritus Christi.

3. Quòd doceā, cur ex hominibus alij resistant Spiritui sancto, alij nō resistant, caussam esse non in ipsis hominibus, sed in Spiritu sancto: calūmnia est etiam Sophistica, & contumeliosa. Doceo, quod quidam resistant Spiritui sancto, caussam in ipsis esse, non in Spiritu sancto, & eā esse naturalem rebellionem, in qua concepti & nati sumus, quámque à primo rebelle Adamo patre nostro, duximus. Quòd verò quidā non resistant, hoc illis esse à Spiritu sancto, qui non solum extrinsecus vocat, nec illorum modò mentes illuminat, verùm etiam corda flectit ad sibi assentiendum. Est enim sicut omne malum, sic & inobedientia, à nobis: & sicut omne bonum, sic & obedientia a Spiritu sancto. Quare calumnia est Sophistica, quæ vtrumque simul coniungit, & ait, vtrumque me vni Spiritui sancto attribuere: cùm vnum sit Spiritus sancti, alterum Spiritus humani.

Quòd doceam Spiritū sanctū, cùm trahit suos, quasi vim illis facere, calumnia est. Vis non fit voluntati, sed suauiter, verùm efficaciter, illam trahit Spiritus sanctus, faciens de nolente volentem.

De actione Dei in impiis.

QVod doceā: Reprobos per potentiam Dei cōpelli in peccata: Respondeo, Si intelligant Compelli, id est, cogi, calumnia est, sed si Compelli accipiant pro induci, vt Christus, & tradi, vt Apostolus loquitur, verum est. Et Augustinus vsus est hoc verbo per Dei potentiam impelli, & ideo in oratione Dominica dicimus, Ne inferas nos in tentationem, quod idem est quod impelli.

De Ministerio Ecclesiastico.

QVòd, quia doceo, duplicem esse rationem docendi Euangelium, vnam externa per ministeriū hominum quæ, si sola sit, inefficax est, alteram internam per ministerium Spiritus sancti, inde concludam, duo esse Euangelia, idque more Schvvenckfeldico, apparet calumniam esse Sophisticam. Illam duplicē docendi rationem, vnam per ministerium hominum tantùm, alteram per ministerium etiam Spiritus sancti, si ipsi negant: negant apertum verbum Dei.

De promissionibus.

QVòd, quia dico, Promissiones vniuersales de æterna salute, reipsa ad Electos tantùm pertinere, inde ego doceam, Deum aliud loqui, & aliud sentire, atque ita Deū mentiri, Respondeo, Promissiones de æterna vita esse in se vniuersales, & vniuersaliter omnibus esse Dei nomine proponendas, apertè docet Dominus Iesus, quum ait, Ite in vniuersum mundum, Prædicate Euangelium omni creaturæ. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit. Easdem tamen re ipsa non pertinere nisi ad electos, quòd scilicet in iis solis suum habeant complementum, ex professo docet Apostolus ad Roman. cùm demonstrat, etsi omnes Iudæi sint ex Abraham secundum carnem, & ad omnes factæ sint promissiones, non omnes tamen esse verè filios, nempe secundum Spiritum & per fidem Abrahæ, quia non omnes filij promissionis, ideóque nō ad omnes reipsa pertinere promissiones, sed tātùm ad electos, qui eas fide recipiūt, quos proinde etiā filios.

is vocat Apostolus. Quòd verò inde infe-
dus promissio tur aliud loqui, & aliud sentire, cum pro-
tat, Deum igi robis id, quod tamen ipsis non est largi-
citur vitam re Sophistica. Promittit Deus etiam reprobis
vera latio est sed cum conditione, si credant: atque ita
vitam æternam promittit, vt omnino, si velint & possint crede-
re, non hoc promittit quod promittit. Non igitur aliud dicit, & a-
liud sentit quod verò non illis det fidem, aut etiam eam
simpliciter illis promiserit, sicut Electis, vt apud Ier. 31. &
alibi: qua fide complementum promissionum de æterna
vita consequantur: alia est ratio, quæ nobis inuestiganda
non est, sed adoranda. Hoc enim ideò fit, quia Deus illos
ad fidem & æternam vitam elegit: alios non elegit. Ele-
git autem illos, non illos: quia sic ei placuit.

De voluntate Dei.

QVod doceam, voluntatem Dei non esse ex verbo cognoscendam: sed semper ad occultam illam recurrendum: meram hanc esse calumniam, nemo non videt: qui sciat, & quid profitear, nempe sacras literas, in quibus voluntas Dei reuelatur: & quod semper à propriis cogitationibus & scriptis hominum, ad sacras literas homines reuocem.

De fine creationis rerum omnium.

1. Quòd doceam, finem creationis esse æternam cùm mortem tum vitam, Respondeo. Semper docui, vltimum & verum finem, non tantùm creationis hominum, sed rerum omnium, esse gloriam Dei. Quia verò Deus glorificatur & ex sua in quosdam misericordia, & ex sua in alios iustitia, iccircò secundarios fines esse tum vitam Electorum, tum mortem reprobatorum. De fine creationis Electorum nulla est controuersia, de fine autem creationis reprobatorum, ait Scriptura. Prouerb. 16. Omnia propter semetipsum creauit Dominus, (ecce vltimum & verũ rerum omnium finem, gloriam Dei) etiam impiũ ad diem malum, id est, ad pœnam & mortem, ecce alterum finem. Idem docet Deus, & per Apostolum explicat, dicens de Pharaone, In hoc ipsum excitaui te, vt ostendam in te potentiam meam, quasi dicat, In hunc finem condidi te, regem feci, indurauit, vt te perdam, & te perdendo potentiam meam toti orbi patefaciam.

De maledictionibus diuinis, & excæcatione.

QVòd doceam. Chananæos à Deo maledictos fuisse, non propter sua facinora nefaria, sed tantùm hoc fuisse factum ex occulto Dei iudicio, ô impudentem calumniam. Nemo enim maledicitur, nisi propter sua scelera. Cæterùm cùm ipsi etiam Iudæi, non minus grauia sæpenumero, quàm gẽtes admiserint facinora: quî factum sit, vt his non ita maledixerit, vt à se penitus reiiceret, illis verò maximè? hoc doceo proficisci ex occulto Dei iudicio, qui quorundam statuit misereri, aliis verò maledicere, & eos indurare, quemadmodum etiam cùm omnes & ex æquo peccauerimus in Adamo, quî factum sit, vt alios inde eruat & seruet, alios autem ibi deserat & damnet? docui & doceo, alios quidem inde erui & seruari per gratiam, alios verò ibi deseri per occultum Dei iudiciũ, puniri autem propter sua scelera per iustitiam. Sophistica igitur est calumnia in illa negatiua, Non propter sua scelera, & in illa exclusiua, Sed tantùm ex occulto Dei iudicio.

2. Quòd doceam, homines non ex suo ipsorum vitio, sed Dei potius arcana voluntate excæcari, & non reconciliari per Euãgelium, etiam est calumnia Sophistica, inde profecta, quòd confundunt caussas, & diuidunt quæ sunt coniungenda. Deus ex sua voluntate sola, si non adsit caussa excæcationis in homine, id est, peccatum, neminem excæcat. Sua igitur voluntate excæcat, quia vult excæcare, sed propter peccatum excæcat, quia excæcationẽ infligit, vt pœnam peccati. Cæterùm cùm omnes peccemus, quæ sit caussa quæro, cur alios excæcet, alios nõ excæcet, sed potius illuminet, hanc dico esse solam Dei voluntatem, quia quos vult, indurat, & quorum vult, miseretur.

De passione Christi.

QVòd, quia distinctionem illam Scholarũ, Christum mortuum quidem esse pro omnibus sufficienter, sed tantũ pro Electis efficaciter, dixi nõ esse contẽnendam, ideò accusem pretium sanguinis Christi inefficacix, ac proinde ꝙ sim blasphemus in mortem filij Dei, calumnia est Sophistica. Inefficaciam nõ tribuo sanguini Christi, sed huius inefficaciæ caussam dico esse in reprobis, ipsam nimirùm infidelitatem. Nam vt verè Christus dicatur pro nobis mortuus efficaciter: non requiritur tãtum, vt mors Christi in sese sit efficax ad salutem: sed etiam vt sit efficax in nobis. Non potest autem in nobis habere suam efficaciam, nisi fide à nobis accipiatur & nobis applicetur. Vinum quoque in se efficax ad sitim tollendam: at nisi bibatur, in nobis efficax minimè fuerit. Idem de medicamento & cibis omnibus dici potest. Culpa igitur, cur efficax sit mors Christi in reprobis, in ipsis reprobis residet, nempe infidelitas & fidei destitutio. Cæterùm quia fides à Deo est, & hanc dat, dareque decreuit solis Electis, & spectato Dei proposito Christus tantùm pro illis efficaciter mortuus est, qui credituri erant in se: sicut & in oratione ipse dixit, Non rogo pro mundo: sed pro iis qui credituri sunt in me: iccircò spectato etiam Dei proposito, verè dicimus, Christum non esse mortuum efficaciter, nisi pro electis: hoc est, Dei propositum fuisse, vt in solis Electis mors Christi suam haberet efficacitatem. Calumnia igitur est, me accusare sanguinem Christi inefficaciæ, inque mortem filij Dei esse contumeliosum: cùm totam inefficaciæ caussam ponam, non in sanguine Christi, sed in ipsis reprobis, ipsorum nimirum infidelitatem.

De peccato.

QVòd doceam, peccatum esse iustum hoc argumẽto: Quicquid Deus vult, iustum est. Est enim voluntas Dei omnis iustitiæ regula. Vult autem peccatum. Peccatum igitur est iustum. ô Sophistas. Quis vnquam docuit, Deum velle peccatum simpliciter & quatenus est peccatum? est autem aliquid iustum, quatenus illud vult Deus. Peccatum igitur non est iustum, neque simpliciter, neque quatenus peccatum est. Cùm dicimus, Deum velle peccatum, illud bifariam semper declarauimus. Primò sic: Deum velle permittere peccatum, quatenus pro sua bonitate facit, vt illud cedat in gloriam suam, dum illud admissum, in aliquibus misericorditer tollit: in aliis verò iustissimè punit. Secundò sic, Deum velle peccatum, quatenus pœna est alterius peccati. Sic igitur rectè concludi. Peccati remissionem iustam & bonam esse: & peccatum quatenus est pœna alterius peccati, iustũ etiam & bonum esse: quatenus verò nos illud facimus, iniustũ est, quia contra voluntatem Dei reuelatam facimus & volumus.

De Cœna Domini.

QVòd ego sim Zvvinglianus, neque id inficior. Ego verò dico atque profiteor: sicut etiam in prima mea prælatione, quam publicè in Schola habui, protestatus sum: me neque esse Zvvinglianum, neque Lutheranum, neque Caluinianum, neque Bucerianũ, sed Christianum. Lutherum quidem atque Zvvinglium, Bucerum & Caluinum, Bullingerum & Martyrem: aliósque nostri seculi doctissimos viros, tanquam egregia Spiritus sancti organa veneror atque suspicio, illorúmque scripta magnifacio: sed vnum solum Iesum Christum pro meo vero ita præceptore, sicut & seruatore agnosco, iccircò sicut in aliis fidei articulis, ita in articulo de cœna Domini, solum Christi verbum atque doctrinam sequor. Quæcunque verò ab hominibus, quicũque illi sint, vel verbo Dei addita vel detracta sunt, vel extra verbũ Dei mihi tanquã necessaria ad salutem obtruduntur, denique omnes verborũ Christi interpretationes, quæ apertè pugnant cum aliis manifestis Scripturarũ locis, aut quæ noua, sine necessitate miracula inducunt: aut quæ humanitatẽ Christi ab eius diuinitate separãt, aut contrà humanitatẽ cũ diuinitate cõfunduut, & naturã veri corporis physici organici tollunt: aut quæ vllam secum adferunt idololatriam: omnia hæc tanquam non Christiana reiicio atque damno: & contrà, primùm sola Christi verba per Euangelistas recitata tam de pane, quam de calice, toto corde amplector: deinde horum verborum interpretationem nullam aliam recipio, præter illam, quam idẽ Christus per Apostolum Paulum 1. Cor. 10. attulit: nimirum panẽ quem frãgimus in cœna, esse κοινωνίαν corporis ipsius. Quod enim Christus dixit, Hoc (id est, hic panis) est corpus meũ: Apostolus explicauit dicendo. Panis est κοινωνία corporis Domini: vt apertè docuerit verba Christi, nõ esse iuxta τὸ ῥητὸν accipienda, ita vt panis propriè & realiter sit ipsum corpus Christi: cũ lõgè aliud sit κοινωνία alicuius rei, & ipsa res, cuius est κοινωνία. Quanquã neq. propriè panis est ips[e]

κοινωνία corporis:sed id tantùm, per quod, eo sensu, quo & per verbum habetur à nobis κοινωνία, vel potius habita coalescit. Proinde verba hæc Apostoli, bifariam explicari solent, nimirum: Panis quem frangimus, aut est id quo nobis communicatur corpus Christi: aut id, quo nos adducimur in κοινωνίαν corporis Christi: vel potiùs adducti, magis ac magis cum ipso in vnum coalescimus, & verò etiam inter nos: quando & Ecclesia, corpus Christi est. Quanquam autem id, per quod in κοινωνίαν corporis Christi verè adducimur, propriè est ipse Spiritus Christi: quia tamen hic Spiritus, quum ritè percipimus Sacramenta, nobis communicatur, & communicatus augetur, hoc est, vires suas magis ac magis exserit: idcircò per Sacramenta quoque dicimur in communionem Christi adduci: quemadmodum & per verbum mundari nos Christus dixit. Ideo igitur nos Sacramenta hæc ritè sumentes, dicimur accipere κοινωνίαν corporis Christi, & cum illo in vnum coalescere: quia reuera fideles, participatione Sacramentorum, sicut & participatione Euangelij, fiunt participes veri corporis & sanguinis Domini. Christus enim primò ait: Qui edit carnem meam, (hoc verò est, nobis carnem Christi communicari) deinde subdit, in me manet, & ego in illo: Hoc autem est nos vniri corpori Christi, & magis ac magis in vnum cum ipso coalescere. Proinde vtramque interpretationem coniungo & cõiungendam esse censeo. Certum enim est ex toto Apostoli contextu, & argumento quod tractat: Apostolum his verbis significare voluisse, fideles qui participant de mensa Domini, eos etiam participes fieri veri corporis & sanguinis Domini, & vnum cũ ipso fieri. Hoc enim assumebat pro confesso apud fideles: vt inde inferret, quicunque igitur etiam participant de mensa dæmoniorum, eos fieri ipsorum dæmoniorum participes, & societatem cum ipsis cõtrahere. Atque in hanc sententiã omnes consentiũt interpretes tã Græci, quàm Latini: & tam veteres, quàm recẽtiores. Itaque Oecumenius explicans rationem, cur calix benedictionis dicatur κοινωνία sanguinis Christi, ait: Σωματοῖ γὰρ ἡμᾶς τῷ Χριστῷ τὸ αἷμα αὐτοῦ, ὡς μέλη τῇ κεφαλῇ διὰ τῆς μεταλήψεως. Participatione igitur calicis participamus sanguinẽ Domini: huius autem participatione vnimur Christo, vt mẽbra capiti. Vnde apparet, qui nõ sunt membra Christi, eos non participare sanguinem Christi. Confirmat autem Apostolus hanc κοινωνίαν cũ Christo per participationem corporis & sanguinis eius, inde, quod omnes nos, qui de eodem pane edimus, vnum sumus inter nos corpus: ac proinde omnes vni capiti Christo coniuncti: ὅτι, inquit, εἷς ἄρτος, ἓν σῶμα οἱ πολλοί ἐσμεν. Quasi dicat: Sicut enim panis quem in multa frusta frangimus, & per quem corpus Christi nobis communicatur, vnus est, licet ex multis granis sit confectus: sic nos multi qui de illo participamus vnum corpus sumus: nempe sub Christo capite. Ideo rectè & eleganter Photius: Ἀπόδειξις, inquit, οὐδὲ τῆς εἰρημένης, ἣ ἐπαγόμενον. πόθεν γὰρ δῆλον ὅτι τὸν ἄρτον ὃν κλῶμεν, κοινωνία τοῦ σώματος τοῦ Χριστοῦ ἐστι; τοῦτ' ἔστιν ὅτι εἰς κοινωνίαν ἡμᾶς τοῦ σώματος συνάγει τοῦ Χριστοῦ; πόθεν δῆλον, ὅτι ἓν σῶμά ἐσμεν, ἐφ' ᾧ καὶ καλούμεθα οἱ πάντες Χριστῷ συναπτόμενοι, ὡς τοῦ κοινοῦ σώματος κεφαλῇ. εἰ οὖν μὴ τῷ σώματι αὐτοῦ, καὶ τῷ αἵματι εἰς κοινωνίαν συνηρμόσθημεν, πῶς αὐτῷ ἓν σῶμα ἡμεῖς καὶ ἐκαλούμεθα; Et Chrysostomus explicans vocem κοινωνίας, inquit, διὰ τί μὴ εἶπε μετοχή; ὅτι πλέον τι δηλῶσαι ἐβουλήθη, καὶ πολλὴν ἐνδείξασθαι τὴν συνάφειαν. οὐ γὰρ τῷ μετέχειν μόνον καὶ μεταλαμβάνειν, ἀλλὰ καὶ τῷ ἑνοῦσθαι κοινωνοῦμεν. καθάπερ γὰρ τὸ σῶμα ἐκεῖνο ἥνωται τῷ Χριστῷ, οὕτω καὶ ἡμεῖς αὐτῷ διὰ τοῦ ἄρτου τούτου ἑνούμεθα. Et paulò pòst explicans verba, ὅτι εἷς ἄρτος, ἓν σῶμά ἐσμεν οἱ πολλοί: inquit, τί γὰρ λέγω κοινωνίαν, φησίν, αὐτό ἐσμεν ἐκεῖνο τὸ σῶμα. τί γάρ ἐστιν ὁ ἄρτος; σῶμα Χριστοῦ. τί δὲ γίνονται οἱ μεταλαμβάνοντες; σῶμα Χριστοῦ, οὐχὶ σώματα πολλά, ἀλλὰ σῶμα ἕν. Quæ cum ita se habeant: ego ex his Apostoli verbis, mihi hæc de Cœna colligo capita perspicua atque certissima.

I. Commentum esse, dicere, vel panẽ mutata substantia verti in ipsum corpus Christi: vel corpus Christi in pane realiter esse aut delitescere. Illius ratio hæc est, quia Apostolus panẽ perpetuò vocat panẽ: & ait hunc esse κοινωνίαν corporis Christi, id est, quo corpus Domini nobis cõmunicatur, & per consequens, quo nos magis ac magis Christo & Ecclesiæ incorporamur. Differt autẽ multũ, id quo, ab eo, quod nobis cõmunicatur, ac cui in vnũ corpus coalescimus. Alterius ratio est quia neque Christus dixit, in pane est corpus meum: neque Apostolus, in pane quẽ frangimus est, κοινωνία corporis Domini: Sed & ille, Hoc, i. panis est corpus meum; Et iste, panis est κοινωνία corporis.

II. Commentum etiam esse, panem esse nudum Symbolum: & ideo in Cœna nihil accipi nisi panẽ. Apostolus enim ait, Panis est κοινωνία τοῦ σώματος. Ergo cùm frangitur & datur panis in terra, ipsum etiam corpus Christi vnà communicatur in cœlo, & nos vicissim, digna huius perceptione, illi magis ac magis incorporamur, Vnde & ratio constat, cur Sacramentis nomina rerum, quarum sunt Sacramenta tribuantur.

III. Commentum etiam esse, extra vsum Cœnæ vel panem dici posse corpus Christi, vel hoc pane distribui. Paulus enim non ait simpliciter, Panis est Κοινωνία, sed panis quem frangimus, (scilicet in ipsa Cœna Domini) est κοινωνία τοῦ σώματος. Ergo tunc tantum est κοινωνία τοῦ σώματος, cum frangitur in Cœna. Quare extra Cœnam Domini non est κοινωνία τοῦ σώματος, multò minus τὸ σῶμα.

IV. Corpus Christi manducari fide tantùm. Huius autem duplex ratio ex verbis Apostoli colligitur. Primo ait: Panem esse κοινωνίαν τοῦ σώματος; hoc est, ipsius Christi. Sed hanc κοινωνίαν perpetuò lego in Scripturis fieri tantùm fide vt Ioh. 9. docetur, item 1. Iohan. 5. & 1. Iohan. 1. neque vllibi in Scripturis docetur alius modus edendi corpus Christi, id est, Christum ipsum, quàm per fidem. Ait item Apostolus Eph. 3. Christum habitare per fidem in cordibus nostris. Quid est autem edere carnem Christi aliud, quàm eum ita recipere, vt in nobis inhabitet atque maneat, nos alat, atque viuificet? Alium igitur modum non recipio, donec ille è Scripturis apertè demonstretur. Deinde ait esse κοινωνίαν τοῦ σώματος. Corpus autem Christi cibus est spiritualis, & animæ, non corporis aut ventris. Spiritu igitur tantùm recipitur: & hoc modo sum contentus, quia est certus & salutaris & sufficiens ad salutem. Vt taceam, quod sicut agnus paschalis non edebatur nisi mactatus: sic nec corpus Christi, nisi quatenus pro nobis in mortem traditum est, edi, nec sanguis, nisi quatenus effusus est è venis, bibi potest. Nam neque alia ratione Christus, vel illud edendum vel hunc bibendum dat, vt apertè verba eius declarãt, Quod pro vobis traditur, qui pro vobis effunditur. Corpus autem Christi in cœlo iam viuit, & sanguis eius in venis est. Edi igitur non potest & bibi: nisi animo per fidem, mortem eius commemorante & acceptante, vique Spiritus sancti sibi applicante, veluti λύτρον redemptionis nostræ.

V. A solis fidelibus ipsum corpus Christi, seu Christum ipsum verè percipi ac manducari. Primùm ait Apostolus, Panis quem frangimus (scilicet nos fideles in Cœna) est κοινωνία τοῦ σώματος, nempe nobis qui frangimus, hoc est, fidelibus. Cùm autem dicit Nos, intelligit iuxta consuetudinem Scripturarum veros fideles, & veros discipulos Christi, quod hypocritæ ad Christum non pertineant: ad solos igitur veros fideles pertinet κοινωνία τοῦ σώματος τοῦ κυρίου. Deinde inquit, vnum corpus & vnum panem esse nos omnes, qui de vno pane & de vno calice participamus. Cùm ait, de vno pane, intelligit de pane, quatenus panis ille est κοινωνία τοῦ σώματος, hypocritæ autem non sunt vnum corpus cum Ecclesia Sanctorum, neque sunt eius membra quia licèt sint in Ecclesia, nõ sunt tamen de Ecclesia. Non ergo ipsi participant de eodem pane, qui scilicet est κοινωνία τοῦ σώματος, hoc est, non fiunt participes eiusdem corporis Christi pane fidelibus communicati, vt tale sit argumentum, Illi tantùm participant de eodem pane & calice, hoc est, de corpore & sanguine Christi, pane & vino in Cœna communicati, qui sunt vnum corpus & vnus panis cum Christo & Ecclesia, quæ est corpus ipsius. Sunt enim hæc ἀντιστρέφοντα, Vnum corpus & vnus panis multi sumus, omnes qui de vno pane (quatenus est κοινωνία corporis) & de vno calice (quatenus est κοινωνία sanguinis) participamus, &, Nos tantùm participamus de eodem pane (vt est κοινωνία corporis) & de eodem calice (vt est κοινωνία sanguinis) hoc est, de eodem corpore & de eodem sanguine Iesu Christi per panem & calicem communicatis, omnes qui vnum corpus sumus, & vnus panis, cum Christo scilicet & eius Ecclesia. Atqui impij qui sine vera sunt fide, non sunt vnum corpus & vnus panis cum Christo & Ecclesia. non enim pertinent ad Christum, neque membra sunt Ecclesiæ. Non igitur impij participant cum piis de eodem corpore & sanguine Christi quæ pane & vino in Cœna cõmunicantur. Ac quis neget, solos viuentes cibis quoque vesci posse? Non enim mortui vescuntur. Soli autem credentes, spiritualiter ex fide viuunt, impij verò planè mortui sunt. Soli igitur credentes spirituali alimonia, quæ est corpus & sanguis Christi, vesci possunt. De iis autem loqui Apostolum, cùm ait, Nos qui de vno pane & calice participamus, mihi dubium non est. Adde quod verba Christi manifestè docent, Et illis duntaxat reapse

edendum

exhiberi: tantùm etiam ab illis bus traditum est corpus, & sanguis peccatorum. Pro solis autem electis non pro mundo, hoc est, pro reprobis. Quemadmodum neque se pro illis orabat: sed pro credituris in se, apertis rotundisque verbis ad patrem. Offertur quidem omnibus sufficienter (vt loquuntur Scholastici) sed reipsa ab illis tantùm qui credunt: eo nimirum modo, quo est, quàm ex verbo percipitur.

VI. Præcipuum finem atque vsum huius Sacramenti hunc habemus, cum Christo per fidem, & in frequentatione huius Cœnæ magis ac magis coalescere. Ait enim Apostolus: Vnus panis & vnum corpus multi sumus: omnes, qui de vno pane & de vno calice participamus. In hunc igitur finem instituta est hæc participatio, vt fiamus vnum corpus, & vnus panis cũ Christo nimirum & inter nos. Quare toto cœlo illos dico errare, qui dum digladiantur sine caussa de hoc Sacramento, tantum vt nescio quas dicendi formulas ab hominibus excogitatas & à Scriptura etiam alienas mordicus detineant: hoc vnum corpus, & hunc vnum panem dilaniant in frusta.

Hæc sunt capita præcipua, quæ ex verbis Christi explicatis ab Apostolo mihi colligo: & in iis acquiesco. Nõ sum igitur vel Zuinglianus, vel Lutheranus, quia nec Zuinglium nec Lutherum sequor, sed Christianus, quia Christum. Atque vtinam tandem aliquando facessant ab Ecclesia hæc cognomina, & solum Christi nomen obtineat: Tunc sperauero pacem Ecclesiæ.

Fuerunt & aliæ de me sparsæ calumniæ, vel potius (vt modestius loquar) falsæ sequelæ, ex mea doctrina malè intellecta a quibusdam ἀνθολογηθεῖσαι illatæ. Sed hæ sunt præcipuæ, ad quas respondere non solum operæpretium, sed plane necessarium mihi fuisse iudicaui.

THESES ALIQVOT PRÆlectionum Zanchij, quæ ab aduersariis fuerant suggillatæ. Fueram enim iussus illarum summam exhibere Dominis.

Tractatio de libro vitæ tota in has Theses est distincta.

Liber Deo non adscribitur, nisi μεταφορικῶς: & is nihil aliud est quam æternum certum firmumque decretum atque præscientia in Deo, illorum omnium, quæ aut ipse, aut nos facturi eramus.

2. Tres libri Deo in Scripturis μεταφορικῶς attribuuntur. Vnus est, in quo scripti fuerunt omnes homines eorumque nomina, etiam antequam nascerentur. Atque hic nihil aliud est, quam præscientia, qua Deus ab æterno præuidit omnes, quos creaturus erat homines, eorum nomina atque actiones: de quo in Psalm. 139. atque is ad prouidentiam pertinet, vnde & liber prouidentiæ appellari potest. Alter est, in quo scribi dicuntur omnes homines iam nati, & quæcunque agunt: vt secundum sua quisque facta etiam iudicetur de quo Apocalyp. 20. Et is pertinet ad iudicium vniuersale Dei: vnde & liber iudicij vniuersalis rectè dici potest. Et nihil aliud est, quæ cognitio atque memoria quam Deus habet, eorum quæ quisque gessit aut gerit: vt secundum ea, quæ quisque gessit, iudicetur. Tertius est liber in quo omnes qui verè ad æternam vitam pertinent, ab æterno conscripti, hoc est, præsciti & prædestinati fuerunt. Et hic nihil aliud est quàm æterna & certa Dei præscientia ac prædestinatio eorum omnium, quos ab æterno seruare in æternam vitam per Christum decreuit Deus. Vnde sicut in Scripturis liber vitæ appellatur: sic etiam liber prædestinationis appellari potest.

3. Etsi nomine libri vitæ ipsa quoque sancta Scriptura ac lex Dei nonnunquam intelligatur: vt Ecclesiast. 24 eo quod præcepta ad vitam pertinentia tradat: aliquando vero ipsa bona & temporaria opinio, quam Ecclesia de hypocritis habet, dum manent in fide Christi, quasi & ipsi ad æternam vitam pertineant: quin & spes seu opinio, qua ipsi hypocritæ sibi videntur ad æternam vitam pertinere, liber vitæ appellari solet: Propriè tamen liber vitæ est ipsa certa & æterna prædestinatio: in qua omnes, qui seruandi sunt per Christum conscripti sunt, nunquam expungendi. Et de hoc loquitur Iesaias in hoc quarto capite.

4. Qui verè semel fuerunt in hoc libro vitæ conscripti, ij nunquam inde deleri possunt: seu prædestinati ad vitam æternam, ab illa non possunt in æternam mortem reijci.

5. Quidam, nempe hypocritæ, dicuntur deleti de libro vitæ: cùm detecta sua hypocrisi, tum Ecclesiæ, tum sibi ipsis, quales sint, & quòd ad æternam vitam non sint reuera scripti, innotescunt.

Theses, quæ de libro vitæ ad disputandum in Schola propositæ fuerunt.

1. Liber vitæ, est ipsa diuina mens, in qua conscripti sunt omnes ad æternam vitam propter Christum possidẽdam, quos ab æterno in filios Deus sibi adoptauit.

2. Quicunque in hoc vitæ libro scripti sunt, efficaciter vocentur, iustificentur, sanctificentur, & tandem glorificentur necesse est.

3. Qui semel in hoc libro scripti fuere: inde ampliùs expungi non possunt.

4. Debet autem quicunque ad Euangelium vocatus in Christum credit, confidere se in hoc vitæ libro vnà cum reliquis Sanctis ab æterno conscriptum fuisse.

5. Ac proinde debet hac fiducia fretus, in sanctitate huiusce præsentis vitæ, ad gloriosam illam futuram vitam recto cursu per viam bonorum operum contendere.

6. Quotquot enim in libro vitæ conscripti sumus, non minus conscripti sumus ad sanctitatem sequendam, & bona opera facienda, quàm ad ipsam vitam consequendam.

Tractatio de gratia iis Thesibus constat.

1. Gradus nostræ salutis, quinque ex verbis Prophetæ Iesaiæ cap. 4. colliguntur. 1. Gratia Dei in Christo æterna, à qua sola motus fuit ad nos prædestinandos & saluandos. 2. Ipsa prædestinatio seu conscriptio ad vitam æternam. 3. Efficax vocatio ad Christum & ad sanctitatem. 4. Iustificatio, seu remissio peccatorum & ablutio à sordibus quam consequitur sanctificatio ac reformatio. 5. Ipsa perpetua Dei gubernatio: quam consequitur æterna pax, vita glorificatio.

2. Gratia ita propriè appellatur, quòd gratis detur. Atque hæc etymologia competit omnibus Dei gratiis, quod omnes gratis dentur.

3. Gratia diuiditur in gratiam, quæ non solùm gratis datur, sed etiam gratum Deo reddit: & in gratiam, quæ gratis quidem datur, sed non reddit Deo gratum: qua de caussa vocatur illa à Scholasticis Gratia gratum faciens: hæc vero, Gratia gratis data.

4. Gratia gratum faciens, est propriè æternus Dei fauor atque gratuita beneuolentia, qua nos in Christo dilexit, & qua tantum permotus fuit, vt nos ad æternam vitam eligeret, redimeret, vocaret, iustificaret, glorificaret.

5. Gratia hæc gratum faciens, seu gratuitus Dei erga nos amor atque fauor, in ipso Deo est: in nobis autem illius tantum cognitio, atque sensus.

6. Est quidem duplex amor Dei. Vnus generalis, quo omnia quæ condidit, diligit, etiam ipsos impios, quatenus scilicet omnibus bene vult, & benefacit: de quo Sap. 11. Alter specialis, quo ipsos tantum electos amat ad æternam vitam: de quo Rom. 9. *Iacob dilexi*, & passim in Scripturis. Gratia tamen Dei propriè pro ipso gratuito Dei erga electos amore capitur.

7. Gratia hæc, data nobis fuit ante tempora æterna: qua scilicet ab æterno dilexit nos, manifestata autem in tempore, tum cum promisit, tum maximè cum dedit reipsa nobis Christum. 2. Tim. 2.

8. Gratia hæc gratum faciens fons est & caussa aliarum gratiarum omnium atque beneficiorum Dei.

9. Gratia quoque fidei regenerationis, spei ac charitatis, gratiæ gratum facientes appellantur, sed impropriè & secundario: sunt enim effecta illius primæ atque æternæ gratiæ.

10. Gratia verò prophetandi, loquendi linguis, & aliæ de quibus 1. Corinth. 12. sunt quidem etiam ipsæ effecta illius primæ & æternæ gratiæ, & faciunt ad salutem Ecclesiæ in vniuersum: sed tamen non semper ad salutem eorum quibus dantur, pertinent. Qua de caussa, gratiæ tantùm gratis datæ, in Scholis appellari solitæ sunt.

11. Hæ gratiæ, quia non semper faciunt ad salutem illorũ quibus dantur: idcirco multis etiam dantur reprobis.

12. Etsi verò hæ non faciunt ad salutem reproborum quibus dantur, quia tamen faciunt ad salutem electorum & instaurationem Sanctorum: idcirco hæ quoque effecta illius primæ gratiæ esse dicuntur, quatenus proficiscuntur ab æterno & gratuito Dei, non quidem erga reprobos, sed erga electos, ad quorum salutem reprobis etiam communicantur, amore.

13. Gratia primo modo ac propriè accepta, hoc est,

æternus gratuitúsque Dei amor atque fauor: initium est, consummatio atque finis salutis nostræ: vnde tota salus & quæcunque ad salutem nostram faciunt, profecta sunt ac proficiscuntur.

14. Id vnde Deus (vt ita loquar) permotus fuit ad nos eligendos atque in æternam vitam prædestinandos: fuit ipsius tantùm gratia, seu bona erga nos ipsius voluntas atque *εὐδοκία* & amor. Finis vero vltimus ac præcipuus, fuit ipsius gloria, vt scilicet ipsius bonitas, iustitia, misericordia pateficeret, atque ita glorificaretur. Vtrumque Apostolus tradit *Ephes.* 1. Elegit nos in Christo, in sese, iuxta beneplacitum voluntatis suæ, hoc est primum. *in laudem gloriæ gratiæ suæ*, hoc est alterum.

15. Tota nostra salus est gratuita: & quia est gratuita, ideo est certa: & quia certa, ideo debemus liberati omni timore & metu, læto animo & hilari conscientia continenter gratias agere tanto cœlesti Patri in Christo, illi fidere, in illum sperare, illum inuocare, illum amare, ad eius voluntatem nostram conformare: illius mandatis implendis studere, & ad omnia propter eius nomen tormenta perferenda animos nostros præparare, dicereque cum Dauide: *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ tribuit mihi? Calicem salutis accipiam, & nomen Domini inuocabo.*

Tractatio de Prædestinatione sanctorum, in has præcipuas Theses est distributa.

1. Diuersus est amor, quo Deus omnia, etiam impios, diligit, ab illo quo quosdam ab æterno ita dilexit, vt etiam ad æternam vitam prædestinarit.

2. Omnium hominum quicunque vnquam fuerunt, sunt aut erunt in foueam peccati lapsorum quosdã Deus inde assumit: quosdam ibi relinquit: ac proinde quosdam ab æterno inde assumere: quosdam ibi relinquere decreuit, & hęc est electio atque reprobatio.

3. Præscientia Dei, accipitur aliquando pro ea cognitione, qua Deus ab æterno generatim nouit, tam quæ alij admissuri erant, hoc est, peccata, quàm quę ipse facturus erat, siue in electis, siue in reprobis siue in aliis creaturis. Sic Patres & Scholastici. Aliquando pro illa cognitione, qua speciatim quosdam, id est electos, cũ affectu amoris, vt suos prænouit, hoc est, ab æterno amauit: vt Roman. 8. *οὓς προέγνω. Rom* 11. Non repulit Deus plebem quam *προέγνω*: sic capitur pro ipsa prędestinatione.

4. Prędestinatio pars prouidentię est: & vtraque (iuxta Scholasticos) est eorum tantum, quæ Deus ipse facturus erat atque est. Sed prouidentia ad res vniuersas extenditur: prædestinatio autem restringitur ad creaturas ratione prędita: quanquam nonnunquam apud Patres, Prædestinatio pro Prouidentia vsurpatur, atque ita ad omnes res extenditur *καταχρηστικῶς*.

5. Est autem prædestinare Latinis: principio antè deliberare, definire, constituere apud te aliquid agere, antequam agas. Deinde est præmittere, atque ante aliquid ad certum finem deputare ac dirigere. *Προορίζειν* quoq. Græcis est, antequam aliquid agas, quid agere velis, definire: tum vnumquodque antequam fiat, ad suum certum finẽ atque vsum deputare. Hebræus vero Moses in sacris libris, id quod septuaginta verterunt *προορίζειν*, ipse habet (*habdel*) quod à reliquis rebus aliquid ad suum vsum segregare significat: vt cum Dominus à reliquorum populorum colluuie populum suum Israelem ad verum cultũ verámque religionem, ideóque ad veram salutem selegit, segregauit, separauit.

6. Potest autem hoc nomen Prædestinatio, si ipsius significatio spectetur, generaliter ad omnes creaturas, etiam irrationales, imo vero etiam vitæ expertes extendi. Sed apud Patres ea tantùm est hominum atque Angelorum, tam impiorum quàm piorum: in Scripturis vero nomen hoc de electis tantùm vsurpatur. Quare ij soli prædestinati proprie esse dicuntur.

7. Triplex igitur est prædestinationis definitio. Vna generalissima, omnes creaturas complectens. Altera generalis ad homines se extendens. Postrema specialis ad electos tantùm pertinens.

8. Prima prędestinatio, est æternum immutabiléque Dei decretum, quo vnamquamque rem, antequam crearetur, ad suum certum & vsum & finem deputauit seu destinauit.

9. Altera prædestinatio, est æternum immutabiléque Dei decretum, quo apud semetipsum ab æterno constituit: primùm omnes homines tum creare, tum vt in peccatum laberentur, & in mortem ruerent, permittere: deinde horum alios in Christo sua tum gratia, tum æterna vita gratis donare: alios verò hac gratia non dignari, sed cum satana tum excęcare & indurare, tum æterno exitio perdere: idque vt in illis diuina bonitas & misericordia, in istis vero diuina potentia & iustitia declaretur: atque ita in omnibus Deus glorificetur.

10. Tertia, hoc est, Sanctorum prædestinatio, est æternũ immutabiléque Dei decretum, quo citra vlla hominum merita apud se constituit, certos quosdam homines, in vitam hanc suo tempore productos, & operá Diaboli in peccatum ac mortem vnà cum aliis lapsos, gratis tamen à peccato & morte, atque à reliqua hominum colluuie segregatos: Christo inserere, pérq. fidem iustificare, & Christo insitos ac iustificatos, regignere, atque ad sua placita sanctificare, sanctificatos perpetua quotidianorum peccatorum condonatione, perpetuaque sancti S. gratia comitari: denique vti Dei filios & regni cœlestis cum Christo hęredes, beata & ęterna vita donare: totúmque hoc, vt in iis misericordia & bonitas Dei perpetuò illustretur, ipséque Deus in perpetuum glorificetur.

11. Deus nihil cognoscit vel vult iam, quod etiam ab æterno non nouerit, atque voluerit: prædestinatio igitur æterna est.

12. Æterna & simplex Dei voluntas, immutabilis est. Vnde illud Rom. 11. Sine pœnitentia sunt dona & vocatio. Est igitur prædestinatio immutabilis.

13. Nemo suæ prædestinationis est efficiens caussa: sed sola Dei simplex & ęterna voluntas.

14. Peccatum, quo ad Deum, non contingit fortuitò, sed diuino consilio, quia diuina eaque voluntaria permissione. neque tamen peccatum effectus est diuinę prędestinationis, aut Dei: quia malitia peccati aut peccatoris à Deo non est. & proinde nemo potest dici ad peccatum, quatenus peccatum est, iussie à Deo prædestinatus.

15. Permissio, atque ea quidem voluntaria, qua Deus permittit peccatum: opus Dei est: adeóque bonum peccatum autem ipsum permissum qua peccatum est, opus Dei non est, sed tum Satanę, tum hominis.

16. Omnes homines sunt prædestinati: alij ad vitam, alij ad mortem æternam.

17. Extra Christum nemo potest aut esse ad vitam æternam prædestinatus aut efficaciter vocari, aut vere iustificari, aut æternum glorificari.

18. Quicunque sunt prædestinati ad vitam æternam, seu ad finem, sunt etiam ad debita, per quæ illa recipitur, media prædestinati. Fides ergo, opera fidei & perseuerantia in fide, seu, initium, progressus & consummatio salutis, effecta sunt omnia prędestinationis.

19. Deus, cùm posset, noluit tamen omnes homines promiscue gratia prædestinationis ætemę dignari.

20. Deus quosdam excæcat, indurat perdit. Hos igitur indurare, excęcare, perdere ab ęterno decreuit.

21. Finis vltimus atque pręcipuus tum reprobationis quorundam tum electionis aliorum, est gloria Dei, quę tam in reiectione impiorum, quàm in electione piorum, luculenter resplendet.

22. Creari & sini labi in peccata & in mortem, effecta sunt prædestinationis communia electis atque reprobis. Donari autem gratia, fide, operibus, fidei perseuerantia, & tandem ęterna vita, effecta sunt propria prędestinationis electorum. Deseri vero in peccatis perpetuò, excæcari, indurari, ac denique damnari, effecta sunt reprobationis propria impiorum.

23. Argumentatio hæc à posteriori, Deus creauit homines, deinde eos voluntate permisit labi in peccatum, & per peccatum in mortem ruere, postremo verò horum alios inde per Christum misericorditer eripit & saluat, alios in peccatis deserit iustissimè excæcat, damnat, vtrũque vero ad & propter gloriam suam facit, Ergo Deus ab æterno hæc omnia decreuit facere, Sophistica non est, sed demonstratiua. Hæc verò est prædestinatio piorum & impiorum.

24. Nemo ad æternam vitam prædestinatus est conditionaliter, si crediderit, si seruauerit legem, sed quotquot ad eam prædestinati fuerunt, absolutè & simpliciter prædestinati sunt, ita vt etiam ideo credant & seruent legem; quia sicut ad vitam, ita etiam ad credendum & legem seruandam sunt prædestinati.

25. Electorum tantùm est vera & iustificans fides. Reprobi autem etsi ad tempus videntur credere, illorum tamen fides vera non est, sed temporaria, ideóque hypocritica.

26. Quidquid boni habent aut agunt Sancti, ideo habent aut agunt, quia ad id habendum aut agendum prædestinati ab æterno gratis fuerunt. Initium igitur salutis, hoc est, fides, & progressus, hoc est, opera fidei, & finis,

hoc est

281.

hoc est, iustificatur ... certæ ... antia, plenáque vitæ æternæ pos-
sessionem ... diuisæ prædestinationis, seu Dei præ-
destinationis effecta. ... sunt neque fides, neque opera fidei,
... prædestinationis: cum non dicat Apo-
stolus ... quia futuri eramus sancti: sed, *vt essemus*
... quia ... *misericordiam consecutus sum*, quia fi-
delis ... *vt fidelis essem*.

27\. Non est impium ... dicere: Reprobos ideo non crede-
re, nec resipiscere, nec Legem Dei seruare: quia neque ad
credendum, neque ad resipiscentiam, neque ad Legem
Dei seruandam prædestinati fuerunt: cum Dominus ita
loquatur: Ideo vos nō *creditis, quia non estis ex ouibus meis*.
Item: Propterea vos non *auditis, quia ex Deo non estis*.

28\. Imo neque impium est, dicere, Reprobos ideo ope-
ra, quæ in ipsis reprobis mala sunt, facere, quia ad ea fa-
cienda fuerunt prædestinati: cum hoc doceat Spiritus Dei
in *Scripturis* Actor. 4.

29\. Non potest dici vel prædestinatio vel Deus caussa
esse peccatorum, quæ impij admittunt: aut Deus impios
ad peccata prædestinasse: tū quia malitia qua impij pec-
cant, à Deo non est, sed à Satana: tum quia Deus nemi-
nem ad peccata, quatenus peccata sunt, prædestinauit: sed
tantum quatenus sunt vel actiones quædam in se, ideó-
que non malæ: vel sunt pœnæ peccatorum.

30\. Imò ideo impij illa, ad quæ facienda prædestinati
à Deo fuerant, faciendo peccant: quia opera Dei alioqui
in se bona, ipsi animi sui & carnis prauitate inficiunt.

31\. Caussa igitur propria peccati efficiens, est innata
hominibus infidelitas atque malitia.

32\. In quouis peccato duo sunt: opus ipsum quod fit
vel saltem actio aut interna, aut externa: & ipsa peccantis
κακία, qua efficitur vt opus vel actio fiat peccatum, opus
est à Deo, (operatur enim omnia in omnibus) κακία vero
minimè. Quòd igitur impij opus illud faciunt, habent à
Deo, & à Dei prædestinatione: quod vero illud faciendo
sua κακία peccent, neque à Deo est, neque à Dei prædesti-
natione habent.

33\. Gratiæ Dei in electis effecta: primum, redemtio à
peccato & morte per sanguinem Christi: secundum, effi-
cax per Spiritum sanctum ad huius redemtionis κλῆσις
vocatio: tertium, ideóque actualis à reliqua hominum
mundi colluuie segregatio: quartum, realis in Christum
insitio, ac proinde quintum, per fidem iustificatio: sextum,
regeneratio: septimum, vera ad placita Dei facienda san-
ctificatio: octauum, quotidianorum peccatorum remissio,
nonum, Spiritus sancti præsentia: decimum, æternæ vitæ
donatio.

34\. Etsi Deus prædestinans non est sub tempore: homi-
nes tamen prædestinati sunt sub tempore. Cum igitur Spi-
ritus sanctus perpetuo in Scripturis dicat Deum prædesti-
nasse nos, idque ante mundum constitutum, non autem
prædestinare, merito concludimus, prædestinationem ab
æterno factam fuisse.

35\. Prædestinatio est æterna, nos igitur electi ab æter-
no fuimus Deo chari ac dilecti.

36\. Prædestinatio est immutabilis. Salus igitur electo-
rum certissima est & perire non possunt.

37\. Certi aliquot homines sunt prædestinati ad vitam,
non autem omnes: est igitur certus numerus electorum,
qui nec augeri nec minui potest.

38\. Prædestinatio Sanctorum tota est gratuita, fúntque
sancti ad vitam, ad fidem, ad omnia Dei dona prædestina-
ti, citra vlla sua merita vel præterita vel futura, & citra bo-
num vsum liberi arbitrij, denique citra vllam aliam cau-
sam, præter voluntatem Dei.

39\. Tutior, certiórque est nostra salus in manu Dei,
quam in manibus nostris.

40\. Qui prædestinati sunt ad æternam vitam, sunt illis
etiam prædestinata opera bona, in quibus ambulēt. Nul-
lus igitur electus adultus hinc in cœlum migrat sine stu-
dio bonorum operum.

41\. Quare fallaciam diuisionis admittunt, qui sic argu-
mentantur. Si sum prædestinatus ad salutem, etiam sine
bonis operibus saluabor.

42\. Contrà verò filij Dei sic inferunt, Sum prædestina-
tus ad æternam vitam: ergo mihi ambulandum est in bo-
nis operibus. Quia prædestinatis ad vitam, prædestinata
sunt bona opera, in quibus ambulent.

43\. Quicunque cernit in se prædestinationis effecta, hoc
est, qui videt se efficaciter vocatum, qui sentit se iustifica-
tum, donatum fide atque studio bonorum operum, iis
certissimè sibi persuadere debet, se esse ex numero præde-
stinatorum.

44\. Duæ sunt enim viæ, quibus electi certiores red-
duntur, quòd sint ad æternam vitam prædestinati. Vna est
à priori, seu à caussa: hæc est bonitas, gratia, charitásque
Dei diffusa in cordibus nostris: seu ipse Spiritus Dei, qui
reddit testimonium spiritui nostro quod sumus filij Dei:
de qua via Rom. 8. Altera est à posteriore, seu ab effectis
prædestinationis & gratiæ: qui sunt, vocatio, iustificatio,
studium bonorum operum: de qua via 2. Pet. I.

45\. Hac nota discernuntur veri electi à reprobis, quòd
electi iam renati perpetuò exosi peccatum, ambulant in
studio bonorum operum: atque ita ambulant, vt licèt ali-
quando inter ambulandum in peccatum labantur: cauēt
tamen & antè, ne labantur: & post, in lapsu ne permaneāt,
atque ita toto animo totáque voluntate nunquam pec-
cant. Reprobi verò ita peccati atque Satanæ sunt captiui,
& illius concupiscentiis, tanquā regiis mandatis, ex animo
& semper & vbique pro sua virili obtemperant: vt etsi ali-
quando ad tempus, credere in Christum, studere bonis o-
peribus, & ideo ex numero electorum esse videantur: nun-
quam tamen reuera credant in Christum, nūquam reuera
ament legē Dei, nunquam reuera odio habeant peccatū.

Tractatio de impiorum excæcatione, iis con-stat Thesibus.

1\. Deum quosdam indurare, excæcare, tradere in sen-
sum reprobum, vt faciant ea quæ non conueniunt: sacræ
literæ aperte tradunt.

2\. Cæterū reprobos tantum non autem electos indurat.

3\. Etsi vero omnes reprobos tandem deserit & sua lu-
ce spoliat, atque ita omnes quodammodo excæcat & in-
durat hoc tamen excæcationis genere de quo Iesaias hic,
Moses in Exod. Apostolus ad Rom. 1. 9. non omnes, sed tā-
tùm insignes quosdam impios & contumaces excæcare
& indurare Deus in sacris literis dicitur.

4\. Cur Deus quos excæcat reprobos excæcet: finalis
caussa triplex est. Prima, vt ipsi propter sua præcedentia
facinora (sicut iustitia postulat) aliis peccatis puniantur.
Altera vt electi, illorum exemplo discant timere Deum,
& Domino minimè contumaciter recalcitrare. Tertia, vt
ira & potentia Dei contra peccatum toti orbi pateflat, at-
que ita ipsius nomen celebretur in omni terra.

5\. Caussa vero, à qua Deus quodammodo impellitur
& mouetur ad excæcandos impios, duplex est: vna, est ip-
sa reproborum impietas, atque inprimis peruicacia contra
Dominum: altera, est ipsum æternum Dei propositum, at-
que voluntas.

6\. In quæstione, quomodo Deus excæcet & induret,
dicere Deum id facere sola permissione, quasi in iis qui
excæcantur, Deus nihil agat: Pelagianum est, & quidem
ab Augustino confutatum atque damnatum.

7\. Neque verum est, Deum excæcare sola suæ gratiæ,
seu sui luminis subtractione.

8 Neque etiam satis est dicere, Deum excæcare exter-
na quadam sua actione sed indirectè, quædam scilicet re-
proborum oculis & auribus obiiciendo, per quæ cum illi
deberent illuminari atque emolliri, fit ipsorum vitio, vt
magis excæcentur ac indurentur.

9\. Sed præter hanc externam actionem, qua impiis
obiicit offendicula, interna etiam eáque mirabili ac iu-
stissima actione in cordibus impiorum pro suo iusto iu-
dicio agendo, eos excæcat atque indurat Deus.

10\. Cæterùm id facit Deus, aliquando quidem per se
atque immediatè: aliquando verò mediatè per ministeriū
Satanæ, carnificis diuinæ iustitiæ, in cordibus impiorum
agendo, minimè tamen illos cogendo.

11\. Neque ob id tamen Deus peccati autor vllo mo-
do dici potest: quia semper est iustus, & iniustè nihil a-
git, neque iniustitiam cuipiam indit.

12\. Etsi autem Deus vna ex parte mandat reprobis quos
vult excæcare, vt conuertantur & resipiscant: & altera ex
parte illos excæcat, & indurat, ne illud quod verbo exter-
no mandauerat faciant h.e. ne conuertantur & resipiscāt,
sicut apparet in Pharaone: Non hinc tamen sequitur, Deū
reprobis illudere, est enim semper iustus, nihil mali agit,
neque absurda facit.

13\. Humana quidem prudentia illud ex prædictis infert:
sed ea in iudiciis Dei, quæ sunt abyssus multa audienda
non est: sequendum vero est simpliciter Dei verbum.

14\. Verbum autem Dei apertè tradit: primùm Deum
omnibus mandare vt resipiscant & vitent peccata. Hæc
est lex Dei: in huius igitur obedientiam nobis incum-
bendum est. Alterum Deum quosdam excæcare, ne
conuertantur & sanentur. Hoc est Dei iudicium. Iudicia

autem Dei sunt admiranda, non inuestiganda, quia inscrutabilia (vt ait Apostolus) & abyssus multa, vt ait Propheta. Tertium, apud Deum nullam esse iniquitatem, & Deum omnia bene & iuste agere, & absurda non facere, denique sui perpetuò esse similem. Reuera igitur neque Deus cuipiam illudit, neque eius iudicia pugnant cum eiusdem Lege.

15. Quare etsi Deus quosdam tradit in reprobum sensum, vt faciant ea quæ non decet, non tamen esse aut dici propriè potest autor peccati: quod caussa peccati perpetuò in hominibus residcat, naturæ scilicet corruptio, seu concupiscentia carnis, quam Iohannes negat esse ex Deo.

16. Cæcitas, obduratio in mala desideria impulsio, quæ Deo tanquam caussæ efficienti in Scripturis attribuuntur, considerari possunt: primò quà sunt peccata, deinde, quà sunt pœnæ præteritorum peccatorum, tertio, quà sunt caussæ insequentium peccatorum. Punire autem peccata peccatis, opus est iusti iudicis, non autoris peccati. Non potest igitur Deus, cùm excæcat & indurat, aut iniustitiæ accusari aut peccati autor appellari.

17. Deus semper est iustus. Iniusti igitur autor esse non potest. Omnis autem pœna peccati, quæcunque illa sit: & iusta est, & proinde à Deo est. Quædam autem peccata, sunt pœnæ etiam peccatorum. Illa igitur, quà sunt pœnæ peccatorum, iusta sunt, & eorum autor est Deus.

18. Quædam pharmaca non ita possunt morbos curare, quin etiam aliquo modo corpora ægrotantium lædãt, non ob id tamen medicus vnquam, quasi huius læsionis autor, ab iis qui sapiunt, accusatur, sed contrà potiùs vt curati morbi caussa laudatur, idque quoniam non in hunc finem pharmacum præscripsit, vt læderet, sed vt sanaret. Etsi igitur excæcatio & induratio non ita possint esse pœnæ peccatorum, quin etiam sint peccata & caussæ peccatorum, non ob id tamen Deus, qui excæcat & indurat, accusari potest quasi autor peccati, sed potius laudandus est, quod peccatorum sit vltor: cùm in excæcandis impiis non propriè hunc sibi proponat finem, vt illi admittant peccata: sed contrà hunc, vt ipse puniat illorum scelera.

19. *Per legem auctum est peccatum.* Rom. 7. Deus autem dedit hanc legem. Non ob id tamen Deus aucti peccati autor vnquam est appellatus, aut appellari potest. Quia nõ in hunc finem propriè dedit Legem, vt per eam peccatum augeretur: sed contrà potius, vt per eam non tantùm agnosceretur verum etiam cohiberetur. Ergo neque quod excæcet & induret, vnde in impiis augentur, peccata, peccatorum illorum autor esse dicive potest. Quia non propriè vt augeantur, sed potius vt puniantur peccata, Deus impios excæcat & indurat.

20. Concupiscentia est non solum peccatum, sed etiam caussa peccati. & hanc Deus reliquit in natura, & vult vt in omnes traducatur, neque tamen ob id peccati autor esse dicitur. idque propterea, quòd illam vult in posteros omnes transfundi, non propriè quatenus peccatum est & caussa peccatorum omnium sed tantùm quatenus est pœna peccati Adæ, in quo omnes peccauerunt. Ergo neque quod excæcet & induret, peccati autor dici potest aut debet, quia non excæcat & indurat propriè vt peccetur: sed tantùm, vt peccatum aliis peccatis puniatur.

21. Deus excæcat atque indurat quatenus excæcatio & induratio pœnæ sunt peccati. Quidquid autem Deus facit, illud etiam ab æterno voluit & decreuit facere. & hoc est prædestinare. Impium igitur non est, dicere Deũ quosdam ad excæcationem & indurationem ab æterno prædestinasse, non vt illæ sunt peccata & peccatorum caussæ, sed tantùm vt pœnæ peccata & peccatorum.

22. Duplex est malum, culpæ & pœnæ. & aliquod quidem malum culpæ est quod non est pœnæ: aliquod verò, quod est etiam pœnæ. ita contrà, aliquod malum pœnæ est, quod non est culpæ, & aliquod ita pœnæ, vt etiam culpæ.

23. Ad malum culpę simpliciter, quatenus malum culpæ est, Deus neminem prædestinauit, hoc tamen futurum præuidit, atque ad sui gloriam præordinauit. neque enim quoad Deum fortuitò contigit.

24. Deus quosdam ab æterno prædestinauit ad malum pœnæ, quod nullo modo est malum culpæ, seu quod peccatum non est, sed tantùm pœna peccati, siue hæc pœna temporalis sit, siue æterna.

25. Quosdam verò prædestinauit ad tales peccatorum pœnas, quæ etiam sunt peccata & caussæ peccatorum: verùm non vt sunt peccata aut caussæ peccatorum, sed tantùm quatenus sunt pœnæ peccatorum.

26. Duplex finis, cur Deus quosdam excæcet atque ad excæcationem prædestinarit: proximus & postremus. proximus est ipsorum qui excæcantur perditio: postremus, ipsius Dei impios perdentis gloria.

27. Cùm dicitur Deus excæcare & indurare, nequaquam cogitandum est, aliquem ex vidente cæcum, & ex molli durum à Deo fieri (nemo enim Deo autore fit malus) sed ita intelligenda sunt hæc dicta, quòd Deus eorum, quos reperit cæcos & duros, cùm quosdam illuminet & emolliat pro sua gratia, alios pro suo iusto iudicio non solùm in suis tenebris & duritie deserat, sed etiam vt peccatum peccatis puniat, illos magis excæcet & induret, eo quo supra dictum est modo.

28. Iustissimum autem est, vt quos Deus reperit suà culpâ cæcos & duros, eosdem magis ac magis & excæcet atque induret. Nemo igitur Deum iniustitiæ, quod se excæcet, accusare iure potest.

Tractationis de redẽtione Ecclesiæ per Christũ, déque certitudine nostræ prædestinationis & salutis, summa, 29. Thesib. cõprehẽsa.

1. Hierosolyma terrena typus fuit Ecclesiæ Christi: & quæ in ea *acciderunt* eidem erunt typi fuerunt eorum quæ in Ecclesia Christi futura erant.

2. Liberatio igitur Hierosolymæ tempore Iesaiæ facta, de qua Iesa. 9. typus fuit liberationis totius Ecclesiæ per Christum faciendæ.

3. Sicut in illa terrena Hierosolyma graues fuerunt tenebræ, hoc est, calamitates: ita grauissimæ sunt tenebræ, hoc est, calamitates, tum terrenæ, tum spirituales: partim in quas Ecclesia Dei mox post peccatum *Adæ* incidit, partim quibus quotidie premitur.

4. Sicut autem Hierosolyma illa per Angelum Domini magna Dei virtute liberata fuit, vt verè dicat Propheta, *Populo ambulanti in tenebris lux orta est:* ita Ecclesia Dei per Christum partim liberata semel fuit partim quotidie magis ac magis à suis tenebris liberatur: diuina luce tenebras illius sensim depellente, donec tandem, id quod futurum est in fine seculi, perfectissimè ab omnibus malis & hostibus liberetur.

5. Etsi verò plures erant Israelitæ, qui ab iisdem hostib. obsidebantur quàm Iehudæi, nõ illa tamen, sed tantũ isti liberati fuerũt. Ita etsi multo plures sint reprobi quà electi, liberatio tamen per Christũ facta, non ad reprobos, sed tantũ ad electos reipsa pertinet, vt verè Propheta hoc admirãs dicat, *Multiplicasti gentẽ: at nõ magnificasti lætitiã.*

6. Christus enim secundum propositum Patris, pro ipsis tantùm electis, hoc est pro iis qui secundum electionem æternam erant in se credituri, natus, precatus, passus, mortuus est & resurrexit, atque ad dextram Patris intercedit.

7. Porrò Ecclesiæ per Christum redemtio, quadrifariam considerari potest. Primum quidem, quatenus tota coram Patre redemta est, cum Christus pro ea mortuus est, tunc enim reuera omnes electi redemti, & recõciliati fuerunt Deo. Deinde quatenus per fidẽ huius redemtionis fit conscia atque particeps. Cùm enim electi Euangelio de reconciliatione veram fidem adhibent, dicuntur iustificati & reconciliari Deo, quia scilicet reconciliationem iam per Christum factam fide intelligunt, recipiunt, amplectuntur. Tertiò quatenus Ecclesia quotidie magis ac magis ab hostibus se perpetuò obsidentibus per eundem Christum liberatur, quòd scilicet etsi perpetuò oppugnetur, nunquam tamen, Christo eam tuẽte, expugnetur. Postremò quatenus destructis penitus hostibus omnibus, atque adeò ipsa etiam morte, quam Apostolus nouissimum hostem appellat, ita erit omnibus malis liberata, vt nulla sit ei amplius pugna cum vllo hostium genere futura.

8. Præcipuus autem fructus, qui ex percepta redẽtione in cordibus fidelium nascitur, est vera ac solida, spiritualis æternáque coram Deo lætitia de qua etiam Propheta ait, *Lætabuntur coram te, sicut qui lætantur in messe.*

9. Materia enim veræ lætitię est, cùm sentimus fide omnia iuga peccati, mortis, Legis, Satanæ, mundi, quibus premebamur, per Christum esse fracta.

10. Nemo siquidem suis vel viribus vel meritis sese à iugo seruitutis peccati, mortis, Satanæ, & Legis liberauit, sed solus Christus nos liberauit. Quare salus nostra tota soli Christo est accepta ferenda.

11. Etsi verò Christus ipse est, qui nobis sine nobis victoriam contra hostes omnes parauit, tamen huius victoriæ participes esse non possumus, nisi tanquà veri Israelitæ in expeditione contra Midianitas, fidei lumen in cor-

ciuis fidem tubam, hoc est, confessionem. in etiam Rom. 10 scribitur: Corde credi- autem fit confessio ad salutem.

11. Porro totus humanæ redemptionis caussa duplex est, vna per quam ac propter quam. hæc est Christus mediator, & Christi meritum. altera, efficiens prima ac principalis: ea est, cum æternus ac constans Dei erga suam Ecclesiam, hoc est, electorum cœtum amor, tum suæ ipsius gloriæ & honoris zelus. Ac de prima quidem ait Propheta: *Puer natus est nobis, & Filius datus est nobis, ad proferendum imperium:* de altera ait, *Zelus Domini exercituum faciet hoc.*

13. Christus totum suum principatum, omniáque principatus onera humeris suis sustinet. vt docet Propheta, dicens: *Cuius principatus super humerum eius.* Principatus autem Christi est Ecclesia Sanctorum. Gestantur igitur omnes fideles humeris Christi. Quos autem Christus semel suscepit humeris suis gestandos, eos nunquam ex humeris deiicit, iuxta etiam illud *Ioh.* 17. Quos dedisti mihi, ego custodiui. Salus igitur nostra secura est in Christo.

14. Onera principatus seu regni Christi sunt nostra peccata. Principatus autem Christi, cum omnibus suis oneribus, est super humerum eius. Christus igitur omnium electorum peccata sustinet, iuxta illud etiam Prophetæ, *Posuit in eo Deus iniquitates omnium nostrum.*

15. Si principatus est super humerum eius: Christus igitur suam Ecclesiam ipse perpetuò protegit atque gubernat.

16. Si Ecclesia principatus est Christi Ecclesia igitur spe- ctato suo principe, est monarchia, & solum Christum habet monarcham. Est autem hic princeps immortalis, & perpetuò suam regit monarchiam. Ecclesia igitur nunquam est aut esse potest ἀκέφαλος.

17. Hierosolyma, hoc est, Ecclesia, non solùm per Christum, sed etiam propter Christum liberata est, idque bifariam. Primum, quia propter merita Christi redempta & liberata est, deinde propter Christum, tanquam caussam finalem. Quia ideo liberata est Ecclesia, hoc est, regnum Christi e manibus hostium ereptum est, & quotidie magis ac magis eripitur, vt illo tandem ipse vnus vnà cum Patre in cœlo fruatur, iuxta illud etiam Apostoli. 1. *Cor.* 15. Deinde tradet regnum Deo & Patri, sicut etiam vicissim nos Deo & principe nostro Christo perfruemur.

18. Fons & origo salutis nostræ, est amor Dei erga nos æternus atque constans, æternus, quia non in tempore, sed ab æterno, antequam nati essemus, dilexit nos ad æternam vitam. constans, quia quos semel illo æterno amore complexus est, eos amare pergit in perpetuum, vt Dei amor sit non tantùm æternus, sed etiam perpetuus.

19. Amor ille Dei fons est totius salutis nostræ, quia inde factum est, vt nos ad æternam vitam prædestinarit in Christo, vt Christum miserit in mundum, vt nos efficaciter vocarit per Euangelij prædicationem, vt quotidiana peccata condonet, vt denique plenè daturus sit vitam æternam.

20. Amor Dei erga nos, Zelus à Propheta appellatur, quod sit instar amoris sponsi erga sponsam, nimirum ardentissimi, ideóque cum solicitudine & dolore coniuncti, solicitudine, ne rei amatæ aliquid aduersi contingat, dolore si contingat.

21. Zelus quoque, quo Deus suam zelat, hoc est, ardenter amat gloriam, caussa est salutis nostræ efficiens. Is enim ferre non poterat vt præter reprobos ipsi quoque electi perpetuò in manibus Satanæ captiui detinerentur, quoniam hoc faciebat contra gloriam Dei. Zelus igitur Domini, quo scilicet tum nos, tum gloriam suam ardenter amauit & amat, fecit hoc, hoc est, caussa fuit salutis nostræ per Christum partæ ac conseruatæ.

22. Nemini salus & vita æterna contingit aut contingere potest, nisi electis ad salutem vitámque æternam. Matt. 20. 25. Rom. 8. Nemo igitur de sua salute certior fieri potest, nisi certus fiat de æterna immutabilique sui ad salutem æternámque vitam electione.

23. Tenetur autem quisque certò credere, se ad salutem vitámque æternam, in Christo electum à Deo ante mundi constitutionem fuisse. id quod multis argumentis demonstratur in capite huiusce tractationis septimo.

24. Vt verò quisque sibi hoc possit persuadere: certæ traduntur regulæ, partim à priori (vt vocant) seu à caussis: partim à posteriori, seu ab effectis electionis deductæ: idque in eodem 7. huius tractationis capite.

25. Christus secundum propositum voluntatis Patris & suæ, neque orauit, neque passus est nisi pro electis, id quod multis Scripturarum locis demonstratur.

26. Nemo vera in Christum fide præditus esse potest, nisi electus sit in Christo ad æternam vitam: vt multis Scripturarum testimoniis probatur cap. 7. Quicunque igitur sentit se vera donatum esse fide in Christum: concludat, se in Christo ad æternam vitam esse prædestinatum.

27. Quicunque vera & viua fide præditus est, potest sentire & sentit se verè credere in Christum: potest igitur, fidelis certus fieri de sui ad æternam vitam electione.

28. Doctrina de prædestinatione, sicut electis nihil salutarius: ita reprobis nihil, ipsorum culpâ, perniciosius. Est igitur isti eâ offenduntur: tamen propter illos prædicanda est.

29. Ex thesauris Christi tantum quisque habet, & possidet, quantum fide ex eis accipit atque haurit. Qui igitur potest verè credere, se fuisse ab æterno in Christo ad vitam æternam electum, is electus est.

Capitis quarti, tractationis de Christo aduocato, sũma, quatuor cõprehẽsa ꝓpositionib.

1. Christus est aduocatus electorum tantùm, & quidem omnium quotquot à condito orbe fuerunt, & vsque in finem seculi futuri sunt.

2. Christus etiam est ἱλασμὸς, tantùm pro peccatis electorum totius mundi: est igitur tantùm illorum aduocatus. Sic Ecclesia Smyrnensis ad omnes parœcias Ponti ait, Christum passum esse pro salute omnium mundi seruandorum: seruantur autem tantùm electi. Sic Ambrosius Tom. 2. de fide ad Gratianum lib. 4. cap. 1. *Si non credis, non descendit tibi, non tibi passus est.* ergo tantùm pro credentibus est.

3. Mundus accipitur in Scripturis aliquando pro toto mundo omnibúsque hominibus, tam electis quàm reprobis: aliquando pro parte tantùm potiore, hoc est, pro electis: aliquando pro parte mundi deteriore, hoc est, pro reprobis. Autor quoque libri de vocatione Gentium libro 1. cap. 3 multarum Scripturarum exemplis demonstrat, sæpenumerò in Scripturis pro parte terræ, totam terram, pro parte mundi, totum mundum, pro parte hominum, omnes homines nominari: idque tam de impiis, quàm de piis. Ergo cùm ait, Christum esse ἱλασμὸν pro peccatis totius mundi: non cogimur nomine mundi, omnes homines in vniuersum intelligere.

4. Discrimen est inter opus redemtionis, & vim redemtionis. Illud semel est factum: hæc autem æterna est, sese extendens tam ad eos qui fuerunt à condito orbe, ante ipsum etiam opus redemtionis peractum, quàm ad eos qui post peractum redemtionis opus, vsque in finem seculi futuri sunt. ἱλασμὸς autem, propriè est ipsa redemtionis ac propitiationis vis. Nihil igitur impedit, quò minus pro peccatis etiam eorũ qui à condito orbe fuerunt electi, Christus perpetuò fuerit atque sit ἱλασμὸς.

Quæstionis, An remissio peccatorum semel impetrata, possit denuò fieri irrita, summa 14. conclusionibus comprehensa.

1. In hoc totum versatur Euãgelium, vt nobis in Christum credentibus persuadeat salutem nostram firmam esse atque constantem, nempe in Christo. Si quis igitur dicat, peccatorum remissionem semel impetratam per ûsequentes lapsus, in Sanctis fieri posse irritam: is totum euertit Euangelij scopum.

2. Per solum perfectum relapsum à pietate ad impietatem remissio præteritorum peccatorum semel impetrata, fieri potest irrita. Non cadit autem hic relapsus in verè Sanctos atque electos: non potest igitur in ipsis peccatorum remissio fieri irrita.

3. In reprobis, vera peccatorum remissio nunquam habet locum: nunquam igitur in illis potest irrita fieri: quare in nemine.

4. Sanguis enim Christi, per quem solum impetratur remissio, non est secundum propositum Dei & reipsa pro reprobis incredulis effusus: sed tantùm pro quibusdam multis, hoc est, electis, & quidem pro omnib. istis multis.

5. Neque pro reprobis rogauit in terra, aut nunc intercedit in cœlo Christus: sed tantùm pro electis credentibus & credituris in se, remissio autem peccatorum Christi intercessione impetratur.

6. Spiritu etiam regenerationis non donantur verè nisi electi, qui verè sunt Christi. Rom. 8 Sine Spiritu autem regenerationis, remissio peccatorum non obtinetur.

7. Vera quoque & iustificans fides, electorum tantùm est: quomodo igitur reprobi peccatorum remissionem assequi possunt?

8. Reprobis impiis, nunquam est vera pax, vt ait Propheta: peccatorum autem remissionem vera pax consequitur.

9. Remissionem peccatorum semper consequitur ius æternæ vitæ: ius autem, ipsa tandem possessio: reprobi verò nullum habet vnquam ius in æternam vitam, & multò minus illius possessionem.

10. Idem sunt, remissionem peccatorum consequi & iustificari: Rom. 4. Non iustificantur autem nisi prædestinati electique ad iustificationem & vitam æternam, & quicunque iustificantur, tandem etiam glorificantur: Rom. 8. Reprobi itaque nunquam verè peccatorum remissionem consequuntur. Quare neque irrita in eis fieri potest, in quibus nulla est.

11. Illo Apostoli dicto ad Heb. 6. Impossibile est eos, qui semel sunt illuminati, gustauerunt etiam donum cœleste, & participes facti sunt Spiritus sancti, gustauerunt nihilominus bonum Dei verbum, virtutésque seculi venturi, & prolapsi sunt: rursus renouari ad pœnitentiam: concludi non potest, reprobos verò regenerationis Spiritu, veráque & iustificante fide, ideóque vera peccatorum remissione donari. Temporaria autem fide & gustibus Spiritus sancti multos illorum affici: & hic & alij loci apertè docent.

12. Locus 2. Petr. 1. de Hypocritis, *Nam cui non adsunt hæc, cæcus est, qui eminus nihil cernat, oblitus se à veteribus suis peccatis fuisse purgatum*: iuxta consuetudinem Sacrarum literarum, quæ quotquot baptizantur in Christum, & nomen dant Christo, Christúmque confitétur: iuxta iudicium charitatis appellant sanctos, iustos & à peccatis mūdatos. licèt non omnes sint tales coram Deo, intelligendus est, sunt enim omnes tales Sacramentaliter mundati.

13. Illud Ezech. 18. *Si auerterit se iustus à iustitia sua*, nō est de verè iusto, sed de eo qui hominibus tantùm iustus esse videtur, intelligendum: neque enim verè iustus potest finaliter à iustitia ad iniquitatem deficere, in eáque mori: de qua finali & perfecta auersione loquitur Propheta. Hypocritæ autem tantùm coram hominibus iusti, nunquam veram peccatorum remissionem apud Deum consequuntur. Quare neque eam irritam fieri, hôc dicto probari potest.

14. Illud Matth. 18. *Sic & Pater vester cœlestis faciet vobis, nisi remiseritis suo quisque fratri de cordibus vestris offensas suas*: non concludit, peccata semel verè à Deo remissa, iterum in iudicium vocari posse: sed hoc tantùm, illos falli qui putant sibi remissa esse debita à Deo, cùm ipsi fratribus offensas non remittant.

EPISTO-



EPISTOLA, QVÆ TVNC TEMPORIS AD AMPLISSIMVM MAGISTRATVM VNA cum confessione missa fuit.



QVOD mihi mandastis, clementissimi Domini, ut breuiter cōplectar, quæ de Prædestinatione sanctorum, de eorundem Perseuerantia, item de Cœna Domini nostri Iesu Christi sentirē: libenter & sincerè complexus sum quæ senserim & sentiam: docuerim & doceā: libenter enim obtēpero Magistratui meo. Sed ut ita breuiter illa complecterer quemadmodum postulatis, planè id fieri à me non potuit, propter grauitatem quæstionum: propter doctrinæ non solùm utilitatem, sed etiam necessitatem: propter difficultatē & magnitudinem rerum: propter hominum obscurationem: propter quædam religionis capita, quæ ad huius doctrinæ cognitionem sunt necessaria: propter autoritates, quibus erat confirmanda: propter varias & multiplices nonnullorum calumnias: postremò propter existimationem nominis mei, & famam hominum, quam sapiens nemo unquam neglexit, qui suæ vitæ & factorum rationem reddendam putet omnibus etiam minimis: nedum populo & Magistratui suo.

Quamobrem oro & obsecro vos, clementes Domini, ut quæ his tribus scriptis complexus sum: ea vos, pro vestra humanitate & clementia diligenter legatis & cognoscatis: & veniam detis prolixitati necessariæ: ciui autem vestro, atque in scholis vestris ministro Theologo, contra Satanæ insidias pro veritate adsitis: & doctrinam maiorum vestrorū, vestrarúmque confessionū in ciuitate retineatis: sine qua neque veritas Euangelij, neque doctrina iustificationis contra Diabolum & hæreticos rectè defendi ac retineri unquam poterit.

Est enim hæc doctrina eiusmodi, ut in Propheticis libris semina iacta habeat: eadémque, ab Apostolis irrigata, à Deo incrementū in cordibus fidelium, & in corpore Iesu Christi, quod est Ecclesia, acceperit. Est enim, ut Apostolus nominat 2 Tim. 2. firmum fundamentum salutis nostræ, prædestinatio: est igitur etiam doctrina de prædestinatione fundamentū totius doctrinæ Christianæ. magnitudo & grauitas huius doctrinæ, à qua discedere non potui, antequam pertractata esset suis partibus, caussa una fuit prolixitatis meæ.

Altera caussa fuit difficultas atq. obscuritas huius quæstionis: quam non solùm à se habet ipsa (est enim durus in ea sermo ipsis neophytis & catechumenis, quòd ab ipsis non intelligatur: & Spiritus sancti illustrationem requirat) sed etiam ab hominibus, iísque doctis: à quibus vel obnubilata, vel vitiata, vel labefactata fuit: ut magnas, non solùm nostris tēporibus, sed etiā superioribus ipsis, patribus attulerint molestias. Cognoscātur libri Augustini contra Pelagianos, Prosperi itē contra Cassianū, & Fulgentij ad Monimū. Recognoscātur quæ annis abhinc triginta in contrarias partes à Luthero, honorificæ memoriæ, & ab Erasmo scripta & inuulgata sunt. Legantur quæ Albertus Pighius oppugnator gratiæ Dei, & assertor meritorum & operum humanorum: & quæ contra Bucerus, maiorésque nostri. Neque obscurum est, quæ nunc de hac quæstione edantur in Saxonia & Polonia volumina.

Ad hanc alteram caussam accedit etiam tertia: quòd ut huic obscuritati, quæ contētionibus comparata est, lux adferatur, & tenebræ discutiantur: oportet adferre sanctorum librorum & Catholicæ Ecclesiæ catholicam fidem, veritatis regulam: de sapientia & prasciētia Dei: de Dei volūtate: de Dei immutabilitate, non solùm substantiæ, verùm etiam decretorū, & sempiterni propositi: de Dei omnipotentia: de Dei iustitia: Deique item misericordia.

Ergo vel ipsa propositionum atque conclusionum enumeratio, & earundem solæ diuisiones, per se sunt copiosæ & numerosæ: sed eædem etiam confirmandæ fuerunt argumentis & autoritatibus: ut hæc quarta caussa sit, quæ me ad pleniorem compulerit tractationem: id quorúmnam culpa acciderit, vos optimè nostis.

Nam permultis iam mensibus non desinunt quidam hanc doctrinam exagitare seditiosis clamoribus, nullis veris argumentis & autoritatibus usque adeò ut non vereantur eam perniciosam vocare, & damnatam dicere, & fontem hæresium appellare, & Diabolicā atque Satanicam nominare.

His de causis, quæ æstimandæ à vobis sunt, coactus sum doctrinam hanc prolixè tractare: conclusionibus & propositionibus deducere, partitionibus explicare: verborum interpretationibus illustrare: autoritatibus confirmare. Boni igitur consulatis prolixitatem meam, etiam atque etiam vos rogo. Valete.

HIER. ZANCHII DE PRÆDESTINATIONE SANCTORVM: DEQVE EORVNDEM IN FIDE PERSEUERANTIA, & de Cœna Domini, olim Senatui Argentinensi exhibita confessio.

Fundamenta ad doctrinam de Prædestinatione rectè intelligendam, cognitu pernecessaria.

CAPVT I.

DEo optimo maximo tametsi simplicissima sit substātia, nullàque in eum, vel substātialis vel accidentalis cadat compositio, multæ tamen proprietates in Scripturis, propter nostrum imbecillum captum ita attribuūtur, quasi ab illius essentia differant: cùm tamen sint ipsa Dei essentia. Inter has, hæ quoque non sunt postremæ: æterna omnium rerum scientia atque sapientia: æterna voluntatis libertas: æterna sui, suorúmque decretorum immutabilitas atque constantia: æterna omnipotētia: æterna iustitia: æterna misericordia. Sine ipsarum autem explicatione, intelligi articulus de Prædestinatione non potest: cùm prædestinatio Dei, sine eiusdem sapientia, sine voluntate, sine iustitia, sine misericordia, & sine immutabilitate constare, & sine omnipotentia impleri non potuerit atque possit. Ergo hæ proprietates principiò sunt breuiter explicandæ.

De Dei sapientia.

THESIS I.

Deus est, & semper fuit ita perfectè sapiens: vt nihil eum lateat, aut ab æterno vnquam latuerit, tam eorum, quæ ipse per se facit aut facturus est, quam eorum, quæ alij agunt. Hebr. 4.

II.

Nihil enim nunc agnoscit Deus: quod ab æterno non prænouerit atque præuiderit cùm eius præscientia æterna sit, atque perfecta. Eccles. 23.

III.

Est autem præscientia Dei certissima, ita, vt quidquid à Deo futurum præscitur, illud tandem aliquando cōtingat, atque fiat necesse sit.

IV.

Neque tamen hæc certa Dei præscientia talem rebus necessitatem imponit, quæ aut voluntatem Dei, qui vult alia esse necessaria, alia contingentia, tollat, aut rerum naturas euertat.

V.

Neque sola Dei præscientia est eorum, quæ fiunt, caussa, sed præscientia simul cum voluntate. Psal. 11.

Thesis II. & III. explicatio & confirmatio.

Deus non præuidet futura: nisi ea quæ reuera tandem futura sunt: & præuidet futura, atque videt præsentia. Præsciētia autem Dei tam falli potest, quàm potest Deus desinere esse Deus. Ac proinde qui hanc Dei proprietatē negat, ipsum Deum negat, cùm Dei natura sit, vt falli non possit. Qui enim non est præscius omniū futurorū, non est vtique Deus, inquit Augustinus Tom. 5. de ciuit. Dei, lib. v. c. 9. Ideo idē Augustinus ab hac Dei præsciētia concludit, quos Deus præsciuit saluos fore: eos perire non posse: quia præscientia Dei nō fallitur. Horū, inquit, si quisquā perit: fallitur Deus, sed nemo eorū perit: quia non fallitur Deus. tom. 7. de corr. & gratia, c. 7. Lutherus de seruo arbitrio, c. 159. Nihil, inquit, facilius est, etiam communi sensu: quàm hanc sequelam esse certam, solidam, veram: si Deus præscit, necessariò fit: vbi hoc ex Scripturis præsuppositū fuerit, quòd Deus neque errat, neque fallitur. Legantur quæ etiam scribit in cap. 157. vbi etiam explicat fructus huius doctrinæ. De præscientia Dei, inquit, disputamus: huic nisi dederis necessarium effectum præsciti: fidem & timorem Dei abstulisti, promissiones & minas diuinas omnes labefecisti: atque adeo diuinitatem ipsam negasti.

Thesis IV. expl. & conf.

Dei enim præscientia non facit vt aut voluntas mutetur, aut naturæ quæ sunt suapte natura liberæ, vti sunt homines, libertatem amittant. Spectata quidem Dei præscientia, qua quæcunque futura sunt, perinde atque si iam essent, præuidet, quia ea falli non potest, quæcunque in mundo fiunt, necessariò, hoc est, infallibiliter fiunt: vnumquodque tamen secundum suam agit naturam: liberum, liberè, contingens, cōtingenter: necessarium, necessariò. In hunc etiam sensum & non alium: tam Lutherus, cùm alibi, tum in libro de seruo arbitrio, quàm Philippus Melanchthon in locis prioribus, concluserunt omnia mera fieri necessitate. Proinde qui peccant, quia liberè, hoc est, voluntariè peccant: optimo iure puniuntur.

Augustinus tom. 9. in Iohan. Tract. 73. Non ideo, inquit quenquam ad peccādum (Deus) cogit, quia futura hominum peccata prænouit.

Lutherus in libro de Seruo arbitrio: postquam conclusit omnia fieri necessariò, propter immutabilem, infallibilémque Dei præscientiam ac voluntatem: docet, discrimen tamen esse inter necessitatem infallibilitatis, vt vocant, & coactionis: hominésque siue bonos, siue malos, nihil coactos, seu inuitos velle, cap. 44. in probatione paradoxi secundi. item cap. 161. 164.

De Dei voluntate.

THESIS I.

Deus sicut intelligentia, sic etiam libera voluntate ita præditus est: vt nihil aut agat, aut permittat, nisi prudens & volens, idque liberè.

II.

Voluntas autem Dei, etsi, quod ad suam substantiam attinet, vna tantùm est, vnus enim tantùm est Deus volens: tamen quod ad diuersos volendi modos, idque iuxta nostrum captum, attinet, ea duplex esse non immeritò dicitur: vna, qua quædam vult simpliciter & absolutè, altera, qua quædam vult conditionaliter.

III.

Voluntas absoluta seu beneplaciti in seruandis aut damnandis hominibus, nunquam est, respectu eiusdem de quo est, sibi ipsi contraria.

IV.

Non enim vult Deus absoluta voluntate seu simpliciter, eundem hominem damnari & saluari, sed quos semel voluit saluari, eos perpetuo saluari vult.

V.

Eadem verò voluntas absoluta seu arcana, voluntati conditionali seu reuelatæ, sæpenumero respectu etiam eiusdem, de quo ambæ sunt, cōtraria esse videtur, quanquā Deus sibi ipse nunquā est cōtrarius, ac proinde neq. volūtates, si propriè loquamur, vnquā sunt inter se contrariæ.

VI.

Dominus enim nonnunquam eidem homini tale quid fieri mandat, quod tamen arcana sua voluntate ab eo reipsa perfici non vult: quemadmodum in exemplo Abrahæ & Pharaonis manifestè apparet. Illi enim mandat, vt filiū occidat, quem voluntate tamē absoluta nolebat ab eo reuera occidi, isti mandat, vt dimittat populum, quem tamē voluntate absoluta nolebat ab eo dimitti, vnde & Mosi dixit: Indurabo cor Pharaonis, ne dimittat populum.

VII.

Etsi verò hæc ita se habeant, non sequitur tamen, aut Deum hominibus tali externo mandato illudere, aut ipsos homines quòd non obtemperent, excusatos esse.

VIII.

Neque enim hominis est secreta Dei consilia inuestigare, sed reuelatæ eius voluntati simpliciter Abrahæ exēplo, obtemperare.

IX.

Voluntas arcana seu beneplaciti, quia absoluta est voluntas, nulla ratione impediri potest. est enim omnipotentissima: ac proinde semper, vtvt res cadat, impletur.

X.

Deus enim hac absoluta & omnipotentissima voluntate, quæcunque fiunt, vult. & sine absoluta Dei voluntate nihil fit: cùm ipsa sit prima omnium rerum causa.

Atque ita absolutè Dei voluntas, rerum omnium caussa est primaria, vt eius nulla sit caussa. Quòd igitur aliquid velit Deus, nulla alia adferri potest caussa prior: nisi ipsamet Dei voluntas, quia sic ei placeat.

XII.

Itaque cum arcana Dei voluntas semper, vt dictum est, fiat, & nulla ratione impediri possit, cùm sit omnipotentissima: iccirco nullo modo dici potest, Deum simpliciter & propriè voluisse aut velle omnes in vniuersum homines saluos fieri.

Eadem

XIII.

Eadem de caussa dici non potest, Dei voluntate propriè & simpliciter fuisse, vt Christus pro salute omnium moreretur, id est vt omnes per eius mortem seruarentur: ac proinde Christum, secundùm propositum Patris, pro salute omnium mortuum esse: sed tantùm (vt loquuntur) sufficienter.

XIV.

Hac eadem de caussa damnari non possunt Augustinus, Lutherus, Bucerus, Lombardus & Scholastici, & alij doctissimi viri: in eo quòd docent, non rectè dici, Deum simpliciter nolle peccari: aut omnino velle, vt non peccetur: quòd hoc dicere tollat Dei omnipotentiam: & ideo neget Deum esse Deum.

XV.

Eadem de caussa iidem, præsertim Lutherus in libro de seruo arbitrio, & Melanchthon in locis prioribus, damnari minimè possunt in eo quod tradunt: spectata certa Dei præscientia & immutabili eius voluntate omnia quæ fiũt fieri necessariò: quanquam spectatis caussis secundis, & nobis hominibus, multa fiant contingenter.

XVI.

Cæterùm damnari illi etiam non possunt: qui spectata reuelata Dei voluntate, docent, & Deum velle omnes homines saluos fieri: & Christum pro salute omnium hominum mortuum esse: & neutrum velle peccatum, cùm hæc omnia sint verissima.

XVII.

Porrò Deus sicut nihil nunc scit quod ab æterno non præsciuerit, sic etiam nihil nunc propriè vult, quod ab æterno, non voluerit.

XVIII.

Porrò absoluta Dei voluntas totius est salutis nostræ fons & caussa prima.

XIX.

Cùm autem hæc eadem absoluta Dei voluntas, quæ primaria est nostræ salutis caussa, sic etiam omnipotentissima atque immutabilis ac proinde semper fiat: salus igitur electorum certissima, immutabilis, & infallibilis est: côque necessariò, hoc est, infallibiliter saluantur.

Expl. & conf. Thesis primæ.

De iis quæ Deus agit ipse per se, vel per alios, aut quod fieri mandat, res est extra omnem controuersiam. De iis verò quæ permittit fieri, vti sunt peccata, quòd non nisi sciens atque volens permittat, docet ipsa verbi notatio. Permittere enim nihil aliud est, quàm nolle impedire, & est actio voluntatis. non igitur, nisi volens permittere, permittit Deus, quia scilicet non vult impedire.

Augustinus Tom. 3. in Enchiridio, cap. 100. Non fit præter eius voluntatem, quod etiam fit contra eius voluntatem: quia non fieret, si non sineret, nec vtique nolens sinit, sed volens.

Lutherus de seruo arbitrio, cap. 153. docet Deum permisisse Adam ruere in peccatum, quia sic voluit. item cap. 198. Siue sinat, inquit, siue inclinet Deus, nimirum cor Regis, ipsum sinere, vel inclinare non fit, nisi volente & operante Deo. Hæc ille. Non ergo permittit Deus aliquid, nisi sciens & volens.

Explic. & conf. secundæ.

Deum velle quædam absolutè manifestum est, & sacræ literæ confirmant. Etenim voluit absolutè mundũ creari, & illum absolutè vult regi, voluit item absolutè Christum in mundum venire, & pro salute electorum mori. vult etiam absolutè electos saluari, ideo omnia quoque quæ ad salutem sunt necessaria, electis præstat. Denique quicquid tandem Deus facit, illud absolutè vult, & quia absolutè vult, iccirco etiam absolutè & certò facit.

Eundem Deum quædam velle conditionaliter, docent itidem sacræ literæ: vult enim omnes seruari, si velint Legẽ implere, aut in Christũ credere. Proinde illã priorẽ voco absolutam voluntatem: hanc verò posteriorem conditionalem. Illam priorẽ Scholæ appellant voluntatem beneplaciti: hanc verò voluntatem signi, Sentent. libro 1. dist. 45. Damascenus lib. 2. cap. 46. illam appellauit voluntatem consequentem, est enim eorum omnium, quæ tandẽ consequuntur & fiunt, hanc alteram vocauit voluntatem antecedentem. Antequam enim Deus vel puniat, vel beet, præmittit minas & promissiones, quibus, quid facturus de nobis sit, si non obtemperemus, & contrà, quid largiturus, si obediamus, declarat. Hac de caussà antecedens volũtas appellantur hæc Dei mandata, minæ, ac promissiones, id tamen quod postea nostram vel obedientiam, vel inobedientiam consequitur, ab æterno Deus absolutè decreuerat, & ideo etiam sese facturum præuiderat hac de caussa absoluta voluntas, quia de iis quæ infallibiliter fiunt & consequuntur: voluntas consequens appellatur. Sic etiam illam Damasceni distinctionem intellexit, & interpretatus est Bucerus Rom. 9. Illam quoque priorem appellant alij, vt Lutherus de seruo arbitrio, cap. 108. 109. 110. voluntatem occultam & arcanam: quòd scilicet ignorent homines, quid de vnoquoque absolutè decreuerit Deus: hanc verò posteriorem vocant voluntatem reuelatam: quòd scilicet reuelatum sit quid à nobis exigat & velit Deus, si nos velimus seruari: item quid de nobis velit, si obtemperemus facere. Augustinus tom. 3. in Enchirid. c. 102. 103. tom. 5. de ciuit. Dei, lib. 22. cap. 12. illam absolutam vocat voluntatem sicut certissimam, ita etiam omnipotentissimam & efficacem, & inuictam, idque quoniam illa semper impletur, tam in cœlo, quàm in terra. alteram verò, nempe conditionalem, seu reuelatam appellat inefficacem: quia non semper impletur: cùm enim pendeat à conditionibus, quas à nobis requirit Deus, nos verò non eas omnes præstemus: ideò non semper nec in omnibus impletur: ac proinde inefficax iure appellatur.

Testimonia de duplici voluntate Dei.

De voluntate conditionali & reuelata, nulla est controuersia: cùm ferè nihil aliud concludit tota Lex & Euangelium, quàm, hanc esse Dei voluntatem, vt habeamus bona & æterna & temporaria: si Legem seruemus, & in Christum credamus

De voluntate autem occulta, omnipotenti & absoluta hæc præter alia habemus testimonia.

Psal. 113. Omnia quæcunque voluit Dominus, fecit, in cœlo & in terra.

Iesa. 46. Consilium meum stabit: & omnis voluntas mea fiet: voluntas nimirum beneplaciti.

Rom. 9. Quorum vult, miseretur: & quem vult, indurat. Item, Voluntati eius quis resistet?

Lutherus de seruo arbitrio, in responsione ad locum Ezechielis 18. Nolo mortem peccatoris: hanc eandem tradit distinctionem: & vnam voluntatem vocat modò occultam ac metuendam, atque imperscrutabilem, modò reuerendissimum diuinæ maiestatis secretum, modò Deum absconditum. Alteram verò vocat modò reuelatam voluntatem, modò verbum prædicatum, modò Deum prædicatum & cultum.

Bucerus eandem tradit Rom. 9. in conciliatione horum locorum: Deus, quos vult, indurat, &, Deus vult omnes homines saluos fieri.

Si ista duo lumina Germaniæ non sufficerent: ipsum etiam Brentium in suo Catechismo, in illud orationis Dominicæ: Fiat voluntas tua, vbi eandem tradit distinctionem citarem: sed quia non est opus, & huius, & aliorum multorum testimoniis supersedeo.

Certè Lombardus & Scholastici omnes eandem secuti sunt: Sentent. lib. 1. distinct. 45. imò & ipsi in libros Sent. & Ludouicus Viues, in lib. 22. de ciuit. Dei, cap. 1. scribunt, illam beneplaciti esse propriè voluntatem Dei: alteram non ita.

Explic. & conf. thesis VI.

Cùm Abrahæ mandat Deus, vt filium suum Isaacũ occidat, non potest Abraham aliud rectè iudicare: quàm hanc esse Dei voluntatem, vt filium occidat: arcana tamen & absoluta voluntate Deus nolebat vt Abraham suũ occideret filium. Hoc apparet, quia cùm Abraham voluit voluntati reuelatæ obtemperare: Dominus illum, ne id faceret, cohibuit: atque ita impleta fuit occulta, non autem reuelata voluntas. Dicitur autem illa absoluta voluntas, arcana voluntas, quoniam ante rei cuiusque euentum, quid Deus simpliciter velit, à nobis ignoratur: post euẽtum autem arcana ampliùs dici non potest. Iccircò nunc verè pronuntiamus, Deum simpliciter voluisse Iudam perire, quia periit, ante verò quàm periisset, hæc Dei voluntas ignota omnibus erat. Cum Pharaoni etiam mandat Deus vt dimittat populum, quis aliud dicere possit, & debeat, quàm hanc esse Dei voluntatem, vt populũ dimittat Pharao? Hoc igitur mandatum fuit reuelata Dei voluntas. Idẽ tamen Dominus voluntate absoluta & occulta non vult vt Pharao dimittat populum: hoc apparet tum ex verbis ipsius Dei ad Mosen, Ego indurabo cor Pharaonis ne dimittat populum, tum ab effectu, quia non dimisit. Si enim absolutè voluisset Deus populum dimitti, dimissus fuisset: & Pharao voluntati reuelatæ obtemperasset. Quis enim huic voluntati omnipotentissimæ resistere potest?

Augustinus huic doctrinæ subscribit: eamque cùm alibi sæpe, tum in Enchiridio, tum in libris contra Pelagia-

nos, & de ciuitate Dei, libro præsertim 22. inculcat: Nihil, quod Deus simpliciter velit, non fieri: & nihil, quod Deus simpliciter nolit, fieri: multaque tum in Scripturis, tum in animos voluntatesque sanctorum, Deum inspirare, quæ tamen simpliciter fieri nolit: & huius rei respectu dici posse verè, Deum multa velle quæ non agat, lib. 22. de ciuit. Dei. cap. 1. & 2. aperte scribit Augustinus.

Lutherus idem facit in libro de seruo arbitrio, præsertim in responsione ad locum Ezechielis 18. Deus, inquit, non vult mortem peccatoris. verbo scilicet (hoc est voluntate reuelata,) vult autem illam, voluntate imperscrutabili (hoc est, occulta & absoluta) Ita Lutherus.

Brentius in libro 1. Sam. cap. 2. cap. 79. in ea verba, Et nō audiuerunt vocem Patris sui, quia voluit Dominus occidere eos, subscribit huic doctrinæ, & totam hanc quæstionem in hæc concludit verba: Itaque vt pro meritorum suorum dignitate punirentur, occulta sua potentia effecit, vt ad Patris monitionem non resipiscerent, & tandem perirent. nimirum intus operans quod foris verbo suo prohibebat, & potentia sua intus impediens, quod manifesta sua voluntate foris fieri mandabat. Atque hoc non est autorem seu caussam esse malitiæ, sed est iustum inferre supplicium propter malitiam. Cæterum qui fiat, quod Dominus occulta potentia intus operetur, aut impediat, quod foris manifesto verbo prohibet, aut mandat, altius est, quàm vt humano captu inuestigari queat. Hæc Brentius.

Bucerus in epist ad Rom. cap. 9. præsertim cap. 378. demonstrat, Deum multos Euangelio ad se vocare, quos tamen non velit Euangelio obedire: atque iis verbis concludit, Fatebuntur igitur sancti ingenue, imò prædicabūt, Deum velle quidem Euangelium prædicari omnibus, eóque vocari ad vitam cunctos mortales, nolle autem vt omnes Euangelio credant: nec enim id omnibus largitur, sed indurat multos, ne illud audire sustineant. Hæc ille. Non possumus igitur in iis Dei iudiciis aliud dicere, quàm Deum, voluntate quidem conditionali & reuelata, velle omnes ad se venire: voluntate autem arcana & absoluta, quæ ab euentu rerum cognoscitur, nolle omnes ad se venire, neque enim omnes veniunt.

Expl. & conf. thesis septimæ.

Hæc propositio non ita est intelligenda, quasi Deus homines volentes ad se venire, sua occulta voluntate, ne possint venire impediat, (Deus enim neminē impedit, quin, si velit & possit, bene faciat.) sed ita intelligenda est, quòd Deus, etsi vocet, non velit tamen illis dare gratiam illam, qua velint & possint vocanti assentiri, cùm autem id non possint sine Dei gratia, (suapte enim natura corrupti sunt, atque rebelles) & Deus sua occulta voluntate nolit eam illis largiri, id etiam ipsorum, non Dei vitio fit, vt Deo vocanti non assentiantur, ita hinc liquet eos non posse à peccato excusari, quia quod non veniant, vitium est in ipsorum voluntatibus. Neque etiam Deus illudit quia per ipsum non stat, quin, si velint veniant, sicut neque paterfamiliàs ideo dici potest illusisse illis inuitatis ad cœnam, qui venire recusarunt, quia illos inuitauit, sed non coegit, sicut postea reliquos intrare. Ille enim dicitur illudere, qui aliquem ad cœnam inuitat, & postea, si veniat, eum repellit. Non sic facit Deus, neminem enim ad se venientem, aut venire volentem repellit. Sed hoc opus, hic labor est, vt homines sine gratia Dei velint aut possint ad eum venire, Nemo venit, nisi pater traxerit. Ioh. 6.

Bucerus Rom. 9. postquam conclusisset Pharaonis exēplo, & figuli similitudine, Deo in nos tale esse ius, vt nos faciat quales velit, sua scilicet voluntate abscondita & absoluta, & deputet ad eos vsus quos ipse sibi delegerit, ita subdit, Ex hoc verò non consequitur, nos non agere nostra voluntate, aut peccata nostra non nobis, sed Deo imputanda esse. Hæc ille.

Explic. & conf. thesis octauæ.

Iccircò enim Deus absolutam voluntatem nos celat, ne de ea simus soliciti, alteram verò reuelat, vt ei obtemperemus, & qui hanc non studet facere, peccat, qui autem curat implere, de occulta minimè solicitus, à Deo benedicitur. Abrahamus audita Dei voluntate de interficiendo filio, non inuestigat quodnam sit occultum Dei consilium, sed de illo haud solicitus, mox sese ad implendam reuelatam voluntatem accingit, ob eámque caussam audiuit à Domino, Quia fecisti hanc rem, & non pepercisti filio tuo propter me, Benedicam tibi, Gen. 22. Pharao contra peccauit in Deum grauissimè, quia reuelatam voluntatem contempsit.

Deut. 27, & Gal. 3. Maledictus omnis, qui non permanserit in omnib. quæ scripta sunt in libro Legis, vt faciat ea.

Contrà verò de iis qui inscrutabilem Dei voluntatem & inscrutabilia eius iudicia scrutari volunt: ita scribit Salomon Prou. 25. Sicut qui mel multum comedit, non est ei bonum: sic qui scrutator est maiestatis, opprimetur ab ea.

Interim tamen verum est, nunquam fieri nisi voluntatem Dei arcanam & absolutam.

Explic. & confir. thesis nonæ.

Ista enim voluntas, est Deus ipse verè simpliciter volens. est autem idem Deus omnipotentissimus, qua de caussa ista quoque arcana voluntas, omnipotentissima ab Augustino & Scholasticis appellatur. Quæcunque igitur Deus ista voluntate vult: tandem fiant necesse est.

Psal. 113. Quæcunque voluit Dominus, fecit in cœlo & in terra.

Ies. 46. Consilium meum stabit: & voluntas mea fiet.

Augustinus tom. 3. in Enchir. ad Laurent. cap. 103. Nullo modo credendum est, omnipotentem Deum aliquid voluisse fieri, factúmque non esse: qui sine vllis ambiguitatibus, si in cœlo & in terra, sicut veritas cantat, omnia quæcunque voluit fecit profectò facere noluit quodcunque non fecit.

Faciunt quidem homines multa contra voluntatē Dei reuelatam, & ideo grauissime peccant, ac iure damnantur, quia ea sola est nobis spectanda ac faciēda: sed contra voluntatem beneplaciti, absolutam & simplicem nihil propriè fieri potest. Ideo Augustinus tom. 5. de Ciuit. Dei, lib. 22. cap. 1. Multa fiunt (inquit) à malis quidem contra voluntatem Dei: sed tantæ est ille sapientiæ, tantæque veritatis, vt in eos exitus siue fines, quos & bonos & iustos ipse præsciuit, tendant omnia quæ voluntati eius videntur aduersa. Item cap. 2. concludit, Deum secundum voluntatem, quam ipse operatur sanctis, qua facit eos velle & orare multa bona, quæ tamen vt fiant à Deo obtinere non possunt, dici posse, Deum multa velle quæ non facit: secundum illam verò, inquit, voluntatem suam, quæ cum eius præscientia sempiterna est, profectò in cœlo & in terra, omnia quæcunque voluit, non solum præterita & præsentia, sed etiam futura iam fecit.

Tom. 7. de corr. & gratia cap. 14. Deo volenti, inquit, saluum facere: nullum resistit liberum arbitrium. sic enim velle vel nolle in volentis aut nolentis est potestate, vt diuinam voluntatem non impediat, nec superet potestatem. De iis enim qui faciunt quæ non vult (voluntate scilicet reuelata) facit ipse quæ vult, voluntate scilicet arcana.

Item: Non est itaque dubitandum, inquit, voluntati Dei, qui in cœlo & in terra omnia quæcunque voluit, fecit, & qui etiam illa quæ futura sunt, fecit: humanas voluntates non posse resistere, quo minus faciat ipse quod vult, quandoquidem etiam de ipsis hominum voluntatibus quod vult, facit.

Expl. & conf. thesis decimæ.

Si enim hæc voluntas est, vti est prima rerum omnium & omnium aliarum caussarum caussa: vtique consequitur necessario nihil in mundo fieri, quod non velit Deus.

Ioh. 1. Omnia per ipsum λόγον τοῦ θεοῦ facta sunt, & sine ipso factum est nihil, quod factum est.

Matth. 10. Non cadit passer super terram: neque capillus (Luc. 21.) perit de capite vestro, sine voluntate Patris vestri.

Augustinus tom. 3. in Enchirid. Nihil fit, nisi omnipotens fieri velit: vel sinendo vt fiat, vel faciendo.

Item tom. 3. de Trinit. lib. 3. c. 4. Voluntas ergo Dei prima & summa caussa est omnium specierum atque motionum: nihil enim fit, quod non de interiori atque intelligibili aula summi Imperatoris egrediatur, secundum ineffabilem iustitiam.

Idem tradit Lombardus, in I. Sentent. dist. 45. D. E.

Lutherus de seruo arbitrio, cap 143. Stante ergo illa (scilicet imperscrutabili voluntate) sine qua nihil fit. Idem cap. 149. Primùm, inquit, etiam ratio & diatribe concedit: Deum omnia in omnibus operari, ac sine ipso nihil fieri, nec efficax esse. est enim omnipotens: pertinétque id ad omnipotentiam suam: vt Paulus ait ad Eph. Hæc ille.

Item cap. 160. Ridiculus fuerit, inquit, Deus: si non omnia possit & faciat: aut aliquid sine ipso fiat.

Item cap. 158. Hæc Erasmi verba, Si esset Rex, qui quidquid vellet efficeret, nec quisquam posset obsistere, facere diceretur quidquid vellet. Ita Dei voluntas, quoniam est caussa principalis omnium quæ fiunt, videtur necessitatē nostræ voluntati inducere. Hæc inquam Erasmi verba probat Lutherus, dicens: Gratias tandem agimus Deo, pro sano sensu diatribes. vbi nunc igitur liberum arbitrium?

Bucerus in 9. ad Rom. in ea verba, O homo, tu quis es?

ipsa, inquit, Dei voluntas: Deo caussa est omnium: & ea ipsa est iustitia.

Explic. & conf. thesis vndecimæ.

Hæc propositio non est ita intelligenda, quasi voluntas Dei in iis quæ vult, nullam sibi proponat caussam finalē, aut quasi aliquid velit Deus sine ratione: sed ita intelligēdum est, Primum quod nulla est caussa efficiens voluntatis diuinæ, nisi ipsamet voluntas. Deinde, quòd nihil est extra Deum, quod moueat eum ad aliquid volendum ideo enim Deum aliquid velle, & ad suos fines dirigere, quia sic ei placet. Nulla igitur est caussa voluntatis Dei efficiens, aut mouens, nisi ipsa voluntas Dei.

Matt.11. Gratias ago tibi Pater Domine cœli & terræ: quòd absconderis hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelaris ea paruulis. Ita Pater, quoniam sic placuit tibi.
Rom.9. Quorum vult, miseretur: & quos vult, indurat.

Augustinus tom.4. lib.83. quæstionum, q.68. quæst. tom.3. de Trinitate lib.3. cap.4. tom.1. contra Manichæos, lib.1. cap.2.

Lutherus de seruo arbitrio, cap.153. respondens ad quæstionem. Cur Deus permiserit Adam ruere, & cur nos omnes eodem peccato infectos condat: cùm potuisset illū seruare & nos aliunde, vel primò purgato semine, creare? sic ait: Deus est cuius voluntatis nulla est caussa, nec ratio quæ illi ceu regula & mensura præscribatur: cum nihil sit illi æquale aut superius: sed ipsa est regula omnium. Si enim esset illi aliqua regula vel mensura, aut caussa, aut ratio: iam nec Dei voluntas esse posset: non enim, quia sic debet, vel debuit velle, ideo rectum est quod vult: sed contrà, quia ipse sic vult, ideo rectum debet esse quod fit. creaturæ voluntati caussa & ratio præscribitur: sed non creatoris voluntati, nisi alium illi præfeceris creatorem.

Bucerus Rom 9. Ipsa, inquit, Dei voluntas, Deo caussa est omnium: & ea ipsa est iustitia.

Item in illud idem caput: Proinde, inquit, miseretur cuius vult misereri, & indurat, quem vult indurare: hoc est nullam vtriusque rei caussam habet aliam, quam suam voluntatem. Atqui si Deo sunt omnia in ipsius voluntate posita, nihil potest facere iniqui, dum facit pro sua voluntate. Hæc Bucerus.

Videantur etiam, quæ in libello doctrinæ Buceri de Prædestinatione habeantur pag.62.63.65.

Expl. & conf. thesis XII.

Cùm enim hæc voluntas sit omnipotentissima: profectò si Deus simpliciter vellet omnes saluos fieri, omnes salui fierent: quia omnibus largiretur ea, quæ ad salutem cōsequendam sunt necessaria. qui enim simpliciter aliquid vult: vult etiam omnia quæ ad illud consequendum necessaria sunt, & si possit, ea præstat. Deus autem est omnipotens: si ergo vult simpliciter omnes saluos fieri, vtique præstabit illis omnia quæ ad salutem sunt necessaria. & ita omnes seruabuntur. Ideo Psal.115. dicitur: Quæcunque voluit Dominus, scilicet simpliciter, fecit in cœlo & in terra. Apostolus quidem ait, Deus vult omnes homines saluos fieri, sed illud dictum, si de voluntate beneplaciti accipiatur, intelligitur, vt Augustinus interpretatur Tom. 3. in Enchir. cap.103. atque de correpth. & gratia, cap.14. ex omnium hominum genere: seu, omnes homines, id est, omne hominu genus. Quam etiā interpretationem secuti sunt viri doctissimi, præter alios, Bucerus in cap.9. ad Ro. in conciliatione Locorum, Deus quos vult, indurat, &, Deus vult omnes homines saluos fieri.

Cæterùm illud tamen etiam verum est, Deum velle omnes homines saluos fieri, voluntate scilicet reuelata & conditionali, nimirum, si velint in Christum credere, & eius Legi seruandæ studere. Hac enim voluntate nemo à salute & à cognitione veritatis excluditur, sed omnes ad illam vocantur. Atque ita locum Apostoli 1. Tim.2. interpretatus est Ambrosius, de voluntate scilicet reuelata & conditionali. Vult omnes seruari, inquit, si & ipsi velint. nā qui legem dedit omnibus, neminem excipit (scilicet in Lege, seu in verbo reuelato,) à salute.

Cæterùm pugnat cum Dei omnipotentia & maiestate dicere, Deum aliquid simpliciter velle, & illud non fieri. Quare si qui non saluantur, dicendum est, ex parte Dei, Deum nolle simpliciter & voluntate beneplaciti illos seruari: ex ipsorum verò hominum parte, illos nolle remedium salutis amplecti.

Augustinus in Enchir. cap.103. postquàm locū Apostoli 1.Tim.2. exposuisset, subdit, Et quocunque alio modo intelligi potest, dum tamen credere non cogamur, aliquid omnipotentem Deum voluisse fieri, factúmque non esse, qui sine vllis ambiguitatibus, si in cœlo & in terra, quemadmodum veritas cantat, omnia quæcunque voluit, fecit: profectò facere noluit, quodcunque non fecit. Hæc ille.

Bucerus in Rom.9. Deus simpliciter, inquit, non vult reprobos saluos facere, quia eos ad id non elegit, aut fecit etiam.

Lutherus de seruo arbitrio, cap.161. Scilicet hoc offendit quàm maximè sensum illum communem, seu rationalem naturam: quod Deus mera voluntate sua homines deserat, induret, damnet: quasi delectetur peccatis & cruciatibus miserorum. Demonstrauerat autem, & deinceps demonstrat, rem ita se habere: nimirum, quod quidam seruentur, & alij damnentur, id inde prouenire: quod Deus velit quosdam seruari, & alios damnari: iuxta illud Pauli: Quorum vult, miseretur: & quos vult, indurat.

Expl. & conf. thesis XIII.

Res est perspicua, tacto illo fundamento, voluntatem hanc beneplaciti, quæ propriè est, & dicitur voluntas Dei, semper fieri. Scimus enim non omnes seruari, nec omnes fieri participes virtutis sanguinis Christi. Quæcunque autem simpliciter vult Deus, fiunt. Non ergo vult simpliciter, vt omnes seruentur: nec Christus secundùm beneplacitum Patris pro salute omnium mortuus est. Soli electi seruantur: soli etiam fiunt participes sanguinis Christi. Solos ergo eos Deus vult simpliciter seruari, & pro eis solis Christus mortuus est: & pro eis solis intercedit.

Rom.8. loquens de electis tantum, ait, Quos præsciuit, & prædestinauit conformes fieri imagini Filij sui. Quid ergo dicemus ad hæc? Si Deus pro nobis, scilicet electis: quis contra nos scilicet electos? Qui etiam proprio Filio non pepercit, sed pro nobis, scilicet electis, tradidit illum.

Item mox: Quis accusabit aduersus electos Dei? Deus est qui iustificat, quis est qui condemnet, scilicet electos? Christus est qui mortuus est, scilicet pro his electis: imoqui etiam resurrexit, qui etiam est ad dextram Patris. & interpellat pro nobis, scilicet electis. ita exposuit & Augustinus in Ioan. Tract.45. col.335.

Ioan 17. Non rogo pro mundo, sed tantum pro iis qui credituri sunt in me. Neque igitur etiam mortuus est pro mundo, nempe spectata sua & Patris certa & omnipotentissima voluntate, seu beneplacito.

Ambrosius Tom.2. de fide ad Gratianum, lib.4 cap.1. Si non credis non tibi passus est.

Tota Ecclesia Smyrnensis in epistola de vita Polycarpi ad omnes parœcias Ponti, apud Eusebium hist. lib.4. cap. 10. eandem tradidit doctrinam.

Bucerus vbique ferè in suis scriptis docet, Christum mortuum esse pro electis tantum, sed vniuersis, nimirum spectato suo & Patris beneplacito.

Matth.26. sect.4. Christus sic Petrum alloquens introducitur, Si Christus sum, inquit, occidi pro electis debeo, iuxta Scripturas. Si Filius Dei, cur non gererem morem Patri, qui vult me hostiam esse pro peccatis omnium, quos ille ad vitam ordinauit?

Ioan. 10. sect.2. Christus ita loquitur: Hoc mandatum accepi à Patre, hoc est, in hoc missus sum, vt moriar pro peccatis ouium. id est, electorum: & resurgam propter iustificationem eorum.

In Confessione Argentinensis Ecclesiæ, anni 39. cui subscripserunt Bucerus, Capito, Hedio, & reliqui ministri, in articulo 18. admonentur concionatores: vt neminem baptizent, nisi hac particula vel expressa, vel subintellecta: Ego, ô Deus, hunc baptizo secundùm tuam electionem, & propositum diuinæ voluntatis tuæ. Hæc ibi In Baptismo autem applicatur nobis vis passionis Christi: consepelimur enim cum Christo per baptismum in mortem, vt Apostolus docet Rom. 6. Docuerunt igitur illi patres, illa adiecta particula, vim passionis Christi, solis electis communicari: ac proinde pro solis electis Christum passum, & mortuum esse, nempe spectato æterno Patris & suo proposito.

Etsi verò hæc vera sunt: tamen illud quoque falsum nō est, Christum mortuum esse pro omnibus hominibus spectata voluntate conditionali: nempe, si suæ mortis per fidem participes fieri velint. omnibus enim passio Christi offertur in Euangelio: & ab ea nemo excluditur, nisi qui seipsum excludit. Atque hoc est, quod in Scholis vsurpatū fuit: Christum mortuum esse pro omnibus quidem in vniuersum hominibus, sufficienter: sed pro electis tantùm efficaciter: quia scilicet ipsi tantùm efficacitatis passionis Christi participes fiunt.

Expl. & conf. thesis XIV.

Cùm enim hæc Dei absoluta volūtas semper fiat nulláque re possit impediri, vt antea demonstratum est: si simpliciter, & nullo modo vellet peccari Deus: simpliciter

& nullo modo peccaretur. Voluntati enim eius quis resistet? Rom.9. Deinde nemo inficiatur, Deum permittere, seu sinere peccata: non permittit autem nescius & inuitus: Ergo aliquo modo illud vult. Fuit hæc conclusio in Schola quoque nostra à D. Petro Martyre disputata atque defensa.

Doctrina hæc est Augustini præter alia loca, in Enchir. cap.96. & Lutheri in libro de seruo arbitrio passim.

Bucerus Rom.1. sect.7. in illud Apostoli, (Propterea tradidit illos.) concludit, etiamsi quis *tradidit*, interpretetur pro *permisit*, ne Deum faciat autorem peccati, illum tamen non posse euadere, quin concludat Deum velle peccatum: cum permittere sit, velle non impedire. Deum igitur velle vt impij agant ea, ad quæ agenda indurantur. Interim tamen culpam peccati nostri non posse vllo modo in Deum transferri, sed in nobis solis hærere. Legantur quæ de eadem re scribit in Rom.9. in conciliatione Locorum: Deus quos vult indurat: &, Deus vult omnes homines saluos fieri.

Item in ea verba Rom.9. Volūtati eius qui resistit? Voluntatem, inquit, cum dicit notat, Deum ea velle, ad quæ homines indurat: cum addit: Quis resistet, indicat necessitatem faciendi ea quæ fert induratio

Interim ista quoque vera sunt. Primum Deum non permittere peccatum, quòd eo delectetur, aut illud probet, iuxta illud Psal.5. Non volens iniquitatem tu es, Deus. Illud enim verbum (volens.) Hebraicè est *chaphetz*; quod verbum significat, velle cum delectatione, seu delectari. Cæterùm propter alia bona, illud malum Deus volens permittit: vt Augustinus quoque testatur in Enchiridio, cap.11. Neque enim Deus omnipotens, inquit, rerum cui summa potestas: cùm summe bonus sit, vllo modo sineret mali aliquid esse in operibus suis: nisi vsque adeo esset omnipotens & bonus, vt bene faceret etiam de malo: id quod etiam infideles fatentur.

Item in eodem libro, cap 27. Melius, inquit, de malis benefacere iudicauit, quàm mala nulla esse permittere. Item tom.7. de correpț. & gratia, cap.10.

Proinde D. Gregorius primus, volens explicare, quantum bonum illud sit quod Deus in permittendo peccato spectauit, & nos tandem assecuti sumus per Christum, peccatum hominis appellauit felix, ita exclamando: O felix culpa: quæ tantum ac tantum meruit habere redemptorem!

Secundo: hoc etiam est extra controuersiam apud Christianos: Deum hac voluntaria sua permissione, nullo modo propriè efficere vt nos peccemus: proinde autorem peccati dici non posse: nisi velimus eum peccati autorem appellare, qui cùm possit non impedit peccatum. At hoc in illis verum est, qui cum possint & debeant impedire, non impediunt. At verò Deus, etsi possit, non tenetur tamen impedire: imò bonum est vt non impediat omnia mala: sed fieri sinat, vt Augustinus ait in Enchirid. cap.96.

Tertiò, illud etiam verum est, voluntate reuelata & conditionali Deum nullo modo, nulloque tempore, velle peccatum. nunquam enim illud in Lege permisit: nunquā probauit: semper puniuit. Ac si quis velit Deo gratus esse, & consequi æternam vitam: vitare debet pro virili peccata omnia: alioqui nisi ijs vitandis perpetuo studeat: inimicus Dei fueri, & æternùm peribit. Atque hoc satis est Christiano, nosse nimirum quæ sit reuelata Dei voluntas. Et hoc etiam satis est, ad Deum omni culpæ suspicione apud homines liberandum. Si aliquis sapientissimus atque optimus pater, qui optime nouerit filij sui ad voluptates propensionem, & quem, nisi vt cohibeatur, voluptates secuturum præuiderit, in hanc formam significet filio, se quidem nolle vi vlla eum impedire quin agat quæ volet: sed tamen se hoc illi mandare, ne quippiam turpe aut inhonestum, quódque se non deceat, agat: & hanc suam esse voluntatem: quam si facere neglexerit, se graues de illo pœnas sumturum: Quis accusare possit parentem, quòd filio suo permittat libertatem: aut quis excusare filium, si contra voluntatem patris reuelatam, aliquid turpe admittat? annon satis est filio, voluntatem patris sibi reuelatam agnoscere?

Hæc verò decima conclusio scitu nobis Christianis necessaria est. Itaque vt retineamus integrum primum fidei nostræ articulum: Credo in Deum patrem omnipotētem: qui articulus nullo modo defendi potest; si dicamus. Deū simpliciter & nullo modo velle peccatum quoniā si ita sit, cùm peccata fiant, consequetur, non esse igitur omnipotentem. Hoc optimè vidit Augustinus, ac proinde ita etiam scriptum reliquit in Enchirid. cap.96. Nec dubitandum est, Deum facere bene, etiam sinendo fieri quæcunque fiunt male, non enim hoc, nisi iusto iudicio sinit, & profectò bonum est omne quod iustum est. Quamuis ergo ea, quæ mala sunt, in quantum mala sunt, non sunt bona, tamen vt non solum bona, sed etiam sint & mala bonum est. nam nisi esset hoc bonum vt essent & mala, nullo modo esse sinerentur ab omnipotente Bono, cui proculdubio quam facile est quod vult facere, tam facile est, quod non vult, esse non sinere. Hoc nisi credamus, periclitatur ipsum nostræ fidei confessionis initiū, qua nos in Deum Patrem omnipotentem credere confitemur. Neque enim veraciter ob aliud vocatur omnipotens, nisi quia quicquid vult, potest, nec voluntate cuiuspiam creaturæ, voluntatis omnipotentis impeditur effectus. Hæc ille.

Debent ergo pij iustitiam Dei defendere, vt eiusdem omnipotentiam non infirment aut prorsus tollant. Dicere autem, Deum simpliciter nolle peccatum, cùm peccata tamen quotidie contra eius voluntatem fiant, tollit Dei omnipotentiam. Contrarium verò affirmare, non derogat quicquam iustitiæ Dei, quia quicquid vult, aut facit Deus, iustum est, & eius voluntas regula est omnis iustitiæ, vt ait Augustinus, Lutherus, Bucerus & omnes.

Interim fateor, subtilem, diligentémque huius loci tractationem, magis ad scholam, quàm ad pulpita pertinere. Deinde sentio, in nullum alium finem hunc articulum, tū in Scripturis tradi, tum à doctis viris explicari, quàm in hos duos vsus: Primus est, vt defendatur omnipotentia Dei, vt Augustinus docet in Enchir. adeóque Deus ipse. Ac proinde, hunc articulum tum maximè populis explicandum iudico, cùm videmus eos persuasos esse, Deum ita permittere peccata, quasi imprudens aut nolens permittat, & ita nolle peccari, quasi ipso simpliciter inuito peccetur. hoc enim Dei omnipotentiam tollit, ideóque Deum negat. Voluntati enim eius quis resistit?

Alter huius doctrinæ vsus est, vt nos humiliemur coram Domino, dum videmus nos nihil valere, vsque adeo, vt neque malum absque voluntario Dei permissu facere possimus, sicut Lutherus in libro de seruo arbitrio docet. hac autem humiliatione nihil homini Christiano salutarius est.

Explic. thesis XV.

Lutheri hanc esse doctrinam, dubitare non potest, qui cùm alios eius libros legit, tum præsertim librum de seruo arbitrio. In eo enim hoc vnum contendit, liberum hominis arbitrium nullum esse. hoc inde potissimum probat, quod quicquid vult, aut agit homo, necessario, licèt non coactè agat. illa enim tantum nos velle agere, quæ ab æterno Deus præsciuit & voluit, voluntate arcana scilicet, vt fierent. præscientia autem Dei falli non potest, & voluntas Dei immutabilis est.

Hanc verò doctrinam, non solùm vtilissimam, verùm etiam scitu necessariam esse homini Christiano, multis in locis demonstrat. Cap. 17. in responsione ad præf. habet hæc verba: Est itaque & hoc in primis necessarium & salutare Christiano, nosse, quod Deus nihil præscit contingenter. sed quòd omnia immutabili & æterna, infallibilique voluntate & præuidet, & proponit, & facit. Hoc fulmine sternitur & conteritur penitus liberum arbitrium. Hæc ille.

Porro postquam hoc dogma probasset verbis etiam Erasmi, infert conclusionem, dicens, Ex quo sequitur irrefragabiliter, omnia quæ facimus, etsi videntur nobis mutabiliter & contingenter fieri, & ita etiam contingenter nobis fiant, reuera tamen fiunt necessario & immutabiliter, si Dei voluntatem spectes. Voluntas enim Dei efficax est, quæ impediri non potest, cùm sit naturalis ipsa potentia Dei, deinde sapiens, vt falli non possit. Non autem impedita voluntate, opus ipsum impediri non potest, quin fiat loco, tempore, modo, mensura, quibus ipse & præuidet, & vult. Cæterùm paulo post ait, sibi displicere in hac caussa hoc durum vocabulum *necessitatis* quòd videatur significare quandam voluntatis coactionem. cùm tamen aliud in hac caussa illo nomine necessitatis intelligi debeat, quàm coactio. Et mox, quid hoc nomine intelligat, aperit, nimirum non coactionem vllam, sed eorum, quæ de nobis præsciuit ac voluit immutabilis Deus, infallibilem euentum, ex immutabili Dei præscientia & voluntate pendentem. Voluntas enim, inquit, siue diuina, siue humana, nulla coactione, sed mera lubentia vel cupiditate, quasi verè libera, facit quod facit:

siue

[illegible] siue malum. Sed tamen immutabilis & infal- [illegible] voluntas Dei: quæ nostram voluntatem muta- [illegible] nat, vt canit Boethius: Stabilisque manens, [illegible] moueri. Et nostra voluntas, præsertim mala, se [illegible] potest facere bonam. Igitur quod non præstat [illegible] intellectus legentis, necessitatem intelligens, [illegible] velles, immutabilem voluntatem Dei, & [illegible] nostræ voluntatis malæ, vt aliqui dixerunt, [illegible] immutabilitatis.

Post autem. cap. 21. quanta sit vtilitas, aut potiùs [illegible] huius doctrinæ in Ecclesia Dei explicat his ver[illegible] dico, non modò quàm illa sint vera: de quo in Scripturis dicetur: verùm etiam quàm reli[illegible] m & necessarium sit ea nosse. His enim igno[illegible] fides, neque vllus Dei cultus cōsistere potest. [illegible] esset verè Deum ignorare: cum qua ignorantia [illegible] nequit, vt notum est. Si enim dubitas, aut con[illegible] esse, quod Deus omnia non contingēter, sed ne[illegible] & immutabiliter præsciat & velit: quomodo po[illegible] s promissionibus credere, certò fidere ac niti? Cū [illegible] promittit: certum te oportet esse, quòd sciat, possit, [illegible] præstare quod promittit: alioqui eum non vera[illegible] fidelem existimabis: quæ est incredulitas & sum[illegible] impietas, & negatio Dei altissimi. At quomodo certus & securus eris: nisi scieris, illum certò & infallibiliter, & immutabiliter ac necessariò scire, & velle, & facturum esse quod promittit? Neque solum certos oportet nos esse, Deum necessariò & immutabiliter velle & facturum esse: sed etiam gloriari in hoc ipso: vt Paulus Rom. 3. Esto autem Deus verax, omnis homo mendax: & iterum: Non quòd exciderit verbum Dei: & alibi: Fundamentum Dei firmum stat, habens signaculum hoc: Nouit Dominus, qui sint sui. & Tit. 1. Quam promisit Deus, non mendax: ante tempora secularia. Et Heb. 11. Oportet accedentem credere, quòd Deus sit, & in se sperantibus remunerator. Itaque fides Christiana prorsus exstinguitur, promissiones Dei & vniuersum Euangelium penitus corruit, si doceamus & credamus, non esse nobis sciendum præscientiam Dei necessariam, necessitatémque faciendorum. Christianorum enim hæc vna & summa consolatio est in omnibus aduersitatibus, nosse quod Deus non mentitur, sed omnia infallibiliter facit, & voluntati eius non resisti neque eam mutari aut impediri posse. Hæc omnia Lutheri sunt.

Dicere autem nemo verè potest: Lutherum, quæ in hoc libello scripta reliquit, aut leuiter ea scripsisse, aut postea retractasse. Primùm scribendum ei fuerat aduersus magnum virum, Erasmum Roterodamum, déque re grauissima: icirrò nullus etiam inter libros Lutheri elaboratior isto reperiri potest. Deinde ipse in Epistola ad VVolfgangum Fabritium Capitonem, de hoc libro ita scripsit 1537. nono Iulij: De tomis meorum librorum disponendis, ego frigidior sum & segnior, eo quod Saturnina fame percitus, magis cuperem eos omnes deuoratos: nullum enim agnosco meum iustum librum: nisi fortè de seruo arbitrio, & catechismum. Ἀντίγραφον huius epistolæ est hic Argentinæ.

Cæterùm quòd quidam contra hunc libellum quædā alia ex commentariis eiusdem Lutheri in Genes. cap. 26. obiiciunt, quasi ibi retractauerit quæ hic docuit, nihil est: imò tantùm abest vt ille locus contra hunc librum faciat, vt pleniùs eum confirmet. Id quod perspicuum facilè fiet, si quis omnia diligenter examinet.

In eo loco Geneseos tria damnat summatim Lutherus. Damnat primùm eos, qui doctrina de prædestinationis ac præscientiæ diuinæ necessitate abutuntur aut ad desperationem, aut ad licentiam, dicentes: Si sum prædestinatus siue bene, siue malè agam, seruabor: si verò non sum prædestinatus, quorsum opus est credere, Sacramentis vti, bona opera facere? Has voces vocat Diabolicas, & iurè. Argumentatio enim hæc habet paralogismum diuisionis, quasi verò seruari possint, qui perpetuò in peccatis viuūt, cùm prædestinatio complectatur non tantùm finem, qui est vita æterna: sed etiam media ad illam: quæ sunt, viua in Christum fides & opera fidei, hoc est, vita Christiana. Deinde huiusmodi dilemma proficiscitur à Spiritu Satanico, cùm spectet tantùm aut ad desperationem, aut ad licentiam. Spiritus autem Christi, totam hanc doctrinam de necessitate prædestinationis, tum ad glorificandum Deum, tum ad erigendas conscientias nostras contra omnes desperationes, tum ad studium bonorum operum, tum denique etiam ad crucem fortiter ferendam tradidit in Scripturis, & inscribit in electis.

Cōsequenter secūdo loco damnat eos, qui non contenti voluntate reuelata, quæ à salute & electione neminem excludit: & quæ apertè docet quid faciendum, vt habeamus vitam æternam, inuestigare volunt suis ratiocinationibus arcanam voluntatem, an ipsi sint ex electis, necne: cùm hoc ex illa sciri non possit, sed tantū ex reuelata, ex reuelata, inquam, tum in Scripturis, per verba Prophetarum & Apostolorum, qui sine vllius exceptione de omnibus, qui credunt in Christum, sic loquuntur, prædestinauit nos, elegit nos: tum in sanctis per opera Spiritus sancti, vt per testimonium, quòd simus filij Dei, & per fidem, pérque effecta fidei.

Tertiò, consequenter damnat eos, qui de sua electione dubitant: quòd hinc tandem sequatur vel desperatio, vel contemtus Dei, Sacramentorum, vitæque Christianæ. Iubent autem Christus & Apostoli, vt credamus nos esse ex electorum numero, quicunque ad Christum vocati sumus: & vt ita persuasi, neque de nostra salute desperemus, neque à studio bonorum operum, propter vllam rem aduersam declinemus. Hæc autem minimè pugnant cū iis, quæ in libello de seruo arbitrio accuratissime de necessitate prædestinationis scripserat: imò in illa digressione in Genes. hanc eandem confirmat doctrinam, & eam esse salutarem docet iis verbis, fol. 38. Ex hac cognitione non potest non exsistere ingens gaudiū & delectatio, quòd Deus est immutabilis, & quod necessitate immutabili operatur, neque se ipsum negare potest, sed seruat promissiones. Item in altera facie ad calcem. Hæc studiosè & accuratè monere & tradere volui, quia post meam mortem multi meos libros proferent in medium, & inde omnis generis errores & deliria sua confirmabunt. Hæc ille.

Non hic ait, se retractare quæ scripserat de prædestinatione & immutabili voluntatis diuinæ necessitate, sed tantùm quòd multi abutentur ea doctrina & suis libris. Ergo probat doctrinam ibi traditam, sed improbat eos, qui ea abutuntur, aut abusuri sunt. Notandum enim, Lutherum non dicere, Et inde, hoc est, ex meis libris colligent errores, sed ait, inde confirmabunt suos, non meos errores, & sua, non mea deliria. Ergo totam doctrinam, quam in eo libro de seruo arbitrio tradiderat, hîc etiam confirmat.

Et mox subdit, Scripsi autem inter reliqua, omnia esse absoluta & necessaria, sed simul addidi, quod aspiciendus sit Deus reuelatus, sicut in Psalmo canimus, *Er heist Iesus Christ, der Herr Zebaoth, vnd ist kein ander Gott.* Iesus Christus est Dominus Zebaoth, nec est alius Deus, & aliàs sæpissimè. Sed istos locos omnes transibunt, & eos tantum accipient de Deo abscondito. Vos igitur qui nunc me auditis, memineritis me hoc docuisse, non esse inquirendum de prædestinatione Dei abscondita, sed ea acquiescendum esse quæ reuelatur per vocationem & per ministerium verbi. Ibi enim potes de fide & salute tua certus esse, ac dicere, Ego credo in Filiū Dei, qui dixit, Qui credit in Filium, habet vitam æternam. Ergo in eo non est damnatio aut ira, sed beneplacitum Dei Patris. Hæc eadem autem alibi quoque in libris meis protestatus sum, & nunc etiam viua voce trado. Ideo sum excusatus.

Hic apertè cōfirmat illud dogma, quod in libro de seruo arbitrio tradiderat: omnia scilicet esse necessaria, spectata nimirum Dei præscientia & voluntate: vti semper & vbique inculcat. Nullo igitur modo existimandum est, Lutherum hanc doctrinam, de infallibili diuinæ præsciētiæ ac voluntatis necessitate, retractasse. nam eam confirmat etiam in præfatione Epistolæ ad Romanos, in 9. 10. 11. cap. Ibi apertè prædestinationis necessitatē cōmendat: ab illa omnia pendere docet, & necessitatem stabilem atque immotam summè necessariam, plenámque consolationis appellat: Imò ibidem, postquam probauit hanc necessitatem prædestinationis: statim improbat curiosulos, qui antequam Christum & virtutem crucis discant: sine verbo & sine Christo volunt inuestigare abyssum prædestinationis, & hos, ait se ipsos præcipitare in desperationem, & confusionem conscientiæ.

Neque aliud sibi vult idem Lutherus, in iis quæ scribit de hac re in Psal. 5. & 22. Vbique inuehitur in illos, qui dubitant de sua prædestinatione: & de ea voluntate inuestigant sine verbo Dei, & sine Christo: sed certum esse immutabiléque consilium Dei de cuiusque salute aut interitu, vbique consentienter tradit.

Philippus Melanchthon in prioribus locis eandem necessitatem docet, & ait: Postremò libertatem homini adimit diuina prædestinatio: eueniunt enim omnia iuxta diuinam prædestinationem: tum externa opera, tum internæ cogitationes in omnibus creaturis, ad Ephes. 1. Qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ,

Matt.19. Nónne duo passeres asse veneunt: & vnus ex illis non cadit super terram sine Patre vestro? Obsecro, quid hac sententia clarius dici potuit? Prouerb.16. Vniuersa propter semetipsum operatus est Dominus: impium quoque ad diem malum. Legantur reliqua quæ subiicit Scripturæ loca.

Mox de fructu & vtilitate huius doctrinæ subiungit, dicens: Abhorret ab hac sententia iudicium carnis, seu rationis humanæ: contrà, amplectitur eam iudicium Spiritus. Neque enim vel timorem Dei, vel fiduciam in Deum certius aliunde disces: quàm vbi imbueris animum hac, de Prædestinatione, sententia. Annon eam vbique in Prouerbiis inculcat Salomon, vt aliàs timorem, aliàs fidem doceat? Annon inculcat eam in eo libello, cui Ecclesiastæ titulus est? Multùm enim omnino refert, ad premendam, damnandámque humanæ rationis tum sapientiam, tum prudentiam: constanter credere, quòd à Deo omnia fiant. Annon hoc vno loco efficacissime consolatur discipulos Christus, cùm inquit. Omnes capilli capitis vestri numerati sunt? Quid igitur inquies? nulláne est in rebus, vti istorum vocabulo vtar, contingentia, nihil casus, nihil fortuna? Omnia necessariò euenire Scripturæ docent. Esto, videatur tibi in rebus humanis esse contingentia. Iudicio rationis hîc imperandum est. Sic Salomon, cùm in prædestinationis cogitatione versatus esset, inquit: Et intellexi, quòd omnium operum Dei nullam possit homo inuenire rationem eorum quæ sub sole fiunt.

Quanti autem facti fuerint à Luthero isti loci, idque præcipuè propter ea, quæ ibi initio Philippus tradit de necessitate diuinæ præscientiæ & prædestinationis, qua prædestinatione totum euertitur liberum arbitrium, docet epistola Lutheri ad Erasmum præfixa libello de seruo arbitrio. Ibi de diatribe Erasmi loquens, qua liberum arbitrium defendere conatus fuerat, ait: Illum nihil dixisse, quod non fuerit priùs dictum: vt etiam, inquit, superuacaneum videretur respondere illis argumentis tuis, anteà à me quoque toties refutatis: conculcatis verò, & prorsus protritis per Philippi Melanchthonis de Locis Theologicis inuictum libellum, meo iudicio non solùm immortalitate, sed canone quoque Ecclesiastico dignum. Ipse D. Philippus hos Locos nunquam retractauit.

Complures possem, post sacras literas, post Augustinũ, post Aquinatem, alióśque doctiores Scholasticos: multorum etiam nostri seculi doctissimorum virorum, idem quod Lutherus scribentium, autoritates subiicere, si hæc breuis Confessio illud pateretur.

Cæterùm sentio in hac quoque conclusione tractanda, sobriè esse versandum tam doctoribus in Schola, quàm pastoribus in templis, omnia enim sunt ad ædificationem dicenda. Hoc tantùm in præsentia demonstrare volui doctrinam hanc non posse vel vt nouam, vel vt perniciosam in se, vel vt impiam damnari.

Explic. thesis XVI.

Huius propositionis explicatio perspicua est ex iis quæ dicta sunt in explicatione propositionũ XII. XIII. XIIII.

Explic. thesis XVII.

Non est hæc propositio ita intelligẽda, quasi quæ Deus vult esse, aut fieri aliquo tempore: ea ab æterno voluerit semper & omni tempore fieri: hoc enim non tantùm impium, sed etiam stultum est sentire: sed ita intelligenda est: quod quicquid vult Deus fieri aliquo tempore: ab æterno voluit illud fieri, eo, hoc est, suo tempore, vt, si Deus voluit tempore Christi, vt Christus eo tempore moreretur: voluit igitur etiam ab æterno, Christum illo tempore mori: alioqui si hodie inciperet Deus aliquid velle, quod ab æterno vel non cogitarit, vel non voluerit: scientia & voluntas Dei imperfecta esset: ideóque Deus non esset Deus. Quia totum hoc est perspicuum: nulla subdo testimonia.

Explic. thesis XVIII.

Sunt enim præcipuæ nostræ salutis caussæ quatuor: prima est vltronea, bonaque Dei voluntas. Ideo enim amauit & elegit nos ad salutem, ante mundi constitutionem: quia ita voluit, & ita ei placuit. iuxta illud Apostoli: Elegit nos secundum beneplacitum voluntatis suæ.

Proxima est Christi meritum: sumus enim prædestinati in Christo ad salutem: sicut ait Apostolus ad Ephesios: hoc est, vt eam assequeremur per & propter Christum. Sed hæc caussa secunda pendet à priori: ideo Ioh. 3. primò ponit amorem Dei vltroneum, tanquam primam salutis nostræ caussam: secundo loco meritum Christi, iis verbis: Sic Deus dilexit mundum: ecce primam. vt Filium suum vnigenitum daret: ecce secundam. ideo enim dedit, quia dilexit, & ideo dilexit: quia voluit diligere.

Tertia caussa est fides, qua & æternam illam dilectionem in Christo, & Christum ipsum, eiúsque meritum amplectimur, atque percipimus. Ideo Iohan.3. hanc tertiam subdit caussam illis duabus: cùm ait: Vt omnis qui credit in eum, non pereat, sed habet vitam æternam. Cæterùm hæc ipsa quoque fides pendet à gratuita electione, & à Christi merito, est enim gratuitum Dei, propter Christum nobis reconciliati, donum, atque opus in nobis: vt ad Ephesios docet Apostolus.

Quarta & postrema caussa, est studium bonorum operum: atque adeo ipsa opera nostra bona, sunt hæc caussa salutis nostræ, quatenus iuxta & secundùm illa vnicuique rependetur: vt Christus docet Matth.17. Tunc reddet cuiq. iuxta facta ipsius. Sed hæc ipsa quoque bona opera sunt dona vltroneæ beneuolentiæ erga nos Dei & effecta passionis ac meriti Christi & fructus ipsius fidei. Huc illud ad Ephesios: Ipsius opus sumus, creati in operib. bonis, quæ præparauit Deus, vt in illis ambulemus. Et illud ad Galatas 5. Fides, quæ per dilectionem operatur. Voluntas igitur Dei, caussa est totius salutis nostræ primaria.

Bucerus in Matt.16. sect.5. totam hanc doctrinam tradit perspicuè.

Explic. thesis XIX.

Conclusio hæc necessario ex iis, quæ de voluntate Dei dicta sunt, consequitur. Scripturæ autem eandem vbique confirmant. Iohan.10. Nemo potest eas rapere de manu mea: quia Pater qui dedit mihi, maior, id est, potentior est omnibus. Ego autem & Pater vnum sumus.

Vsus huius doctrinæ.

Hæc verò de immutabili Dei erga nos voluntate, déq. certitudine nostræ salutis doctrinæ, eò minimè spectat, vt reddamur securi in nobis ipsis, aut in carne, sed primò vt contra omnes diffidẽtias, omnésque Satanæ insultus, hoc fidei clypeo de immutabili Dei erga nos bona in Christo voluntate nos tueamur: de quo Psal.5. Domine, vt scuto, bona voluntate tua coronasti nos & oculis mentis nostræ, à nobis ipsis, & ab omnib. creaturis, denique à nostris tum peccatis, tum meritis, in Deum Patrem conuersis, in solo Deo, solóque eius beneplacito, securi conquiescamus. Deinde, vt hac viua diuinæ erga nos voluntatis cognitione, ceu flãmis ex fornace diuini pectoris in corda nostra perpetuò illabentibus, nos vicissim ad Deum tũ redamandũ, tum sanctis cogitationibus, piis sermonibus, bonis operibus, tota denique vita glorificandum inflammemur.

De Dei immutabilitate atque constantia.

THESIS I.

Deus non tantũ in sua essentia: sed etiam in suis tũ decretis, tum promissionibus constans atq. immutabilis est.

II.

Decretũ autẽ Dei propriè est certa prẽsciẽtia ac definita volũtas, quib. ab æterno quicquid in tempore facit aut facturus est: infallibiliter facturũ se præsciuit, ac præfiniuit. Rom.8.

III.

Saluat autẽ Deus certos homines & nõ omnes: & certos damnat, & non omnes: vtrũque autẽ facit certis mediis & rationib. certis temporib. & certis de caussis. Proinde decretũ Dei de seruandis aut damnandis hominib. dici rectè potest esse certa præsciẽtia, definitáq. volũtas, quibus se ab æterno, certos homines, certis mediis, atque modis, certis temporibus, & certis de caussis aut misericorditer seruaturum, aut iustissimè damnaturum, præsciuit ac præfiniuit.

IV.

Etsi verò Deus hæc sua nunquã mutet consilia, suas tamen nonnunquã solet mutare sententias, iuxta illud etiã vulgatũ D. Gregorij dictum, Nouit Dominus mutare sententiam, sed nunquam nouit mutare consilium.

V.

Quanquam autem Deus non solùm in suis decretis, sed etiam in suis promissionibus constans atque immutabilis est, non eodem tamen planè modo, quo decreta Dei immutabilia sunt, vniuersæ quoque promissiones in singulis, & semper immutabiles sunt.

Expl. & conf. thesis I.

Deum esse in sua essentia immutabilem extra controuersiam est, non enim esset Deus, si esset mutabilis, cum omne quod suâ essentiâ mutabile est, creatum sit.

De immutabilitate vero decretorum Dei, hæc extant præter alia in Scripturis testimonia.

Num.23. Non est Deus quasi homo, vt mentiatur, nec vt filius hominis, vt mutetur. Dixit ergo, & non faciet? locutus est, & non implebit?

1. Sam.15. Triumphator in Israel, hoc est, Deus nõ parcit,

& pœ-

sine non flectitur, neque enim homo est, vt agat ...
Ego Deus: & non mutor.
Sine pœnitentia sunt dona & vocatio Dei.
... non tam de essentiæ Dei, quàm de eius de... que promissorum immutabilitate loquuntur.

Expl. thesis II.

... illud Rom. 8. Quos præsciuit, eos & prædestina... propriè appellatur Dei decretum: quia est certa ac definita voluntas: vel quia ex certa scientia, & voluntate profectũ est. Decretum etiam pro... illud, quo certò statuit apud se, eorum non misereri, quorum non miseretur: & indurare quos indurat: id... damnare quos damnat: quod decretum Apostolus explicauit nomine *odij*: Antequam quidquam boni aut mali egissent, vt secundùm electionem propositum Dei maneret: Iacob dilexi, Esau autem odio habui, id est, decreui non misereri.

Hæc decreta dicuntur immutabilia, non solùm in Deo: quia Deus non mutat propositum: sed etiam in creaturis, quia in illis infallibiliter quod de eis certò semel fuit cõstitutum, impletur. Huc illud Rom. 9. Quorum vult miseretur: & hoc de electis: & quos vult, indurat. & hoc de reprobis.

Subscribunt Augustinus vbique, Lutherus & Bucerus. Lutherus spectatis his decretis, concludit in libro de seruo arbitrio omnia fieri necessario cap. 18. Ex quo, inquit, irrefragabiliter, omnia quæ facimus: etsi nobis videntur mutabiliter & contingenter fieri, & ita etiam contingenter nobis fiunt: reuera tamen fiunt necessario & immutabiliter, si Dei voluntatem spectes. voluntas enim Dei efficax est: quæ impediri non potest, cùm sit naturalis ipsa potentia Dei: deinde sapiens vt falli non possit. Et cap. 19. præter alia argumenta adducit locum Iesaiæ: Consilium meum stabit: & voluntas mea fiet. Quis, inquit puer non intelligit, quid velint hæc vocabula, Consilium voluntas, fiet, stabit? Intelligit igitur Lutherus: consilia Dei esse incommutabilia: quia stant, hoc est quia non solùm in Deo firma manent; sed etiam in iis, de quibus sunt, implentur. Ratio quoque id demonstrat. Quæ enim nunc Deus vult & facit, ea ab æterno etiam voluit, & se facturum præsciuit. Nihil enim aut in Deum, aut in Dei voluntatem, præscientiámque cadere potest noui: alioqui non esset Deus. Mutari autem æterna Dei decreta non possunt: quin aliquid nunc de nouo agnoscat & velit Deus, quod non nouerat ac voluerat priùs. Tam igitur mutari possunt æterna Dei decreta, quàm Deus ipse mutari potest.

Bucerus Rom. 8. in quæstione de prædestinatione, cap. 1. Apostolus hoc loco id agit: vt doceat, Deum nos destinasse saluti antequam essemus: nedum antequam aliquid boni fecissemus: & ex hoc probare instituit, certam esse & immotam hanc Dei voluntatem de nostra salute: quam auertere nulla creatura possit, quippe quam Deus ex se, & sua bonitate, quæ mutari non potest, & nullo nostri respectu, qui adeò miserè variat semper, sumserit.

Ibidem cap. 2. Præsumendum igitur, vt principium fidei, nos omnes à Deo esse præscitos, præfinitos, separatos à reliquis, & selectos in hoc, vt æternum seruemur: hócque propositum Dei mutari non posse.

Expl. thesis III.

Hæc propositio non opus habet explicatione: cùm ex præmissis duabus necessario consequatur, & per sese sit manifesta.

Expl. thesis IV.

Consilium Dei intellexit D. Gregorius decretum illud, quod apud se ab æterno Deus, de re aliqua facienda, vt de homine aliquo vel misericorditer seruando, vel iustè damnando, simpliciter & secundùm propositum voluntatis suæ fecit atque firmauit: vt decretum de creandis hominibus, de lege danda, de mittendo Christo: vt decretum etiam de seruando per Christum Paulo, Petro: & cõtra, de deserendo, excæcando, perdendo Pharaone, Iuda. Hæc decreta, ait Gregorius, Deus nunquam mutat, vt antè ostensum est. Nomine verò Sententiæ, intellexit D Gregorius, sententiam de infligenda aliqua pœna, non iuxta suum æternũ & immutabile beneplacitum: sed vel iuxta nostra merita, vel iuxta ordinem secundarum caussarum prolatam: idque semper cum subintellecta conditione, nimirum nisi resipiscamus. Iuxta nostra merita: vt cùm per Ionam Prophetam sententiam tulit cõtra Niniuitas, dicens: Adhuc quadraginta dies: & Niniue subuertetur. hoc enim exigebant illorum iniquitates. Conditio etiã subintelligebatur, nempe nisi resipiscerent Niniuitæ. Iuxta caussas secundas: vt cùm per Iesaiam dixit Ezechiæ: Dispone domui tuæ, morieris enim, & non viues. Spectata enim illius Regis valetudine, & aliis caussis secundis: non poterat diu ampliùs viuere Ezechias. Interim tamen decretum Dei firmum erat, vt neque Niniue subuerteretur, sed potiùs seruaretur, idque ad prædicationem Ionæ: neque rex Ezechias tunc moreretur, sed adhuc annos 15. viueret: idque vita à Deo precibus impetrata. Vide Aug. Tom. 3. de Genes. ad lit. lib. 6. c. 17. Nouit igitur Deus huiuscemodi mutare sententias, sicut & per Ieremiam docet cap. 18. & alios Prophetas. Interim tamen nunquam nouit mutare consilium, hoc est, absolutum & firmũ suæ voluntatis decretum, quemadmodum in vtroq. exemplo, & Niniuitarum & Ezechiæ, luculenter apparet. Imò quia necesse erat, propter immutabile Decretum, vt & Niniue seruaretur, & Ezechias adhuc annos 15. viueret: ideircò & ad illos misit Ionam, qui sua prædicatione, & talis sententiæ denuntiatione, Niniuitas ad Deũ conuerteret, atque ita seruaret: & ad illum misit Iesaiam, qui sentẽtiam quoque mortis Ezechiæ denuntiaret: eáque ratione illum ad vitam à Deo precibus petendam & obtinendam excitaret. Tãtum igitur abest, vt arcana Dei consilia mutari possint: vt etiam propter illa perficienda, sententiæ quoque Dei iuxta vel peccata nostra, vel caussas naturales nonnunquam pronuntiatæ, mutentur. Sic etiam ad hæc tum Niniuitarum, tum Ezechiæ exempla, & consequenter ad omnia similia loca, quæ contra certissimum dogma de immutabilitate decretorum Dei pugnare videntur, respondit Bucerus in 9. ad Romanos.

Thesis V. explic.

Sunt enim promissiones quædam absolutæ, quædam cum conditionibus, vel operum, vel fidei. Et illæ quidem nihil aliud sunt, quàm absolutæ voluntatis Dei significationes, hæ verò conditionalis voluntatis testimonia.

Absolutæ sunt, quæ de iis rebus sunt, quas Deus ipse per se, vel extra nos, sine nobis: complet, vel in nobis, sed sine vlla præcedente, aut nostri intellectus actione, aut nostræ voluntatis consensione perficit.

Ad primum genus absolutarum, pertinet promissio de mittendo Christo pro salute mundi, déque omnibus iis quæ Christus gessit & passus est, & in Ecclesia constituit. Ad illud etiam pertinet absoluta promissio de seruando populo Israel, quem præsciuit, hoc est, elegit. Hæ promissiones simpliciter & propriè immutabiles sunt, tũ in Deo, atque in se, quia Deus eas nunquam mutat, tum in iis, de quibus sunt, quia in eis tandem omnino impleantur necesse est. De iis Roman. 3. Quid enim, si quidam illorum non crediderunt? nunquid infidelitas eorum fidem Dei euacuauit? absit.

Ad alterum genus absolutarum, pertinent promissiones de illuminandis per Spiritum sanctum electis, qui adhuc sunt in tenebris, déque donanda illis fide & vera Dei cognitione, vt est illa apud Ier. 31. Scribam Legem meam in cordibus eorum, & cognoscent me à maximo vsque ad minimum. Promissiones istas perficit in nobis Deus, sine vlla bona & ad lucem diuinam recipiẽdam: idonea intellectus nostri aut voluntatis præcedente in nobis actione, ideóque absolutæ sunt, & sine vlla alicuius actionis nostræ conditione, cùm ante illapsum Spiritus sancti in corda nostra, nihil boni nobis esse, aut à nobis præstari possit, vti etiam sunt promissiones de præparandis voluntatibus, de auferendo corde lapideo, & dando corde carneo, denique vt sunt omnes quæ initium salutis promittunt. Omnes hæ absolutissimæ sunt, & sine vlla in nobis requisita conditione: quid enim, ante inchoatam in nobis bonum, præstari à nobis potest boni? citra quod Deus inchoare in nobis nolit bonum, atque salutẽ? Quia igitur Deus has promissiones per sese, sine nobis, cõplet, absolutissimæ sunt, ac proinde in iis etiã Deus simpliciter est.

Conditionales verò promissiones sunt illæ, quarum complementum assequi non possumus, nisi quædam nos quoque præstemus, quæ tamen, nisi Deus ea in nobis gratis efficiat, nos ipsi præstare nequimus. Ad hoc genus promissionum pertinent non solùm promissiones legales, sed omnes etiam illæ Euangelicæ, quæ sunt non de inchoanda, sed continuanda & perficienda, consummandáque in nobis salute. Hæ omnes exigunt à nobis fidem, hoc est, fidei actum, & fructus fidei, ita vt citra hanc fidem, illarum complementum assequi non possimus. Exempla. Promissio de percipiẽda peccatorum remissione, & iustificatione nostri assequenda, ita postulat fidem viuam, quæ sine pœnitentia, studióque bonorum operum

esse non potest, vt citra illam nemo iustificari possit. Ac quinam sunt illi, qui conditionem hanc præstare possunt, atque ita peccatorum remissionem & vitam æternã consequi? Soli illi, qui iam gratis à Deo, & sine vlla sua præcedente voluntatis actione donati sunt Spiritu fidei, salutis initio. Hi autem sunt electi, & destinati ad vitam.

Omnes igitur hæ promissiones conditionales immutabiles sunt: primum quidem in Deo, & in se: quoniam etiamsi nemo crederet, & fide nemo earũ complementum assequeretur: tamen manerent perpetuò apud Deum firmæ atque immutabiles æternúmque verũ hoc esset, Qui credit in Christum, habet vitam æternam. Deinde in ipsis, qui iam salutis principium, hoc est, solidę fidei donum, verè à Deo acceperunt, suum habent complementum. ij autem sunt electi & destinati ad salutem.

Ergo conditionales etiam promissiones, non solùm in Deo, & in se: sed etiam in ipsis electis immutabiles sunt: quia in iis immutabilem consequuntur effectum: iuxta illud Apostoli, Rom.11. Sine pœnitentia sunt dona & vocatio Dei.

De omnipotentia Dei.

THESIS I.

Deus, sicuti sapientissimus, liberæ voluntatis atque immutabilis est, ita etiam omnipotentissimus est.

II.

Dicitur autem Deus omnipotens, primùm, quoniam quicquid vult, potest, atque ita potest, vt etiã ea ipsa, quæcunque vult, faciat in cœlo & in terra, Psal.115.

III.

Deinde dicitur omnipotẽs: quia nihil est, vt ita loquar, factibile, quod Deus ipse non possit facere, etsi non velit facere. multa enim potest, quæ tamẽ neque voluit, neque vult facere, eáque si simpliciter vellet, nulla ratione impediti possent quin fierent. Matth.26. Luc.1. Rom.9.

IV.

Non malè igitur omnipotẽtia Dei duplex esse in Scholis definitur. vna absoluta, qua multa potest, etiam quæ non vult: altera actualis, qua, quæcunque vult, non solum potest facere, sed etiam potenter facit.

V.

Iuxta primam, hoc est, absolutam Dei omnipotentiam, Deus potuisset omnes ad æternam vitam prædestinare, potuisset homines impedire, ne vllo modo peccarent, potuisset etiam omnium misereri, & omnes seruare: sed quia neque voluit, neque vult, ideo non omnes sunt prædestinati ad vitam, neque omnes seruantur, sed quorum vult, miseretur, & quos vult, indurat. Rom.9.

VI.

Iuxta alteram scilicet actualem omnipotentiam, Deus nõ solũ omnia creauit, & quæcũque voluit semel, fecit in cœlo & in terra, sed etiam perpetuò omnia regit & agit, & operatur omnia in omnibus. Psal.115. Act.17. 1.Cor.12.

VII.

Proinde, sicut illud piissimè dicitur, Deum in electis ac piis omnia bona efficere, ita illud minimè vt impiũ damnari potest, quod Augustinus, Lutherus, Bucerus, & alij secundũ Scripturas scriptũ reliquerũt, Deum in ipsis etiã impiis, secundũ hanc suã omnipotentiã ita omnia operari: vt omnium etiã voluntates flectat quocunque vult, siue ad bonũ pro sua misericordia, siue ad malũ, pro suo iudicio, nobis quidem occulto, sed tamen semper iusto. Prou.21.

VIII.

Deus, quia tanquam primaria efficiens caussa operatur omnia in omnibus, in piis quidẽ verè & simpliciter author est omniũ bonarũ, tã internarũ, quã externarũ, & tam animæ, quã corporis actionũ, nõ solũ quatenus actiones sunt, sed etiam quatenus actiones bonæ sunt. At verò in impiis nõ ita, quia in iis author est omnium actionum, quatenus actiones, sed non quatenus malæ & impiæ actiones sunt.

IX.

In ipsis enim piis, nõ solũ manu suæ omnipotẽtiæ ipsas efficit actiones, sed etiam vi sui Spiritus, tum ipsos homines bonos efficit, tum ipsis actionibus bonam indit qualitatem, qua bonæ sint. In impiis autem manu tantũ suæ omnipotentiæ ipsas actiones excitat: qualitatẽ autẽ malã, qua & ipsi impij mali sint, & ipsorũ actiones impiæ, minimè præbet. Proinde, etsi operatur Deus omnia in omnib. flectátque omnium voluntates, quocunque vult, peccatorum tamen autor, aut αἴτιος nullo modo dici potest.

X.

Quare omnia quoque, quæ in impiis & ab impiis fiunt, quatenus à Deo fiunt, bona sunt: quatenus verò ab impiis, peccata sunt.

Explicatio thesis VI. VII. VIII. IX. X. Quod scilicet, Deus operetur omnia in omnibus, omniúmque volũtates flectat, quocunque vult, tam ad malum quam ad bonum, nec tamen ipse autor peccati esse, aut dici possit.

Deum in piis electis omnia bona operari, extra controuersiam est: propter apertissima Scripturæ testimonia.

Prouerb. Præparatur voluntas à Domino.

Ier.31. Scribam Legem meam in cordibus eorum: & cognoscent me à maximo, vsque ad minimum.

Item 32. Dabo timorem meum in corda eorum: vt non recedant à me.

Ezech.11. Faciam, vt ambulent in præceptis meis.

Item: Auferam cor lapideum: & dabo eis cor carneum.

Rom.8. Qui sunt filij Dei, aguntur à Spiritu Dei.

1.Cor.12. Deus operatur omnia in omnibus.

Philipp.2. Deus operatur in nobis velle & perficere.

At verò Deum in ipsis etiam impiis sua omnipotentia omnia operari, ita vt illorũ etiam voluntates flectat quocunque vult: hoc est, etiam ad illa, quæ in ipsis impiis, dũ ea admittunt, sunt peccata: quanquam Deus hoc faciendo neque peccet, neque autor sit peccati: non ita hoc omnibus videtur esse perspicuum & certum, atque illud superius de electis. Rem tamen ita se habere, docent apertè sacræ literæ: confirmant Patres: subscribunt nostri.

Prouerb. 21. Sicut diuisiones aquarum: ita cor regis in manu Domini: quocũque voluerit, inclinabit illud. Quod si corda regũ potentissimorum in manu Domini ita sunt, vt illa flectat quocunque vult: multo magis corda reliquorum hominum. Omnium igitur hominum corda in manu Dei sunt: & ita flectit quocunque vult.

2.Reg.16. Semei filius Iemini maledicebat Dauidi: cùm filij Saruiæ vellent eum cohibere, dixit illis Dauid: Dimittite illum, vt maledicat: quoniam Dominus dixit illi vt maledicat. Quomodo Deus hoc illi dixit? nunquid verbo iussit? minime: sed, vt ait Augustinus, hoc ita dicitur: quod eius voluntatem proprio vitio suo malam, in hoc peccatum iudicio suo iusto & occulto inclinauit.

Psal.104. de impiis Ægyptis sic ait Dauid: Et conuertit (Deus) cor eorum, vt odissent populum eius Israëlem, & dolum facerent in seruos eius.

Eph. 1. Qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ.

Rom.9. Ergo quorum vult, miseretur: & quos vult, indurat.

Augustinus Tom.7. de gratia & lib arb. cap.1. vsque ad vigesimum demonstrat, quidquid boni in piis & à piis fit, totum esse à Deo, qui omnia nempe bonas cogitationes, sancta desideria, & honestas actiones in piis operatur: & tamen ipsos pios suo libero arbitrio hæc omnia velle & operari. Deum enim esse, qui electorum voluntates ex malis faciat bonas: & qui deinde factas à se bonas, in bonos actus, & in æternam dirigat vitam: verùm non coactas, sed spontaneas.

In cap. verò 20. multis Scripturarum tum autoritatibus, tum exemplis demonstrat, Deum in ipsis etiam impiis sua iudicia exercere, illorum corda quocunque vult, hoc est, ad alia etiam peccata flectendo, atque ita priora illorum peccata, aliis peccatis puniendo, neque tamen Deum propterea illorum scelerum autorem esse, cum malitiam peccandi in impiis non creet. Ac postquam aliqua exempla & dicta Scripturarum recitasset in c. 20. postea sic incipit cap.21. Quis, inquit, non ista iudicia diuina contremiscat, quibus agit Deus in cordibus etiam malorum hominum, quidquid vult, reddens eis tamen secundùm merita eorum? Deinde iterum, postquam eandem conclusionem aliis quamplurimis Scripturarum locis confirmasset, Agit, inquit, omnipotens in cordibus hominum, etiam motũ voluntatis eorũ, vt per eos agat, quod per eos agere ipse voluerit, qui omnino iniustè aliquid velle non nouit. Tandem concludens, ait, His & talibus testimoniis diuinorum eloquiorum, quæ omnia commemorare nimis longum est, satis, quantum existimo, manifestatur, operari Deum in cordibus hominum ad inclinandas eorum voluntates, quocunque voluerit, siue ad bonum pro sua misericordia, siue ad mala, pro meritis eorum iudicio vtique suo, aliquando aperto, aliquando occulto: semper autem iusto. fixum enim debet esse & immobile in corde nostro, quia non est iniquitas apud Deum.

Hanc autem Augustini conclusionem, vt piam atque verissimam probat Bucerus, vt de aliis taceam: in 1. ad Roman. sect.7. in ea verba Apostoli, Propterea tradidit illos Deus in reprobum sensum, & desideria cordis sui. Postquam enim multis demonstrasset, illud verbum Tradidit non posse intelligi de sola permissione, sed de actione inter-

Dei in cordibus piorum, eò quocunque vult flectere ad extremum: sententiam suam hoc Augustini loco de gratia, & libero arbitrio, desumto: confirmat his verbis: Ex quibus (scilicet Augustini verbis) apparet, sensisse sanctum hunc virum (Augustinum) Deum, cum seducit, indurat, tradit in sensum reprobum, mittit efficacem errorem: id facere, non tantùm permissione, sed etiam animos hominum, vt errori concedant, & concupiscentiis vincantur, inclinando, iudicio (inquit) nunc aperto, nunc occulto, semper tamen iusto. Alia siquidem est ratio Dei erga nos, alia nostra erga alios. Nos si quem decipimus, & in malas cupiditates impellimus: semper peccamus. At Deus iustus, peccatis huiusmodi peccata iuste punit. Idcirco inscrutabilia iudicia eius & abyssus multa prædicantur. Hæc Bucerus. Tandem verò contendit, reliquos quoque Patres idem re ipsa cum Augustino sensisse.

Buceri autem hanc fuisse doctrinam, dubium non est: nam mox, in eodem loco, Augustini sententiæ subiecit. Nisi demus eis, inquit, Deum omnium corda pro suo arbitratu inclinare, quo libet, & nisi fateamur, cum omnia in omnibus efficere: Deum esse negamus.

Eandem doctrinam vbique in suis scriptis tradit constanter. In Matth. cap. 6 sect. 2. in ea verba: Ne nos inducas in tentationem: postquam multis Scripturarū locis hanc doctrinam demonstrauit: concludit fol. 67. his verbis: Apertis itaque Scripturæ testimoniis euincitur: Dominum inducere in tentationem, tam suos, quàm reiectitios: & in eam tentationē, non solum, qua aduersis externis probentur, quæ tentatio peculiaris Sanctis est: verùm etiam, qua errent, peccent, & malis seipsos ac alios inuoluant. Vnde Iesaiæ 63. queruntur etiam electi: Quare seduxisti nos, Domine, à viis tuis: & indurasti cor nostrum ne timeret te? conuerte propter seruos tuos, & tribus hæreditatis tuæ. Porro tentatio, qua penitus quosdam excæcat & indurat: ea peculiaris est reiectitiis: qui vasa iræ sunt, parati ad interitum, quos Deus fert & profert ad declarandam iram & potentiam suam. Rom. 9. Hæc Bucerus.

Eandem doctrinam tradit in cap. 9. ad Roman. in quæstione de Prædestinatione cap. 1. Sed humana ratio nec istud ferre potest: Deum quosdam indurare, excæcare, tradere in sensum reprobum: & inde est, quod irreligiosum putat, Deo tribui, quod ad hæc quenquam præfinierit atque destinarit. Etenim nouit, apud homines eum summæ iniquitatis ac crudelitatis damnatum iri, qui seruum suum excæcaret, cùm ab eo aliquid officij requireret, quod is nisi videns, præstare non posset: & inde pœnas de eo sumeret, quòd non fecisset quæ illi iussisset. Ad eum iam modum iudicat & de Deo, censetque eum inique exigere ab iis, quos ipse indurat, excæcat, & in sensum reprobum tradit, eam vitam quam nemo viuere potest, nisi ab ipso Deo ad id regenitus, illuminatus & nouo rectóque sensu donatus: & crudeliter punire istiusmodi, cùm ea admittunt, quæ fert eorum induratio, cæcitas & mens reproba. Hoc ergo rationis nostræ iudiciu offensi: alij exciderunt eò, vt dicerent Deum tandem omnes impios illuminaturum & seruaturum, contra tam multa expressa oracula Scripturæ sanctæ: alij autem, qui Scripturæ sanctæ simpliciter & vbique fidem habuerunt, cœperunt illa, Indurauit, Excæcauit, Tradidit in sensum reprobum, interpretari per Deseruit suo Spiritu, permisit excæcari, indurari. Atqui neutro modo rationi humanæ satisfieri potest. nam agnoscere illa non potest, qua iustitia Deus vel ad tempus excæcet, induret, & in sensum reprobum tradat homines, à quibus exigit vitam omnibus modis sanctam & iustam. Tum non potest non inhumanū iudicare, Deum vel permittere labi, quos solus à lapsu seruare potest: & crudele, pœnas sumere de lapsis, qui ope eius destituti, nō potuerunt non labi. Proinde iudicium rationis hîc penitus reiiciendum est: & fatendum iudicia Dei esse abyssum multam, esse imperscrutabilia, iusta tamen. Iustus enim est Dominus in omnibus viis suis: etiam vbi secus nostræ rationi videtur. Fatendum itaque nobis est: Deum iustè exigere à nobis vitam sanctam, & virtutibus omnib. ornatam iustè etiam quos vult, indurare excæcare, & tradere in sensum reprobum: iustè denique hos damnare, & punire: nobis autem omnem culpam nostræ perditionis adscribendam esse. De quà re dicemus in sequenti capite nonnulla, & diximus iam in sect. 7. 1. Dum itaque contiteris, ad gloriam Dei pertinere, quod prædicatur indurare, excæcare, & tradere in sensum reprobum, quos vult, satis liquet, etiam dici posse, Deum hos ipsos in hanc sortem præscisse & destinasse, antequam eos conderet. Agit enim præfinito & certo consilio omnia.

Eandem tradit in nono cap. Rom. in explicatione exempli Pharaonis à Deo indurati.

Idem docet in lib. de Reconcil. Eccles. edito anno 44. f. 77. Testatur Scriptura, inquit, Deum eos, qui se non, vt cognouerunt, glorificant: tradere in concupiscentias cordium ipsorum.

Tandem concludit his verbis, fol. 78. Proinde sicut ex eo non consequitur, Deum vllius peccati argui posse, quod prædicatur atrocissimis sanè peccatis & vitiis aliis hominum peccata punire, operando in cordibus eorum, siue per angelos, vel bonos, vel malos, siue quocunque alio modo, ad inclinandas eorum voluntates ad mala pro meritis eorum, id quod D. Augustinus ex adductis, & aliis Scripturæ locis euidentissime demonstrat: neque id ex eo sequitur, quod nos ex verbo Dei, &c.

Lutherus vero eandem ante Bucerum doctrinam tradiderat, cum alibi, tum præsertim in libro de seruo arbitrio, cap. 8. 146. 147. vsque ad 165.

Ac primum quidem cap. 38. aduersus vltimam partem præfationis hoc Augustini dogma, Deum operari bona & mala in nobis, defendit contra Erasmum. Contra secundam verò partem Diatribes, quæ incipit à cap. 134. fol. 491. in defensione loci Exod. 9. Indurabo cor Pharaonis: & Roman. 9. de excæcatione & induratione Pharaonis, hanc doctrinam fusissimè tractat.

Primo autem loco ait, absurdum quidem videri humanæ prudentiæ, quod Deus homines induret, excæcet, tradat in reprobum sensum, atque eorum corda flectat ad mala, & postea propter hæc mala eos damnet, sed fidē & Spiritum aliter iudicare. Credere enim Deum esse & manere bonum, etiamsi omnes homines perderet cap. 146. 147. Deinde confirmat, Deum operari omnia in omnibus, etiam mala in impiis, & hoc pertinere ad omnipotentiam suam. cap. 149. Tertio explicat, quomodo Deus dicatur mala in nobis operari, vt indurare, tradere desideriis, seducere, & similia, ita vt tamen Deo peccata impiorum nullo modo attribui possint, id docet, non ita esse intelligendum, quasi Deus nactus nos bonos, intelligentes, & molles, faciat malos, cæcos, duros, sed quod tales, quales sumus, nisi velit regenerare, agitet manu suæ omnipotentiæ & iudicij, tali autem agitatione reddat magis cæcos, duros, seu quod Deus non in nobis bonis, malum creet, quemadmodum si malignus caupo in vas non malū fundat venenum, ipso vase nihil faciente, quàm quod recipiat, vel patiatur cauponis malignitatem, minimè hoc modo esse intelligendum, Deum operari mala in impiis, sed ita, quemadmodum eques, qui equum claudum equitat, sua agitatione facit vt ille equus, suapte natura claudus claudicet, cùm non possit agitatus aliter facere, quàm vt claudicet, motûs quidem in equo, caussa est eques cum equitans, claudicationis verò minimè. Interim tamen equus actu non claudicaret, si ab equite non agitaretur, eques igitur in equo operatur claudicationem, culpa tamen claudicationis in equitem transferri non potest. Item Deum operari in impiis, sicut qui secat serra malè dentata.

Verba Lutheri si quis legere velit, sunt hæc, à cap. 149. vsque ad 151. seu à folio 494. vsque ad folium 496. in editione Latina. Quæritur fortassis, quomodo Deus mala in nobis dicatur operari, vt indurare, tradere desideriis, seducere, & similia? Oportuit sanè verbis Dei contentos esse, & simpliciter credere quod dicunt, cùm sint opera Dei prorsus inenarrabilia, tamen obsequium rationis, id est stultitiæ humanæ, libet ineptire & stultescere & balbutiendo tentare, si qui possimus eam mouere. Primum etiam ratio & diatribe concedit, Deum omnia in omnibus operari, ac sine ipso nihil fieri, nec efficax esse. est enim omnipotens pertinétque id ad omnipotentiam suam, vt Paulus ait ad Ephesios. Item Satan & homo lapsi & deserti à Deo, non possunt velle bonum, hoc est, ea quæ Deo placent, aut quæ Deus vult, sed sunt in sua desideria conuersi perpetuo: vt non possint non quærere quæ sua sunt. Hæc igitur eorum voluntas & natura sic à Deo auersa, non est nihil. Neque enim Satan & homo impius nihil est, aut nullam naturam & voluntatē habent, licèt corruptam & auersam naturam habeant. Illud igitur reliquum quod dicimus naturæ in impio & Satana, vt creatura & opus Dei non est minùs subiectum omnipotentiæ actioni diuinæ, quàm omnes aliæ creaturæ & opera Dei. Quando ergo Deus omnia in omnibus mouet & agit, necessariò etiam mouet & agit in Satana &

impio: agit autem in illis taliter, quales illi sunt, & quales inueniet: hoc est, cũ illi sint auersi & mali, & rapiãtur motu illo diuinæ omnipotentiæ: non nisi auersa & mala faciunt: tanquam si eques agat equum tripedem, vel bipedem: agit quidem taliter, qualis equus est: hoc est, equus malè incedit. Sed quid faciat eques? equum talem simul agit cum equis sanis, illo malè, istis bene: aliter nõ potest, nisi equus sanetur. Hic vides, cum Deus in malis, & per malos operatur, mala quidem fieri: Deum tamen nõ posse mala facere, licet mala per malos faciat, quia ipse bonus mala facere non potest: malis tamen instrumentis vtitur, quæ raptum & motum potentiæ suæ non possunt euadere. Vitium ergo est in instrumentis, quæ otiosa esse Deus non sinit, quòd mala fiunt, mouente ipso Deo: non aliter, quàm si faber securi serrata & dentata male secaret. Hinc fit, quòd impius non possit non semper errare & peccare: quod raptu diuinæ potentiæ motus, otiari non sinitur: sed velit, cupiat, faciat taliter, qualis ipse est.

Hæc rata & certa sunt, si credimus omnipotentem esse Deum: deinde impium esse creaturam Dei: auersam verò, relictámque sibi, sine Spiritu Dei non posse velle aut facere bonum. Omnipotentia Dei facit, vt impius non possit motum & actionem Dei euadere: sed necessario illi subiectus paret. Corruptio verò seu auersio sui à Deo, facit vt bene mouere & rapi non possit. Deus suam omnipotentiam non potest omittere propter illius auersionem. Impius verò suam auersionem non potest immutare. Ita fit, vt perpetuò & necessario peccet & erret: donec Spiritu Dei corrigatur. In his verò omnibus Satan adhuc in pace regnat, & atrium suum quietum possidet sub motu istæ diuinæ omnipotentiæ. Post hæc vero sequitur indurationis negotium, quod sic habet: Impius, vt diximus, sicut & Princeps suus Satan, totus est versus ad se, & ad sua: non requirit Deum, nec curat ea quæ Dei sunt: suas opes, suas glorias, sua opera, suum sapere, suum posse, & omnino suum regnum quærit: illisque vult in pace frui. Quod si quis ei resistat, aut aliquid horum velit imminuere, eadem auersione, qua illa quærit, etiam mouetur & indignatur, & furit in aduersarium: & non tam potest non furere, quàm non potest non cupere & quærere: & tam non potest non cupere, quã non potest non esse, cùm sit creatura Dei, licèt vitiata. Hic est ille furor mundi aduersus Euangelium Dei. nam per Euangelium venit ille fortior, victurus atrij quietum possessorem: & damnat istas cupiditates gloriæ, opum, sapientiæ, & iustitiæ propriæ, & omnia in quibus confidit. Hæc ipsa irritatio impiorum, cùm Deus illis contrarium dicit aut facit, quàm vellent, est ipsorum induratio & ingrauatio. Nam cùm per sese sint auersi ipsa naturæ corruptione, tum multo magis auertuntur, & peiores fiunt, dum ipsorum auersioni resistitur aut detrahitur. Sic Pharaoni impio erepturus tyrannidem: irritauit eum, & magis indurauit & aggrauauit cor eius, dum illum per verbum Mosis velut regnum ablaturi, & populum suæ tyrannidi subtracturi, inuasit, & intus Spiritum non dedit: sed ipsius impiam corruptionem permisit, Satana regnante, succensere, intumescere, furere, & procedere cum securitate quadam & contemtu.

Non igitur quispiam cogitet, Deum, cùm dicitur indurare, aut malum in nobis operari, (indurare enim est malum facere) sic facere, quasi de nouo in nobis malum creet: ac si fingas malignum cauponem, qui ipse malus, in vas non malum infundat, aut temperet venenum: ipso vase nihil faciente, quàm quòd recipiat, vel patiatur temperatoris malignitatem. Sic enim fingere videntur, hominem per sese bonum, aut non malum, pati à Deo malum opus: dum audiunt à nobis dici, Deum in nobis operari bona & mala: nósque mera necessitate passiua subiici Deo operanti: non satis cogitantes, quàm inquietus sit actor Deus in omnibus creaturis suis, nullamque sinat feriari. Sed ita cogitet, qui vtcunque talia volet intelligere: in nobis, id est, per nos Deum operari mala: non culpa Dei, sed vitio nostro, qui cùm simus natura mali, Deus verò bonus, nos actione sua pro natura omnipotentiæ suæ rapiens, aliter facere non possit, quàm quòd ipse bonus, malo instrumento malum faciat: licèt hoc malo pro sua sapientia vtatur bene ad gloriam suam & salutem nostram. Sic Satanæ voluntatem malam inueniens, non autem creans, sed deserente Deo, & peccante Satana, malam factam, arripit operando, & mouet quorsum vult: licet illa voluntas mala esse non desinat hoc ipso motu Dei. Hoc modo dixit Dauid, 2. Reg. de Semei: Sine illum, vt maledicat: Dominus enim præcepit illi, vt maledicat Dauid. Quomodo præcipiat Deus maledicere, scilicet tam virulentum & malum opus? externum non erat vspiam tale præceptum. Respicit igitur Dauid illo, quod Deus omnipotens dixit, & facta sunt, hoc est, verbo æterno omnia facit. Itaque voluntatem Simei malam cum omnibus membris, contra Dauid antea accensam, oblato opportunè Dauide, vt merito talem blasphemiam, rapit diuina actio & omnipotentia: & ipse Deus bonus, per malum & blasphemum organum præcipit, id est verbo dicit & facit (scilicet raptu actionis suæ) hanc blasphemiam.

Sic indurat Pharaonem, cùm impiæ & malæ eius voluntati offert verbum & opus, quod illa odit, vitio scilicet ingenito, & naturali corruptione. Atque cùm Deus spiritu intus eam non mutet, pergat verò offerendo & obtrudendo: Pharao verò vires, opes, potentiam suam considerans, illis eodem naturali vitio confidit: fit, vt hinc suarum rerum imaginatione inflatus & exaltatus: illinc verò humilitate Mosis & verbi Dei abiecta forma venientis, superbus contemtor factus, induretur, tum magis ac magis irritetur & ingrauetur: quò magis Moses instat & minatur. Hæc autem voluntas eius mala, se solâ non moueretur, aut induraretur: sed omnipotens actor, cùm illam agat ineuitabili motu, vt reliquas creaturas: necesse est eam aliquid velle, cùm simul foris offert, quod naturaliter illam irritat & offendit: fit, vt Pharao non possit vitare indurationem sui: sicut vitare non potest & omnipotentiæ diuinæ actionem & auersionem, seu malitiam suæ voluntatis. Quare induratio Pharaonis per Deum sic impletur: quod foris obiicit malitiæ eius, quod ille odit naturaliter, tum intus non cessat mouere omnipotente motu malam, vt inuenit, voluntatem: illeque pro malitia voluntatis suæ non potest non odisse contrarium sibi, & confidere suis viribus: sic obstinatur, vt neque audiat, neque sapiat, sed rapiatur possessus à Satana, velut insanus & furens.

Hæc si persuasimus, vicimus in hac caussa, & explosis tropis & glossis hominum, verba Dei simpliciter accipimus, ne sit necesse Deum excusare, vel iniquitatis arguere. Cum enim dicit, Ego indurabo cor Pharaonis, simpliciter loquitur, ac si diceret, Ego faciam, vt cor Pharaonis induretur, seu, vt me operante & faciente induretur, quod quomodo fiat, audiuimus, scilicet intus generali motu ipsam mouebo voluntatem malam, vt suo impetu & cursu volendi pergat, nec cessabo mouere, nec possum aliter. Foris verò offeram verbum & opus, in quod impinget impetus ille malus, cùm aliud non possit, nisi male velle, me ipsum malum mouente virtute omnipotentiæ. Sic certissimus erat, & certissimè pronuntiabat Deus, Pharaonem esse induradum, vt qui certissimus erat, Pharaonis voluntatem, nec motui omnipotentiæ resistere, nec malitiam suam deponere, nec oblatum aduersarium Mosen admittere posse, sed manente voluntate eius mala, necessariò peiorem, duriorem, superbiorem fieri, dum cursu & impetu suo impingeret in id quod nolebat, & quod contemnebat, confisus potentia sua. Ita vides hic etiam hoc ipso verbo confirmari, liberum arbitrium nihil nisi malum posse, dum Deus, qui non fallitur ignorantia, nec mentitur nequitia, tam securè promittit indurationem Pharaonis, certus videlicet, quòd voluntas mala, non nisi malum velle possit, & oblato bono sibi contrario, non nisi peior fieri possit.

Reliqua igitur sunt, vt quærat quispiam: cur Deus non cesset ab ipso motu omnipotentiæ, quo voluntas impiorum mouetur, vt pergat mala esse, & peior fieri? Respondetur, hoc est optare, vt Deus propter impios desinat esse Deus, dum eius virtutem & actionem optas cessare: scilicet vt desinat esse bonus, ne illi fiant peiores. At cur non simul mutat voluntates malas, quas mouet? Hoc pertinet ad secreta maiestatis, vbi incomprehensibilia sunt iudicia eius. Nec nostrum hoc est quærere, sed adorare mysteria hæc. Quod si caro & sanguis hic offensa murmuret, murmuret sanè, sed nihil efficiet. Deus ideo non mutabitur. Etsi scandalizati impij discedant quamplurimi, electi tamen manebunt. Idem dicetur illis qui quærunt, Cur permisit Adam ruere, & cur nos omnes eodem peccato infectos condit; cum potuisset illum seruare, & nos aliunde, vel primùm purgato semine creare? Deus est, cuius voluntatis nulla est caussa nec ratio, quæ illi ceu regula & mensura præscribatur, cùm nihil sit illi æquale aut superius, sed ipsa est regula omnium. Si enim esset illi aliqua regula vel mensura, aut caussa, aut ratio, iam nec Dei voluntas esse posset. non enim quia sic debet, vel debuit velle, ideo rectum est quod vult, sed contrà, quia ipse sic vult, ideo debet rectum esse quod fit.

Creaturæ

voluntati, caussa & ratio præscribitur, sed non voluntati, nisi alium illi præfeceris creatorem. cap.160. Omnipotentiam Dei voco, non illam potentiam, qua multa non facit, quæ potest: sed actualem, qua potenter facit omnia in omnibus: quo modo Scriptura vocat eum omnipotentem. Hæc omnipotentia & præscientia Dei funditus abolent dogma liberi arbitrii. cap. 161. Scilicet hoc offendit quàm maximè sensum communem, seu rationē naturalē, quòd Deus mera voluntate sua homines deserat, induret, damnet: quasi delectetur peccatis & cruciatibus miserorum tantis & æternis, qui prædicatur tantæ misericordiæ & bonitatis, &c. Hoc iniquum, hoc crudele, hoc intolerabile visum est de Deo sentire: quo offensi sunt etiam tot & tanti viri tot seculis. Et quis non offenderetur? Ego ipse non semel offensus sum vsque ad profundum & abyssum desperationis vt optarem nunquam esse me creatum hominem: antequam scirem quàm salutaris illa esset desperatio, & quàm gratiæ propinqua. Hæc omnia Lutheri sunt.

Hæc autem ego omnia, tam quæ ab Augustino, quàm quæ à Bucero & Luthero scripta, & a me fideli.er recitata sunt, tanquam verissima certissima, & orthodoxa ex verbo Domini desumta & primo Symboli Christiani articulo consona recipio atque amplector: & maioris explicationis gratia hæc subiicio.

Credo & doceo Deum operari omnia in omnibus, etiam in impiis: omnia, inquam quæ Dei naturæ conueniāt, hoc est, omnes actiones, tā internas, quàm externas: quoniam omnis actio, quatenus actio est bona est, & sine Dei virtute nulla actio in creaturis, aut à creaturis fieri potest: iuxta illud etiam Actor.17. In ipso, hoc est, ipsius virtute, viuimus, mouemur & sumus. Nullus igitur motus siue intellectus, siue voluntatis, siue animi, siue corporis fieri in nobis, aut à nobis potest: qui non fiat virtute & actione Dei in nobis. Et ita primum Symboli articulum intelligo: Credo in Deum Patrem omnipotentem, factorem cœli & terræ, visibilium omnium & inuisibilium. Ita enim factorem confiteor, vt & conseruatorē, & motorem, actorémque intelligam. Cæterum nullo modo hinc consequitur, Deum igitur cum homine peccante peccare: vel in peccante caussam & authorem esse peccati: quandoquidē peccatum nihil aliud est propriè, quàm ἀνομία & priuatio rectitudinis, iuxta Legem Dei, in ipsa actione. Deus autem illius irrectitudinis, vt ita dicā, author esse non potest: cum illius naturæ rectissimæ a que optimæ non conueniat. Omnis vero actionis, qua actio est, quia bona est, & Deo primæ caussæ agenti optimè conuenit: author & prima caussa Deus est: imò ideo nos peccamus, quia actiones Dei in nobis, suapte natura bonas, nos nostra corruptione & malitia deprauamus atque contaminamus. Si puer scribendi ignarus, cuius manus à præceptore super papyro ducitur, inter pingendum errorem admittat: actionis quidem & motus hoc est, scriptionis, ipse quoque præceptor qui manum pueri mouet, caussa esse omnino dicitur, & est: at vero erroris inter scribendum admissi, nullo modo author aut caussa præceptor esse dicitur sed tantum puer quia manum præceptoris rectè suam ducentem, non vsquequaque sequitur.

Fructus & necessitas doctrinæ de generali Dei actione in omnibus.

Est autem hæc doctrina de generali Dei in omnibus suis creaturis actione, qua operatur omnia in omnibus: Christianis hominibus cognitu non solum vtilis, sed etiam necessaria.

Primùm, vt fidei nostræ primum articulum defendamus, nimirum Deum nostrum verè esse omnipotentem: rerum omnium conditorem, conseruatorem, motorem, actorem, ideóque verum Deum. Ridiculus fuerit Deus, inquit Lutherus de seruo arbitrio, c.160. si nō omnia possit, & faciat aut aliquid sine ipso fiat. Et nisi demus, inquit Bucerus in 1. ad Rom. pag.95. Deum omniū corda pro suo arbitratu inclinare quo libet & fateamur, eum omnia in omnibus efficere: Deum esse negamus. Hæc Bucerus. Apostolus ipse, cùm vellet Atheniensibus, qui ignotum falsúmque Deum colebant, demonstrare: quis esset verus Deus quem colere deberent: hac veri Dei proprietate, quæ est, vt vbique sit, & omnia sua manu sustentet, vitam & motum præbeat, idcóque operetur omnia in omnibus: eum illis demonstrat, dicens: Præteriens & contemplans simulacra vestra: inueni & aram, in qua scriptum erat: *Ignoto Deo.* Quod ergo ignorantes colitis, hoc ego annuntio vobis, Deus, qui fecit mundum. hic non procul abest ab vnoquoque nostrûm, in ipso enim viuimus, mouemur, & sumus. Act.17. Si hæc est vera Dei descriptio, nempe illum esse, cuius virtute & actione viuunt, quæcunque viuunt, cuius virtute & actione mouentur, hoc est, aguntur & fiunt, quæcunque fiunt, cuius denique virtute & actione sunt, quæcunque sunt, A contrario igitur non est verus Deus, ille qui non omnia sustentat, qui non omnia viuificat, qui non omnia in omnibus agit, vt ait Bucerus, & sine quo aliquid fit, vt ait Lutherus.

Deinde hæc doctrina facit ad timorem Dei in nobis retinendum, quo timore, tanquam freno cohibeamur ab admittendis sceleribus. Si enim verè credimus, Deum in nobis esse, & continenter in nobis sua manu operari, hoc est actiones in se bonas efficere, quas si nos nostra malitia inficiamus, & ita peccemus, Deum solere nos in alia peccata, quæ sint pœnæ præcedentium peccatorū, præcipitare, profectò diligentiùs cauebimus, ne bonas & continuas Dei in nobis actiones, malitiâ, quæ à Diabolo profecta est, & in nos per Adamum transfusa, inficiamus.

Tertiò, facit ad excitandam & conseruandam in nobis veram animi humilitatem, qua de nobis ipsis desperati atque confusi, neque contra Deum, neque contra quempiam insolescamus, sed in perpetua animi nostri demissione viuamus. Si enim verè sentiamus, Deum illum esse, cuius virtute & actione omnia in omnibus fiant, ita vt sine illius virtute, neque boni bona, neque etiam mali mala admittere possint, omnia verò pendere ex Dei omnipotente manu, atque actione, nos autem in manu Dei esse sicut lutum in manu figuli, vt docet Apostolus, quomodo quispiam hoc apud se reputans, audebit aduersus Deū indolescere, aut suis viribus gloriari, ac superbire? Hac autem humilitate nihil homini salutarius. Ideo Apostolus volens nos ad hanc humilem de nobis ipsis cogitationem atque sensum adducere, argumentum ab hac Dei, qua agit omnia in omnib. actione deducit. 1. Cor.4. Quid habes, vel naturalium, vel moraliū vel etiā diuinarū, virtutum, motuum, & actionum, quod non accepisti? Si autē accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?

Lutherus quoq. in libro de seruo arbitrio, cap.161. ait, se hac doctrina sæpenumero fuisse offensum vsque ad sui desperationem, sed postea se agnouisse, hanc desperationem esse salutarem, & gratiæ nei propinquam, vt paulò ante visum est.

Quarto: Ac proinde hæc doctrina facit ad hoc, vt humiles perpetuo pendeamus à Deo: nam si vere persuasi simus, nos ex nobis nihil posse vel mali, vel boni perficere: sed creatos à Deo, ab eo etiam solo viuificari, sustentari, moueri & agi, quocunque illi placeat: cogemur, velimus nolimus, non solùm modestè de nobis sentire: sed etiam quantiquanti sumus, nos in Dei sinum proiicere, & totam nostri curam atque solicitudinem illi committere: vt ipse de nobis agat, quidquid velit: modo nobis quoque ad sui gloriam vtatur, certi illum hoc facturum. Qui autem potest eo vsque peruenire, vt sui oblitus, solam Dei gloriam, desideret, & ea sola sit contentus: hic verus est Christianus, sicut etiam Christus nihil aliud quam gloriam Patris, & electorum salutem creauit. Hac autem perpetua nostri obliuione & à Deo solo dependentia nihil homini salutarius contingere potest.

Quintò: Consequenter hæc doctrina facit ad alendam in nobis aduersus omnia aduersa potentiam. Si enim persuasi simus, Deum illum esse, qui omnia in omnibus operatur, idque iustissimè: non irascemur ita inimicis nostris, qui nos vel verbis vel factis lædunt: quin mox omnes illorum iniurias æquo animo feramus: scientes, Deum primariam esse caussam, quæ nos per inimicorum manus, propter nostra peccata castiget. Ita Iob hunc articulum optimè edoctus, cùm vidisset se per manus Sabæorum spoliatum, & variis iniuriis affectum: non illis iratus fuit, sed agnouit, Deum fuisse eum, qui in illis, hoc est, per illos hæc omnia operatus fuisset, propter sua peccata. Eò dixit: Dominus dedit: Dominus abstulit: sicut Domino placuit, ita factum est: Sit nomen Domini benedictum.

Sexto & postremò: doctrina hæc facit ad perpetuas in nobis precationes excitandas. nā si verè credamus, Deum omnia in sanctis bona operari: rogabimus igitur, vt in nobis quoque operetur & velle, & perficere: ac si viderimus in nobis aliquid boni, mox illud acceptum feremus Deo: neque in nobis, sed in Deo gloriabimur. Si verò credamus, Deum etiam in impiis operari mala, hoc est, cæcitatem, indurationem, & alia, quæ ita sunt pœnæ peccatorum, vt etiam sint in impiis peccata: incitabimur ad deprecanda hæc mala, & ad orandum Deum, ne nos inferat in tentationem.

De iustitia Dei.

THESIS I.

Deus sicuti suapte natura liberæ est voluntatis, & omnipotentissimus: ita etiam suapte natura est iustissimus.

II.

Est autem iustus Deus, primùm quidem in sese, deinde erga alios. In se quidem, quatenus ita est perfectus: vt nihil in eo boni desiderari, & nihil in eum mali cadere possit. Ideo dicere, Deum aut peccare posse, aut esse authorem peccati: summa est in Deum iustissimum blasphemia.

III.

Ergo alios autem ita iustus est: vt eis nihil aut velle, aut facere possit iniustè. Rom. 9.

IV.

Quidquid igitur agat, aut velit Deus, siue impiissimos latrones iustificet, & infantes quamplurimos damnet: siue innocentem Iobum multis calumitatibus afficiat, & impios Sabæos multis beneficiis cumulet: siue Petrum ad pœnitentiam reuocet, & Iudam in suo scelere deserat: siue Iacobū, antequam quidquam boni egisset, diligat, & Esau, antequā mali quidquā fecisset, odio habeat: siue denique quorundam velit misereri, & alios indurare, idque pro suo beneplacito: omnia iustissimè agit & vult, & nulla est iniquitas apud Deum.

V.

Deus enim est non solùm Deus omnium, neque solum Iudex omnium, sed etiam Dominus omnium, isque semper iustissimus.

VI.

Proinde sicut multa agit vt Deus, & multa agit vt iudex: ita etiam multa agit vt Dominus: idque semper iustissimè: imò quidquid egit vnquam, aut agit, aut acturus est Deus: illud omne egit, & agit, & acturus est, aut vt Deus, aut vt Iudex, aut vt Dominus.

VII.

Vt Deus omnium: sicut omnia creauit, sic omnia amat, sustentat, regit, tuetur, & nihil odit eorum quæ fecit, Sap. 10. sed pluit super iustos & iniustos: Matt. 5. & est omnium seruator. 1. Tim. 4.

VIII.

Est enim hoc Dei quatenus Deus est, proprium ingeniū propriáque natura, vt sit summum bonum, & suam bonitatem communicet, tum creando ea quæ non sunt, vt sint: tum ea quæ condita sunt, regendo, conseruando, & variis beneficiis quotidie magis ac magis cumulando, vt bene sint. Ies. 46. Ego feci, Ego porto & seruo, ait Dominus.

IX.

Vt Iudex omnium, vnicuique reddit iuxta opera sua: punit nocentes, & protegit innocentes: vlciscitur peccata, & remunerat benefacta. Matt 16. & 25.

X.

Est enim hoc proprium iusti iudicis officium, vt vltor sit, tanquam Dei minister: ad iram ei qui quod malum est fecerit: eum vero qui benè egerit, gladio suo aduersus oppressores defendat. Prou. 17. Qui iustificat, hoc est, absoluit impium, & qui damnat iustum: vterque abominabilis est Domino.

XI.

At verò vt Dominus omnium, quorum vult, miseretur, & quos vult, indurat, idque absque eo, vt vlla sit apud Deū iniquitas Rom. 9. Nam etiam quos indurat, iustissimè, nimirum propter ipsorum peccata, indurat.

XII.

Est enim hoc propriū Domini verè liberi, vt agat quidquid vult, de iis, in quæ plenum & absolutum habet ius: nec tamen vllius possit iniquitatis accusari. Deo autem plenissimum & absolutissimum ius est, sicut in reliquas creaturas: sic etiam in vniuersos & singulos homines. Proinde potest de eis facere quidquid vult, siue misereri, siue indurare: siue eligere, siue reprobare, siue seruare, siue perdere. Matt. 20. Annon licet mihi in rebus meis facere quod volo?

XIII.

Proinde, etsi Deus pro suo liberrimo & absolutissimo in omnes homines iure de illis agit quidquid vult, & alios quidem creat, vt sint vasa misericordiæ, & alios, vt sint vasa iræ, eóque alios ita vocat, vt etiam trahat, alios verò ita vocat, vt tamen non trahat, & aliis quidem donat veram fidem ac perseuerantiam in fide, aliis non donat, nec vult donare eóque quosdam vult simpliciter saluos fieri, alios simpliciter non vult saluos fieri, nullius tamen iniquitatis accusari potest. Rom. 9.

XIV.

Ipsius etenim volūtas semper est iusta, imò & regula omnis iustitiæ: neque. n. ideo aliquid vult Deus, quia illud iustum est, sed ideo aliquid iustum est, quia Deus illud vult.

XV.

Sicut enim voluntas reuelata in Lege, iusta est, & ideo iusta est, quia voluntas Dei est: ita voluntas arcana, seu beneplaciti, semper iusta est: & ideo iusta est, quia voluntas Dei est. Abraham iudicauit iustum esse, occidere filium innocentem, non certè ex Lege, quæ homicidium vetat: sed tantum inde, quia intellexit hanc esse specialem Dei voluntatem atque mandatum.

XVI.

Quidquid autem facit Deus, iuxta beneplacitum volūtatis suæ facit. Quidquid igitur faciat, illud semper iustū sit necesse est: Psal. 144. Fidelis Dominus in omnibus verbis suis: & sanctus, in omnibus operibus suis.

XVII.

Quare, etsi opera nostra examināda sēper sunt ad volūtatē Dei, nobis reuelatā, & eatenus iudicāda sūt iusta esse, vel iniusta, quatenus hæc illi sunt consona, aut dissona, de operibus tamen Dei non est semper iuxta illam iustitiæ regulam iudicandum, cùm ipse non sit illi legi subiectus.

XVIII.

Multa enim à Deo fiunt, vti est odisse, hoc est, odio destinasse eos, qui nihil mali egerunt cū potuerit eos amare: vti etiā est, permittere homines labi in peccata, cum possit impedire: vti quoq. est, homines lapsos nō corrigere, cum possit emendare, & vti est homines in peccatis indurare, cùm possit mollire, deniq. vti est dānare, quos potest sine vlla reprehensione, imò multa cum laude seruare, & alia id gen⁹ multa, quæ si à nobis fiāt, iniusta sunt. quia cū iustitia Legis, seu cū volūtate Dei in Legē reuelata pugnāt, qua Lege & volūtate, nobis, nō sibi mādat Deus, vt omnes amemus, & omnes, quādocūq possumus, & quibuscunque possumus officiis iuuemus, atq seruemus. Illa tamē eadē opera, cùm à Deo fiunt, iniusta non sunt.

XIX.

Non sunt igitur opera Dei ilatera Legis diuinæ qua opera nostra, iustáne sint, an iniusta, cognoscuntur, sed sola diuini beneplaciti trutina ponderanda, ac cùm primum constiterit, Deum aliquid simpliciter voluisse, aut velle: mox concludendum est, illud esse iustissimum.

XX.

Sola etenim voluntas Dei absoluta, cum ipsa sit iustissima, imò ipsa iustitia, facit vt omnia etiam Dei opera iustissima sint.

XXI.

Vult autem simpliciter Deus, quidquid facit, siue eligat, siue reprobet, siue misereatur, siue induret: siue seruet, siue perdat. Quidquid igitur facit Deus, iustissimum est.

XXII.

Quare blasphemi sunt in Deum qui hoc illi ius in omnes homines liberrimū atq. absolutissimū. nimirū agēdi de illis & in illos quidquid lubet, adimere conantur, negant enim esse liberrimum Dominum, quem tantùm optimum Deum, & iustum iudicem esse volunt. Deus autē non est, qui non est omnium Dominus, quique non habet in omnes liberrimam agendi quiduis potestatem. Qui igitur hoc ius Deo, quantum in se est eripiunt, illū etiam Deum esse negant.

XXIII.

Hoc autem ius Deo illi eripiunt, qui dicunt, falsum & cōtumeliosum esse in Deū dicere, eū amare, vel odisse homines, antequā nati sint, id ē. Deū esse crudelissimū tyrannum, si ipse pro suo arbitrio quosdā elegerit, vt sint vasa misericordiæ: & alios reprobarit, vt sint vasa iræ, &, si quosdam creet ad vitam, alios ad mortem, tantùm vt in illis suam misericordiam, in istis autē suā potētiam atque iustitiam declaret, & vt in vtrisque hac ratione glorificetur.

De misericordia Dei.

THESIS I.

Deus non solùm iustus est: sed etiam misericors. Dei enim misericordia vbique prædicatur in Scripturis.

II.

Non est autem misericordia in Deo, sicut in nobis, affectio, seu passio aliqua, sed tantùm propensissima quædam voluntas miserendi, hoc est, miseris succurrendi.

III.

Cæterū duplex est Dei misericordia, vna generalis, qua vt Deus, non solū propensus & paratus est, cùm creaturis suis omnibus, tū præsertim hominibus, tā iniustis, quā iustis, in aliqua miseria ac calamitate constitutis, succurrere, sed etiam re ipsa succurrit, ac miseretur: non quidem omnibus ad vitā æternā, atq. in perpetuū, sed ad aliquā salutē, eāmque tēporariā. o͂e hac Luc. 6. Estote misericordes, sicut & Pater vester cælestis misericors est, nimirū ita misericors, vt Solem suum faciat oriri, non solùm super iustos & amicos, sed etiam super iniustos & inimicos.

IV.

Altera specialis est, atq. perpetua, qua, vt liberrimus Domin⁹ miseretur, quorū vult, & quorū nō vult. nō miseretur. Rom. 9. Hac. n. ad vitā æternā, & in perpetuū, ipsorū m tantū electorū miseretur, primò dū eos solos ad se efficaciter

vocat atque trahit: secundò, cum eis solis verè peccata condonat atque iustificat: tertio, cũ eos solos verè regenerat sibique sanctificat, ac postremò, dum eos solos æternam glorificat, de qua Ephes.2. Deus, qui diues est in misericordia, propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos, cum essemus mortui in peccatis, conuiuificauit nos in Christo Iesu.

V.

Etsi verò hac speciali misericordia Deus re ipsa non miseretur, neque etiam simpliciter vult misereri, nisi eorum, quos ad eius participationem ab æterno prædestinauit, ab ea tamen in sacris literis, & in prædestinatione Euangelij, nemo excluditur, quin quisque, si velit, eam vniuersis & singulis oblatam, percipere possit.

VI.

Cæterùm quia homines impij destituti gratia Dei, per se non possunt hanc misericordiam intelligere, nedũ fide amplecti, atque percipere, Deus autem reprobis non vult sicut electis, hanc suæ misericordiæ partem præstare, vt scilicet illorum mentes illustret ad verè cognoscendam: & eorum corda flectat ad verè amplectendam gratiam in Christo oblatam: iccirco fit, vt reipsa non omnium misereatur, sed eorum tantùm, quorum vult semper misereri, hoc est, electorum. Rom.9. Ergo quorum vult, miseretur: & quos vult, indurat.

VII.

Tota autem salus, & omnes salutis partes, electio, vocatio, iustificatio, glorificatio, sæpè in sacris literis nomine misericordiæ intelliguntur: vt in illo Apostoli, Rom.9. Miseretur quorũ vult. i. eligit, vocat, iustificat glorificat quos vult. vt misericordia autem excludit omnia merita illius, cui fit misericordia, & meram miserentis gratiam cõmendat. Indicant igitur sacræ literæ hac voce misericordiæ, totam electorum salutem esse gratuitam.

VIII.

Quare quicquid boni in nobis fit, aut à nobis fit, siue cogitando, siue volendo, siue agendo: & quicquid boni à Deo impetramus atque consequimur, ideóque ipsa etiam æterna vita: totum illud venit de gratuita Dei misericordia, qua miseretur, quorum vult: & quorum non vult, non miseretur.

VOCVM QVARVNDAM, QVÆ IN DOctrina de prædestinatione vsurpantur, explicatio.

De amore & odio Dei.

Amor, cùm Deo attribuitur, nullam affectionem, aut passionem, sicut in nobis, sed tria alia significat.

Primùm æternam beneuolentiam, hoc est, æternam bonam voluntatem, seu propositum miserendi, & benefaciẽdi, seruandique Sic Rom.9. Antequam quidquã boni egisset, Iacob dilexi. Hoc amore non omnes, sed certos quosdam amat, nam alios odit: Rom.9. Iacob dilexi: Esau autem odio habui: antequam quidquam boni fecissent, aut mali. Huius autem amoris caussa efficiens, in solo Deo est, eius scilicet beneplacitum.

Deinde actualem beneficentiam, hoc est, ipsa amoris effecta: siue temporaria sint, atque ad hoc seculum spectantia siue æterna, & ad vitam æternam pertinentia. Sap. 10. Diligis omnia quæ sunt, hoc est, omnibus tuis creaturis benefacis: eas sustentando, regendo, conseruando. Hoc amore amat omnes: omnibus enim benefacit. Mat.5. quanquam non omnibus ex æquo. Huius etiam amoris caussa in solo Deo est: eius nimirum beneplacitum.

Postremò, alicuius rei probationem, complacentiam & oblectationem: quòd qui amat aliquid, etiam eo delectatur. Psal.44. Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem: hic neque beneuolentiam, neque beneficentiam significat: sed probationem atque complacentiam: quòd scilicet Deo probetur iustitia, tam in seipso, quàm in aliis: eóque amore oblectetur. Hoc amore certè non amat impios, quatenus impij sunt. Psal.5. Odisti omnes qui operantur iniquitatem.

Odium quoque in Deo nullam significat affectionem: sed hæc tria.

Primùm, negationem beneuolentiæ: seu decretum non miserendi, aut benefaciendi ad vitam æternam. Sic Rom. 9. Antequam quidquam mali egisset: Esau odio habui, hoc est, decreui non misereri, sicut Iacobi. Huius odij diuini caussa, in ipso tantũ Deo latet, ipsius scil. beneplacitũ.

Deinde displicentiam, vel detestationem quæ enim odimus, ea nobis displicent: eáque detestemur. Odit Deus iniquum & iniquitatem eius. Huius odij caussa quærenda non est extra rem quæ displicet.

Postremò, alienationem voluntatis à beneficentia sua: seu decretum puniendi, atque perdendi, illiúsque decreti actionem. Psal.5. Odisti omnes qui operantur iniquitatem: hoc est, non solùm tibi displicent, & eos abominaris: sed etiam punire perderéque omnes constituisti: atque adeo punis & perdis. Huius etiam odij caussa, in ipsis tantùm, qui perduntur, hæret. non enim punit Deus, nisi qui digna punitione admiserint.

De electione.

Electionis vocabulum tria significat:

Primùm electionem æternam: qua scilicet ab æterno Deus ex omnibus omnium hominum generibus, ad salutis, æternæque vitæ in Christo communionem elegit quos voluit pro suo beneplacito. De hac Eph.1. Ij electi, non possunt fieri reprobi: quia hæc electio immutabilis est, cùm nihil aliud sit, quàm ipsum Dei firmum propositum miserendi, atque seruandi. Et huius electionis causa efficiens, est ipsum solum Dei beneplacitum. Eph.1.

Deinde electionem, qua Deus in tempore quosdam ex mundo, hoc est, ex reliqua hominum fæce eligit, actúque vocando, in communionem sanctorũ adducit, vt sint populus Dei. Iuxta hanc electionem populus Israeliticus, licèt non omnes ad vitam æternam electi fuerunt, totus tamen electus fuisse dicitur: nimirum ex reliquis gentibus, vt esset, & appellaretur populus Dei. Deut.16. Hodie elegit te Dominus Deus: vt sis ei populus peculiaris. Ita quotquot nomen dant Christo, & per Baptismum in Ecclesiæ corpus inseruntur: electi ab Apostolis appellantur: 1.Pet.1. Iuxta hanc electionẽ nonnulli ex electis fiunt reprobi: sed ideo hoc fit: quia non fuerunt iuxta priorem electionis speciem electi. Tales fuerunt illi, de quibus 1.Ioh.2. Exiuerunt è nobis: sed non fuerunt ex nobis. nam si fuissent ex nobis (iuxta priorem scilicet, & æternam electionem,) mansissent vtique nobiscum: iuxta alteram, scilicet quæ fit in tempore, electionem. Huius etiam electionis caussa est sola Dei voluntas. Eligit enim ad hanc etiam temporariam fœderis sui participationem, quos vult, & alios non eligit.

Tertiò, electionem ad munus & ministerium aliquod temporarium. De hac Ioh.6. Nónne ergo duodecim vos elegi? scilicet ad Apostolatum, & vnus ex vobis Diabolus est? nempe Iudas. Fuit igitur etiam Iudas electus, iuxta hanc tertiam electionis speciem, sed non iuxta primam. iccircò etiam à sua electione excidit. & episcopatum eius accepit alter, Act.1. Iuxta hanc tertiam electionis speciem, nonnulli electi fiunt reprobi, hoc est, ab officio reiiciuntur. Huius etiam electionis primaria caussa est sola Dei voluntas. Gal.1. Et vocauit per gratiam suam.

Iuxta hanc triplicem electionis speciem, illius quoque contrarium, hoc est, Reprobatio diuidi potest.

De præscientia.

Præscientia Dei aliquando accipitur pro illa cognitione, qua Deus ab æterno generatim prænouit, tam quæ alij admissuri erant, quàm quæ ipse facturus erat, siue in electis, siue in reprobis, siue in aliis creaturis, hoc est, bona tã naturalia, quàm moralia & Christiana opera.

Aliquando verò pro illa cognitione, qua speciatim quosdam, hoc est, electos cum affectu amoris, vt suos prænouit, hoc est, ab æterno amauit. Rom.8. & 11. Atque hæc idem est, quod Sanctorum prædestinatio.

De nomine Prædestinationis, seu

ΠΡΟΟΡΙΣΜΟΥ.

Prædestinare, Latinis est, principiò antè deliberare, definire & constituere apud se aliquid agere, antequam agas. Deinde est præmittere, & ad certum finem, atque vsum, antè aliquid deputare atque dirigere.

προορίζειν quoque Græcis est, tum antequam aliquid agas, quidquid agere velis, definire, tũ vnumquodque antequam fiat, ad suum certũ finem, atque vsum deputare.

Habhdel etiam Hebraicum apud Mosen, quod Septuaginta verterunt προορίζειν, significat aliquid ex aliarum rerum multitudine, ad certum vsum segregare ac deputare. Hoc autem proprium est virorum sapientum atque prudentum, multò magis igitur Dei.

Potest autem hoc nomen Prædestinatio, si ipsius significatio spectetur, generatim ad vniuersas creaturas, etiam ratione carentes, imo etiam vitæ expertes, extendi. Sed apud Patres, ea tantùm est hominum & Angelorum, tam piorum, quàm impiorum. In Scriptura verò nomen Prædestinationis seu προορισμοῦ, ferè de piis electis tantùm vsurpatur, quare ij soli propriè prædestinati esse dicuntur.

Quadruplex igitur Prædestinationis definitio adferri potest: vna generalissima rerum omnium: altera generalis omnium hominum: tertia specialis, electorum tantùm: quarta specialis itidem, reproborum tantùm.

Prædestinationis definitio I.

Generalissima rerum omnium Prædestinatio, quæ posteaquam ad executionem ventum est, Prouidentia à multis solet appellari, sic definiri potest: Est æternum, sapientissimum, immutabiléque Dei decretum: quo vnamquámque rem, antequam crearetur, ad suum certum vsum & finem deputauit: idque in bonum vniuersi, & ad gloriam suam.

Definitio II.

Generalis verò, hoc est, * omnium hominum prædestinatio: est æternum, sapientissimum, immutabiléque Dei decretum: quo apud se ab æterno constituit, primum quidem, omnes homines tum creare ad sui imaginē & similitudinem, iustos atque sapiētes, tū vt in peccatum, à Satana tentati, suo libero arbitrio laberentur, permittere: atque in foueam æternæ mortis, tanquam stipendium peccati iustissimum, ruere: deinde horum alios è fouea peccati & mortis gratis per Christum certis mediis liberare: & liberatos Spiritu suo comitari: & tandem æterna vita donare: alios verò hac gratia non dignari: sed cum Satana potiùs tum excæcare atque indurare, tum æterno exitio perdere: idque vt in illis diuina bonitas & misericordia, in istis autem diuina potentia & iustitia declaretur, atque ita in omnibus Deus glorificetur.

* *Eum ad modum ego hic locutus sum de omnibus hominibus, qui ex Adamo & Eua per carnalem generationem propagati sunt: eos scilicet creatos fuisse iustos, tētatos autem à Satana proprio libero arbitrio peccasse, quo etiam modo Apostolus ad Hebr.7. dixit, Leui in Abrahamo decimatum fuisse: cùm tamen ille nondum esset in rerum natura, sed tantùm in lumbis Abrahæ, quatenus scilicet quod fecit Abraham ipse etiam Leui fecisse dicitur, quia in Abrahami lumbis erat.*

Definitio III.

Specialis electorum prædestinatio, est æternum, sapientissimum, immutabiléque Dei decretum, quo apud se ab æterno constituit, certos quosdam homines in altissimam peccati atque mortis foueam, vnà cum aliis omnibus lapsos, secundum beneplacitum voluntatis suæ gratis per Christum eripere, suo Spiritu perpetuò comitari, & vt benè operentur, efficere, ac tandem in possessionem æternæ vitæ introducere, idque in hunc vltimum finem, vt Deus per illos, & in illis à misericordia laudetur, glorificetur, & magnificetur.

Definitio IV.

Specialis quoque Reprobatorum prædestinatio, est æternum, sapientissimum, immutabiléque Dei decretum, quo apud se ab æterno constituit, certos quosdam homines in peccati atque mortis fouea, in quam vnà cum aliis, lapsi fuerant, pro suo quidem beneplacito, sed iustissimo deserere, & desertos vnà cum Satana, alios quidem statim propter illud peccatum perdere, alios verò magis ac magis in dies excæcare, & excæcatos æterno tandem supplicio, propter sua multa scelera afficere, idque vt in eis diuina iustitia, declaretur, atque ita, sicut in aliis per misericordiam, sic in his per iustitiam glorificetur.

His fundamentis, nunc quid de prædestinatione sententiam, certis ac perspicuis positis thesibus, planiùs fiet.

CAPVT II.

De æterna Dei prædestinatione in genere.

Aeterna Dei prædestinatio de hominibus misericorditer saluandis, aut iustè propter suum peccatum damnandis, negari nullo modo potest.

Demonstratio.

Deus solus ille est, qui saluat quicunque saluantur, & damnat quicunque damnantur. est enim solus seruator, & solus iudex mundi. Rom.3. Quoscunque autem seruat, & quoscunque damnat, prudens ac volens seruat & damnat: nihil enim agit aut imprudens, aut inuitus.

Quicquid verò nunc sciens & volens agit, ante mundi constitutionem præfiniuit atque præsciuit se acturum. nihil enim nunc facit, aut vult, quod ab æterno non præsciuerit, atque voluerit, cùm nihil noui aut in Deum, aut in eius voluntatem & præscientiam cadere possit. Ergo quoscunque sciens & volens seruat atque damnat, eos ab æterno decreuit seruare atque damnare, & se seruaturum ac damnaturum præsciuit. Hæc autem est prædestinatio vel ad vitam, vel ad mortem. Prædestinatio igitur Dei de hominibus vel seruandis, vel damnandis negari non potest: quin negetur æterna Dei præscientia, atque voluntas: ideòque Deus ipse, cùm præscientia atque voluntas Dei nihil aliud sint, quàm ipse Deus præsciens, atque volens.

Testimonia.

Matt.20. Multi vocati: pauci electi.

Matt.24. Propter electos decurtabuntur dies illi.

Actor.13. Et crediderunt, quotquot præordinati erant ad vitam æternam.

Rom.8. Quos præsciuit, hos & prædestinauit.

Eph.1. Elegit nos ante mundi constitutionem.

2.Tim.1. Saluos nos fecit: & vocauit vocatione sanctâ: non secundùm opera nostra: sed secundùm suum propositum & gratiam: quæ data quidem est nobis per Christum Iesum, ante tempora æterna: sed palàm facta est nunc per apparitionem seruatoris nostri Iesu Christi.

II.

Deum ab æterno constituisse, hominem ad sui imaginem creare: & creatum permittere labi in peccatum, & in mortem ruere, & cum eo totū humanum genus: credo, & doceo.

Demonstratio.

Deus creauit hominem ad imaginem & similitudinem suam: creatum verò, prudens & volens permisit suo libero arbitrio in peccatum labi, & in mortem ruere: & cum eo, atque in eo totum humanum genus. Hoc docent sacræ literæ, & fides Christiana. Neque enim Deus impediuit hominem, vt non laberetur. Eccles.15. Deus ab initio creauit hominem, & permisit eum consilio arbitrij sui. Eccles.7. Deus creauit hominem Adamum rectum. id est, probum, ipsi autem cogitationes vanas persecuti sunt. Quidquid autem fecit Deus, totum illud ab æterno præsciuit ac præfiniuit se facturum. Ergo decreuit ab æterno permittere, hominem & totum humanum genus in peccatum labi, & in mortem ruere.

Testimonia.

Act.15. Notum à seculo est Domino opus suum. Hæc ibi. Creasse autem, & eundem permisisse in peccatum labi, opus fuit Dei.

Augustinus Tom.7. de corrept. & gratia, cap.10. Quapropter saluberrimè cōfitemur, quod rectissimè credimus: Deum, Dominúmque rerum omnium, qui creauit omnia bona valde, & mala ex nobis exoritura esse præsciuit: & sciuit magis ad suam omnipotentissimam bonitatem pertinere, etiam de malis benefacere, quàm mala esse non sinere, sic ordinasse Angelorum & hominum vitam, vt in ea priùs ostenderet, quid posset eorum liberum arbitrium, deinde quid posset suæ gratiæ beneficium iustitiæque iudicium.

Lutherus de seruo arbitrio, cap.153. Cur permisit Adam ruere? & cur nos omnes eodem peccato infectos condit, cùm potuisset illum seruare, & nos aliùnde, vel primùm purgato semine creare? Deus est, cuius voluntatis nulla est caussa, nec ratio, quæ ei ceu mensura & regula præscribatur.

III.

Omnes homines esse ad vitam æternam prædestinatos. aut omnes homines esse ad mortem æternam reprobatos, nec credo, nec doceo.

Demonstratio.

Etsi omnes homines in foueam peccati & mortis suo vitio lapsi sunt, Deus tamē non omnes inde eripit, seruat, aut vnquam seruaturus est ad vitam æternam, neque omnes ibi deserit, damnat, aut vnquā damnaturus est in mortem æternam. Matth.25. Et ibunt ij in supplicium æternū, iusti autem in æternam vitam. Quod autem nunquam facit, aut facturus est Deus, illud etiam nunquam decreuit facere, aut se facturū præsciuit, cùm illius neque præscientia falli, neque voluntas impediri possit. Ergo neque ab æterno prædestinauit omnes ad vitam, neque omnes reprobauit ac prædestinauit ad mortem.

Testimonia.

Matth.20. Multi vocati, pauci electi. Non ergo omnes electi, & si aliqui, illique pauci electi. Non igitur omnes electi, aut omnes reprobati. Rom.9. Antequam nati essent, aut aliquid boni egissent, vel mali. Iacobum dilexi, Esauū odio habui. Non igitur omnes dilexit ad vitam æternam, neque omnes odio habuit ad æternam mortem.

Augustinus vbique, præsertim contra Pelagianos, atque in primis libro de prædestinatione Sanctorum, & libro de Bono perseuer. & lib. de corrept. & gratia, in Enchirid. ad Laurentium.

Lutherus de seruo arbitrio. Item in præfatione in Epistolam ad Romanos, in cap.9.10.11.

Bucerus

Bucerus vbique, & præsertim in Epist. ad Rom. & ad Ephes. 1. in disputatione contra Melchiorem Hofmannū: qui contendebat omnes esse electos ad vitam.

IIII.

Ex omnibus hominibus alios esse ad salutem vitámque æternam electos: alios verò à salutis participatione reiectos, & ad mortem æternam prædestinatos, idque à Deo ante mundi constitutionem, & credo & doceo.

Demonstratio.

Deus ex omnibus hominibus alios salutis participes facit, atque in æternam vitam seruat, alios salutis participatione non dignatur, sed potiùs ad æternam mortem damnat: idque sciens & volens. Matt.25. Et ibunt ij in supplicium æternum: iusti autem in æternam vitam. Quoscunque autem nunc prudens & volens, vel seruat, vel damnat: eos ab æterno etiam voluit ac decreuit vel seruare, vel damnare: & se vel damnaturum, vel seruaturū præsciuit. nam in præscientiam & voluntatem Dei nihil cadit noui: cum vtraque sit perfectissima. Hoc autem nihil aliud est quàm prædestinare. Ergo ab æterno alij fuerunt ad vitam: alij ad mortem à Deo prædestinati.

Testimonia.

Matth.20. Multi vocati: pauci electi. Sunt ergo aliqui electi: aliqui non electi.

Rom.9. Iacob dilexi: Esau odio habui, aliquos igitur dilexit ad vitam æternam: alios non dilexit.

2.Tim.2. Firmum fundamentum stat, habens signaculū hoc, Nouit Dominus qui sint sui. Si omnes essent prædestinati, & omnes essent Dei, non opus esset hoc signaculo, quo discernuntur illi, qui sunt Dei, ab illis, qui non sunt Dei. Sunt igitur alij Domini, hoc est, electi, alij non sunt.

Augustinus vbique, præsertim contra Pelagianos, lib. de prædest. Sanctorum, & de Bono perseuerantiæ: de cor. & gratia.

Lutherus in præfatione in Epist. ad Ro cap.9.10.11. Tractat, inquit, sententiam Prædestinationis. ex ea enim sola pendent omnia. nempè qui accepturi sint verbum, qui nō, qui credituri, qui non. qui liberandi à peccatis, qui obcæcandi, qui damnandi, & qui iustificandi sint.

Idem in lib de seruo arbitrio inculcat, alios scilicet esse electos ad vitam, alios reprobatos ad mortem, alios amatos fuisse & amari, alios odio habitos, etiam ante mundi constitutionem, & haberi.

Bucerus ad Rom. cap.9. in conciliatione locorū, Deus, quos vult, indurat, &, Deus omnes homines vult saluos fieri, apertè hoc docet, dicens, Qui verbum Dei sequi simpliciter volunt, ex his se facilè expediunt. Primùm enim firmè inhærent in eo, quod Deus ipse de se testatur, se ex perdito à primo parente genere hominum quosdam deligere, sibi refingendos ad vitā nouam & beatam, reliquos habere organa iræ suæ, in quibus edat exempla iustæ vltionis, qua commendat electis misericordiam suam, quod illos in eandem mortem natos, transfert in consortium vitæ diuinæ. Hęc ille. Deinde subiectis aliquot exemplis & oraculis, idem clare testantibus, concludit, dicens, Ex huiusmodi itaque exemplis & oraculis, idem clarè testantibus, quorum Scriptura referta est, quibus scilicet discrimen, quo Deus homines habet, effertur, habent sancti id sibi persuasissimum, alios à Deo ad vitam electos esse, priusquam hic mundus conderetur, alios, quia non sunt electi ad vitam, deputatos etiam, antequam quidquam fieret, in id, ad quod eos Dominus tandem vsurpat, vt videlicet in eis exempla edat iræ suæ, & eo pacto nomen suum in eis sanctificet. Cúmque videāt ita placitum esse coram Deo, agunt cum Christo Domino nostro, Deo Patri, pro hoc iudicio gratias, tam quòd mysterium salūtis abscondit sapientibus & prudētibus huius seculi, quàm quòd reuelat illud electis paruulis, vtcunque vtrisque ex æquo reuelationem mysterij huius velit offerri. Deinde cùm Dominus nihilominus iubeat Euangelium prædicari omni creaturæ, & ad communionem salutis vocati quoslibet, non disputant Sancti, cur iubeat vocare Deus, quos tamen non vult venire, imò quos indurat, ne veniat, sed sic colligunt, Dominus est, qui iubet, nostrum est igitur parēre & satis habere, quod Domino interim erga reprobos ad id seruimus, vt illis adimatur omnis scelerum excusatio, & confiteri ipsos oporteat, Deum se iustè condemnare.

In Confessione ciuitatis Argentinensis, anni 1539. artic. 8. Sunt enim aliqui non ex Deo nati, ac Filio à Patre non donati, vasa iræ, præparata ad interitum, hœdi, non oues, qui etiam tandem in æternum ignem conijcientur, Hæc ibi. Falsum igitur est, quod quidam dicunt, Omnes homines datos esse Christo à Patre.

V.

Proinde certum esse numerum, tum electorum ad vitam æternam, tum reprobatorum ad exitium æternum certo certius est.

Demonstratio.

Omnium hominum, qui vnquam fuerunt, aut futuri sunt, numerus aliquis apud Deum sit, isque finitus, oportet. Mundus enim & hominum generatio initium habuit, & finem tandem aliquando habitura est. Ex omnibus autem hominibus alij, vt iam ostensum est, ad vitam: alij ad mortem prædestinati sunt, cùm omnino alij seruentur, alij damnentur idque à Deo. Ergò certus sit apud Deum numerus electorum & reprobatorum, omnino necesse est.

Testimonia.

Luc.10. Nomina vestra scripta sunt in cœlis.

Luc 12. Capilli capitis vestri innumerati sunt.

2.Tim.2. Firmum stat fundamentum: habens signaculum hoc. Nouit Dominus, qui sint sui.

Augustinus Tom 7. de corr. & gratia, cap. 13. Hæc de iis, inquit, loquor: qui prædestinati sunt in regnum Dei: quorum ita certus est numerus, vt nec addatur eis quisquam, nec minuatur ex eis.

Ibidem: Hi ergo, qui non pertinent ad istum certissimum & felicissimum numerum: pro meritis iustissime iudicantur.

Lutheri Bucerique testimonia de certo numero electorum: in probatione præcedentis nempe quartæ propositionis posita sunt. Subiectum etiam est testimonium huius ciuitatis.

VI.

Prædestinationem, tam impiorum ad mortem, quàm piorum ad vitam, eámque æternam, firmam esse, atque immutabilem, ita vt neque semel electi possint amplius fieri reprobi, neque semel reprobati possint amplius fieri electi, & credo, & doceo.

Demonstratio.

Quos Deus seruat, ideo seruat, quia ab æterno simpliciter, & secundum propositum voluntatis suæ seruare eos, sed misericorditer in Christo decreuit: quos verò damnat, ideo damnat, quia simpliciter, & secundum voluntatem beneplaciti eos damnare, sed iustissimè, propter peccatum saltem originis, ab ęterno constituit. Voluntas autem Dei absoluta, omniaque decreta, secundum illam voluntatem facta, immutabilia sunt, vt ante demonstratum est. Qui igitur ad salutem sunt electi, immutabiliter manent electi: & qui reprobati, immutabiliter manent reprobati: Proinde electi non possunt fieri reprobi: neque reprobi possunt fieri electi.

Testimonia.

Ioh 10. Nemo potest eas rapere de manu mea.

2.Tim.2. Firmum stat fundamentum, habens signaculum hoc: Nouit Dominus qui sint sui.

Rom.11. Sine pœnitentia sunt dona & vocatio Dei.

Augustinus Tom.7. de corr. & gratia. cap.9. Iam filij Dei erant in memoriali Patris sui, inconcussa stabilitate conscripti.

Tom.8. in Psal:68. col.738. dicens: Fratres, non sic accipere debemus, quòd quenquàm Deus scribat in libro vitæ: & deleat illum. Si homo dixit, Quod scripsi, scripsi, de titulo, vbi scriptum erat, Rex Iudæorum, Deus quenquam scribit & delet?

Item in Psal:32. in illud, Consilium Domini manet in æternum, col.219. Vnde igitur inquit, consilium Domini manet in æternum: nisi de nobis, quos antè præsciuit & prædestinauit? Quis tollit prædestinationem Dei? ante mundi constitutionem vidit nos, fecit nos, emendauit nos, misit ad nos, redemit nos. Hoc eius consilium manet in æternum, hæc eius cogitatio manet in secula seculorum.

Lutherus de seruo arbitrio, cap.168. Atque hoc ipsum est inquit, quod liberum arbitrium cogit nihil esse. quod æternus & immutabilis sit amor, æternum odium Dei erga homines, antequam mundus fieret.

Idem in præfatione, in epist. ad Rom. Prædestinationis necessitatem immutabilem esse ait.

Bucerus idem vbique docet. In quæst. de Prædest. Rom. 8. cap.1. Prædestinationem vocat voluntatem Dei de nostra salute certam atque immotam, quam auertere nulla creatura possit. Item cap.2. appellat propositum Dei, quod mutari non possit.

CAPVT III.

De prædestinatione Sanctorum.

THESIS I.

Quotquot ad salutem & æternam vitam electi sunt: eos fuisse non ex futuris suis meritis, neque propter futuram illorum fidem, sed *gratis* ex misericordia, & secundum beneplacitum Dei electos: credo, & doceo.

Demonstratio.

Quotquot vocantur, iustificantur, & glorificantur, non propter sua merita, neq; propter virtutē fidei: sed gratis eos Deus vocat, iustificat, glorificat: idque sciens, ac volens. Vbique hoc contendunt sacræ literæ, præsertim Apostolus ad Rom. Galatas, &c. Quidquid autem nunc agit Deus: illud ab æterno decreuit & præsciuit se facturum. Ergo ab æterno præsciuit ac præfiniuit, se, quoscunque gratis iustificat & glorificat: gratis, & non propter opera, vel etiam propter dignitatē fidei vocaturū, iustificaturum, glorificaturum. Proinde neque opera, neque fides vllo modo caussa fuerunt, aut esse possunt prædestinationis Sanctorum. Quare, affirmare fidem caussam esse electionis: est negare, Sanctos gratis à Deo vocari, & iustificari.

Testimonia.

Ioh. 15. Non vos me elegistis: sed ego elegi vos.

Rom. 9. Cùm nondum nati essent, aut egissent aliquid vel boni, vel mali: vt secundum electionem propositum Dei maneret: non ex operibus, sed ex vocante dictum est: Maior seruiet minori.

Ephes. 1. Elegit nos in Christo ante mundi constitutionem: vt essemus sancti. Cùm ait, In Christo, excludit omnia nostra merita. Et non ait, Quia futuri eramus sancti: sed, Vt essemus sancti. Item addit: Secundum beneplacitum voluntatis suæ, quod proposuerat in semetipso. Quid est, In semetipso? hoc est: extra se nihil vidit, cuius rationem habere in eligendis nobis.

Augustinus doctrinam hanc efficacissimè contra Pelagianos, inimicos gratiæ Dei, demonstrauit vbique ferè, præsertim in libris de Prædestinatione Sanctorum, & de bono perseuerantiæ. Tota Ecclesia catholica hanc secuta est, & sequitur. Neque aliter docuit Lutherus, Bucerus, & alij omnes doctrinæ Euangelicæ defensores. neque enim articulus de gratuita iustificatione defendi potest: nisi defendatur prædestinatio gratuita: cùm ab hac illa pendeat. Quare qui volunt, fidem nostram caussam esse nostræ electionis, ij omnino negant, iustificationem salutémque totam esse gratuitam.

Augustinus Tom. 7. de corr. & gratia, cap. 2. Ac per hoc, inquit, & desiderare auxilium gratiæ, initium gratiæ est. Hæc ille.

Retractat. lib. 1. cap. 23. retractat id, quod aliquando dixerat, Deum elegisse fidem in præscientia, vt quem sibi crediturum esse præsciuit, ipsum elegerit cui Spiritum sanctum daret. Hanc sententiam, tanquam erroneam atque impiam retractat, & docet, fidem quoque effectū esse prædestinationis & gratiæ, non igitur caussam. Profectò, inquit, non dicerem, scilicet Deum, cùm prædestinauit, futuram cuiusque fidem respexisse, Si iam scirem, etiam ipsam fidem inter Dei munera reperiri, quæ dantur in eodem Spiritu.

In libro verò de Prædestinatione Sanctorum, per multa capita demonstrat apertissimis Scripturarum testimoniis, neminem fuisse electum, quia crediturus erat, sed quotquot electi sunt, electos fuisse vt crederent. Idcircò cap. 17. Rogo, inquit, quis audiat Dominum dicentem, Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, & audeat dicere, Credere homines, vt eligantur, cùm potiùs eligantur, vt credant? Hæc ille.

Lutherus quoque docuit omnia à prædestinatione pendere, ideóque & fidem effectum esse prædestinationis nō autem caussam. In præfatione in Epist. ad Rom. Tractat, inquit, sententiam prædestinationis, ex ea enim sola, omnia pendent, nempe qui accepturi sint verbum, qui non, qui credituri, qui non, qui liberandi, qui obcæcandi, qui damnandi & iustificandi sint.

Bucerus omnino consentit, ac præter alia loca in Epist. ad Ephesios, cap. 1. pag. 21. Præcognitio eorum, inquit, quæ facturi eramus, aut futura in nobis fides, nequaquam fuit nostræ electionis caussa.

II.

Quotquot ad æternam vitam prædestinati sunt, in Christo, hoc est, vt per Christum, & propter Christum, salutem, æternámque vitam consequantur, prædestinatos fuisse, & credo, & doceo.

Demonstratio.

Quotquot enim iustificantur, & glorificantur, eos in Christo Deus iustificat & glorificat, idque sciens, ac volens. Hoc etiam vbique docent sacræ literæ. Nihil autem sciens, ac volens facit Deus, quod non ab æterno voluerit atque præsciuerit se facturum. Ergo ab æterno quotquot nunc in Christo iustificat & saluat, sese in Christo iustificaturum, ac seruaturum præsciuit, & præfiniuit. Quare, negare qui prædestinati sunt ad vitam, esse prædestinatos in Christo, est affirmare, qui seruantur, sine Christo seruari, ac proinde est negare, Christum esse Mediatorē, & Seruatorem mundi. Qui autem hoc in Ecclesia docuerit, legi neminem.

Testimonia.

Ephes. 1. Elegit nos in Christo ante mundi constitutionē. Plura non subiicio: quia hoc vnicum satis est, & nemo vnquam in Ecclesia Christi aliter docuit.

III.

Qui prædestinati sunt ad æternam vitam, eos etiā prædestinatos fuisse ad omnia illa media, quæ ad vitam æternam consequendam necessaria sunt, vti est fides, opera fidei, & perseuerantia in fide, credo, & doceo.

Demonstratio.

Deus enim quotquot in vitæ æternæ possessionem adducit, per debita hæc media ad illam adducit, nunquam autem sine iis, multo verò minùs per vias vitæ æternæ cōsequendæ contrarias, vti per infidelitatem & peccata regnantia quempiam ad illam adduxisse legitur. Totum hoc doctissimè demonstrauit Augustinus in libris contra Pelagianos, in primis autem de prædestinatione Sanctorum, & de Bono perseuerantiæ. Nihil autem nunc facit Deus, quod non decreuerit, & præsciuerit se facturum. Ergo quotquot prædestinauit ad vitam æternam, prædestinauit etiam ad media, quæ ad illam ducunt, nimirum ad fidem, &c. Quare dicere, prædestinatos ad vitam, etiamsi viuant & perseuerent in peccatis, tamen tandem saluatum iri, est negare, ipsos Sanctos vere esse ad vitam æternam prædestinatos, quandoquidem tam ad media, quam ad finem prædestinati sunt, quicunque prædestinati sunt.

Testimonia.

Ephes. 1. Elegit nos, vt essemus sancti & immaculati in conspectu eius, in charitate. Non ait Apostolus, Elegit nos, quia futuri eramus sancti, sed, vt essemus sancti. Sumus ergo prædestinati ad sanctitatem.

Item cap. 2. Ipsius opus sumus: conditi in Christo Iesu ad opera bona, quæ præparauit Deus, vt in illis ambulemus. Sumus ergo prædestinati ad bona opera.

Tit. 2. Apparuit gratia Dei salutifera omnibus hominibus, erudiens nos, vt abnegata impietate, & mundanis cupiditatibus, sobriè, iustè, & piè viuamus in præsenti seculo. In hunc igitur etiam finem Christus venit, & pro electis mortuus est, vt scilicet eos sanctificaret, donaret Spiritu fidei, accenderet ad amorem Dei, & ad studium bonorum operum, quibus mediis tandem in æternæ vitæ possessionem eos introduceret.

Act. 27. Paulus iuxta reuelationem angeli pronunciat decretum Dei, nimirum neminem eorum, qui erant in naui, periturū: tamen cū postea videret nautas præ timore tēpestatis parare se ad fugam: ait centurioni & militibus nisi curent nautas retinendos in naui, eos non posse saluos fieri. Prædestinatio igitur non tollit media ad salutem cōsequendam præparata. Et vtrunque verū est. Qui sunt prędestinati ad vitam, non posse perire: &, Nisi quis credat in Christum, & in fide perseueret: eum periturū. Ideo etiam 2. Tim. 2. cùm dixisset Nouit Dominus, qui sint sui: mox de mediis, hoc est de studio pietatis subiecit, dicens: Et discedat ab iniquitate.

Augustinus Tom. 2. de corrept. & gratia, cap. 6. Quis, inquit, in æternam vitam potuit ordinari, nisi perseuerantiæ dono: quandoquidem qui perseuerarit in finem, hic saluus erit? Item cap. 7. Quicunque igitur ab illa originali damnatione, ista diuinæ gratiæ largitate discreti sunt: non est dubium, quòd & procuratur eis audiendum Euangelium: & cum audiunt, credunt: & in fide, quæ per dilectionem operatur, in finem vsque perseuerant. & si quando exorbitant, correpti emendantur, & quidam eorum, etsi ab hominibus non corripiantur, in via, quā reliquerūt, redeunt: & nonnulli accepta gratia in qualibet ætate, periculis huius vitæ mortis celeritatē subtrahuntur. Hæc enim omnia operatur in eis, qui vasa misericordiæ operatus est eos, qui & elegit eos in Filio suo, ante constitutionem mundi, per electionem gratiæ.

Non

Non aliter docuerunt Lutherus & Bucerus, & alij docti viri, nouerunt enim hanc necessariam esse sequelam: Si omnia quæ ad salutem faciunt, donantur nobis à Deo, & opera sunt dona Dei, Deum ergo decreuisse & præsciisse, se gratis illa donaturum. Et si secus se res haberet, salus certè nostra non esset gratuita: sed daretur gratia secundum merita, quæ fuit hæresis Pelagij.

Legatur tamen Bucerus in Matth.16.sect.5.p.364 vbi euidentissimè hoc demonstrat, & postea concludens, ait, Omnia igitur salutis nostræ donum sunt, & opus vltroneæ & gratuitæ beneuolentiæ Dei.

IV.

Electos ad vitam æternam non posse perire, ac proinde necessariò seruari, & credo & doceo.

Demonstratio.

Deus enim, quos ad vitam æternam elegit, illos simpliciter secundum beneplacitum voluntatis, ideóque immutabiliter voluit, & vult seruari. est enim illa voluntas immutabilis, eosdem etiam præsciuit se infallibiliter seruaturum. est enim præscientia Dei infallibilis. Potest etiā eos seruare, cum sit omnipotens, imò sine vllius impedimento reipsa fuerat. Ergo electi infallibiliter seruantur, ac proinde non possunt perire. Illud autem dicitur necessario fieri, quod non potest aliter esse. Necessario igitur seruantur, si perire non possunt. Quare dicere, Electos posse damnari, est dicere, & absolutā Dei voluntatem posse mutari, & eius præscientiam posse falli, & eiusdem omnipotentiam posse impediri, Hoc autem nihil aliud est, quam negare, Deum esse Deum. Qualis enim est ille Deus, cuius vel præscientia falli vel voluntas impediri, vel potentia infirmari potest?

Testimonia.

Ioh. 10. Christus ait, se habere oues, quas nemo rapere possit de manu sua.

Item cap. 6. Omne quod dedit mihi Pater, ad me veniet: & eum, qui veniet ad me, non eiiciam foras.

Item, Hæc est enim voluntas eius, qui misit me, Patris, vt ne quid perdam ex omnibus iis, quæ dedit mihi, sed resuscitem illa in nouissimo die.

Rom 8. Quos prædestinauit, vocauit, iustificauit illos & glorificauit.

2.Timot.2. Firmum fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc. Nouit Dominus qui sint sui.

Augustinus Tom.7.de corr.& gratia, cap.7. Ex istis (de quibus Apostolus Rom.8. Quos prædestinauit, nullus perit, quia omnes electi sunt.

Item ibidem, Illi ergo electi, qui secundum propositū vocati, qui etiam prædestinati, atque præsciti. Horum si quisquam perit, fallitur Deus. Sed nemo eorum perit, quia non fallitur Deus. Horum si quisquam perit, vitio humano vincitur Deus. Sed nemo eorum perit, quia nulla re vincitur Deus.

Item cap.9. Iam filij Dei erant in memoriali Patris sui, inconcussa stabilitate, conscripti.

Item ibidē, Non enim perit Filius promissionis, sed perditionis, ipsi sunt illi prædestinati, & secundum propositū vocati, quorum nullus perit.

Lutherus de seruo arbitrio concludit, omnia fieri mera necessitate, propter immutabilem Dei præscientiā, atque voluntatem, sicut antea demonstratum est, Multo magis igitur electos necessario, hoc est, infallibiliter seruari propter immutabilem prædestinationem.

Cap.17. Est itaque, inquit, & hoc imprimis necessariū & salutare Christiano, nosse, quod Deus nihil præscit contingenter, sed quod omnia incommutabili & æterna, infallibilique voluntate & præscientia, & proponit, & facit.

Item cap.20 non probat quidem fatū Stoicū, quod etiā Augustinus confutauit: sed fatū Christianū, hoc est immutabilē necessitatem prædestinationis cōmendat atque cōfirmat, ídque à fatali etiam illa necessitate, de qua sæpe apud Poetas fit mentio, & à dictis vulgo vsitatis apud omnes gentes, vt est illud, Quod Deus vult, fiat, item, si volet Deus, faciemus. Sic voluit Deus.

Eandem doctrinam tradit in Præfatione, in Epist. ad Rom. nam ibi quoque appellat immutabilem necessitatem prædestinationis. Et hæc, inquit, certè stabilis sententia & immota prædestinationis necessitas, summè necessaria est. iā imbecilles enim sumus, vt si in manibus nostris situm esset, paucissimi aut nulli seruarentur. Diabolus enim omnes vinceret. Nunc cum hæc stabilis & certissima Dei sententia mutari non possit, nec ab vlla creatura conuelli, tum certè spes est nobis reliqua tandem vincendi peccati, quantumvis etiā nunc in carne sæuiat. Hæc oīnia Lutheri sunt.

Bucerum citare supervacaneum est: cùm in omnibus suis scriptis hanc doctrinam vrgeat: nimirum, electos non posse perire: ideóque necessariò saluari. Vnum tamen locum indicabo. In Iohan.cap.10.sect.3.in illud, Oues meæ vocem meam audiunt. In iis, inquam, apertè docet: omnia à diuina electione pendere: eósque, quibus semel datum fuerit oues esse, perire nunquam posse.

V.

Quos elegit Deus, eos non in hunc finem solùm elegisse, vt ipsi seruentur, sed in primis, vt suā in eis ostendat misericordiam: ac proinde, vt ipse Deus in eis, & per eos glorificetur: credo atque doceo.

Demonstratio.

Electos Deus seruat, & quos seruat, hoc est, condonatis peccatis iustificat, atque glorificat, in istis suam patefacit misericordiam: qua de caussa tota salus sæpe significatur nomine misericordiæ, Rom.9. Miseretur, quorum vult, inde autem Deus glorificatur, imò quos seruat, ideo seruat, vt in eis ostendat suā misericordiā. Ideo vasa misericordiæ appellantur, quoniam in hunc finē creantur, & regenerantur, fiuntque vasa Dei, vt in eis suam misericordiam toti orbi patefaciat. Quidquid autem nunc facit in tempore, illud decreuit facere ante mundi constitutionem. Ergo ab æterno decreuit quosdam seruare, in hunc finem, vt in eis ostenderet diuitias misericordiæ suæ, atque ita à misericordia, in illis, & per illos glorificaretur. Proinde caussa finalis prædestinationis sanctorum triplex est, vna ipsorum salus, altera misericordiæ & bonitatis Dei declaratio, postrema, quæ ex vtraque surgit, ipsius Dei glorificatio.

Testimonia.

Eph.1. Elegit nos secundum propositum voluntatis suæ, in laudem gloriæ gratiæ suæ. Hic est vltimus finis.

Prouerb.16. Omnia propter semetipsum creauit Dominus, etiam impium ad diē malum hoc est, & fecit. & facit omnia ad gloriam suam, quæ potissimum relucet in salute electorum, eóque in patefactione suæ misericordiæ erga electos.

Roman.9. Vt notas faceret diuitias gloriæ suæ, erga vasa misericordiæ, quæ præparauit in gloriam. Hic est alter finis, tum salutis electorum, tum etiā damnationis reprobatorum, patefactio nimirum misericordiæ Dei erga electos.

Doctrinam hanc esse etiam Augustini, Lutheri & Buceri, imo omnium Ecclesiarū Christi, dubium non est. Iccirco breuitatis gratia in re perspicua non morabor, proferendis in medium doctorum virorum testimoniis.

V.

Finē prædestinationis, qui est vita æterna, & media ad hunc consequendum necessaria, vti est in primis Spiritus Christi, ac fidei in cordibus eorum, qui seruantur, ita esse inseparabiliter coniuncta, vt neque quispiam habere possit vitam æternam, sine Spiritu Christi, & fidei, neque Spiritus Christi & fidei in aliquo esse queat, quin habeat ius vitæ æternæ & infallibiliter ipsam quoque perfectam vitæ æternæ possessionem habiturus sit, ac proinde, veram fidem non esse nisi electorum ad vitam æternam, & credo, & doceo.

Demonstratio.

Vitam æternam haberi non posse sine Spiritu Christi & fidei manifestum est: nam qui non habet Spiritū Christi, hic non est eius. Rom.8. Qui autem non sunt Christi, ij cum Christo in æterna vita regnare non possunt.

Item Iohan 3. Qui autem incredulus est Filio, ira Dei manet super illū. Hac de caussa, etsi infantes fidelium electi, actualē fidē non possint habere, Spiritu tamē fidei præditi sint, si debeant in æternam vitā ingredi, necesse est. Illud etiam manifestum est, Quicunque habent Spiritum Christi, & fidem in Christum, eos habere vitam æternam: Qui enim aguntur à Spiritu Christi, ij sunt filij Dei, ait idem Apostolus, Rom.8. Quod si filij, etiam hæredes sunt vitæ æternæ. Soli autem electi verè iustificantur & glorificantur, habéntque vitam æternam, vt Apostolus eodē capite 8. Rom. docet. Consequitur ergo ex iis necessariò, veram fidem & Spiritum Christi, non esse nisi in electis ad vitam æternam.

Testimonia.

Matt.13. & Luc.8. qui significati fuerunt ea terra bona, quæ partem seminis quartam recepit, conseruauit & fructum attulit, ij soli vera fide, hoc est, perpetua, non temporaria crediderunt. Hi autem fuerunt electi. Electorum ergo tantum vera fides est.

Ioh.10. Vos non creditis, quia non estis ex ouibus meis, Reproborum ergo, qui non sunt oues Christi, fides nō est:

Actor.13. Et crediderunt, quotquot præordinati fuerant ad vitam æternam: ergo præordinatorum tantùm ad vitam æternam hoc est electorum, est fides.

2.Cor.13. Tentate vosmetipsos, an sitis in fide: vos ipsos probate. annon cognoscitis vosmetipsos, quòd Iesus Christus in vobis est: nisi sicubi reprobi estis? Fides igitur, quæ Christum ita apprehendit, vt sit in nobis ipsis: reproborum non est.

Tit 1. veram fidem Apostolus vocat electorū fidem, est igitur electorum tantùm.

Cùm res sit perspicua ex Scripturis: non subiiciā multorum hominū testimonia, quorum doctissimi quique idem in suis libris scriptum reliquerunt. Vnum tamen aut alterum Buceri locum protulisse: satis esto.

Matt.16.sect.5 pag.364. Credere Deo verè nemo potest: nisi adflatus Spiritu filiorum Dei, hunc iam Deus iis solis donat, quos habet propter meritum filij sui inter suos, quibus peccata remisit. Hoc autem iis demum facit, & ab iis demum donat Filium suū: quos ad id elegit ante conditum mundum.

Idē tradiderat antea multis in locis: præsertim Matt.8. in tractat. de fide solos scilicet electos verè credere.

Et in Ioh.10.sect.3. Hic namque audimus inquit, eos tātùm vocem Christi audire. hoc est, fidem recipere: qui oues sint. Hæc omnia sunt Buceri. Nomine autem ouium intelligit electos, vt ibi satis liquet.

VII.

Omnes Christianos debere, & per gratiam Dei posse certos esse de sui ad æternam vitam prædestinatione: credo, atque doceo.

Demonstratio.

Debent omnes ita credere in Christum: vt certi sint propter eum sibi condonata esse peccata, seque esse coram Deo iustificatos: ac proinde perfectè habituros vitā æternam. Et quicunque donati sunt vera fide: non solum possunt de sui iustificatione & salute esse certi: sed etiam reipsa certi sunt. Doctrinam hanc passim tradunt Euangelistæ & Apostoli. Primò iubent credere in Christum: deinde pronunciant qui credunt eos esse iustificatos, & habere vitam æternam. Postremo iubent fideles explorare seipsos an sint in fide, qua locutione docent, fideles scire posse, an habeant verā fidē, nec ne. Fideles igitur hac gratia, vt credant in Christum, donatos, debere & posse certos esse de sui iustificatione & salute, manifestum est.

Patres quoque, præsertim Augustinus & Bernhardus, hanc salutis certitudinem inculcant.

Lutherus etiam & omnes Protestantes, hunc præcipuū articulum de certitudine salutis contra Papistas defendunt: atque ita defendunt, vt etiā Papistæ doctiores nunc non aliter sentiant, atque doceant: & maxima pars disputationis Ratisbonensis in hoc articulo, de certitudine salutis, consumitur.

Non potest autem quispiā certus esse de sui iustificatione & salute per Christum: nisi certus sit etiam de sui ad iustificationem & salutem prædestinatione in Christo, non enim iustificantur, nisi ad iustificationem prædestinati: Rom 8. Si ergo qui credit in Christum, debet & potest certus esse de sua salute, seu iustificatione, quisque etiam verè Christianus debet & potest esse de sui prædestinatione certissimus nimirum certitudine fidei. Quare dubitare de sui ad salutem prædestinatione in Christo, est dubitare de sui iustificatione per Christum.

Testimonia.

Marc.1. Credite Euangelio: iubemur ergo omnes credere Euangelio. Euangelium autem annunciat, nos ita fuisse à Patre amatos, vt filium suum pro salute nostra dederit. Iohan 3. Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum dederit. Dilectos autem fuisse à Patre hoc amore, est, fuisse prædestinatos ad salutem per Christum: Rom.9. Iubemur igitur omnes credere, nos esse prædestinatos ad salutem in Christo.

Luc.12. Nolite timere pusille grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum. Hoc autem beneplacitum Dei est ipsa prædestinatio ad regnum. Iubemur ergo omnes qui sunt de grege Christi, credere sine dubitatione, se esse ad regnum Dei prædestinatos per beneplacitum Dei.

Posse autem nos certos esse de nostri electione, manifestum est. Etenim Rom.8. ait, Ipse autem Spiritus sanctus reddit testimonium Spiritui nostro, quod simus filij Dei. Quod si filij, & hæredes, ergo ad hæreditatē prædestinati.

Item ibidem, Certus sum inquit Apostolus, quòd neque mors, neque vita, neque denique vlla creatura poterit nos separare à dilectione Dei, quæ est in Christo Iesu, Domino nostro. Etsi enim Apostolus in singulari ait. Certus sum: de omnibus tamen fidelibus, & nomine omnium fidelium loquitur: id quod indicat pronomen plurale *nos*.

Si etiam vera fides est tantū electorū, vt demonstratum est, &, Quicunque habet veram fidem, eam in se sentit, vt Scripturæ docent, Augustinus, Lutherus, & omnes: Potest ergo quisque verè fidelis concludere à fide in Christū, se esse electum ad vitam, est enim fides vera verissimum & certum diuinæ electionis testimonium.

Bucerus in quæstione de prædestinatione, in 8. Rom. parte altera. Itaque quod primum Deo debes: est vt credas, esse te ab eo prædestinatum. nam id ni credas: facis eū tibi, cùm te ad salutem vocat per Euangelium, illudere, vocat enim te Euangelio ad iustificationem & gloriæ suæ communicationem. Hæc autem non potest contingere: nisi prædestinatis, præscitis & electis in hoc.

Item: Præsumenda nobis igitur, inquit, vt principium fidei, nos omnes à Deo esse præscitos, præfinitos, separatos à reliquis & selectos in hoc, vt æternum seruemur: hócque propositum Dei mutari non posse. Hæc ille.

VIII.

Proinde dubitare de nostra in Christo prædestinatione, Diabolicam & perniciosissimam tentationem esse, doceo neque aio.

Demonstratio.

Diabolicam esse tentationem hinc manifestè apparet, propositum enim Diaboli præcipuum & vltimum in omnibus suis tentationibus est vt veritatem verbi Dei, vel nobis persuadeat esse mendacium: vel saltem, vt illud in dubium vocet: sicut in prima tentatione primorum parentum, & in tentatione Christi manifestè apparet. Ac proinde eò spectat, vt vel nullo modo credamus nos à Deo ad æternam vitam amari: & per Christum esse redemptos, vitámque æternam habituros: vel saltem, vt de iis rebus dubitemus. Qui autem vel nullo modo credit, se esse ad vitam æternam in Christo prædestinatum, vel saltem ea de re dubitat: dubitet etiam necesse est, an Deus se amet ad vitam, & an Christus se redemerit: & proinde, an beatam vitam sit per Christum consecuturus. Neque enim quis potest credere, se amari à Deo, & se redemptum fuisse per Christum, nisi etiam credat, se fuisse ex gratia ad vitam in Christo prædestinatum. Atque hinc etiam patet, Diabolicam hanc tentationem, omnium esse perniciosissimam: quoniam ad diffidentiā de Deo & ad desperationē salutis adducit: & à desperatione ad licentiam omnium vitiorum atque scelerum: inde vero in æternum exitium.

Testimonia.

Luc.12. Nolite timere, pusille grex: quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum. Hæc autem adhortatio, non ad Apostolos solum sed ad totum Christi gregē pertinet, ait enim, Nolite timere, pusille grex. Quicūque ergo sunt de hoc grege, timere non debent, quia complacuerit Patri cœlesti dare sibi regnum.

Lutherus in Genes. cap. 26. fol. 35. hanc dubitationem vt Diabolicam & perniciosissimā acerrime damnat. Idem facit in Psal. 5. itē in Psal. 22. & ait, huc spectare hanc dubitationem, vt scilicet euertat fidem. Neque enim illis locis Lutherus damnat doctrinam de immutabili prædestinationis necessitate, imò magis confirmat: sed tantum damnat dubitationem quam Satan suggerit, an simus prædestinati, nécne. Quare cum damnat dubitationem, suadet certitudinem: nos scilicet esse prædestinatos in Christo ad æternam salutem.

Bucerus idem facit vbique in quæstione de Prædestinatione præter alia: Proinde, inquit: si dubitas te prædestinatum esse dubitare quoque necesse est, te esse vocatum vt saluus fias, esse iustificatum, esse denique glorificandū, hoc est, necesse est te dubitare de omni promissione salutis tuæ dubitare de Euangelio, hoc est, Deo nihil credere omnium quæ tibi in Euangelio offert. Hæc ille.

Et paulo post, Cum neglectu inquit, odióque Dei, omne malum inuehitur, quando admittitur de nostri prædestinatione dubitatio. Ergo tanquam caput omnis noxiæ tentationis repellenda est hæc quæstio, Sumúsne prædestinati? nam qui de hoc dubitat, nequit esse Christianus.

IX.

Christianū hominē debere non solū de sui electione in Christo ad æternā vitā, persuasum esse, sed etiam idem de suis in Christo fratribus confidere, doceo, atque aio.

Demonstratio.

In quibuscunque apparet signa diuinæ electionis, eos

debemus confidere esse electos. Signa autem electionis sunt, fides in Christum viua, hoc est, quæ se per dilectionem, & opera bona patefacit: deinde perseuerantia in fide: hæc. In quibus autem signa hæc non conspiciuntur, sed potius contraria, pro fratribus habendi non sunt. In quibuscunque vero apparent: pro fratribus habendi sunt: Fratres igitur in Christo electos esse ad vitam æternam, considerare debemus.

Testimonia.

Apostolus quoscunque videbat fidem habere in Christum, & dilectionem in Sanctos: eos sine vllo scrupulo appellabat Sanctos, & electos: etiamsi certus non esset, an essent perseueraturi in fide, necne. Ephes. 1. de omnibus fidelibus ad quos scribebat, sine vlla exceptione sic loquitur: Sicut elegit nos in Christo ante mundi constitutionem. Item: Qui benedixit nos omni benedictione spirituali in cælestibus. Item, Qui prædestinauit nos in adoptionem filiorum Dei.

Petrus Apostolus in principio prioris Epistolæ, omnes Christianos, qui erant in Ponto, Galatia, Cappadocia, Asia, & Bithynia, appellat electos secundùm præscientiam Dei Patris.

Quanquam autem illud verum est, iudicium nostrū & Ecclesiæ, in iis rebus, quæ Deo soli verè notæ sunt, iuxta illud, Nouit Dominus, scilicet solus, qui sint sui, sæpenumero falli: interim tamen debemus sic de iis, qui notas habent electionis, sentire: idque necessarium & vtile est electis: nam alioqui quomodo possimus inter nos veram amicitiam colere, vel φιλαδελφίαν: nisi quis alterum habeat pro electo, quo cum sit æterna vita fruiturus: planè ego nō video. quomodo etiam possumus eundem simul inuocare Patrem, nisi credamus, nos omnes esse illius filios, quicunque eundem inuocamus Patrem? & quomodo possumus nos mutuo appellare fratres: nisi credamus, omnes nos ex eodem Patre Deo natos esse: hoc autem est, esse electos. Debemus igitur Christianos omnes, in quibus nulla apparent certa argumenta, quod alieni sint à fide in Christum, & à Spiritu filiorum Dei: pro electis complecti. Quia hæc propositio certissima est, ideo nulla hominum subiicio testimonia.

CAPVT IV.

De reprobatione & prædestinatione impiorū.

THESIS I.

DEum quosdam ante mundi constitutionem, secundū propositum voluntatis suæ reprobasse atque odisse, hoc est, decreuisse illos, postquam in peccatum lapsi fuissent, in eo peccato relinquere, & à cōmunione salutis in Christo reiicere: credo & doceo.

Demonstratio.

Ab orbe condito, postquam primus homo lapsus est in peccatum, & in eo totum humanum genus: Deus multos in peccato suo deserit, & salutis cōmunione non dignatur. Apparet hoc primum in omnibus illis, quibus ne verbum quidem salutis annunciari & reuelari voluit, vt Gentibus tempore Israelitarum, verbo tantùm in Iudæa retento: vt tempore etiā Christi, qui neque ipse iuit, neque Apostolos misit ad Gentes prædicatum Euangelium: nisi post resurrectionem. Intra illud autem tempus quamplurimi inter gentes periere, sine cognitione Euangelij. Et Christus ait Matth. 11. Gratias ago tibi, Pater, quod abscondisti hæc à sapientibus. Nunc quoque infinitæ sunt gentes, quibus Euangeliū non annunciatur: neque, quid illud sit intelligunt. Deinde idem apparet in pueris infidelium: qui antequam audire etiā possint Euangeliū, moriuntur. Postremò apparet in iis, qui audiunt quidē Euangelium, sed tamen non possunt credere Euangelio. Iohan. 12. Certè si simpliciter vellet Deus hos omnes seruare: omnes seruarentur. Non ergo omnes vult seruari: cum non omnes seruentur. Neque etiam hic valet exceptio illa, Deus omnes seruaret si omnes vellent seruari, hoc est, credere in Christum. Nam si Dominus vellet simpliciter omnes seruari: largiretur procul dubio omnibus ea, quæ ad salutem consequendam necessaria sunt: inter quæ etiā continetur voluntas bona. Philip. 3. Cùm igitur hæc media aliquib. donet, & non omnibus, non omnes igitur simpliciter vult seruari. Ad id certè, quod dictū est de infantibus infideliū, quos, antequā possint viā salutis agnoscere, Dominus tollit è medio & in peccato originali mortuos dānat, responderi nihil potest, nisi quis velit, aut cum Pelagio negare pueros nasci in peccato, aut cū Turcis & Iudæis affirmare peccata etiam extrà Ecclesiam Christi, & sine Spiritu Christi condonari. Manifestissimum igitur est: Deum multos in peccatis natos, in ipsis etiam peccatis deserere, & communione salutis non dignari, nec velle dignari. Quidquid autem nunc simpliciter non vult Deus, illud etiam ab æterno noluit: & quidquid nunc facit, id ipsum ante conditum mundum decreuit facere. Ergo ante conditum mundum Deus quosdam noluit communione salutis dignari sed in suis peccatis sese illos deserturum præsciuit, ac præfiniuit. Hoc autē est reprobare & odisse Dei.

Testimonia.

Matt. 7. Tum confitebor illis, quòd nunquam nouerim vos: Discedite à me omnia qui operamini iniquitatem. Impios igitur Deus, neque etiam ante conditum orbem agnouit, nimirum pro suis: neque amauit ad vitam æternam.

Iohan. 17. Totum humanum genus in duas secat partes Dominus Iesus: & vnam appellat mundum: alteram homines, qui non sint de mundo: & hos ait dilectos fuisse à Patre: sicut & ipse dilectus est ante mundi constitutionem. Docet igitur apertissimè, mundum, hoc est, eos, qui nunc sunt increduli, ab æterno non fuisse Deo dilectos: Quos autem Deus non dilexit ab æterno ad vitam æternam, illos dicitur odisse: hoc est, à communione salutis reiecisse.

Rom. 9. Antequàm nati essent, aut aliquid boni, vel mali fecissent: Iacobum dilexi Esauum autem odio habui: Exemplo autem horum duorum gemellorum, concludit Apostolus de omnibus hominibus: alios fuisse Deo dilectos, alios odio habitos ante mundi constitutionē. Sic etiā Augustinus, & omnes post Augustinum Patres interpretati sunt. Sic Bucerus in 9. ad Roman. sect. 2. Illud verò oraculum (nimirum, In hoc ipsum excitaui te:) de Pharaone editum est. Sed sicut ex oraculis, quæ supra attulit, editis, nominatim de electione & reiectione Isaac & Ismael, Iacob & Esau, quid de omnium electione atque reiectione sentiendum sit, docuit: ita in præsenti ostendit ex eo, quod de induratione Pharaonis dictum priuatim est: quod de omnium induratione iudicandum sit. In hoc enim ista nobis iudicia Dei in certis hominibus descripta sunt: vt in illis videamus, quid Deus statuat de hominibus in vniuersum. In cunctis istis hypothesibus theses insunt. Hæc Bucerus.

Item in Epist. ad Ephes. cap. 1. pag. 13. Illa verba, inquit, (nimirum Iacob dilexi: Esau autem odio habui) non ad illos duos tantùm sunt restringenda: sed ad totam vtriusq. familiæ posteritatem atq. adeo ad pios omnes & impios.

II.

Quosdam non solùm à communione salutis reprobatos fuisse, sed etiam ad excæcationem, indurationem, & alia mala, quę ita sunt pœnę peccatorum, vt etiam sint peccata, prædestinatos fuisse, idque iustissimo Dei iudicio: & credo, & doceo.

Demonstratio.

Deus multos propter præcedentia peccata excæcat, indurat, tradit in sensum reprobum, vt faciant ea quę nō decent. Hoc passim inculcatur in sacris literis. Exod. 9. Deuter. 28. Iesai. 6. Roman. 9. 2. Thessal. 2. Neque hæc loca dē sola permissione intelligi posse, docet Augustinus, Lutherus & Bucerus, quanquam omnis etiam permissio Dei voluntaria est. Quidquid autem nunc facit Deus, ab æterno se facturū præsciuit, ac præfiniuit. Ab æterno igitur quosdam ad excæcationem, indurationémque prædestinatos fuisse, negari non potest.

Testimonia.

Act. 4. decreuerat Deus, vt per Pilatum & Herodē Christus damnaretur. Conuenerunt enim verè, inquiunt Apostoli, in ciuitate ista aduersus sanctum puerū tuum Iesum, quem vnxisti, Herodes & Pontius Pilatus, cum gentib. & populis Israel, ad faciendum quæcunque manus tua & cōsilium tuum decreuerunt (est προώρισε, præfiniuit, seu prędestinauit) fieri.

Augustinus hanc eandem tradit doctrinam passim in libris contra Pelagianos, & quidem Tom. 7. de corr. & gratia, cap. 7. scribit de Iuda: illum fuisse electū ad opus dānabile: vt per illud, opus venerabile, hoc est, mors Christi, & per illam redemtio mundi compleretur. Cùm itaq. audimus inquit, Nonne ego vos duodecim elegi, & vnus ex vobis Diabolus est? illos debemus intelligere electos per misericordiam: illum, scilicet Iudam, per iudicium. Illos ergo elegit ad obtinendum regnum suum: illud ad effundendum sanguinem suum. Hæc ille.

Lutherus in præfatione in Epist. ad Rom. Tractat, inquit, sententiâ prædestinationis. ex ea enim sola pendent omnia: qui liberandi à peccato, qui occæcandi. Hæc ille. Si à prædestinatione pendet qui occæcandi sint, & qui liberandi à peccato: ergo tam ad occæcationem prædestinati sunt, qui occæcantur: quàm ad liberationem à peccato, qui à peccato liberantur.

Bucerus in c. 8. Rom. in quæst. de Prædest. idem concludit. postquam enim conclusisset prædestinationē de ipsis etiam reprobis dici posse: mox subiunxit: Videtur illis (qui scilicet aliter sentiunt) Deo indignum, dicere, Deū aliquē præfiniuisse ad perditionem. Atqui Scriptura non veretur dicere: Deum tradere quosdam homines in sensum reprobum & agere in perniciem. Quid igitur indignū Deo, dicere, eam statuisse antea, vt illos in sensum reprobum, traderet, & ageret in perniciem? Paulò post concludens: Dum itaque, inquit, constiterit, ad gloriam Dei pertinere, quod prædicatur indurare, excæcare, & tradere in sensum reprobum, quos vult: satis liquet etiam dici posse: Deum hos ipsos in hanc sortem præsciisse, & destinasse, antequam eos conderet: agit enim præfinito & certo consilio omnia.

III.

Quosdam fuisse ante mundi constitutionem non solū reprobatos, & ad indurationem præfinitos: sed etiam ad æternam mortem prædestinatos: & credo, & doceo.

Demonstratio.

Multi enim à Deo damnantur in æternam mortem. Quidquid autem nunc facit Deus: ab æterno decreuit, & præsciuit se facturum. Multos igitur ab æterno ad æternā mortem prædestinauit.

Testimonia.

Matt. 25. Ite in ignem æternum, qui paratus est Diabolo, & angelis eius, hoc est, omnibus impiis, Diaboli ministris & sectatoribus.

Rom. 9. omnes impios appellat vasæ iræ, aptata ad interitum.

Augustinus Tom. 2. epist. 105. ad Sixtū Presbyt. col. 470. A. Quamuis itaque Deus faciat vasa iræ in perditionem, vt ostendat iram, &c. tamen in eisdem iræ vasis, propter meritum massæ in contumeliam debitam factis id est hominibus, propter naturæ quidem bonum creatis, sed propter vitia supplicio destinatis: iniquitatem, quam rectissimè veritas improbat: damnare nouit ipse non facere.

Lutherus in præfatione in Epist. ad Rom. Tractat, inquit, sententiam prædestinationis: ex ea enim sola pendent omnia: qui damnandi, & iustificandi sint. Sic ille. Ergo sicut qui iustificantur, ad iustificationem: ita qui damnantur, ad damnationem fuerunt prædestinati.

Buceri testimonium ex iis, quæ in præcedenti propositione dicta sunt, colligi facilè potest: ait enim non debere videri Deo indignum, quòd aliquos præfinierit ad perditionem.

IV.

Etsi quoscunque à cōmunione salutis reprobauit Deus, non propter futura mala illorum opera, sed secundum suum beneplacitum reprobauit. Rom. 9. tamen quoscunque, tum ad excæcationem, atque indurationem, tum ad æternas pœnas luendas prædestinauit: propter ipsorum peccata, saltem originale, prædestinatos fuisse, & credo, & doceo.

Demonstratio.

Quoscunque excæcat, aut indurat: non sine caussa: sed propter sua ipsorum peccata, saltem originale excæcat: Deus enim neminem punit citra caussam peccati.

Rom. 1. Et quia cùm cognouissent Deum, non sicut Deū glorificauerunt propterea tradidit illos Deus in reprobum sensum, & desideria cordis sui.

Rom. 2. Ira & indignatio: tribulatio & angustia: in omnē animam hominis operantis malum.

2. Thess. 2. Eò quod dilectionem veritatis non receperunt in hoc, vt salui fierent: propterea mittit illis Deus efficacitatem illusionis: vt credant mendacio.

Quæcunque autem, & quibuscunque de caussis facit, aut facturus est Deus: illa omnia & easdem ob caussas cōstituit ante conditum mundum facere. Quicunque igitur ad pœnas peccatorum prædestinati sunt, excæcationem & mortem æternam, propter sua peccata, ad eas prædestinati sunt.

Testimonia.

Cùm propositio sit perspicua, multa non subiicio testimonia. Duo, vnum Augustini, & alterum Buceri, satis esse debent.

Augustinus Tom. 2. Epist. 105. ad Sixtum: Neque enim, inquit damnantur, qui non peccarunt.

Bucerus in Reform. Eccles. de peccato originali, pag. 75. concludit: quicunque condemnantur, propter proprium peccarunt condemnari. Iustus est, inquit, Deus. non igitur condemnat ad æternam mortem, nisi quod peccato proprio perditum est. Hæc ille. Assumit autem: omnes ex Adamo natos, etiam infantes, nisi regenerentur, ad æternā mortem condemnari: infert conclusionem: omnes igitur, etiam infantes ex Adamo peccasse.

V.

Deum creare impios, sed non illorum impietatem: ac proinde, creatorem quidem esse impiorum: sed non autorem impietatis: credo & doceo.

Testimonia.

Prouerb. 16. Omnia propter semetipsum creauit Dominus: etiam impium ad diem malum.

Ioh. 1. Omnia per ipsum facta sunt: & sine ipso factum est nihil quod factum est.

Impietatis vero autorem non esse docet illud Apostoli, Rom. 5. Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, ergo non per Deum.

Augustinus Tom. 7. de gratia, & libero arbitrio, cap. 21. aperte ait: Deum etsi corda impiorum ipse vertat quocūque vult, vtpote à se creata: malitiam tamen illorum non fecisse. Quorum malitiam, inquit, non ipse fecit.

Item Tom. 2 Epist. 10., ad Sixt. col. 470. multis demonstrat: Etsi Dominus facit vasa iræ & indurat: ita vt indurati nō possint non peccare: ipsos tamen impios nō posse sui peccati culpā in Deum transferre. Ac præter alia, contra hos Dei accusatores, qui dicunt: Quid adhuc conqueritur? voluntati enim eius quis resistit? profert illud Prouerb. 19. Insipientia viri violat vias eius: Deum autē causatur in corde suo. Et mox concludens: Quamuis itaque, inquit, Deus facit vasa iræ in perditionem, vt ostendat iram, & demonstret potentiam suam, qua bene etiā vtitur malis: & vt notas faciat diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ fecit in honorem nō damnabili massæ debitum, sed suæ gratiæ largitate donatum: tamen in eisdem iræ vasis, propter meritum massæ in contumeliam debitā factis, id est, hominibus, propter naturæ quidem bonum creatis, sed propter vitia supplicio destinatis, iniquitatem, quam rectissimè veritas improbat, damnare nouit ipse, nō facere. Sicut enim voluntati eius tribuitur humana natura nullo dubitante laudanda: sic hominis voluntati culpa tribuitur, nullo recusante, damnanda.

Videantur quæ eadem de re scribit Tom. 7. de nuptiis, & concupiscentia, lib. 2. cap. 16.

Lutherus de seruo arbitrio, cap. 41. Hic est fidei summus gradus, credere, illum esse clemētem: qui tam paucos saluet, tam multos damnet: credere iustū quia sua volūtate nos necessario damnabiles facit: vt videatur, referente Erasmo, delectari cruciatibus miserorum, & odio potius, quàm amore dignissimus.

Item, cap. 148. Deus, inquit, condidit Pharaonē impium, hoc est ex impio & corrupto semine, sicut in Prouerb. 16. Salomō dicit, Omnia propter semetipsum fecit Dominus, etiam impiū ad diem malum: non quidem creando malitiam in eo, sed ex malo semine formando eū, & regendo.

Item Licet Deus peccatū non faciat: tamē naturā peccato, subtracto Spiritu, vitiatam formare non cessat, & multiplicare: tanquam si faber ex ligno corrupto statuas faciat, ita qualis est natura, tales fiunt homines: Deo creāte & formante illos ex natura tali. Hæc omnia Lutherus.

Bucerus Rom. 9. sect. 4 in expositione illorū verborum: Si verò Deus tulit, &c. Figmento non licet poscere rationē à figulo, cur se sic finxerit, ita multo minus poterit nobis fas esse, requirere, cur nos Deus ea conditione fecerit, qua fecit. Attamen si hæc omnis et caussa sit, cur impios faciat & ferat in hac vita, vt in eis exempla edat vltionis in peccata, & hinc formidandam potentiam suam, & infinitam in electos suos bonitatē manifestiorem faciat: quid potes tu habere, ô homo, quod in Deo culpes?

Item paulo post: Etiam malis, inquit, Deus bene vtitur, tum quoque, quando illi sceleratissimè agunt, & se ipsos in interitum præcipitant. Iam toti à Deo facti sunt, & ad ea vtique facti & coaptati animo & corpore, eunctóque ingenio & corporis & animi, ad quæ illos vsurpat Deus.

Item de Iuda loquens: Per Iudam inquit, voluit Deus tradere Filium suum in mortē. Id fuit Iudæ exitio: prætitiliza

ci non fuisse natum. Atqui cùm huc esset diuinitus putatus: quis dubitet etiam in vtero matris ad istud factum & formatum esse?

VI.

Reprobos necessariò damnari credo & doceo.

Demonstratio.

Reprobi reipsa damnantur: nec possunt facere, quin damnentur: quippe qui perpetuò propter suas iniquitates rei sunt coram Deo mortis æternæ. Neque illis iniquitates condonantur: cùm perpetuò sint sine vera fide in Christum. Illud autem dicitur necessarium: quod non potest aliter se habere. Necessario igitur, hoc est, infallibiliter impij damnantur.

Testimonia.

Matth.7. Arbor mala non potest bonos fructus facere: quæ autem nunquam facit fructum: ea tandem succidatur in morâ sententia Domini, necesse est, Matth.3 Imò omnis planta, quam non plantauit Pater, eradicabitur. Matt.15. Sunt autem impij semper malæ arbores, & sine vere bono fructu. item arbores sunt non plantatæ à Domino. Si igitur non possunt seruari: necessario damnantur.

Lutherus quoque in libro de seruo arbitrio defendit, quæcunque fiunt, mera necessitate fieri.

Cùm igitur impij damnentur: necessariò illos damnari manifestum est.

Idem cap.42. nos omnes (cùm scilicet nascimur, quia in peccatis nascimur) necessario damnabiles à Deo fieri, nisi quis igitur ab hac necessaria damnatione liberetur: illum necessario damnari, quis neget? Non liberantur autem impij, cùm semper maneant impij. Impios igitur necessario damnari, certissimum est.

Item in cap.147. ait liberum arbitrium non posse velle bonum, necessarióque seruire peccato. Ergo necessario damnatur: quia damnationem euitare non potest.

Bucerus Rom.9. in ea verba, voluntati eius quis resistit? Voluntatem, inquit, cùm dicit: notat Deum ea velle, ad quæ homines indurat. Cùm addit, Quis resistat, indicat necessitatem faciendi ea, quæ fert induratio. Hæc Bucerus. Impij ergo excæcari necessario, sed tamen sine vlla voluntatis coactione peccant: ac proinde necessario damnantur. Hæc enim fert induratio.

Idem in Matth.9 sect.1. pagina 242. Sed reprobis, inquit, oportet noxia esse omnia: etiam quæ maxime sunt salutaria.

Item in Matth.13. sect.1. pag.310.

VII.

Impios non in hunc quasi vltimum finem, vt scilicet ipsi postea damnentur, & æternùm crucientur: sed tu propter salutem electorum, tum in primis propter gloriam Dei creari atque tolerari: credo & doceo.

Demonstratio.

Per impios Deus promouet salutem electorum: idque diuersis rationibus: vt dum per illorū tyrannidem atque iniquitates hos purgat, & exercet in patientia ac fide: per eosdem declarat suam potentiam, atque iustitiam: dū in eos propter sua scelera animaduertit: id quod etiam cedit in salutem electorum: quia spectata dira vltione Dei in impiorum scelera, ipsi diligentiùs sibi cauent à peccatis. item cùm vident illos puniri æternum, sibi verò, qui non illis meliores fuerunt, parci: apertius vident atque sentiunt misericordiam Dei erga se. Deus autem in creatione, sustentationeque impiorum, illos sibi proposuit fines, quos etiam per ipsos impios consequitur. Creauit igitur impios, & quotidie creat in salutem electorum, & gloriam suam.

Testimonia.

Prouerb.16. Omnia creauit Dominus propter semetipsum: etiam impium ad diem malum. Rom.9. In hoc ipsum excitaui te, vt ostendam in te potentiam meam. Item, Quod si Deus volens ostendere iram, & notam facere potentiam suā, tulit in multa patientia vasa iræ, aptata ad interitum: & vt notas faceret diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ. In iis verbis apparent tres fines, propter quos Deus creet atque sustentet impios in hac vita. Primus est gloria Dei, vt scilicet in ipsis manifestetur potentia & ira Dei contra peccatum, ideóque eius gloria illustretur. Secundus est ipsorum impiorum interitus: ideo appellat eos vasa iræ, aptata in interitum. Tertius, est electorum salus, vt scilicet ipsi melius ex iudiciis Dei aduersus reprobos, quanta sit Dei erga se misericordia, intelligant: ideóque tum à peccato diligentiùs sibi caueant, tum ad gratias Deo agendas, pro sua erga se misericordia, ardentius inflammentur. Ideo eos appellat vasa misericordiæ, & ait, Vt notas faceret diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ.

Augustinus Tom.6. contra Faustum Manichæorū, lib.16.c.21. Ad aliquem namque vsum sanctorum, ordinatur omnis cæcitas impiorum à summo Deo: qui pro sui regiminis æquitate bene vtitur etiam malis: vt qui suo arbitrio iniustè viuunt, illius iudicio iustè disponantur.

Bucerus quoque in cap.9. ad Rom. sect.4. eadem tradit. In quæstione vero de Prædestinatione, duos fines ponit indurationis Iudæorum: Proximum quidem esse ipsorum impiorum perditionē, vltimum verò ipsius Dei gloriam.

Istud tamen, inquit, hic obseruandum est: non esse Deo in his, quos indurat, excæcat, & euertit, finē vltimū, eorum perditionē. propter se enim Deus, & in gloriam suam fecit omnia: etiam impium ad diem malū, Prouer.16. Hinc dicebat Dominus Pharaoni, In hoc ipsum excitaui te, vt declararē in te virtutem meam, & celebretur nomen meū in omni terra. Et vbique in Scripturis, gloria Domini hais esse vltionis malorum prædicatur. De graui omnium gentium vltione & deiectione prædicebat Iesa.2. ibi ergo aliquoties repetit istud: Solus Dominus in die illa sublimis erit. At proximum tamen finem, perditionem malorū sibi esse, dum excæcat & indurat eos, Dominus ipse gloriatur. Cum enim Iesa.6. de induratione & excæcatione malorum loquitur, hanc caussam subiicit, Ne resipiscant, & sanē eos. Hinc & infrà sequenti capite, dicuntur reprobi organa iræ facta, & coaptata in perniciem, κατηρτισμένα. Hæc omnia Buceri sunt.

Vsus huius doctrinæ.

Has autē caussas agnoscere creationis, sustentationis, & excæcationis impiorum: vtile est electis. nā, vt ait Bucerus, valebit hoc nobis ad id, vt amplius à peccatis nostris metuamus, & in bonitatem Dei speremus firmiùs.

VIII.

Etsi Deus ab æterno certos quosdam ad communionē salutis in Christo elegit, alios verò ab ea exclusit, pro suo beneplacito: ac proinde quosdā creet in hunc finē, vt seruentur, & ita in eis suā declaret misericordiam: alios verò vt perdantur, & ita in eis suam patefaciat iustitiam: non propterea tamen Deum esse iniustum, crudelémve tyrannum, aut acceptatorem personarū: doceo, atque defendo.

Demonstratio.

Deus enim certos quosdam ad communionem salutis trahit, & saluat, alios nō trahit, nec saluat. Certè infideles multos, illorúmque pueros nec vocat, nec trahit, nec saluat: non tamen propterea quispiam dicit, illum esse acceptorem personarum, aut crudelem tyrannum. Ergo neque quia ab æterno decreuit quosdam seruare, & alios à salutis cōmunione excludere, accusari debet, aut potest, vel crudelitatis, vel προσωποληψίας. Est enim Deus Dominus omnium, & ius habet absolutum in omnes, & quidquid agit, iustū est, nec desinit esse clementissimus atque optimus Deus, etiāsi misereatur quorū velit, & induret quos velit.

Testimonia.

Psal. Iustus Dominus in omnib. verbis suis, & sanctus in omnibus operibus suis, misereri autem & indurare, seruare & damnare, omnia sunt opera Dei.

Rom.9. apertè, & ex professo docet Apostolus, omnia pendere à voluntate Dei, cúmque misereri quorum velit, & indurare, quos velit, neque tamen ob id vllam apud Deum esse iniquitatem. Sicut enim figulus nullius iniquitatis accusari potest, quod ex eadem massa faciat quædā vasa in contumeliam, cùm alia faciat in honorem: idque quoniam potestatem habet faciendi ex suo luto, quæcunque, & in quoscunque velit vsus, vasa: ita multo minus Deum accusari posse iniustitiæ, aut crudelitatis: quod ex hominibus alios induret, aliorum misereatur: alios faciat vasa misericordiæ: & alios vasa iræ.

Augustinus autem hunc locum Apostoli vbique vrget ad hoc propositum, cum docet, Deum pro suo beneplacito alios elegisse ad communionem salutis, alios ab ea reiecisse, & ad mortem reprobos, ad vitam autem electos prædestinasse. Fixum enim debet esse, inquit, & immobile in corde nostro, quia non est iniquitas apud Deum, de gratia, & lib. arb. c.21.

Tom.2. Epist 105. ad Sixtum Presbyt. Quòd autem personarum acceptorem Deum se credere existimant, si credant, quòd sine vllis præcedentibus meritis, cuius vult, miseretur, & quos dignatur vocat: & quem vult, religiosum facit: parum attendunt, quòd debita pœna redditur damnatio, indebita gratia liberato, vt nec ille se indignum queratur, nec dignum se iste glorietur, atque ibi

potiùs acceptionem nullam fieri personarum, vbi vna eadémque massa damnationis & offensionis inualuit: vt liberatus de non liberato discat, quòd etiam sibi suppliciū conueniret, nisi gratia subueniret.

Legatur etiam contra duas epistolas Pelagianorum: ad Bonifacium, lib. 2. cap. 7.

Lutherus de seruo arbitrio, cap. 42. Hic est, inquit, fidei summus gradus: credere illum esse clementem, qui tam paucos saluat, tam multos damnat: credere iustum, qui sua voluntate nos necessario damnabiles facit, vt videatur, referente Erasmo, delectari cruciatibus miserorum.

Legantur etiam quæ de eadem re scribit cap. 146. 147. Sed nec prosunt tamen, inquit, tropi: nec euaditur absurditas. absurdum enim manet, ratione iudice, vt Deus ille iustus & bonus, exigat à libero arbitrio impossibilia: & cū liberum arbitrium non possit velle bonum, necessarióque seruiat peccato, tamen imputet ei: & dū non confert Spiritum, nihil mitiùs, aut clementiùs faciat, quàm si indurer, vel indurari permittat. Hæc dictabit ratio non esse boni & clementis Dei: superant nimiò captum illius: nec captiuare etiam sese potest, vt credat bonum esse Deum, qui talia faciat, & iudicet: sed seclusa fide, palpare & videre, & comprehendere vult: quomodo sit bonus & non crudelis: comprehenderet verò tunc, quando sic de Deo diceretur, Neminem indurat, neminem damnat: sed omnium miseretur, omnes saluos facit: vt destructo inferno, positóque metu mortis, nulla pœna formidaretur futura. Ideò sic æstuat, & contendit, vt Deum excuset, & defendat iustum & bonum. Sed fides & Spiritus aliter iudicant: qui Deum bonum credunt, etiamsi omnes homines perderet.

Eandem tradidit passim Bucerus in 9 Rom. in explicatione exempli Pharaonis. Nostrum, inquit, vtique est: Deo omnem sapientiam, atque iustitiam quàm simplicissimè, atque ore plenissimo tribuere, in iudiciis illis quibuslibet, etiam eorum, quorum rationem inire non possumus.

Item in ea verba: O homo, tu quis es, qui respondeas Deo? Ipsa Dei voluntas, inquit, Deo caussa est omnium: & ea ipsa est iustitia.

Horum autem omnium hæc ratio est: quia Dominus hæc non agit, vt iudex: sed vt liberrimus Dominus, qui ius habet in omnes homines absolutissimū. iccircò quidquid de illis agit: iustissimum est. In fine seculi iudicabit omnes, vt iudex; ideo vnicuique reddet secundum facta ipsius. Nunc miseretur, quorum vult, & indurat quos vult, vt liberrimus omnium Dominus: quanquam quos etiam indurat, vt iustissimus iudex, propter ipsorum scilicet peccata indurat iustissimè.

IX.

Et si prædestinatio certa est, ita vt qui electi sunt, perire non possint, & qui reprobati, seruari non queant: non ideò tamen præceptiones, correptiones, atque obiurgationes & orationes superuacaneas esse, docco, atq. contendo.

Demonstratio.

Nam quod ad electos attinet, præceptiones, correptiones, orationes, denique totum ministerium Ecclesiasticū, media sunt, quibus Deus vtitur in illis ad vitam æternam deducendis. Hoc totum Augustinus de corr. & gratia doctissimè & perspicuè demonstrat: & cap. quidem 3. sic ait, O homo, in præceptione cognosce, quid debeas habere: in correptione cognosce, tuo te vitio non habere: in oratione cognosce, vnde accipias quod vis habere. Quod autem attinet ad reprobos, iis præceptionibus & obiurgationibus, denique toto ministerio Ecclesiastico inexcusabiles redduntur.

Testimonia.

Etsi nostra salus tota pendet à gratuita Dei electione: non propterea tamen cessandum esse à prædicatione morum & Legis, ab exhortationibus, reprehensionibus, & obsecrationibus, docent Christus & Apostoli. Ipsi prædicarunt prædestinationem, & omnia pendere à Dei voluntate: hominémque ex se nihil posse: interim tamen perpetuò admonebant homines sui officij: reprehendebant, adhortabantur, obsecrabāt, & orabant etiam pro illis. Christus ait: Nemo venit ad me, nisi Pater traxerit: idē tamen hortatur omnes, dicens, Venite ad me, omnes qui laboratis, & onerati estis: & ego reficiam vos. Pharisæis reprobis ait, illos ideo non credere, quod non sint ex ouibus suis: item, quod non sint ex Deo: interim tamen illos reprehendit: quod non audiant, nec credant.

Apostolus Petrus, Act. 2. ait, Iudæos, qui se audiebant, dum interemerunt Christum per manus iniquorum, impleuisse definitum Dei consilium: interim eos acriter reprehendit de hoc magno scelere.

Paulus ait Rom. 9. Neque volentis, neque currentis est, sed miserentis Dei, interim tamen hortatur fideles, vt velint, & currant. 1. Cor. 10. Sic currite, vt comprehendatis.

Roman. 8. ait, Quid oremus, nescimus: ipse autē Spiritus orat pro nobis, interim hortatur fideles ad orationem, dicens 1. Thessal. 5. Sine intermissione orate.

Philip. 3. ait, Deus operatur in nobis velle & perficere, interim idem ait Rom. 8. Nolite conformari huic seculo.

1. Timoth. 2. ait, Firmum stat fundamentum, habens signaculum hoc, Nouit Dominus, qui sunt sui. interim ait 1. Cor. 10. Qui videtur stare, videat ne cadat.

Iacobus item cap. 1. ait, Omne datum optimum de sursum esse, descendens à Patre luminum, interim ibidē ait, Si quis indiget sapientia, postulet à Deo. Ergo licet tota salus, & quidquid ad salutem pertinet, pendeat à gratia Dei, & ab ipsa æterna Dei electione, atq. proposito, nō sequitur tamen, cessandum esse à prædicatione morum, ab obiurgationibus, à studio bene agēdi. quare? quia iis mediis electi trahuntur ad Christum, & ducuntur in vitam æternā.

Augustinus Tom. 7. de bono perseuerantiæ, cap. 14. hanc eandem tradit doctrinam, & ait, esse prædicandum, esse obiurgandum, esse orandum Audiunt enim, inquit, hæc, & faciunt, quibus datum est, non autem faciūt, siue audiant, siue non audiant, quibus non est datum.

CAPVT V.

An prædicāda sit doctrina de prædestinatione, & quomodo, & quibus de caussis.

THESIS I.

Doctrinam autem hanc de prædestinatione Dei æterna atque immutabili, esse neque supprimendā omnino, neque in Scholis tantum inter doctos explicandam, sed etiam in pulpitis ad populum prædicandam, sed sobriè, hoc est, iuxta ea tantum, quæ de hac in Scripturis reuelata sunt, & prudēter, hoc est, sermone ita attemperato, vt neque ad licentiam, neque ad desperationem adducat, sed ad ædificationem faciat, dico, atque doceo.

Demonstratio.

Prędicandum est Euangelium, & quidem totum, atque integrum. Dominus enim non iussit partem Euangelij, sed totum prædicari: idque omnibus, tam indoctis, quam doctis, tam insipientibus, quam sapientibus, non in angulis, sed palam & publicè, cùm dixit Ite in vniuersum mūdū, & prædicate Euangelium omni creaturæ. Pręcipua autem pars Euangelij, est doctrina de æterna & incommutabili electione eorum, qui credunt in Christum, ad vitam æternam, & æterna atque incommutabili reprobatione, atque ad mortem æternam prædestinatione eorum, qui nunquam in Christum verè credunt, & Deū quidē ex gratuito, æternóque amore, eos etiam qui credunt, sibi elegisse, vt crederent, ideóque totam illorum salutem esse gratuitam, firmam atque constantem, eos vero, qui nunquam credunt, non dignatum fuisse ea gratia, qua electos, vt crederent, quòd tamen non credant, hoc fieri ipsorum vitio. Quare totam illorum etiam condemnationem, quia fit propter illorum infidelitatem & peccata, iustissimam esse. Habere igitur electos, cur semper glorificent Deum pro tanto erga se amore, & cur ei se præbeant obsequentes, reprobos verò non habere cur de Deo possint conqueri, cùm, quidquid agit Deus, iustissimè agat. Cur hæc doctrina non prædicetur, cùm tota faciat ad gloriam Dei, ad salutem & consolationem electorū, & tamen simul ad tollendam omnem impiis excusationem?

Testimonia.

Christus sæpe eam prædicauit, & quidem palàm, & ad plebem atque indoctos.

Matt. 11. Si in Tyro & Sidone factæ fuissent virtutes, quę factæ sunt in vobis, vtique in cinere & sacco pœnitētiam egissent, quasi dicat, Sed Deus noluit per me ibi hæc fieri, proinde etiam eos pœnitere non potuit, Maius igitur supplicium vestræ debetur impœnitentiæ & incredulitatis.

Matth. 11. Ob hanc caussam, Gratias tibi, inquit, ago Pater, quod absconderis hæc à sapientibus, & reuelatis paruulis, ita Pater, quoniam sic placitum est tibi.

Item Matth. 13. Vobis datum est nosse mysteria regni, cæteris in parabolis loquor, vt videntes, non videant, & audientes, non intelligant.

Matth. 20. Non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à Patre meo.

Matth.

Iatth.22. Multi sunt vocati, pauci electi.
Iatt.24. Propter electos decurtabuntur dies illi. Item:
bunt signa magna, ita vt, si fieri possit, seducantur etiam
eti, quasi dicat, sed non possunt seduci.
uc.17. Duo erunt in agro, alter assumetur, alter relin-
tur.
Iatt.25. Venite benedicti Patris mei, possidete regnũ,
d vobis paratum est à constitutione mundi.
c.10. Gaudete, quia nomina vestra scripta sũt in cœlis.
uc.12. Nolite timere, pusille grex, quia complacuit Pa-
estro, dare vobis regnum.
ohan. 6. Omne quod dedit mihi Pater, ad me veniet.
uasi dicat, alij non possunt ad me venire.
Ioh.8. Qui ex Deo natus est, verba Dei audit: propter-
ea vos non auditis, quia ex Deo non estis.
Ioh. 10. Sed vos non creditis, quia non estis ex ouibus
meis, id est, electis.
Item: Oues meæ non peribunt in æternum.
Ioh.15. Non vos me elegistis, sed ego elegi vos.
Ioh.17. Nemo ex eis periit, nisi filius perditionis. Ergo
ij perditionis pereant, necesse est, id est reprobi, filij au-
em promissionis, id est, electi, saluentur oportet.

Nulla ferè pagina est, præsertim in Euangelio Iohannis, vbi mentio aliqua non fiat electionis & reprobationis.

Apostoli eandem publicè prædicarunt, legantur Acta Apostolica, cap.1. de Iuda ait Petrus. Oportebat impleri Scripturam hanc, quam prædixit Spiritus sanctus per os Dauidis, de Iuda. Item aiunt: Iudam præuaricatum, à suo Apostolatu excidisse, vt iret in locum suum, id est, in infernum, ad quem fuerat destinatus.

Item, Ostende, quem elegeris. Erat ergo alteruter illorum electus à Deo ad Apostolatum. Tantum petitur, vt electio patefiat.

Act.2. Primo, arguit Apostolus Iudæos peccati, quod Christum crucifigendum curarint, deinde tamen dicit, hoc pacto impletum ab eis fuisse decretum, quod per Prophetarum os antea prædixerat.

Actor.4. aiunt Apostoli, Pilatum & Herodem conuenisse, ad facienda, quæcunque manus Dei, & consilium eius decreuerant fieri. peccatum tamen non adscribitur Deo, sed Pilato & Herodi.

Actor.13. Et crediderunt, quotquot præordinati erant ad vitam æternam.

Item 15. de conuersione gentium ad Christum. Iacobus Apostolus verba faciens, ait: Nota autẽ a seculo sunt Deo omnia opera eius. Ergo ab æterno prænorat & præfinierat se conuersurum gentes ad gratiam Euangelij.

De Apostolo Paulo quid dicam? quoties hanc prædestinationem inculcet, norunt, qui eius Epistolas legerunt, & legunt.

Rom.8. Nota est omnibus illa catena, Quos præsciuit, & prædestinauit conformes fieri imagini Filij eius, quos autem prædestinauit, hos & vocauit, quos vocauit, hos etiam iustificauit, & quos iustificauit, hos & glorificauit.

Cap. 9.10.11. quam doctrinam continent, nisi de prædestinatione?

1. Cor.1. Stulta mundi elegit Deus, vt confundat sapientes, & infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia, & ignobilia, & contemptibilia elegit Deus, & ea, quæ non sunt, vt ea, quæ sunt, destrueret.

2. Cor.4. Quod si velatum est Euangelium nostrum, iis, qui pereunt velatum est.

Galat.1. Segregauit me ex vtero matris meæ, & vocauit per gratiam suam.

Eph. cap.1. totum ferè est de electione & prædestinatione.

2. Thess.2. Postquam dixisset reprobos perire, quos etiã solet appellare hoc nomine, Illos qui pereunt, subiungit de electis, Nos autem debemus gratias agere Deo semper, pro vobis, fratres dilecti à Deo, quòd elegerit nos Deus primitias in salutem.

2. Tim.1. Qui vocauit nos vocatione sua sancta, non secundum opera nostra, sed secundum suum propositum & gratiam, quæ data fuerat nobis in Christo Iesu, ante tempora æterna, manifestata autem nunc per apparitionem Iesu Christi.

2. Tim.2. Firmum stat fundamentum, habens signaculũ hoc, Nouit Dominus, qui sunt sui.

Iudas ita scribit de seductoribus impiis, eos fuisse olim προγεγραμμένους in hoc iudicium, hoc est, a Deo præfinitos & præscriptos ad hoc iudicium, vt scilicet vexent Ecclesias suis flagitiis, & deinde ad iudicium, hoc est, ad condemnationem æternam.

Atque hæc omnia scripserunt Apostoli: non ad aliquot doctos, sed ad perfectas Ecclesias, vbi erant & docti & indocti. Summa: tam in veteri quam in nouo Testamento passim occurrunt aut sententiæ aut exempla prædestinationis diuinæ, à Prophetis & Apostolis palam Ecclesiis proposita: idque præter alios fines, vt omnes intelligant fideles, nihil contingere vel piis, vel impiis, fortuito, aut casu: sed omnia ante mundi constitutionem fuisse à Deo sapientissime definita, & constituta, ideóque etiam præscita. Consolari ergo se debere pios: quod sua salus certa sit in manu Dei ante mundi constitutionem & gratias agere Deo, quod se elegerit: cum tamen tantam aliorum hominum multitudinem iuste à communione salutis reiecerit.

Prædicandam igitur esse prædestinationem Dei, exempla Prophetarum, Christi, & Apostolorum euidentissimè docent.

Augustinus quoque hoc idem docet tum alibi, tum in libro de Bono perseuerantiæ, à cap.14. fere vsque ad finem libri. In illis nouem prioribus capitibus, quatuor facit Augustinus. Primum, respondet ad rationes illorum, qui contendebant, non esse prædicandam hanc doctrinam, etiãsi vera sit. Deinde contendit omnino prædicãdam esse. Tertiò, ostendit necessitatem & vtilitatem prædicationis de prædestinatione: si prædicetur, vti est prædicanda, nempe eo modo, quo & Apostoli eam prædicarunt. Postremò, consequenter docet modum quo prædicanda est: vt faciat ad ædificationem. Præter alia hæc habet verba in ca. 16. Aut enim sic prædestinatio prædicanda est, quemadmodum eam sacra scriptura euidenter loquitur, vt in prædestinatis sine pœnitentia sint dona & vocatio Dei: aut gratiam Dei secundũ nostra dari merita confitendũ, quod sapiunt Pelagiani. Hæc Augustinus. Quis non videat necessitatẽ prædicationis de prædestinatione? & Pelagianorum esse, tũ negare prædestinationẽ, tum curare, vt talis doctrina supprimatur? & negare gratuitam prædestinationem, esse negare gratiam Dei?

Sed quoniam nonnulli sine vllo pudore damnant Augustinum in hoc articulo de prædestinatione, audiant isti saltem quid Lutherus, Germaniæ lux, hac de re scripserit contra Erasmum, qui Erasmus prudentia quadam carnis ductus, censebat quoque de prędestinatione non esse prędicandum, aut scribendum. Verba Erasmi hæc fuerunt, Quid inutilius, quam hoc paradoxum euulgari mundo? Quidquid fit à nobis, non libero arbitrio, sed mera necessitate fieri, & illud Augustini, Deum operari bona & mala in nobis, sua bona opera remunerare in nobis, & sua mala opera punire in nobis (hæc enim duo docuerat Lutherus) quantam fenestram, vulgo hæc vox prodita, mortalibus aperiret ad impietatem? Quis malus corriget vitam suam, quis credet se amari a Deo, quis pugnabit cum sua carne? quæ igitur vtilitas aut necessitas talia inuulgandi, cum tot mala videantur inde prouenire? Hæc omnia Erasmi fuerunt contra Lutherum. Ego certè nunquam ausus fui, aut auderẽ hæc duo paradoxa docere, nisi adhibita vera & vtili explicatione. Lutherus hæc ergo docuit, & postea contra Erasmum etiã defendit. Hæc autem fuit responsio & defensio Lutheri in lib. de seruo arbitrio, in responsione ad vltimã partem præfationis Erasmi, in cap. 38.

Mi Erasme, iterũ & ego dico, si hæc paradoxa ducis hominum esse inuenta, quid contendis? quid æstuas? contra quem dicis? an est vllus in orbe hodie, qui vehementius hominum dogmata sit insectatus, quam Lutherus? Igitur nihil ad nos illa monitio. Si autẽ Dei verba esse credis ea paradoxa: vbi est frons tua? vbi pudor? vbi non dico iam modestia illa Erasmi, sed timor & reuerentia Deo vero debita, qui dicis, nihil inutilius dici posse hoc verbo Dei? Scilicet creator tuus à te, creatura sua discet, quid vtile & inutile sit prædicatu, ac stultus ille vel imprudens Deus hactenus nescierit, quid doceri oporteat, donec tu magister eius modum illi præscriberes sapiendi & mandandi, quasi ipse ignorasset, nisi tu docuisses, sequi ad hoc paradoxon, quæ tu infers. Si igitur Deus voluit talia palam dici & inuulgari, nec spectari quid sequeretur, tu quis es, qui vetes? Paulus Apostolus in Epist. ad Rom. non in angulum, sed in publicum, ac coram toto mundo, liberrimo ore eadem etiam durioribus verbis palam disserit, dicens; Quos vult, indurat, & iterum. Deus volens notam facere iram suam. Quid durius, sed carni: illo Christi verbo: Multi vocati, pauci electi. & iterũ. Ego scio, quos elegerim. Scilicet hæc omnia talia sunt, te autore, vt nihil possit inutilius

dici: quod videlicet hinc ad desperationem & odium ac blasphemiam prolabantur homines impij. Hęc ille.

Deinde ad illa absurda, quæ ex ista doctrina dicebat Erasmus consequi, ita respondet Lutherus, Quis, inquis, studebit corrigere vitam suam? Respondeo. Nullus hominū, neque etiam vllus poterit. nam correctores tuos sine Spiritu Deus nihil moratur, cùm sint hypocritæ. Corrigentur autem electi & pij per Spiritum sanctum, cæteri incorrepti peribunt. Neque enim Augustinus dicit, nullorum aut omnium opera bona coronati, sed aliquorum. Ideò non erunt nulli, qui corrigant vitam suam. Quis credet, inquis, se à Deo amari? Respondeo. Nullus hominum credet, neque poterit, electi verò credent, cæteri non credendentes peribunt, indignantes & blasphemantes, sicut tu hîc facis. Non igitur nulli erunt, qui credent. Quod verò his dogmatibus fenestra aperitur ad impietatem: esto. illi pertineant ad lepram, superius dictam, tolerandi mali. Nihilominus simul eisdem aperitur porta ad iustitiã, & introitus ad cœlum, & via ad Deum: pro piis & electis. Quod si tuo cõsilio istis dogmatibus abstinuerimus & hominibus verbum hoc Dei absconderimus: vt vnusquisque falsa persuasione salutis illusus, Deum non disceret timere & humiliari: vt per timorem tandem ad gratiam & amorem veniret: tum pulchrè clauserimus fenestram tuam: verùm loco eius aperiremus nobis & omnibus valuas imo hiatus & voragines, non modo ad impietatem: sed ad inferni profunda. Sic ipsi nec intraremus in cœlum & alios intrantes prohiberemus. Quæ igitur vtilitas, aut necessitas talia inuulgandi: cum tot mala videantur prouenire? Respondeo. Satis erat quidem dicere, Deus voluit ea vulgari: voluntatis verò diuinæ rationem quærendam non esse: sed simpliciter adorandã: dat gloria Deo: quod cum sit iustus & sapiens solus, nulli faciat iniuriam: nec stulte aut temerè quidpiam agere possit: licèt nobis longè secus appareat: hac responsione pij sunt contenti. Tamen vt ex abundantia supererogemus: duæ res exigunt talia prædicari. Prima est humiliatio nostræ superbiæ, & cognitio gratiæ Dei: altera, ipsa fides Christiana. Primùm, Deus certo promisit humiliatis, id est deploratis, & desperatis gratiam suam. Humiliari vero penitus non potest homo: donec sciat, prorsus extra suas vires, cõsilia, studia, voluntatem, opera: omnino ex alterius arbitrio, consilio, voluntate, opere, suam pendere salutem: nempe Dei solius. Si quidem quandiu persuasus fuerit, se vel tantulum posse pro salute sua, manet in fiducia sui, nec de se penitus desperat, ideo non humiliatur coram Deo: sed locum, tempus, opus aliquod sibi præsumit, vel sperat, vel optat salutem: quo tandem perueniat ad salutem. Qui verò nihil dubitat, totum in voluntate Dei pendere: is prorsus de se desperat: nihil eligit, sed exspectat operantem Deum: is proximus est gratiæ, vt saluus fiat. Itaque propter electos ista vulgantur, vt isto modo humiliati, & in nihilum redacti, salui fiant. Cæteri resistunt humiliationi huic: imò damnant doceri hanc desperationem sui: aliqui vel modiculum sibi relinqui volunt, quod possint. Hi occultè manent superbi, & gratiæ Dei aduersarij. Hæc est inquam vna ratio: vt pij promissionem gratiæ humiliati cognoscant, inuocent, & accipiant.

Altera est: quod fides est rerum non apparentium. Vt ergo fieri locus sit: opus est vt omnia, quæ creduntur, abscondantur. non autem remotius absconduntur, quam sub contrario obiecto, sensu, experientia. Sic Deus, dum viuificat, facit illud occidendo, dũ iustificat, facit illud reos faciendo, dum in cœlum vehit, facit id ad infernum ducendo, vt dicit Scriptura, Dominus mortificat, & viuificat, deducit ad inferos, & reducit. 1. Regum 2. de quibus nunc nõ est locus prolixius dicendi. Qui nostra legerunt, habent hæc sibi vulgatissima. Sic æternam suam clementiam & misericordiam abscondit sub æterna ira, iustitiam sub iniquitate. Hic est fidei summus gradus, credere illum esse clementem, qui tam paucos saluat, tam multos damnat: credere iustum, qui sua voluntate nos necessario damnabiles facit. vt videatur referente Erasmo, delectari cruciatibus miserorum. & odio potiùs, quam amore dignus. Si igitur possem vlla ratione comprehendere, quomodo is Deus sit misericors & iustus, qui tantam iram & iniquitatem ostendit, non esset opus fide. Nunc cũ id comprehendi non potest, fit locus exercendę fidei, dum talia prædicantur & inuulgantur, non aliter, quàm dum Deus occidit, fides vitæ in morte exercetur. Hęc Lutherus.

Bucerus cum alibi, tum in Epistola ad Ephesios cap. 1. idem dicit, Sunt, inquit, nonnulli, qui de electione Dei apud populum non esse loquendum iudicent. Sed cum beneficia Dei apud homines sint amplificanda: certè hoc, quod maximum est, non est prætermittendum: sed Pauli exemplo commemorandum est, & confirmanda in hominibus fides de electione: & in filiis Dei nequaquam metuendum, ne vitæ & religionis omnis dissolutionem eius commemoratio inducat. Item paulò post. Si huius, inquit, electionis memoria & meditatio auferretur: Bone Deus, quomodo resisteremus Diabolo?

Ibidem in loco de election. fol. 12. Quoties enim, inquit, Diabolus tentat fidem nostram: nunquam autem non tẽtat: tunc semper ad electionem nobis est recurrendũ, & de ea cogitandum: atque ita cogitandum, vt omnem dubitationem excludamus. Nam si hac fidei certitudine careamus, si de ea persuasi non sumus: non possumus vitam æternam exspectare: Deum pro Patre, & Christum pro redemptore non possumus agnoscere: nihil denique solidæ pietatis & veræ dilectionis Dei in nobis esse potest. Explodendum ergo illud de consopienda electionis memoria in cœtu fidelium.

II.

Non tantùm vtile, sed etiam necessarium esse, vt hæc doctrina de prædestinatione in Ecclesiis retineatur, doceatur, & prædicetur: credo & doceo.

Demonstratio.

Primum quidem hoc vtile est, & necessariũ hac de causa: vt scilicet Deus noster agnoscatur verus esse Deus. Verus enim Deus ille est, qui omnia ab æterno prænouit, & cuius præscientia falli non potest. Actor. 15. Nota à seculo sunt Deo omnia opera sua. Non est igitur verus Deus, qui aut non omnia præscit, aut cuius præscientia falli potest. Quid est autem Prædestinatio, nisi certissima Dei pręscientia, qua præsciuit, quos esset misericorditer seruaturus aut quos iuste damnaturus?

2. Item verus Deus ille est, qui omnia quæcunque fiunt, vult, & sine cuius voluntate nihil fit. Matt. 10. Non cadit passer in terram sine voluntate Patris vestri. Non est igitur verus Deus ille, citra cuius voluntatem aliquid fiat. Quid est autem prædestinatio: nisi decretum, seu certa Dei voluntas, qua ab æterno voluit tum quæcunque agit, & sinit fieri, agere & sinere fieri, tum speciatim; quoscunque saluat, aut damnat, saluare & damnare, idque iis modis & rationibus, quibus etiam agit, saluat, aut damnat?

3. Item Deus ille est qui quæcunque secundum beneplacitum suæ voluntatis statuit atque decreuit, immutabiliter statuit atque decreuit, hoc est, qui tum in sua essẽtia, tum in suis secundum beneplacitum factis decretis immutabilis. & Malach. 3. Ego Deus, & non mutor. Non est igitur verus Deus ille qui mutatur in illis suis consiliis, quæ simpliciter semel decreuerat, vt fierent. Quid est autem prædestinatio, nisi æternum & immutabile Dei consilium seruandi quoscunque seruat, & damnandi quoscunque damnat, illos per misericordiam, hos per iudicium?

4. Item verus Deus ille est, qui omnipotens est, atque ita omnipotens, vt quæcunque vult, non solum possit facere, sed etiam faciat, sicut etiam quæcunque facit, vult. Psal. 113. Omnia quæ Dominus voluit fecit in cœlo, & in terra, idque non solum res ipsas creando, sed etiam in rebus omnibus omnia operando, vsque adeo, vt etiam hominum voluntates suapte natura liberas flectat quocunque vult, sine vlla ipsarum coactione. Actor. 17. In ipso viuimus, mouemur, & sumus. Prouerb. 21. Cor regis in manu Domini, quocunque voluerit flectet illud. Ille igitur non est Deus, qui non potest quæ vult, & qui non operatur omnia in omnibus. Quid est autem prædestinatio, nisi æterna & omnipotentissima voluntas Dei, seruandi quos seruat, & damnandi quos damnat?

5. Item ille verus est Deus, quos seruat, ex misericordia sola & gratia seruat, & quos damnat, iuste damnat. Exod. 33. Ego miserebor, cuius voluero. Deus est etiam semper iustus. Roman. 9. Non est iniquitas apud Deum. Non est igitur Deus ille, qui vel saluat ex meritis, & non ex gratia, vel qui damnat iniustè. Quid est autem prædestinatio, nisi decretum Dei seruandi, quos seruat ex mera misericordia, & damnandi, quos damnat ex iusto iudicio?

Est autẽ manifestissimũ, has essentiales Dei proprietates in ipsa,

doctrina de prædestinatione, tanquam in proprio elucere: & hac doctrina negata, his etiá proprie[tates] negari, & ea occultata, has etiam occultari, & ea [prædicata], has etiam prædicari. His autem negatis, nega[tur], & prædicatis atque confirmatis, prædicatur at[que confirma]tur Deus. Ergo vt defendatur Deus noster verus: doctrina de prædestinatione retinenda, defendenda & prædicanda est.

II. Deinde prædicanda est prædestinatio, vt ipsa etiam gratia Dei, quod non detur secundum merita, contra hæresin Pelagianam defendatur. Hunc finem vidit Augustinus: ideo ita scriptum reliquit in lib. de bono perseuerantiæ, cap. 21. Si autem vtrumque (scilicet fides sanctorũ & perseuerantia in fide) Dei donum est: & hæc Deus dona sua, quod negare quis potest? daturum se esse præsciuit: prædestinatio prædicanda est vt possit vera Dei gratia, id est, quæ non secundum merita nostra datur: insuperabili municione defendi. Hæc ille. Pelagiani enim docebãt gratiam omnibus hominibus ex æquo offerri, & Deum quãtum in ipso est, velle omnes ex æquo saluos fieri: in hominum autem potestate esse gratiam & salutem oblatam vel acceptare, vel reiicere. Quod igitur quidam seruentur, inde fieri, quia suo libero arbitrio gratiam amplectantur, & hoc ex ipsis esse: quod autem alij damnentur, id inde fieri, quia cum possint: nolint tamen gratiam oblatam recipere. Quæ omnia, vt Augustinus docet, eo tandé spectabant, vt tacitè concluderetur, gratiam secundum merita nostra dari. Hoc autem impium dogma nulla ratione melius refutari potest: quam prædicatione gratuitæ prædestinationis, quæ in ipsis pueris luculentissimè resplendet. Infidelium enim infantes non regenerati damnãtur, nec tamen ideò damnãtur, quod gratiam oblatam noluerint amplecti. Fidelium autem regenerati seruantur, nec tamen ideò seruantur, quia voluerint gratiam recipere: sed quia Deus ab æterno illos voluit seruari, illos seruari voluit. Falsum igitur est, [D]eum ideo nos seruare, quia nos velimus seruari, & gratiam oblatam amplecti: sed contra potiùs ideò nos & seruari & velle seruari, & velle gratiam amplecti, quia Deus prior ab æterno simpliciter voluit nos seruari: simpliciter voluit, nos gratiam oblatam amplecti. Deus enim operatur in nobis & velle & perficere, pro sua bona voluntate. Phil. 2. vt & initium & consummatio salutis nostræ à Deo sit, vt qui gloriatur, in Domino glorietur. Verum quidem est, neminem adultum seruari: nisi velit seruari, & gratiam amplecti: cæterùm noster assensus, aut voluntas bona non est primaria caussa salutis nostræ: nisi caussa sine qua non, vt vocant. Caussa verò propriè nostræ salutis est voluntas Dei æterna: quia eadem etiam est caussa nostræ bonæ voluntatis.

Proinde cum prædestinationis prædicatione, omnino Pelagiana hæresis, quæ oppugnat gratiam Dei, expugnetur: vtilissima & necessaria est prædicatio prædestinationis. Ideò Augustinus Tom. 7. de bono perseuerãtiæ cap. 16. Aut sic prædestinatio prædicanda est, quemadmodũ eam sacra Scriptura euidenter loquitur, vt in prædestinatis sine pœnitentia sint dona & vocatio Dei: aut gratiam Dei secundum merita nostra dari, confitendum, quod sapiunt Pelagiani. Hæc ille. Ac certissimum est: non posse defendi gratuitam iustificationẽ per Christum, nisi defendatur gratuita prædestinatio in Christo: cũ hæc sit illius caussa.

III. Tertia caussa consequitur ex secunda: & ea est, vt omnis humana superbia retundatur, & sola diuina gloria extollatur: hoc est, vt qui gloriatur, in Domino glorietur. Hunc finem apertè tradunt sacræ literæ. Ephes. 1. Elegit nos in laudem gloriæ gratiæ suæ: hoc est, vt ipse solus à gratuita gratia glorificetur. Si enim non statuamus hoc fundamentum, quicumque seruamur, seruari ideò, quia ante mundi constitutionem Deus voluit, ex sola sua gratia in Christo nos seruari, antequam scilicet aliquid boni egissemus: Deinde quicquid boni in nobis inchoatum est, totum à Deo gratis fuisse inchoatum, siue illud sit in intellectu, siue in voluntate, siue in affectionibus: Postremò inchoatam salutem à Deo, ab eodem etiã continuari in finem vsque, absque meritis nostris: quomodo possumus totam gloriam attribuere Deo? Est autem necesse, vt salutem nostram, aut totam nobis, aut totam Deo, aut partim Deo, p[artim] nobis adscribamus. Si totã nobis: peiores fuerimus Pelagianis. Si partim Deo, partim nobis, erimus Pelagiani: si totam Deo, sumus vere Christiani, quia damus totam gloriam, vt decet, soli Deo. Sed hoc non potest fieri nisi decretum etiam seruandi nos gratis agnoscamus, confiteamur, & prædicemus in Deo ante ipsam mũdi constitutionem fuisse, hæc autem est prædestinatio. Etenim si initium prædicandæ gratiæ Dei erga nos inde sumamus, cùm nos iam natos incipit iustificare: [s]emper suggeret caro, aliquid igitur in nobis fuisse ampliùs, quàm in aliis, qui non iustificantur: propter quod nos, & non alios iustificare voluerit: siue illud fuerit aliquod bonum naturale, siue ciuile, siue præparatio aliqua, siue desiderium aliquod, quod in nobis præcesserit gratiam Dei. Hoc autem nihil aliud est: quàm cogitare gratiam dari secundũ merita: atque ita etiam aliqua ex parte in nobis gloriabimur. At verò si prædicemus, ita Deum ex mera gratia nos vocasse, voluntatem præparasse, fidem donasse, desideria bona in cordibus nostris excitasse, iustificasse & sanctificasse. vt hoc totum, antequam etiam nati essemus, hoc est ante mundi constitutionem sese gratis facturum præscierit, atque præfinierit, omnis gloriandi merita nobis eripitur, & in solo Deo gloriari cogimur. Ideo Augustinus Tom. 7. de Bono perseuerantiæ, cap. 20. Sicut enim prædicanda est pietas, vt ab eo qui habet aures audiendi. Deus rectè colatur: Prædicanda est pudicitia, vt ab eo, qui habet aures audiendi, nihil genitalibus membris illicitum perpetretur: Prædicanda est charitas, vt ab eo, qui habet aures audiendi, Deus & proximus diligatur: Ita etiam prædicanda est illa prædestinatio beneficiorum Dei, vt qui habet aures audiendi, non in se ipso, sed in Domino glorietur.

IV. Hinc sequitur quarta caussa atque vtilitas: vt scilicet fiducia de nostra salute, in cordibus nostris confirmetur. Cùm enim vna ex parte audimus, & ita credimus, salutem electorum in proposito Dei firmatam esse, idque ab æterno in Christo, ita vt perire ampliùs non possint: ex altera verò parte credimus, vt credere debemus, nos esse ex electorum numero per gratiam Dei: quomodo dubitare amplius possumus de salute nostra? Sic Apostolus prædestinationem in hunc finem & ipse considerabat, & fidelibus proponebat: vt scilicet remoti diffidentia aliqua, sese in certa fiducia salutis, hac doctrina confirmarent. Rom. 8. Scimus, quod diligentibus Deum omnia in bonum cooperantur: iis qui secundum propositum vocati sunt sancti. nam quos præsciuit, eos & prædestinauit conformes fieri imagini Filij sui: vt sit ipse primogenitus inter multos fratres: quos autem prædestinauit, hos & vocauit, & quos vocauit, hos iustificauit, & quos iustificauit hos & glorificauit. Quid ergo dicemus ad hæc? Si Deus pro nobis, quis contra nos? quis accusabit electos Dei? Certus sum: quod neque mors, neque vita, neque vlla creatura poterit nos separare a dilectione Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro.

Ita 2. Tim. 2 nè propter quorundam à veritate defectionem, reliqui quoque fideles dubitarent de sua salute, confirmauit eos firmitudine prædestinationis, dicens, Sed firmum stat fundamentum Dei, habens signaculũ hoc, Nouit Dominus, qui sunt sui.

Ita reliqui Apostoli, ita Christus eam doctrinam in hunc præcipuè vsum proponebat, vt scilicet fiducia salutis, quæ certissima est in æterno Dei proposito, confirmarentur. Ideo Bucerus optimè in quæstione de prædestinatione, Rom. 8. caput secundum totum consumsit in explicando vsu, in quam sit consideranda prædestinatio, & respondet, de sententia quoque Philippi Melanchthonis, in hunc finem esse considerandam, vt de nostra salute fiamus certiores. postea concludit iis verbis, Perstat igitur ex prædestinatione, fiduciam salutis confirmandam esse, prædestinationis autẽ certitudo nequaquam ex nostris operibus, sed ex promissione diuina petenda, ac ita semper, ad fidei cõfirmationem, prædestinatio confirmanda est, nunquã autem vlla ex re prædestinationis dubitatio admittenda est. Hæc Bucerus. Vbi diligenter notandum quod ait, Nulla ex re dubitatio de prædestinatione est admittenda. Ergo neque quotidiani lapsus debent nos abducere à certitudine nostræ prædestinationis, ac per consequens nostræ salutis.

V. Quinta caussa est, vt specialia Dei in nos Christianos beneficia, ideóque & specialis eiusdem erga nos amor meliùs cognoscatur, & viuidius sentiatur. Si prædicemus, omnes in vniuersum homines esse ad vitam æternam prædestinatos, ideóque velle Deum simpliciter omnes seruari, singularia in nos beneficia, singularisque erga nos amor in Christo, sepeliuntur, ideóque gratia Dei extenuatur, quæ enim ex æquo in omnes conferuntur beneficia, illa non sunt singularia, proinde neque specialis aliquis donantis amor erga aliquos esse cognoscitur. Exemplum. Quòd Deus pluuiam suam mittit, tam super bonos, quàm super malos tam super iniustos quàm super iustos, specialis amor erga electos non est. Proinde verum est illud, Quò magis prædestinationis & salutis

beneficium erga omnes amplificatur: eo magis illud erga paucos fideles extenuatur. At verò si cogitemus, omnes quidem in vniuersum, in conspectu Dei, propter peccatum originale fuisse damnatos, ideóque omnes æternæ morti obnoxios: pro sua verò misericordia, Deum certos quosdam, id est, nos non autem omnes à peccato & morte liberasse: ac proinde non etiam omnes, sed certos quosdam, id est, nos à peccato & morte sese liberaturum, reliquos verò damnaturum, præfiniuisse atque præsciuisse: & ita præfiniuisse, vt illam præfinitionem mutare nullo modo velit: inde facilè & verè, quantus fuerit, & sit Dei erga nos amor, intelligemus. Ergo vt melius hic specialis amor Dei erga nos cognoscatur: prædicanda est hæc specialis & certa, atque immutabilis quorundam, id est, nostri omnium qui in Christum credimus, ad vitam æternam, imò & ad fidem in Christum prædestinatio.

Hunc vsum vidit Augustinus: iccircò scriptum etiam reliquit in Epistol. 105. ad Sixtum Presbyt. Liberatus de non liberato discat, quod etiam sibi supplicium conueniret, nisi gratia subueniret. Si autem gratia: vtique nullis meritis reddita: sed gratuita bonitate donata. Sed iniustum est, inquiunt, in vna eadémque caussa mala hunc liberari, illum puniri. nempe ergo iustum est, vtrumque puniri. Quis hoc negauerit? Agamus ergo gratias Saluatori: dum nobis redditum non cernimus, quod in damnatione similium, etiam nobis debitum fuisse cognoscimus. Si enim vtrique liberarentur, lateret, quid peccato per iustitiam debeatur: si nemo, quid gratia largiretur?

Ita Tom. 7. De prædest. Sanct. lib. 1. cap. 9. Vnde constat, inquit, Magnam esse gratiam quod plurimi liberantur, & quid sibi deberetur, in eis qui non liberantur, agnoscunt: vt qui gloriantur, non in suis meritis, quæ paria esse vident damnatis, sed in Domino glorientur.

VI. Sexta caussa consequitur ex quinta. ea autem est: vt ex præcepto illo speciali æterno, & immutabili amore Dei erga nos, quo amore nos præ innumeris populis & gentibus dignatus est ad vitam æternam, nostra quoque corda vicissim ad Deum redamandum, & modis omnibus glorificandum, inflammentur. Paulus certè Roma 8. non tantùm vt confirmaret se & alios in fide de sua salute: sed etiam, vt & se, & alios ad amorem Dei accenderet atque inflammaret: prædestinationis sermonem instituit, dicens: Scimus, quod diligentibus Deum, omnia cooperantur in bonum: iis qui secundum propositum vocati sunt sancti. Item: Quis nos separabit à charitate Christi? an tribulatio? an angustia? an persecutio? an fames? an nuditas? an periculum? an gladius, &c. Item: Certus sum, quod neque mors neque vita, neque angeli, neque principatus, neque potestates, neque instantia, neque futura, neque sublimitas, neque profunditas, neque vlla alia creatura poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro.

VII. Septima, quæ sextam sequitur: est, vt ad bona opera excitemur. accenso enim amore Dei in cordibus nostris: mox etiam officia amoris inde erumpunt. Deinde prædestinationis doctrina est: non solùm nos ad finem esse prædestinatos: sed etiam ad media: quæ sunt fides, & bona opera fidei effecta. Ergo si credamus, nos esse ad æternam vitam electos: & simul intelligamus, media ad eam consequendam esse bona opera, & ad hæc nos esse prædestinatos vt in eis ambulemus: fieri nō poterit, quin ad studium bonorum operum incitemur. In hunc finem Paulus Eph. 1. scripsit, nos esse electos, vt essemus sancti & inculpati coram ipso per charitatem. Item: nos ipsius esse opus, creatos in operibus bonis, quæ præparauit Deus: vt in ipsis ambulemus c. 2.

VIII. Octaua est: vt ad ipsum quoque proximum præsertim fratres in Christo, amore complectendos, & beneficiis, quibuscunque possumus, prosequendos accendamur. Si enim vna ex parte prædicemus, quoscunque ad æternam vitam prædestinauit Deus, eos sine vlla dubitatione simul æterna vita in cœlo cum Christo fruituros: altera verò ex parte, non solum persuasi simus de nostri electione, sed etiam confidamus pios fratres, quibus cum hic in eadem Christi Ecclesia viuimus, ad eandem vitam esse electos: ac proinde illos nobiscum eandem beatam vitam æternùm victuros: qui fieri poterit, vt non illos amemus, & fraternis officiis amorem erga illos nostrum quotidie declaremus, atque ad nos vicissim redamandos exstimulemus? In hunc finem, præter alios, Christus, Apostolos omnes alloquens, dixit, se illos elegisse: vt intelligerent, colendam esse inter ipsos amicitiam: cùm ad eandem vitam æternam omnes pertineant. Non aliò spectabat Apostolus, cùm pronūtiabat de piis omnibus, in plurali numero: Elegit nos, prædestinauit nos. Est hęc vtilitas doctrinæ de Prædestinatione non parua.

IX. Proinde, nono loco: facit hæc doctrina ad accendendum in nobis studium implendę Legis Dei, quæ in dilectione Dei & proximi, & in præstandis vtriusque dilectionis officiis posita est.

X. Postremò valet mirabiliter ad patientiam in omnibus aduersis sustentandam, & ad omnes iniurias, contumelias, calumnias, infamias denique ad cruces omnes æquo animo ferendas ac tolerandas. Persuasi enim, nos è mundo ad æternam vitam esse electos, & electionē hanc mutari non posse, ideóque nos non habere hic ciuitatem permanentem: sed ciuitatem, sed regnum sed vitam nostram in cœlo esse, & non esse condignas passiones huius seculi ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis: denique nihil nobis aduersi contingere, quod non fuerit ab æterno prædestinatum, vt contingeret: quid obsecro aduersi nobis accidere potest, quod licet initiò pungat, non tamen mox ad nos reuersi, & Spiritu in æternam illam prædestinationem sublato, à corde nostro depellamus: atque ita depellamus, vt licèt carnem feriat: tamen cor ipsum nequaquam vulneret: Hunc fructum Apostolus Ro. 8. doctrinæ de Prædestinatione subiecit, cùm dixit: Quid ergo dicemus ad hæc? Si Deus pro nobis, quis cōtra nos? quis ergo poterit nos separare à charitate Dei? num tribulatio? num angustia? Sed in iis omnibus superamus per eum, qui dilexit nos.

Quanta igitur sit huiusce doctrinæ vtilitas, ex iis, quę dicta sunt satis liquere existimo.

Lutherus de seruo arbitrio, cap. 41. & 42. cùm Erasmus iudicasset supprimendam esse hanc doctrinam, tanquam inutilem & minimè necessariam, contrà ipse demonstrat, duabus præcipuè de caussis eam esse prædicandam. Prima est humiliatio nostræ superbię, & cognitio gratię Dei. altera, ipsa fides Christiana, quæ cum sit rerum non apparentium, solet sub contrariis sensui nostro, & nostræ experientiæ, abscondi. Hunc igitur esse fidei summum gradum, vt credamus illum esse clementem, qui tam paucos saluat, tam multos damnat, & iustum, qui sua voluntate nos necessariò (sicut ipse loquitur) damnabiles facit. Verba Lutheri fuerunt in præcedenti proxima propositione decima recitata. In capite etiam 20. huius doctrinæ vtilitatem & necessitatem explicans, dixit, Hac ignorata doctrina, neque fidem, neque vllum Dei cultum consistere posse.

Philippus Melanchthon in Locis prioribus probatis Luthero, capite 1. quod est de libero arbitrio, & prædestinatione, primò explicat doctrinam de prędestinatione, deinde tradit necessitatem & vtilitatem huius doctrinę multiplicem, atque apertè ait, neque timorem Dei, neque fiduciam in Deum certiùs aliunde disci posse, quàm ex doctrina de prædestinatione. Verba eius hæc sunt. Postremò libertatem homini adimit diuina prędestinatio. eueniunt enim omnia iuxta diuinam prędestinationem tum externa opera, tum internæ cogitationes in omnibus creaturis ad Ephes. 1. Qui operatur omnia secundùm consilium voluntatis suæ. Matth. 10. Nónne duo passeres asse veneunt, & vnus ex illis non cadit super terram sine Patre vestro? Obsecro, quid hac sententia clariùs dici potuit? Prouerb. 16. Vniuersa propter semetipsum operatus est Dominus, impium quoque ad diem malum. & rursus 20. A Domino diriguntur gressus viri, quis autem hominum intelligere potest viam suam? rursum 16. Cor hominis disponit viam suam, Dominus autem dirigit gressus eius. Ierem. 10. Scio, Domine, quòd non est hominis via eius, nec viri est vt dirigat gressus suos. Præterea idem docent diuinæ historię. Genes. 15. Needum completæ sunt iniquitates Amorrhæorum. In secundo capite primi libri Regum, Et non audiuerunt vocem Patris sui, quia voluit Dominus occidere eos. Quid similius casui fortuito, quàm quod Saul abit quæsiturus asinas, & vngitur à Samuele, inauguratúrque regno? Rursum in primo Regum cap. 10. Abiit cum Saule pars exercitus, quorum tetigerat corda Deus. In tertio Regum, cap. 12. non acquieuit rex populo, quoniam auersatus fuerat eum Dominus, vt suscitaret verbum suum, quod locutus fuerat in manu Abiæ Silonitæ ad Hieroboam, filium Nabath. Et quid aliud in 9. cap. & 11. ad Roman. Paulus agit, quàm vt omnia, quæ fiunt, in destinationem diuinam referat? Abhorret àb hac sententia iudicium carnis, seu rationis humanæ: contrà, amplectitur eam iudicium Spiritus. Neque enim vel timorem Dei, vel fiduciam in Deum certiùs aliunde disces, quàm vbi imbueris animum hac Prædestinationis sententia. Annon eam vbique in Prouerbiis

Inculcat Salomon: vt alias timorem, alias fidē do- non inculcat eam in eo libro, cui Ecclesiæ titu- multum enim omnino refert ad premendā, dam- que humanæ rationis, tum sapientiam, tum pru- constanter credere, quòd à Deo fiant omnia. An- c vno loco efficacissimè consolatur discipulos Christus cùm inquit: Omnes capilli capitis vestri nume- rati sunt? Quid igitur, inquies, nullāne est in rebus, vt i- storum vocabulo vtar, contingentia? nihil casus? nihil for- tuna? Omnia necessariò euenire Scripturæ docent. Esto. videntur tibi esse in rebus humanis contingentia. Iudicio rationis hic imperandum est. Sic Salomon, cùm in præde- stinationis cogitatione versatus esset, inquit: Et intellexi, quod omnium operum Dei, nullam possit homo inue- nire rationem, eorum quæ sub sole fiunt. Sed ineptus vi- dear, quod statim initio operis de asperrimo loco, de præ- destinatione disseram. quanquam quid attinet in com- pendio primo, an postremo loco id agam, quod in omnes disputationis nostræ partes incidet? Et cùm de libero ar- bitrio omnino primo loco agendum esset: qui potui dis- simulare sententiam Scripturæ de prædestinatione: quan- do voluntati nostræ libertatem, per prædestinationis ne- cessitatem adimit Scriptura? quanquam non omnino ni- hil puto referre, statim pueriles mentes hac sententia im- bui, quòd omnia eueniant, non iuxta hominum consilia & conatus, sed iuxta Dei voluntatem. Annon hoc Salo- mon in illis gnomis suis, quas pueritiæ scripsit, statim à principio monet? Neque fidem neque metum Dei doceri posse iudico: nisi persuasum nobis sit, omnia in omnibus efficere Deum. Sophistæ nobis non aliter Deum descri- psere, atque Iouem suum Poëtæ. Belle scilicet illi: nam rationem sequebantur, quæ prorsus est ignara Dei, & abiec

Dulcescet hæc de prædestinatione sententia, vbi impiæ rationis iudicium Spiritus Dei stultificauerit. Quid enim imbecillitas humana perinde optet: atque vt in manu Dei omnia nostra consistant, ne nostris consiliis, sed diui- nis regamur? Magnum omnino est, commisisse omnia di- uinæ voluntati. Tollit itaque omnem libertatem volun- tatis nostræ prædestinatio diuina. Qua de re copiose dis- seruit Paulus ad Rom. 8. Hæc ille.

Hos verò priores Philippi Locos, præsertim propter hoc primum caput de libero arbitrio, & prædestinatione, ita probauit Lutherus: vt ad Erasmum scripserit, eos di- gnos esse, non solum immortalitate, sed etiā canone Ec- clesiastico. Legatur epistola Lutheri, præfixa libro de ser- uo arbitrio. Nunquam etiam eos retractauit Philippus: quanquam in Locis posterioribus magis accommodaue- rit sermonem suum in hoc argumento ad captum huma- næ prudentiæ, quàm in prioribus, in quibus veritatem ipsam liberiùs expressit.

Item certum est, hanc doctrinam quam in his prioribus Locis de prædestinatione tradidit Philippus, & quam an- te ipsum Lutherus, & ante Lutherum Augustinus, & alij in Ecclesia Christi docuerunt: non fuisse vnquam in Ec- clesia hæreseos damnatam. Ergo mei accusatores non possunt eam in me, aut in Augustino damnare hæreseos: quin fateantur taciti, Lutherum quoque, atque Philip- pum, vt de aliis taceam fuisse aliquando, post promulgatū etiam Euangelium hæresi infectos. & Bucerum in eadem hæresi mortuum esse.

Buceri sententiam, quàm hæc doctrina vtilis sit, supe- rius explicauimus. nunc addo quædā alia ex illius in ca- put 1. ad Ephesios commentariis. Si huius, inquit, electio- nis memoria & meditatio nobis auferretur: Bone Deus, quomodo resisteremus Diabolo? Quoties enim Diabolus tentat fidem nostram, nunquam autem non tentat, tunc semper ad electionem est nobis recurrendum, & de ea co- gitandum atque ita cogitandum, vt omnem dubitationē excludamus. nam si hac fidei certitudine careamus, si de ea persuasi non sumus: non possumus vitam æternam ex- spectare. Deum pro Patre, & Christum pro redemptore non possumus agnoscere: nihil denique solidæ pietatis & veræ dilectionis Dei in nobis esse potest. Explodendum ergo illud, de consopienda electionis memoria in cœtu fide- lium, dogma. Hæc Bucerus.

Habetis, clementissimi Domini, meam de prædestina- tione sententiam: quam iccircò profiteor, atque defendo: quod videam illam esse è sacris literis, quemadmodum vidistis, desumtam. Hanc fuisse Augustini doctrinam, nemo, ne illi quidem, qui eā impugnant, vti fuit Pighius, deinde Castalio, & nunc cum illis nonnulli alij, quorum nominibus parco, inficiari audent. Quantæ autem sem- per authoritatis fuerit in Ecclesia Augustinus: & quanti ab omnibus, præsertim in hac contra Pelagianos doctri- na, factus fuerit: testantur omnes post eum Patres, imò to- ta Ecclesia catholica: quæ hanc doctrinam, ceu piam, or- thodoxam, salutaremque nunquam non est amplexa. Fa- ciunt huic rei testimoniū ea, quæ de hac doctrina variis in locis scripsit D. Gregorius primus. nam is quoque totus noster est. item quæ D. Bernhardus, quæ D. Prosper A- quitanicus: quæ Honorius: & quæ ante hunc Fulgentius: quæ denique Lombardus ipse, & puriores quique Schola- stici. omnes enim in hac doctrina secuti sunt Augustinum: quippe quem agnouerunt secundum Scripturas ea de re disseruisse. Hieronymus, qui non solitus erat aliorū scri- pta, præsertim Augustini, facilè probare, quòd scilicet non ita eam teneret, quam ipse, linguarū cognitionē: cùm ta- men disputet contra Pelagianos, Tom. 2. lib. 3. honorificā admodum mentionē facit Augustini, & libros, quos con- tra Pelagianos scripserat, vehementer laudat. In summa, tota Ecclesia Augustini doctrinam, præsertim contra Pelagianos, semper est secuta. Possem hic nostri tem- poris doctissimorum virorum testimonia, quæ Augustinó in hac præsertim doctrina de prædestinatione dant sum- mæ eruditionis & eximiæ pietatis, subiicere: nisi vnius Buceri testimonium satis mihi esse videretur. Is in libro de vera Ecclesiæ reconciliatione, articulo 3. qui est de caus- sa peccati, appellat eū verè Catholicum & Orthodoxum Patrem, & Ecclesiæ doctorem.

An autem Lutherus & Bucerus, vt de aliis taceam, ean- dem senserint, ipsorum libri satis luculenter demon- strant. Ne quis verò eludat librum de seruo arbitrio, quasi illius pœnituerit Lutherum, aut quippiam in eo retracta- rit: illud, quod etiam antea admonui, retinendū est, quod Lutherus de hoc suo libro scripsit ad VVolfgangū Fabri- cium Capitonē, 9. Iulij. anno 1537 de Tomis, inquit meo- rum librorum disponendis, ego frigidior sum, & segnior, eò quòd Saturnina fame percitus, magis cuperem eos es- se deuoratos. nullum enim agnosco meum iustum librum, nisi fortè de seruo arbitrio, & Catechismum. Hæc Luthe- ri sunt. αὐτόγραφον est hic Argentinæ. Iustus quoque Ionas hunc librum in linguam Germanicam conuertit, vt om- nes Germani non solùm docti, sed etiam indocti atque imperiti eum legerent. Nisi iudicasset vir ille doctus & pius, hoc in libro piam, orthodoxam, & vtilem doctrinam contineri, nunquam, quæ ipsius fuit pietas, librum hunc Germanicè etiam inuulgandum curasset. Certè ipsius in Epist. ad Rom. præfationem, nemo vnquam huc vsque improbare fuit ausus.

Si quis verò neget, hanc fuisse Buceri doctrinam, eámque constantissimam vsque ad mortem, nimis magnam, sancto illi viro, & doctori Ecclesiæ fidelissimo, facit iniu- riam. Quæ scripsit de prædestinatione sparsim in com- mentariis suis in Euangelistas, in Psalmos, deinde in Epi- stolam ad Romanos, eadem docuit in postremo commen- tario in Epistolam ad Ephesios.

Porrò, quæ semper post renouatum Euangelium, totius huius ciuitatis vestræ fuerit de prædestinatione doctrina, nulla res meliùs & clariùs, & certiùs, quàm vestræ scriptæ & impressæ Confessiones demonstrare vobis potest.

CAPVT VI.

Testimonia Cōfessionum Ecclesiæ Argentinensis: de prædestinatione: déq. iis quæ ad prædestinationē pertinēt:

In Apologia tertij quarti, & quinti articuli Confessionis, Anno XXX.

QVi verè *a* credit, is per Spiritum sanctū de gratia Dei ita certificatus est, vt nullæ creaturæ vnquam, vt de ea ampliùs dubitet, eum pertrahere possint: imò propte- tas hæc vocabuli Fidei, est, vt excludat omnem dubita- tionem.

De Prædestinatione ex Apologia.

Etiam si aduersarij obiiciunt: Deum iustum esse Iudi- cem, ac propterea peccata punire, bona verò opera præ- miis remunerare, non tamen inde sequitur, aliquid bono- rum operum ita ex nobis ipsis esse. quocúnque modo acci- pere velis: *b* quo minùs omne illud, sicut etiam nos ipsi, quos ex nihilo creauit, sit opus Dei. etenim ille vtrumque operatur, ipsum velle, & perficere. Phil. 2. imò *c* omnia in omnibus. 1. Cor. 12.

Adest quidem libera voluntas: quidlibet enim sponte & volens facit bonum vel malū, atque ad hunc modum Deus hominem creauit: *d* non vt veluti truncus trahatur,

aut bestiarũ more vi impellatur: sed vt creatura rationalis ducatur ad id quod sibi videtur honestum, vtile & iucundum esse, amplectendum, aut quod contrarium est, reiiciendum. Hoc ipsum quilibet in se ipso experitur, nimirum quod in omnibus rebus pro sua propria intelligentia & voluntate agat. Idem etiam Sacræ literæ *e* vbique abundè ostendunt: vnde etiam S. Patres hominem liberum arbitrium habere dixerunt. *f* Sed ex his omnibus non sequitur, Deum in hominibus non omnia agere & perficere, id est, operari ipsum velle & perficere: aut hominẽ aliquid quantulumcunque illud sit, ex se ipso posse. sicut non sequitur, si vellemus dicere: Fructus nascuntur ex arboris naturalis succo: ergo fructus non sunt Dei opus & creatura. Quemadmodum enim Deus vtitur naturali operatione arboris ad productionẽ fructuum: ita in humanis operibus & actionibus vtitur Deus hominis ratione, intelligentia, & voluntate: & tamen propriè loquendo sunt ista omnia Dei actiones, & opera. ipse homo eius ratio, iudicium, electio, voluntas, actio, opus, reliquaque omnia. Et *g* quemadmodum Deus vult nos agere. ita permittit, impellit nos. & dat nobis ea intelligenda, iudicanda, eligenda, velle, suscipere, perficere, in omnibus rebus, tam internis, quàm externis, siue pertinentibus ad æterna, siue ad temporalia. *h* In ipso enim viuimus, mouemur, & sumus. Actor. 17. Ipse omnia ex nihilo fecit: ideóque conseruat, mouet, & facit omnia quæcunque sunt in quocunque tandem aut per quemcunque hæc fiant. Sic etiam S. Patres de hac re scripserunt: inter quos S. Bernhardus in libro suo de libero arbitrio sic scribit: (col. 1. 96.) Quid igitur? hoc ergo totum liberi arbitrij opus, hoc so um eius est meritum: quid consentit? est prorsus. non quidem quòd vel ipse consensus, in quo omne meritum consistit, ab ipso sit: cùm nec cogitare, quod minus est, quàm consentire, aliquid à nobis, quasi ex nobis, sufficientes simus. Quòd si consideretur fons & origo huius doctrinæ, qua dicitur, nos ex nobis ipsis posse in bonum consentire: quo etiam hæc doctrina tendat, & quid nobis secum adferat: facilè apparebit impietas huius erroris. *k* Constat, eos, qui homini volunt attribuere aliquã inclinationẽ ex seipso ad bonum, sicut Pelagiani fecerunt: aut aliquam cooperantem & consensum ad bonum, sicut Sophistæ & aduersarij nostri facere conantur: eos, inquam, hac sua doctrina illud conari facere, vt Deus ab hominibus iustus Iudex cognoscatur neque possit vllo modo in iustitiæ à nobis accusari. Sed idem illis accidit, ac si quis fumum volens euitare in ignem se præcipitaret. Dum enim suo isto commen o volunt præcauere, ne Deus iniustus ab hominibus iudicetur, quod ipsum *m* tamen non assequuntur, sicut ostendemus: talem inuehunt doctrinã ex qua sequeretur, Deũ non esse Deum. *n* Si enim Deus debet esse, & haberi Deus: oportet eum omnium rerum vnum & solum esse fontem, atque opificem: ita vt nihil prorsus reperiatur, quod non totum ipsius sit opus. Itaque si homini attribuatur aliqua inclinatio, aliquod propositum, aut consensus aliquis ad bonũ proprius, qui Dei donum & opus non sit: tũ per hoc ipsum statuitur & affirmatur aliquid, quod Deus non creauit, iã abnegatur Deus omnium rerum creator: item, quod in ipso viuamus, moueamur, & simus: quòd operetur ipsum velle & perficere. Falsæ etiam erunt omnes Scripturæ, quotquot testantur Deum omnia in omnibus operari. Neque tamen inde sequeretur, quòd hominibus non posset propterea iniustus videri, qui hominẽ sine caussa condemnet. *o* Quòd enim Petrus donis suis naturalibus rectè vsus est, & meliorem partem elegit, Iudas verò minimè, huius rei certè oportet aliquam quoque esse caussam, quæ sanè sit ab ipso Deo, siue sit propria aliqua motiua gratia, vt quidam Theologi vocant, siue quod Petrus meliori donatus fuerit natura. Ita quocunque modo loquamur aut examinemus, reperiemus tandem in Petro aliquam fuisse prærogatiuam, quã à Deo habuit, cuius vltima caussa nulla alia dari potest, quã Dei voluntas & decretũ. *p* Paulus Rom. 9 de Esau & Iacob ita loquitur, Nondum enim natis pueris, cùm neque boni quidpiam fecissent, neque mali: vt secundum electionem propositum Dei maneret: non ex operibus, sed ex vocante dictum est illi, Maior seruiet minori: *q* sicut scriptum est, Iacob dilexi; Esau autem odio habui. Et quoniam ista, nimirum: Deum hunc reiicere, aliũ recipere antequam natus sit, & boni. aut mali aliquid fecerit: rationi humanæ iniqua & absurda esse videntur: Ideo ipse Apostolus, superioribus verbis recitatis sibi obiicit: Quid igitur dicemus? nũ iniustitia est apud Deum? Absit. nã Mosi dicit: Miserebor, cuiuscunque misereor: & commiserabor quẽcunque commiseteor. Itaque non est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei. & ostenso Pharaonis exemplo, subiicit: Itaque cui vult miseretur: & quem vult, indurat. Post hæc iterum inducit aduersarium sibi obiicientem: Dices ergo mihi, quid adhuc conqueritur: nam voluntati eius quis resistit? quasi dicat, si velit me induratum habere: ego nihil contra possum: non possum eius voluntati resistere & hac ratione culpa non mea, sed ipsius Dei fuerit. *f* Ad hæc Paulus diuinorum mysteriorũ peritissimus nullam aliam adfert solutionem, quam non decere hominem ex aduerso respondere Deo: sicut non decet figmentum ei qui finxit, dicere: Cur me finxisti ad hunc modum? cum figulus potestatem habeat ex sua massa fingere quod vult. Nihil hîc Paulus ait de malis, quæ præuiderit Deus in reprobis: qua *t* de re Scholastici doctores subtiliter disputant. Vidit enim Apostolus, etiam sic humanam rationem statim obiicere potuisse, Deum in Esau ideo futura mala præuidisse: quod ei bona dare non constituerit, quæ si ei largiri voluisset, etiam potuisset in eodem futura bona præuidisse. *u* Itaque quocunque modo ista examines, necesse est, si modò sacram scripturã veram esse velimus, confiteri, neminem ex se ipso aliquid boni vel suscipere, vel si oblatum fuerit, arripere posse. Itaque D. Augustinus in 1. sermone in hæc verba Apostoli, sic inquit: Omnino si Spiritus sanctus non adsit: nihil boni potes efficere. econtrà cui adest Spiritus sanctus, is non potest bonum repudiare, aut ad Christum non venire. quod idem S. scriptor in 6. cap. Iohannis pulchrè docet.

Quanquam autem nemo aliquid boni cogitare, taceo velle, amplecti, aut agere possit, nisi per Spiritum sanctũ, Deúsque largiatur vtrumque, ipsum velle & perficere. nihilominus tamen homo habet liberam & incoactam voluntatem. in omnibus enim rebus, vel bonis. vel malis, ipse iuxta proprium suum iudicium & placitum eligit, vult, & suscipit. Vnde etiam meritò, cùm bonum arripit, & facit, à Deo pro sua bonitate mercedem accipit: & cum malum sequitur, punitur. Itaque Augustinus aduersus Pelagium & Cœlestinum rectè scribit: Quis non videat, cum qui ad Christum venit, aut non venit hoc ipsum libera volun ate facere? cui enim Pater reuera reuelat, quid in Filio suo nobis donet, cúmque dat vere cognoscendum: is non potest ad eum venire, séque illi tradere, dque prompta voluntate, & proprio liberóque arbitrio. Cui verò Pater Filium non reuelat: is etiam non potest ad eum venire, sed tradit seipsum rebus his temporariis, quas caro eius, tanquã bonas iudicat, neglecta interim diuina gratia, atque id ipsum quoque facit ex libero iudicio, & propria, spontaneaque voluntate.

Verùm in hoc negotio hominibus impedimento est, quòd existimant, non esse liberũ arbitrium in illis rebus, quæ aliter se habere non possunt, neque cogitant libero arbitrio opponi coactionem, & agi inuitũ, non autem necessitatem, aut aliter volendi impossibilitatem. alioqui enim in vita æterna nullum haberemus liberũ arbitrium: imo vbi liberum arbitriũ ad suam perfectionem peruenerit, & verum bonum adeptum fuerit, nunquã patietur se ab illo abstrahi. nam quòd iam hoc illud volumus, infirmitatis nostræ est. Necessitas vero & vni rei solũ adhærere, Dei proprietas est, & illarum creaturarũ, quæ Deo sunt proximæ. Itaque tum primum beati erimus, cùm illã adepti fuerimus. Hoc D. Bernhardus bene intellexit. vnde in libro de libero arbitrio sic scripsit, col. 1591. Nemo proinde putet, ideo dictum liberum arbitrium, quod æqua inter bonum & malum potestate, aut facultate versetur, cum cadere per se quidem potuerit: non autem resurgere, nisi per Domini Spiritum. alioqui nec Deus, nec Angeli sancti, cum ita sint boni, vt non possint esse & mali: nec præuaricatores item Angeli, cum ita sint mali, vt iam non valeant esse boni: liberi arbitrij esse dicuntur, sed & nos illud post resurrectionem amissuri sumus: quando vtique inseparabiliter alij bonis, alij malis admixti fuerimus. Ceterum nec Deus caret libero arbitrio, nec Diabolus. quoniam quod ille esse non potest malus, non infirma facit necessitas, sed firma in bono voluntas, & voluntaria firmitas. quódque is non valet in bonum respirare, non aliena facit violenta oppressio, sed sua ipsius in malo obstinata voluntas ac voluntaria obstinatio. Nunc itaque ex eo potius liberum arbitrium dicitur, quod siue in bono, siue in malo æquè liberam facit voluntatem: cũ nec bonus quispiam, nec item malus dici debeat, aut esse valeat, nisi volens. Hæc ille.

Hæc sunt verba Bernhardi in lib. de lib. arb. & hæc est illius sententia: Liberum arbitrium afferre quidem, vt homo in omnibus rebus, tã bonis, quàm malis, quidquid

vult, aut

aut suscipit: liber sit & spontaneus: non extrinsecus suam voluntatem impulsus & coactus: sed vt iuxta suum suum iudicium & beneplacitum agat: non autē secum, vt homo propterea omnia ex propriis suis eligere possit. nemo enim quidquam eligere potest quod non bonum esse iudicet, nemo autem quod verè bonum est: absque Spiritu sancto potest intelligere: eóque nec, nisi per illius gratiam, bonum illud eligere possumus. Itaque Dauid semper orat in suis Psalmis: vt Deus se illuminet, ducat, doceat, &c. Et Paulus precatur suis: vt impleantur vera cognitione & intelligentia: vt probare possint & intelligere, quæ bona sint & salutaria.

C Quòd verò & Deus hunc illuminat & trahit: illum verò minimè, & cui hoc faciat ne inquiras: inquit Augustinus: si non vis errare. Et in libro de prædestinatione sanctorum: cùm interrogaretur. D Si ad Christum venire non possumus, nisi ipse nos doceat, cur ergo non omnes doceat vt omnes veniant, hanc adfert responsionem: Omnes quos docet: eos sua misericordia docet: quos verò non docet: eos non docet secundum suum iudicium. Qui igitur fidem habet diuinis literis: is simpliciter fatebitur: E Deum omnia in omnibus operari ex suo certissimo & infallibili iudicio, iustissimáque voluntate: omniáque simplicitate & necessariò ita fieri: sicut fiunt. F.G Ipse est, qui docet, trahit, probos efficit: item qui errare facit, indurat, tradit in sensum reprobum, vt omnia malè faciant, eos, quos ipse vult: sicuti eos, antequam essent, vel ad vasa gratiæ, vel ad vasa iræ præparauit. H.I. Nihilominùs hic etiam illud verum est: hominem liberè ex propria sua voluntate vel bona, vel mala facere: sicut sacræ literæ passim testantur: ac propterea nos, K tanquam liberè volentes & eligentes, docent, exhortantur, vocant & terrent.

Hinc etiam est, L quod sacræ literæ dona Dei, quæ nobis propter bona nostra opera Deus ex mera sua misericordia largitur (semper enim quidquid fecerimus, inutiles serui sumus) mercedem nominant. M Et quanquam nemo simpliciter quidquam boni facere, ne quidem cogitare possit, nisi id à Deo ei ex mera misericordia datum fuerit: nemo tamen se de peccato potest excusare, aut Deo culpam aliquam imputare. sed potiùs quemlibet propria sua conscientia incusat & condemnabit. Rom. 2. quidquid tandem hic homines contentiosi blaterent.

N Cæterum humanæ rationi videtur valde absurdum esse: cum hominem condemnatum iri, qui ad Christum non venerit, neque tamen possit venire, nisi à Patre fuerit tractus, quem etiam Pater trahere nolit. Contra eiusmodi cogitationes, cùm primùm inciderint, debet quilibet Christianus eodem modo, sicut Paulus, sibi ipsi respondere, Atqui, ô homo, quis tu es, qui ex aduerso respondes Deo? Num dicet figmentum ei qui finxit, &c. Aliam profectò, & meliorem solutionem nemo tibi afferre poterit, quàm Paulus hic protulit. Itaque fateamur, O Deum esse Deum, cúmque omnia in omnibus operari, fateamur etiam, P Deum homini & liberam propriámque voluntatem dedisse, atque ad eum modum ducere, sicut passim Scriptura testatur. Præterea Q Deum non immeritò & iniustè te punire propter mala, quæ tu libera voluntate committis, etiamsi aliter non possis, nisi alio modo in te operetur, cuius rei tibi tua conscientia satis idoneum erit testimonium.

Conclusiones ex superioribus Apologiæ locis collectæ.

In ista vestra Apologia, has præcipuas habetis conclusiones, quæ multas ex superioribus meis confirmant.

I.

Hominem verè Christianum non solùm debere esse, sed etiam seipsa esse de gratia Dei, hoc est, de æterna & immutabili Dei erga se beneuolentia, ideóque de sui ad salutem electione, certum, atque ita certum, vt propter nullam rem de ea ampliùs dubitet, & si aliqua subrepat dubitatio, eam debere à se procul depellere.

Hinc facilè apparet, illos contra vestram Apologiam docere, qui docent, Sanctos debere ita credere, se, propter suos lapsus ex infirmitate etiam admissos, omnino excidisse à gratia, & desertos prorsus esse à Spiritu sancto, vt nullum ampliùs semen fidei, & verbi Dei in se relictum maneat.

II.

b Quidquid sumus, & quidquid boni in nobis est, tam cogitare & velle, quàm perficere: totum esse à Deo, & opus Dei, qui in nobis ea operatur pro sua voluntate, Philip. 2. Inde liquido apparet, totam nostram salutem esse gratuitam, ac proinde ad hanc etiam ex mera gratia, & non ex præuisione operum, aut fidei nostræ, cùm etiam hæc sit opus Dei, nos fuisse electos. Errare igitur illos, qui docent, Dei quidem solius esse, gratiam omnibus ex æquo offerre, nostrum autem, illam amplecti, item, fidem caussam esse nostræ electionis.

III.

c.e Deū operari omnia in omnibus, non tantùm in piis, sed etiam in impiis. In Apologia enim postquam dixistis, f.g quidquid bonorum operum in nobis, hoc est, in piis est velle & perficere, esse à Deo statim correctione subiecta dicitis, h imò Deum operari omnia E in omnibus, 1. Cor. 12. Et infrà, quemadmodum Deus vult nos agere, ita permittit, impellit nos, & dat nobis ea intelligenda, iudicanda, eligenda, velle, suscipere, perficere in omnibus rebus, tam externis, quàm internis, siue pertinentibus ad æterna, siue ad temporaria. In ipso enim viuimus, mouemur, & sumus, Actor. 17. Ipse omnia ex nihilo facit, ideóque conseruat, mouet & facit omnia quæcunque sunt, in quocunque tandem, aut per quemcunque hæc fiant.

Hinc igitur colligere promptum est, illos aduersus vestram apologiam docere, qui negant, ita Deum omnia in omnibus operari, vt hominum etiam voluntates vertat quocunque vult.

IV.

d.x Etsi Deus operatur omnia in omnibus, etiam ipsum velle: ipsam tamen hominis voluntatem liberam manere, quòd quidlibet sponte & volens agat, quidquid agat, siue bonum, siue malum, y. z Et propter hanc caussam iure homini soli imputari peccata, eúmque, vt ne peccet, admoneri: & propter peccata iustè puniri.

D.I Hinc colligitur: illos igitur aduersus vestram apologiam docere, qui docent, si verum est, K.L Deum flectere omnium hominum voluntates, quocunque vult, M & operari omnia in omnibus: nullam igitur superesse libertatem voluntatis, & Deum statui authorem peccati, & iniustè homines damnari.

V.

f.i Impiam esse doctrinam, hominem aliquid, quantulumcunque illud sit, ex se ipso K.l posse, & in bonum consentire, aut aliquam ad bonum habere inclinationem.

VI.

g Deum, quemadmodum vult nos agere, ita etiam permittere & impellere nos, vt agamus, iuxta illud Act. 17. In ipso viuimus, mouemur, & sumus.

Hinc colligere promptum est, eos contra vestram apologiam docere, qui dicunt, blasphemiam esse in Deum, dicere, Deum quempiam impellere ad aliquod opus.

VII.

k.l Eos, qui docent, aliquem homini esse consensum ex se, & negant: Deum operari omnia in omnibus. illud quidem hac doctrina conari, vt defendant Deum esse iustū: m.n sed neque hac ratione illud obtinere, & in aliud magis absurdum impingere: nempe vt negent, Deum esse Deum: quòd Deus non sit Deus, si non sit omnium rerum vnicus & solus fons & opifex.

VIII.

Quòd aliquis seruetur, aut damnetur, tandem necesse esse fateri, primariam caussam o fuisse & esse Dei voluntatem, atque decretum: iuxta illud etiam Apostoli p Rom. 9. de Iacob & Esau: cùm nondum nati essent, aut aliquid egissent vel boni vel mali: vt secundùm electionem, Dei propositum maneret, Iacob dilexi, Esau autem odio habui.

IX.

o Quidquid enim in homine reperiri potest, propter quod saluetur: id totum fluxisse à voluntate & decreto Dei.

X.

p.q Deum aliquos recipere, scilicet in communionem salutis, & in gratiam suam: alios autem reiicere, etiam antequam nati sint, aut aliquid boni vel mali fecerint, idque secundùm propositum voluntatis suæ, iuxta illud etiam Rom. 9. Antequam nati essent, aut aliquid boni vel mali fecissent, Iacob dilexi, Esau autem odi. Hoc autē est prædestinatio, & reprobatio.

XI.

p Deum, iuxta illud Ro. 9. Iacob dilexi, Esau odio habui, quosdam amasse, antequam quidquam boni fecissent: & alios odisse, antequam quidquid mali:

XII.

q Iniquum quidem & absurdū videri rationi humanæ, Deum aliquos recipere, alios reiicere, antequam nati essent: non esse tamen iniquum, cùm ita velit Deus: iuxta responsionem Apostoli: Nunquid est iniquitas apud

Deum? absit. nam Mosi dicit: Miserebor, cuius misereor.

XIII.

r.s. Etsi Deus velit aliquem indurare, & induratum ea admittere, quæ ita admittit, vt non admittere non possit: non propterea tamen quempiam posse aut de Deo conqueri, aut culpam sui peccati in Deum transferre: sed contrà, Deum optimè conqueri de induratis, quod peccent.

XIV.

Ad quæstionem, Si Deus velit me induratum habere, & ego nihil contra possim, nec possim eius voluntati resistere, & proinde non possim non peccare induratus: quid igitur conqueritur Deus? nullam aliam dandam esse responsionem, quàm illam Apostoli: O homo, tu quis es, qui respondes Deo? annon habet potestatem figulus luti, vt ex eadem massa fingat aliud quidem vas ad decus, aliud verò ad dedecus?

XV.

t. Deum enim non reprobasse quos reprobauit, propter futura mala illorum opera: & si quis id affirmet, ne Deus possit accusari iniustitiæ: humanæ tamen rationi non satisfieri: quin statim habeat cuius Deum accuset, dicturam enim illam esse, Deum iccircò in Esau futura mala præuidisse, quòd ei bona date non constituerit, quæ si ei largiri voluisset, etiam potuisset in eodem futura bona præuidisse.

XVI.

Omnino, si Spiritus sanctus non adsit, nihil boni posse hominem efficere, contrà, si adsit, hominem non posse bonum repudiare aut ad Christum non venire, iuxta dictũ Augustini serm. 13. de verbis Apostoli, & in 6. cap. Ioh.

XVII.

A Errare illos, qui existimant liberum arbitrium non esse in illis rebus, quæ aliter se habere non possunt. non enim libero arbitrio opponi necessitatem aut aliter volendi impossibilitatem, sed coactionem, & agi inuitum. Necessitatem, & vni rei soli inhærere, Dei proprietatem esse, & illarum creaturarum, quę Deo sunt proximę. quibus tamen nihil magis liberum est.

XVIII.

C Deum quosdam illuminare & trahere, D alios non illuminare nec trahere, sed cur hoc faciat, non esse quærendum, si nolimus errare, quoniam constat, Deum quos docet, docere pro sua misericordia, quos verò non docet, eos non docere, secundùm suum iudicium.

XIX.

F Omnia simpliciter & necessariò ita fieri, sicut fiunt.

XX.

G Deum illum esse, qui non solùm docet, trahit, & probos efficit, scilicet electos, sed etiam qui errare facit, scilicet reprobos, indurat, tradit in sensum reprobum, vt omnia malè faciant.

XXI.

I. K Interim tamen hominem, siue pium siue impium, liberè, & propria sua voluntate, vel bona, vel mala facere, ac proinde, L quia liberè volumus & eligimus, nos à Scripturis doceri, moneri, vocari, terreri, M & cùm bona opera remunerari, tum etiam mala puniri.

XXII.

H Deum quosdam, antequam essent præparasse ad hoc, vt essent vasa iræ, alios verò vt essent vasa misericordiæ.

XXIII.

M Quanquam nemo simpliciter aliquid boni facere imò ne cogitare quidem possit, nisi id à Deo ei ex mera misericordia datum fuerit, neminem tamen se de peccato posse excusare, aut Deo culpam aliquam imputare, sed potiùs quemlibet à sua propria conscientia accusari, & condemnari, Rom. 2. quidquid tandem hic homines contentiosi blaterent.

XXIV.

N Hominem illũ, qui nõ veniat ad Christũ, etiamsi non possit venire, quia à Patre nõ trahatur, cõdemnari tamen.

XXV.

N Etsi verò hoc humanæ prudentiæ videatur absurdũ, vt scilicet is damnetur, qui ad Christum non veniat, quia non potuit venire, verum tamen id esse. O humanę autem prudentiæ ita respondendum esse, sicut Apostolus fecit, O homo tu quis es qui respondeas Deo? Nunquid dicit figmentum ei, qui se finxit, cur me finxisti sic? hac enim dari non posse meliorem responsionem?

Conclusiones ex articulis disputatis in Synodo Argentinensi anno 1533.

ARTIC. IV.

Quò verò ab hac morte & condemnatione liberaremur: voluit Deus verbum suum æternum, per quod omnia creauit, carnem assumere, nobisque miseris mortalibus, per omnia, solo peccato excepto, similem fieri. Hic est verus Deus, & verus homo, Dominus noster Iesus Christus, vtriusque naturæ, diuinæ & humanæ particeps: qui sua passione & morte pro nobis satisfecit, nos Patri reconciliauit, omnes quotquot illi credunt, & ad eum ista fide veniunt.

a Non veniunt autem ad Christum vera fide: nisi electi, Actor. 13. Si igitur Christus sua passione & morte illos tantùm reconciliauit Patri, qui ad se fide viua veniunt: manifestum est ex ista conclusione, pro solis electis Christum efficaciter mortuum esse.

Postremus articulus.

Quanquam autem Deus, qui nos omnes ex nihilo creauit, ideo vti vult ministerio verbi, & Magistratus, vt suos à seipsis, & ab omni malo ad se per Dominum nostrum trahat: nihilominus tamen sunt aliqui a vasa iræ: in quibus vtrumque ministerium nihil aliud efficit, quàm vt omnis ipsis adimatur excusatio: atque b vt inde deteriores reddantur, magisque indurentur. tales ad mortem peccant. c d pro his non est orandum. hi etiam tandem æternum condemnabuntur. e f Quapropter contradicunt Deo, & toti Scripturæ: qui aiunt, nullam esse condemnationem, neque vllum esse discrimen electorum ad vitam æternam, & reproborum, qui tandem æterna morte sunt condemnandi.

Sunt hic hæ conclusiones.

I.

a Homines aliquot esse vasa iræ. Non sunt ergo omnes electi ad salutis & misericordiæ communionem.

II.

b In vasis iræ, hoc est in reprobis, ministerium verbi & ciuiles magistratus nihil aliud efficere quàm primo, vt omnis ipsis tollatur excusatio: secundo, vt inde deteriores fiant, & magis indurentur.

III.

c Reprobos peccare ad mortem.

IV.

d Pro reprobis non esse orandum. Ergo neque Christus pro illis rogauit. Iohan. 17.

V.

e Reprobos tandem æternùm condemnatum iri. Non possunt ergo seruari.

VI.

f Illos contradicere Deo, & toti Scripturæ: qui aiunt, nullum esse discrimen electorum ad vitam æternam, & reproborum ad æternam mortem. Est igitur contra verbum Dei & doctrinam huius ciuitatis dicere, non esse aliquos homines reprobatos, & destinatos ad mortem æternam, & alios electos & prædestinatos ad æternam vitam.

Conclusiones ex summa doctrinæ ministrorũ Ecclesiæ Argentinensis, anni MDXXXIX. cui subscripserunt omnes ministri: atque in primis Bucerus, Capito, Hedio. Huius summæ αὐτόγραφον est hic Argentinæ, manu D. Buceri scriptum, & subscriptum manu D. Capitonis & Hedionis.

ARTIC. IV.

a Confitemur, hunc Deum esse creatorem & gubernatorem omnium rerum: à quo videlicet, & per quem, & in quo sunt omnia. b qui etiã omnia facit ac largitur iuxta propositum voluntatis suæ: qui miseretur cuius vult, & indurat quem vult. c Nihilominus tamen fatemur, omnia quæcunque ipse facit, bona & recta esse: id in nobis verò omnia & peccata, & abominationem corã ipso esse, quæcunque contra eius voluntatem facimus, loquimur, cogitamus, & cupimus.

Sunt hic hæ conclusiones.

1. Deum a omnia facere secundùm propositum voluntatis suæ.

2. Deum b misereri quorum vult, & indurare quos vult.

3. Quæcunque facit c Deus: omnia iusta & recta esse. Ergo etiamsi reprober, qui nondum nati sunt etiamsi indures, & induratos propter peccata, quę indurati non possunt non admittere damnet: omnia bene, iustè, & rectè facit: & nulla est iniquitas apud Deum.

4. Omnia, quæ nos d contra Dei voluntatem facimus peccata esse. Ergo etiamsi Deus operetur omnia in omnibus, actiones tamen illæ, quatenus à Deo sunt, bonæ sunt, quatenus à nobis, peccata sunt.

ARTIC.

Artic. V.

...a nostra. proh dolor, ita est deprauata, & corrupta ...dicti à Deo, naturæ solùm impetu feramur, nihil, ...malum est, expetere possimus. Ac propterea fit: ...bis ipsis nihil, nisi quod malum est, cogitemus, ...ur, & faciamus. animalis enim homo non percipit ...Dei sunt: atque id tamdiu, donec regenerati, Spiri... sancto donati, ac diuinæ naturæ quodammodo participes facti fuerimus.

Artic. VI.

a Hic solus & vnicus Mediator peccata nostra sustulit: nos Patri reconciliauit: Spiritum sanctum & regenerationem omnibus illis impetrauit, quos Pater illi dat, quique verbum eius audiunt.

b Hanc regenerationem vnà cum omnibus Christi meritis, Spiritus sanctus cordibus fidelium inspirat, & ad extremum vsque in illis conseruat.

Sunt hîc hæ conclusiones.

1. Christum a peccata illorum sustulisse, & eos Patri reconciliasse, & Spiritum sanctum, ac regenerationem illis impetrasse: quos Pater illi dat, & qui eius verbum audiunt. Ergo illi qui non sunt dati Christo, hoc est, qui non sunt electi, non sunt etiam reconciliati Patri per Christum, neque remissionem peccatorum vnquam assequuntur: neque accipiunt Spiritum sanctum & regenerationem.

2. Regenerationem b vnà cum omnibus Christi meritis per Spiritum sanctum cordibus fidelium inspirari, & ad extremum vsque conseruari in illis. Ergo electi semel regenerati & vera fide donati, ad extremum vsque in illa perseuerant: Spiritu sancto illos in ea, vsque in finem, conseruante.

Artic. VIII.

Sunt enim a aliqui non ex Deo nati, ac Filio à Patre b non donati: vasa iræ, præparata ad interitum: hœdi, non oues: qui etiam tandem in æternum ignem conicientur.

Hîc sunt hæ conclusiones.

1. Non omnes a homines esse natos ex Deo, nec Christo à Patre donatos, nec oues: sed quosdam esse hœdos, & vasa iræ præparata ad interitum.

2. Reprobos, seu vasa iræ, tandem in æternum ignem esse conicicendos.

Artic. IX.

a Credimus ergo, & docemus: omnem boni intelligentiam, desiderium, cogitationem, verba denique & opera: mali item cognitionem, eiúsque fugam & abominationē, nobis solùm ex diuina electione per hunc vnicū Mediatorem contingere: si quidem toto corde ei crediderimus.

Hîc hæ sunt conclusiones.

1. Omnes a bonas cogitationes, sancta desideria, & bona opera, ideóque fidem ipsam, à sola electione nobis cōtingere. Ergo iis, qui non sunt electi hæc non contingunt: & fides, fideíque fructus effecta sunt electionis: non autem sunt caussæ.

2. Quæ ab electione b contingunt, per Christum Mediatorem contingere. Ergo prædestinatio non prodest sine Christo, nec Christus sine prædestinatione.

Artic. XVII.

Quoniam baptismus est lauacrum regenerationis, diuinæque gratiæ primum sacramentum, cúmque hanc benedictionem etiam nostris liberis à Christo precibus impetrare debeamus: (possumus enim a eiusmodi preces piè & rectè, secundum Christi verba facere, semper tamen Deo reseruantes suam electionem b quam etiam, sicuti & veram in adultis fidem, in quibus neutrum horum perfectè sciri possumus, eos baptizātes, pro iísque orantes, Deo reseruatam volumus,) propter has caussas, infantes nostros baptizamus, simúlque Ecclesiæ testatam facimus, ac prædicamus Dei erga nos gratiam & redemptionem per Christum factam, eáque omnia per veram fidem. Nisi enim credimus, Deum velle id nobis dare, quod ex verbo eius petimus: nostra oratio nihil aliud esset, quàm contemtus & illusio Dei.

Hîc de prædestinatione sunt duæ cōclusiones.

Illis, a qui non sunt electi, nihil prodesse baptismum, neque orationes ab Ecclesia pro ipsis factas: ideóque nec benedictionem, quam Christus Ecclesiæ suæ impetrauit, impetrari posse.

2. Etsi ignoremus b qui sint electi, & qui non: posse nos tamen piè & rectè, imo & debere secundum Christi institutionem pro omnibus orare, & infantes omnes baptizandos curare.

Artic. XVIII.

Porrò conditio illa perpetuò diligenter est adhibenda & includenda: Secundum tuam electionem & propositū diuinæ voluntatis tuæ. quæ conditio etiam adhibenda est & retinenda: quoties pro adultis qui baptizandi sunt, oramus: nihil curantes, quidquid tandem ipsi confessi fuerint. neque enim cor ipsorum, aut voluntatem Dei erga ipsos scire possumus. vult Deus, ac permittit nobis agere secundum quod nos intelligimus: ac inter eos, qui ad cœleste regnum, hoc est, ad Ecclesiam pertinent: etiam liberos nostros nobis commendauit.

Hic etiam illæ eædem duæ confirmantur.

Conclusio illius summæ doctrinæ Ecclesiæ Argentinensis.

Quidquid his iam dictis repugnat: agnoscimus erroneum atque falsum esse: ideóque meritò repudiandum.

1. Repugnat autem quartæ propositioni: Negare, Deum omnia facere, secundum propositum suæ voluntatis, ac proinde, qui sunt reprobati, non sunt reprobatos voluntate Dei: & contra, ad regulas humanæ iustitiæ Deum redigere: vt æqualibus æqualia det. 2. Item repugnat esse iniquum & tyrannicum, vt Deus pro suo arbitrio misereatur, quorum velit, ac quos velit, damnet: cum omnes sint ex æquo illius creaturæ.

Repugnat quintæ: dicere, in potestate hominis esse, vt salutem oblatam in Euangelio recipiat, & reiiciat.

Repugnat septimæ: dicere, 1. etiam qui non sunt dati Christo, id est reprobos, qualis fuit Iudas, reconciliatos esse Deo, remissionem peccatorum assequi, & iustificari, ac Spiritum regenerationis accipere. 2. Dicere item: electos semel iustificatos ac regeneratos, prorsus amittere Spiritum sanctum, ipsámque regenerationem nón in omnibus electis ad extremum vsque conseruari.

Repugnat octauæ: dicere, 1. Omnes sine vlla exceptione, esse datos Christo à Patre, aut, omnes esse electos: & negare, quosdam esse vasa iræ præparata ad interitum. 2. Dicere item reprobos posse fieri electos, & posse saluari.

Repugnat nonæ, dicere. 1. Caussam electionis esse fidē nostram. 2. Dicere item: Illis, qui non sunt electi, contingere ista salutaria bona fidem, & veros fidei fructus, quæ à sola electione per Christum electis contingunt.

Repugnat decimæseptimæ: dicere, 1. Reprobis etiam, seu non electis, prodesse baptismum, aut benedictionem Christi, hoc est iustificationem & sanctificationem impetrari & contingere posse: vt, quod Iudas fuerat iustificatus & regeneratus, sicut etiam Petrus. 2. Item facere istam sequelam: Si omnia pendent ab electione, & electi non possunt perire, ergo frustraneum esse ministerium Ecclesiasticū, Sacramenta, Baptismum: & qui talem statuunt prædestinationem: ab iis tolli pœnitentiam Sacramenta, reprehensiones, bona opera, & huiusmodi alia.

Omnia ergo hæc dogmata, quia pugnant cum iis propositionibus Ecclesiæ Argentinensis, imo cum verbo Dei: & erronea & falsa sunt agnoscenda, & ideo repudianda, atque è Scholis & Ecclesiis eliminanda.

Præcipuæ conclusiones orthodoxæ disputationes de prædestinatione & libero arbitrio: inter Martinū Bucerū & Melchiorē Hofmānū habitæ Argentinæ, Anno M.D.XXXIII.

1. Deum, postquam ab æterno præsciuisset humanum genus per lapsum primorum parentum æternæ morti obnoxium futurum, ex mera sua misericordia, antequam iacerentūr fundamenta mundi, sibi aliquos de hominibus ad vitam æternam elegisse, præsciuisse, ac prædestinasse. Roman. 8. 9. 11. Eph. 1.

2. Hos electos, postea à Deo iuxta suum beneplacitum, per verbum suum & Spiritum vocari. Rom. 8. idque fieri, cum se ipsum illis præbet in summis tenebris versantibus rectè cognoscendum, atque hęc omnia fieri propter vnicum mediatorem Iesum Christum. 1. Tim. 2. Ioh. 14. Matt. 11.

3. Ex hac Dei cognitione, si vera & efficax sit, confestim oriri amorem erga Deum, qui efficit in nobis, vt idem velimus, & sentiamus, & præparat nos, vt ad omnia bona parati ac prompti simus.

4. Verum enim Dei cognitionem tollere à nobis φιλαυτίαν, & admirationem nostri, & eorum bonorum, quibus nos præ aliis donatos esse sentimus: non secus atque

cum lumen lucernæ, splendore Solis obscuratur.

5. Hinc tandem consequi: vt homo toto corde, animo, omnibúsque sui corporibus partibus, à solo Dei, eiúsque Filio Iesu Christo pendeat, & quasi diuinæ consors efficiatur.

6. Deum cum reliquis hominibus, scilicet non electis, sic agere solere: vt semper seipsum eatenus illis cognoscédum præbeat, quò tandem se ipsos cogantur de contemtu Dei accusare, ac reos facere: & sic reddantur inexcusabiles. Rom. 2.

7. Hos homines, scilicet non electos, nunquam habere veram, penetrantem & efficacem Dei cognitionem. 1. Corinth. 2. Ies. 64. Matt. 11. Iohan. 10. 3. 4.

8. Deum non eodem modo cum omnibus agere: suúmque Spiritum, per quem seipsum, & bona sua rectè intelligenda largitur, non omnibus ex æquo dare, sed iis solú, quos ante fundaméta mundi elegit, Christóque Filio suo, Domino nostro tradidit.

9. Hunc enim Spiritum sanctum signaculum esse, arrhabonem & certissimum testimonium in nobis: quod simus filij Dei. Rom. 8. 2. Cor. 1. Gal. 3.

10. In hoc consistere, & tanquam fundamento niti fidem & doctrinam suam, scilicet Ecclesiæ Argentinensis, de Prædestinatione, seu electione Dei, quòd doceant ac credant Deum, qui ex nihilo omnia fecit, aliquos homines in Christo, & per Christum Filium suũ, donare suo Spiritu ad vitã æternã, & ita regenerare, vt ipsum rectè cognoscant, veréque credant & confidant, ipsum per Christũ suũ Filium peccata sibi condonaturum, ac in æternum Deum sibi propitium futurum: ex qua fiducia ipsi eum, tanquam Patrem suum, & Christum, tanquam redemtorem suum vnicè amant, atque inuocant.

11. Christum pro electis apud Patrem intercedere, & esse propitiationem pro peccatis ipsorum.

12. Reprobos esse illum mundum, qui Christum Dominum nec nouit, nec recipit, imo odio habet, & persequitur. Ioh. 1. 15.

13. Dominum Iesum non rogasse pro reprobis qui mundi nomine intelliguntur, & vasa sunt iræ ad interitum præparata.

14. Neque electionem neque meritum Christi omnibus hominibus esse communia: sicut somniat Hofmannus: ad miseras conscientias vexandas, & sanam doctrinam corrumpendam.

15. Bonam & liberam ad bonum voluntatem donari à Deo, iis quos è mundo elegit in Christo: cæteris verò non item.

16. Necesse est vt ij, quos è mundo Deus non elegit in Christo, in suis peccatis moriantur ac pereant.

17. Quòd reprobi, etsi necesse est in suis peccatis moriantur: quia Deus non dat illis bonam voluntatem ad bonum: in illis tamen libertima voluntate versentur.

18. Hac de caussa tandem verbum Dei, quod contemnunt (Iohan. 12.) & cognitio veritatis, quæ ipsis diuinitus inspirata est (Rom. 1.) nunquam non ita solida & efficax, vt electis, Mat. 11. Cor. 12. simul attestante ipsorum conscientia, eósque accusante (Rom. 2.) condemnabit.

19. Deum nemini quidquam debere: & potestatem habere sua bona quibuscunque velit distribuendi: neque fas esse ei in his rebus contradicere. Rom. 9.

20. Doctrinam, omnes homines esse ad vitam æternam electos & per Christum redemtos: eo spectare, vt gratiam electorum & meritum Christi extenuet: contrà verò hominis vires ac potentiam extollat.

21. Citare locos Scripturarum, quibus salus per Christum omnibus hominibus communiter ex æquo offerri videtur, vti est ille, Deus vult omnes homines saluos fieri, ad probandum, electionem & meritũ Christi reuera omnibus esse communia, esse hominum impostorum.

22. Locum 1. Tim. 2. Deus vult omnes homines saluos fieri: item 1. Ioh. 2. Ipse est propitiatio pro peccatis nostris: nec nostris solùm, sed etiam totius mundi: non posse intelligi, nisi συνεκδοχικῶς, pro multis, hoc est, pro omnibus illis qui saluantur: hos autem esse electos.

23. Non esse existimandum, vbi posita sunt vocabula ista, Omnis mundus, totus mundus: ibi confestim omnes homines, nemine excepto, esse intelligendos: cùm non vbique hæc nomina eandem habeant significationem.

24. Meritum Christi propterea toti mundo commune dici & prædicari: quod post Christi adscensionem, non tantùm Iudæi, sed omnes etiam aliæ gentes debeant eius participes & compotes fieri: omnes inquam, qui ex iis in numero electorum fuerint.

25. Discrimen electorum & reproborum tam perspicué & firmiter vbique in sacris literis tradi & exprimi: vt nisi Hofmannus singulari studio cuperet nouam hæresin introducere: nunquam tam turpiter contra lucem veritatis ausus fuisset aliquid tentare.

26. Locum 1. Ioh. 2. Christum esse propitiationem pro peccatis totius mundi: intelligendum esse pro peccatis eorum, qui non perseuerant in peccato, hoc est, electorum.

27. Locum 1. Tim. 2. Deum velle omnes homines saluos fieri: ad electos tantum pertinere, sed ex omnibus populis & gentibus. hæc enim ideo dici, vt pro omnibus ad Deum preces fundamus, & omnibus in eo seruire parati simus, vt ad veritatis cognitionem perueniant.

28. Cùm aliqui sint filij Diaboli, hoc est, reprobi: certum esse, locos, qui salutem vniuersaliter promittunt: ad electos tantùm reipsa pertinere.

29. In electorum gratiam Christum præcipuè in carnem venisse.

30. Quod Paulus Rom. 5. Adamum, per quem peccatũ & mors, & Christum, per quem iustitia & vita in mundũ peruasit, inter se conferat: non inde sequi, sicut simpliciores quidam concludere volunt, quod quemadmodum omnes simpliciter homines in Adamo perierunt: ita per Christum omnes, nemine excepto, salutem rursus sint consequuturi.

31. Spiritu Dei electos tantùm donari.

32. Electionem & meritum Christi, omnibus hominibus promiscue, nemine excepto, communia esse, probari minimé posse: idque neque ab initio, vt Hofmannus: neque ad extremum, vt alij affirmant.

33. Diuinæ veritati repugnare, si quis dicat, hominibus, simulac ipsis prædicatur Euangelium, statim quoque potestatem dari illud recipiendi, & iam eos habere libertatem eligendi id, quod bonum est & salutare.

34. Liberum arbitrium, & facultates, seu vires eligendi & faciendi aliquid boni: tantum esse ex spiritu diuinæ adoptionis: per quem solùm Euangelium intelligitur. hunc verò non omnibus dari.

35. Fidem ab omnibus requiri: sed non omnibus dari, nec tamen cuiquam hac in re à Deo fieri iniuriam.

36. Cæcam rationem, cum audit Deum misereri cuius vult, & indurare quem vult, statim obiicere: Quid igitur conqueritur? Voluntati eius quis resistit? Sed ei nihil esse respondendum: nisi quod Apostolus respondet: Atqui, ô homo, tu quis es qui respondeas Deo?

37. Etiamsi quis concedat, vires eligendi bonum omnibus ex æquo concedi: necesse tamen esse, vt vsus istarum virium ad bonum, sit à Deo, aut ab hominibus. non ab hominibus, quia haberet aliquid boni, quod non accepissent à Deo. Id verò dicere, est negare Deum. Ergo à Deo. Quod si à Deo: non ergo ex æquo dari hominibus vires ad bonum: cùm vsus istarum virium sit in aliquibus, in aliis non sit.

38. Omnem cognitionem & verum vsum bonorum & donorum Dei, imo quodquid boni excogitare potest homo: totum illud nihil aliud esse quàm dona & opera Dei: & qui plus habet boni, vel facit, id omne à Deo accepisse.

39. Quicunque malè faciunt: eos caussam huius suæ prauitatis & malitiæ, nemini nisi sibi ipsis adscribere debere.

40. Deum ipsissimam esse iustitiam.

41. Quod Deus, qui est summum bonum, velit suam creaturam in æternum cruciari, & perire: non esse iniquum, neque diuinæ bonitati repugnare.

42. Animum hominis, qui trahitur à Deo, credere se à Deo electum, & ad æternam vitam prædestinatum esse: Deúmque velle in se habitare, & omnia bona operari.

43. Ex fide, qua credimus nos esse electos, & Deum velle in nobis habitare, & omnia bona operari: consequi, vt vltrò libenter studeamus huic diuinæ gratiæ & vocationi consentienter viuere, gratósque nos erga Deum toto corde, animo, omnibúsque viribus exhibere.

44. Hofmannum quidem vrsisse, & quantum potuit, vociferatum esse, hanc esse simplicem Dei voluntatem, vt omnes salui fiant, & nemo condemnetur: sed non esse verum, nisi de electis, qui hanc Dei bonam voluntaté possunt intelligere.

45. Deum, quos excæcat, indurat, condemnat & per verbum suum iubet excæcare & indurare, eos citra controuersiam voluntatem excæcare, indurare & condemnare, à nemine enim hæc facere illum cogi.

46. Cùm in peccatis concepti simus omnes, & nascamur, propterea Deum nunquam, vt nos puniat, summo, eóque optimo iure destitui.

47. Hoc

... verissimum manere: Deum sicuti nos omnes creauit: ita, sine dubio, vt prudentē opificē prius ... & præuidisse, ad quē finē voluerit singulis vti. Hofmanni hanc fuisse doctrinā: Deum, prout præsciit homines gratiam suam fuisse amplexuros, vel malum bono prælaturos: secundum illud eos vel ..., vel ad mortem æternam præparare.

49. Hofmanni verò sententiam erroneam & impiā esse, hinc fieri perspicuū: quod si interrogetur ipse Hofmannus, vnde fit, quod Deus præuidet quosdā suam vocationem ad bonū non secuturos, sed malu potiùs electuros esse? nihil habeat quod respondeat, nisi quia Deus probè nouit, cùm ipse illis adesse nolit, sicut alijs, suo Spiritu: eos nihil vnquā boni aut cogitare, aut amplecti posse: & quod si iis, qui gratiā respuunt, eundē Spiritū dare vellet, quem aliis dat, eosdē etiā idē Spiritus eo quo electos impelleret, & contrà, si electis non daret suum Spiritū, ipsos quoque non alia facturos, quàm reprobi faciant. Deum igitur ideò præuidisse, quosdam suam vocationem ad bonum secuturos, quia decreuit illis suum communicare Spiritum, quò non solùm possint, sed etiam velint vocationem ad bonū sequi. nihil enim in nobis esse boni, quod non acceperimus à Deo. 1. Cor. 4. ideò verò præuidisse alios suam vocationē ad bonum non secuturos, sed malum potiùs electuros esse, quod constituerit illis suum non communicare Spiritum, sine quo Spiritu optimè prænouit, eos ex se nihil boni vel cogitare, vel amplecti posse.

50. Quare simpliciter dandam esse Deo gloriam, & cum Paulo fatendum Deum creasse nos ex nihilo, & propterea potestatem summam habere, instar figuli, dandi nobis, & nos fingendi pro sua voluntate. Rom. 9.

51. Ac si Deus misereatur nostri, & det se nobis cognoscendum, ita vt verbum suum non solum audiamus, sed etiam sequamur, esse quod illi gratias agamus. Sin minus, omnino culpam nobis ipsis imputandam esse, Deo vero omnem iustitiam & gloriam esse tribuendam.

52. Omnes pios hæc libenter fateri, & certò credere atque cōfidere, Dei volūtatē esse, se saluos facere: reliquos vero sicut omnibus rebus, ita etiam hac simplici veritate, & vera Dei gloria offendi, neque credere, Deum velle se saluos facere: ac propterea hoc ipsum tandem illos experiri.

Totam verò hanc doctrinā, quā in ea contra Hofmannum disputatione Bucerus defendit, non solum totus Senatus probauit, sed etiam omnes tribus, omnésq. ciues, tāquam piam & orthodoxam confirmarunt: contrariā vero huic, tanquā impiam damnarunt, in cuius rei perpetuum testimonium, ipse Hofmannus, tanquam pertinax hæreticus in carcerem coniectus, in eodem mortuus est.

Ego quoque, quidquid in doctrina Hofmanni dānauit Senatus noster Argētinensis, damno: & quidquid in ea disputatione Buceri probauit, probo, recipio, atque amplector. Amplector etiā, quidquid superius ex Apologia & ex disputatis articulis in Synodo anni 1533. & ex confessione anni 1539. de eadē doctrina retulit: quòd sciam, totā hanc doctrinam ex verbo Dei desumtā fuisse: ac proinde eā aduersus omnes Hofmannicos, illius sanæ doctrinæ, ideóque gratiæ Dei aduersarios, quoties opus fuerit: me defensurum polliceor, atque promitto.

Ne verò quispiam eludat vel Confessionem anni 1530. & eius Apologiam vel articulos disputatos: vel totā hanc disputationem Hofmannicam, vel confessioné anni 1539. quasi illa vel probata nunquam fuerint huic Argentinensi Ecclesiæ, vel postea retractata: subiicio hic Senatus, & totius ciuitatis nunquam retractatam, imo non semel confirmatam illorum omnium comprobationem.

Ex præfatione Confessionis religionis Christianæ quatuor ciuitatum, Carolo V. Augustæ exhibitæ 1530.

Ne igitur nos tam impiæ (aduersariorum) criminationi tacendo, fidem facere: & dictis istorum calumniis, Christi veritatem, quam profitemur, prodere quisquam existimet: visum est illam Confessionem nostram in publicum edere, adiunctā eius apologiā, quam nostris Ecclesiastis parare nuper mandauimus. Nam religio erat, saluificam Christi doctrinam, nobis singulari adeo Dei bonitate communicatam, tantis blasphemiis non asserere: & ferre, nos horrendis adeò, sed æquè falsis criminibus notatos, publicum offendiculum constitui.

Et post versus octo.

Quò igitur Christiani nominis professores cognoscere possitis, quàm nulla vel species veri istis calumniis insit, per Iesu Christi gloriam, cui vni hisce in rebus studemus, oramus, hāc nostram Confessionem, eiúsque Apologiam, in qua optima fide confutatorum verba & argumenta adducta sunt, legere, & ad Scripturarum fidem omnia expendere, nostrásque & confutatorum istorum rationes inter se librare velitis.

Et paulò post.

Cui (Deo) ad hoc ipsum hac Confessioné, Apologiæque nostræ editione seruire voluimus, neminem vero inhumaniùs attingere, nedum aspergere conuitio, &c.

Et paulò pòst, iterum atque iterum,

Ex libello, qui inscribitur, Ordinatio & ceremoniæ pro parochiis & ministris Ecclesiæ Argētinēsis, & ad eā pertinētibus, post habitam Synodum instituta, &c. A. ij. pag. 2.

Postquam Synodus ob tria præcipuè capita celebrata fuit primo, vt conciliatio doctrinæ Christianæ, atque depulsio sectarum & schismatum, doctrinæ huic aduersantiū quæreretur, secundò, vt externæ & ad ædificationem spectantes ordinationes atque cæremoniæ instituerentur, tertiò, vt inquisitio diligens vitæ atque conuersationis eorum, qui Ecclesiæ sunt præfecti haberetur. Ad primū caput, doctrinam & sectas concernens, conclusum & decretum est, quod Senatus in Confessione Cæsareæ Maiestati Augustæ exhibita, & articulis in Synodo propositis & disceptatis persistere eámque vti veram Christianam doctrinam hic populo proponi & tueri serio: neque vllum dogma vel sectas, quæ doctrinæ commemoratæ aduersentur, in sua vrbe perpeti velit, nulla ratione habita prolixiorum scriptorum Clementis Ziegleri, Melchioris Hofmanni, atque aliorum, quæ in ipsa Synodo, & post sunt oblata. Vera vt sana doctrina hic apud omnes meliùs cōseruetur & prouehatur, cunctique errores & seductrices doctrinæ aceantur atque præcaueantur: Senatus, præter alias rationes, & media huc spectantia, etiam istud perpendit atque statuit, quòd Seniores Ecclesiæ fidelem attentionem præstare debent: vt hæc professa doctrina, quemadmodum in commemorata Confessione, atque articulis Synodi comprehensa est, fideliter hæc doceatur, atque prædicetur, etiā vt nemini quidquā, quod huic doctrinæ aduersetur, siue in angulis, siue in proparulo effundere atque calumniari, nedum ab ea alios abstrahere liceat. Quòd si tale quid fieri resciuerint, Senatui, vel subscriptis examinatoribus indicent, vt fidelis & necessaria animaduersio fiat, &c.

Ex primo decreto Senat⁹, singulis tribub. paulò post Synodū habitā ꝓposito: A. iij. fac. 1.

Senatus vult omnes & singulos vos diligenter paternè, & quàm maximè rogatos, admonitos & hortatos vt in sacrosancto Euangelio, atque Dei verbo, quemadmodū hoc ex sacris literis in hac vrbe doctum, prædicatum, atque coram Cæsarea Maiestate confessum est, constanter perseueretis, vitámque vestram, diuinā adiuti gratiā, secundū hoc instituere, atque conformare velitis, nempe vt id non solùm in specie & sermone, verum etiam in efficacia & vita ad gloriam Dei, proximique ædificationem, apud vos deprehendatur.

Habetis hic, clarissimi Domini, meam de prædestinatione sententiam perspicuè explicatam, & multis tū diuinarum literarum, tum D. Augustini, Lutheri & Buceri, non denique vestrarum Confessionum testimoniis comprobatam atque confirmatam. Habetis etiam maiorum vestrorum decreta, quibus doctrinam hanc in vestra Apologia & Confessionibus explicatam confirmarunt, atque vt in vestra Ecclesia & Schola fideliter retineretur ac doceretur, mandarunt.

Nunc profiteor coram Deo, & Angelis eius, de prędestinatione me non aliter vel sentire, vel docere, quam nouerim sensisse ac docuisse primùm quidem Prophetas, atque Apostolos, deinde Augustinum, & post Augustinum aliósque orthodoxos Patres Lutherum & Bucerum, multósque alios doctissimos viros, & quidē in Germania, post renouatum Euangelium in Ecclesia Christi, & quam vos ipsi quoque & maiores vestri in vestra Apologia, articulis Synodalibus, disputatione contra Hofmannum, & Confessione anni 1539. professi estis.

Rogo autem vos Dominos meos, vt hanc meā prolixā quidem, sed necessariam fidei meæ de prædestinatione explicationem, æqui & boni consulatis, & vt, iuxta maiorum vestrorum decreta, doctrinam hanc vestram in Scholis & Ecclesia fideliter retinendam, contrariam verò ex ea eiiciendam curetis.

Lutherus in præfatione in Epist. ad Rom. Tractat, inquit, sententiã prædestinationis. ex ea enim sola pendent omnia: qui liberandi à peccato, qui occæcandi. Hæc ille. Si à prædestinatione pendet qui occæcandi sint, & qui liberandi à peccato: ergo tam ad occæcationem prædestinati sunt, qui occæcantur: quàm ad liberationem à peccato, qui à peccato liberantur.

Bucerus in c.8. Rom. in quæst. de Prædest. idem concludit. postquam enim conclusisset prædestinationẽ de ipsis etiam reprobis dici posse: mox subiunxit: Videtur illis (qui scilicet aliter sentiunt) Deo indignum, dicere, Deũ aliquẽ præfiniuisse ad perditionem. Atqui Scriptura non veretur dicere: Deum tradere quosdam homines in sensum reprobum & agere in perniciem. Quid igitur indignũ Deo, dicere, eam statuisse antea, vt illos in sensum reprobum, traderet, & ageret in perniciem? Paulò post concludens: Dum itaque, inquit, constiterit, ad gloriam Dei pertinere, quòd prædicatur indurare, excæcare, & tradere in sensum reprobum, quos vult: satis liquet etiam dici posse: Deum hos ipsos in hanc sortem præscisse, & destinasse, antequam eos conderet: agit enim præfinito & certo consilio omnia.

III.

Quosdam fuisse ante mundi constitutionem non solũ reprobatos, & ad indurationem præfinitos: sed etiam ad æternam mortem prædestinatos: & credo, & doceo.

Demonstratio.

Multi enim à Deo damnantur in æternam mortem. Quidquid autem nunc facit Deus: ab æterno decreuit, & præsciuit se facturum. Multos igitur ab æterno ad æternã mortem prædestinauit.

Testimonia.

Matt.25. Ite in ignem æternum, qui paratus est Diabolo, & angelis eius, hoc est, omnibus impiis, Diaboli ministris & sectatoribus.

Rom.9. omnes impios appellat vasæ iræ, apta: a ad interitum.

Augustinus Tom.2. epist.105. ad Sixtũ Presbyt. col.470. A. Quamuis itaque Deus faciat vasa iræ in perditionem, vt ostendat iram, &c. tamen in eisdem iræ vasis, propter meritum massæ in contumeliam debitam factis. id est hominibus. propter naturæ quidem bonum creatis, sed propter vitia supplicio destinatis: iniquitatem, quam rectissimè veritas improbat: damnare nouit ipse non facere.

Lutherus in præfatione in Epist. ad Rom. Tractat, inquit, sententiam prædestinationis: ex ea enim sola pendent omnia: qui damnandi, & iustificandi sint. Sic ille. Ergo sicut qui iustificantur, ad iustificationem: ita qui damnantur, ad damnationem fuerunt prædestinati.

Buceri testimonium ex iis, quæ in præcedenti propositione dicta sunt, colligi facilè potest: ait enim non debere videri Deo indignum, quòd aliquos præfinierit ad perditionem.

IV.

Etsi quoscunque à cõmunione salutis reprobauit Deus, non propter futura mala illorum opera, sed secundum suum beneplacitum reprobauit. Rom. 9. tamen quoscunque, tum ad excæcationem, atque indurationem, tum ad æternas pœnas luendas prædestinauit: propter ipsorum peccata, saltem originale, prædestinatos fuisse, & credo, & doceo.

Demonstratio.

Quoscunque excæcat, aut indurat: non sine caussa: sed propter sua ipsorum peccata, saltem originale excæcat: Deus enim neminem punit citra caussam peccati.

Rom 1. Et quia cùm cognouissent Deum, non sicut Deũ glorificauerunt, propterea tradidit illos Deus in reprobum sensum, & desideria cordis sui.

Rom.2. Ira & indignatio: tribulatio & angustia: in omnẽ animam hominis operantis malum.

2.Thess.2. Eò quod dilectionem veritatis non receperunt in hoc, vt salui fierent: propterea mittit illis Deus efficacitatem illusionis: vt credant mendacio.

Quæcunque autem, & quibuscunque de caussis facit, aut facturus est Deus: illa omnia & easdem ob caussas cõstituit ante conditum mundum facere. Quicunque igitur ad pœnas peccatorum prædestinati sunt, excæcationem & mortem æternam, propter sua peccata, ad eas prædestinati sunt.

Testimonia.

Cùm propositio sit perspicua, multa non subiicio testimonia. Duo, vnum Augustini, & alterum Buceri, satis esse debent.

Augustinus Tom.2. Epist.105. ad Sixtum: Neque enim, inquit damnantur, qui non peccarunt.

Bucerus in Reform. Eccles. de peccato originali, pag.76. concludit: quicunque condemnantur, propter proprium peccatum condemnari. Iustus est, inquit, Deus. non igitur condemnat ad æternam mortem, nisi quod peccato proprio perditum est. Hæc ille. Assumit autem: omnes ex Adamo natos, etiam infantes, nisi regenerentur, ad æternã mortem condemnari: infert conclusionem: omnes igitur, etiam infantes ex Adamo peccasse.

V.

Deum creare impios, sed non illorum impietatem: ac proinde, creatorem quidem esse impiorum: sed non autorem impietatis, credo & doceo.

Testimonia.

Prouerb. 16. Omnia propter semetipsum creauit Dominus: etiam impium ad diem malum.

Ioh.1. Omnia per ipsum facta sunt: & sine ipso factum est nihil quod factum est.

Impietatis vero autorem non esse docet illud Apostoli, Rom.5. Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum ergo non per Deum.

Augustinus Tom.7. de gratia, & libero arbitrio, cap.21. aperte ait: Deum etsi corda impiorum ipse vertat quocũque vult, vtpote à se creata: malitiam tamen illorum non fecisse. Quorum malitiam, inquit, non ipse fecit.

Item Tom.2 Epist.105. ad Sixt. col.470. multis demonstrat: Etsi Dominus facit vasa iræ & indurat: ita vt indurati nõ possint non peccare: ipsos tamen impios nõ posse sui peccati culpã in Deum transferre. Ac præter alia, contra hos Dei accusatores, qui dicunt: Quid adhuc conqueritur? voluntati enim eius quis resistit? profert illud Prouerb.19. Insipientia viri violat vias eius: Deum autẽ causatur in corde suo. Et mox concludens: Quamuis itaque, inquit, Deus facit vasa iræ in perditionem, vt ostendat iram, & demonstret potentiam suam, qua bene etiã vtitur malis: & vt notas faciat diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ fecit in honorem nõ damnabili massæ debitum, sed suæ gratiæ largitate donatum: tamen in eisdem iræ vasis, propter meritum massæ in contumeliam debitã factis, id est, hominibus, propter naturæ quidem bonum creatis, sed propter vitia supplicio destinatis, iniquitatem, quam rectissimè veritas improbat, damnare nouit ipse, nõ facere. Sicut enim voluntati eius tribuitur humana natura nullo dubitante laudanda: sic hominis voluntati culpa tribuitur, nullo recusante, damnanda.

Videantur quæ eadem de re scribit Tom. 7. de nuptiis, & concupiscentia, lib.2. cap.16.

Lutherus de seruo arbitrio, cap.42. Hic est fidei summus gradus, credere, illum esse clemẽtem: qui tam paucos saluet, tam multos damnet: credere iustũ quia sua volũtate nos necessario damnabiles facit: vt videatur, referente Erasmo, delectari cruciatibus miserorum, & odio potius, quàm amore dignissimus.

Item, cap.148. Deus, inquit, condidit Pharaonẽ impium, hoc est ex impio & corrupto semine, sicut in Prouerb.16. Salomò dicit, Omnia propter semetipsum fecit Dominus, etiam impiũ ad diem malum: non quidem creando malitiam in eo, sed ex malo semine formando eũ, & regendo.

Item Licet: Deus peccatũ non faciat: tamẽ naturã peccato, subtracto Spiritu, vitiatam formare non cessat, & multiplicare: tanquam si faber ex ligno corrupto statuas faciat. ita qualis est natura, tales fiunt homines: Deo creãte & formante illos ex natura tali. Hæc omnia Lutherus.

Bucerus Rom.9. sect.4 in expositione illorũ verborum: Si verò Deus tulit, &c. Figmento non licet poscere rationẽ à figulo, cur se sic finxerit, ita multo minus poterit nobis fas esse, requirere, cur nos Deus ea conditione fecerit, qua fecit. Attamen si hæc omnis ei caussa sit, cur impios faciat & ferat in hac vita, vt in eis exempla edat vltionis in peccata, & hinc formidandam potentiam suam. & infinitam in electos suos bonitatẽ manifestiorem faciat: quid potes tu habere, ô homo, quod in Deo culpes?

Item paulo post: Etiam malis, inquit, Deus bene vtitur, tum quoque, quando illi scelestissimè agunt, & se ipsos in interitum præcipitant. Iam toti à Deo facti sunt, & ad ea vtique facti & coaptati animo & corpore, cunctóque ingenio & corporis & animi, ad quæ illos vsurpat Deus.

Item de Iuda loquens: Per Iudam inquit, voluit Deus tradere Filium suum in mortẽ. Id fuit Iudæ exitio: præstitisse

...ci non fuisse natum. Atqui cùm huc esset diuinitus ...ratus: quis dubitet etiam in vtero matris ad istud fa... & formatum esse?

VI.

Reprobos necessariò damnari credo & doceo.

Demonstratio.

Reprobi reipsa damnantur: nec possunt facere, quin damnentur: quippe qui perpetuò propter suas iniquitates rei sunt coram Deo mortis æternæ. Neque illis iniquitates condonantur: cùm perpetuò sint sine vera fide in Christum. Illud autem dicitur necessarium: quod non potest aliter se habere. Necessario igitur, hoc est, infallibiliter impij damnantur.

Testimonia.

Matth. 7. Arbor mala non potest bonos fructus facere: quæ autem nunquam facit fructum: ea tandem succidatur immotâ sententia Domini, necesse est, Matth. 3. Imò omnis planta, quam non plantauit Pater, eradicabitur. Matth. 15. Sunt autem impij semper malæ arbores, & sine vere bono fructu. item arbores sunt non plantatæ à Domino. Si igitur non possunt seruari: necessario damnantur.

Lutherus quoque in libro de seruo arbitrio defendit, quæcunque fiunt, mera necessitate fieri.

Cùm igitur impij damnentur: necessariò illos damnari manifestum est.

Idem cap. 42. nos omnes (cùm scilicet nascimur, quia in peccatis nascimur) necessario damnabiles à Deo fieri, nisi quis igitur ab hac necessaria damnatione liberetur: illum necessario damnari, quis neget? Non liberantur autem impij, cùm semper maneant impij. Impios igitur necessario damnari, certissimum est.

Item in cap. 147. ait liberum arbitrium non posse velle bonum, necessarióque seruire peccato. Ergo necessario damnatur: quia damnationem euitare non potest.

Bucerus Rom. 9. in ea verba, voluntati eius quis resistit? Voluntatem, inquit, cùm dicit: notat Deum ea velle, ad quæ homines indurat. Cùm addit, Quis resistat, indicat necessitatem faciendi ea, quæ fert induratio. *Hæc* Bucerus. Impij ergo excæcari necessario, sed tamen sine vlla voluntatis coactione peccant: ac proinde necessario damnantur. Hæc enim fert induratio.

Idem in Matth. 9 sect. 1. pagina 242. Sed reprobis, inquit, oportet noxia esse omnia: etiam quæ maxime sunt salutaria.

Item in Matth. 13. sect. 1. pag. 310.

VII.

Impios non in hunc quasi vltimum finem, vt scilicet ipsi postea damnentur, & æternùm crucientur: sed tu propter salutem electorum, tum in primis propter gloriam Dei creari atque tolerari: credo & doceo.

Demonstratio.

Per impios Deus promouet salutem electorum: idque diuersis rationibus: vt dum per illorū tyrannidem atque iniquitates hos purgat, & exercet in patientia ac fide: per eosdem declarat suam potentiam, atque iustitiam: dū in eos propter sua scelera animaduertit: id quod etiam cedit in salutem electorum: quia spectata dira vltione Dei in impiorum scelera, ipsi diligentiùs sibi cauent à peccatis. item cùm vident illos puniri æternùm, sibi verò, qui non illis meliores fuerunt, parci: apertius vident atque sentiunt misericordiam Dei erga se. Deus autem in creatione, sustentationeque impiorum, illos sibi proposuit fines, quos etiam per ipsos impios consequitur. Creauit igitur impios, & quotidie creat in salutem electorum, & gloriam suam.

Testimonia.

Prouerb. 16. Omnia creauit Dominus propter semetipsum: etiam impium ad diem malum. Rom. 9. In hoc ipsum excitaui te, vt ostendam in te potentiam meam. Item, Quod si Deus volens ostendere iram, & notam facere potentiam suā, tulit in multa patientia vasa iræ, aptata ad interitum: & vt notas faceret diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ. In iis verbis apparent tres fines, propter quos Deus creet atque sustentet impios in hac vita. Primus est gloria Dei, vt scilicet in ipsis manifestetur potentia & ira Dei contra peccatum, ideóque eius gloria illustretur. Secundus est ipsorum impiorum interitus: ideo appellat eos vasa iræ, aptata in interitum. Tertius, est electorum salus, vt scilicet ipsi meliùs ex iudiciis Dei aduersus reprobos, quanta sit Dei erga se misericordia, intelligant: ideóque tum à peccato diligentiùs sibi caueant; tum ad gratias Deo agendas, pro sua erga se misericordia, ardentius inflammentur. Ideò eos appellat vasa misericordiæ, & ait, Vt notas faceret diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ.

Augustinus Tom. 6. contra Faustum Manichæorū, lib. 16. c. 21. Ad aliquem namque vsum sanctorum, ordinatur omnis cæcitas impiorum à summo Deo: qui pro sui regiminis æquitate bene vtitur etiam malis: vt qui suo arbitrio iniustè viuunt, illius iudicio iustè disponantur.

Bucerus quoque in cap. 9. ad Rom. sect. 4. eadem tradit. In quæstione vero de Prædestinatione, duos fines ponit indurationis Iudæorum: Proximum quidem esse ipsorum impiorum perditioné, vltimum verò ipsius Dei gloriam.

Istud tamen, inquit, hic obseruandum est: non esse Deo in his, quos indurat, excæcat, & euertit, finē vltimū, eorum perditioné. propter se enim Deus, & in gloriam suam fecit omnia: etiam impium ad diem malū, Prouer. 16. Hinc dicebat Dominus Pharaoni, In hoc ipsum excitaui te, vt declararē in te virtutem meam, & celebretur nomen meū in omni terra. Et vbique in Scripturis, gloria Domini hois esse vltionis malorum prædicatur. De graui omnium gentium vltione & deiectione prædicebat Iesa. 2. ibi ergo aliquoties repetit istud: Solus Dominus in die illa sublimis erit. At proximum tamen finem, perditionem malorū sibi esse, dum excæcat & indurat eos, Dominus ipse gloriatur. Cum enim Iesa. 6. de induratione & excæcatione malorum loquitur, hanc caussam subiicit, Ne resipiscant, & sanē eos. Hinc & infrà sequenti capite, dicuntur reprobi organa iræ facta, & coaptata in perniciem, κατηρτισμένα. Hæc omnia Buceri sunt.

Vsus huius doctrinæ.

Has autē caussas agnoscere creationis, sustentationis, & excæcationis impiorum: vtile est electis. nā, vt ait Bucerus, valebit hoc nobis ad id, vt amplius à peccatis nostris metuamus, & in bonitatem Dei speremus firmiùs.

VIII.

Etsi Deus ab æterno certos quosdam ad communionē salutis in Christo elegit, alios verò ab ea exclusit, pro suo beneplacito: ac proinde quosdā creet in hunc finē, vt seruentur, & ita in eis suā declaret misericordiam: alios verò vt perdantur, & ita in eis suam patefaciat iustitiam: non propterea tamen Deum esse iniustum, crudelémve tyrannum, aut acceptatorem personarū: doceo, atque defendo.

Demonstratio.

Deus enim certos quosdam ad communionem salutis trahit, & saluat, alios nō trahit, nec saluat. Certè infideles multos, illorúmque pueros nec vocat, nec trahit, nec saluat: non tamen propterea quispiam dicit, illum esse acceptorem personarum, aut crudelem tyrannum. Ergo neque quia ab æterno decreuit quosdam seruare, & alios à salutis cōmunione excludere, accusari debet, aut potest, vel crudelitatis, vel προσωποληψίας. Est enim Deus Dominus omnium, & ius habet absolutum in omnes, & quidquid agit, iustū est, nec desinit esse clementissimus atque optimus Deus, etiāsi misereatur quorū velit, & induret quos velit.

Testimonia.

Psal. Iustus Dominus in omnib. verbis suis, & sanctus in omnibus operibus suis, misereri autem & indurare, seruare & damnare, omnia sunt opera Dei.

Rom. 9. apertè, & ex professo docet Apostolus, omniā pendere à voluntate Dei, cúmque misereri quorum velit, & indurare, quos velit, neque tamen ob id vllam apud Deum esse iniquitatem. Sicut enim figulus nullius iniquitatis accusari potest, quod ex eadem massa faciat quædā vasa in contumeliam, cùm alia faciat in honorem: idque quoniam potestatem habet faciendi ex suo luto, quæcunque, & in quoscunque velit vsus, vasa: ita multo minùs Deum accusari posse iniustitiæ, aut crudelitatis: quod ex hominibus alios induret, aliorum misereatur: alios faciat vasa misericordiæ: & alios vasa iræ.

Augustinus autem hunc locum Apostoli vbique vrget ad hoc propositum, cum docet, Deum pro suo beneplacito alios elegisse ad communionem salutis, alios ab ea reiecisse, & ad mortem reprobos, ad vitam autem electos prædestinasse. Fixum enim debet esse, inquit, & immobile in corde nostro, quia non est iniquitas apud Deum, de gratia, & lib. arb. c. 21.

Tom. 2. Epist. 105. ad Sixtum Presbyt. Quòd autem personarum acceptorem Deum se credere existimant, si credant, quòd sine vllis præcedentibus meritis, cuius vult, miseretur, & quos dignatur vocat: & quem vult, religiosum facit: parum attendunt, quòd debita pœna reddatur damnatio, indebita gratia liberato, vt nec ille se indignum queratur, nec dignum se iste glorietur, atque ibi

potiùs acceptionem nullam fieri personarum, vbi vna eadémque massa damnationis & offensionis inualuit: vt liberatus de non liberato discat, quòd etiam sibi suppliciū conueniret, nisi gratia subueniret.

Legatur etiam contra duas epistolas Pelagianorum: ad Bonifacium, lib.2.cap.7.

Lutherus de seruo arbitrio, cap.42. Hic est, inquit, fidei summus gradus: credere illum esse clementem, qui tam paucos saluat, tam multos damnat: credere iustum, qui sua voluntate nos necessario damnabiles facit, vt videatur, referente Erasmo, delectari cruciatibus miserorum.

Legantur etiam quæ de eadem re scribit cap. 146. 147. Sed nec prosunt tamen, inquit, tropi: nec euaditur absurditas. absurdum enim manet, ratione iudice, vt Deus ille iustus & bonus, exigat à libero arbitrio impossibilia: & cū liberum arbitrium non possit velle bonum, necessarióque seruiat peccato, tamen imputet ei: & dū non confert Spiritum, nihil mitiùs, aut clementiùs faciat, quàm si induret, vel indurari permittat. Hæc dictabit ratio non esse boni & clementis Dei: superant nimiò captum illius: nec captiuare etiam sese potest, vt credat bonum esse Deum, qui talia faciat, & iudicet: sed seclusa fide, palpare & videre, & comprehendere vult: quomodo sit bonus & non crudelis: comprehenderet verò tunc, quando sic de Deo diceretur, Neminem indurat, neminem damnat: sed omnium miseretur, omnes saluos facit: vt destructo inferno, positóque metu mortis, nulla pœna formidaretur futura. Ideò sic æstuat, & contendit, vt Deum excuset, & defendat iustum & bonum. Sed fides & Spiritus aliter iudicant: qui Deum bonum credunt, etiamsi omnes homines perderet.

Eandem tradidit passim Bucerus in 9. Rom. in explicatione exempli Pharaonis. Nostrum, inquit, vtique est: Deo omnem sapientiam, atque iustitiam quàm simplicissimè, atque ore plenissimo tribuere, in iudiciis illis quibuslibet, etiam eorum, quorum rationem inire non possumus.

Item in ea verba: O homo, tu quis es, qui respondeas Deo? Ipsa Dei voluntas, inquit, Deo caussa est omnium: & ea ipsa est iustitia.

Horum autem omnium hæc ratio est: quia Dominus hæc non agit, vt iudex: sed vt liberrimus Dominus, qui ius habet in omnes homines absolutissimū. iccircò quidquid de illis agit: iustissimum est. In fine seculi iudicabit omnes, vt iudex; ideo vnicuique reddet secundum facta ipsius. Nunc miseretur, quorum vult, & indurat quos vult, vt liberrimus omnium Dominus: quanquam quos etiam indurat, vt iustissimus iudex, propter ipsorum scilicet peccata indurat iustissimè.

IX.

Et si prædestinatio certa est, ita vt qui electi sunt, perire non possint, & qui reprobati, seruari non queant: non ideò tamen præceptiones, correptiones, atque obiurgationes & orationes superuacaneas esse, doceo, atq. contendo.

Demonstratio.

Nam quod ad electos attinet, præceptiones, correptiones, orationes, denique totum ministerium Ecclesiasticū, media sunt, quibus Deus vtitur in illis ad vitam æternam deducendis. Hoc totum Augustinus de corr. & gratia doctissimè & perspicuè demonstrat: & cap. quidem 3. sic ait, O homo, in præceptione cognosce, quid debeas habere: in correptione cognosce, tuo te vitio non habere: in oratione cognosce, vnde accipias quod vis habere. Quod autem attinet ad reprobos, iis præceptionibus & obiurgationibus, denique toto ministerio Ecclesiastico inexcusabiles redduntur.

Testimonia.

Etsi nostra salus tota pendet à gratuita Dei electione: non propterea tamen cessandum esse à prædicatione morum & Legis, ab exhortationibus, reprehensionibus, & obsecrationibus, docent Christus & Apostoli. Ipsi prædicarunt prædestinationem, & omnia pendere à Dei voluntate: hominémque ex se nihil posse: interim tamen perpetuò admonebant homines sui officij: reprehendebant, adhortabantur, obsecrabāt, & orabant etiam pro illis. Christus ait: Nemo venit ad me, nisi Pater traxerit: idē tamen hortatur omnes, dicens, Venite ad me, omnes qui laboratis, & onerati estis: & ego reficiam vos. Pharisæis reprobis ait, illos ideo non credere, quod non sint ex ouibus suis: item, quod non sint ex Deo: interim tamen illos reprehendit: quod non audiant, nec credant.

Apostolus Petrus, Act. 2. ait, Iudæos, qui se audiebant, dum interemerunt Christum per manus iniquorum, impleuisse definitum Dei consilium: interim eos acriter reprehendit de hoc magno scelere.

Paulus ait Rom.9. Neque volentis, neque currentis est, sed miserentis Dei, interim tamen hortatur fideles, vt velint, & currant. 1.Cor.10. Sic currite, vt comprehendatis.

Roman.8. ait, Quid oremus, nescimus: ipse autē Spiritus orat pro nobis, interim hortatur fideles ad orationem, dicens 1.Thessal.5. Sine intermissione orate.

Philip.3. ait, Deus operatur in nobis velle & perficere, interim idem ait Rom.8. Nolite conformari huic seculo.

2.Timoth.2. ait, Firmum stat fundamentum, habens signaculum hoc, Nouit Dominus, qui sunt sui. interim ait 1. Cor.10. Qui videtur stare, videat ne cadat.

Iacobus item cap.1. ait, Omne datum optimum de sursum esse, descendens à Patre luminum, interim ibidē ait, Si quis indiget sapientia, postulet à Deo. Ergo licet tota salus, & quidquid ad salutem pertinet, pendeat à gratia Dei, & ab ipsa æterna Dei electione, atq. proposito, nō sequitur tamen, cessandum esse à prædicatione morum, ab obiurgationibus, à studio bene agēdi. quare? quia iis mediis electi trahuntur ad Christum, & ducuntur in vitam æternā.

Augustinus Tom.7. de bono perseuerantiæ, cap.14. hanc eandem tradit doctrinam, & ait, esse prædicandum, esse obiurgandum, esse orandum. Audiunt enim, inquit, hæc, & faciunt, quibus datum est, non autem faciūt, siue audiant, siue non audiant, quibus non est datum.

CAPVT V.

An prædicāda sit doctrina de prædestinatione, & quomodo, & quibus de caussis.

THESIS I.

Doctrinam autem hanc de prædestinatione Dei æterna atque immutabili, esse neque supprimendā omnino, neque in Scholis tantum inter doctos explicandam, sed etiam in pulpitis ad populum prædicandam, sed sobriè, hoc est, iuxta ea tantum, quæ de hac in Scripturis reuelata sunt, & prudēter, hoc est, sermone ita attemperato, vt neque ad licentiam, neque ad desperationem adducat, sed ad ædificationem faciat, dico, atque doceo.

Demonstratio.

Prędicandum est Euangelium, & quidem totum, atque integrum. Dominus enim non iussit partem Euangelij, sed totum prædicari: idque omnibus, tam indoctis, quam doctis, tam insipientibus, quam sapientibus, non in angulis, sed palam & publicè, cùm dixit Ite in vniuersum mūdū, & prædicate Euangelium omni creaturæ. Pręcipua autem pars Euangelij, est doctrina de æterna & incommutabili electione eorum, qui credunt in Christum, ad vitam æternam, & æterna atque incommutabili reprobatione, atque ad mortem æternam prædestinatione eorum, qui nunquam in Christum verè credunt, & Deū quidē ex gratuito, æternóque amore, eos etiam qui credunt, sibi elegisse, vt crederent, ideóque totam illorum salutem esse gratuitam, firmam atque constantem, eos vero, qui nunquam credunt, non dignatum fuisse ea gratia, qua electos, vt crederent, quòd tamen non credant, hoc fieri ipsorum vitio. Quare totam illorum etiam condemnationem, quia fit propter illorum infidelitatem & peccata, iustissimam esse. Habere igitur electos, cur semper glorificent Deum pro tanto erga se amore, & cur ei se præbeant obsequentes, reprobos verò non habere cur de Deo possint conqueri, cùm, quidquid agit Deus, iustissimè agat. Cur hæc doctrina non prædicetur, cùm tota faciat ad gloriam Dei, ad salutem & consolationem electorū, & tamen simul ad tollendam omnem impiis excusationem?

Testimonia.

Christus sæpe eam prædicauit, & quidem palàm, & ad plebem atque indoctos.

Matt.11. Si in Tyro & Sidone factæ fuissent virtutes, quę factæ sunt in vobis, vtique in cinere & sacco pœnitētiam egissent, quasi dicat, Sed Deus noluit per me ibi hæc fieri, proinde etiam eos pœnitere non potuit. Maius igitur supplicium vestræ debetur impœnitentiæ & incredulitatis.

Matth.11. Ob hanc caussam. Gratias tibi, inquit, ago Pater, quod absconderis hæc à sapientibus, & reuelatis paruulis, ita Pater, quoniam sic placitum est tibi.

Item Matth. 13. Vobis datum est nosse mysteria regni, cæteris in parabolis loquor, vt videntes, non videant, & audientes, non intelligant.

Matth.20. Non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à Patre meo.

Matth.

Multi sunt vocati, pauci electi.
Propter electos decurtabuntur dies illi. Item: signa magna, ita vt, si fieri possit, seducantur etiam electi, dicat, sed non possunt seduci.
Duo erunt in agro, alter assumetur, alter relinquetur.
Venite benedicti Patris mei, possidete regnū, quod vobis paratum est à constitutione mundi.
Luc. 10. Gaudete, quia nomina vestra scripta sūt in cœlis.
Luc. 12. Nolite timere, pusille grex, quia complacuit Patri vestro, dare vobis regnum.
Iohan. 6. Omne quod dedit mihi Pater, ad me veniet. quasi dicat, alij non possunt ad me venire.
Ioh. 8. Qui ex Deo natus est, verba Dei audit: propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis.
Ioh. 10. Sed vos non creditis, quia non estis ex ouibus meis, id est, electis.
Item: Oues meæ non peribunt in æternum.
Ioh. 15. Non vos me elegistis, sed ego elegi vos.
Ioh. 17. Nemo ex eis periit, nisi filius perditionis. Ergo filij perditionis pereant, necesse est, id est reprobi, filij autem promissionis, id est, electi, saluentur oportet.

Nulla ferè pagina est, præsertim in Euangelio Iohannis, vbi mentio aliqua non fiat electionis & reprobationis.

Apostoli eandem publicè prædicarunt, legantur Acta Apostolica, cap. 1. de Iuda ait Petrus, Oportebat impleri Scripturam hanc, quam prædixit Spiritus sanctus per os Dauidis, de Iuda. Item aiunt: Iudam præuaricatum, à suo Apostolatu excidisse, vt iret in locum suum, id est, in infernum, ad quem fuerat destinatus.

Item, Ostende, quem elegeris. Erat ergo alteruter illorum electus à Deo ad Apostolatum. Tantum petitur, vt electio patefiat.

Act. 2. Primo, arguit Apostolus Iudæos peccari, quod Christum crucifigendum curarint, deinde tamen dicit, hoc pacto impletum ab eis fuisse decretum, quod per Prophetarum os antea prædixerat.

Actor. 4. aiunt Apostoli, Pilatum & Herodem conuenisse, ad facienda, quæcunque manus Dei, & consilium eius decreuerant fieri. peccatum tamen non adscribitur Deo, sed Pilato & Herodi.

Actor. 13. Et crediderunt, quotquot præordinati erant ad vitam æternam.

Item 15. de conuersione gentium ad Christum. Iacobus Apostolus verba faciens, ait: Nota autē à seculo sunt Deo omnia opera eius. Ergo ab æterno prænotat & præfinierat, se conuersurum gentes ad gratiam Euangelij.

De Apostolo Paulo quid dicam? quoties hanc prædestinationem inculcet, norunt, qui eius Epistolas legerunt, & legunt.

Rom. 8. Nota est omnibus illa catena, Quos præsciuit, & prædestinauit conformes fieri imagini Filij eius, quos autem prædestinauit, hos & vocauit, quos vocauit, hos etiam iustificauit, & quos iustificauit, hos & glorificauit.

Cap. 9. 10. 11. quam doctrinam continent, nisi de prædestinatione?

1. Cor. 1. Stulta mundi elegit Deus, vt confundat sapientes, & infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia, & ignobilia, & contemptibilia elegit Deus, & ea, quæ non sunt, vt ea, quæ sunt, destrueret.

2. Cor. 4. Quod si velatum est Euangelium nostrum, iis, qui pereunt velatum est.

Galat. 1. Segregauit me ex vtero matris meæ, & vocauit per gratiam suam.

Eph. cap. 1. totum ferè est de electione & prædestinatione.

2. Thess. 2. Postquam dixisset reprobos perire, quos etiā solet appellare hoc nomine, Illos qui pereunt, subiungit de electis, Nos autem debemus gratias agere Deo semper, pro vobis, fratres dilecti à Deo, quòd elegerit nos Deus primitias in salutem.

2. Tim. 1. Qui vocauit nos vocatione sua sancta, non secundum opera nostra, sed secundum suum propositum & gratiam, quæ data fuerat nobis in Christo Iesu, ante tempora æterna, manifestata autem nunc per apparitionem Iesu Christi.

2. Tim. 2. Firmum stat fundamentum, habens signaculū hoc, Nouit Dominus, qui sunt sui.

Iudas ita scribit de seductoribus impiis, eos fuisse olim προγεγραμμένους in hoc iudicium, hoc est, à Deo præfinitos & præscriptos ad hoc iudicium, vt scilicet vexent Ecclesias suis flagitiis, & deinde ad iudicium, hoc est, ad condemnationem æternam.

Atque hæc omnia scripserunt Apostoli: non ad aliquot doctos, sed ad perfectas Ecclesias, vbi erant & docti & indocti. Summa: tam in veteri quam in nouo Testamento passim occurrunt aut sententiæ aut exempla prædestinationis diuinæ, à Prophetis & Apostolis palam Ecclesiis proposita: idque præter alios fines, vt omnes intelligant fideles, nihil contingere vel piis, vel impiis, fortuito, aut casu: sed omnia ante mundi constitutionem fuisse à Deo sapientissime definita, & constituta, ideóque etiam præscita. Consolari ergo se debere pios: quod sua salus certa sit in manu Dei ante mundi constitutionem & gratias agere Deo, quod se elegerit: cum tamen tantam aliorum hominum multitudinem iuste à communione salutis reiecerit.

Prædicandam igitur esse prædestinationem dei, exempla Prophetarum, Christi, & Apostolorum euidentissimè docent.

Augustinus quoque hoc idem docet tum alibi, tum in libro de Bono perseuerantiæ, à cap. 14. ferè vsque ad finem libri. In illis nouem prioribus capitibus, quatuor facit Augustinus. Primùm, respondet ad rationes illorum, qui contendebant, non esse prædicandam hanc doctrinam, etiāsi vera sit. Deinde contendit: omnino prædicādam esse. Tertiò, ostendit necessitatem & vtilitatem prædicationis de prædestinatione: si prædicetur, vti est prædicanda, nempe eo modo, quo & Apostoli eam prædicarunt. Postremò, consequenter docet modum quo prædicanda est: vt faciat ad ædificationem. Præter alia hæc habet verba in ca. 16. Aut enim sic prædestinatio prædicanda est, quemadmodum eam sacra scriptura euidenter loquitur, vt in prædestinatis sine pœnitentia sint dona & vocatio Dei: aut gratiam Dei secundū nostra dari merita confitendū, quod sapiunt Pelagiani. Hęc Augustinus. Quis non videat necessitatē prædicationis de prædestinatione? & Pelagianorum esse, nō negare prædestinationē, tum curare, vt talis doctrina supprimatur? & negare gratuitam prædestinationem, esse negare gratiam Dei?

Sed quoniam nonnulli sine vllo pudore damnant Augustinum in hoc articulo de prædestinatione, audiant isti saltem quid Lutherus, Germaniæ lux, hac de re scripserit contra Erasmum, qui Erasmus prudentia quadam carnis ductus, censebat quoque de prędestinatione non esse prędicandum, aut scribendum. Verba Erasmi hæc fuerunt, Quid inutilius, quam hoc paradoxum euulgari mundo? Quidquid fit à nobis, non libero arbitrio, sed mera necessitate fieri, & illud Augustini, Deum operari bona & mala in nobis, sua bona opera remunerare in nobis, & sua mala opera punire in nobis (hæc enim duo docuerat Lutherus) quantam fenestram, vulgo hæc vox prodita, mortalibus aperiret ad impietatem? Quis malus corriget vitam suam, quis credet se amari a Deo, quis pugnabit cum sua carne? quæ igitur vtilitas aut necessitas talia inuulgandi, cum tot mala videantur inde prouenire? Hæc omnia Erasmi fuerunt contra Lutherum. Ego certè nunquam ausus fui, aut auderē hæc duo paradoxa docere, nisi adhibita vera & vtili explicatione. Lutherus hæc ergo docuit, & postea contra Erasmum etiā defendit. Hæc autem fuit responsio & defensio Lutheri in lib. de seruo arbitrio, in responsione ad vltimā partem præfationis Erasmi, in cap. 38.

Mi Erasme, iterū & ego dico, si hæc paradoxa ducis hominum esse inuenta, quid contendis? quid æstuas? contrā quem dicis? an est vllus in orbe hodie, qui vehementius hominum dogmata sit insectatus, quam Lutherus? Igitur nihil ad nos ista monitio. Si autē Dei verba esse credis ea paradoxa: vbi est frons tua? vbi pudor? vbi non dico iam modestia illa Erasmi, sed timor & reuerentia Deo vero debita, qui dicis, nihil inutilius dici posse hoc verbo Dei? Scilicet creator tuus à te, creatura sua discet, quid vtile & inutile sit prædicatu, ac stultus ille vel imprudens Deus hactenus nesciuit, quid doceri oporteat, donec tu magister eius modum illi præscriberes sapiendi & mandandi, quasi ipse ignorasset, nisi tu docuisses, sequi ad hoc paradoxon, quæ tu infers. Si igitur Deus voluit talia palam dici & inuulgari, nec spectari quid sequeretur, tu quis es, qui vetes? Paulus Apostolus in Epist. ad Rom. non in angulum, sed in publicum, ac coram toto mundo, libertimo ore eadem etiam durioribus verbis palam disserit, dicens; Quos vult, indurat, & iterum, Deus volens notam facere iram suam. Quid durius, sed carni: illo Christi verbo: Multi vocati, pauci electi. & iterū. Ego scio, quos elegerim. Scilicet hæc omnia talia sunt, te autore, vt nihil possit inutilius

...ctrina de prædestinatione, tanquam in proprio ...ducere: & hac doctrina negata, his etiã proprie... negari, & ea occultata, has etiam occultari, & ea ... & prædicatis. His autem negatis, nega...itur Deus. Ergo vt defendatur Deus noster verus ...eus: doctrina de prædestinatione retinenda, defen... & prædicanda est.

II. Deinde prædicanda est prædestinatio, vt ipsa etiam gratia Dei, quod non detur secundum merita, contra hæresin Pelagianam defendatur. Hunc finem vidit Augustinus: ideo ita scriptum reliquit in lib. de bono perseuerantiæ, cap. 21. Si autem vtrumque (scilicet fides sanctorũ & perseuerantia in fide) Dei donum est: & hæc Deus dona sua, quod negare quis potest? daturum se esse præsciuit: prædestinatio prædicanda est, vt possit vera Dei gratia, id est, quæ non secundum merita nostra datur: insuperabili municione defendi. Hæc ille. Pelagiani enim docebãt gratiam omnibus hominibus ex æquo offerri, & Deum quãtum in ipso est, velle omnes ex æquo saluos fieri: in hominum autem potestate esse gratiam & salutem oblatam vel acceptare, vel reiicere. Quod igitur quidam seruentur, inde fieri, quia suo libero arbitrio gratiam amplectantur, & hoc ex ipsis esse: quod autem alij damnentur, id inde fieri, quia cum possit: nolint tamen gratiam oblatam recipere. Quæ omnia, vt Augustinus docet, eo tandẽ spectabant, vt tacitè concluderetur, gratiam secundum merita nostra dari. Hoc autem impium dogma nulla ratione melius refutari potest: quam prædicatione gratuitæ prædestinationis, quæ in ipsis pueris luculentissimè resplendet. Infidelium enim infantes non regenerati damnãtur, nec tamen ideò damnãtur, quod gratiam oblatam noluerint amplecti. Fidelium autem regenerati seruantur, nec tamen ideò seruantur, quia voluerint gratiam recipere: sed quia Deus ab æterno illos voluit seruari, illos seruari noluit. Falsum igitur est, Deum ideo nos seruare, quia nos velimus seruari, & gratiam oblatam amplecti: sed contra potiùs ideò nos & seruari & velle seruari, & velle gratiam amplecti, quia Deus prior ab æterno simpliciter voluit nos seruari: simpliciter voluit, nos gratiam oblatam amplecti. Deus enim operatur in nobis & velle & perficere, pro sua bona voluntate. Phil. 2. vt & initium & consummatio salutis nostræ à Deo sit, vt qui gloriatur, in Domino glorietur. Verum quidem est, neminem adultum seruari: nisi velit seruari, & gratiam amplecti: cæterùm noster assensus, aut voluntas bona non est primaria caussa salutis nostræ: nisi caussa sine qua non, vt vocant. Caussa verò propriè nostræ salutis est voluntas Dei æterna: quia eadem etiam est caussa nostræ bonæ voluntatis.

Proinde cum prædestinationis prædicatione, omnino Pelagiana hæresis, quæ oppugnat gratiam Dei, expugnetur: vtilissima & necessaria est prædicatio prædestinationis. Ideò Augustinus Tom. 7. de bono perseuerãtię cap. 16. Aut sic prædestinatio prædicanda est, quemadmodũ eam sacra Scriptura euidenter loquitur, vt in prædestinatis sine pœnitentia sint dona & vocatio Dei: aut gratiam Dei secundum merita nostra dari, confitendum, quod sapiunt Pelagiani. Hæc ille. Ac certissimum est: non posse defendi gratuitam iustificationẽ per Christum, nisi defendatur gratuita prædestinatio in Christo: cũ hæc sit illius caussa.

III. Tertia caussa consequitur ex secunda: & ea est, vt omnis humana superbia retundatur, & sola diuina gloria extollatur: hoc est, vt qui gloriatur, in Domino glorietur. Hunc finem apertè tradunt sacræ literę. Ephes. 1. Elegit nos in laudem gloriæ gratiæ suæ: hoc est, vt ipse solus à gratuita gratia glorificetur. Si enim non statuamus hoc fundamentum, quicumque seruamur, seruari ideò, quia ante mundi constitutionem Deus voluit, ex sola sua gratia in Christo nos seruari, antequam scilicet aliquid boni egissemus: Deinde quicquid boni in nobis inchoatum est, totum à Deo gratis fuisse inchoatum, siue illud sit in intellectu, siue in voluntate, siue in affectionibus: Postremò inchoatam salutem à Deo, ab eodem etiã continuari in finem vsque, absque meritis nostris: quomodo possumus totam gloriam attribuere Deo? Est autem necesse, vt salutem nostram, aut totam nobis, aut totam Deo, aut partim Deo, partim nobis adscribamus. Si totã nobis: peiores fuerimus Pelagianis. Si partim Deo, partim nobis, erimus Pelagiani: si totam Deo, sumus verè Christiani, quia damus totam gloriam, vt decet, soli Deo. Sed hoc non potest fieri nisi decretum etiam seruandi nos gratis agnoscamus, confiteamur, & prædicemus in Deo ante ipsam mũdi constitutionem fuisse, hęc autem est prædestinatio. Etenim si initium prædicandæ gratię Dei erga nos inde sumamus, cùm nos iam natos incipit iustificare: semper suggeret caro, aliquid igitur in nobis fuisse ampliùs, quàm in aliis, qui non iustificantur: propter quod nos, & non alios iustificare voluerit: siue illud fuerit aliquod bonum naturale, siue ciuile, siue præparatio aliqua, siue desiderium aliquod, quod in nobis pręcesserit gratiam Dei. Hoc autem nihil aliud est: quàm cogitare gratiam dari secundũ merita: atque ita etiam aliqua ex parte in nobis gloriabimur. At verò si prædicemus, ita Deum ex mera gratia nos vocasse, voluntatem præparasse, fidem donasse, desideria bona in cordibus nostris excitasse, iustificasse & sanctificasse, vt hoc totum, antequam etiam nati essemus, hoc est ante mundi constitutionem sese gratis facturum præscierit, atque præfinierit, omnis gloriandi materia nobis eripitur, & in solo Deo gloriari cogimur. Ideo Augustinus Tom. 7. de Bono perseuerantiæ, cap. 20. Sicut enim prædicanda est pietas, vt ab eo qui habet aures audiendi, Deus rectè colatur: Prædicanda est pudicitia, vt ab eo, qui habet aures audiendi, nihil genitalibus membris illicitum perpetretur: Prædicanda est charitas, vt ab eo, qui habet aures audiendi, Deus & proximus diligatur: Ita etiam prædicanda est illa prædestinatio beneficiorum Dei, vt qui habet aures audiendi, non in se ipso, sed in Domino glorietur.

IV. Hinc sequitur quarta caussa atque vtilitas: vt scilicet fiducia de nostra salute, in cordibus nostris confirmetur. Cùm enim vna ex parte audimus, & ita credimus, salutem electorum in proposito Dei firmatam esse, idque ab æterno in Christo, ita vt perire ampliùs non possint: ex altera verò parte credimus, vt credere debemus, nos esse ex electorum numero per gratiam Dei: quomodo dubitare ampliùs possumus de salute nostra? Sic Apostolus prædestinationem in hunc finem & ipse considerabat, & fidelibus proponebat: vt scilicet tentati diffidentia aliqua, sese in certa fiducia salutis, hac doctrina confirmarent. Rom. 8. Scimus, quod diligentibus Deum omnia in bonum cooperantur: iis qui secundum propositum vocati sunt sancti. nam quos præsciuit, eos & prædestinauit conformes fieri imagini Filij sui: vt sit ipse primogenitus inter multos fratres. quos autem prædestinauit, hos & vocauit, & quos vocauit, hos iustificauit, & quos iustificauit hos & glorificauit. Quid ergo dicemus ad hæc? Si Deus pro nobis, quis contra nos? quis accusabit electos Dei? Certus sum: quod neque mors, neque vita, neque vlla creatura poterit nos separare a dilectione Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro.

Ita 2. Tim. 2 nè propter quorundam à veritate defectionem, reliqui quoque fideles dubitarent de sua salute, confirmauit eos firmitudine prædestinationis, dicens, Sed firmum stat fundamentum Dei, habens signaculu hoc, Nouit Dominus, qui sunt sui.

Ita reliqui Apostoli, ita Christus eam doctrinam in hunc præcipuè vsum proponebat, vt scilicet fiducia salutis, quæ certissima est in æterno Dei proposito, confirmarentur. Ideo Bucerus optimè in quæstione de prædestinatione, Rom. 8. caput secundum totum consumsit in explicando vsu, in quam sit consideranda prædestinatio, & respondet, de sententia quoque Philippi Melanchthonis, in hunc finem esse considerandam, vt de nostra salute simus certiores. postea concludit iis verbis, Perstat igitur ex prædestinatione, fiduciam salutis confirmandam esse, prædestinationis autẽ certitudo nequaquam ex nostris operibus; sed ex promissione diuina petenda, ac ita semper, ad fidei cõfirmationem, prædestinatio confirmanda est, nunquã autem vlla ex re prædestinationis dubitatio admittenda est. Hæc Bucerus. Vbi diligenter notandum quod ait, Nulla ex re dubitatio de prædestinatione est admittenda. Ergo neque quotidiani lapsus debent nos abducere à certitudine nostræ prædestinationis, ac per consequens nostræ salutis.

V. Quinta caussa est, vt specialia Dei in nos Christianos beneficia, ideóque & specialis eiusdem erga nos amor meliùs cognoscatur, & viuidiùs sentiatur. Si prædicemus, omnes in vniuersum homines esse ad vitam æternam prædestinatos, ideóque velle Deum simpliciter omnes seruari, singularia in nos beneficia, singularisque erga nos amor in Christo, sepeliuntur, ideóque gratia Dei extenuatur: quæ enim ex æquo in omnes conferuntur beneficia, illa non sunt singularia. proinde neque specialis aliquis donantis amor erga aliquos esse cognoscitur. Exemplum. Quòd Deus pluuiam suam mittit, eam super bonos, quàm super malos tam super iniustos quàm super iustos, specialis amor erga electos non est. Proinde verum est illud, Quò magis prædestinationis & salutis

verbiis inculcat Salomon? alias timorem, alias fidē doceat? annon inculcat eam in eo libro, cui Ecclesiæ titulus est? multum enim omnino refert ad premendā, damnandámque humanæ rationis, tum sapientiam, tum prudentiam constanter credere, quòd à Deo fiant omnia. Annon hoc vno loco efficacissimè consolatur discipulos Christus, cùm inquit: Omnes capilli capitis vestri numerati sunt? Quid igitur, inquies, nullāne est in rebus, vt istorum vocabulo vtar, contingentia? nihil casus? nihil fortuna? Omnia necessariò euenire Scripturæ docent. Esto. videntur tibi esse in rebus humanis contingentia. Iudicio rationis hic imperandum est. Sic Salomon, cùm in prædestinationis cogitatione versatus esset, inquit: Et intellexi, quod omnium operum Dei, nullam possit homo inuenire rationem, eorum quæ sub sole fiunt. Sed ineptus videar, quod statim initio operis de asperrimo loco, de prædestinatione disseram. quanquam quid attinet in compendio primo, an postremo loco id agam, quod in omnes disputationis nostræ partes incidet? Et cùm de libero arbitrio omnino primo loco agendum esset: quî potui dissimulare sententiam Scripturæ de prædestinatione: quando voluntati nostræ libertatem, per prædestinationis necessitatem adimit Scriptura? quanquam non omnino nihil puto referre, statim pueriles mentes hac sententia imbui, quòd omnia eueniant, non iuxta hominum consilia & conatus, sed iuxta Dei voluntatem. Annon hoc Salomon in illis gnomis suis, quas pueritiæ scripsit, statim à principio monet? Neque fidem neque metum Dei doceri posse indico: nisi persuasum nobis sit, omnia in omnibus efficere Deum. Sophistæ nobis non aliter Deum descripsere, atque Iouem suum Poëtæ. Belle scilicet illi: nam rationem sequebantur, quæ prorsus est ignara Dei, & &c.

Dulcescet hæc de prædestinatione sententia, vbi impiæ rationis iudicium Spiritus Dei stultificauerit. Quid enim imbecillitas humana perinde optet: atque vt in manu Dei omnia nostra consistant, ne nostris consiliis, sed diuinis regamur? Magnum omnino est, commisisse omnia diuinæ voluntati. Tollit itaque omnem libertatem voluntatis nostræ prædestinatio diuina. Qua de re copiosè disseruit Paulus ad Rom. 8. Hæc ille.

Hos verò priores Philippi Locos, præsertim propter hoc primum caput de libero arbitrio, & prædestinatione, ita probauit Lutherus: vt ad Erasmum scripserit, eos dignos esse, non solum immortalitate, sed etiā canone Ecclesiastico Legatur epistola Lutheri, præfixa libro de seruo arbitrio. Nunquam etiam eos retractauit Philippus: quanquam in Locis posterioribus magis accommodauerit sermonem suum in hoc argumento ad captum humanæ prudentiæ, quàm in prioribus, in quibus veritatem ipsam liberiùs expressit.

Item certum est, hanc doctrinam quam in his prioribus Locis de prædestinatione tradidit Philippus, & quam ante ipsum Lutherus, & ante Lutherum Augustinus, & alij in Ecclesia Christi docuerunt: non fuisse vnquam in Ecclesia hæreseos damnatam. Ergo mei accusatores non possunt eam in me, aut in Augustino damnare hæreseos: quin fateantur taciti, Lutherum quoque, atque Philippum, vt de aliis taceam fuisse aliquando, post promulgatū etiam Euangelium hæresi infectos, & Bucerum in eadem hæresi mortuum esse.

Buceri sententiam, quàm hæc doctrina vtilis sit, superius explicauimus. nunc addo quædā alia ex illius in caput 1. ad Ephesios commentariis. Si huius, inquit, electionis memoria & meditatio nobis auferretur: Bone Deus, quomodo resisteremus Diabolo? Quoties enim Diabolus tentat fidem nostram, nunquam autem non tentat, tunc semper ad electionem est nobis recurrendum, & de ea cogitandum atque ita cogitandum, vt omnem dubitationē excludamus. nam si hac fidei certitudine careamus, si de ea persuasi non sumus: non possumus vitam æternam expectare, Deum pro Patre, & Christum pro redemtore non possumus agnoscere: nihil denique solidæ pietatis & veræ dilectionis Dei in nobis esse potest. Explodendum ergo illud, de consopienda electionis memoria in cœtu fidelium, dogma. Hæc Bucerus.

Habetis, clementissimi Domini, meam de prædestinatione sententiam, quam iccircò profiteor, atque defendo: quod videam illam esse e sacris literis, quemadmodum vidistis, desumtam. Hanc fuisse Augustini doctrinam, nemo, ne illi quidem, qui eā impugnant, vti fuit Pighius, deinde Castalio, & nunc cum illis nonnulli alij, quorum nominibus parco, inficiari audent. Quantæ autem semper authoritatis fuerit in Ecclesia Augustinus: & quanti ab omnibus, præsertim in hac contra Pelagianos doctrina, factus fuerit: testantur omnes post eum Patres, imò tota Ecclesia catholica: quæ hanc doctrinam, ceu piam, orthodoxam, salutarémque nunquam non est amplexa. Faciunt huic rei testimoniū ea, quæ de hac doctrina variis in locis scripsit D. Gregorius primus. nam is quoque totus noster est. item quæ D. Bernhardus, quæ D. Prosper Aquitanicus: quæ Honorius: & quæ ante hunc Fulgentius: quæ denique Lombardus ipse, & puriores quique Scholastici. omnes enim in hac doctrina secuti sunt Augustinum: quippe quem agnouerunt secundum Scripturas ea de re disseruisse. Hieronymus, qui non solitus erat aliorū scripta, præsertim Augustini, facilè probare, quòd scilicet non ita eam teneret, quam ipse, linguarū cognitionē: cùm tamen disputet contra Pelagianos, Tom. 2. lib. 3. honorificā admodum mentionē facit Augustini, & libros, quos contra Pelagianos scripserat, vehementer laudat. In summa, tota Ecclesia Augustini doctrinam, præsertim contrà Pelagianos, semper est secuta. Possem hic nostri temporis doctissimorum virorum testimonia, quæ Augustinó in hac præsertim doctrina de prædestinatione dant summæ eruditionis & eximiæ pietatis, subiicere: nisi vnius Buceri testimonium satis mihi esse videretur. Is in libro de vera Ecclesiæ recōciliatione, articulo 3. qui est de caussa peccati, appellat eū vere Catholicum & Orthodoxum Patrem, & Ecclesiæ doctorem.

An autem Lutherus & Bucerus, vt de aliis taceam, eandem secuti sint, ipsorum libri satis luculenter demonstrant. Ne quis verò eludat librum de seruo arbitrio, quasi illius pœnituerit Lutherum, aut quippiam in eo retractarit: illud, quod etiam antea admonui, retinendū est, quod Lutherus de hoc suo libro scripsit ad VVolfgangū Fabricium Capitonē, 9. Iulij. anno 1537 de Tomis, inquit meorum librorum disponendis, ego frigidior sum, & segnior, eò quòd Saturnina fame percitus, magis cuperem eos esse deuoratos. nullum enim agnosco meum iustum librum, nisi fortè de seruo arbitrio, & Catechismum. Hæc Lutheri sunt. αὐτόγραφον est hic Argentinæ. Iustus quoque Ionas hunc librum in linguam Germanicam conuertit, vt omnes Germani non solùm docti, sed etiam indocti atque imperiti eum legerent. Nisi iudicasset vir ille doctus & pius, hoc in libro piam, orthodoxam, & vtilem doctrinam contineri, nunquam, quæ ipsius fuit pietas, librum hunc Germanicè etiam inuulgandum curasset. Certè ipsius in Epist. ad Rom. præfationem, nemo vnquam huc vsque improbare fuit ausus.

Si quis verò neget, hanc fuisse Buceri doctrinam, eámque constantissimam vsque ad mortem, nimis magnam, sancto illi viro, & doctori Ecclesiæ fidelissimo, facit iniuriam. Quæ scripsit de prædestinatione sparsim in commentariis suis in Euangelistas, in Psalmos, deinde in Epistolam ad Romanos, eadem docuit in postremo commentario in Epistolam ad Ephesios.

Porrò, quæ semper post renouatum Euangelium, totius huius ciuitatis vestræ fuerit de prædestinatione doctrina, nulla res meliùs & clariùs, & certiùs, quàm vestræ scriptæ & impressæ Confessiones demonstrare vobis potest.

CAPVT VI.

Testimonia Cōfessionum Ecclesiæ Argentinensis: de prædestinatione: déq. iis quæ ad prædestinationē pertinēt.

In Apologia tertij quarti, & quinti articuli Confessionis, Anno XXX.

QVi verè *a* credit, is per Spiritum sanctū de gratia Dei ita certificatus est, vt nullæ creaturæ vnquam, vt de ea ampliùs dubitet, eum pertrahere possint: imò proprietas hæc vocabuli Fidei, est, vt excludat omnem dubitationem.

De Prædestinatione ex Apologia.

Etiam si aduersarij obiiciunt: Deum iustum esse Iudicem, ac propterea peccata punire, bona verò opera præmiis remunerare, non tamen inde sequitur, aliquid bonorum operum ita ex nobis ipsis esse. quocūque modo accipere velis: *b* quo minùs omne illud, sicut etiam nos ipsi, quos ex nihilo creauit, sit opus Dei. etenim ille vtrumque operatur, ipsum velle, & perficere. Phil. 2. imò *c* omnia in omnibus. 1. Cor. 12.

Adest quidem libera voluntas: quidlibet enim sponte & volens facit bonum vel malū, atque ad hunc modum Deus hominem creauit: *d* non vt veluti truncus trahatur,

vult, aut suscipit: liber sit & spontaneus: non extrinsecus contra suam voluntatem impulsus & coactus: sed vt iuxta proprium suum iudicium & beneplacitum agat: non autē afferre secum, vt homo propterea omnia ex propriis suis viribus eligere possit. nemo enim quidquam eligere potest: quod non bonum esse iudicet, nemo autem quod verè bonum est: absque Spiritu sancto potest intelligere: eóque nec, nisi per illius gratiam, bonum illud eligere possumus. Itaque Dauid semper orat in suis Psalmis: vt Deus se illuminet, ducat, doceat, &c. Et Paulus precatur suis: vt impleantur vera cognitione & intelligentia: vt probare possint & intelligere, quæ bona sint & salutaria.

c Quòd verò & Deus hunc illuminat & trahit: illum verò minimè, & cui hoc faciat: ne inquiras: inquit Augustinus: si non vis errare. Et in libro de prædestinatione sanctorum: cùm interrogaretur. D Si ad Christum venire non possumus, nisi ipse nos doceat, cur ergo non omnes doceat vt omnes veniant, hanc adfert responsionem: Omnes quos docet: eos sua misericordia docet quos verò non docet: eos non docet secundum suum iudicium. Qui igitur fidem habet diuinis literis: is simpliciter fatebitur: E Deum omnia in omnibus operari ex suo certissimo & infallibili iudicio, iustissimáque voluntate: omniáque simplicitate & necessariò ita fieri: sicut fiunt. F.G Ipse est, qui docet, trahit, probos efficit: item qui errare facit, indurat, tradit in sensum reprobum, vt omnia malè faciant, eos, quos ipse vult: sicuti eos, antequam essent, vel ad vasa gratiæ, vel ad vasa iræ præparauit. H.I. Nihilominùs hic etiam illud verum est: hominem liberè ex propria sua voluntate vel bona, vel mala facere: sicut sacræ literæ passim testantur: ac propterea nos, K tanquam liberè volentes & eligentes, docent, exhortantur, vocant & terrent.

Hinc etiam est, L quod sacræ literæ dona Dei, quæ nobis propter bona nostra opera Deus ex mera sua misericordia largitur (semper enim quidquid fecerimus, inutiles serui sumus) mercedem nominant. M Et quanquam nemo simpliciter quidquam boni facere ne quidem cogitare possit, nisi id à Deo ei ex mera misericordia datum fuerit: nemo tamen se de peccato potest excusare, aut Deo culpam aliquam imputare: sed potiùs quemlibet propria sua conscientia incusat & condemnabit. Rom. 2. quidquid tandem hic homines contentiosi blaterent.

N Cæterum humanæ rationi videtur valde absurdum esse: eum hominem condemnatum iri, qui ad Christum non venerit, neque tamen possit venire, nisi à Patre fuerit tractus, quem etiam Pater trahere nolit. Contra eiusmodi cogitationes, cùm primum inciderint, debet quilibet Christianus eodem modo, sicut Paulus, sibi ipsi respondere, Atqui, ô homo, quis tu es, qui ex aduerso respondes Deo? Num dicet figmentum ei qui finxit, &c. Aliam profectò, & meliorem solutionem nemo tibi afferre poterit, quàm Paulus hic protulit. Itaque fateamur, O Deum esse Deum, eúmque omnia in omnibus operari, fateamur etiam, P Deum homini & liberam propriámque voluntatem dedisse, atque ad eum modum ducere, sicut passim Scriptura testatur. Præterea Q Deum non immeritò & iniustè te punire propter mala, quæ tu libera voluntate committis, etiamsi aliter non possis, nisi alio modo in te operetur, cuius rei tibi tua conscientia satis idoneum erit testimonium.

Conclusiones ex superioribus Apologiæ locis collecta.

In ista vestra Apologia, has præcipuas habetis conclusiones, quæ multas ex superioribus meis confirmant.

I.

Hominem verè Christianum non solùm debere esse, sed etiam seipsa esse de gratia Dei, hoc est, de æterna & immutabili Dei erga se beneuolentia, ideóque de sui ad salutem electione, certum, atque ita certum, vt propter nullam rem de ea ampliùs dubitet, & si aliqua subrepat dubitatio, eam debere à se procul depellere.

Hinc facilè apparet, illos contra vestram Apologiam docere, qui docent, Sanctos debere ita credere, se, propter suos lapsus ex infirmitate etiam admissos, omnino excidisse à gratia, & desertos prorsus esse à Spiritu sancto, vt nullum ampliùs semen fidei, & verbi Dei in se relictum maneat.

II.

b Quidquid sumus, & quidquid boni in nobis est, tam cogitare & velle, quàm perficere: totum esse à Deo, & opus Dei, qui in nobis ea operatur pro sua voluntate, Philip. 2. Inde liquido apparet, totam nostram salutem esse gratuitam, ac proinde ad hanc etiam ex mera gratia, & non ex præuisione operum, aut fidei nostræ, cùm etiam hæc sit opus Dei, nos fuisse electos. Errare igitur illos, qui docent, Dei quidem solius esse, gratiam omnibus ex æquo offerre, nostrum autem, illam amplecti, item, fidem caussam esse nostræ electionis.

III.

c.e Deū operari omnia in omnibus, non tantùm in piis, sed etiam in impiis. In Apologia enim postquam dixistis, f.g quidquid bonorum operum in nobis, hoc est, in piis est velle & perficere, esse à Deo statim correctione subiecta dicitis, h imò Deum operari omnia E in omnibus, 1. Cor. 12. Et infrà, quemadmodum Deus vult nos agere, ita permittit, impellit nos, & dat nobis ea intelligenda, iudicanda, eligenda, velle, suscipere, perficere in omnibus rebus, tam externis, quàm internis, siue pertinentibus ad æterna, siue ad temporaria. In ipso enim viuimus, mouemur, & sumus, Actor. 17. Ipse omnia ex nihilo facit, ideóque conseruat, mouet & facit omnia quæcunque sunt, in quocunque tandem, aut per quemcunque hæc fiant.

Hinc igitur colligere promptum est, illos aduersus vestram apologiam docere, qui negant, ita Deum omnia in omnibus operari, vt hominum etiam voluntates vertat quocunque vult.

IV.

d.x Etsi Deus operatur omnia in omnibus, etiam ipsum velle: ipsam tamen hominis voluntatem liberam manere, quòd quidlibet sponte & volens agat, quidquid agat, siue bonum, siue malum, y. z Et propter hanc caussam iure homini soli imputari peccata, eúmque, vt ne peccet, admoneri: & propter peccata iustè puniri.

D.1 Hinc colligitur: illos igitur aduersus vestram apologiam docere, qui docent, si verum est, K.L Deum flectere omnium hominum voluntates, quocunque vult, M & operari omnia in omnibus: nullam igitur superesse libertatem voluntatis, & Deum statui authorem peccati, & iniustè homines damnari.

V.

f.i Impiam esse doctrinam, hominem aliquid, quantulumcunque illud sit, ex se ipso K.l posse, & in bonum consentire, aut aliquam ad bonum habere inclinationem.

VI.

g Deum, quemadmodum vult nos agere, ita etiam permittere & impellere nos, vt agamus, iuxta illud Act. 17. In ipso viuimus, mouemur, & sumus.

Hinc colligere promptum est, eos contra vestram apologiam docere, qui dicunt, blasphemiam esse in Deum, dicere, Deum quempiam impellere ad aliquod opus.

VII.

k.l Eos, qui docent, aliquem homini esse consensum ex se, & negant: Deum operari omnia in omnibus. illud quidem hac doctrina conari, vt defendant Deum esse iustū: m.n sed neque hac ratione illud obtinere, & in aliud magis absurdum impingere: nempe vt negent, Deum esse Deum: quòd Deus non sit Deus, si non sit omnium rerum vnicus & solus fons & opifex.

VIII.

Quòd aliquis seruetur, aut damnetur, tandem necesse esse fateri, primariam caussam o fuisse & esse Dei voluntatem, atque decretum: iuxta illud etiam Apostoli p Rom. 9. de Iacob & Esau: cùm nondum nati essent, aut aliquid egissent vel boni vel mali: vt secundùm electionem, Dei propositum maneret, Iacob dilexi, Esau autem odio habui.

IX.

o Quidquid enim in homine reperiri potest, propter quod saluetur: id totum fluxisse à voluntate & decreto Dei.

X.

p.q Deum aliquos recipere, scilicet in communionem salutis, & in gratiam suam: alios autem reiicere, etiam antequam nati sint, aut aliquid boni vel mali fecerint, idque secundùm propositum voluntatis suæ, iuxta illud etiam Rom. 9. Antequam nati essent, aut aliquid boni vel mali fecissent, Iacob dilexi, Esau autem odi. Hoc autē est prædestinatio, & reprobatio.

XI.

p Deum, iuxta illud Ro. 9. Iacob dilexi, Esau odio habui, quosdam amasse, antequam quidquam boni fecissent: & alios odisse, antequam quidquid mali:

XII.

q Iniquum quidem & absurdū videri rationi humanæ, Deum aliquos recipere, alios reiicere, antequam nati essent: non esse tamen iniquum, cùm ita velit Deus: iuxta responsionem Apostoli: Nunquid est iniquitas apud

Deum?absit.nam Mosi dicit:Miserebor,cuius misereor.

XIII.

r.f. Etsi Deus velit aliquem indurare, & induratum ea admittere, quæ ita admittit, vt non admittere non possit: non propterea tamen quempiam posse aut de Deo conqueri,aut culpam sui peccati in Deum transferre:sed contrà,Deum optimè conqueri de induratis,quod peccent.

XIV.

Ad quæstionem.Si Deus velit me induratum habere,& ego nihil contra possim, nec possim eius voluntati resistere,& proinde non possim non peccare induratus quid igitur conqueritur Deus? nullam aliam dandam esse responsionem,quàm illam Apostoli: O homo, tu quis es,qui respondes Deo? annon habet potestatem figulus luti, vt ex eadem massa fingat aliud quidem vas ad decus,aliud verò ad dedecus?

XV.

t. Deum enim non reprobasse,quos reprobauit,propter futura mala illorum opera: & si quis id affirmet, ne Deus possit accusari iniustitiæ: humanæ tamen rationi non satisfieri:quin statim habeat cuius Deum accuset, dicturam enim illam esse, Deum iccircò in Esau futura mala præuidisse, quòd ei bona dare non constituerit, quæ si ei largiri voluisset, etiam potuisset in eodem futura bona præuidisse.

XVI.

Omnino, si Spiritus sanctus non adsit, nihil boni posse hominem efficere, contrà, si adsit, hominem non posse bonum repudiare aut ad Christum non venire,iuxta dictũ Augustini serm.13.de verbis Apostoli,& in 6.cap.Ioh.

XVII.

A Errare illos,qui existimant liberum arbitrium non esse in illis rebus, quæ aliter se habere non possunt. non enim libero arbitrio opponi necessitatem,aut aliter volendi impossibilitatem,sed coactionem,& agi inuitum. Necessitatem,& vni rei soli inhærere, Dei proprietatem esse, & illarum creaturarum,quę Deo sunt proximę. quibus tamen nihil magis liberum est.

XVIII.

C Deum quosdam illuminare & trahere, D alios non illuminare,nec trahere, sed cur hoc faciat, non esse quærendum,si nolimus errare, quoniam constat,Deum quos docet, docere pro sua misericordia, quos verò non docet, eos non docere,secundùm suum iudicium.

XIX.

F Omnia simpliciter & necessariò ita fieri,sicut fiunt.

XX.

G Deum illum esse,qui non solùm docet,trahit,& probos efficit,scilicet electos,sed etiam qui errare facit,scilicet reprobos,indurat,tradit in sensum reprobum,vt omnia malè faciant.

XXI.

I.K Interim tamen hominem, siue pium siue impium, liberè,& propria sua voluntate,vel bona, vel mala facere, ac proinde,L quia liberè volumus & eligimus, nos à Scripturis doceri,moneri,vocari,terreri,M & cùm bona opera remunerari, tum etiam mala puniri.

XXII.

H Deum quosdam,antequam essent præparasse ad hoc, vt essent vasa iræ,alios verò vt essent vasa misericordiæ.

XXIII.

M Quanquam nemo simpliciter aliquid boni facere imò ne cogitare quidem possit, nisi id à Deo ei ex mera misericordia datum fuerit, neminem tamen se de peccato posse excusare, aut Deo culpam aliquam imputare, sed potiùs quemlibet à sua propria conscientia accusari, & condemnari,Rom.2. quidquid tandem hic homines contentiosi blaterent.

XXIV.

N Hominem illũ,qui nõ veniat ad Christũ etiamsi non possit venire,quia à Patre nõ trahatur, cõdemnari tamen.

XXV.

N Etsi verò hoc humanæ prudentiæ videatur absurdũ, vt scilicet is damnetur,qui ad Christum non veniat, quia non potuit venire,verum tamen id esse.Q humanę autem prudentiæ ita respondendum esse,sicut Apostolus fecit, O homo tu quis es qui respondeas Deo? Nunquid dicit figmentum ei,qui se finxit, cur me finxisti sic?hac enim dari non posse meliorem responsionem?

Conclusiones ex articulis disputatis in Synodo Argentinensi anno 1533.

ARTIC. IV.

Quò verò ab hac morte & condemnatione liberarentur:voluit Deus verbum suum æternum,per quod omnia creauit, carnem assumere, nobisque miseris mortalibus, per omnia, solo peccato excepto, similem fieri. Hic est verus Deus,& verus homo,Dominus noster Iesus Christus, vtriusque naturæ, diuinæ & humanæ particeps: qui sua passione & morte pro nobis satisfecit, nos Patri reconciliauit, omnes quotquot illi credunt, & ad eum ista fide veniunt.

a Non veniunt autem ad Christum vera fide: nisi electi, Actor.13. Si igitur Christus sua passione & morte illos tantùm reconciliauit Patri, qui ad se fide viua veniunt: manifestum est ex ista conclusione,pro solis electis Christum efficaciter mortuum esse.

Postremus articulus.

Quanquam autem Deus,qui nos omnes ex nihilo creauit,ideo vti vult ministerio verbi,& Magistratus,vt suos à seipsis, & ab omni malo ad se per Dominum nostrum trahat: nihilominus tamen sunt aliqui a vasa iræ: in quibus vtrumque ministerium nihil aliud efficit, quàm vt omnis ipsis adimatur excusatio: atque b vt inde deteriores reddantur, magisque indurentur. tales ad mortem peccant. c d pro his non est orandum. hi etiam tandem æternùm condemnabuntur.e f Quapropter contradicunt Deo, & toti Scripturæ: qui aiunt, nullam esse condemnationem, neque vllum esse discrimen electorum ad vitam æternam, & reproborum, qui tandem æterna morte sunt condemnandi.

Sunt hic hæ conclusiones.

I.

a Homines aliquot esse vasa iræ.Non sunt ergo omnes electi ad salutis & misericordiæ communionem.

II.

b In vasis iræ,hoc est in reprobis, ministerium verbi & ciuiles magistratus nihil aliud efficere quàm primo, vt omnis ipsis tollatur excusatio: secundo, vt inde deteriores fiant,& magis indurentur.

III.

c Reprobos peccare ad mortem.

IV.

d Pro reprobis non esse orandum.Ergo neque Christus pro illis rogauit.Iohan.17.

V.

e Reprobos tandem æternùm condemnatum iri. Non possunt ergo seruari.

VI.

f Illos contradicere Deo, & toti Scripturæ: qui aiunt, nullum esse discrimen electorum ad vitam æternam, & reproborum ad æternam mortem. Est igitur contra verbum Dei & doctrinam huius ciuitatis dicere,non esse aliquos homines reprobatos, & destinatos ad mortem æternam. & alios electos & prædestinatos ad æternam vitam.

Conclusiones ex summa doctrinæ ministrorũ Ecclesiæ Argentinensis, anni MDXXXIX. *cui subscripserunt omnes ministri: atque in primis Bucerus, Capito, Hedio. Huius summæ* αὐτόγραφον *est hic Argentinæ, manu D. Buceri scriptum, & subscriptum manu D. Capitonis & Hedionis.*

ARTIC. IV.

a Confitemur, hunc Deum esse creatorem & gubernatorem omnium rerum: à quo videlicet, & per quem, & in quo sunt omnia. b qui etiã omnia facit ac largitur iuxta propositum voluntatis suæ: qui miseretur cuius vult, & indurat quem vult.c Nihilominus tamen fatemur,omnia quæcunque ipse facit, bona & recta esse:id in nobis verò omnia & peccata, & abominationem corã ipso esse, quæcunque contra eius voluntatem facimus, loquimur, cogitamus,& cupimus.

Sunt hic hæ conclusiones.

1. Deum a omnia facere secundùm propositum voluntatis suæ.

2. Deum b misereri quorum vult, & indurare quos vult.

3. Quæcunque facit c Deus:omnia iusta & recta esse. Ergo etiamsi reprobet, qui nondum nati sunt etiamsi induret,& induratos propter peccata,quę indurati non possunt non admittere,damnet:omnia bene,iustè,& rectè facit:& nulla est iniquitas apud Deum.

4. Omnia, quæ nos d contra Dei voluntatem facimus peccata esse.Ergo etiamsi Deus operetur omnia in omnibus,actiones tamen illæ,quatenus à Deo sunt, bonæ sunt, quatenus à nobis,peccata sunt.

ARTIC.

ARTIC. V.

Natura nostra proh dolor, ita est deprauata, & corrupta vt si derelicti à Deo, naturæ solùm impetu feramur, nihil, nisi quod malum est expetere possimus. Ac propterea fit: vt ex nobis ipsis nihil, nisi quod malum est, cogitemus, loquamur, & faciamus. animalis enim homo non percipit ea quæ Dei sunt: atque id tamdiu, donec regenerati, Spirituque sancto donati, ac diuinæ naturæ quodammodo participes facti fuerimus.

ARTIC. VI.

a Hic solus & vnicus Mediator peccata nostra sustulit: nos Patri reconciliauit: Spiritum sanctum & regenerationem omnibus illis impetrauit, quos Pater illi dat, quique verbum eius audiunt.

b Hanc regenerationem vnà cum omnibus Christi meritis, Spiritus sanctus cordibus fidelium inspirat, & ad extremum vsque in illis conseruat.

Sunt hîc hæ conclusiones.

1. Christum *a* peccata illorum sustulisse, & eos Patri reconciliasse, & Spiritum sanctum, ac regenerationem illis impetrasse: quos Pater illi dat, & qui eius verbum audiunt. Ergo illi qui non sunt dati Christo, hoc est, qui non sunt electi, non sunt etiam reconciliati Patri per Christum, neque remissionem peccatorum vnquam assequuntur: neque accipiunt Spiritum sanctum & regenerationem.

2. Regenerationem *b* vnà cum omnibus Christi meritis per Spiritum sanctum cordibus fidelium inspirari, & ad extremum vsque conseruari in illis. Ergo electi semel regenerati & vera fide donati, ad extremum vsque in illa perseuerant: Spiritu sancto illos in ea, vsque in finem, conseruante.

ARTIC. VIII.

Sunt enim *a* aliqui non ex Deo nati, ac Filio à Patre *b* non donati: vasa iræ, præparata ad interitum: hœdi, non oues: qui etiam tandem in æternum ignem conijcientur.

Hîc sunt hæ conclusiones.

1. Non omnes *a* homines esse natos ex Deo, nec Christo à Patre donatos, nec oues: sed quosdam esse hœdos, & vasa iræ præparata ad interitum.

2. Reprobos, seu vasa iræ, tandem in æternum ignem esse conijciendos.

ARTIC. IX.

a Credimus ergo, & docemus: omnem boni intelligentiam, desiderium, cogitationem, verba denique & opera: mali item cognitionem, eiúsque fugam & abominationẽ, nobis solùm ex diuina electione per hunc vnicũ Mediatorem contingere: si quidem toto corde ei crediderimus.

Hîc hæ sunt conclusiones.

1. Omnes *a* bonas cogitationes, sancta desideria, & bona opera, ideóque fidem ipsam, à sola electione nobis cõtingere. Ergo iis, qui non sunt electi, hæc non contingunt: & fides, fideíque fructus effecta sunt electionis: non autem sunt caussæ.

2. Quæ ab electione *b* contingunt, per Christum Mediatorem contingere. Ergo prædestinatio non prodest sine Christo, nec Christus sine prædestinatione.

ARTIC. XVII.

Quoniam baptismus est lauacrum regenerationis, diuinæque gratiæ primum sacramentum, cúmque hanc benedictionem etiam nostris liberis à Christo precibus impetrare debeamus: (possumus enim *a* eiusmodi preces piè & rectè, secundum Christi verba facere, semper tamen Deo reseruantes suam electionem *b* quam etiam, sicuti & veram in adultis fidem, in quibus neutrum horum perfectè sciri possumus, eos baptizãtes, pro iisque orantes, Deo reseruatam volumus,) propter has caussas, infantes nostros baptizamus, simúlque Ecclesiæ testatam facimus, ac prædicamus Dei erga nos gratiam & redemtionem per Christum factam, eáque omnia per veram fidem. Nisi enim credimus, Deum velle id nobis dare, quod ex verbo eius petimus: nostra oratio nihil aliud esset, quàm contemtus & illusio Dei.

Hîc de prædestinatione sunt duæ cõclusiones.

Illis, *a* qui non sunt electi, nihil prodesse baptismum, neque orationes ab Ecclesia pro ipsis factas: ideóque nec benedictionem, quam Christus Ecclesiæ suæ impetrauit, impetrari posse.

2. Etsi ignoremus *b* qui sint electi, & qui non: posse nos tamen piè & rectè, imo & debere secundum Christi institutionem pro omnibus orare, & infantes omnes baptizandos curare.

ARTIC. XVIII.

Porrò conditio illa perpetuò diligenter est adhibenda & includenda: Secundum tuam electionem & propositũ diuinæ voluntatis tuæ. quæ conditio etiam adhibenda est & retinenda: quoties pro adultis qui baptizandi sunt, oramus: nihil curantes, quidquid tandem ipsi confessi fuerint. neque enim cor ipsorum, aut voluntatem Dei erga ipsos scire possumus. vult Deus, ac permittit nobis agere secundum quod nos intelligimus: ac inter eos, qui ad cœleste regnum, hoc est, ad Ecclesiam pertinent: etiam liberos nostros nobis commendauit.

Hic etiam illæ eædem duæ confirmantur.

Conclusio illius summa doctrina Ecclesia Argentinensis.

Quidquid his iam dictis repugnat: agnoscimus erroneum atque falsum esse: idcóque merito repudiandum.

1. Repugnat autem quartæ propositioni: Negare, Deum omnia facere, secundum propositum suæ voluntatis, ac proinde, qui sunt reprobati, non sunt reprobatos voluntate Dei: & contra, ad regulas humanæ iustitiæ Deum redigere: vt æqualibus æqualia det. 2. Item repugnat esse iniquum & tyrannicum, vt Deus pro suo arbitrio misereatur, quorum velit, ac quos velit, damnet: cum omnes sint ex æquo illius creaturæ.

Repugnat quintæ: dicere, in potestate hominis esse, vt salutem oblatam in Euangelio recipiat, & reiiciat.

Repugnat septimæ: dicere, 1. etiam qui non sunt dati Christo, id est reprobos, qualis fuit Iudas, reconciliatos esse Deo, remissionem peccatorum assequi, & iustificari, ac Spiritum regenerationis accipere. 2. Dicere item: electos semel iustificatos ac regeneratos, prorsus amittere Spiritum sanctum, ipsamque regenerationem non in omnibus electis ad extremum vsque conseruari.

Repugnat octauæ: dicere, 1. Omnes sine vlla exceptione, esse datos Christo à Patre, aut, omnes esse electos: & negare, quosdam esse vasa iræ præparata ad interitum. 2. Dicere item reprobos posse fieri electos, & posse saluari.

Repugnat nonæ, dicere, 1. Caussam electionis esse fidẽ nostram. 2. Dicere item: Illis, qui non sunt electi, contingere ista salutaria bona fidem, & veros fidei fructus, quæ à sola electione per Christum electis contingunt.

Repugnat decimæseptimæ: dicere, 1. Reprobis etiam, seu non electis, prodesse baptismum, aut benedictionem Christi, hoc est iustificationem & sanctificationem impetrari & contingere posse: vt, quod Iudas fuerat iustificatus & regeneratus, sicut etiam Petrus. 2. Item facere istam sequelam: Si omnia pendent ab electione, & electi non possunt perire, ergo frustraneum esse ministerium Ecclesiasticũ, Sacramenta, Baptismum: & qui talem statuunt prædestinationem: ab iis tolli pœnitentiam Sacramenta, reprehensiones, bona opera, & huiusmodi alia.

Omnia ergo hæc dogmata, quia pugnant cum iis propositionibus Ecclesiæ Argentinensis, imo cum verbo Dei: & erronea & falsa sunt agnoscenda, & ideo repudianda, atque è Scholis & Ecclesiis eliminanda.

Præcipuæ conclusiones orthodoxæ disputationes de prædestinatione & libero arbitrio: inter Martinũ Bucerũ & Melchiorẽ Hofmãnũ habitæ Argentinæ, Anno M.D.XXXIII.

1. Deum, postquam ab æterno præsciuisset humanum genus per lapsum primorum parentum æternæ morti obnoxium futurum, ex mera sua misericordia, antequam iacerentur fundamenta mundi, sibi aliquos de hominibus ad vitam æternam elegisse, præsciuisse, ac prædestinasse. Roman. 8. 9. 11. Ephe. 1.

2. Hos electos, postea à Deo iuxta suum beneplacitum, per verbum suum & Spiritum vocari. Rom. 8. idque fieri, cum se ipsum illis præbet in summis tenebris versantibus rectè cognoscendum, atque hęc omnia fieri propter vnicum mediatorem Iesum Christum. 1. Tim. 2. Ioh. 14. Matt. 11.

3. Ex hac Dei cognitione, si vera & efficax sit, confestim oriri amorem erga Deum, qui efficit in nobis, vt idem velimus, & sentiamus, & præparat nos, vt ad omnia bona parati ac prompti simus.

4. Verum enim Dei cognitionem tollere à nobis φιλαυτίαν, & admirationem nostri, & eorum bonorum, quibus nos præ aliis donatos esse sentimus: non secus atque

cum lumen lucernæ, splendore Solis obscuratur.

5. Hinc tandem consequi: vt homo toto corde, animo, omnibúsque sui corporibus partibus, à solo Dei, eiúsque Filio Iesu Christo pendeat, & quasi diuinæ consors efficiatur.

6. Deum cum reliquis hominibus, scilicet non electis, sic agere solere: vt semper seipsum eatenus illis cognoscẽdum præbeat, quò tandem se ipsos cogantur de contemtu Dei accusare, ac reos facere: & sic reddantur inexcusabiles. Rom. 2.

7. Hos homines, scilicet non electos, nunquam habere veram, penetrantem & efficacem Dei cognitionem. 1. Corinth. 2. Ies. 64. Matt. 11. Iohan. 10. 3. 4.

8. Deum non eodem modo cum omnibus agere: suúmque Spiritum, per quem seipsum, & bona sua rectè intelligenda largitur, non omnibus ex æquo dare, sed iis solũ, quos ante fundamẽta mundi elegit, Christóque Filio suo, Domino nostro tradidit.

9. Hunc enim Spiritum sanctum signaculum esse, arrhabonem & certissimum testimonium in nobis: quod simus filij Dei. Rom. 8. 2. Cor. 1. Gal. 3.

10. In hoc consistere, & tanquam fundamento niti fidem & doctrinam suam, scilicet Ecclesiæ Argentinensis, de Prædestinatione, seu electione Dei, quòd doceant ac credant Deum, qui ex nihilo omnia fecit, aliquos homines in Christo, & per Christum Filium suũ, donare suo Spiritu ad vitã æternã, & ita regenerare, vt ipsum rectè cognoscant, veréque credant & confidant, ipsum per Christũ suũ Filium peccata sibi condonaturum, ac in æternum Deum sibi propitium futurum: ex qua fiducia ipsi eum, tanquam Patrem suum, & Christum, tanquam redemtorem suum vnicè amant, atque inuocant.

11. Christum pro electis apud Patrem intercedere, & esse propitiationem pro peccatis ipsorum.

12. Reprobos esse illum mundum, qui Christum Dominum nec nouit, nec recipit, imo odio habet, & persequitur. Ioh. 1. 15.

13. Dominum Iesum non rogasse pro reprobis: qui mundi nomine intelliguntur, & vasa sunt iræ ad interitum præparata.

14. Neque electionem, neque meritum Christi omnibus hominibus esse communia: sicut somniat Hofmannus: ad miseras conscientias vexandas, & sanam doctrinam corrumpendam.

15. Bonam & liberam ad bonum voluntatem donari à Deo, iis quos è mundo elegit in Christo: cæteris verò non item.

16. Necesse est vt ij quos è mundo Deus non elegit in Christo, in suis peccatis moriantur ac pereant.

17. Quòd reprobi, etsi necesse est in suis peccatis moriantur: quia Deus non dat illis bonam voluntatem ad bonum: in illis tamen liberrima voluntate versentur.

18. Hac de caussa tandem verbum Dei, quod contemnunt (Iohan. 12.) & cognitio veritatis, quæ ipsis diuinitus inspirata est (Rom. 1.) nunquam non ita solida & efficax, vt electis, Mat. 11. Cor. 12. simul attestante ipsorum conscientia, eósque accusante. (Rom. 2.) condemnabit.

19. Deum nemini quidquam debere: & potestatem habere sua bona quibuscunque velit distribuendi: neque fas esse ei in his rebus contradicere. Rom. 9.

20. Doctrinam, omnes homines esse ad vitam æternam electos & per Christum redemtos: eo spectare, vt gratiam electorum & meritum Christi extenuet: contrà vero hominis vires ac potentiam extollat.

21. Citare locos Scripturarum, quibus salus per Christum omnibus hominibus communiter ex æquo offerri videtur, vti est ille, Deus vult omnes homines saluos fieri, ad probandum, electionem & meritũ Christi teneri omnibus esse communia, esse hominum impostorum.

22. Locum 1. Tim. 2. Deus vult omnes homines saluos fieri: item 1. Ioh. 2. Ipse est propitiatio pro peccatis nostris: nec nostris solùm, sed etiam totius mundi: non posse intelligi, nisi συνεκδοχικῶς, pro multis, hoc est, pro omnibus illis qui saluantur: hos autem esse electos.

23. Non esse existimandum, vbi posita sunt vocabula ista, Omnis mundus, totus mundus: ibi confestim omnes homines, nemine excepto, esse intelligendos: cùm non vbique hæc nomina eandem habeant significationem.

24. Meritum Christi propterea toti mundo commune dici & prædicari: quod post Christi adscensionem, non tantùm Iudæi, sed omnes etiam aliæ gentes debeant eius participes & compotes fieri: omnes inquam, qui ex iis in numero electorum fuerint.

25. Discrimen electorum & reproborum tam perspicuè & firmiter vbique in sacris literis tradi & exprimi: vt nisi Hofmannus singulari studio cuperet nouam hæresin introducere: nunquam tam turpiter contra lucem veritatis ausus fuisset aliquid tentare.

26. Locum 1. Ioh. 2. Christum esse propitiationem pro peccatis totius mundi: intelligendum esse pro peccatis eorum, qui non perseuerant in peccato, hoc est, electorum.

27. Locum 1. Tim. 2. Deum velle omnes homines saluos fieri: ad electos tantum pertinere, sed ex omnibus populis & gentibus. hæc enim ideo dici, vt pro omnibus ad Deum preces fundamus, & omnibus in eo seruire parati simus, vt ad veritatis cognitionem perueniant.

28. Cùm aliqui sint filij Diaboli, hoc est, reprobi: certum esse, locos, qui salutem vniuersaliter promittunt: ad electos tantùm ipsa pertinere.

29. In electorum gratiam Christum præcipuè in carnem venisse.

30. Quod Paulus Rom. 5. Adamum, per quem peccatũ & mors, & Christum, per quem iustitia & vita in mundũ peruasit, inter se conferat: non inde sequi, sicut simpliciores quidam concludere volunt, quod quemadmodum omnes simpliciter homines in Adamo perierunt: ita per Christum omnes, nemine excepto, salutem rursus sint consequuturi.

31. Spiritu Dei electos tantùm donari.

32. Electionem & meritum Christi, omnibus hominibus promiscue, nemine excepto, communia esse, probari minimè posse: idque neque ab initio, vt Hofmannus: neque ad extremum, vt alij affirmant.

33. Diuinæ veritati repugnare, si quis dicat, hominibus, simulac ipsis prædicatur Euangelium, statim quoque potestatem dari illud recipiendi, & iam eos habere libertatem eligendi id, quod bonum est & salutare.

34. Liberum arbitrium, & facultates, seu vires eligendi & faciendi aliquid boni: tantum esse ex spiritu diuinæ adoptionis: per quem solum Euangelium intelligitur. hunc vero non omnibus dari.

35. Fidem ab omnibus requiri: sed non omnibus dari, nec tamen cuiquam hac in re à Deo fieri iniuriam.

36. Cæcam rationem, cum audit Deum misereri cuius vult, & indurare quem vult, statim obiicere: Quid igitur conqueritur? Voluntati eius quis resistit? Sed et nihil esse respondendum: nisi quod Apostolus respondet: Atqui, ô homo, tu quis es qui respondeas Deo?

37. Etiamsi quis concedat, vires eligendi bonum omnibus ex æquo concedi: necesse tamen esse, vt vsus istarum virium ad bonum, sit à Deo, aut ab hominibus. non ab hominibus, quia haberet aliquid boni, quod non accepissent à Deo. Id verò dicere, est negare Deum. Ergo à Deo. Quod si à Deo: non ergo ex æquo dari hominibus vires ad bonum: cùm vsus istarum virium sit in aliquibus, in aliis non sit.

38. Omnem cognitionem & verum vsum bonorum & donorum Dei, imo quodquid boni excogitare posset homo: totum illud nihil aliud esse quàm dona & opera Dei: & qui plus habet boni, vel facit, id omne à Deo accepisse.

39. Quicunque malè faciunt: eos caussam huius suæ prauitatis & malitiæ, nemini nisi sibi ipsis adscribere debere.

40. Deum ipsissimam esse iustitiam.

41. Quod Deus, qui est summum bonum, velit suam creaturam in æternum cruciari, & perire: non esse iniquum, neque diuinæ bonitati repugnare.

42. Animum hominis, qui trahitur à Deo, credere se à Deo electum, & ad æternam vitam prædestinatum esse: Deúmque velle in se habitare, & omnia bona operari.

43. Ex fide, qua credimus nos esse electos, & Deum velle in nobis habitare, & omnia bona operari: consequi, vt vltrò libenter studeamus huic diuinæ gratiæ & vocationi consentienter viuere, gratósque nos erga Deum toto corde, animo, omnibúsque viribus exhibere.

44. Hofmannum quidem vrsisse, & quantum potuit, vociferatum esse, hanc esse simplicem Dei voluntatem, vt omnes salui fiant, & nemo condemnetur: sed non esse verum, nisi de electis, qui hanc Dei bonam voluntatẽ possunt intelligere.

45. Deum, quos excæcat, indurat, condemnat & per verbum suum iubet excæcare & indurare, eos citra controuersiam voluntatem excæcare, indurare & condemnare, à nemine enim hæc facere illum cogi.

46. Cùm in peccatis concepti simus omnes, & nascamur, propterea Deum nunquam, vt nos puniat, summo, eóque optimo iure destitui.

47. Hoc

7. Hoc verissimum manere: Deum sicuti nos omnes ...ndo creauit: ita, sine dubio, vt prudentē opificē prius ...derasse & præuidisse, ad quē finē voluerit singulis vti. ...Hofmanni hanc fuisse doctrinā: Deum, prout præ..., & præscit homines gratiam suam fuisse amplexu...et malum bono prælaturos: secundum illud eos vel ...tam, vel ad mortem æternam præparare.

47. Hofmanni verò sententiam erroneam & impiā es..., & hinc fieri perspicuū: quod si interrogetur ipse Hof...annus, vnde fit, quod Deus præuidet quosdā suam voca...onem ad bonū non secuturos, sed malū potiùs electuros ...? nihil habeat quod respondeat, nisi quia Deus probè ...it cum ipse illis adesse nolit, sicut aliis, suo Spiritu: eos ...hil vnquā boni aut cogitare, aut amplecti posse: & quod ...iis, qui gratiā respuunt, eundē Spiritū dare vellet, quem ...is dat, eosdē etiā idē Spiritus eo quo electos impelleret, contra, si electis non daret suum Spiritū, ipsos quoque ...n alia facturos, quàm reprobi faciant. Deum igitur ideò ...euidisse, quosdam suam vocationem ad bonum secutu...s, quia decreuit illis suum communicare Spiritum, quò ...n solum possint, sed etiam velint vocationem ad bonū ...ui. nihil enim in nobis esse boni, quod non acceperi...s à Deo. 1. Cor. 4. Ideò verò præuidisse alios suam voca...onē ad bonum non secuturos, sed malum potiùs electu...os esse, quod constituerit illis suum non communicare ...Spiritum, sine quo Spiritu optimè præuouit, eos ex se nihil ...oni vel cogitare, vel amplecti posse.

50. Quare simpliciter dandam esse Deo gloriam, & cum ...aulo fatendum Deum creasse nos ex nihilo, & propterea ...otestatem summam habere, instar figuli, dandi nobis, & ...os fingendi pro sua voluntate. Rom. 9.

51. Ac si Deus misereatur nostri, & det se nobis cognoscendum, ita vt verbum suum non solum audiamus, sed etiam sequamur, esse quod illi gratias agamus. Sin minus, omnino culpam nobis ipsis imputandam esse, Deo verò omnem iustitiam & gloriam esse tribuendam.

52. Omnes pios hæc libēter fateri, & certò credere atque cōfidere, Dei volūtatē esse, se saluos facere: reliquos verò sicut omnibus rebus, ita etiam hac simplici veritate, & vera Dei gloria offendi, neque credere, Deum velle se saluos facere: ac propterea hoc ipsum tandem illos experiri.

Totam verò hanc doctrinā, quā in ea contra Hofmannum disputatione Bucerus defendit, non solum totus Senatus probauit, sed etiam omnes tribus, omnésq. ciues, tanquam piam & orthodoxam confirmarunt: contrariā verò huic, tanquā impiam damnarunt, in cuius rei perpetuum testimonium, ipse Hofmannus, tanquam pertinax hæreticus in carcerem coniectus, in eodem mortuus est.

Ego quoque, quidquid in doctrina Hofmanni dānauit Senatus noster Argētinensis, damno: & quidquid in ea disputatione Buceri probauit, probo, recipio, atque amplector. Amplector etiā, quidquid superius ex Apologia, & ex disputatis articulis in Synodo anni 1533. & ex confessione anni 1539. de eadē doctrina retulit: quòd sciam, totā hanc doctrinam ex verbo Dei desumtā fuisse: ac proinde ea aduersus omnes Hofmannicos, illius sanæ doctrinæ, ideóque gratiæ Dei aduersarios, quoties opus fuerit: me defensurum polliceor, atque promitto.

Ne verò quispiam eludat vel Confessionem anni 1530. & eius Apologiam vel articulos disputatos: vel totā hanc disputationem Hofmannicam, vel Confessionē anni 1539. quasi illa vel probata nunquam fuerint huic Argentinensi Ecclesiæ, vel postea retractata: subnecto hic Senatus, & totius ciuitatis nunquam retractatam, imo non semel confirmatam illorum omnium comprobationem.

Ex præfatione Confeßionis religionis Christianæ quatuor ciuitatum, Carolo V. Augustæ exhibita 1530.

Ne igitur nos tam impiæ (aduersariorum) criminationi tacendo, fidem facere: & diris istorum calumniis, Christi veritatem, quam profitemur, prodere quisquam existimet: visum est illam Confessionem nostram in publicum edere, adiunctā eius apologiā, quam nostris Ecclesiastis parare nuper mandauimus. Nam religio erat, saluificam Christi doctrinam, nobis singulari adeo Dei bonitate communicatam, tantis blasphemiis non adserere: & ferre, nos horrendis adeò, sed æquè falsis criminibus notatos, publicum offendiculum constitui.

Et post versus octo.

Quò igitur Christiani nominis professores cognoscere possitis, quàm nulla vel species veri istis calumniis insit, per Iesu Christi gloriam, cui vni hisce in rebus studemus, oramus, hāc nostram Confessionem, eiúsque Apologiam, in qua optima fide confutatorum verba & argumenta adducta sunt, legere, & ad Scripturarum fidem omnia expendere, nostrásque & confutatorum istorum rationes inter se librare velitis.

Et paulò post.

Cui (Deo) ad hoc ipsum hac Confessionē, Apologiæque nostræ editione seruire voluimus, neminem verò inhumaniùs attingere, nedum aspergere conuitio, &c.

Et paulò pòst, iterum atque iterum,

Ex libello, qui inscribitur, Ordinatio & ceremoniæ pro parochiis & ministris Ecclesiæ Argētinēsis, & ad eā pertinētibus, post habitam Synodum instituta, &c. A. ij. pag. 2.

Postquam Synodus ob tria præcipuè capita celebrata fuit primo, vt conciliatio doctrinæ Christianæ, atque depulsio sectarum & schismatum, doctrinæ huic aduersantiū quæreretur, secundò, vt externæ & ad ædificationem spectantes ordinationes atque cæremoniæ instituerentur, tertiò, vt inquisitio diligens vitæ atque conuersationis eorum, qui Ecclesiæ sunt præfecti, haberetur. Ad primū caput, doctrinam & sectas concernens, conclusum & decretum est, quòd Senatus in Confessione Cæsareæ Maiestati Augustæ exhibita, & articulis in Synodo propositis & disceptatis persistere eámque vti veram Christianam doctrinam hic populo proponi & tueri seriò: neque vllum dogma vel sectas, quæ doctrinæ commemoratæ aduersentur, in sua vrbe perpeti velit, nulla ratione habita prolixiorum scriptorum Clementis Ziegleri, Melchioris Hofmanni, atque aliorum, quæ in ipsa Synodo, & post sunt oblata. Vera vt sana doctrina hīc apud omnes meliùs cōseruetur & prouehatur, cunctique errores & seductrices doctrinæ arceantur atque præcaueantur: Senatus, præter alias rationes, & media huc spectantia, etiam illud perpendit atque statuit, quòd Seniores Ecclesiæ fidelem attentionem præstare debent: vt hęc professa doctrina, quemadmodum in commemorata Confessione, atque articulis Synodi comprehensa est, fideliter hæc doceatur, atque prædicetur, etiam vt nemini quidquā, quod huic doctrinę aduersetur, siue in angulis, siue in propatulo effundere atque calumniari, nedum ab ea alios abstrahere liceat. Quòd si tale quid fieri resciuerint, Senatui, vel subscriptis examinatoribus indicent, vt fidelis & necessaria animaduersio fiat, &c.

Ex primo decreto Senat⁹, singulis tribub. paulò post Synodū habitā ꝓposito: A. iij. fac. 1.

Senatus vult omnes & singulos vos diligenter paternè, & quàm maximè rogatos, admonitos & hortatos vt in sacrosancto Euangelio, atque Dei verbo, quemadmodū hoc ex sacris literis in hac vrbe doctum, prædicatum, atque coram Cæsarea Maiestate confessum est, constanter perseueretis, vitámque vestram, diuinā adiuti gratiā, secundū hoc instituere, atque conformare velitis, nempe vt id non solùm in specie & sermone, verum etiam in efficacia & vita ad gloriam Dei, proximique ædificationem, apud vos deprehendatur.

Habetis hīc, clarissimi Domini, meam de prædestinatione sententiam perspicuè explicatam, & multis tū diuinarum literarum, tum D. Augustini, Lutheri & Buceri, non denique vestrarum Confessionum testimoniis comprobatam atque confirmatam. Habetis etiam maiorum vestrorum decreta, quibus doctrinam hanc in vestra Apologia & Confessionibus explicatam confirmarunt, atque vt in vestra Ecclesia & Schola fideliter retineretur ac doceretur, mandarunt.

Nunc protestor coram Deo, & Angelis eius, de prędestinatione me non aliter vel sentire, vel docere, quam nouerim sensisse ac docuisse primùm quidem Prophetas, atque Apostolos, deinde Augustinum, & post Augustinum aliósque orthodoxos Patres, Lutherum & Bucerum, multósque alios doctissimos viros, & quidē in Germania, post renouatum Euangelium in Ecclesia Christi, & quam vos ipsi quoque & maiores vestri in vestra Apologia, articulis Synodalibus, disputatione contra Hofmannum, & Confessione anni 1539. professi estis.

Rogo autem vos Dominos meos, vt hanc meā prolixā quidem, sed necessariam fidei meæ de prædestinatione explicationem, æqui & boni consularis, & vt, iuxta maiorum vestrorum decreta, doctrinam hanc vestram in Scholis & Ecclesia fideliter retinendam, contrariam verò ex ea eiiciendam curetis.

HIER. ZANCHII,

DE PERSEVERANTIA SANCTORVM IN FIDE, CONFESSIO.



VNC verò explicaturo mihi, & confirmaturo meam de perseuerantia Sanctorum in fide sententiam: principiò, vt tollatur omnis ambiguitas, quæ in vocibus homonymis posita est: explicanda sunt hæc tria præcipua nomina, quæ in hanc quæstionem venerũt: Fides, Gratia, Sanctus; quidque his nominibus intelligam. Deinde ne quispiam putet, illis de rebus inter nos esse controuersiam, de quibus reuera nulla est: remouenda sunt ea, quæ videri possunt inter nos controuerti, cum tamen non controuertantur. Tum demum quibusnam in rebus posita sit controuersia, & quæ mea de illis sit sententia, explicabitur, & Scripturarũ, Patrum, ac nostri temporis doctorum virorum testimonia, quibus sententiam meam defendo, in medium proferentur.

CAPVT I.

De Fide.

FIdes, quantùm ad intelligendam hanc præsentẽ controuersiam operæpretium est explicare, capitur nonnunquam καταχρηστικῶς & μετωνυμικῶς, pro ipsa doctrina, quam fide recipimus ac profitemur: sæpissimè autem propriè pro ipso dono, quo doctrinam intelligimus atque amplectimur. Pro doctrina: vt 1. Tim. 1. Milites bonam militiam: retinens fidem & bonam conscientiam. De hac fidei significatione hîc non disputatur. est enim apud omnes in confesso, illos dici excidere à fide, qui doctrinam semel receptam abiiciunt: aut quibus doctrina iusto Dei iudicio eripitur. 1. Timoth. 1.

Fides verò, in altera significatione, diuiditur in veram ac iustificantem: & non veram, neque iustificantem. hoc est, in sinceram, ac minimè simulatam, & in hypocriticam, 1. Tim. 1.

Hæc hypocritica ac simulata duplex est: vna, quam non solum qui eam simulant, sciunt esse simulatam, sed plerũque alij quoque, ex eorum perseuerantia in sceleribus, minimè sinceram esse intelligunt. vt fides illorum, de quibus Tit. 1. Confitentur, se nosse Deum: factis autem negãt. Talis fuit fides illorum qui Christum sequebantur propter panem, Iohan. 6. Talis & fides Iudæ: præsertim postquam cœpit cogitare de prodendo Christo.

Altera ita similis est fidei veræ: vt non solùm qui eam habet, non agnoscat esse simulatã: sed alij quoque ex viridi & florente quadam herba honestæ vitæ, quã profert, illam omnino sinceram, atque veram esse iudicent. tantũ καρδιογνώστης Deus, qui falli non potest, & nouit, quid sit in homine, eam nouit esse hypocriticã. Talis fuit fides multorũ discipulorũ, qui postea quam sibi visi fuissent sincerè multos menses in Christum credidisse, audito tamen sermone de carne Christi manducanda, à Christo defecerũt. Ioh. 6. idque quoniã putabant, Christum loqui de carne sua, orali & carnali manducatione manducanda. Tales fides fuit illorũ: de quibus Ioh. 2. Multi crediderunt in eum, videntes signa quæ edebat: Iesus autẽ non se credebat eis: eò quòd nosset omnes & sciebat quid esset in homine.

Iis duabus conceditur nonnunquam à Deo vis quædã Spiritus sancti: quã nonnulli ex istis impiis, præter persuasionem, quam de Christo, eiúsque potentia vehementem habent, nonnunquam etiam agitati prophetant, & miracula edunt: quales fuerunt illi, de quibus Matth. 7. Domine, Domine: nónne in nomine tuo eiecimus dæmonia? Hanc vim nonnulli vocant fidem miraculorum: sed quoniam mihi videtur potiùs esse singularis quædam efficacitas & vis fidei, tam veræ, quàm non veræ, aliquando & aliquibus concessa in edendis miraculis, quàm aliqua specialis fides: iccircò duas tantùm fides hypocritarũm constituo. Vtraque autem fides, & mortua & temporaria est. Mortua: quia quod priorem attinet, illa nunquam homines mouet ad odium peccati, & ad amorẽ iustitiæ, neque ad honestam Christianámque vitam traducendam: illi enim verbis confitentur Deum & Christum: at factis negant. Altera verò: etsi initio cum gaudio quodam verbum Dei excipit, & florentem quandam Christianæ vitæ herbam profert: nunquam tamen iustos & maturos fructus adfert: sed in aliis mox, in aliis non ita multò pòst, omnis huiuscemodi fidei succus exarescit: aut magno crucis, propter Christum sustinendæ, æstu exhaustus, aut spinis huius seculi suffocatus. Ac proinde vtraque etiam temporaria est: quia vtraque tandem, vt dixi, prorsus exarescit, atque omnino deficit. De neutra, in præsenti quæstione de perseuerantia Sanctorum in fide, mihi sermo est, aut vnquam fuit: sed tantùm de vera fide.

4. Vera autem, & ἀνυπόκριτος fides, vna reuera tantùm est: licèt propter vim miracula edendi, in aliquibus additam, in aliis non additam, duplex ab aliquibus constituatur: vna, communis omnibus electis, quæ etiam fides electorum à Paulo appellatur: & ea est, qua electi iustificantur, & viuunt: de qua Scriptura ait: Iustus ex fide sua viuet.

Altera specialis: & ea quidem est, qua speciatim quidam electi non solum iustificantur, sed etiam miracula edunt, prophetant, & aliis variis Spiritus sancti dotibus Ecclesiã instaurant: quisque secundum mensuram huiusce fidei sibi concessæ. De hac Matth. 17. Si habueritis tantam fidẽ, quantum est granũ sinapis, & dixeritis huic monti, Transi hinc illuc, transibit. & Rom. 12. Vt vnicuique partitus est Deus mensuram fidei. item, Siue prophetiam, secundum portionem fidei. De hac etiam fide, quatenus scilicet non solum iustificat, sed etiam prophetat, miracula edit, & variis dotibus Ecclesiam instaurat, non loquor in hac quæstione. Multi enim certis de caussis à Domino ad tempus tantum, hac fidei efficacitate, in faciendis miraculis, & vaticinando ornantur, sed certis etiam temporibus illa spoliantur: interim tamen non destituuntur fidei virtute, qua iusti sunt & viuunt. Hæc autem fides, quatenus iustificat, habet omnes eas proprietates, quas etiam fides iustificãs, omnibus electis communis.

5. De communi igitur vt loquamur, Fides vera & iustificans, omnibus electis communis, bifariam etiam capitur. Aliquando pro ipso habitu fidei, seu pro ipsa vi atque virtute, per Spiritum sanctum in corda electorum infusa: è qua actus, quo in Christum actualiter, vt ita loquar, credimus, gignitur, atque vt Scholæ loquuntur, elicitur. Est enim fides reuera, vt mox ostendam virtus, seu vis quædam, ac proinde qualitas infusa per Spiritum sanctum.

Aliquando fides accipitur pro ipso fidei actu, quo in ipsum Christum reapse cogitando & fidendo credimus.

Etsi verò hæc omnia non possim in Scripturis syllabatim indicare, distinctionem tamen ipsam Scripturæ, quanquam aliis verbis, manifestè docent. Ac primum quidem fidem frequentissimè pro actu credendi accipi, nemo dubitat. Hoc enim docent sacræ literæ, cùm dicunt, hominem fide iustificari, accipere remissionem peccatorum, intelligere aptata esse secula. adulti certè remissionem peccatorum consequi non possunt sine actuali fide. Pro habitu verò seu vi in cordibus electorum hærente, atque manente, nonnunquam accipi, Scripturæ etiam demonstrant, vt cum dicunt, Iustum viuere ex fide sua. item, Sine fide impossibile esse placere Deo. Iusti certè etiam, cùm dormiunt, & de Christo nulla actuali fide cogitant, viuunt tamen ex fide, & placent Deo. Appellatur etiam fides in Scripturis scientia, cognitio Dei, πληροφορία. Hæc autem in animis resident, etiam cùm actu non cogitamus de Deo, & scientia in prædicamento Qualitatis ponitur à philosophis. In ipsis etiam pueris, in quibus nullus cogitationis, ac sensus, aut fiduciæ actus esse potest, ipsum tamen fidei Spiritum atque vim inesse, fatentur omnes docti.

Bucerus apertè hoc fatetur multis in locis, vt in Epist. ad Ephes. cap. 1. Et quidem etiam distinctionem hanc fidei in Habitum & Actum tradit in libro de reconciliatione Ecclesiarum, controuersia de reconciliando articulo iustificationis, folio 170. Item folio 126. apertè ponit hæc verba, Credere habitu, & credere actu, & vtrumque afflatu Spiritus fieri. Et in Epist. ad Roman. cap. 9. in quæstione de libero arbitrio, non improbat quòd Scholastici habituale gratiæ donum appellent id, quod Apostolus internum hominem vocat. Et quis neget, fidem esse Dei donum, facultatémque per Spiritum sanctum infusam, qua credimus in Christum?

Fidem

m igitur aliquando pro Actu, aliquando pro Habi- quidem acquisito, sed infuso, accipi:extra contro- m esto.

Hæc autem vera fides secatur in fortem, quæ & ma- in imbecillam,quæ & parua fides in Scripturis ap- ur.In aliquibus enim magna & fortis est:in aliis,in- a & pusilla: imò in eodem aliquando infirma, atque nodum debilis: aliquando confirmatior, atque fortior Infirma fuit in Petro,cum ambulans super aquas cœ- mergi: inde & Dominus ei dixit, Modicæ fidei, quare itaſti?itẽ,cùm Christũ negauit. Atque aliquando hæc tma est: vt non tantùm ὀλιγοπιστία, sed etiam nonnun- m ἀπιστία appelletur à Domino in Scripturis. Matt.17. are non potuimus dæmonium eiicere? respondet Do- um: Propter incredulitatem, ἀπιστία vestram. Marc.9. mine.adiuua incredulitatem meam. Item capite 1 lu- Fortis fuit in eodem Petro, quum post resurrectionem mini, magna cum παῤῥησίᾳ, nihil metuens prædicabat ristum: denique cum maluit mori, quam Christũ non fiteri & prædicare. Et quidem quò imbecillior est fi- cò frequentius & grauiùs: quo autem fortior, cò rariùs uiùs peccatur à Sanctis. omnia enim Sanctorum pec- a ab aliqua fidei imbecillitate proficiscuntur.

7. Siue autem imbecilla sit, siue fortis, siue magna, siue arua: semper vera fides duas habet, præter alias, essentia- s, vt ita loquar, & inseparabiles proprietates: citra quas era & iustificans fides appellari non potest. Vna est vita: tera est perpetuitas. Est enim primùm necesse, vt sit vi- a, vitam Christi in fideli excitans: hoc est, quæ in corde uidem fidelis hominis, nouos & cœlestes motus, nouas cœlestes cogitationes, noua & cœlestia desideria, nouos denique & cœlestes affectus conformes Legi Dei, terre- nos subinde expellendo excitet: id quod significatur in Scripturis nomine purificationis cordium, item mortifica- tione carnis, & viuificatione Spiritus, seu crucifixione & se- pelitione veteris Adami, & viuificatione atque resuscita- tione noui hominis: in reliquis verò partibus, efficax sit, & operetur per dilectionem erga Deum & proximum. Hanc proprietatem passim in Scripturis inculcat Spiritus san- ctus: præsertim autem in Epistola Iacob & Iohannis, ex professo ita essentialem fidei esse hanc proprietatem do- cet, vt nisi hæc adsit, illa minimè vera & iustificans fides appellari possit. De hac prima proprietate, nulla inter nos est controuersia.

Altera fidei veræ essentialis proprietas est, vt sit perpe- tua: & vt nunquam penitus in ipso electo deficiat. Hanc proprietatem ego multis Scripturarum, & Patrum, & no- strorum doctorum testimoniis demonstrare possum. Sed hæc quæ subiiciam in præsenti Confessione satis sunto.

1. Abrahæ fides non solùm viua fuit, vt præter alios Ia- cobus in Epistola sua demonstrat: sed etiam perpetua. etsi enim variis tentationibus agitata fuit, nunquam tamen penitus in eo defecit. Hanc proprietatem fidei Abrahæ demonstrat, cùm Moses in historia Abrahæ, tum Apostolus Romanorum 4. Quicunque autem iustificantur, non alia fide iustificantur, quàm ea, qua etiam Abraham pater fidelium omnium iustificatus est: vt Scripturæ passim docent. vnde & pater credentium appellatus fuit: quòd quicunque sunt filij promissionis, & ita credunt, ac illis fides imputetur ad iustitiam: tum in eundem Seruatorem Christum ac Deum, in quem & Abraham: tũ eadem, hoc est simili fide, qua Abraham, credunt: & vt credant, necesse est. inde D. Iesus Iudæos, qui se filios Abrahę esse gloriabantur, negabat esse filios Abrahę. quamobrem? quia non faciebant opera Abrahæ, hoc est, quia neque in eum in quem Abrahã: neque ea fide, qua Abraham, credebant. Iacobus etiam euincit illos qui fidẽ habent mortuam sine operibus, non esse iustificatos, sicut Abrahã iustificatus fuit. quid ita? quoniam non fuit prædita ea, hoc est, simili fide, qua & Abraham: fide, inquam operante per dilectionem. Sicut igitur Iacobus euincit, illam non esse veram & iustificantem fidem, quæ mortua est: quia non est similis fidei Abrahæ in hac qualitate, quæ est, vt sit viua, ita euincitur, illam fidem, quæ non est perpetua, sed temporaria, non esse veram & iustificantem fidem. quare? quia non est similis fidei Abrahæ in hac altera essentiali proprietate, quæ est vt sit perpetua. Perpetuitatem autem tam esse essentialem proprietatem fidei iustificantis, & ad æternam vitam ducentis: quàm etiam vitã: manifestum inde fit, quod sicut illi non possunt seruari: quia non habent viuam fidem, ita nec illi, qui non eandẽ habeant perpetuam. temporarij enim neque Deo grati sunt, neque seruantur: & quicunque perseuerauerit in fi-

nem, hic tantùm saluus erit. Vera igitur & iustificans, saluansque fides esse non potest, nisi sit & viua, & perpetua: imò quomodo potest esse & appellari viua fides, vitamque æternam adferens: si non etiamsi ipsa æternum viua sit, sed tandem moriatur, atque penitus euanescat?

In parabola seminis explicatur natura veræ, & non veræ fidei. Fidei non verę dantur duę proprietates: vna, quod non sit viua, hoc est, quod licet cum gaudio semen verbi accipiat, & herbescentem etiam honestæ vitæ speciẽ proferat: nullum tamen verum fructum adferat, idque propterea, quòd semen cadit in terram, quæ terra aut petrosa est, ideóque in qua radices agere non potest: aut spinis referta, ideóque in quã semen iactũ, atque in herba iã versũ, suffocatur antequam fructum vllum proferre possit.

Altera proprietas, quæ non verę, neque iustificanti fidei ibi datur, est, quod non sit perpetua, sed temporaria. Veræ igitur fidei contrariæ sint qualitates oportet: hoc est, vt sit viua & perpetua. Atque hæ ibidem etiam explicantur: nimirum in illa parte terræ, quæ semen iactum retinuit, & inde multum fructum protulit. Perpetuitas in eo significatur, quòd illa terra retinuit semen in ea iactum, illúdque, neque à spinis suffocatum fuit, neque ex æstu Solis exaruit. Vita in eo, quod multum fructum attulit. Quod vero postea Dominus in explicatione parabolæ dixit de veris fidelibus: alios adferre fructum tricecuplum, alios sexagecuplum, alios verò centuplum: significauit, in omnibus quidem electis, verisque fidelibus, esse fidem & viuam & perpetuam, sed tamen in aliis esse fortiorem atque viuaciorem: in aliis imbecilliorem atque languidiorem. Etsi igitur vera fides, non in omnibus electis est æquè fortis atque viuida: in omnibus tamen & viua sit & perpetua necesse est: alioqui vera & iustificans fides dici non potest. Ac profecto non video, quomodo non consequatur: si fides non vera est tẽporaria, fidẽ igitur veram non esse temporariam, &, si temporaria non est, esse igitur perpetuam, quandoquidem contrarium temporario est ipsum perpetuum.

Testimonia nunc subiicio ex Patribus.

Augustinus ad Iulianum Comitem, sicut citatur in Decretis, Charitas, inquit, quæ potest deficere, nunquam vera fuit.

Ita Ambrosius in 2. Cor.6. Ergo neque fides vera est, si non sit perpetua sed possit deficere.

Idem August. Tom. 7. in Ioh. Euang. tract.106. col.513. Credere verè, est credere inconcussè, firme, stabiliter, fortiter, vt iam ad propria non redeas, & Christum relinquas. Hæc ille. Vera igitur fides non est, si non sit inconcussa firma stabilis, fortis, ita vt à Christo nunquam deficiat. Quid est autem hoc, nisi fidem esse perpetuam?

Lutherus in Postillis maioribus, in sexagesima in Euãg. Lucæ 8. de semine, quartos auditores, qui verbum Dei perpetuo retinent, & fructum adferunt, veros & sinceros Christianos appellat, reliquos omnes temporarios, vocat non sinceros & non veros. Ergo fides temporaria non est vera, neque sincera fides, & sola perpetua, vera & sincera est.

Brentius quoque, in idem Euangelium, de temporariis loquens, ait illos non verè credere. Fides ergo temporaria non est vera.

Bucerus in Luc.1. pag.141. Pietas, quæ finem nouit non est vera pietas. Ergo neque fides, quæ finem habet, vera fides est.

Item in Matth.8. sect.2. in tract. de Fide. Solos electos ait verè in Christum credere, reprobos credere, sed ad tẽpus, ideóque non verè: & fidem illorum, quia temporaria est, neque veram esse fidem, neque iustificare, aut filios Dei facere.

Idem in Ioh.2. sect.3. in ea verba, Iesus autẽ non se credebat eis primùm docet, illos, qui ibi dicuntur credidisse in Christum, fuisse temporarios, deinde de temporariis, Isti, inquit, sunt, qui credunt in nomen Christi, & ipse tamẽ se eis non credit. nouit enim quid sit in homine, nouit eos nihil minùs habere, quàm veram solidámque in se fidem. Hæc ille. Fides igitur temporaria, non est vera solidáque fides.

Idem in libro de reconcil. Eccles. in controuersia de iustificatione, in significatis verbi Credere: concludit primum, vt credamus. id in nobis fieri afflatu Spiritus sancti: deinde istum afflatum contingere variis modis. primùm, aliquando tale huiusmodi, vt credamus aliquid verborum Dei, sed non omnia: deinde. talem, vt credamus omnia: sed non semper, verùm ad tempus. Horum autem neutrum docet esse afflatum veræ fidei, fol. 128.

138.139. Reliquos verò afflatus veræ fidei, quos ibi refert, & explicat, omnes cum perpetuitate coniungit ac proinde docet, non esse veram fidem, nisi perpetua sit. Folio certè 139. ait hanc fidem quam Dominus vocat temporariam, vocari à Paulo fictam, & à Iacobo mortuam: eámque non eiusdem rationis cùm viua & vera illa fide, quæ vitam Dei in Christo verè apprehendat. Quibus verbis docet Bucerus: fidem, si temporaria sit, esse etiam fictam & mortuam, hoc est, nec viuam, nec veram fidem. Vera igitur fides perpetua sit oportet.

Idem est Epist. ad Ephes. cap. 1. in ea verba, Obsignati estis Spiritu promissionis sancto: temporariam fidem appellat imaginem fidei, item simulatam credulitatem: & eã a Iacobo ait appellari fidem mortuam: ideóque non esse veram fidem: sicut etiam homo mortuus non est verus homo: quod illa additione scilicet mortuæ, destruat naturã fidei: sicut etiam, cùm dicimus hominẽ mortuum, illa additione mortui, hominis natura destruitur.

Verùm, inquit, non de imagine fidei, sed de vera fide loquitur Paulus: cum de salutari, & à Spiritu sancto profecta fide loquitur. licèt enim illa fidei imago mirabiliter aliquando proficiat, vt etiam protrudat segetem: tamen nascente Sole, tandem extinguuntur tales fructus: vt apparet in iis, qui ex Euangelio libertatem carnis quæ sunt, & nihil de cruce considerant, quæ ibi docetur. hæc fides est simulata credulitas: Iacobus vocat fidem mortuam, quæ addita conditio, destruit fidei naturam: vt cùm dicimus hominem mortuum, illa additione hominis natura destruitur. Hęc Bucerus. Si igitur fides non sit perpetua, vera & viua fides non est.

Idem in eadem epist. ad Eph. cap. cap. 4. in tract. de Ecclesia initio fol. 121. triplicem ponit fidem, primo, iustificãtem, ideóque veram & perpetuam fidem, deinde, planè mortuam, & tertiò, inter has mediam, ipsam temporariã, & has duas postremas non esse veras fides demonstrat, neque iis iustificari homines. Quanquam, rursus, inquit, non desunt, qui fidem quandam mediam ponunt inter eam, qua iustificamur, quæ operatur per dilectionem, & planè viua fides dicitur, & fidem omnino mortuam, hoc est, nihil boni operis facientem. Et est sanè quædam etiam à Domino notata fides temporaria, quæ tametsi non perducet ac proficiat eò, vt iustum fructum ferat, in herbam tamen se effert. Hæc fides est assensus Euangelij, qui in hoc inspiratur hominibus etiam reprobis, vt & hi aliquo modo Deum verbis & factis glorificent orationibúsque Sanctorum cõmendent, atque simul nudentur omni excusatione ignorantiæ. Talis fuit fides Caini (sacrificabat enim & ipse) Saulis, Achabi, Iudæ proditoris, ac omnium qui à Deo eo vsque illuminantur, vt sacrum Dei verbum aliquo modo & aliquanto tempore cum gaudio amplectantur ac degustent, participésque fiant donorum cœlestium atque Spiritus sancti, & tamen rursus recidunt in impietatem, in eáque pereunt obstinati. Verum quidquid vitæ & operis in horum fide conspicitur, manent tamen homines huiusmodi temporario dono, & inutila fide donati, quandiu carent fide iustificatrice extra Christum, ideo in morte, & sub ira Dei, omnésque illi fidei, qualis qualis est in illis motus, atque in speciem benefacta, sunt Dei quidem boni bona opera, vt quibus etiam per malos generi humano benefacit, ad infinitæ suæ bonitatis gloriam amplificandam, ipsis autem hominibus, qui ea opera faciunt voluntate adhuc impia, quia sanguinem Iesu Christi, & per eum oblatam iustificationem pergunt impiè auersari, sunt mala opera & peccata. Hoc tamen interest inter hos, qui hac, quanquam euanida & non regenerante fide, Christũ Dominum verbis confitentur, & factis nondum palàm negant, & eos, qui quicquid verbis se credere dicant, factis tamen Christum Dominum conculcant pedibus, & sanguinem eius profanum habent, quòd illi in externa communicatione sunt ferendi, donec suam impietatem planè prodant, hi autem quia se ipsi manifestos suæ impietatis faciunt, minimè. neutri tamen membra fiunt vnquam vera corporis Christi, quia in Christo non viuunt. *Hæc* Bucerus. In iis Buceri verbis apparet præter alia, primò, fidem si sit temporaria, non esse veram, aut iustificantem, veram igitur & iustificantem fidem esse perpetuam. Secundò, Saulem & Iudam nunquam habuisse veram & iustificantem fidem, cùm illorum fides fuerit temporaria. Falsum igitur esse quod quidam docent, & scriptum reliquit: Saulem & Iudam fuisse iustificatos, sicut etiam Dauidem & Petrum. Tertiò, neque temporarios, neque apertè impios vnquam esse vera Ecclesię membra. Solos igitur electos, & vera fide præditos, vera esse membra Ecclesiæ.

Musculus in Iohan. cap. 8. pag. 62. in illa verba: Si manseritis in sermone meo: vere discipuli mei eritis: Coniungit, inquit, soliditatem & stabilitatem cum veritate. quod verum est, solidum est. quod falsum est, vt vanum est & fictum, ita & stabile, esse nequit, præsertim si examinationi subiiciatur: quod aurum est, permanet aurum: quod videtur, cùm non sit, non diu decipit: quia falsam auri speciem diu retinere non potest. Solidum granum trituram sustinet ac ventilationem: paleæ vero leui ventilatione in auram abiiciuntur. natiuus color firmior est: fictus facile proditur. vetus amicus etiam rebus aduersis non cedit: falsus & simulatus ad quamuis auram mutatur. magna est veritatis vbique soliditas. Sic veri Christi discipuli solidi sunt & firmi: nec facilè, rebus tristibus mutantur: falsi vero ne in pace quidem constantes sunt.

Idem in locis de patientia, cap. Quid sit patientia, pag. 757. Fides inquit, temporaria, vera fides non est.

Liquido igitur demonstratum est: perpetuitatem vsque adeo essentialem esse proprietatem veræ fidei, vt nisi sit perpetua, vera fides esse aut dici non possit.

Fidei veræ descriptio.

Fides igitur est virtus, seu vis, eáque viua ac perpetua: a Patre, propter Christum, per Spiritum sanctum in corda electorum, hoc est, nostra gratis infusa: quæ persuasi, id quod proponitur in scriptis Propheticis & Apostolicis, esse verbum Dei: illud totum, tam Legem quàm Euangelium, vt verum Dei verbum, indubitato & constanti assensu recipimus, atque ita recipimus vt & per Legem peccata nostra vere agnoscamus, iram Dei sentiamus de viribus nostris desperemus: & solido Mediatoris, qui peccata nostra tollat, iram Dei placet, viresque ad peccata deinceps vitanda, & Legem Dei seruandam nobis suppeditet, desiderio afficiamur, & per Euangelium, Iesum verũ esse Christum, Deum ac hominem, vnicum redemtorem, ac vnà cum Patre, & sancto vtriusque Spiritu, seruatorem nostrum, eúmque perpetuúmque, vere agnoscamus, & agnitum amplectamur, omnique fiducia & spe de remissione peccatorum, salute & vita æterna, in eo solo collocata atque defixa, in nostris necessitatibus inuocemus, & perpetuo illius amore affecta, perpetuò etiam in Legis eius faciendæ studium incumbamus, idque tum vt ipsius nomen perpetuo per nos glorificetur, tum vt nos veros esse Dei filios perpetua obedientia declaremus: tum denique, vt quotquot possumus electos, nõ solum lingua, sed etiam totius vitæ nostræ sanctitate, ad Christum adducamus, & adductos, magis ac magis in illius fide confirmemus.

Hæc est mea fidei descriptio, eáque plena, conflata ex omnibus suis caussis & præcipuis effectis. singulæ autem ferè partes superius probatæ sunt.

1. Primo quod sit virtus, seu vis, ideóque habitus quidam, in quinta fidei partitione superiùs ostensum est, vbi diuisa fuit fides in habitum & actum. Vulgò quoque obtinuit, vt fides, spes, & charitas, virtutes Theologicæ appellentur, & non Bucerus solùm, sed etiam alij multi definiunt sæpè fidem ita, vt dicant, eam esse donum Dei, & opus Spiritus sancti in mente electorum quo Euangelio Christi credunt. Est igitur discrimen inter donum, quo credimus, & inter ipsum motum animi actionémque credendi Imo in disputatione Ratisbonensi. pag. 443. idẽ Bucerus probat definitionem fidei, qua dicitur, Fidem esse virtutem diuinitùs & gratis infusam. Item pag. 445. concludit definitionem fidei, dicens, Fides itaque, qua credimus Deo, & iustificamur, quid possit esse aliud, quàm illa vis diuinitùs inspirata? illa doctrina & testificatio Spiritus sancti qua amplectimur, & volentes accipimus oblatam promissionem remissionis peccatorum. Virtus etiam philosophis dicitur illa esse quæ bonum facit habentem. Sic Cicero de Finibus. Virtus vis illa est qua res, cuius est virtus, perfecta redditur. Fides autem reuera facit bonum & perfectum eum, cuius cor occupat, facit enim iustos, purificat cor, &c. Est igitur virtus.

2. Viua & perpetua. hæ quoque duæ essentiales fidei proprietates, eius naturam explicantes, fuerunt superiùs demonstratæ, in cap. de fide.

3. Infusa: hoc est adiectum, vt discrimen fiat inter virtutes, vel à natura inditas, vel studio acquisitas, & inter illas, quæ desuper è cœlo donantur.

4. A Patre, hoc est, additum vt intelligatur vnde: tanquam à primo fonte sit fides: népe à Patre nostro, est enim ille fons sicut diuinitatis, sic etiam omnis virtutis, & omnium bonorũ, Iac. 1. Omne datũ optimũ & omne donum perfectum, desursum est, descendens à Patre luminum.

5. Pro-

Propter Christum. nihil enim boni in nos confertur, propter Christum: & Christus sua passione meruit e-
is, sicut salutem & vitam æternam, sic etiam fidē, qua
...em & vitam æternam recipiant.

Per Spiritum sanctum vt explicetur immediata &
...æ caussa efficiens fidei in nobis: & intelligatur non
...cere externam prædicationem verbi, & vim liberi ar-
...ij nostri, vt Pelagiani sentiebant: sed opus esse interna
...iritus sancti actione, ad fidem in nobis concipiendam.
...cut enim diffusa est charitas Dei in cordibus nostris, nō
...t liberum arbitrium, quod surgit ex nobis: vt ait Augu-
...inus, sed per Spiritum, qui datus est nobis sic etiam fides
...r Spiritum sanctum, non autem per liberum arbitrium
...funditur in corda nostra.

7. Gratis vt excludatur omne nostrum meritum: & a-
...noscatur fides esse gratuitum Dei donum: vt Scripturæ
...bique prædicant.

8. In corda electorum. vera enim fides solis datur ele-
...ctis: vt & Augustinus & Bucerus vbique docent secundū
...Scripturas: vnde & fides electorum á Paulo appellatur:
...nec mentem tantum sed cor in primis occupat.

9. Hoc est, nostra. hoc est adiectum, vt quisque nostrum
...confidat, se esse vnum ex electorum numero, neque pute-
...mus nos excludi ab illorum consortio.

10. Qua persuasi, id quod proponitur, &c. hoc est pri-
mum effectum fidei infusæ: vt persuadeat, id quod vere est
verbum Dei esse verbum Dei: Hac de caussa appellatur à
Græcis πίστις à persuasione. neque enim possumus recipere
& assentiri, nisi persuasi prius simus, illud esse verbum
Dei.

11. Totum, tam Legem quàm Euangelium. Hæc est materia fidei circa quam versatur. non enim solum Euangelium, sed etiam Legem fides credit esse verbum Dei, & tam Legem, quam Euangelium recipit, atque amplectitur.

12. Vt verbum Dei. etsi enim prædicatur ab hominibus: illud tamen non vt hominum, sed vt Dei verbum, sicuti est, fides recipit: vt ait Apostolus.

13. Indubitato & constanti assensu. proprium enim veræ fidei est, vt excludat omnem dubitationem. vnde & πληροφορία appellatur. est enim ἔλεγχος rerum non apparentium. Hebræo. 11. Constanti assensu vero additum est: quia vera fides non modo assentitur, modo dissentit, sed semper & constanter assentitur: aliquando quidem firmius, aliquando infirmius: constanter tamen credit. nunquam enim tanquam falsum reiicit verbum Dei.

14. Atque ita recipimus. vt per Legem. Explicantur specialia effecta fidei: & primum effecta quæ parit in nobis ex intuitu atque assensu in Legem Dei. Sunt enim hæc quatuor effecta omnibus nota: quorum primum est cognitio peccati: alterum, sensus iræ Dei contra peccatum: tertium, desperatio de nostris viribus, ex eo, quod videmus Legem esse Spiritualem, & requirere perfectissimam obedientiam, nos autem esse carnales, venditos sub peccatum: quartum, desiderium Mediatoris. est enim pædagogus ad Christum ducens.

15. Et per Euangelium. Sunt enim ista præcipua effecta fidei, quæ in electis parit: ex eo, quod intuetur in Euangelium Christi. primum est vera cognitio illius, qui immediatè prædicatur in Euangelio, nempe Iesu, quod is sit verus Christus: Deus & homo, quoad personam: redemtor, quoad officium. Vnicum, quia solus dedit λύτρον. Vnà cum Patre & sancto vtriusque Spiritu Seruatorem nostrū: quia licèt solus dederit λύτρον, eóque solus propriè sit redemtor: non solus tamen seruat, id est, iustificat, regenerat, beat: sed vna cum Patre & Spiritu sancto. Perpetuum. quia opus salutis inchoatum continuat.

Ita fides efficit, vt agnoscamus per Christum: ipsum etiā Patrem, tanquam nostrum Patrem, & Spiritum sanctum, tanquam eum, per quem in nobis habitantem regeneramur & sanctificamur.

Secundum effectum est: quod hunc vnicum seruatorem nostrum Deum, per hanc fidem non solum agnoscimus, sed etiam agnitum amplectimur, vera scilicet dilectione & reuerentia, tanquam nostrum Deum Patrem, Seruatorem. Cum hac coniuncta est fiducia de remissione peccatorum, & spes de plena consecutione æternæ salutis, ex misericordia ac bonitate Dei, & propter merita Iesu Christi.

Tertiū est inuocatio: oritur ex cognitione, fiducia ac spe.

Quartum, studium Legis & voluntatis eius faciendæ, oritur immediatè ex amore & reuerentia erga Deum.

16. Idque tum ipsius nomen. Tres hic fines nostræ obedientiæ, & studij bonorum operum. Primus, est gloria Dei: alter testimonium nostræ filiationis & fidei: tertius, salus electorum: eorum quidem, qui adhuc foris sunt, vt ad Christum accedant: eorum verò, qui intus sunt, vt in Christo conseruentur.

Breuis est hæc declaratio, sed tamen si opus fuerit, fusiùs explicabo, & firmis Scripturarum testimoniis probabo.

De hac fide mihi sermo est, cùm loquor de fide, & præsertim in hac quæstione de perseuerantia Sanctorum in fide, à qua contendo sanctos nunquam penitus excidere: quia neque radicem ipsam, hoc est, virtutem, seu vim infusam, quam alij vocant habitum, alij semen, propter verbū Dei, quod retinet, prorsus amittunt, neque omnes eius fructus vnquam penitus excutiunt: Deo & illam & istos perpetuò in eis conseruante propter suam promissionem, & Christi precationem, atque meritum.

Non sum autem secutus definitionem quorundam doctissimorum virorum, qui sic definiunt fidem, vt eam dicant esse fiduciam misericordiæ promissæ propter Filium Dei. quoniam licet hanc definitionem non improbem, plena tamen non est. Et licet fiducia nunquam à vera fide separetur, aliud tamen esse fiduciam, & aliud fidem, Apostolus ad Ephesios tertio capite apertè docuit, cū dixit: In quo (seu per quem) Iesu Christo habemus liberam inuocationem, παῤῥησίαν, & aditum cū fiducia, ἐν πεποιθήσει, quæ est per fidem illius. Fiduciam hic vocat Apostolus πεποίθησιν, & fidem πίστιν, & illam facit huius effectum. Definitio quoque fidei, quæ est Hebr. 11. latiùs se extendit, quā nomen fiduciæ. Et Bucerus in libro de reconciliatione Ecclesiarum in articulo de Iustificatione, multis demonstrat, fidem à fiducia differre: quanquam semper sint ambæ inseparabiliter coniunctæ.

Hac igitur de caussa, malui Bucerum secutus, ita fidem definire, vt dicerem eam esse vim, seu virtutem gratis in corda electorum infusam, qua &c. quàm dicere eam esse fiduciam.

De Gratia.

Gratia, quantum attinet ad præsentem controuersiam, principio accipitur pro illo æterno fauore Dei, quo ante tempora æterna, nos præ aliis multis gentibus dignatus est, vt scilicet nos in Christo ad vitam æternam elegerit, vocaturus postea in tempore, iustificaturus, & glorificaturus. Hæc gratia alio nomine vocatur æternus amor, quo Deus nos complexus est in Christo. De hac gratia cū alibi frequentissimè, tum præsertim 2. Tim 1. Vocauit nos vocatione sua sancta: non secundò opera nostra, sed secundum propositum suū & gratiam, quæ data est nobis in Christo ante tempora æterna, manifestata autē nunc per aduentū Seruatoris nostri. Ait datum fuisse nobis, etiam antequā nati fuissemus, sed non erat adhuc manifestata. De hac gratia loquor in quæstione de perseuerantia. & contendo, omnes, quibus ante tempora æterna, vt loquitur Apostolus, data fuit hæc gratia, ex ea nunquā excidere. quia si fuit illis data antè quàm nati essent, nec peccata, in quæ præuidit Deus illos lapsuros, impedire potuerunt eū, quin daret illis hanc gratiam: nihil igitur etiam nunc est, quod possit efficere, vt ea gratia excidant. est enim ea nihil aliud, quàm gratuitus Dei amor æternus & immutabilis erga suos electos. Et hæc gratia in Deo ipso est, ac proinde est immutabilis. In nobis non est nisi illius cognitio, sensus, atque effecta. Ideo ait Apostolus, Quæ fuit data nobis ante tempora æterna, nunc autem manifestata per aduentum Seruatoris nostri.

2. Gratia igitur accipitur secundo loco pro effectis illius gratiæ, seu fauoris & amoris, quo Deus nos complexus est ante tēpora æterna. Quæ effecta, diuersa cùm sint: diuersæ etiā gratiæ nominantur. omnia enim gratis dantur, & omnia sunt primæ gratiæ effecta. Atque in primis donum fidei, quo illam primam gratiam agnoscimus atque sentimus, gratia appellatur. Ab hac etiam aio electos non penitus excidere. Regeneratio quoque singularis Dei gratia est, neque hac gratia penitus priuantur, eā enim conseruat Spiritus sanctus in electis ad extremum vsque, vt postea demonstrabo. Remissio etiam peccatorum gratia est, gratis enim datur. Ab hac etiā nunquam excidunt, quia peccata, quæ semel sunt condonata, illis nunquam iterum imputantur. sunt enim dona & vocatio sine pœnitentia, Rom. 11. Timor quoque Dei, spes, & amor in Deū, singulares sunt gratiæ. Neque has gratias penitus amittunt electi. neque enim vnquam eò vsque adducuntur, vt Deum Epicuræo contemtu contemnant, aut vt de illius bonitate prorsus desperent, aut illum odio habeant. Denique omnia illa fidei effecta, quæ à fide separari

nullo modo possunt, gratiæ appellantur: & illas nunquam penitus in electis exstingui contendo: quia si fides non exstinguuntur prorsus, neque etiam effecta, cum fide inseparabiliter coniuncta, penitus exstingui possunt. De iis igitur omnibus gratiis intelligo, in hac quæstione, Sanctos non posse penitus excidere à gratia.

3. At verò sunt alia Spiritus sancti dona, & illius primæ gratiæ effecta, quæ etiam ipsa gratiæ appellantur, eò quòd gratis dentur: sed quæ minime necessario cum virtute fidei semper hæreant: vt purior mundities conscientiæ & cordis: vt alacritas Spiritus ex bona conscientia proficiscens: vt magna παῤῥησία in prædicando & cõfitendo Christo: vt heroica animi fortitudo in ferenda quauis grauissima cruce: vt vehemẽs & singularis gustus bonitatis & beneuolentiæ Dei erga nos: vt libera & hilaris inuocatio Dei, & multa alia fidei effecta, quæ sunt ceu lucidissimæ flammæ, ex ardenti igne affulgentes: & ceu splendidissimi radij, è corpore Solari emicantes, totumque aërem iucundissimè illustrantes. Certè vt ignis flammæ, vel subductis lignis, vel aqua superfusa restinguuntur, licèt totus ignis non simul & statim penitus extinguatur: & vt Solis radij, interiectis crassis nubibus, ex nostro aëre propelluntur: quanquam tota planè lux Solis minimè tollatur: ita hæc, de quibus iam diximus, fidei & Spiritus sancti effecta, peccatis ex consensu admissis è mentibus & cordibus sanctorum tolli, manente tamen, propter diuinam promissionem, fidei substantia, nunquam negaui, neque negari potest: cùm & exempla Sanctorum in Scripturis id luculenter demonstrent: & Sanctus quisque in seipso experiatur. Dauid, etsi non penitus amisit fidem, neque omnem Dei timorem, neque omnem in Deum fiduciam atque spem, neque omnem in Deum amorem, neque enim vnquam aut verbum Dei omnino contemsit: aut de Dei misericordia desperauit, aut Deum odio habuit, multa tamen alia se amisisse fatetur ipse, dum ea repetit, ac sibi restitui precatur. Munditiem conscientiæ & cordis, qua ante peccatum fruebatur, amisisse fatetur, dum petit se lauari & mundari ab iniquitate sua, dicens, Psal. 51. Laua me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me. Item, Expia me Hyssopo, & purus ero: lauabis me, & candidior ero niue. Item, Cor mundum crea in me Deus. Illam animi lætitiã, qua antea exsultabat in Domino, & alios quoque ad exsultandum subinde hortabatur, dicẽs, Lætamini in Domino, & exsultate iusti: amissam post peccatum fuisse fatetur, dum eam petit sibi restitui, dicens, Gaudio & lætitia perfunde me: & fac vt exsultent ossa quæ percussisti. Item, Redde mihi lætitiam salutaris tui. Sensum, quo per fidem sentiebat Deum esse propitium, & quasi læto vultu arridentem, post peccatum exstinctum fuisse, & conuersum in tremorem, quo totus concutiebatur, dum videbat eum sibi iratum, & se quasi iracundè intuentem, fatetur dum ait, Auerte faciem tuam, scilicet iracundam, à peccatis meis, & omnes iniquitates meas dele. Illam etiam vltroneam Spiritus voluntatem, qua anteà sponte & lubenti animo ea quæ recta erant constanter sectabatur, post peccatum, si non penitus amissam, saltem mirum in modum labefactatam fuisse, ita vt postea elanguerit ad ea quæ Dei sunt, docet ipse dum ait, Spiritu principali vel sponraneo confirma me.

De iis igitur, & aliis similibus gratiæ & fidei effectis, quæ gratiæ etiam non immeritò appellantur, quòd gratis dentur, & gratiæ Dei sint effecta, non loquor in hac controuersia de Perseuerantia sanctorum in fide & in gratia, non enim me latet hæc effecta nonnunquam amitti, sed tum de gratia illa prima, tum de gratiis secundi generis mihi sermo est.

De Sanctis.

Nunc quid nomine Sanctorũ intelligam, accipite. Hoc nomen, Sanctus, cùm de hominibus dicitur, principio generatim accipitur pro omnibus illis, qui vero Deo se consecrarunt, & Christo nomen dederunt, eúmque & eius religionem profitentur, siue id coram Deo verè & sincerè, siue tantùm coram hominibus id fiat. Sic populus Israel, etiamsi non omnes essent verè sancti, Sanctus tamen totus appellabatur. Sic Paulus omnes qui dederant nomen Christo, Sanctos appellabat, Rom. 1. Sic 1. Pet. 2. omnes ad quos scribebat Christianos, sanctam gentem appellat & regale sacerdotium.

Speciatim verò & propriè, hoc nomen pro illis accipitur, qui non solum appellantur, sed etiam reuera sunt coram Deo sancti. ij autem ita in Scripturis describuntur, qui cum fuerint ab æterno in Christo electi, postea etiam in tempore, secundum propositum fuerunt ad Christum vocati, veráque fide in Christum donati: & verè per Christum iustificati: at verè per Spiritum sanctum regenerati, sanctificati & in Christum insiti: atque ita insiti, vt iam in illis non ampliùs regnet peccatũ, sed Christus: neque amplius secundum carnem ambulent, sed secundũ Spiritum: & à Spiritu Christi ita agantur & custodiantur, vt & perpetuo amore legis Dei affecti, perpetuò etiam in illius faciendæ studium incumbant: & contra perpetuo peccati odio inflammati, perpetuo etiam contra peccatum pugnent, atque ita pugnent, vt licèt nonnunquam propter virium Spiritus remissionem & fidei imbecillitatem, atque propter nimium carnis & peccati impetum, inter pugnandum quasi ex equo deiecti, in terrã corruant: atque ita multa patiantur & agant quæ noliut, & multa quæ velint perficere non possint: mox tamen vi Spiritus subleuati, pugnam redintegrent. His notis describuntur nobis passim in sacris literis veri sancti: præsertim in Psalmis & Epistolis Pauli Neque aliter pij patres & Lutherus & Bucerus definierunt, quĩ sint verè sancti. Neque enim reprobi vnquam verè sancti sunt: cùm neque sanctitas Christi illis vnquam communicetur aut imputetur: neque vera & iustificante fide vnquam ornentur: neque per Spiritum sanctum vnquam verè sanctificentur aut regenerentur, neque vnquam verè ament legem Dei, aut odio habeant peccatum, sed & seruiant peccato, & viuant in peccato, & in peccato moriantur.

Denique tria sunt in Republica Christiana hominum genera: qui sicut Christiani & discipuli Christi, sic etiam sancti appellantur. Primum genus est illorum, qui Christum quidem confitentur & profitentur, & verò etiam nonnunquam prædicant: sed factis semper negant: hoc est nunquam imitantur, aut in animis intus, aut in moribus foris. Hi nunquam verè incipiunt viuere secundum Christum: neque verè coram Deo, neque simulatè coram hominibus. Hi igitur etiamsi appellentur sancti: nunquam tamen sancti sunt, neque coram Deo, neque coram Ecclesia.

Alterum genus est eorum, qui non solùm Christum confitentur & profitentur verbis, sed etiam factis & honesto vitæ genere, idque coram hominibus, & tota Ecclesia Christi, adde etiam, multos annos, ac nonnunquam ferè ad finem vsque vitæ, ita quodammodo exprimunt: vt nemo sit qui non eos iudicet inter verè sanctos esse connumerandos, sed interim perpetuò latet dolus in corde eorum: interim nunquam ex animo amant Christum: interim nunquam verè delectantur lege Dei, aut ex animo oderunt peccatum. Ac proinde coram Deo, qui corda omnium nouit, & scit quid sit in homine: nunquam verè sunt sancti. inde fit, vt neque in illa fucata sanctitate ad finem vsque perseuerent. Hi igitur incipiunt quidem viuere secundùm Christum coram hominibus: sed quia coram Deo nunquam verè incipiunt, ideo neque coram Ecclesia, in ea externa vitæ sanctitate, in finem vsque perseuerant. Proinde etsi sancti dici possint ad tempus coram Ecclesia: nunquam tamen verè sancti sunt coram Deo.

Tertium genus est illorum, qui quoniam electi sunt ad veram sanctitatem & ad eam efficaciter vocati, verè iustificati, veréque regenerati, & sanctificati, donatique vera, hoc est, viua & perpetua fide, & scriptam habent legem in cordibus suis, denique à Spiritu sancto nunquam penitùs destituuntur: Iccircò posteaquam semel donati vera fide, & inserti in Christum cœperunt verè odisse peccatum, amare legem Dei, & studere ex animo veræ & Christianæ sanctitati: in eo studio ita continenter pergunt, vt licèt aliquando languescant, illud tamen prorsus nunquam deponant, sed in eo ad finem vsque perseuerent. Sic enim verè sanctos sub nomine discipulorum suorum definiuit Christus Iohan. 8. Verè discipuli mei estis, si manseritis in Sermone meo. Quæ verba perpendens Augustinus Tom. 7. de Corrept. & Gratia cap. 9. inde concludit: illos tantum verè esse discipulos Christi, filios Dei & sanctos: qui in finem vsque in sermone & fide Christi perseuerant. Denique, inquit col. 1336. D. ipse Saluator: Si manseritis, inquit, in verbo meo: verè discipuli mei estis. nunquid in his computandus est Iudas, qui non mansit in verbo eius? nunquid in his computandi sunt illi, de quibus Euangelium sic loquitur: vbi Dominus commendasset manducandam carnem suam & bibendũ sanguinem suum, ait Euangelista, Hæc dixit in Synagoga, docens in Capharnaum. Multi ergo audientes ex discipulis eius dixerunt, Durus est hic sermo, quis potest eum audire? sciẽs autẽ Iesus apud semetipsum, quia murmurabant

ut de hoc discipuli eius, dixit eis: Hoc vos scandalizat? ergo videritis filium hominis adscendentem vbi erat prius? Spiritus est qui viuificat: caro autem non prodest quicquam. verba quæ ego locutus sum vobis: Spiritus & vita sunt. sed sunt quidam ex vobis qui non credunt. Sciebat enim ab initio Iesus, qui essent credentes: & quis traditurus esset eum: & dicebat: Propterea dixi vobis: quia nemo venit ad me, nisi fuerit ei datum à patre meo. Ex hoc multi discipulorum eius abierunt retro: & iam non cum illo ambulabant. Nunquid non & isti discipuli appellati sunt loquente Euangelio: & tamen non erant verè discipuli: quia non manserunt in verbo eius, secundum id quod ait si manseritis in verbo meo verè discipuli mei eritis. Quia ergo non habuerunt perseuerantiam sicut non verè discipuli Christi: ita nec verè filij Dei fuerunt, etiam quando videbantur esse & ita vocabantur. Appellamus ergo nos & electos Christi discipulos, & Dei filios: quia sic appellandi sunt, quos regeneratos piè viuere cernimus. Sed tunc verè sunt quod appellantur: si manserint in eo propter quod sic appellantur. Si autem perseuerantiam non habent, id est, in eo quod cœperunt esse non manent non verè appellantur, quod appellantur non sunt. apud eum enim hoc non sunt. cui notum est, quod futuri sunt, id est ex bonis mali. Propter hoc Apostolus cùm dixisset, Scimus quòd diligentibus Deum omnia operantur in bonũ: sciens nonnullos diligere Deũ, & in eo bono vsque in finem non permanere, mox addidit: His qui secundum propositum vocati sunt. Hi enim in eo, quòd diligunt Deum, permanent in finem vsque & qui ad tempus inde deuiant, reuertuntur, vt vsque in finem perducantur, quod in bono esse cœperunt. Hæc D. Augustinus.

Nomine igitur Sanctorum in hac quæstione, quosniam secundum Scripturarum descriptionem, & Christi definitionem intelligam, haberis: nempe illos, quibus, quia vocati sunt secundum propositum, & æterno amore à Deo dilecti, ipsi quoque Deum amare nunquam desinunt, omnia etiam peccata, vt ait D. Augustinus de corr. & gratia, cap. 9. per Dei gratiam cooperantur in bonum. sicut de his ait Apostolus Romanorum 8. Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum: iis, qui secundum propositum vocati sunt Sancti.

Licèt autem ex iis, quæ tum de vera fide, tum de gratia, tum de verè sanctis secundũ Scripturas explicaui, & cùm Augustini, tum etiam Buceri testimoniis confirmaui, facile, quod vestrum est prudentissimum iudicium, concludere possitis, tam esse certum, electos verè sanctos perseuerare in fide & in gratia, ideóque in Christo: vt si non perseuerent, neque verè electi, neque vera fide prædui, neque verè sancti vnquam fuisse dici vllo modo possint, tamen quia hæc controuersia de perseuerantia Sanctorũ. quædam etiam alia, præter illud primum atque præcipuum habet capita, quæ ad perfectam huius cognitionem cognitu ipsa quoque necessaria sunt, Icirco Dominos meos clementissimos rogo, vt ne ea quoque, quæ sequuntur, attentè legere, & diligenter examinare grauentur.

CAPVT II.

Quæ non controuertantur, & quæ cõtrouertantur in hoc articulo de Perseuerantia.

NVnc remouenda sunt illa, quæ non veniunt in hanc præsentem de perseuerantia Sanctorum quæstionẽ. idque duabus de caussis: vna, vt Domini clariùs intelligãt statum controuersiæ, atque ita rationes etiam, quibus sententiam meam probabo, meliùs percipiant, & an concludant néene, faciliùs intelligant. Altera, vt posteaquam viderint, de quibusnam controuersia sit inter nos, & de quibus non sit: intelligant, quanta sit & probitas, & eruditio meorum aduersariorum, qui cùm ea mihi obiiciant, & impugnent, & damnent, quæ tamen ego nunquam aut asseueraui aut etiam in quæstionem adduxi, declarant, se aut nescire quid dicant, & de quibus loquantur, aut à Spiritu non bono agitari.

1. Ac primùm quidem hic nulla est controuersia, de fide illorum sanctorum hypocritarum, qui fidem & pietatem ita simulant, vt etiam se simulare minimè ignorent. qualis fuit ille doctor hypocrita, qui simulabat fidem in Christum, & se illius doctrinam amplecti: ac proinde illum, vti magistrum suum interrogauit, dicens: Quid faciendo vitam æternã possidebo? Luc. 10. Et quales fuerunt illi, qui à Pharisæis missi, dixerunt Christo: Magister, scimus, quòd verax sis, & viam Dei cum veritate doceas, & non cures quempiam, neque enim respicis personam hominum. & ille & isti ita fidem & reuerentiam in Christum simulabant, vt etiam scirent se eam simulare. Ita multi sunt in Republica Christiana, qui etiamsi vnà cum aliis profiteantur Christum, certò tamen sciunt se non verè in Christum credere, & quidquid pietatis profitentur, esse simulatum, id quod impia etiam ipsorum vita, & firmum in sceleribus perseuerandi propositum, illis confirmat. De horum omnium fide, vel potiùs simulacro fidei præsens quæstio, de perseuerantia Sanctorum in fide, nullo modo intelligitur.

2. Neque etiam intelligenda est de fide temporaria alterius generis hypocritarum: nempe illorum, qui ita sibi videntur ex animo & verè credere in Christum, & speciosa quadam vita sanctitate, tum sibi, tum aliis imponunt: vt nullo modo suam fidem hypocriticam esse agnoscant: quanquam Deus probe videt, illam omnino non esse sinceram aut veram. Sunt enim multi, in quorum cordibus ita latet dolus, latet hypocrisis, latet impietas: vt neque ipsi eam intueri & agnoscere possint, sed solus Deus, iuxta illud Hier. 17. Prauum est cor Hominis & inscrutabile: quis & cognoscet illud? Tales fuerunt illi, de quibus Ioh. 2. Multi videntes signa quæ faciebat, crediderunt in eum. Iesus autem non se credebat eis: eò quòd ipse nosset omnes, & opus ei non erat, vt quis testimonium perhiberet de homine. ipse enim sciebat quid esset in homine. q. d. Illi nesciebant in se ipsis latere incredulitatem: in suis ipsorum cordibus latere dolum, atque hypocrisin. sed tamen Christus sciebat quales essent: & an verè crederent, necne: ipse enim solus sciebat quid esset in homine. Tales sunt omnes illi, qui à Domino Iesu vocantur πρόσκαιροι, hoc est, temporarij. ipsorum enim fides sincera, ideóque vera non est: quanquam ipsi tam sibi, quàm aliis vera & sincera fide prædi.i esse videantur. Non esse autem illorum fidem sinceram, atque iustificantem, infrà demonstrabo apertissimis, tum sacrarum Scripturarum, tum Lutheri, atque Buceri testimoniis. Quare cum non sit vera atque sincera fides illorum, pietas & sanctitas, ipsi quoque verè sancti & verè pij esse non possunt. Nostra autem quæstio est de vera verorum Sanctorum fide.

3. Neque etiam, vt modò de veris Sanctis loquamur, controuersia est: An electi etiam posteaquam iustificati & regenerati, & sanctificati sunt, donatique vera fide & Spiritu S. possint peccare, & frequenter peccent. Hoc enim est extra omnem controuersiam. cùm nemo nesciat, quid de se, & omnibus regeneratis scribat Apostolus 1. Ioh. 1. Si dixerimus quò d peccatum non habeamus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.

D. Hieronymus Tom. 2. adscribit hunc errorem Iouiniano, & cum multis Scripturarum locis doctissimè refutat, lib. 2. aduersus Iouinianum.

Augustinus verò Tom. 6. lib. de hæresibus ad Quod vult Deum, hæresi 88. hanc hæresin attribuit Pelagio Monacho.

Irenæus autem longè ante Augustinũ & Hieronymũ, hanc hæresin collocat inter alios Valentini & discipulorum eius errores, libro primo. Cùm enim reliquorum hominum appellarent alios χοϊκοὺς, alios ψυχικοὺς: se ipsos vocabant πνευματικοὺς, in quos nullum peccatum, nullave impietas cadere posset.

4. Neque verò etiam controuersia est, an ij electi atque sancti peccent, tantùm dum sentiunt flammas concupiscentiæ, quod omnium sanctorum esse, dum sunt in hac mortali carne, dubitat nemo. An verò etiam nonnunquã ex aliquo consensu in varia labantur peccata, éaque grauissima, tam in primam, quàm in secundam tabulam admissa. Scimus enim omnes Dauidem & Petrum, grauissima admisisse facinora: illum in secundam, hunc in priorem tabulam: idque ex consensu & voluntate, sed vt postea demonstrabo, non plena. Est hic error quorundam Anabaptistarum & Libertinorum qui dicunt, etsi ipsi quoque sentiant carnis affectiones: carni tamen ita nunquam consentire, vt verè & propriè peccent.

5. Neque item controuersia est: an sancti, dũ hoc modo peccant, nimirum ex consensu, Deum offendant, & eius iram contra se prouocent. est enim apud omnes pios in confesso, Deum omnibus, & omnium tam piorũ, quàm impiorum peccatis offendi, atque ita offendi, vt eius ira semper contrà eos, qui peccant, tam pios, quàm impios, tam electos, quàm reprobos prouocetur. Nemo enim ignorat illud de ipsis etiã filiis Dei à Deo per Prophetam

pronunciatum, Psal. 88. Quòd si filij mei dereliquerint Legem meam: visitabo in virga iniquitates eorum. Flagella quoque grauissima quibus pios propter sua peccata punitos fuisse in Scripturis legimus, & quotidie puniri videmus, confirmant, Deum omnibus & omnium peccatis offendi, & ad iracundiam, vt Scripturæ loquuntur, prouocari.

6. Atque hinc etiam manifestum est: non esse controuersiam: an sancti iis peccatis quodammodo inimici Dei fiant & à gratia Dei excidant: nempe eo modo, quo etiam filij nonnunquam à gratia parentum excidere dicuntur. liberi enim cum parentes offendunt, & ad iracundiā prouocant, dicuntur quodammodo excidere à gratia parentum: quatenus scilicet parentes, etiamsi nondum penitus paternum exuant affectum erga liberos, neque voluntatem, hæredes illos omnium bonorum paternorum constituendi & declarandi mutent: offensi tamen peccatis liberorum paternas blanditias in seueritatem quasi hostilē & aperta amoris effecta, in ea effecta mutant, quæ odij effecta omnino esse videntur. illis enim acerbè irascuntur, toruis oculis illos intuentur, acriter obiurgant, & quasi inimicos suos crudelissimè nonnūquam verberant, & tantùm non occidunt. Quis non tum dicat, tales liberos verè inimicos factos esse suis parentibus, & excidisse prorsus à gratia parentum? Ita filij Dei dicuntur suis peccatis inimici Dei fieri, & excidere à gratia Dei: cùm Deus, etsi nunquam paternum erga illos affectum ponat: aut voluntatem dandi illis per Christum vitam æternam mutet: tamen illorum peccatis offensus, effecta amoris in effecta odij cuiusdam, odij, inquam, non ergà filios, sed in filiorum scelera mutat: idque tam intus in ipsorum, qui peccant animis, quàm foris. Intus quidem, dum facit, vt sentiant conscientiam se accusantem, Deum sibi esse iratum, & se reos esse mortis factos: Foris verò: dum facit, vt iram Dei contra se, etiam in flagellis corporis & rerum externarum experiantur. De hoc igitur non est controuersia, quoniam non minùs ego, quàm alij, & scio, & doceo, Deum, cùm sancti peccant, illorum peccatis offensum irasci, & peccata in illis odisse, & grauissime punire, non quidem vt inimicum Sanctorum: eos enim semper castigat vt Pater: sed vt hostem vitiorum & scelerum in suis etiam filiis: ac proinde quodammodo (vt scilicet superiùs explicaui) dici posse, hosce filios excidisse à gratia Patris: quanquam neque ille desinit illis esse Pater, neque isti illius desinunt esse filij: ac proinde nunquam penitus à gratia Patris excidisse dici verè possint: id quod verè dici posset, si & ipse desineret illis esse Pater, omnémque erga illos paternum affectum poneret, decretúmque constituendi illos hæredes vitæ æternæ mutaret: & isti desinerent illius esse filij, & omne ius vitæ æternæ amitterent: quod non sine blasphemia dici potest.

7. Neque etiam quæstio est: an Sancti iis suis peccatis, quantum in ipsis est, in diuinā æternæ mortis sententiam incurrant, seu an rei æternæ mortis fiant. nemo enim est, qui illam iusti iudicis sententiam ignoret: Maledictus omnis, qui non permanserit in omnibus, quæ scripta sunt in libro hoc vt faciat ea. Sunt igitur omnes, quicunque illi sint, qui in Legem Domini peccant, suapte natura, & quantum in ipsis est, maledicti, & æternæ mortis rei. Sed an hæc peccata Sanctis imputentur à Deo ad condemnationē, alia quæstio est. Paulus Rom. 8 pronuntiat hoc modo: Nihil dānationis est iis, qui sunt in Christo Iesu, qui nō secundū carnem ambulant, sed secundùm Spiritū. isti autē sunt Sancti, de quibus ego loquor in hac quæstione.

8. Proinde quæstio etiā non est: an Sancti iis suis peccatis ita offendant Deum Patrem, & ita illius iram aduersus se prouocent, & sententiā æternæ mortis incurrant: vt opus habeant resipiscentia, & nouo fidei actu ad Patrem sibi reconciliandum, & ad nouam peccati veniam consequendam: & proinde ad pœnæ etiam, quæ peccato debetur condonationem impetrandam. Est enim illud in confesso apud omnes verè pios & verè doctos, Sanctis ad nouam noui peccati remissionem consequendam, nouo fidei & resipiscentiæ actu opus esse, iuxta illud in Scripturis vulgatissimum: Fide homines iustificari, & peccata remitti: quæ dicta, cùm de adultis sermo est, intelliguntur semper de fide actuali, hoc est, de actu fidei: quo non solùm mente intelligimus peccata nobis esse per Christum remissa, sed etiam voluntate huiuscemodi remissionem, Euangelio significatam & oblatam, apprehendimus atque recipimus. Nam illud quidem certissimum atque verissimum est: Deum peccata electis nunquā ad æternā condemnationem imputare. idque tribus de caussis: quarum prima est æternus ipsius & immutabilis amor, quo electos in Christo ab æterno complexus est, & continenter sine intermissione prosequitur: amor autem ibi non est, vbi ad condemnationem peccata imputantur. Altera est ipsum perpetuum Christi meritum, quo omnium electorū debita semel persoluta sunt, fracto ipsorum etiam debitorū chirographo: idque, vt non possint ampliùs ad condemnationem electis imputari. Tertia est ipsa perpetua Spiritus sancti in cordibus electorum inhabitatio, & seminis fidei, atque regenerationis conseruatio. Etsi igitur hoc certissimum est, Deum peccata nunquam electis imputare: idque tum propter suum æternum erga ipsos amorem, tum propter perpetuum Christi meritum ipsis imputatū: tum propter perpetuam Spiritus sancti in ipsorum cordibus habitationem, & fidei conseruationem: interim tamen illud etiam verissimum & certissimum est, Sanctos, postquam lapsi sunt, licèt ex infirmitate, in aliquod peccatum, non posse illius noui peccati nouam remissionem consequi, sine nouo fidei & veræ resipiscentiæ actu: hoc est, non posse sine noua fidei cognitione & apprehensione denuò intelligere atque percipere illud nouum peccatum sibi esse remissum, Patrem sibi reconciliatum, & pœnam, quæ peccato debebatur, condonatam. est enim illud in religione Christiana certissimum axioma, Nouum peccatum, noua opus habere remissione: & nouam remissionem noua impetrari fide, h. e. nouo fidei actu ipsam apprehendente remissionem.

9. Neque etiam quæstio est: an Sancti iis suis peccatis contristent, atque vt Apostolus Ephes. 4. loquitur, contristent tum Spiritum sanctum in se habitantem: tum suum Spiritum, hoc est, interiorem hominem. Est enim in confesso & omnes Sancti sentiunt, cum peccant, & postquam peccarunt, suum Spiritum, mentem & conscientiam perturbari ac sauciari. nam vis quasi quædam fit Spiritui & conscientiæ, cum ex consensu peccamus, inde oritur perturbatio mentis. Quia verò Spiritus sanctus in cordibus piorum inhabitat, & interiorem hominem agit atque sustentat: inde fit, vt perturbato nostro Spiritu, hoc est, homine renato & interiore, ipse quoque Spiritus sanctus inhabitans, conturbari ἀνθρωποπαθῶς dicatur à Paulo. De hac conturbatione ipse quoque Dauid conqueritur, dicēs Psal. 29. Auertisti faciem tuam, ò Deus, à me: & factus sum conturbatus. Quibus verbis indicat, vt etiam Augustinus obseruauit, tum Sanctos labi in peccata, cùm Deus paululum suam auertit faciem, & eos relinquit suo arbitrio, atque ita eos turbari: cùm verò Deus conuertit faciem iterum, & respicit nos: tum demum nos iterum repurgari & confortari. Sic etiam contigit Petro.

10. Atque hinc etiam perspicuum fit, non esse quæstionem, An Sancti iis peccatis ardentem in se Spiritum suffocent, & bonos eius motus atque actiones ac flammas reprimant, & quodammodo exstinguant, ac proinde etiā fidem ipsam labefaciant, inuocationē, fiduciam, gaudiū, pacémque conscientiæ, & alia fidei effecta opprimant. ista enim peccati effecta, sunt illæ animi perturbationes, de quibus Eph. 4. Nolite Spiritum contristare. & de quibus Dauid: Auertisti faciem tuam à me, & factus sum conturbatus. De hac fidei, Spiritus, & charitatis labefactatione, & imminutione ac restinctione, intelligitur illud Apoc. 2. Habeo aduersus te pauca: quòd charitatem tuam primam reliquisti: non certè in totum: nam antè eum laudauit à constantia, dicens: Sustinuisti propter nomen meum, & non defecisti. mox ait, Sed habeo aduersus te pauca, quòd charitatem tuam primam reliquisti. non ait simpliciter charitatem: sed Primam, hoc est, illam ardentem, refrigerat igitur & langueat, sed non penitus exstincta fuerat.

11. Quæstio denique non est: an etiam, quantum in se est, Sancti totum fidei, charitatis & Spiritus ignem penitus exstinguant. illud enim constat, Sanctos, dum peccāt ex consensu aliquo, talia admittere peccata, propter quæ mereantur, vt omni prorsus fide, & Spiritus auxilio spolientur. Neque si seruatur in istis fides & Spiritus: ipsorum aut meritis, aut viribus seruatur: sed tum propter merita & intercessionem Christi, tum propter promissionem & misericordiam Dei, virtute Spiritus sancti seruantur.

Neque ego de iis omnibus, quæ modò ab ista quæstione exclusi, aliter vnquam aut sensi, aut docui in vestra Schola, quàm hic à me sunt explicata: id quod meæ scriptæ prælectiones testificari liquidò possunt. Quare, qui me innocentem, & puræ atque orthodoxæ doctrinæ iam multos annos professorem, nunc primùm, post annos nimirum octo, quibus in vestra Schola & docui & disputaui, de multis etiam, quæ hic recensui, quasi contrarium

ium istis docuerim: vbique falsò accusarunt, traduxerunt calumniati sunt, idque securè, quòd viderunt me peregrinum esse imperitum linguæ Germanicæ, destitutum ratiâ populari impeditum etiam ne, qua poteram ratione saltem in Schola veritatem defenderem: Qui me, inquam hominem Christianum, professorem Scripturarum, & Ecclesiæ Christi membrum tam grauibus calumniis, per sesquiannum, & ampliùs, apud omnes traduxerunt, & nunquam colloquio me dignari voluerunt: viderint ipsi qua conscientia hæc fecerint. Qui sunt ex electis & qui vel ex ignorantia, vel ex infirmitate peccarunt, ego illis precor à Domino resipiscentiam, reliquos, si qui non sunt Domini (nuuit autem Dominus, qui sunt sui) cito ad tribunal Dei altissimi. Deus est iustus iudex: & horrendum est incidere in manus Dei viuentis.

CAPVT III.

Quæstio prima, de duplici homine in renatis.

An quisque Sanctus atque regeneratus duplici constet homine: interiore nimirum, atque exteriore.

NVnc venio ad controuersa, quæ ad summam quinque quæstionibus continentur. Primarius enim meus accusator, hoc etiam ex meis prælectionibus collegit, atque damnauit: vt videre est in thesibus mihi ab ipso obiectis. In fine etiam suæ orationis aduersus epilogum meæ prioris orationis in Capitulo habitæ, habet hæc verba: [Nihilominus tamen hanc, quã facit Zanchius, in quinta sua propositione de perseuerantia Sanctorum, distinctionem, inter duplicem renatorum hominem, & quod renati tantum carne peccent, non verò tota voluntate, & toto pectore: falsam & portentosam esse assero.] Hæc ille: quibus quid damnet in mea doctrina, nemo non intelligit, nimirum renatos constare duplici homine, & eosdem, cùm peccant non peccare secundum Spiritum, sed secundum carnem, ideóque non plena & tota voluntate.

Quod igitur ad illam distinctionem attinet, aio eam esse Apostolicam, & in Ecclesia Dei antiquissimam, idque iudicio etiam omnium doctorum & piorum virorum, ita vt miter, quî fieri possit, vt Doctor Theologiæ, hanc distinctionem portentosam appellarit. Quid autem nomine hominis interioris & exterioris intelligam: centies in Schola fuit à me explicatum, nimirum Interiorem esse totum hominem, quatenus ex Deo natus, & Spiritu sancto renouatus est, eundem verò totum hominem, quatenus ex Adamo natus, corruptus & deprauatus est. Exteriorem vocari, quorum etiam illum nouum, hunc autem veterem hominem appellant Scripturæ. Sic etiam docti omnes interpretantur, & præter alios Bucerus in Epist. ad Rom. 7. & ad Ephes. 3. quanquam hanc etiam interpretationem interioris & exterioris hominis, quasi mea solius esset, impugnarunt aduersarij mei.

Testimonia verò huius distinctionis sunt apud Apostolum multa, Roman. 7. Condelector Lege Dei, secundum interiorem hominem, video autem aliam Legem in membris meis, repugnantem Legi mentis meæ. Quis hîc in Apostolo renato non videat duplicem hunc hominem, interiorem & exteriorem? Rom. 6. Hoc scientes, quòd vetus homo noster simul cum eo crucifixus est. Vetus homo, Apostolo est totus homo natus ex Adamo, corruptus & animo, & corpore. Coloss. 3. Exuite veterem hominem, & induite nouum. Quid est nouus homo? totus idem homo, quatenus renouatus est, & regeneratus in Christo. Ephes. 3. Vt det vobis, secundum diuitias gloriæ suæ, virtute corroborari per Spiritum eius in interiorem hominem. Ibi Bucerus, Vocat, inquit, interiorem totum hominem reformatum, sicut per exteriorē totum hominem animalem intelligit, & corruptum, & veterem. Interior idem est, quem aliàs nouum: Exterior, quem aliàs vocat veterem. Hæc Bucerus. Ephes. 4. Deponentes veterem hominem, & induentes nouum. Ibi Bucerus, Vetus, inquit, homo est tota natura nostra, vt est in hunc mundum prolata, & eam attulimus nobiscum ex visceribus matris nostræ, sine Spiritu sancto, quæ appellatur caro, Coloss. 3. Hæc ille. Apparet igitur, distinctionem hanc non esse portentosam.

QVÆSTIO II.

De modo, quo Sancti volentes peccant.

QVod ad alterum attinet, damnant hanc propositionē tanquam falsam & portentosam, Sanctos seu renatos, cùm peccant, idque volentes, non secundum hominē interiorem, hoc est, ea parte, qua sunt renati, sed tantùm secundum exteriorem, hoc est, ea parte, qua non sunt renati, peccare, seu eos peccare, non secundum Spiritū, sed secundum carnem, neque velle peccatum voluntate Spiritus, sed tantùm voluntate carnis, ac proinde peccare quidem voluntate, sed non tota, & ex consensu, verùm non pleno, id quod alij dicunt, non ex animo. Hanc, inquam, damnant propositionem vt falsam & portentosam, vt suprà ostensum est, contrà verò contendunt, Sanctos, cùm peccant ex consensu, quemadmodum peccauit Dauid & Petrus, peccare tota & plena voluntate, totóque pectore. Sic enim de Petro aiunt, Petrus toto pectore abnegauit Christum, & toto pectore abhorrebat à Christo. Ac proinde concludunt, Sanctos, cùm peccant volentes, amittere penitus totam fidem, & totum Spiritum sanctum. Ego contrà, hanc ipsorum sententiam, tum generatim de verè Sanctis omnibus, tum speciatim de Dauide & Petro, tanquam pugnantem cum sacris literis, & doctis sanctísque Ecclesiæ Patribus, damno. illam verò superiorem sententiam probo, atque amplector, idque multis adductus tum rationibus, tum sacrarum literarum & Patrum, doctorúmque virorum testimoniis, quorum quædam hîc subiicio.

1. Si sancti, cùm volentes peccant, tota & plena voluntate, totóque corde peccant, nulla igitur sui parte peccatum odio habent aut detestantur, & nolunt. Hoc autē falsissimum est, & pugnat cum sacris literis.

Rom. 7. Apostolus de Sanctis & renatis omnibus, in sui persona repræsentatis, sic ait, Lex spiritualis est, ego carnalis sum, nempe quod ad hominem exteriorem, vtcunque sub peccato, hoc est, sub tyrannide enitotis sui. huiusmodi autem serui non amant tyrannos suos, neque illis ex animo seruiunt. cupiunt enim perpetuò libertatem. Docet igitur, Sanctos perpetuò odisse peccatum, proinde cùm peccant, non peccare plena voluntate, seu ex animo. Hoc meliùs explicat cum subdit: Quod enim ago, scilicet peccatum, non probo: hoc est, neque mente laudo, neque voluntate interioris hominis amo, vtrumque enim simul significat Apostolus verbo γινώσκειν, sicut & alibi sæpiùs in Scripturis, vt Roman. 9 Non repulit plebem, quam ἔγνω, id est, præcognouit vt suam, & præamauit. ita Matth. 11. Non noui vos. Sequitur Apostolus, Non enim quod volo, hoc facio, sed quod odi, hoc ago: hoc est. quod volo voluntate spiritus, hoc ego vt carnalis non facio, nempe bonum, sed quod odi spiritu hoc ago, vt carnalis, nempe malum. Docet igitur, in renatis, quatenus renati sunt, semper inesse odium peccati, tametsi quatenus carnales sunt, subinde admittant peccata, id quod paulo post repetit. dicens, Non enim quod volo, facio bonum, sed quod non volo, voluntate Spiritus, malum, hoc ego vt carnalis ago. Et mox, Condelector enim Legi, secundum interiorem hominem, video autem aliam Legem in membris meis, pugnantem cum Lege mentis meæ, & captiuum me reddentem Legi peccati, quæ est in membris meis. Ecce eius, quod initiò dixerat, explicationem & confirmationem: nempe cùm dixit, Ego autem carnalis sum, venundatus sub peccatum. Renati igitur propter hominem interiorē, qui odit peccatum, sunt ceu captiui in corpore peccati, ac proinde cùm faciunt peccatum, non illud faciunt ex animo, quia spiritu illud detestantur, & quasi inuiti illi seruiunt, vnde & dolentes hanc miseriam & seruitutem quasi coactam, exclamant cum Apostolo, Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? & quia confidunt, se certò liberatum iri per Christum, ideo se sustentant hac spe, dicentes, Gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum.

Quod autem multis docuerat, posteà concludit in fine capitis, dicens, Itaque idem ego mente quidem seruio legi Dei, carne autem legi peccati. Apostolum hîc loqui de renatis, fatentur omnes docti. Non loqui autem tantùm de motibus concupiscentiæ, sed etiam de peccatis actualibus quæ Sancti interdum admittunt. præter testimonia Doctorum virorū, docent verba illa sæpe repetita, Facio, Ago, Operor, Seruio. Sic etiam Bucerus scribit in eum locum. Facere, inquit, quidam in his pro Concupiscere accipiunt. Sed sic non loquitur Paulus, factum

ipsum intelligit, quod impulsu concupiscentiæ fit, contra id quod mens dictat, & mens legi consentiens approbat. Si igitur sancti, in peccatis etiam actualibus, agunt, quatenus carnales, quod nolunt, sed oderunt, quatenus spirituales & renati: manifestum est, Sanctos nunquam peccare plena voluntate, seu pleno consensu. Imo eousque progreditur Apostolus in eo loco: vt quoniam sancti non peccant plena voluntate, neque secundum interiorem hominem, dicat, Sanctos, cùm peccatum admittunt, non illos esse qui malum agant aut operentur, sed peccatū ipsum, nempe originalem corruptionem, quod est in illorum membris. Sic enim argumentatur: Si autem quod non volo ago: non iam ego operor, id est, perpetro illud, sed quod inhabitat in me peccatum. Quis hic non videat: Apostolū apertè & multis concludere, tantùm abesse vt sancti, cum peccant etiam actualiter, vt vocant, debeant dici peccare tota & plena voluntate, totóque pectore, & tam secundū interiorem, quàm secundum exteriorem hominem: vt potiùs quodammodo possint dici non ipsi malum facere, sed ipsum inhabitans peccatum? idque propterea quod pars renata non consensit peccato: interim tamen non excusantur à peccato, neque illorum peccata extenuantur: nam licet non secundum præcipuam partem, nempe secundùm hominem interiorem, sed tantum secundum exteriorem peccent: & mente quidem legi Dei, carne autem legi peccati seruiant: tamen reuera ipsi sunt qui sua propria voluntate peccant.

2. Si pij peccant tota voluntate, ergo quæcunque volunt secundum carnem, ea perficiunt. At hoc est contra Apostolum qui Galat. 5. ait, Caro concupiscit aduersus Spiritum: & Spiritus aduersus carnem: vt non quæcunque volueritis, ea faciatis. Hoc dictum est intelligendum ex æquo, nēpe quod quia caro pugnat cōtra Spiritum: ideirco sancti, quæ volunt secundum Spiritum, non semper possint perficere: & contra, quia Spiritus pugnat aduersus carnem, ideò sancti, quæ volunt secundum carnem, perficere iidem non semper valeant. Ergo sicut sancti non amant Deum toto corde & tota mente, quia caro impedit: ita non amant peccatum, neque peccant toto corde, quia Spiritus, ne id fiat, impedimento est.

3. Sancti nunquam peccant ex destinata malitia, seu vt alij volunt, ex animo, sed semper aut ex infirmitate, aut ex ignorantia. Malitia autem in ipsa propriè residet voluntate & corde, Matth. 15. Non igitur sancti peccant plena voluntate, toto corde, plenóque consensu.

Sanctos vero nunquam ex destinata malitia, sed semper ex ignorantia aut ex infirmitate peccare, his demonstratur testimoniis. Sancti secundum interiorem hominem condelectantur lege Dei, quod sit bona, Rom. 7. atque ita delectantur, vt quos non delectat lex Dei, ij non sint sancti. Ideo cum Dauide quisque Sanctus verè dicit: In capite libri scriptum est de me, vt faciam voluntatem tuam ô Deus: Volui, seu collibuit, & Lex tua in medio cordis mei (scripta est) Psalm. 89. Habent enim legem scriptam in cordibus suis per Spiritum sanctum, Ierem. 31. Ideircò in ea perpetuo meditantur, Psal. 1. In eorum etiam cordibus non est dolus, Psal. 32. Sunt enim verè Israelitæ, in quibus non est dolus, Iohan. 1. Et habent Spiritum Christi, à quo in interiore homine reguntur: alioqui sancti non essent, Roman. 8. Et diligunt iustitiam, & oderunt iniquitatem, Psal. 44. Diligunt enim legem Domini. Psal. 118. Gemunt etiam cum Apostolo, quod sint captiui, venundati sub peccato, Roman 7. Quomodo igitur possunt ex destinata malitia, ideóque tota voluntate peccare?

August. Tom. 7. de corr. & grat. c. 9. exemplo Dauidis & Petri docet omnes sanctos cùm peccant, peccare conturbatos: quod Christus paululum ab eis auertat faciē suam, iuxta illud Psal. 29. Auertisti, Auertisti faciem tuam à me, & factus sum conturbatus. Peccare autem conturbatum: non est peccare ex studio, atque ex destinata malitia: sed potius præter animi propositum.

Idem Tom. 4. Quæst. 25. in Num. tria peccatorum genera constituit: alia quæ fiunt ex infirmitate: alia quæ ex ignorantia, alia quę ex contemptu præceptorū Dei: seu, vt Scriptura loquitur ibi, in manu superbiæ. Aliud est igitur, inquit, præcepta contemnere: aliud, magni pendere quidem, sed aut ignarum contrà facere, aut victum. Est autem in confesso, Sanctos non peccare ex contemptu Dei, aut mandatorum eius, id quod ipse quoque Philippus Melanchthon in 10. cap. 1. Cor. scribit: eos non peruenire vsque ad Epicuræum contemtum. amant enim Legem & mandata Dei. Psal. 118. Peccare autem ex contemtu, & destinata malitia, idem sunt. Sancti igitur ex destinata malitia nunquam peccant. Quomodo igitur Theologi quidam audent contra me scribere, eos peccare toto corde & voluntate tota?

Gregorius 1. Tom. 1. in Iob. cap. 34. lib. 1. cap. 11. eandem tradit distinctionem, ex ignorantia, ex infirmitate, ex industria atque studio. Et ex ignorantia ait peccasse Paulum qui ait: Sed ideo misericordiam consecutus sum, quia ignorans feci. Ex infirmitate Petrum, cum negauit Christū. Ex studio & industria, illos Iudæos, de quibus Dominus: Si non venissem, inquit, nec locutus eis fuissem, peccatum non haberent. Item, Et viderunt, & oderunt me & Patrem meum, Iohan. 15. Hinc quid sit peccare ex infirmitate & ex studio, declarat dicens: Aliud est enim bona nō facere: aliud bonorum odisse doctorem: sicut aliud est præcipitatione, aliud deliberatione peccare. Sæpe enim peccatum præcipitatione committitur, quod tamen consilio & deliberatione damnatur. Ex infirmitate enim plerumque solet accidere: amare bonum, sed implere non posse. Ex studio verò peccare: est bonum nec facere nec amare. Sancti autem semper amant bonum: alioqui sancti non essent. vnde & Augustinus de Corrept. & Gratia cap. 9. iuxta illud Apostoli Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, iis qui secundum propositū vocati sunt sancti, ait, Hi enim (scilicet sancti, secundum propositum vocati) in eo quod diligunt Deum permanent vsque in finem. Si igitur, iuxta D. Gregorium peccare ex studio, est bonum nec facere nec amare, & iuxta Augustinum, sancti semper amant bonum, quia in eo quod amant, permanent vsque in finem: consequitur, Sanctos, non peccare ex studio, seu ex destinata malitia.

Lutherus quoque idem passim tradit. Tom. 5. in Comment. maiori in Epist. ad Galat. 5 in illa verba, Manifesta sunt opera carnis, apertiss. verbis ait, Dauidem & Petrum, cùm illa grauia scelera admiserunt, peccasse ex infirmitate, & non ex destinata malitia. Hinc Paulus (inquit) de Sanctis loquens, dicit carnem in ipsis concupiscere aduersus Spiritum. Itaque non oberunt: desideria & pugnæ carnis, non tamen ideo statim obsunt illis qui eas sentiunt. sed ita de hac re iudicandum est, aliud esse solicitari à carne, & eius concupiscentias non vltro ferre, sed Spiritu ambulare & reniti, & cætera. aliud esse assentiri carni, & opera eius securè perficere, in illis commorari, & tamen interim simulare pietatem, & iactare Spiritum, &c. Priores consolatur, dum dicit eos Spiritu duci, & sub lege non esse, posterioribus comminatur æternum interitum. Imo quandoque etiam accidit, vt sancti labantur, & desideria ipsius carnis perficiant. Sicut Dauid grandi & horribili lapsu cecidit: item autor fuit cædis multorum, dum volebat Vriam in acie perire: eáque re hostibus etiam occasionem dedit gloriandi contra populum Dei, adorandi idolum suum, & blasphemandi Deum Israel. Lapsus est horribiliter & Petrus, cum negaret Christum. Sed quantumlibet illa peccata grandia sint: tamen non ex contemtu Dei, aut ex destinata malitia, sed ex infirmitate communi sunt. Deinde admoniti nō perseuerarunt obstinati in peccatis: sed resipuerunt. Male igitur fecit quidam Doctor, qui in Schola dixit: Petrum toto corde negasse Christum, & toto corde abhorruisse à Christo. Lutherus hic aliter scripsit.

Item paulo post fol. 413. ait: Quare sancti peccant labūtur, & etiam errant, sed per ignorantiam. Non enim libenter vellent negare Christum amittere Euangelium. Hæc ille. Ergo neque Petrus libenter negauit Christum. erat enim sanctus Si autem non libenter voluit negare: ergo tota voluntate negauit.

4. Bucerus vbique hanc eandem inculcat doctrinam: Sanctos scilicet electos nunquam peccare tota voluntate, seu ex animo, destinatáque malitia: sed semper ex ignorantia & ex infirmitate. Accipite hæc testimonia.

In 7. ad Rom. ex professo hanc quæstionem tractat: Qui cohæreat nos, quod bonum est, velle, nec facere tamen: malum facere, & id tamen non velle, sed odisse, imo malum & facere, & non facere. Explicaturus autem quæstionem: primum inuestigat de quali homine ibi Apostolus, exemplo sui loquatur: & in summa concludit, eū loqui de homine renato, qui fide vera iam Legem Dei recepit, & eam amat, eáque delectatur: sed nondum tantam Spiritus Christi copiam accepit: vt eam possit vita eo vsque sectari, vt non subinde eam transgrediatur, non solum concupiscendo, quod etiam perfectorum est, sed etiam in varia & in fœda scelera labendo, sicut Dauidi, & Petro etiam, antequam maiorem Spiritus copiam in die Pentecostes accepisset, accidit: horum enim duorum exempla ibi commemorat. Secundo loco inuestigat, qua ratione fiat vt idem homo renatus, velit & nolit ma-

it malum, quod agit. Conclusio est: id contingere, quoniã in homine duplex sit voluntas: vna, qua consentit Legi: altera, qua facit quod detestatur: vna, quæ sequitur cognitionem Legis: altera, quæ sequitur cognitionem haustam à sensibus, quæque est de rebus præsentibus: seu id fieri, quoniam in renato duo sunt homines, interior & exterior: mentis & caro: quarum vna seruit Legi Dei, altera Legi peccati. Hinc igitur fieri, vt Sancti & malum quod nolunt, agant: & bonum quod volunt, non faciant. Quare eos non peccare pleno consensu, neque tota voluntate, neque totos, hoc est, secundùm vtrumque hominem.

Idem in cap. 8. ad Rom. sect. 2. Vos verò non viuitis secundùm cupiditates carnis: docet ex Apostolo, fieri non posse, vt qui verè sunt Christi, & habent Spiritum Christi, viuant secundum carnem, & argumentum hoc ipse ijs verbis conficit: Quoscunque obtinet Spiritus Christi, ij non possunt secundum carnem viuere. Spiritus Christi obtinet, quicunque Christi sunt. Ergo qui Christi sunt ij nec possunt quidem secundum carnem viuere. Hæc ill . Est autem ambulare secundum carnem, sponte, & libenti totóque animo carnis ductum sequi, eiúsque cupiditatibus tota voluntate obtemperare. Ergo Sancti non peccant toto animo, totáque voluntate.

Idem in Matth. 8. sect. 2. pag. 222. ait, in hoc Sanctos electos, cũ peccant, à reprobis differre: quod id ipsum, quod faciunt malum, oderunt, & quamprimum ab eo resiliunt: quippe rectè persuasi de Deo, & eius bonitate. vnde mente Lege ipsius condelectantur, malúmque carnis detestantur. Impij autem, malum quod agunt, amant: ac nisi sibi à Deo, vel ab hominibus timerent vltionem, optarent illi perpetuò inhærere.

Et paulo infrà docet, peccata Sanctorum ex imbecillitate fidei proficisci. dicens: Ac quidquid electi peccant, inde venit, quod sanctæ isti persuasioni aliquid adhuc apud illos deest. Item ait ibidem, quòd mens Sanctorum inconsulta ruit in peccatum, auertente ita aciem eius vi cupiditatis.

Idem in cap. 12. Matth. sect. 4. pag. 307. habet hæc verba: Quicunque, post cognitam veritatem relapsi ad impietatem animo fuerint, id est, volentes peccauerint: eos necesse est veritatem iam ante damnasse: id autem est blasphemare S.S. Hæc Bucerus.

Manifestum est autem, Sanctos electos nunquam peccare in Spiritum S. vt ibidem Bucerus docet. Nunquam igitur animo relabuntur ad impietatem post agnitam veritatem, id est, volentes, plena scilicet voluntate, peccant, vt Bucerus ibi interpretatur, quid sit relabi animo ad impietatem.

Idem in sect. 4. pag. 308. Electi, inquit, non peccant vnquam, nisi ex ignorantia. Item, semper sentias in electis quoddam semen Dei & veritatis studium: etiam tum cum veritatem oppugnant, aut certè pugnantem cum illa vitam degunt. Item: Et in multis perditè viuentibus, qui electi sunt, videas latentem quendam iusti rectíque amorem. Et hæc de electis scribit, antequam etiam veritatem recipiant, aut iustificentur. quanto magis igitur hæc vera sunt de electis iam iustificatis? Proinde de iis ita subiicit pagina 309. Vbi verò veritatem receperunt (scilicet electi) quidquid peccant, inde peccant, quod per cupiditates carnis aueruntur, vt veritati cognitæ non attendant. eò autem nunquam prolabuntur, vt veritatem odio habeant, & insectentur: sed mox potius amore ipsius, quòd peccarunt, incipiunt magnopere odisse & detestari.

Idem Matth. 7. sect. 6. pag. 200. Hactenus igitur peccare pius non poterit: quod ex animo iniquitati & peccatis nequit esse deditus, ita vt impij solent: sed Lege Dei mente vsque condelectabitur: eò quod semen Dei, verbi ipsius, & Spiritus filiorum apud illum maneant, natúsque ex Deo sit. Simul tamen, quoniam in carne sua boni nihil habet: committit pleraque quæ odit, vereque peccata sunt. at quoniam illis secundum interiorem hominem non delectatur, animóque Christo addictus est, imaginíque ipsius respondere ante omnia cupit, nec dubitat denique Christi merito omnia sibi condonanda, atque ad imaginem illam peruenturum: nihil quoque damnationis ei erit, quãlibet peccatori, manenti nimirum in Christo, Roman. 8. Deus siquidem illi peccata non imputabit. quare, neque peccata erunt, vti debita non sunt quæ creditor remisit, etiamsi verè ea contraxeris, neque persolueris tamen. Proinde quicunque Christi verè fuerit: is, vt non poterit peccare, hoc est, peccatis animo deditus esse & studere: quod solum Deus imputat & peccatum habet: ita necesse est, voluntati eius pro viribus studeat, neque quicquam prius habeat, quàm ad ipsius verbum totum se comparasse. Interim tamen obrepent à carne non pauca: vt nunquam quidem illi non orandum sit, Remitte nobis debita nostra: verùm merito Christi, in quo omnem ille fiduciam collocat, omnia vt condonabuntur, ita peccata non erunt. Qui itaque voluntatem Patris non fecerit, hoc est, faciendæ ex animo non studuerit (aliud enim facere, non est huius vitæ) is neque Patrem, neque Christum nouit: non est natus ex Deo, ac Spiritu filiorum Dei etiamnum caret: eóque fucus erit, quamlibet Christo, Domine, Domine, acclamet. corde namque ipsum Dominum nõdum agnouit: quo illum Dominum nemo vocare potest, nisi ex vera fide. Hæc omnia Bucerus.

Idem in Psal. primum, versu 1. pag. 3. Porro obseruandũ quod non ait vates: Beatus ille, qui non fuerit improbus, peccator, malitiosus: sed qui non habuerit cum his commercium, non fuerit horum secutus consilia, nec facta imitatus. apud eos enim qui beati esse, & ex Lege Dei viuere possunt, semen Dei, & Spiritus bonus ita obtinet: vt peccare, hoc est, toto animo praui & peruersi esse nequeant. id quod disertis verbis Iohannes in sua Epistola, cap. 3. adseruit: quippe qui nati sint ex Deo. Cæterum, quotidie delinquimus omnes: vt idem confitetur cap. 1. nec pauci identidem à malo præoccupati: consulta sceleratorum ad tempus sequuntur, vt Dauidi, Petro & aliis vsuuenit: quorũ alter explenãæ voluptatis caussa, & adulterium & homicidium admisit: alter cupiditate vitæ eo adductus fuit, vt negaret Seruatorem. Hic de sententia Buceri iterum Dauid & Petrus collocantur in numero eorum, qui etiamsi peccant: non peccant tamen, aut peruersi sunt toto animo.

Mox de Manasse & latrone subiicit, dicens: Sedisse in sede peruersorum, vt penitus cum illis in malitia conspirasse videri possit Manasses rex Iehuda: quo nullus regum vel plus idololatriæ contra Dominum inuexit, vel sanguinis Prophetici fudit. Cum hoc non abs re forsan iunxeris latronem cum Domino crucifixum. Vterque sanè filius Dei exstitit: alioqui nec ille ex corde Deum orare, & malorum suorum exorare veniam: nec hic municipatum paradisi percipere potuisset. qui namque non sunt ex Deo nati: vt nihil diuinarum rerum intelligere, quod Paulus de eis affirmat, neque audire quidẽ possunt, id quod Seruator ipse testatus est. Ioh. 8. ita neque quærere & orare tale aliquid valent. Vterque igitur ad vitam præordinatus, &, ante conditos homines, ad salutem delectus fuit: eóque verè improbus, flagitiosus, & malitiosus, quamlibet improbè, flagitiose & malitiosè plurima designarint, neuter fuit. quia apud eos plenus, atque consummatus Dei contemtus, amórque & studium prauitatis solidum nunquam exstitit: vtcunque sedem sibi inter impios peruersos fixissent: hoc est, meditatam vitæ rationem inter eos statuissent. Hæc ille. Quod si electi, etiam antequam sint renati, semen quoddam Dei & pietatis in se retinent: quanto magis id contendum est de electis iam renatis? Si autem tale pietatis semen in eis semper residet, nunquam igitur tota voluntate in facinus aliquod, sicut impij, sese proiiciunt.

Explicatio quæstionis, Quî fiat, vt idem Sanctus vir, quod non vult malum, tamen agat, eóque & velit: & quod vult bonum, non faciat, eóque & nolit.

Si quis autem non intelligat, quî fieri possit, vt idem homo, quæ recta sunt, velit, nec faciat tamen: & quæ non vult mala, sed odit & detestatur, faciat tamen: legat Bucerum in illum locum Apostoli, cap. 7. ad Rom. Ibi hanc quæstionem doctissimè & piissimè, quomodo id fiat, explicat: exemplisque Dauidis, cùm admisisset adulterium, & Petri, cùm negauit Christum, rem ob oculos ponit. Idem facit in libro de reform. Ecclesiarum, in controuersia de iustificatione. fol. 132.

Summa responsionis Buceri ad hanc quæstionem, hæc est: sicut supra etiam breuiter retulimus: Hoc ideo fieri, quoniam in homine duplex sit voluntas: vna, qua consentit Legi, quòd bona sit: altera, qua facit, quod detestatur. vna, quæ sequitur cognitionem Legis: altera, quæ sequitur cognitionem haustam à sensibus. Dum itaque fide vera Legem Dei consideramus: eam non posse non placere. quare cùm hæc consideratio valet, seu obtinet in nobis: tum nos odisse necessario, quæ Lex vetat mala: & amare quæ præcipit bona. Cùm vero mens nostra, tum propter suam à peccato originali acceptã imbecillitatẽ, tum propter violentas & perturbatas carnis appetitiones,

à consideratione eius boni quod proponit Lex, auertitur, atque ad ea, quæ caro vt suauia efficaciter suggerit, rapitur (id quod sine magno fit negotio) tunc nos à consensu Legis, rectáque voluntate in consensum malæ cupiditatis pertrahi: atque ita pertrahi, vt iam actu non iudicemus bonum, nec velimus, nec faciamus: nisi quod deprauatus carnis sensus appetit. Ita igitur nos malum, quod facimus nolle: non quod, cum illud facimus, actu & simpliciter nolimus: non enim faceremus, si actu & simpliciter nollemus: sed quia paulo ante, quàm scilicet mens nostra fuisset à violentis carnis appetitionibus atque furoribus quasi dementata, illud malū improbabamus, detestabamur, nolebamúsque: & nunc etiam cum facimus malum, si nostri compotes essemus, illud detestaremur, ac reiiceremus, id quod liquido apparet: quia simul ac deferbuerit ille carnis feruor, qui mentes nostras opprimit, ac dementat: mox iterum illud malum, quod facimus, improbabimus, detestabimúrque.

Eodem modo, nos bonum, quod volumus, non facere: non quod cùm bonū negligimus, actu illud velimus, sed tum, quod cùm non essemus à carnis vi, ceu serena quadam manu in suarum appetitionum consensionem pertracti, bonum, quod proponebat Lex probabamus & amabamus, tum quod etiam nunc, si essemus liberati illo carnis furore, qui nos dementat: illud idem bonum actu probaremus, & faceremus: & vbi liberati fuerimus, omnino faciemus.

Quia igitur in mente Sanctorum, etiam cùm actu peccant, remanet, vt ita dicam, habitualiter odium peccati & amor boni, licet actu, dementati a carne negligunt bonum, & faciunt malum: iccirco Sancti dicuntur facere malum, quòd nolunt: & non facere bonum, quod volunt: ac proinde non peccare tota voluntate, aut pleno consensu.

Hæc est summa sententiæ Buceri, in ea prolixa & obscura satis quæstione de illis renatis, qui imbecilliorem habent fidem, & non admodum magnam Spiritus Christi copiam. Si verò ij cum peccant, non dicuntur peccare tota voluntate, & pleno consensu multò minus alij Sancti, qui fortiore fide prædiri sunt, & maiorem Spiritus copiam acceperunt, sicut cùm idem Petrus, post acceptam maximam Spiritus sancti copiam, Antiochiæ libertatem Euangelij dissimulando, peccauit, & quasi iterum Christum negauit.

Quoniam verò hæc quæstio ad philosophos quoque pertinet: ideo Aristoteles etiam eam doctissimè, sicut omnia, explicauit in Ethicis ad Nicomachum, lib. 7. exemplo continentis, & incontinentis. Simile etiam mercatoris in naui, qui propter tempestatem merces in mare, quo ipse seruetur, proiicit, perspicuum est. Is certe diuersis respectibus, & ἑκὼν, & ἄκων, hoc est, voluntariè & inuoluntariè, seu sponte & non sponte merces perdit. Sed ego in rebus sacris simile adferam è sacris literis: & spiritualia spiritualibus, iuxta præceptum Apostoli, comparabo. Nautæ, qui Ionam Prophetam vehebant Tharsum, propter horrendam tempestatem, qua fiebat vt omnium vita periclitaretur, Prophetam in mare deiecerunt: idque vt ipsi seruarentur cum naui: quemadmodum narrat historia Ionæ. Illud fecerunt & voluntariè, & inuoluntariè. voluntariè: quia si simpliciter noluissent, in mare Ionam non proiecissent. voluerunt ergo proiicere. Inuoluntariè verò: primùm, quia ante ortam tempestatem nunquam constituerant, aut etiam cogitauerant eum perdere: imò, vt viri boni cogitauerant & decreuerant illum saluum atque incolumem Tharsum aduehere. Deinde, ipsa exorta tempestate, non statim incessit illos libido, aut cogitatio vlla vel hunc, vel alium hominem in mare deiiciendi & perdendi: imò, pro suis viribus, aliquandiu suis remis reluctati sunt fluctibus maris: onera quoque, quæ erant in naui, proiecerunt in mare, vt nauis leuaretur, inuocarunt quoque Deum: denique, postquam etiam dixisset Ionas, Tollite me, & proiicite me in mare, & cessabit à vobis tempestas ista. noui enim, quod propter me tempestas hæc grandis venit super vos: nolebant tamen illum nautæ in mare proiicere, sed adhuc remigando conabantur nauem in terram subducere: sed tandem victi tempestatis magnitudine, maluerunt illum, quam se cum sua naui perire. postquam etiam in mare illum deiecissent, vehementer doluerunt factum: &, veriti ne Deus se vlcisceretur, sacrificia illi obtulerunt. Postremò, non proiecerunt Ionam in mare, quatenus erant viri boni & nautæ fideles; nam ea parte & salutem Ionæ amabant, & odio eius interitum habebant, sed id fecerunt, quatenus amantiores sui fuerunt, & suæ nauis, quā vnius Ionæ: ac nisi tempestas illa fuisset fortior & vehementior, quam vt ipsi possent illi resistere: nunquam Ionam in mare deiecissent. Iis omnibus spectatis: nemo est, qui non agnoscat, & dicat, illos nautas inuoluntariè Ionam in mare proiecisse: & ita quod volebant bonum, nempe Ionæ salutem, non fecisse: & quod malum nolebant, nempe Ionæ perditionem, fecisse.

Idem contingit filiis Dei. Sancti in hoc mundo, & in carne mortali atque corruptissima, sunt ceu nautæ in pelago. Tentationes carnis, mundi, & Satanæ, sunt maris tempestates. Ionas est ceu Christus cum suo verbo & Lege. Proiicere Ionam e naui in mare, est quasi Christum & eius Legē à nobis peccando reiicere. Volentes certè nautæ Ionam in mare deiecerunt, ita sancti non peccant, Legem Dei à se reiiciendo, hoc est, transgrediendo, nisi quia volunt. Cæterum, sicut illi multis signis declarant, se non libenter, hoc est, non ex animo, aut studio Ionam in mare proiecisse: ita sancti demonstrant, se peccatum non velle, quod tamen faciunt. Primò ante tempestatem tentationum, non est illis animus transgredi Legem Dei, imò & peccatum oderunt, & Legem Dei amant. deinde, postquam, inuasi sunt à tentatione, non statim ei dant manum, sed remigando, quantum possunt, illi resistunt, ac reniruntur, inuocato etiam nomine Dei. reniruntur autem tamdiu, donec fracti tentationi succumbant. quæ nisi esset talis ac tanta, vt sancti sæpe non queant resistere, sancti nunquam facerent, quod nolunt: & semper facerent, quod volunt. tertio, post admissum peccatum, seu postquam deferbuit nostri maris, hoc est concupiscentiæ æstus: dolent factum, gemunt, deprecantur culpam, offerúntque sacrificia pœnitentiæ, vt ignoscat. His certè omnibus, quæ tum ante tentationem, tum in ipsa tentatione, tum post tentationem atque peccatum admissum contingunt Sanctis, satis luculenter apparet, quomodo Sancti, cum peccant, & velint & nolint peccatum, faciantque quod nolunt malum, & non faciant quod volunt bonum, ac proinde, eos dici nullo modo posse, plena, sicut etiam impios, voluntate peccare.

Hoc, quod modo explicaui illo nautarum simili, demonstratur exemplo Petri & Iudæ. Ante peccatum Petro non est in animo abnegare Christum, imo contra vsque adeo amat Christū, & odit eius offensiones atque hostes, vt verè paratus sit mori potius, quam Christum abnegare, ac proinde dixerit, Etiamsi omnes te negauerint, ego nunquā te negabo. Talis etiam animus est omnibus piis, antequam peccent, cùm scilicet sunt apud se, & vi tentationum non abripiuntur, quasi extra se, in transuersum ad absurda. Iudæ vero certè talis animus non fuit, qualis Petro, imo diu iam & quieto animo officium furis fecerat, Christum, & reliquos Apostolos suis pecuniis defraudando, sicut Ioh. 12. testificatur eum fuisse furem, ideo diu etiā & quieto animo secum deliberauit, quomodo posset cum suo lucro & sine strepitu Christum in manus hostiū tradere. Tales sunt animi impiorum, perpetuo malum meditantur, frigido etiam, vt est in prouerbio, sanguine.

In ipso verò tentationis æstu, Petrus, etiamsi propter maximam vim metus mortis quā sibi videbat imminere ex libera Christi confessione, non legatur reluctatus & renisus fuisse tentationi, tamen ex qualitate trium illius negationum facilè colligere est, de principio nonnihil in animo suo restitisse, dū nō apertè initio negauit, sed dissimulauit, ancillæ dicenti, Et tu cum Iesu Galilæo eras, frigidè respondendo, Nescio quid dicas. Nam postquam creuit tempestas, altera vice negauit cum iuramento, apertè Christum negando, & dicendo, Non noui hominem, tertia autem vice cū vehementissimus esset ventus tentationis, non tantum dissimulauit, nec tantum cum iuramēto negauit, sed etiā, sese diris deuouēdo, exsecratus est, atque, vt inquit Marcus, anathematizauit. At verò Iudas, ab eo tempore, quo cœpit tentari de prodendo Christo, eodem semper fuit animo, neque incurrit in tentationem de improuiso, sicut Petrus, sed ipse diu secum deliberauit, consilia bene coxit, cum hostibus Christi cōmunicauit, & occasiones tradendi eum in illorum manus quæsiuit. Sic agunt impij omnes, non incurrunt in tentationem de improuiso, sed ipsi eas venantur, & quærunt. pij contra.

Post vero admissum scelus, mox Petrū ita pœnitet facti, vt amarè peccatum suum defleat. Sic agunt etiam pij. Iudas vero etiamsi redierit ad Sacerdotes, & reddita pecunia dixerit, Peccaui, tradens sanguinem iustum, non legimus tamen eum fleuisse, & verè propter peccatum admissum doluisse. Quare quod se suspenderit, non ex dolore de peccato fecit, sed ex eo, quod videbat, se, si vixisset,

misisset, perpetuò futurum infamem: quod suum prodidisset Magistrum, præsertim pro iam parua pecuniæ summa. Ita impij dolent nonnunquam se peccasse, non propter peccatum ipsum, sed vel propter infamiam, vel propter pœnam aut temporariam, aut æternam, in quam se incurrisse viderunt. Quare impij huiusmodi pœnitentiis nullo modo indicant, se odisse malum, quòd egerunt, sed tantùm pœnam, in quam incurrerunt. Contrà verò Sancti reuera peccata admissa detestantur, & oderũt. Quis in iis duobus Apostolis non videat, quantum discriminis sit inter peccata piorum & impiorum, & inter horũ illorum in peccando voluntates?

Atque vt clarius in exemplo Petri, id quod dico de omnibus Sanctis, appareat, subiiciam locum ex libro D. Bernhardi de libero arbitrio, colum. 1592. vbi elegantissime, atque piè hanc quam tracto quæstionem, de voluntate, qua Sancti peccent, exemplo Petri in medium proposito, explicat. Sed videamus, inquit de his, qui pœnarum, mortisve timore, fidem verbo tenus negare compulsi sunt: ne fortè iuxta hanc assertionem, aut culpa non fuerit, quod vel voce negarunt: aut cogi in culpam & voluntas potuerit, vt vellet videlicet homo, quod eum & nolle constiterit, & sic perierit liberum arbitrium. quod quia impossibile erat (velle quippe & nolle idem eodem tempore non poterat) quæritur, vnde malum, nequaquam volentibus malum, debeat imputari. Neque enim tale est hoc, quale originale peccatum: quo non solum non consentiens, verum plerunque & nesciens, alia ratione constringitur, nec dum renatus in baptismate. Exempli causa veniat in medium Petrus Apostolus. ipse quippe visus est negare veritatem contra propriam voluntatem: si quidem aut negare, aut mori necesse erat. mori timens, negauit, negare nolebat, sed magis nolebat mori. itaque inuitus quidem, sed negauit tamen, ne moreretur. quod si lingua & non voluntate loqui homo compulsus est quod nolebat: non tamen velle aliud, quàm volebat. lingua mota est contra voluntatem: sed nunquid & mutata voluntas? quid enim volebat? prorsus quod erat, Christi esse discipulus. quid loquebatur? Non noui hominem. cur ita? mortem euadere volebat. Sed quid illud criminis fuit? Duas Apostoli tenemus voluntates: vnam, qua voluit non mori, penitus inculpabilem: alteram & multum laudabilem, qua sibi complacebat, quod esset Christianus. in quo ergo culpabitur? an in eo, quod mentiri, quàm mori maluit? Hæc planè voluntas reprehensione digna fuit: quod corporis magis, quam animæ voluit seruare vitam. Os, nempe quod mentitur, occidit animam. Et peccauit ergo & non absque consensu propriæ voluntatis, infirmæ quidem & miseræ, sed planè liberæ. Peccauit autem non spernendo, aut odiendo Christum, sed se nimis amando. Nec in hunc peruersum amorem sui, vt luntatem meius ille subitus compulit, sed esse conuicit. Iam tunc proculdubio talis erat: sed nesciebat, cum ab illo, quem latere non poterat audiuit, Priusquam gallus cantet, ter me negabis. Matt. 26. Illa itaque voluntatis infirmitas per inculsum timorem nota, non orta, notum fecit quatenus se, & quatenus Christum amauerit: notum autem non Christo, sed Petro. nam Christus & ante sciebat quid esset in homine. Quatenus ergo Christum diligebat, vim prorsus quod negandum non est, passa est illa voluntas: vt contra se loqueretur. quatenus verò se, voluntariè procul dubio consensit, vt loqueretur pro se. Si Christum non amasset, non negasset inuitus: verùm si se amplius non amasset, nõ aliquatenus negasset. Fatendum igitur, hominem fuisse compulsum, voluntatem propriam, etsi non mutare, occultare tamen: compulsum, inquam, non quidem recedere ab amore Dei, cedere tamen aliquantulum amori sui. Quid ergo? fortè dissoluta est tota superior assertio de libertate voluntatis: quia nimirum inuenta est cogi potuisse voluntas? Est planè: sed si cogi ab alio potuit, quàm à se ipsa. Quod si sese ipsa coegit compulsa & compellens, vbi amittere, ibi & recipere visa est libertatem: vim quippe, quam sibi ipsi impulit, à se pertulit. Porrò quod à se voluntas pertulit, ex voluntate fuit, quòd ex voluntate fuit, iam non ex necessitate, sed voluntarium fuit. si autem voluntarium: & liberum. Quem sua denique ad negandum voluntas compulit, compulsus est, quia voluit: imo non compulsus est, sed consensit, & non alienæ potentiæ, sed propriæ voluntati: illi vtique qua mortem omnimodis euadere voluit: alioqui quomodo vox mulierculæ linguam sacram in verba formare nefanda valuisset: si non linguæ domina voluntas annuisset? Denique cum se à sui postmodum nimio temperauit amore, & Christum cœpit, vt debuit, toto corde, tota anima, tota virtute diligere: iam nullis valere minis vel pœnis extorqueri aliquatenus voluntas, dare linguam arma iniquitati, sed potius audacter accommodans veritati: Obedire inquit, oportet Deo magis, quàm hominibus, Act. 5. Est sanè gemina compulsio: secundum quod aut pati aliquid, aut agere aliquid cogimur contra propriam voluntatem. quarum passiua quidem (sic enim prior illa rectè nominatur) potest nonnunquam fieri absque consensu voluntario patientis, sed actiua nunquam. Proinde malum quod fit in nos, siue de nobis, non est imputandum nobis, si tamen inuitis. Cæterùm quod fit & à nobis, iam non sine culpa est voluntatis. velle planè conuincimur: quod non fieret, si nollemus. Est igitur compulsio quædam etiam actiua, sed non habet excusationem, cum sit voluntaria. Cogebatur Christianus negare Christum, & quidem dolens, non tamen nisi volens. Hæc Bernhardus.

Fusius hæc explicaui, vt Domini mei melius videre queant, quibus rationibus fiat, vt sancti dicantur peccatũ quod agunt, velle & non velle: ac proinde nullo modo dici posse, Petrum & alios pios, cum peccant, tota & plena voluntate peccasse, aut peccare: quòd alioqui non fieret discrimen inter peccata piorũ & impiorum à voluntatib. sumtum: ac proinde tã pij quàm impij ex destinata semper malitia peccarent. Fateor igitur, Sanctos, cum peccant ex consensu, voluntate quidem non suspensa, sed definita & certa peccare, quoniam absolutè volunt peccare: & nisi vellent, non peccarent. atque hoc modo illorum peccata grauia sunt, neque à me extenuantur. At verò plena & tota voluntate eos peccare, dici non posse contendo, propter duplicem in illis hominem, & alias rationes, atque Scripturarum & Patrum autoritates à nobis allatas.

QVÆSTIO III.

De qualitate peccatorum in Sanctis.

EX secunda quæstione sequitur tertia, quæ est: An in Sanctos cadat peccatum regnans, vt Paulus loquitur, seu peccatum quod contra conscientiam appellatur. Vt autem de quo peccato sit controuersia, probè intelligatur, notandum est, tria esse peccatorum genera: quemadmodum innuit Apostolus Rom. 6. cum ait: Non igitur regnet peccatum in vestro mortali corpore, vt obediatis illi in concupiscentiis suis.

Primum est peccatum naturæ, radix & scaturigo omnium reliquorum peccatorum, quod originale vocant. hoc significatur κατ᾽ ἐξοχὴν, nomine peccati.

Alterum, sunt huius peccati concupiscentiæ, nobis etiã inuitis obortæ, vt praua desideria, & vitiosi ad peccandum affectus qui nunquam desinunt hîc nobis esse infesti. Hoc genus significatur nomine concupiscentiarum.

Tertium, est peccatum planè actuale, cum scilicet illi peccato naturæ, eius cupiditates persequendo, paremus: siue id fiat solo cõsensu, siue etiam dictis & factis. Hoc significatur illo verbo obediendi.

Illud primum est merè originale: alterum partim originale, partim actuale: tertium planè actuale. De primis duobus nulla est controuersia, an sint in Sanctis nécne: de tertio tantum est quæstio. Cæterum cum huius quoque multæ sint species, vt melius intelligatur de quo sit controuersia, illud quoque diuidendum est.

Tertium igitur peccatum, quod tum fit, cùm originali in suis concupiscentiis persequendis obedimus: ita est voluntarium, vt si voluntarium non sit, non etiam sit peccatum, vt Augustinus multis in locis docet. non enim peccato originali ad perficiendas suas concupiscẽtias obedire quis posset, nisi volens. Est igitur semper voluntarium.

Cæterum illi peccato naturæ & inhabitanti, duplici, eáque diuersa ratione ab hominibus obeditur. Alij obediunt volentes quidem, sed tamen voluntate non plena, neque pleno consensu seu toto corde: sed quemadmodũ captiui alicui tyranno. Et hoc contingit illis, qui aut ex ignorantia, aut ex infirmitate peccato obediunt. Ex ignorantia quidem, quia aut simpliciter nesciunt se malè agere: & ij nullo modo dicuntur peccare contra conscientiam: aut sciunt in thesi, non considerant tamen in hypothesi: vel si considerant, admodum frigide id faciũt, vi cupiditatum illorum animos à consideratione Legis Dei auertẽte. Ex infirmitate verò: quia vi & impetu peccati, aut mox perculsi & fracti, sponte se dedunt: aut postquam aliquandiu contrà pugnarunt, tandem superati

ad tempus cedunt. Ita igitur ij primi peccato obediunt volentes, sed non plena voluntate, plenóque consensu. neque enim amant peccatũ. Ij possunt dici peccare contra conscientiam, sed καταχρηστικῶς obediunt enim peccato scientes & volentes: sed neque perfecta scientia, aut attẽta cogitatione eius quod agunt, neque plena voluntate & pleno consensu, sicut paulò ante demonstratũ est. Alij obediunt plena voluntate, pleno consensu, totóque pectore, & omnibus quibus possunt viribus. Et ij sunt illi, qui ex destinata malitia, seu ex studio, & ex animo peccare dicuntur. Ij propriè peccant contra conscientiam: ita enim sciunt, se facere contra Legem Dei, vt illam contemnãt: & ita lubenti voluntate peccato obediunt, vt illud amẽt, & velint perpetuo, si impunè possint illi inseruire. Proinde hoc peccatum appellatur etiam regnans, quatenus, dũ peccati naturæ concupiscentias amamus, & ex animo perficimus, efficimus, vt illud in nostris cordibus regnet.

Sunt igitur duo peccati actualis genera, a duobus volendi modis longè diuersis desumta. Vnum, quod ita est voluntarium, vt sit etiam partim inuoluntarium: de quo actionum genere in Ethicis quoque Aristoteles disserit: quod scilicet non pleno consensu, vt ante expositum est, admittitur. Hoc etiam concedo in Sanctos cadere: nonnunquam enim hoc modo peccant, sicut Dauid & Petrus. Proinde de hoc, vt initio dixi, nulla est controuersia. Non est etiam controuersia, an hoc peccatum nouo reatu obstringat Sanctos, qui illud admittunt, & ita opus etiam habeant noua huius noui peccati remissione. nemo enim nostrum id negat.

Alterum genus est ita voluntarium, vt non sit vllo modo inuoluntarium. qua de caussa propriè peccatum contra conscientiam nimirum, plenam, & planè vastans conscientiam, adeóque & regnans appellatur. De hoc igitur altero actualis peccati genere, controuersia est inter nos. aduersarij enim affirmant, Sanctos, vt Petrum peccare tota voluntate, totóque pectore, atque adeò propriè contra conscientiam. & quoniam huiusmodi peccatum non potest consistere cum fide vllo modo, iccircò inde concludunt, Sanctos posse omnem amittere fidem. Ego contra nego hoc genus peccati in electos sanctificatos atque renatos cadere, ac proinde etiam consequenter nego, electos sanctificatos à fide prorsus excidere, & Spiritum sanctum penitus amittere posse.

Cur autem negem hoc peccati genus cadere in Sanctos: iis adducor rationibus ac testimoniis.

1. Quomodo enim potest regnare peccatũ, & per peccatum Satan, vbi regnat iustitia, & Christus? & quomodo potest ibi regnare fides, & per fidem Christus, vbi regnat peccatum & Satan? Parabola Christi nota est: Cùm Princeps fortis custodit arcem suam, illam non posse ab hoste suo occupari, nisi fortior sit Domino arcis, & eum ex arce pellat. Christus autem fortior est Satana, ideo Christus sæpe Satanam è suo pellit regno: & ibi ipse regnat. Satan verò etsi semper oppugnet oppida Christi, hoc est, electos: non tamen illa expugnare, & eiecto Christo rege, ibi ipse regnare, cùm non sit fortior Christo. Est igitur prorsus impossibile, vt peccatum in Sanctis propriè dominetur & regnet.

2. Peccatum regnans est illud, cuius concupiscentiis, tanquam mandatis regiis homines sine vlla repugnantia, ex animo, plenáque & lubenti voluntate obtemperant, & semper obtemperare parati sunt, iuxta illud Apostoli Roman.6. Non igitur regnet peccatũ in vestro mortali corpore, ad obediendũ concupiscentiis eius. Sanctis autem, primùm antequam vllum in eos impetum faciat Diabolus & peccatum: nullum est propositum obtemperandi aut seruiendi peccato. illud enim odio perpetuo prosequuntur. Deinde in ipso impetu, atque incursione peccati, conantis illos in sui obsequium trahere: illi pro sua virili peccato repugnant ac reluctantur: licèt nonnunquam grauiter vulnerati & cæsi concidant: sed id illis contingit contra animi propositum. Postremò, postquam propter imbecillitatem aliquomodo victi obtemperarunt peccato, iterum vi Spiritus confortati redintegrant pugnam contra peccatum, tanquam contra capitalem & perpetuũ hostem: & hanc pugnam vsque in finem vitæ continuant, Gal. 5. Quomodo igitur dici potest peccatum in Sanctis regnare, aut Sanctos peccato, tanquam regi suo obedire, ad perficiendas concupiscentias eius?

3. Iohannes in sua Canonica hoc in primis contendit: fieri non posse. vt qui verè Sancti & ex Deo nati sunt, huiusmodi admittant peccata, quæ aliàs vastantia conscientiam, aliàs peccata ad mortem, aliàs regnantia appellantur. proinde illos mentiri, qui iactant se filios Dei esse, & agnoscere Deum, cùm tamen interim securè peccẽt, odio habeant fratres, & Legi Dei seruandæ non studeant. Illos igitur tantùm esse Sanctos & natos ex Deo, qui vitandis peccatis, & Legi Dei seruandæ incumbunt. cap.2. Qui dicit, se nouisse Deum, & mandata eius non custodit, mendax est, & veritas in eo non est. Custodiuntur autẽ in primis præcepta Dei, cũ in corde fixa seruantur, atque amantur. Sic Dauid dicebat: In capite libri scriptum est de me, vt faciam voluntatem tuam, ô Domine. volui, & Legẽ tuã in medio cordis mei, scilicet scriptã habeo atque insculptam. Si Sancti ita habent fixam Legem in cordibus suis: quomodo igitur in illorum cordibus regnat hoc peccatũ?

Cap.3. Omnis, qui in eo manet, non peccat: & omnis, qui peccat, non vidit eum, nec cognouit eum. Item: Qui facit peccatum, ex Diabolo est: quoniam ab initio Diabolus peccat. Hic apparet: de quibus peccatis loquatur Apostolus, cum ait: eum, qui peccat, non esse ex Deo natum, sed esse ex Diabolo, nempe de illis, quæ sunt similia peccato omnium impiorum parentis Diaboli. quale autẽ est peccatum Diaboli? peccatum ex destinata malitia admissum, peccatum regnans, peccatum perpetuum. ipse enim Diabolus ab initio peccat. quasi dicat, ab initio, in hanc vsque horam, perpetuo peccat & hæret in peccato. Fieri igitur non potest, vt qui verè nati sunt ex Deo: & talia, id est, Diabolica admittant peccata, & in eis hæreant. Ideo de filiis Dei subdit, dico Omnis, qui natus est ex Deo, peccatum non facit: quoniam semen ipsius in eo manet, & non potest peccare, quia natus est ex Deo.

4. Hæc quoque est doctrina non solum piorum Patrum, nec solum Lutheri & Buceri, sed etiam omnium Protestantium. Quæ enim in disputatione Ratisbonensi defensa fuerunt, nomine omnium Protestantium fuerunt defensa. Ibi autem paginis permultis inculcatur & defenditur hæc doctrina, illos non habere veram fidem, qui peccata vastantia conscientiam admittant: & contra, qui sint verè fideles, hæc peccata non admittere, & multo minus in eis hærere, quod veræ fidei natura hæc peccata nõ ferat. Pagina 241. Peccatum, inquiunt, contra conscientiam, vel, vt Augustinus loquitur, vastans conscientiam, vera fides secum non fert, vnquam in tali peccato hæret, qui vera & iustificante fide viuit. Pagina verò 242. primũ ostendunt, fidem illorum qui hærent in peccatis contra conscientiam, non esse veram fidem, sed inanem opinionem. Deinde de iis, qui præditi sunt vera fide, sic aiunt: De fide tamen qua iustus viuit, secus est. hanc enim qui habẽt filij Dei sunt, & hos agit Spiritus sanctus ad ea, quæ sancta & recta sunt, vt contraria scientes & prudentes non agant, multóque minus in his perseuerent, tametsi ex carnis imbecillitate sæpenumero & ipsi non ex fide agant, & peccent: sed peccata non vastantia conscientiam, non illa quæ regno Dei statim excludunt. Quatuor hic dicunt de veris Sanctis, verísque filiis Dei, de quibus est nostra quæstio. Vnum: eos agi à Spiritu sancto, ad ea agenda quæ sancta & recta sunt. Alterum, ita ab hoc Spiritu sancto agĩ ad ea quæ sunt sancta, vt contraria non agant scientes & prudentes. Tertium, si Sancti non admittunt talia scelera vastantia conscientiam, multò minùs igitur in eis perseuerare. Quartum, eos tamen sæpenumero, propter carnis imbecillitatem, admittere quædam quæ non sunt à fide, & ita peccare: & de peccatis actualibus loquuntur, idque verbo Agendi significant. Etsi igitur Sancti sæpe peccent etiam actualiter, & ex aliquo consensu, propter carnis imbecillitatem: sicuti contigit Dauidi & Petro, quos peccasse ex imbecillitate supra, testimonio etiam D. Lutheri, probauimus: in illos tamen nunquam cadunt peccata regnantia quæ propriè contra conscientiã & vastantia conscientiam a Protestantibus appellantur. Hanc autem doctrinam confirmant Scripturis, & specia- tim hoc Syllogismo ex epistola D. Iohannis desumto: Qui credit vere, quod Dominus est Christus, is ex Deo natus est. 1. Iohan. 5. Qui autem natus est ex Deo, is non peccat, nec potest peccare. 1. Iohan. 3. Ergo qui verè credit, is non potest peccare, nempe peccatum vastans conscientiam, & multo minus in eo permanere. Hæc ibi ad verbum.

Neque vnquam aliter docui: & quidem cum Epistolam Iohannis interpretarer, tum in argumento Epistolæ, tum in explicatione secundi capitis, eandem doctrinam multis confirmaui. Legantur meæ prælectiones, præsertim in ea verba capitis secundi: Qui dicit, se nosse Deum & mandata eius non custodit, mendax est. Quare apparet, quàm indigna hominibus, qui Christum profiten- tur, fuerit

erit illa vox, quam aduersarij mei falsò de me sparserunt, multis persuaserunt, & verò etiam scriptam reliquerunt: Me scilicet docere, Sanctos, etiamsi peccent contra conscientiam, & viuant sceleratè, atque in peccatis perseuerent: eos tamen non amittere fidem: cum ego contra semper docuerim, iuxta Scripturas, eos, qui hæc admittunt & in eis perseuerent, non esse Sanctos, neque veram vnquam habuisse fidem, sed filios esse Diaboli. in Sanctos in hæc peccata non cadere. Quia etsi nonnunquam etiam peccent, idque ex aliquo consensu, sed nō pleno; nunquam tamen ex destinata malitia, neque ex contemptu Legis Dei, ideóque nec propriè contra conscientiā peccant, vt supra abundè explicatum est.

QVAESTIO IV.

An Sancti perseuerent in peccatis.

HInc facilè apparet, quid sentiā, & quid sentiendum sit de quarta quæstione, quæ controuertitur inter nos. nempe, An aliqui sancti iustificati ac regenerati perseuerent in peccatis vsque ad finem, & in illis pereant. Quidā enim Theologus hoc ait, & tueri conatur: Ego nego, & cū sacris literis pugnare, totúmque Euangelium illa doctrina euerti contendo. Quomodo enim cohærebit illud, Qui credit in me, habet vitam æternam? quomodo enim erit ei æterna, si ruat in æternum exitium? quomodo etiam integra manebit illa catena Apostoli Roman. 8. Quos prædestinauit, hos & vocauit, scilicet secundum propositum: & quos vocauit, hos & iustificauit. & quos iustificauit, hos & glorificauit, si iustificati possunt in peccatis vsque ad extremum vitæ halitum furenter perseuerare, & in æternum exitium ruere? Deinde si in sanctos non cadunt peccata regnantia, vt antea ostensum est, quomodo in illis perseuerare poterunt? Rectius igitur in disputatione Ratisbonensi, Protestantes scriptum reliquerunt, vt in locis paulo ante adductis visum est: Sanctos, & qui vera fide præditi sunt, eáque viuunt, licet & ipsi peccent ex imbecillitate, non admittere tamen peccata vastantia conscientiam, & multo minus in eis perseuerare. Rectius etiam Lutherus scripsit in cap. 5. ad Galat. fol. 422. Si autem non resipiscunt, sed porrò obstinati perficiunt desideria carnis, certum signum est, quod dolus sit in cordibus eorum, hoc est, quod non sint verè Sancti, sed hypocritæ. Item, Qui autem carni obsequitur, & pergit securus desideria eius perficere, ille sciat, se non pertinere ad Christum: & vt maximè se ornet nomine Christiano, tamen seipsum fallit. Qui enim Christi sunt, carnem crucifigunt cum vitiis & concupiscentiis suis. Docet iis verbis Lutherus, fieri non posse, vt qui verè sunt Christi & Sancti, perseuerent in peccatis, & pergant perficere desideria carnis: quia si qui reperiantur qui perseuerent, illi apertum dant testimonium, se hypocritas esse, & ad Christum minimè pertinere.

QVAESTIO V.

An Sancti, in fide semel donata, in finem vsque perseuerent.

AN electi, posteaquam semel donati vera fide, verè etiam iustificati, regenerati, & in Christum insiti fuerint, possint ampliùs à fide, & à Christo prorsus excidere, ita se habet quæstio. Neque enim in hac quæstione posui illam particulam: *Etiā si peccent contra conscientiam, & viuant sceleratè*, quemadmodum falso fui traductus. non enim me latebat hanc particulam reddere quæstionē ἀνόητον, cùm impossibile sit, aliquem esse in Christo, & viuere sceleratè, hoc est, ambulare secundum carnem.

Ego itaque ad quæstionem, in Schola respondi in hæc verba, vt videre est in meis de perseuerantia lectionibus: Sanctos, qui vinculo non solum æternæ electionis, sed etiam Spiritus Christi, veræque fidei Christo copulati, ideóque in ipsum Christi corpus, quod est Ecclesia Sanctorum, insiti semel fuerunt, eos perpetuo in Christo & in fide perseueraturos, nec posse amplius à fide prorsus excidere: idque non propter proprias vires, aut merita, sed tum propter promissionem Dei, tam propter Christi precationem & intercessionem, Spiritu Christi fidem in illis conseruante.

Totam hanc doctrinam, vt nouam & hæreticam damnarunt & oppugnarunt, sed nondum expugnarunt mei accusatores. Etsi verò tam ego in meis prælectionibus, aliisque scriptis eam satis copiosè probaui, quàm multæ Aca-

demiæ atque Ecclesiæ, & viri magni per Germaniam confirmarunt: quia tamen vos Domini mei iussistis, vt meam hac de re Confessionem, eamque testimoniis aliquot confirmatā vobis exhibeam: icirco eandem doctrinam iterū aliis etiam tum Scripturarum, tum Patrum, tum doctorū nostrorum, tum etiam vestrarum Confessionum testimoniis confirmare non grauabor, modo vos ne grauemini ea attentè legere, atque diligenter examinare.

Testimonia è Scripturis.

Ies. 59. Ego, ait Dominus, hoc fœdus meum cū eis pangam: Spiritus meus, qui est in te, & verba mea, quæ posui in ore tuo, nunquam excident de ore tuo, neque de ore seminis tui, dicit Dominus, modo vsque in sempiternum.

Hæc est promissio, non autem præceptum: quemadmodum suprà demonstraui. Et quidem hoc vaticinio donum perseuerantiæ promitti, aliàs etiam à me luculenter probatum fuit: ne igitur eadem repetam, remitto lectorem ad ea, quæ superiori libro pro explicatione huius loci diximus: de perseuerantia, cap. 4.

Non dissimilem locum habemus apud Ier. cap. 31. Ecce dies venient, dicit Dominus: & feriam cum domo Israel & cum domo Iuda fœdus nouum: non iuxta fœdus quod pepigi cum patribus eorū, tempore quo apprehensa manu eorum eduxi eos è terra Ægypti: quod fœdus meum ipsi irritum fecerunt, & ego ostendi, me esse Dominum eorum, dicit Dominus. Hoc verò fœdus est quod feriam cum domo Israelis: Post dies illos, dicit Dominus. inseram legem meam in interiora eorum, & in cor eorum scribam eam: eróque Deus eorum, & ipsi erunt mihi populus. Et non docebit vltra quis proximum suum, aut vir fratrem suum, dicens, cognoscite Dominum: sed omnes me cognoscent, à minimo eorum vsque ad maximum eorum, dicit Dominus. Quia propitius ero iniquitatibus eorum, & peccata eorum non recordabor amplius.

Ex hoc etiam loco manifestissimè sententiam meam, in confessione ad Dominos, confirmaui: sed quia hoc quoque vaticinium copiosè à nobis explicatum fuit superiore libro, de Perseuerantia Sanctorum cap. 4. idcircò ne actum agam, eò lectorem remitto: his tantum additis, quæ ibi non ita explicata fuerunt.

1. Quia non ait feriam aliud fœdus, sed simpliciter, feriam fœdus, idem scilicet quod patres vestri irritum fecerint: Nec ait, Scribam aliam legem, sed simpliciter legem meam, eandem scilicet, quā Patres vestri transgressi sunt: ideo Vetus & Nouum fœdus, ad substantiam quod attinet, vnum & idem esse docet Propheta.

2. Diuersum tamen esse vnum ab altero, ad modum quod attinet, quo vnum & alterum tradita sunt: tum quia ait, Feriam fœdus, non iuxta, seu non secundum fœdus illud, hoc est, non eodem modo: tū quia ait, scribam legem in cordibus, quasi dicat, cum eam in tabulis tantùm lapideis antea scripserim.

3. Quia Nouum opponit Veteri: & hoc ideo ait irritum fuisse factum à populo, quia legem non seruauit: ideo verò non seruasse, quia illam in cordibus scriptam non habebat: Nouum igitur futurum æternum, quia lex in cordibus scripta, à nouo populo amabitur, & ea re seruabitur: Studium itaque legis seruandæ, in renatis esse perpetuum, ideóque & Fidem in Christo, quæ caput est totius legis, esse perpetuam.

4. Quod enim ait, scribam in cordibus, perinde est, ac si dixisset, efficiam, vt Lex mea in illorum cordibus fixa permaneat, illa perpetuo delectentur, inque illa meditentur die ac nocte. Et sic iustus ac pius quisque dicit cum Dauide, Lex tūa in medio cordis mei, nempe fixa & insculpta est: eóque perpetuo illius obseruandæ studio afficior. Quod enim in corde scribitur, perpetuum est, nec vnquā expungitur. Sic de lege naturali, in cordibus gentium inscripta, Apostolus loquitur, dicens: Gentes, quæ sunt sine lege (Mosis in tabulis scripta) ostendere se habere opus legis scriptum in cordibus suis: testimonium reddente illis conscientia ipsorum. Ea locutione significauit Apostolus, legem naturalem, quæ fuit omnibus, etiam gentibus, à Deo inscripta, ex cordibus & mentibus hominum nunquam potuisse, etiam post peccatum penitus deleri, quin adhuc perpetuò homines sentiant, se ab illa in conscientia accusari. Significat ergo hæc locutio, quę sunt à Deo in cordibus conscripta: ea esse perpetua, & penitus expungi non posse. Idem significare voluit Apostolus 2. Cor. 3. cum eos appellauit suam & Christi Episto-

lam, Spiritu Dei, in tabulis cordis carnalibus scriptam. Erant Christi Epistola: quia ipse suo Spiritu propriè in cordibus eorum inscripserat legem hanc, de qua Ieremias loquitur. Erant etiam Epistola Pauli quia opera Pauli vsus fuerat Christus ad inscribendum in illis Euangelium. Appellat igitur eos epistolam suam scriptam in tabulis cordis: vt significet eos esse suam viuam & perpetuam gloriam.

5. Quia ex hac legis in cordibus inscriptione duo sequuntur: vnum, Eróque illorum Deus, & ipsi erunt mihi populus: alterum, Omnes agnoscent me: ideò sicut illa legis inscriptio perpetuo manet: Sic etiam significat, Et Deum, perpetuò esse nostrum Deum, nósque perpetuò illius manere populum. Et, nos perpetuo agniturus Deum. Agnoscitur autem per fidem, verbum Dei retinentem. In quorũ igitur cordibus inscripta est lex Dei, eos à gratia Dei non excidere, & fidem penitus non amittere, significauit Propheta.

6. Adde, quòd cum his coniungitur perpetua peccatorum remissio, qua fit, vt propter quotidianos lapsus, renati non desinant, & cognoscere Dominum & esse populus Dei, & legem in cordibus fixam retinere. Statim enim tanquam caussam præcedentium subdens, ait: Quia propitius ero iniquitatibus ipsorum. Hoc itaque vaticinio pulcrè Perseuerantia sanctorum confirmatur.

Neque hîc est quòd excipias, fœdus esse firmum & æternum ex parte Dei, quia per ipsum non stat quin maneamus in fœdere, & quin lex maneat scripta in corde in sempiternum: sed nostra fieri culpâ, ne maneat firmũ, nec lex in nobis fixa permaneat. Nam eadem etiam ratione fœdus cum Israelitis initum, ex parte Dei semper fuit æternum: sed vitio populi factum fuit irritum. Ipsi, inquit, illud irritum fecerunt. Quòd si idem de altero dicatur: quid igitur noui promittit Deus per Ieremiam? Nisi igitur velimus negare nimis apertum verbum Dei, fatendũ est electos, quibuscum nouum fœdus est factum, postquam semel Lex Domini, fidésque Euangelij per Spiritum sanctũ inscripta est in illorum cordibus: à fœdere nunquam excidere, neque legem ac fidem ex illorum cordibus penitus deleri. Peccata enim in quæ per infirmitatem labuntur, Deus vt hîc ait, nunquam imputat.

Hier. 2. Ponam timorem meum in cor eorum, vt non recedant à me. Hoc etiam testimoniũ superiori libro, de Perseuerant. cap. 4. fusè explicatum est. Summa: promittit Deus se effecturum ne populi, hoc est, electi, deficiant à se: sed vt maneant in fœdere in perpetuum. quomodo id facturus est? ait, Dabo, seu ponam timorẽ meum in cor eorum, hoc est, efficiam, vt timor mei perpetuò maneat in illorũ cordibus. isto autem perpetuo timore, retinebuntur etiam perpetuo ne deficiant.

1. Ioh. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei. Electi autem vt ingrediantur in regnum & seruentur oportet: cùm perire nõ possint. Iohannis 10. Romanorũ 8. Electi igitur. vt hinc ad aliam vitam non nisi regenerati migrent, necesse est. Regeneratio autem semel tantùm fit: & in huius rei signum, semel etiam datur baptismus aquæ. Quod si regenerationem denuo velit quis secundo & tertio repeti atque donari, ipsum quoque baptisma sæpiùs repetatur atque recipiatur necessum fuerit: præsertim si in dicto Iohan. 3. nomine Aquæ intelligere velimus baptismum aquę. Sunt enim ibi ita coniuncta Spiritus & aqua: vt vnum ab altero non separetur: Regeneratio igitur semel facta per Spiritum sanctum, per eundem etiam conseruatur vsque in finem. Argumentum hoc vos quoque in vestra Confessione, anni M. D. XXXIX. confirmatis. Sic enim habetis in articulo VII. Hanc regenerationem, vnà cum omnibus Christi meritis, Spiritus sanctus cordibus fidelium inspirat: & ad extremum vsque in illis conseruat.

2. Ioh. 4. Omnis qui biberit ex aqua hac, sitiet iterum: qui autẽ biberit ex aqua, quam ego dabo ei, nõ sitiet in æternum, sed aqua quam ego dabo, fiet in eo fons aquę salientis in vitam æternã. Nomine Aquæ intelligendũ esse Spiritũ sanctum, omnes tam veteres quàm recentiores interpretes, fatentur: iuxta interpretationẽ ipsius Iohannis cap. 7. in illud Christi: Qui credit in me, flumina fluent de ventre eius aquæ viuæ. Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum. Hæc Iohan. Bibere autem ex ista aqua, est, credendo in Christum, participem fieri Spiritus sancti. Fieri seu nasci fontem in aliquo aquæ viuæ: est Spiritum sanctum in aliquo indesinenter, instar fontis perpetuò scaturientis, inhabitare atque operari. Promittit autem Christus, hunc perpetuò scaturientem fontem iis, qui viua in se fide credunt. Quotquot igitur viua in Christum fide credunt: ij fontem quoque ipsum Spiritus sancti perpetuo scaturientis, hoc est, donum perseuerantiæ consecuti sunt.

Bucerus quoque sic locum hunc interpretatus est, pag. 644. Certum est, inquit, hanc aquam Spiritum sanctum esse. Si iam ergo hoc Spiritu sancto potus, nunquam potest sitire: in aperto est, eum, cui semel hic Spiritus contigerit, cui semel credere fuerit datum: eum nunquã posse gratia Dei excidere. Sicut námque is sitire nunquam posset, qui fontem in visceribus haberet continuo scaturientem atque potantem, ita satutum esse oportet bonorum omnium & præsentem semper & in omnibus habere consolationem, cui adest Spiritus Domini Sanctus, Spiritus filiorum. Hic fons est, qui in vitam salit, id est, qui vitam æternam suppeditat. Nam cognoscere Deum, eiúsque iugiter & in æternum frui bonitate donat. Hinc gloriatur Paulus, nihil apud superos vel inferos esse, quod à dilectione Dei posset dimouere. Rom. 8. Hæc Bucerus.

Ipse etiam Brentius hunc locum de perseuerantiæ dono interpretatus est. Hæc est, inquit, duarum aquarũ collatio, ex qua Christus manifestè significat mulieri, quod promittat ipse, non terrestrem, sed cœlestem aquam, quæ adferat homini salutem, non caducam & mutabilem, sed sempiternam & immortalem. Hæc ille. Ergo quicunque hanc aquam cœlestem semel bibit: salutem assecutus est non mutabilem, sed æternam.

3. Iohan. 8. Si manseritis in sermone meo, veri discipuli mei eritis. Ergo qui veri discipuli sunt Christi, manent in sermone Christi, hoc est, perseuerant in eius fide & verbo. Sicut enim hæc duo sunt ἀντιστρέφοντα: Qui non manent in sermone Christi, ij non sunt veri discipuli Christi: & Qui non sunt veri discipuli Christi, ij non manent in verbo Christi, ita hæc duo sunt ἀντιστρέφοντα, Qui manent in sermone Christi, sunt veri discipuli Christi, &, Qui sunt veri discipuli Christi, ij manent, id est, perseuerant in sermone Christi.

4. Heb. 3. At Christus tanquam Filius domui suæ præest, cuius domus sumus nos, si fiduciam & spem illam, de qua gloriamur, ad finem vsque firmam retinuerimus. Non solùm Ecclesia tota in vniuersum domus Christi appellatur, sed etiam vnusquisque fidelis. inde sæpe in Scripturis Deus & Christus dicuntur inhabitare in nobis. Et Matt. 12. non solùm tota Synagoga significata fuit nomine domus scopis mundatæ, in quam ingressi sunt septẽ Spiritus peiores priore, sed etiam vnusquisque hypocrita & temporarius, eo nomine fuit significatus. Ex verbis igitur Apostoli hæ duæ συζυγίαι ἀντιστρέφοντα colliguntur. Prima, Qui fiduciam & spem in Christum ad finem vsque firmam retinent, ij sunt domus Christi, &, Qui sunt domus Christi, ij fiduciam & spem in Christum, in finem vsque firmam retinent. Altera, Qui non retinent in finem vsque firmam fiduciam & spem, ij non sunt domus Christi. &, Qui non sunt domus Christi, ij non retinent fiduciam & spem in finem vsque. Atqui omnes electi & sancti, de quibus est quæstio, sunt domus Christi. de iis enim loquor, in quorum cordibus Christus per fidem inhabitat. Ergo omnes electi iam sanctificati, in quibus Christus verè inhabitat, ac proinde qui facti sunt domus Christi, retinent fiduciam & spem in finem vsque. Quare nõ possunt à Christo, & à fide prorsus excidere.

5. Iohan. 10. de ouibus suis ait Dominus, Ego vitam æternam do eis, nec peribunt in æternum, nec rapiet eas quisquam de manu mea. Pater enim, qui dedit mihi, maior est omnibus. His verbis declarat, primò voluntatẽ suam esse, ne oues sibi à Patre datæ, è manibus suis eripiantur. Declarat secundò, voluntatem suam impletum iri, quòd & Pater qui dedit, & ipse qui accepit, fortiores sint omnibus creaturis. Consequitur igitur necessario, postquam electi semel traditi sunt in manus Christi per fidem, eos non posse ampliùs ex eius manibus eripi, idque neque in perpetuum, neque ad tempus, sequeretur enim, Patrem & Christum infirmiores & imbecilliores esse, saltem ad tempus, illo qui huiuscemodi oues è manibus Christi ad tempus eriperet. hoc autem est blasphemum. simpliciter enim ait, se, & Patrem, qui dedit, potentiorem esse, nempe semper & omni tempore, omnibus creaturis. Nullo igitur modo fieri potest, vt electi, postquam semel traditi sunt per fidem in manum Christi seruatricem, ex eius manu eripiantur, aut ab ipso prorsus deficiant. Sic etiam Bucerus hunc locum est interpretatus. Iterum, inquit, obseruandum, à sola Dei electione esse, vt

se, vt oues simus & Christum sequamur, tum tales excidere nunquam posse: quia vnum sunt pater & filius, eandémque manum habent, id est, potentiam: de qua nemo vnquam rapiet eos, quos illa semel apprehendit saluandos. Apprehensi autem sunt, quibuscunque datum fuerit Christi vocem audire & sequi. Id siquidem nulli possunt, nisi oues. Hæc Bucerus. Tam igitur ex verbis & ratiocinatione Christi, quàm ex interpretatione Buceri, & illa particula *semel*, apparet puerilem esse illam fugam, qua hæc omnia loca eludere per Quamdiu, & Finaliter, conantur aduersarij.

Præter illa, quæ in lectionibus meis habetis, Scripturarum, tum veteris quàm noui testamenti, testimonia, hæc etiam quæ iam adtuli, satis apertè mihi confirmare videntur doctrinam hanc de perseuerantia Sanctorum in fide. Plura cùm volueritis adferam.

Cæterum, vt intelligatis, me Scripturis ad hanc doctrinam probandam non abuti: adferam modò testimonia tū Patrum veteris Ecclesiæ, tum etiam recentiorum Theologorum, quibus eadem sententia ita confirmabitur, vt nisi quis velit de industria occludere oculos veritati: dubitare ampliùs non possit.

Ex Patribus.

Non recitabo autem omnia Patrum testimonia, tum quòd breuis confessio hoc non ferat, tum quod multa in meis de perseuerantia lectionibus & confirmationibus, inter ipsa acta habetis. quædam tamen breuiter indicabo.

Augustinus totus meus est. multa ex eius libris testimonia in meis sunt lectionibus. vnum referam. Tom.7. de Corrept. & Gratia, cap. 12. confert gratiam, quæ data fuerat Adæ in creatione, cum ea quæ nunc datur sanctis electis, & nostram ostendit illa esse maiorem, quod ille habuerit gratiam qua posset, si vellet, perseuerare, sed non habuerit qua vellet perseuerare: nos verò per Christum accepimus gratiam qua velimus perseuerare, ac proinde qua perseueremus. Primo itaque homini, qui in eo bono, quo factus fuerat rectus acceperat posse non peccare, posse non mori, posse ipsum bonum non deserere. datum est adiutorium perseuerantiæ, non quo fieret vt perseuararet, sed sine quo per liberum arbitrium perseuerare non posset. Nunc verò sanctis in regnum Dei, per gratiā Dei, prædestinatis, non tantùm tale adiutorium perseuerantiæ datur, sed tale, vt eis perseuerantia ipsa donetur, nō solùm vt sine isto dono perseuerantes esse non possint, verum etiam vt per hoc donū non nisi perseuerantes sint. Non solùm enim dixit, Sine me nihil potestis facere, verum etiam dixit, Non vos me elegistis, sed ego vos, & posui vos vt eatis & fructum adferatis, & fructus vester maneat. Ioh.15. quibus verbis eis non solum iustitiam, verum etiam in illa perseuerantiam se dedisse monstrauit. Christo enim sic eos ponente, vt eant & fructum adferant, & fructus eorum maneat, quis audeat dicere, Forsitan non manebit? sine pœnitentia sunt enim dona & vocatio Dei, sed vocatio eorum qui secundum propositum vocati sunt. Prò his ergo, interpellante Christo, ne deficiat fides eorū, sine dubio non deficiet vsque in finem: ac per hoc perseuerabit vsque in finem, nec eam nisi manentem, vitæ huius inuenit finis.

Ambrosius in Epist. ad Rom. cap. 8. Nam quos præsciuit. Hi, inquit, qui credere videntur & non permanent in fide cœpta: à Deo electi negantur. quia quos Deus elegit, apud se permanent, Et paulo post in illud: Quos autem prædestinauit. Hoc, inquit, dicit, quod supra: quia quos præsciuit Deus, aptos sibi: hi credentes permanent, quia aliter fieri non potest.

Primarius Vticensis Episcopus, qui eodem tēpore quo & Augustinus in Africa floruit, in 1. Cor. 2. in ea verba, Vt fides vestra non sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei: Sapientia, inquit, humana, ad breue tempus placet, quia temporalis est, vt ipse homo: virtus autem Dei æterna est, quomodo Deus. Ideo illa fides permanet, & per Dei virtutem est collata in hominem.

Prosper Episcopus Rhegiensis, Augustini discipulus de vita contemplatiua libro 3. cap 13. Charitas est, inquit, vt mihi videtur, recta voluntas, ab omnibus terrenis ac præsentibus prorsus auersa, iuncta Deo inseparabiliter & vnita. Hæc ille. Dicit autem charitatem esse voluntatem rectam. quia charitas, per Spiritum sanctum diffusa in corda nostra, facit voluntatem rectam: & eam iungit Deo inseparabiliter. Solent verò Patres attribuere charitati, quod proprium est fidei per charitatem operantis. Docet igitur D. Prosper, fidem, quæ per charitatem operatur, coniungere fideles Deo inseparabiliter.

Gregorius 1. Tom. 2. in Ezech. cap. 1. Homil. 3. col. 87. in illud, Non reuertebantur cum incederent: De reprobis, inquit, dicitur, quia reuersi sunt corde in Ægyptum, per semetipsam veritas dicit: Nemo mittens manum ad aratrū, & respiciens retrò, aptus est regno Dei. Manum quippe in aratrum mittere, est quasi per quendam compunctionis vomerem, ad proferendos fructus, terram sui cordis aperire. Sed retro post aratrum respicit, qui post exordia boni operis, ad mala reuertitur quæ reliquit. Quod quia electis Dei minimè contingit, rectè nunc per Prophetam dicitur, Non reuertebantur cum incederent.

Item Homilia 5. Non reuertebantur, inquit, cùm ambularent. quia electi quippe sic ad bona tendunt: vt ad mala perpetranda non redeant. Qui enim perseuerarit in finē, hic saluus erit. Item in eadem homil. exponens illa verba, Hæc erat visio discurrens: docet, Spiritum sanctum, iuxta virtutem fidei, spei, charitatis, à cordibus electorum nunquam recedere: iuxta vero Propheriam genera linguarum & huiusmodi, recedere aliquando, aliquado redire. posteà concludens: In iis itaque virtutibus, inquit, sine quibus ad vitam minimè peruenitur, Spiritus sanctus in electorum suorum cordibus permanet: in iis vero per quas sanctitatis virtus ostenditur: aliquando misericorditer præsto est: & aliquando misericorditer recedit. sic ille, in iis Gregorij dictis, non spectandum an dextrè interpretatus sit Prophetam, néc ne: sed tantùm quid de perseuerantia Sanctorum senserit.

Tom. 1. Moralium, lib. 2. cap. 28. & 29. quæstionem de Spiritu sancto proponit: cui cohæreat illud Ioh. 14. Spiritus apud vos manebit, & in vobis erit: cum illo Iohan. 1. Super quem videris Spiritum descendentem & manentem super eum: hic est qui baptizat in Spiritu sancto. Si etiam in discipulis manet, quomodo igitur peculiare signum est, quo agnoscitur Christus qui baptizat in Spiritu? Soluens autem quæstionem & hæc loca concilians, discrimen facit inter dona Spiritus S. sine quibus ad vitā æternā perueniri nō potest: & inter illa sine quibus perueniri ad eā possit. Posteà concludit in hæc verba: In iis igitur donis: sine quibus ad vitam perueniri non potest Spiritus S. siue in prædicatoribus suis, siue in electis omnibus, semper manet. In illis autem, quibus per ostensionem illius non nostra vita seruatur, sed aliorum quæritur, nequaquam semper in prædicatoribus permanet. quia semper quidem eorum cordi ad bene viuendum præsidet, nec tamen per eos virtutum signa semper ostendit: sed aliquando se is à signorum ostensionibus subtrahit: vt eò humiliùs virtutes eius habeantur, quo habitæ teneri non possunt. Mediator autem Dei & hominum, homo Christus Iesus, in cunctis eum & semper & continuè habet præsentem: quia ex illo idem Spiritus per substantiam profertur. Rectè ergo cùm in sanctis prædicatoribus maneat, in mediatore singulariter manere perhibetur, quia in istis per gratiam manet ad aliquid, in illo autem per substantiam manet ad cuncta.

Beda presbyter, eadem planè docuit in Euangeliū Ioh. cap. 1. exponens illum locum, Super quem videris Spiritum, eandem enim mouet quæstionem, quam etiam ante se Gregorius: & eodem planè modo soluit. Spiritū sanctū in electis partim manere in æternum, partim rediturum secedere. manere in æternum, quò ad virtutes, sine quibus seruari non possumus, secedere ad tempus, quò ad alia bona.

Bernhardus de natura & dignitate amoris diuini cap. 5. & 6. de natura veræ charitatis loquens, quæ est, vt nunquā deficiat, citat illud Apostoli 1. Cor. 13. Charitas nunquam excidit, & inquit, Aliquando quidem titubat vel deuiat affectionis vel operis effectus, quandiu in hac vita non potest videre caritas, nisi ex parte, & per speculum in ænigmate, sed integer, tamen semper & solidus in sua virtute suus permanet affectus. cap. autem 6. ita scribit.

Aliud quippe est affectus, aliud affectio, affectus est, qui generali quadam potentia & virtute firma & stabili mentem possidet. quam per gratiam obtinuit, affectiones verò sunt, quas varias varius rerum & tēporum affert euentus, infirmitas enim carnis ex vitio primæ originis sæpe offendit sæpè cadit, sæpè lædit grauiter, & læditur, mente interiùs dolente & patiente, potiùs quàm agente, quod perperā foris geritur, nec charitatē perdente, sed ex charitate gemente, & clamante ad Deū, Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Rom. 8. vnde dicit Apostolus, Ego, inquit, mente seruio Legi Dei, carne autē Legi peccati. Et rursum, Non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatū. Itaque quisquis ille est, sicut dicit Beatus Iohannes, 1. Io. 3. 7. secūdū hoc quòd natus est ex Deo, i. se-

cundùm interioris hominis rationem,in tantum non peccat,in quantum peccatum, quod corpus mortis foris operatur,odit potiùs, quàm approbat semine Spiritualis natiuitatis, quo ex Deo natus est, cum interiùs conseruante. quod etsi interim aliquando incussu peccati læditur & atteritur,radice tamen charitatis in alium defixa non perit, imò statim fœcundius & viuacius conualescit in spem boni fructus,& surgit.Sic enim dicit Beatus Iohãnes: Omnis,qui natus est ex Deo,peccatum non facit:quoniam semen ipsius in eo manet, & non potest peccare, qui natus est ex Deo.1.Ioh.3 Notanda vis verborũ: Non inquit,peccatum facit,quod patitur potiùs, quàm facit,qui natus est ex Deo,& non potest peccare,perseuerãdo scilicet in peccato,dum Legi Dei, cui mente seruit,etiam carnem festinat subigere, quæ tentatione & peccato incurrente, Legi peccati videbatur inseruire. Petrus cùm peccauit, charitatem non amisit, quia peccauit potiùs in veritatẽ, quàm in charitatem: cùm se illius non esse mentitus est in ore, cuius totus erat in corde, ideóque negationem falsitatis, continuò lacrymis lauit veritas charitatis. Sic & Dauid, cùm peccauit, charitatẽ non perdidit, sed obstupuit quodammodo in eo charitas ad vehementem tentationis actum, & charitas in eo nequaquam facta est abolitio, sed quasi quædam soporatio, quæ mox vt ad vocem arguentis Prophetæ euigilauit, continuò in illam ardentissimæ charitatis Confessionem erupit:Peccaui Domino:& continuò audire meruit: Dominus transtulit à te peccatum tuum:non morieris.2.Sam.11.& 12.

Ex Luthero,& aliis nostri seculi Theologis.

Lutherus in Postill.Maiorib.in Euangelium autoræ natiuitatis Domini,ingenium vtriusque, nempe veræ & non veræ:diuinæ,vt ipse loquitur, atque humanæ fidei in ipsis pastoribus describens, docet naturam veræ fidei esse, vt sit constans,perpetua,atque immota: fidei verò non veræ esse,vt tandem prorsus deficiat. Verba eius hæc sunt: Atque hinc discrimen accipias diuinæ & humanæ fidei. Humana fides hæret personæ hominis, credit, fidit verbo, ipsímque honorat propter dicentem. Diuina autem fides contrà, hæret verbo, quòd ipse Deus est, credítque,fidet, & ipsum veneratur,non propter dicentem, sed sentit verbum adeo certò, vt nemo inde auellere ipsum queat. Tales erant Samaritæ illi,de quibus Ioh.4.legimus,quod primùm quidem voce mulierculę exciti,Christum audierant.at vbi ipsum audissent,dicebant,mulierculæ: Non iã propter sermonem tuũ credimus: sed quia ipsi cognouimus,hunc esse Seruatorem mundi. Contra,quotquot Christo,moti ipsius persona & miraculis, fidem habuerant, vniuersi rursum exciderunt ipso crucifixo. Ita semper se habuit, & hodie esse oportet, nisi verbum per se cordi innotuerit, ipsúmque velut captiuauerit, vt sentiant tam certò ita se habere, vt inde nulla ratione diuelli possint, si etiam vniuersos orbis, omnes angeli, omnes principes inferorum aliud dicerent: imò si Deus ipse aliud diceret, vti subinde electos suos tentare solet, ac ita eis apparere, quasi contraria prioribus suis promissis velit dicere. Id vsu venit Abrahamo, quando iubebatur filium suum Isaac immolare:Iacob in lucta cum Angelo,& Dauidi,quando ab Absalone fugabatur,&c.Huiusmodi fides consistit immota, tam in morte, quàm in vita:tam in inferno,quàm in cœlo:neque poterit vlla re deiici, quòd solo nudóque verbo Dei, citra omnem personarum respectum nititur.Tali fide hi pastores fuere præditi. Hæc Lutherus.

Legatur etiam in tota eiusdẽ homilia in Euang.Ioh.cap. 14.in die Pentecostes,quæ est de Spiritu sancto.

Item in festo S. Catharinæ, explicans Euangelium de decem virginibus,quæ acceperant lampadas suas,ait prudentes virgines esse viros Christianos, vera fide præditos. hos habere perpetuò oleum in vasis suis.Imprudentes autem,esse hypocritas,qui simulatam fidem habent. sine oleo esse istorum lampadas.De veris igitur fidelibus,Porrò, inquit,qui Euangelij doctrina ritè imbutus est, súsque déque hos turbines & procellas facit, sed immobilis persistit, & in finem vsque perseuerat, atque ob id verè beatus exsistit,vti Christus ait,Qui perseuerauerit vsque in finem hic saluus erit.

Item ibid. Cæteræ virgines,illæ nimirum prudẽtes,non tantùm lampadas in manibus gestãt,sed cum lampadibus etiam oleum in promtu habent,hoc est,verã fidem,quam Deus in cordibus ipsorum condidit. iis paratum est, quò se,si qua iniuria incidat, defendant. siquidem opus Dei in præsidio habent,non fictam quandam opinionem,quæ mortis insultus excipere nequeat. hæ in spe diuinarum promissionum perdurarunt. Hæc ille. In spe ergo perdurant veri fideles.

Item in altera facie:Hinc est,inquit,quòd lampades nostræ nunquàm exstinguantur.Hæc ille.Ergo lampades veræ fidei nunquam exstinguuntur in Sanctis.

Idem Tom.5.in Epist.1.Pet.1.in illud,Nati non ex semine corruptibili,sed incorruptibili. Illico quidem verbum prædicatum est,atque auditum:verùm vbi cor occupauerit, non potest ampliùs intermori, aut aboleri. neque te quidem finit mori,sed seruat te quandiu illi adhæseris. veluti cùm audio,quòd Iesus Christus mortuus sit, meáque peccata tulerit, & cœlum mihi emeruerit, simul donarit quæcunque ipse habet: iam Euangelium audio. id verò verbis quando prædicatur illicò quidem transit: sed si suscipitur corde, & fueris ipsum fide complexus, iam non potest ampliùs excidere. Hanc veritatẽ nulla valet creatura deiicere:abyssus inferni nihil potest contrà.

Argumentum ex Luthero.

Quæcunque Christus suis electis precatus est à Patre ea eua m illis impetrauit.fuit enim exauditus Christus.Lutherus in Iohan.17.in illa verba:Ego pro eis rogo, non pro mundo rogo.Non est verò,inquit,mihi dubium,hanc orationem exauditam esse. Christus autem in illa oratione Ioh. 17. rogauit Patrem pro omnibus electis, qui crediturì erant in se,vt eos custodiret in fide, neque fineret eos à fide vnquam excidere. Hoc apertè tradit Lutherus in eadẽ verba, Ego pro eis rogo, pro mundo non rogo, Pro Christianis,inquit,& omnibus qui conuertendi sunt,ita rogat, vt penes rectam fidem maneant, inque ea proficiant, ac pergant,neque ab ea descifcant.Hæc Lutherus. Ergo electis omnibus impetrauit Christus, vt in fide persistant, & ab ea nunquam excidant. Quare fieri non potest,propter hanc Christi precationem,vt electus, vera fide præditus à fide prorsus excidat.

Qui dubitat,an Lutherus huius fuerit, quam defendo, sententiæ,is certè declarat,se aut non multum in Lutheri libris versatum esse,aut Lutherum non intelligere.

Buceri testimonia tot & talia in meis habetis lectionibus,vt de eius sententia dubitari minimè possit. Sed præter illa,hæc etiam noua subiicio.

In Matth.cap 6.Et ne nos inducas in tentationem, pag. 170. initiò. Cùm itaque è manu Domini rapere nemo queat. Ioh.10. & ipse venientes ad se nequaquam proiiciat: Ioh.6. necesse est, vt qui semel Christi fuerint, nunquam ab ipso alienentur.

In Ioh.cap.4 in ea verba:Si scires donum Dei. Vt enim eius,inquit, & fontalis aqua, ad sedandam hominũ sitim, semper scaturit: ita Spiritus sanctus nostro Spiritui testimonium perhibens, quod simus filij Dei, in æternum arcet sitim bonorum, dum planè beatos tandem reddit, & hic fide certa perpetuo recreat,is est fons nunquam deficiens,quia nunquam,quos adflarit,deserit. Hæc Bucerus.

Rom 8.in quæst.de Prædestinatione, fol.361. non multò ante finem quęstionis tertiæ,concludit,prædestinationem esse diuinam designationem Sanctorum, in id, vt sempiternæ salutis per Christum Dominum compotes fiant. Salus verò,inquit,hæc est,vt afflatus Dei Spiritu, plenissimè videas, & solidè iudices, quod verè bonum est, & persequare idem studio pertinacissimo & perpetuo. Consequitur hinc, electos igitur ad vitam æternam, electos etiam esse ad hoc,vt perpetuo studio, bonum persequantur, seu ad perseuerantiam. Quod autem à Deo decretum est, illud irritum fieri nequit.Non possunt igitur electi & Sancti non perseuerare in fide.

Item in Epist.ad Ephes.cap.1. in ea verba, Elegit nos,vt essemus Sancti. Paulus,inquit,ad Rom.8. electionem vt decet, tractat, & cùm versantur Sancti in maximis afflictionibus,plerunque inter ipsa mala,in quę coniecti sunt, diffiderent de gloria filiorum Dei promissa, nisi hoc scipione niterentur. Futurum enim est, vt quidquid patiantur, glorificentur tandem: neque vlla re possunt à sua hæreditate, quæ est in Christo Iesu, depelli: æternus est nostri mediator,& nos ei sumus æternum coniuncti. inseparabilis est nostri cum Christo vnio, nec potest non esse æterna.

Item in idem caput primum, in tractatiuncula de fide pag.34. Fides verò, etsi infirma quidem sit etiam in Sanctis, ac propterea etiam multa, proh dolor, committant peccata, vt passim vetus & noua Scriptura testatur, & vbique

Abique exempla nimis euidentia docent, vt in Petro, Dauide & cæteris: tamen eum, qui præditus ea est, non sinit prorsus succumbere. explorat quidem nostram fidem: sed nobis, vt scilicet ipsi cognoscamus, quantum semper imperfectionis admistum sit. Hinc afflictiones. vnde illæ voces in Psalmis, Deus es mei oblitus? me deseruisti? &c. Hinc est factum, vt Petrus ab ostiaria tentationum arietibus peteretur & affligeretur, sed tamen non corruit in perpetuum, quia Deus supposuit manum. Deus enim semper suum sustentat electum, vt tandem emergat, & eluctetur. dona enim, vocatióque Dei sunt sine pœnitentia. Et quid ad hæc dicemus. Si Deus pro nobis, quis contra nos? quæ Pauli verba, sunt non de quibusdam, sed de omnibus electis Dei intelligenda. Ac nos consolatur Deus contra hanc fidei nostræ mollitiem, omnipotenti virtute Christi, qua in omnia imperium habet, dominatur & morti, & peccatis. Nam mortuus quidem est, sed resurrexit deuicta morte, ascendit ad Patrem, sedet ad eius dexteram, intercedit pro nobis. Et quisque electus hæc ad se referat, & dicat: Pro me resurrexit, &c. Et cum sit caput nostrum, nos certè viuificabit, & corroborabit: neque veri capitis officium deserere potest. viuimus enim propter eum, qui dilexit nos. Quare non viuimus propter nostram dilectionem haud dubie nostra requiritur, sed ea est imperfecta: & non potest sustinere spem vitæ æternæ. vt ergo certa sit spes eius caussa vitæ nostræ in eo, non in nobis ponitur. Atque ideo quidquid de incertitudine fidei excusatur, præcipitur, traditur, impium est plane & blasphemum contra potentiam, amplitudinem & maiestatem, atque charitatem, ac dispensationem Christi, & euertit omnem fidem & autoritatem verbi eius: quod vrget Paulus Rom. 8. & passim.

Item pag. 38. in tractatione de Ecclesia, quinto signo: De Perseuerantia, inquit, locum habemus in Epistola prima Iohannis capite secundo: Si ex nobis fuissent, mansissent vtique nobiscum. & illud: Qui natus est ex Deo, non peccat: sic est intelligendum, non peccat prudens, & sciens, non peccat impœnitenter, quia vis quædam Spiritus Christi erigit illum. licet enim multa peccata circumdent adhuc pios, non tamen in iis perseuerant, aut iis consentiunt cum oppressione conscientiæ & Legis Dei. vide Augustinum de pœnitentia contra Donatistas. Hæc omnia Bucerus. Hic videtis, Domini mei: primum, me nò intempestiuè de perseuerantia Sanctorum egisse, cùm illum Iohannis locum interpretarer: Si fuissent ex nobis, mansissent vtique nobiscum. Deinde neque illum Iohannis locum, Qui natus est ex Deo, non peccat: male me interpretatum fuisse in tractatione de Perseuerantia, cùm ita sim interpretatus, Sanctos ex Deo natos, non peccare ex animo, seu tota & plena voluntate, ac proinde neque contra plenam conscientiam. Tertio, videtis impiũ esse, quod tradidit in Schola meus accusator, esse homines regeneratos & sanctificatos, qui peccent contra conscientiam, & in illis etiam peccatis furenter perseuerent.

Item pag. 39. De iis, inquit, cùm dicitur, quòd non possint peccare: de perseuerantia tantum est intelligendum, & de studio peccandi. Hæc Bucerus. Sancti ergo non peccant, neque ex studio, neque perseueranter.

Item mox: Peccant, inquit, sed non iacent in peccatis: nec regnat in eis peccatum, sed tandem eriguntur, audiúntque, & sequuntur pastorem suum.

Rom. 8. lect. 4. in illud, Quippe quod precamur pag. 348. Viuunt quidem sancti, & aguntur Spiritu Christi, vt Paulus paulo ante docuit. at dum optimus Pater nos humiliat aduersis: & facit videre, quàm nihil simus ex nobis: ibi hic Spiritus, per quem clamamus Abba Pater: qui bonam Dei erga nos voluntatem in omnibus rebus attestatur, indéque etiam gloriari in aduersis facit, quasi opprimitur: caro quæ ad omnia honesta infirma est, obtinet: tenet nos totos terror iudicij diuini. Hinc nihil quàm detestationem iudiciorum Dei, quàm deplorationem sortis nostræ, & accusationem Dei ebullire voluique in animis nostris sentimus. Inde grauissimæ illæ querelæ Iob, Ieremiæ, & aliquot Psalmorum. Accusatur iam Deus nimiæ & iniquæ seueritatis maledicitur Sanctis, iustisquè operibus eius: execramur omnem vitam, & quæ vitæ vel adducendæ vel seruandæ seruierint. Ita Iob & Iirmias maledicebant etiam nocti & diei, in qua concepti & editi essent in hanc lucem. At quia in omni ista, quamuis grauissima, præcipitatione & intolerabili concussione animi, Sancti adhuc viuunt Spiritu Dei: is enim nunquã illos deserit: nunquam igitur non etiam opus suum in sanctis habet, nunquam non suum motum. is verò nihil aliud est, quàm clamare Abba Pater, hoc est, orare opem Dei.

In libro de vera Ecclesiarum reformat. fol. 135. A. ex illis verbis Ioh. 6. Ad quem ibimus, verba vitæ æternæ habes, infert, dicens: Quo clarè expressit, eos qui vere crediderint & credendo solidè cognouerint, Dominum Iesum Christum Seruatorem hominum esse, habereque verba vitæ æternæ, discedere ab eo non posse. vnde Dominus toties illud repetit, habere vitam æternam, qui in se credunt. Hæc Bucerus.

Item in Psal. 80. tres versus posteriores: Ex eodem Spiritu, inquit, & illud erat: Non deflectemus à te. Obsignati siquidem sunt huiusmodi Spiritu filiorum Dei, vnde deficere ab ipso nunquam possunt.

Quòd verò his omnibus & aliis propè infinitis Buceri locis de perseuerantia apertissimis quidam obiiciunt tres locos ex reformatione Coloniensi, quasi quæ cum iis pugnent, nihil efficiunt. Demonstrauimus enim in nostris, ad Accusatoris argumenta, responsionibus: tantum abesse vt illi cum his pugnent, vt maximè hos confirment. Primum ibi docetur, fidem veram non posse consistere cum peccato contra conscientiam: idem quoque nos ex Bucero conclusimus: sed addidimus iuxta Scripturas & Buceri doctrinam, Sanctos non peccare contra plenam conscientiam: imò, ideo Sanctos hæc peccata non admittere, quia præditi sunt vera fide, quæ huiuscemodi peccata secum non potest ferre. Deinde docetur, multos excidisse & excidere à gratia & à fide. Exempla autem, quæ subiiciũtur, partim de reprobis sunt, vt de Saule: partim de electis, vt de Dauide. Nos quoque docemus, iuxta doctrinam Buceri, tam electos, quàm reprobos, cum peccant ex consensu, dici posse excidere à gratia & à fide. sed non eadem planè ratione. Reprobi enim, quia peccant contra plenam conscientiam, prorsus etiam & plenè excidunt à gratia, & eam planè fidem temporariam, quam habebant, totam omnino amittunt. Electi vero, quia nunquam peccant plena voluntate & pleno consensu, ideo neque plenè seu prorsus excidunt à gratia, neque penitus fidem amittunt, sed partim, hoc est, ita excidere dicuntur à gratia Patris cœlestis, sicut filij à gratia suorum parentum, cum illos suis malis moribus aut peccatis ad iracundiã prouocant: ita tamen, vt nec illi desinant esse parentes, nec isti desinant esse filij. Et ita amittere fidem dicuntur, sicut extingui dicitur ignis, cùm aut materia humida superiecta suffocatur, aut cum defectu lignorum calor remittit: sed ita tamen, vt totus ignis non penitus extinguatur. Quare locis illis nihil contra hos & alios, à me pro Perseuerantia adductos, concluditur.

Oecolampadius in Epistolam [illegible]han. 1. demegoria octaua, in illa verba, Si fuissent ex nobis, mãsissent vtique nobiscũ. Colligunt hinc nõnulli inquit, semel vere illuminatos non posse totos excidere à fide, & exire prorsus ab Ecclesia. Nã tametsi Petrus Christum negarit: non tamen omnino exiuit. illi reuelationem à Patre, & non à carne & sanguine factã scimus: cúmque peccasse non ignoramus: nec tamen defecit penitus eius fides, sicut nec Dauidis adulteri. Vnde & per pœnitentiã ac lacrymas vterq. redierunt. At si qui ita exeant, vt non redeant: verè illuminatos neutiquam credendũ. Qui enim redeunt, salua adhuc habent seminaria quædã fidei, nec omnino deplorati fuere, neque vllus taliũ ita exit, sicut Antichristi, qui non verè illuminati exierunt: vt aut veritatem agnitam, aut fratres propter veritatẽ impugnent. nullos enim ex talibus rediisse legimus: incondonabili enim peccato peccarant, nempe in Spiritum sanctum: quod neque in hoc, neque in futuro seculo remittitur. Videriꝗ vnusquisque qualem hactenus habuerit fidem, & continuo Deum oret: Domine, adauge fidem, adiuua incredulitatem: ne vel cum tanto numero Antichristianorum abripiatur: vel imparatus sit veniente & vocante Domino Iesu Christo. fiat. Amen.

Non potest autem vel meus Antagonista, vel aliquis alius, hoc Iohannis Oecolampadij testimonium, aut tanquam pugnans cum Confessione Augustana repudiare, aut tanquam hæreticam doctrinam damnare: quin etiam D. Hedionem repudiet atque damnet, tanquam eum, qui doctrinam & hæreticam, & cum Confessione Augustana pugnantem probauit, atque populo Argentinensi legendam & recipiendam proposuit. Is enim hasce Oecolampadij demegorias, è Latina in linguam Germanicam, vt etiam à plebe legi possent, conuertit.

Musculus in Locis communibus de remissione peccatorum, cap. 6. concludit, remissionem peccatorum semel impetratam, non posse in electis fieri irritam; idque propterea, quod nunquam ita peccent, vt à gratia Dei prorsus

excidant. Non quoduis peccatum, inquit, præcedentem gratiam exstinguit. exstinguit verò reditus ad pristinam impietatem, tanquam ad vomitum. aliud est pedes post lauacrum sordidare; & aliud toto corpore in volutabro luti, instar suum, denuò volutari. aliud est, si vxor subinde contra maritum suũ delinquat: & aliud si perfida matrimonij fidem ac vinculum adulterando rumpat, seque ipsa omnis coniugalis societatis exsortem reddat. Sic aliud est simpliciter peccare, quod accidit etiam filiis Dei, & aliud prorsus è gratia Dei excidere, prolabi, Christum ab integro crucifigere, & ludibrio exponere, quod reproborum est, non electorum. De posteriori hoc genere peccandi, loquitur Epistola ad Hebræos, non de priori. vnde capite decimo notanter dicit: Quantò putatis peioribus afficietur suppliciis, qui Filium Dei conculcarit, & sanguinem Testamenti ceu rem profanam habuerit, per quam fuerat sanctificatus: & Spiritum gratiæ contumelia affecerit? Loquitur autem de eodem relapsu, de quo cap. 6. locutus est. De priori verò loquitur Apostolus 1. Iohan. 2. Si quis peccauerit, aduocatum habemus apud patrem. Hæc ille.

Philippus Melanchthon, vt loca hac de re apertissima in prioribus Tomis omittam, & ea tantùm commemoré, quæ in postremo commentariolo in epistolam priorem ad Corinthios scripsit, in ea verba capite decimo: Fidelis autem Deus, quæstionem hanc proponit, idque in hæc verba: Sed cùm tam multi superati a Diabolo & sua infirmitate ruant in exitium, vt maxima pars populi in deserto. & parabola de semine, Matthæi decimotertio significat, plurimos deficere à Deo: quomodo congruit ad hæc dicta, quod tanta multitudo non protegitur? Ad hanc quæstionem respondet in hæc verba: Respondeo. Semper in Ecclesia duæ sunt partes, vna habens initia timoris & fidei, quæ quanquam infirma est, tamen habet exercitia pœnitentiæ & inuocationis, & retinet timorem Dei & fidem, de qua parte dicitur, Habenti dabitur. Item Psal. 144. Propè est Dominus omnibus inuocantibus eum: omnibus inuocantibus eum in veritate. Item, Quantò magis Pater vester cœlestis dabit Spiritum sanctum petentibus? Item Esaiæ 66. Ad quem respiciam, nisi ad contritũ Spiritu, & trementem sermones meos?

Altera pars est secura, sine exercitiis pœnitentiæ & inuocationis, ebria voluptatibus, aut admiratione & fiducia suæ sapientiæ & iustitiæ, vt Saul, Achitophel, Absalon, & alij innumerabiles. Hi superantur à Diabolo, quia sunt sine timore Dei, sine agnitione infirmitatis suæ, sine dolore, nec expetunt auxilium Dei.

1. Hoc in loco Philippus principiò quæstionem proponit de iis, qui in Ecclesia ita tentantur, vt in peccata labantur, sicut Corinthi multi lapsi fuerant. non est igitur hic sermo, nisi de iis, qui in peccata labuntur.

2. Hos in duas secat partes, & in secunda quidem parte ait esse eos, qui securè peccant, sine exercitiis pœnitẽtiæ: atque hic eos tantùm commemorat & ponit, quos scimus reprobos fuisse, Saulem, Achitophelem, Absalonem, quos etiam ait superari à Diabolo. Est igitur manifestum, in hac secunda parte electos non contineri. Quare in prima parte contineantur necesse est. neque enim dubium est, quin nomine harum duarum partium intelligere voluerit electos, & reprobos, sed in hac sua secta abstinebat libenter à nominibus Electorum & Reproborum.

3. Prioris partis, hoc est, electorum, hoc esse proprium, illúdque perpetuum docet, vt licet infirma sit, & ex infirmitate labatur in peccata, semper tamen retineat exercitia pœnitentiæ & inuocationis, timorem Dei & fidem, iuxta dictũ, Habenti dabitur. Quis hic non videat D. Philippi sententiam hanc fuisse, Electos etsi per infirmitatẽ labantur in aliquot peccata, semper tamen eos retinere fidem & timorem Dei? quare? quia, vt anteà docuerat, electi, inter quos fuit Dauid, non tentantur, nisi tentatione humana: tentatio autem humana, cùm sit sine contemtu verbi, retinet verbum, ac proinde fidem. Est enim tentatio humana, vt Philippus definit, dubitatio, vel error, vel lapsus, ab humana infirmitate ortus: nondum ita confirmato furore, vt mens sit Epicuræa, aut accedat persecutio agnitæ veritatis, aut odium Dei (qualis fuit lapsus Dauidis, de quo aperte sic ait:) Valde tristis fuit lapsus Dauidis, & Diabolus ei non leuiter insidiatus est, sed tamen non potuit eum impellere ad Epicuræum contemtum, vel odium Dei, vt Saulem impulit. Si non contemsit, neque odio habuit Deum, ergo aliquem Dei timorem & amorem, ideóque & fidem in eum retinuit. Cùm autem omnes electi hac tantum tentatione humana tententur, de sententia etiam D. Philippi consequitur, omnes electos nunquam adduci ad contemtum vel odium Dei: eos igitur retinere timorem Dei, & fidem.

Brentius in 17. Iohan. homilia 34. Exposuimus, inquit, quos fructus ferant hi, qui manent in Iesu Christo, vero & vnico nostro Seruatore. Exponamus nunc, quæ sint incommoda eorum, qui in Christo non manent, vt qui ad quærendum & retinendum Christum non excitatur vtilitate, excitetur damnis & incommodis contemtorum & desertorum eius. Si quis, inquit, in me non manserit, eiectus est, sicut palmes, & exaruit, & colligunt eos, & in ignem coniiciunt, & ardent. Hæc vt rectè intelligamus, cognoscendum est, quis non maneat in Christo. Ac primò non manet in Christo, quisquis abnegato Christo, deficit ad Iudaismum, aut Turcismum. Hoc est crassum genus defectionis à Christo: quod non pij tantùm, verùm etiam prudentes huius seculi detestantur. Deinde in Christo non manet is, qui etsi gloriatur de Christo, & videtur eum agnoscere: tamen confidit meritis suorum operũ: quales sunt Pontificij sacrificuli, monachi, & hypocritæ in Christianismo. Nam in baptismo despondemur Christo hac conditione, vt ipsum solum & vnicum agnoscamus Seruatorem, & peccatorum nostrorum expiatorem. Quare si quis non contentus hoc vnico expiatore, sentit etiam se sua ipsius iustitia expiare peccata, & placare Deum: violat fidem datam Christo, & excidit à Christo. Sic Paulus accusat Galatas defectionis à Christo: Quicunque, inquiens, per Legem iustificamini, à gratia excidistis. Postremo, non manet in Christo is, qui cum agnoscat nomẽ Christi, ducit vitam sceleratam, ambulat secundum carnem, & seruit peccato. Fieri enim non potest, vt Christus maneat in eo, qui peccat contra conscientiam, & tradit se captiuum cupiditati carnis. Si autem Christus non manet in ipso: quomodo ipse maneret in Christo? Iohannes ait, Qui dicit, Noui eum, & præcepta eius non seruat: mendax est, & veritas eius in eo non est. Item, Si quis dixerit, Diligo Deum, & fratrem suum oderit, mendax est. 1. Io. 2. & 4. Ac Paulus: Si quis suis, & maximè familiaribus non prouidet, fidem abnegauit, & infideli deterior est. 1. Tim. 5. 8. Manifestum igitur est, quòd qui sceleratã ducunt vitam, etiamsi iactent nomen Christiani, non tamen maneant in Christo. Quid ergo fiet de his, qui non manent in Christo? idẽ nimirum quod fieri solet de palmitibus non manentibus in vite. hi enim excisi à vite, eiiciuntur foras, eiecti exarescunt: arefacti colliguntur, & coniiciuntur in ignẽ, vt ardeãt, nec vlli alteri vsui accommodi sunt, nisi vt ignem pascant. Hæc ille. Hic video tria hominũ genera, perfidos, hypocritas, & licentiosos, seu apertè sceleratos.

Quartum vero genus, quod est Sanctorũ, hoc est, eorũ, qui neque perfidi à fide Christi ad Iudaismum vel Turcismum deficiunt, neque fiduciam suam, vel totam, vel partim in suis meritis, sed totam planè in vno solo Iesu Christo collocant: neque etiam aut sceleratam vitam ducunt, aut sese captiuos exhibent peccato, sed potius vitæ sanctitati student, & peccato repugnant, & licet nonnunquam inter rectè ambulandum labantur, & peccent, nunquam tamen aut peccatum amant, aut plena voluntate peccant, aut in peccato perseuerant. Hoc, inquam, quartum hominum genus inter eos, qui non manent in Christo, hoc in loco à Iohanne Brentio non commemoratur. Aut igitur sentit, homines verè Sanctos, & verè in Christum credentes manere semper in Christo: ideóque à fide, & à Christo nunquam penitus excidere: aut si sentit etiam verè Sanctos à Christo excidere posse, non tum enumerauit omnia eorum, qui non manent in Christo, hominum genera: aut postremò, si vult etiam hoc quartum genus, quod est Sanctorum, in aliquo illorum trium contineri, magnam admodum iniuriam fecerit Sanctis, quod eos non discriminarit, atque discreuerit ab illis tribus pessimorum hominum generibus. Non est autẽ verisimile, talem virum aut nullum discrimen facere inter Sanctos, & inter illa tria hominum genera, perfidos, hypocritas, sceleratos, aut in sua partitione non omnia eorum, qui non manent in Christo, hominum genera complexũ esse. Consequitur igitur, iuxta hanc D. Brentij partitionẽ, quartum hominum genus, quod est Sanctorum, cùm ab illis tribus qualitate fidei & vitæ differat, in hoc etiam differre, quod cùm illi non maneant in Christo, ipsi nunquam excidant à Christo.

Idem in Iohan. cap. 16. homilia 56. in ea verba, Nemo potest venire ad me, nisi Pater traxerit eum. Iesus Christus, inquit, liber cœlestis vitæ est, in quem, qui per fidem inscriptus fuerit, dubium non est, quin sit in corde ipso

ſo Dei inſcriptus, & ad congregationem cœleſtium
m pertineat. Sed metuo, inquis, ne fides mea vel non
acera, vel tandē labefiat. Quid?num exiſtimas Deum
ingere calamum quaſſatum, & extinguere linum
ans? Mater non reiicit infantem ſuum, aut adhuc æ-
enerum, aut ex morbis imbecillem, ſed tanto maiori
um complectitur, quanto grauiores ſunt morbi. Et
Pater humana matre durior eſſet aduerſus eū, quan-
uis in fide infirmum, cui in Filio ſuo Chriſto omnem
mentiam promiſit? Neſcis, quo te illud dictum vocet,
edo. Domine, adiuua incredulitatem meam? Non eſt
tur metuendum, ne Deus abiiciat te propter imbecil-
n fidem, ſed potius danda eſt opera, continenti tracta-
ne verbi Dei, precatione & obedientia, vt fides, autore
itu ſancto, ſubinde magis ac magis augeatur. Quid
tem illud eſt, quod ſolicitus ſis de tua in fide perſeue-
antia? Tu tuum in perſeuerantia facito officium: reli-
ua curæ Deo erunt. An neſcis fidelem eſſe, qui non ſinit
os tentari ſupra id quod ferre poſſumus: ſed facit vna cū
entatione euentum, quo poſſimus ſufferre? *Oues meæ*, in-
uit Chriſtus, *vocem meam audiunt, & ego cognoſco eas, &*
quuntur me & ego vitam æternam do eis nec peribunt in
ternum, neque rapiet eas quiſquam de manu mea. Tu ve-
ò nunc factus es ouis Chriſti, qui cognoſcis Chriſtum per
dē. Quid igitur metuis, ne quis rapiat te de manu Chri-
i? de voluntate quidem Chriſti, toto Euangelio teſtifica-
, dubitare non potes.

An fortaſſis dubitas de eius poteſtate? Sed addit: Pater
ui dedit mihi, fortior omnibus eſt: & nemo poteſt rapere
e manu patris mei. Quid? putas me precationem Chriſti
uiſſe vanam & inefficacem? Non pro eis, inquit, rogo tan-
um: ſed pro iis qui credituri ſunt per ſermonem eorum
n me, vt omnes vnum ſint: ſicut tu pater in me, & ego in
e. Sed & Paulus ait: Perſuaſum habeo, quod neque mors
eque vita neque angeli, neque principatus, neque pote-
ates, neque inſtantia, neque futura: neque altitudo, ne-
que profunditas: neque vlla alia creatura poterit nos ſe-
parare ab ea dilectione, qua Deus nos complectitur pro-
pter Chriſtum Ieſum Dominum noſtrum. Audi & Pro-
pheticum illud: Montes commouebuntur & colles con-
tremiſcent: Miſericordia autem mea non recedet à te: &
fœdus pacis meæ non mouebitur: Dixit miſerator tuus
Dominus. Quare pro certo habendum eſt: Deum, qui tibi
donauit filium ſuum, & per quem fidem iam accepiſti, cu-
raturum quoque, vt hunc filium in media etiamnum
morte retineas: aut, vt rectius loquar, ab ipſo retinearis &
conſerueris. Hæc ille.

Quis hic non videat: ſcopum Brentij in hac concione fuiſſe, vt quicunque ſentit ſe vera in Chriſtum fide præditum eſſe, ne amplius dubitet de æterna ſui ſalute? & vt obtineat, duplicem metum, qui hanc certitudinem infirmat, tollit. Primus eſt metus, ne eiiciamur à Domino, quod ſit fides noſtra puſilla atque infirma. tollit hunc, illa promiſſione apud Eſaiam, quod Dominus linum fumigans non exſtinguat. Alter metus eſt, ne tandem fides noſtra labefiat, & non perſeueremus in fide. Tollit hunc metum multis rationibus. Primò, quod Deus ſit fidelis, qui non ſinat nos tentari ſupra quam poſſimus ferre, 1. Cor. 10. Secundo, quod Chriſtus non ſinat vllam ex ſuis ouibus ſibi è manu eripi. Iohan. 10. Tertio, quod Chriſti precatio ſit efficax qua rogauit pro omnibus qui in ſe erāt crediturí: ac proinde etiam omnibus illis impetrauit, vt ſicut ipſe & pater perpetuo vnum ſunt: ita ipſi perpetuo vnum maneant in Chriſto Ieſu. Hæc eſt autem perſeuerantia. Quarto confirmat nos hac certitudine de perſeuerantia in fide primum, exemplo Apoſtoli, Rom. 8. quod nihil poſſit electos ſeparare à Chriſto: deinde promiſſione illa apud Eſaiam 54. quod miſericordia Domini nunquam recedit ab electis. Poſtremo concludit, certiſſimos nos eſſe debere de noſtra perſeuerantia, quod Deus pater, qui dedit nobis filium, & effecit vt illum recepetimus per fidem, curaturus etiam omnino ſit, vt illum perpetuo retineamus: imo vt nos ab illo retineamur, nempe in fide, & in ſe, & conſeruemur. Si igitur dubitandum non eſt fidelibus ſeu ſanctis, iuxta ſententiam D. Brentij, de ſua in Chriſto & in fide perſeuerantia, ac proinde de æterna ſui ſalute, idque propter promiſſiones Dei quas de hac re citauit, & propter precationem Chriſti, quam dicit fuiſſe efficacem: Manifeſtum eſt, verè Sanctos, veréque fideles perſeueraturos in fide & in Chriſto: ac proinde à fide & à Chriſto excidere penitus non poſſe: idque propter promiſſionem Dei, & precationem Chriſti: ſicut habet mea Theſis.

Propè infinita ſunt in huius docti viri libris teſtimonia, pro perſeuerantia Sanctorum & certitudine ſalutis, quæ ſi opus fuerit, proferam in medium. Vnum adhuc tantum ſubiiciam.

In Iohan. 10. Homil. 81. in illa verba, Non rapiet illas quiſquam de manu mea: Quid autem, inquit, dicam de morte? num hæc tantæ eſt potentiæ, vt à Chriſto abripiat ſuas oues? ſed vt mors Chriſtum ipſum non potuit in ſua poteſtate detinere: ita nec poteſt credentes in Chriſtum detinere. Dicam quod plus eſt: nullum eſt peccatum adeò potens, quod queat ouem Chriſti à paſtore ſuo ſeparare. Hic enim paſtor expiauit omnia peccata, & maior eſt gratia Dei, quam Chriſtus impetrauit, quàm peccatum quod quondam Deum ab hominibus abalienauit. Vbi enim exuberauit, inquit Paulus peccatum: ibi magis exuberauit gratia: vt quemadmodum regnauit peccatum in morte: ſic & gratia regnaret per iuſtitiam ad vitam æternam per Ieſum Chriſtum. Quid ergo? Peccabimus, quia peccatum non poteſt ouibus Chriſti adimere Chriſtum? Nihil verò minus faciendum eſt quam peccandū. Nam qui verè ſunt oues Chriſti: tanto magis cauent à deſignandis peccatis, quanto plus agnoſcunt peccata ſua per Chriſtum eſſe expiata. Geſtiunt enim, quoquomodo poſſunt gratitudinem animi ſuā erga Chriſtum declarare, & beneuolentiam eius conſeruare. Declaratur ergo gratitudo erga Chriſtum obedientia iuſtitiæ, &c. Hæc Brentius.

Præcipuos tantùm inter Germanos Doctores nominaui, quod putem horum teſtimonia ſatis ſupérque vobis eſſe debere ad confirmandam meam de ſanctorum perſeuerantia in fide, confeſſionem. Sed ſi plurium teſtimonia deſidereris, adferam quam lubentiſſimè, ſunt enim multa in promptu.

De cæteris nihil dico in præſentia, quoniam illorum ſuffragiis opus non habeo apud Germanos, in re tam certa atque perſpicua.

Nuper etiam in celeberrima Academia Marpurgenſi, præter alias theſes, hæc quoque diſputata, defenſa atque approbata, & in teſtimonium approbationis, typis cum aliis excuſa atque diuulgata fuit, quæ numero eſt 14. & ſic habet ad verbum: Cui (Chriſto) ſi quis ſemel verè inſertus fuerit: eum quia neque ſponſus foras eiicit, neque quiſquā de manu paſtoris rapere poteſt: neceſſe eſt & de ſalute ſua certiſſimum eſſe, neque vnquam vel à coniunctione ſponſi ſui penitus diſtrahi, vel à paſtore ſuo prorſus deficere poſſe. Ioh. 6. & 10.

Nunc omiſſis aliorum multorum teſtimoniis, ſubiicere volo ipſius Doctoris Heshuſij hac de re ſententiam. Id facio iuſtis de cauſſis, quarum non poſtrema hæc eſt: vt intelligatis, iniuſtiſſimè à meo collega me tum voce tum ſcriptis, apud vos & vniuerſos ciues admiſſi in confeſſionem Auguſtanam criminis accuſatum fuiſſe quod docuerim, Electos vbi ſemel donati fuiſſent vera in Chriſtum fide, eos non poſſe amplius à fide & à Chriſto prorſus excidere. Certè D. Heshuſius non cedit D. M. in defenſione Confeſſionis Auguſtanæ. Cum autem Heshuſius eadem de Perſeuerantia Sanctorum docuerit, ſcripſerit, & in lucem miſerit, quæ ego quoque in veſtra Schola docui: conſequitur, aut ipſum quoque Heshuſium contra confeſſionem Auguſtanam ſcripſiſſe aut D. M. Confeſſionem Auguſtanam non intelligere: ac proinde ſua imperitia, & me iniuſtè damnaſſe, & totam hanc ciuitatem perturbaſſe.

Heshuſij verba hæc ſunt in libro de Seruo arbitrio hoc anno 1562 in lucem dato, duernione. F. Quartus gradus, inquit, operationis Spiritus, eſt ſalutis perfectio, ſeu donum perſeuerantiæ, quo ita perſiſtitur conſtanter in fide, vt certa impetretur ſalus. Non enim omnes qui verbo illuminantur, & primitias fidei deguſtant, retinent hanc datam ſalutem, ſed multi rurſus abiiciunt fidem, excutiūt Spiritum ſanctum, & excidunt gratia, quemadmodum Chriſtus inquit, fiunt eis poſteriora deteriora prioribus. Luc. 11. Eſt ergo hoc peculiare beneficium Spiritus ſancti, quod ſolis electis contingit, quod in fide ita ſtabiliuntur, vt inde excidere nequeant. Atque in hac Spiritus ſancti operatione, vt nullum eſt meritum noſtrum, ita nec cooperatio. A ſolius enim Dei miſericordia, & inſcrutabili electione dependet. Miſerebor, inquit, cuius miſerebor, & clemens ero, cui clemens fuero. Exod. 33. Non igitur eſt volentis neque currentis, ſed miſerentis Dei. Rom. 9. Et Phil. 2. Deus eſt, qui efficit in vobis, vt velitis & perficiatis, id eſt, vt in fide perſiſtatis. Et Phil. 1. Confido, quod qui incepit in vobis opus bonum perficiet vſque in diem Ieſu Chriſti. Ier. 32. Timorem meum dabo in cor ipſorum

vt à me non recedant. Quæ testimonia clarè euincunt, perseuerantiam, de qua Christus inquit, Qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit: merum esse & gratuitum Dei donum: & opus solius Spiritus sancti, in electis eam perficientis. Hæc ille: quibus nihil sanctius & clarius dici potuit. Vtinam hanc doctrinam intelligerent nostri.

Nunc ad extremum audite vosmetipsos in confessione vestra anni M.D.XXXIX. articul. VII. Hic solus & vnicus mediator peccata nostra sustulit, nos patri suo reconciliauit: Spiritum sanctum & regenerationem omnibus illis impetrauit, quos pater illi dat, quique verbum ipsius audiunt. Hanc regenerationem vnà cum omnibus Christi meritis, Spiritus sanctus cordibus fidelium inspirat: & ad extremum vsque conseruat. notetur verbum *conseruat*. Si regenerationem in electis ad extremū vsque Spiritus sanctus conseruat, idque propter merita Christi, qui hanc & illum nobis impetrauit: regeneratio autem conseruari non potest, quin conseruetur & fides: non possunt igitur electi iam regenerati, & in Christum per fidem insiti, à fide & à Christo prorsus excidere: idque propter precationem & merita Christi. Conclusio autem istius vestræ Confessionis ita habet ad verbum: Quidquid iam dictis repugnat, agnoscimus erroneum atque falsum esse, ideóque meritò repudiandum. Repugnat autem dogma illud ex diametro, quo negatur, in electis renatis non conseruari in finem vsque à Spiritu sancto ipsam semel inchoatam regenerationem: ac proinde quo asseritur, renatos posse amittere, & quidem multos ex illis reipsa amisisse & amittere Spiritum regenerationis. Ergo quid de hoc dogmate sentiendum, & vobis definiendum sit, videtis.

De fide porro speciatim Dauidis & Petri, qui duo cumprimis nominatim à meis amicis crudelissimè fuerunt flagellati, quid sentiam, illud inter Acta, nempe in responsionibus ad omnia argumenta mei aduersarij explicatum habetis. Summa hæc est: Quantum & è sacris literis, & ex Patribus, & ex præstantissimis nostri seculi doctoribus colligi potest, neutrum cùm peccarunt, fidem prorsus amisisse, & à gratia Dei penitus excidisse, idque propterea quòd neuter ex destinata malitia peccauit, Deo vtrúque à tali peccato præseruante, & timorem sui ac fidem in vtroque cōseruante: id quod vel inde maximè apparet, quia ita vterque resipuit, vt ad eiusdem generis peccata neuter ampliùs redierit. Sed præter generalia, quæ modò attulimus, testimonia & argumenta, non pauca etiam de vtriusque constanti fide proferre in medium possemus, nisi prius allata fuissent plura, etiam quàm fuerit necesse.


De Petro locus est præcipuus. Luc. 22. Rogaui pro te, Petre, vt non deficiat fides tua.

Tertul. de fuga, pag. 540. aliter de fide Petri docet, concussam quidem fuisse à Satana, sed protectam à Deo, ad filij intercessionem. Aliter & Augustinus Tomo 7. de corr. & gratia, cap. 6. Christum rogasse Petro perseuerantiam vsque in finem: & cap. 7. Petri fidem non defecisse, quia Christus ei impetrauit fortissimam & inuictissimam perseuerandi voluntatem. Aliter Chrysostomus, qui Tomo 2. in Matth. cap. 26. homilia 3. ait, Christum rogasse pro Petro, non vt se non negaret, sed vt ne negando eius fides euanesceret. Aliter Theophyl. in Luc. 22. qui ait, concussum quidem fuisse Petrum ad modicum tempus, semina tamen fidei retinuisse: ac licet vento tentatoris deiecta fuerint folia, radicem tamen vixisse. Aliter Gregorius primus in Iohan. cap. 34 vbi ait, Petrum ex infirmitate peccasse, ideo robur quidem fidei fuisse concussum, quasi dicat, sed non excussum, & Deum, quem voce denegauit, corde retinuisse. Aliter Bernhardus libro de natura & dignitate amoris diuini, cap. 6. qui ait, Petrum, cùm peccauit, charitatem non amisisse, cùm se non esse mentitus est in ore, cuius totus erat in corde. Aliter & Lutherus Tom. 5. in Euang. Iohan. cap. 17. Aliter Bucerus in Iohannem, cap. 6 sectione 5. in Epistolam ad Rom. cap. 7. vbi contrarium planè docet, & de Petro, & de Dauide, quàm mei aduersarij debacchati sunt, quemadmodum etiam ante Bucerum, de vtroque docuerat Bernhardus lib. de dignitate amoris, cap. 6. Idem planè docet Bucerus de vtroque, imò de omnibus electis, Spiritu Dei renatis in Psal. 1. & Psal. 51. Item in lib. de reconciliatione Ecclesiarum, in articulo, De iustificatione, imò aliter & Philippus ipse in 1. ad Corint. cap. 10. vbi maximum discrimen facit inter peccata Saulis & Dauidis, & negat in cor Dauidis ingressum fuisse Satanam, sicut in Saulis cor, aut verbum de illius corde ereptum fuisse, sicut ex istius. ait item, Diabolum grauiter quidem insidiatum fuisse Dauidi, sed nunquam cum potuisse vsque ad Epicuræum contemtū, aut in odiū Dei adducere, sicut adduxit Saulem. Quomodo igitur non puduit quosdam, peccatum Petri, peccato Iudæ, & scelus Dauidis, sceleribus Saulis exæquare, & tam illos, quàm istos, omnem penitùs amisisse fidem vociferari? Nunc etiam, amplissimi viri, quæ mea sit de perseuerantia Sanctorum in fide, fides atque confessio abunde, &, vt confido, perspicuè à me explicatum habetis.

HIER. ZANCHII,

DE COENA DOMINI CONFESSIO.

EPISTOLA AD MAGISTRATVM.



HANC vobis meam exhibeo, clementissimi Domini, de sacra Cœna confessionem, cum hac protestatione, insignem iniuriam mihi fuisse factam ab illis, qui me de Cœna Domini accusarunt: quasi aliquid de ea docuerim, quod vel cum verbo Dei, vel etiam cum Augustana confessione pugnet: quo factum est, vt Domini confessionem meæ fidei de hoc etiam articulo à me postularint. Protestor enim primùm, ab eo tempore, quo in vestra Schola docui, nunquā de Cœna Domini ex professo, vllam à me habitam fuisse lectionem, aut disputationem: tum quòd mihi prophetas interpretanti, nullus de Cœna disserendi locus occurrit, tum quòd de industria tacere volui, ne vllā meis collegis occasionem litigandi & rixandi præberē. Deinde protestor, cū aliquando contigit, vt vel in lectionibus, vel in disputationibus, argumentis disputantiū prouocatus de hoc articulo aliquid dicerem, memet semper continuisse intra illa tria capita, iuxta quæ me de re Sacramentaria, si occurreret, doctură semper promiseram. Quorum primum est, in cœna non solum panem & vinum, sed ipsum etiam verum corpus & verum sanguinem Christi verè à Christo oblata, verè etiam percipi, verè manducari, & verè bibi. Alterum, id vero non ore & dentibus corporis: sed vera & actuali fide fieri. Ac proinde tertium: à fidelibus, nō autē ab iis, qui fide destituti sunt, verè manducari corpus, & verè bibi sanguinem Domini. Hæc autem tria capita ex verbo Dei sunt, neque pugnant cum Augustana confessione. Tertiò protestor, neque ex professo, neque per occasionem de hoc Sacramento vllum à me factum fuisse verbum, quatuor saltem ante istud dissidium annis, ac proinde & īnmeritò accusatum me fuisse de re Sacramentaria, & sine vlla caussa, atque admodum intempestiuè dissidium de hoc articulo excitatum à meo collega fuisse.

Quare, quod vobis exhibeo hanc meam prolixam de Cœna Domini confessionem, scitote, me hoc non facere, vt vobis explicem, quid in vestra Schola ea de re docuerim (nihil enim docui de Cœna, præter illa tria superiora capita, & eo modo & tempore, quo ante me docuisse dixi) sed his tantùm duabus de caussis id ipsum à me fieri: quarum prima est, vt quid de hoc mysterio sentiam atque credam, clarè & perspicuè, sicut iussistis, & vobis clementissimis Dominis meis, & posteris omnibus explicem: atque ita non tam vestro, quàm Domini Iesu mandato, obtemperē. Dominus enim iubet, vt vnicuique fidei nostræ rationem petenti respondeamus: quanto igitur magis Magistratui suo hoc ipsum iubenti? Altera est, vt hinc consequenter intelligatis, me tanti vestram, non autoritatem solum, sed etiam salutem facere, quanti & debeo, & mihi animus est semper facere: noui enim quantam semper reuerentiam D. Iesus & Apostoli suis detulerint Magistratibus. Valete.

38 ## De communione cum Deo, & Christo.

THESIS I.

Perfecta nostra felicitas, ideóque vltimus vitæ nostræ finis, in quem, ceu in scopum perpetuò collimare debemus: est, vt si nos perpetuo nexu ita vniti Deo, summo bono: vt toti quanti quanti sumus, omnibus tandé, quibus possit modis, vnũ cũ ipso fiamus: id quod Christus omnibus electis à Patre, tu sua oratione, tum sua passione impetrauit & impetrat.

II.

Hæc vnio incipit in hoc seculo: sed tum demum perfecta contingent omnibus electis, cùm nostra etiam corpora facta fuerint, vt Paulus loquitur, spiritualia, & cum Deus erit omnia in omnibus nobis.

III.

Primũ autem in nobis, quod vniri debet Deo, & reipsa vnitur, est mens, per veram Dei cognitionem. Alterum est cor per sincerum erga Deum amorem. Mentem autem & cor sequuntur deinde reliqui omnes tam animæ affectus, quàm corporis sensus, desiderio & studio obsequẽdi Deo.

IV.

Sicut enim primũ, quod auertit & alienat nos à Deo, est ignoratio Dei: cum falsa de illo opinione, népe quòd etsi sit bonus in se, imò etiã aliis, nobis tamen sit inimicus & hostis, ideóq. quòd velit nos perdere (hac enim opinione fit, vt mox quoq. cor à tali Deo alienetur, & odio illũ habeat.) Ita primũ quo mens nostra vnitur Deo, est vera, solidaq. Dei cognitio: quod is sit summũ bonum, non solùm in se & aliis, sed etiã nobis, sitq. nõ solum Deus, sed etiam noster Deus amicus, & Pater. Hac de caussa Scripturæ primum quod de impiis tradunt, est, quod ignorent Deum: & contrà, primum quod proponunt de iustis est, quòd cognoscant Dominum: & ad huius cognitionem omnes in primis hortantur.

V.

Cæterùm cùm omnes nati simus in peccatis, & in Deũ peccauerimus & peccemus, fieri que grauiter fieri nõ potest, vt persuadeamur, Deum nobis esse amicum, velle benefacere, ac multo minùs eum esse Patrẽ nostrum, & daturũ vitã æternã, nisi priùs persuadeamur, ac certò sciamus, illũ omnia nobis peccata cõdonasse, atq. ita esse reconciliatũ.

VI.

Non possumus autem persuaderi, peccata nobis aut esse condonata aut condonari posse, nisi certò sciamus, pro illis esse aut plenissimè satisfactum, aut posse satisfieri.

VII.

Nam etiamsi cogitemus, Deum esse Deum liberum & omnipotentem qui possit parcere, etiam sine satisfactione, & eundẽ esse bonum atque misericordem, qui cupiat & velit parcere: tamen hæc cogitatio semper obuersabitur mentibus nostris: Deus iustus est, & peccata non fert, neq. sinit impunita: oditq. impiũ & impietatẽ eius. Iustitia autẽ hæc postulat, vt nemini parcatur, nisi pro offensis, aut is qui offendit, aut alius ipsius nomine satisfaciat. Tũc assumimus: Atqui ego nõ sum soluendo, nec possũ satisfacere, neq. vlla alia creatura pro me satisfacere potest. Hinc cõcludimus: Ergo fieri nõ potest, vt peccata mihi condonata sint, ac cõdonari possint. Ac proinde fieri etiam nequit, vt Deus, quẽ ego grauissimè & sæpius offendi, mihi sit amicus. Quare etiamsi sciamus, Deum esse bonũ & misericordẽ in sese suáq. natura: tamen quia scimus etiã eundẽ esse iustũ, idcircò fieri non potest, vt certo credamus, peccata nobis esse condonata, aut condonari à Deo posse, nisi certò sciamus, iustitiæ diuinæ pro illis aut esse satisfactum, aut satisfieri posse, vel à nobis, vel ab aliquo alio ꝓ nobis.

VIII.

Ac proinde dum in ista de peccatorum remissione ignorantia permanemus: quia semper peccata nostra persuadent, Deum esse nobis inimicũ & hostẽ, idcircò tantũ abest, vt eũ tanquã Patrem amare, & ad eum accedere, eique inseruire possimus: vt potiùs eum tanquam hostem odio habeamus, atque ab eius conspectu, exemplo etiã Adami & Euæ, procul fugiamus. Ergo persuasi simus peccata nobis aut esse remissa, aut remitti posse, necesse est. Vt autẽ hoc sciamus, illud quoque non ignoremus oportet, pro nostris peccatis, aut esse satisfactũ, aut satisfieri posse, vel à nobis, vt antè dictum est, vel ab alio pro nobis.

IX.

Nos non posse satisfacere nouimus: nullam etiam aliam creaturam posse, non ignoramus: nullum quoque esse, inter omnia illa, quæ à Deo sunt condita, vel pretium, vel sacrificium, quo pro peccato satisfieri Deo possit, extra cõtrouersiam est, si Scripturis creditur.

X.

Cùm igitur inter creaturas reperiri non possit, aut aliquis, qui valeat pro peccatis nostris diuinæ iustitiæ satisfacere: aut aliquid, quo possit satisfieri: consequitur, aut de salute nostra actum esse, aut in Deo quærendũ esse mediatorẽ: qui & velit, & possit pro nobis iustitiæ diuinæ satisfacere.

XI.

Fieri autẽ non posse videtur, vt in Deo inueniatur mediator, qui pro nobis satisfaciat, & Deo ipsi nos reconciliet. cùm enim Deus vnus tantùm sit, isque sit pars à nobis offensa: quomodo idem potent & pars esse, cui nos reconciliemur, & mediator, qui nos reconciliet, & Deo pro peccatis nostris satisfaciat?

XII.

At bene res habet. Etsi enim Deus essentiã vnus tantùm est, in tres tamen distinctus est, licèt non diuisus personas, Patrem, Filium & Spiritum S. Deinde etsi absurdum videri possit, vt omnes tres simul, quatenus omnes simul essentiã vnus sunt Deus, sint & pars, & mediator: nihil tamẽ impedit quo minus aliquis illorum trium, quatenus talis est persona, sese tanquam mediatorem interponat: præsertim si aliam quoque naturã præter diuinam quam habet, sibi in vnam eandemque personam assumat. Si præterea videtur etiam absurdum, vt Pater id faciat, quia sicut fons est totius diuinitatis cui nos sumus reconciliandi, sic fons est totius iustitiæ, cui pro peccatis satisfieri oportet: Non est tamen absurdum, vt tale officium faciat saltem Filius: quippe cum Filius sit, suam quoque filiationẽ communicare nobis poterit, & eiusdem Patris filios efficere.

XIII.

Res autem ita se habet. Hic filius ante mundi constitutionẽ constitutus fuit, in cœlesti consilio, mediator inter Deum Patrem, & nos: qui suo tẽpore caro factus, se ipsum daret ἀντίλυτρον pro omnibus electis: proinde in ipso etiam, quotquot sunt electi, electi fuerunt. nam etiam Patres hunc nouerunt, & fide amplexi sunt. occurrit enim etiam illis, & sese illis patefecit, non quidem tanquam ille, qui iam pro ipsis λύτρον reipsa dederit: sed tanquam ille, qui erat λύτρον daturus, atque ita certo satisfacturus, vt illius voluntas pro facto acceptata fuerit à Patre. Nobis autẽ nunc occurrit idẽ mediator, sed vt ille, qui iam plenè satisfecerit. Nunc teneamus mediatorem, & mediatoris necessitatẽ.

XIV.

Postquam inuentus est mediator, in eo inhærendũ est. Nam extra eum vagari præcipitium est in abyssum infernalem: cùm ipse solus sit via ad cœlum. Et quidquid extra eum pro remissione peccatorum fingitur, mendacium est, cum ipse solus sit veritas. Et quidquid extra eum propter vitam æternã consequendam quæritur, mors est cum ipse solus sit vita. In solo igitur mediatore inhærendũ & quæcunque pro nostra salute cupimus, in eo quærenda sunt: quia etiam in eo solo omnia inueniuntur.

XV.

Vt autem iste mediator nobis ad faciendã illam, de qua loquimur vnionem cum Deo prosit: principio necesse est, vt eum attenta mente contemplemur, ac verè & solidè agnoscamus, tũ in sua persona, quis qualis sit, tum in suo officio, quid pro nobis semel fecerit, & quid nũc pro nobis & erga nos perpetuo faciat. Nisi n. verè agnoscamus, non poterimus etiã amare, aut amplecti: ideóq. nec cœlestium thesaurorũ, qui in ipso sunt, participes fieri. Deinde necesse est, vt eũ verè agnitum, verè etiam amplectamur, atque ita amplectamur, vt ei incorporemur: atque ita incorporemur, vt fiamus vnũ cum illo, os ex ossibus eius, & caro ex carne eius. Neque enim possumus vniri Deo Patri summo bono, & esse perfectè beati, nisi prius vniamur huic mediatori, cũ nemo veniat ad Patrẽ, nisi per eum, & nemo ascendat in cœlũ, nisi qui descendit de cœlo, mediator Dei & hominũ, homo Christus Iesus. Qui autẽ ei incorporantur, fiunt vnum cum illo, vt tandem sint & ipsi, vbi & ille.

XVI.

Quantũ igitur ad personã mediatoris attinet, ipse est Filius Dei, Patri ὁμοούσιος secundũ diuinitatẽ: & filius Mariæ, matri ὁμοούσιος, secundũ humanitatẽ, verus Deus & verus homo, nobis per omnia, vsque ad suã resurrectionẽ, similis, excepto peccato: nunc autẽ per omnia quoque similis, excepto peccato & morte, & illis mortalis corporis cõditionibus, quibus nostra quoq. corpora exuentur in resurrectione.

XVII.

Quantũ ad officia, quoniam in nouo fœdere, h. e. quod renouauit cum populo Israelitico, & suo sanguine confirmauit, nos quoq. Gentes cõplexus est, Idcircò in explicandis istis officiis, quæ Christus in primis pro Israële, deinde pro nobis fecit: cõiungã nos, breuitatis & perspicuitatis gratia, cũ populo Israelitico, perinde ac si essemus omnes sicut reuera per Christũ facti sumus, vnus popul' Israeliti-

eis: sumus enim omnes Israelitę secundum Spiritum, quicunque ad Christum pertinemus. Quod igitur ad officia, quæ Christus fecit, attinet, is primùm, tanquam Apostolus Patris, significauit nobis, se missum à Deo Patre fuisse, tanquam eius legatum & mediatorem inter illum & nos, vt fœdus amicitiæ, quod pepigerat cum patribus nostris, &, quod alioqui propter nostra scelera factũ fuerat irritum, per se & in se renouetur & firmetur, ita vt nouum semper sit & perpetuum maneat. Fœdus autem hoc esse: Deũ ex sua parte primum pro eo amore, quo nos ab æterno in ipso mediatore Christo Filio suo cõplexus est, velle ex sua misericordia, & propter hunc Iesum Filium suum, condonare omnia nostra peccata, tam ea, in quibus nati sumus, quam ea quæ vnquam admisimus. Deinde in posterum se omnẽ promittere beneuolentiam, & omnia beneuolentiæ officia. velle enim se nobis esse Patrem in hoc suo Filio, & nos agnoscere pro filiis. Ac proinde postremò, se velle nos cum Christo hæredes totius regni sui æternæ vitæ constituere: hæc enim omnia illo continentur dicto: Ero Deus tuus, & seminis tui, &c. Ex parte verò nostra, Deum nolle amplius stipulari à nobis tot & tanta præcepta, quot & quãta stipulatus fuerat à patribus nostris, imò abrogare, quòd videat non posse à nobis ferri, ac proinde quòd sint nobis non solùm inutilia, sed etiã detrimẽtosa.

Stipulari igitur à nobis primùm veram tantùm & viuã fidem: fidem inquam in hunc Mediatorem, & in Deum. Hanc enim esse vltimam, eámque certissimam Patris voluntatem, vt omnis, qui videt Filium, & credit in eum, vera scilicet & per charitatem efficaci fide, non veniat in iudicium, sed habeat vitam æternam, & ressuscitetur ad gloriam in nouissimo die. Deinde stipulari dilectionem inter nos mutuam: hoc enim vnicum loco tot aliorum in veteri Testamento præceptorum, suum esse, hoc est noui Testamenti mandatum, vt diligamus nos inuicem. Tertio studium sanctitatis in nobis ipsis, vt studeamus esse Sancti, sicut & Deus noster sanctus est: ac proinde, quæ Deo grata esse nouerimus, ea efficere studeamus. Hæc est summa noui fœderis, quam Christus, vt legatus & Apostolus Patris nobis significauit.

XVIII.

Deinde vt verus & æternus Pontifex, secundùm ordinem Melchisedech, duo alia fecit officia. Primum, quo renouatum fœdus, ex parte etiam nostra firmum ac ratum, ideóque & perpetuum maneret, orauit Patrem, vt quod etiam à nobis stipulatus est, fidem scilicet veram per dilectionem operantem, qua sanctificamur & Christo vnimur, & per Christum Deo Patri, atque ita in fœdere retinemur perpetuo: orauit, inquam, Patrem suum, vt hanc fidẽ ipse nobis largiretur, & per eam nos sibi sanctificaret: neque solũ largiretur, sed etiam eam in nobis cõseruaret, ne penitùs vnquã deficeret, atq. ita vniret nos sibi, vt perpetuò vnũ essemus cũ illo, & inter nos, sicut & ipsi vnum sunt. Hanc fidem & fidei conseruationẽ, ideóq. perpetuã vnionẽ cũ Patre & cum Christo, & cũ toto electorum cœtu impetrauit nobis à Patre suo Christus mediator noster.

XIX.

Alterũ Pontificis officium fecit, quod fuit huiusmodi. Is vt vltimus & perpetuus Pontifex, abolitis omnibus veteribus sacrificiis, quòd nullam in se haberẽt vim expiãdi peccata, suum corpus, hoc est, se ipsum, tanquam perfectissimũ sacrificium, super aram crucis, Patri pro nobis obtulit, & sanguinem suum, pro remissione peccatorum nostrorum fudit: atque hoc ceu λύτρον pro peccatis omnium electorum, ita plenè iustitiæ diuinæ satisfecit, vt nihil ampliùs pro illorum satisfactione, aut à Mediatore, nostro nomine, aut à nobis, qui in Christo electi, & cum illo vnũ per fidem facti sumus, iure exigi possit.

XX.

Tribus aũt præcipuè de caussis Christus mediator, iuxta voluntatẽ Patris hoc obtulit sacrificium corporis sui. Prima est, quoniã necesse erat reuera, vt pro peccatis nostris satisfieret diuinæ iustitiæ, neq. enim remitti poterant sine satisfactione, iuxta Dei decretum: nullo autem λύτρῳ, seu sacrificio satisfieri poterat, quàm sacrificio corporis & sanguinis Dei, id est, Christi: in cuius rei figurã, nunquã fiebat peccatorum remissio in veteri Testamento sine sanguine.

Altera, vt consequenter dubitationẽ de remissione peccatorum, quam nobis dubitationẽ adferebat iustitia Dei quæ peccatorum satisfactionem postulabat, ex animis nostris eximeret: cùm videamus iam esse satisfactũ, atque ita magis ac magis nos confirmaret in fide, Deum nimirum condonatis per Christum peccatis, nobis esse reconciliatum, imò amicum summum, Patrémq. æternum effectũ: ita voluit, vt purgata mente, ab illa opinione, qua putabamus Deum esse hostem, eóque illum odetamus, ac ab illo fugiebamus, voluit inquam, vt mente, per hanc verã Dei cognitionẽ, quòd in Christo nos amet, & condonatis peccatis sit totus noster, purgata, ipsum quoque cor nostrum in Deum amore ferretur, & reliquæ omnes nostri partes in obsequium tanti Patris redirent.

Tertia itaque caussa fuit, vt hac ratione fœdus inter Deũ & nos per Christum renouatum, sacrificio corporis & sanguinis eiusdẽ, abolitis peccatis electorum, quæ illud facere irritum potuissent, in perpetuum confirmaretur: cõfirmaretur, inquã, non solùm in se, & ex parte Dei, sed etiã in nobis, & ex parte nostra: impetrata iam nobis remissione peccatorum per hoc Christi sacrificium: & per idem impetrata etiam & confirmata fide, qua remissionem peccatorum sentiamus & percipiamus, & ea percepta, in fœdere retineamur ac conseruemur.

Hæc sunt præcipua Christi officia, quæ in terris cùm esset, pro nobis fecit tum vt legatus ac Apostolus Patris, tũ vt verus & æternus Pontifex.

XXI.

Postea verò quam hæc egisset, ipse vt verus mundi, & præsertim electorum Rex, expugnatis hostibus suis omnibus, peccato, morte, Satana, inferno, & toto mundo, déque omnibus triumphans, conscendit in cœlum, & data sibi omni potestate in terra & in cœlo, ibi in summa maiestate cum Patre regnat, corpore quidẽ inde ad nos, nisi in fine seculi ad iudicandũ mundum, non rediturus: diuinitate tamen vbique exsistens, & Spiritu suo in omnibus electis atque renatis inhabitans, suámque Ecclesiam regens ac protegens, officiúmque Mediatoris perficiens.

XXII.

Etsi enim peractis omnibus officiis, quæ pro nobis in terra erant in corpore Domini Iesu perficienda, Dominus ascendit supra omnes cœlos, corpore suo inde ad nos non amplius nisi semel rediturus: Ecclesiã tamẽ suã nõ deseruit, sed illam regit perpetuo: neque otiatur, sed alia adhuc pro nobis & erga nos facit officia, cum in cœlo, tũ in terra.

XXIII.

In cœlo enim perpetuo interpellat pro nobis, & apparet in conspectu Dei pro nobis, & agit aduocatum nostrũ apud Patrem, & regnum cœleste nomine etiam nostro possidet, donec in illud nos introducat, vt cum eo plenius atque perfectiùs in æternum viuamus.

XXIV.

In terra verò, hoc est, in Ecclesia militante, spirituales thesauros, quos, hic dum esset, omnib. electis cõparauerat, quotidie distribuit, salutem partã cõmunicat: & denique semper ex electis alios in fœdus illud nouum atque æternum recipit: alios, iam receptos, in eo magis ac magis indies confirmat atque conseruat: ita vt neminem illorum, qui vere in hoc fœdere semel fuerunt comprehensi, ab eo excidere sinat.

XXV.

Est enim vtrumque vnius solius mediatoris officium, nempe & recipere aliquem in istud æternæ amicitiæ atque salutis fœdus: & in eo illum confirmare atque conseruare: quanquam ad hanc rem ministerio hominum ad istud officium vocatorum vtatur.

XXVI.

Non potest autẽ quispiam ad istud fœdus admitti, & huius fieri particeps, nisi & in ipso mediatore Christo fuerit, ante mũdi constitutionẽ à Patre ad cõmunionẽ huius fœderis electus: atque ita à Patre Christo datus, & vinculo electionis connexus, & nexu etiam fidei & Spiritus reapse illi copuletur, & corpori eius incorporetur, vt fiat vnum cum ipsa Mediatoris Christi persona, os ex ossibus eius, & caro de carne eius.

XXVII.

Est enim ipsum fœdus in persona ac corpore Christi renouatũ, & sanguine eius obsignatũ, atq. sancitũ: totáque peccatorum remissio, tota salus, tota iustitia, tota denique vita æterna in hoc vno Christo Deo & homine posita atque firmata est in perpetuum, vt extra eum nihil nisi peccatũ & mors reperiri possit. Proinde quicunque particeps huius fœderis fieri cupit aut magis ac magis in eo confirmari, ad Christũ hunc accedat & ei vniatur atque incorporetur necesse est.

XXVIII.

Est n. Christus caput totius corporis Ecclesiæ, quæ est electorũ, & verè sanctorũ cœtus, in spiritu & veritate Deum in eodẽ Christo colẽs, atque inuocãs, & eodem verbo iisdémque, cùm potest, vtens Sacramentis, per totum orbem diffusus. In sola igitur vera & catholica Christi Ecclesia fœdus hoc manet ac communicatur, & quicunque extra Ecclesiam sunt, atque manent, extra fœdus Christi sunt, atque manent.

XXIX.

Etsi verò, qui vult fœderis huius particeps fieri, veniat

ad Christum.

Christū, & Christo vniatur, atque incorporetur, necesse nemo tamen vnquam. nisi à mediatore ipso trahatur, ite, aut se ipsi ei incorporare poterit. Quare necesse vt Christus ipse nos ad se trahat, & sibi incorporet, & rporatos atque fœderis participes effectos, in eodem m magis ac magis confirmet, atque conseruet, vt totū pus Dei & Christi, vt qui gloriatur, non in se, sed in nino glorietur.

XXX.

Ad hoc autem faciendum, duabus rebus externis ordiatiē, & duabus internis semper vtitur. internæ sunt, illaus sui Spiritus, & donum fidei, quam in nostra infundit rda. Is enim prior in nostra illabitur corda, & ita prior nobis communicat: deinde simul vim fidei infundit, nque in actum excitat: atque ita efficit, vt nos (non em de pueris loquor) actu viuæ fidei, Christum ipsum mplectamur, atque ita amplectamur, vt etiam corpori eus, non quidem crassa & carnali, sed spirituali, vera tamē & reali vnione incorporemur.

XXXI.

Etsi enim interuallo locorū corpus ipsum Christi procul à nostris distet: hoc tamen nihil impedit, quin vera atque realis sit vnio, qua fideles vniti sunt Christo, & corpori eius incorporati, propter hoc Spiritus vinculum, seu exum, quo ille nobis, & nos illi vniti sumus. Certè Solis orpus tam procul abest à terra, quàm etiam cœlum. suis amen radiis, continuatis à suo corpore vsque ad corpus erræ, ita terræ vnitum est, vt à nulla re maiorem in se entiat efficacitatem terra, quàm à Sole: atque ita sentiat, t mirabiles, propter Solis præsentiam, pariat flores & frutus: maior tamen est Christi nobiscum vnio.

XXXII.

Etsi verò vnio Christi nobiscum, & nostri cum Christo, duobus internis nexibus propriè fiat: non solet tamen Deus iis per se solis, nisi adhibitis etiam externis, nos sibi n fœderis communionem receptos vnire. externi autem exus sunt verbum & sacramenta.

XXXIII.

Hæc aliquādo sunt cōiuncta, aliquādo separata, cōiuncta quidē, cū sacramenta administrantur. non enim hæc sine verbo vel Sacramenta sunt vel administrantur. separata verò, cùm sine sacramentis verbum prædicatur.

XXXIV.

Vtrumque autē officium Dominus Iesus etiam nūc in Ecclesia facit: licet corpore supra cœlos sit. nā ipse est, qui in ministris, quales quales sint, cùm prædicant purum ipsius verbum, prædicat atque loquitur. Ipse est, qui per ministros quales quales sint, cùm legitime administrant sacramenta, præbet ea, quæ per sacramenta significantur, hoc est, seipsum cum fœderis sui, in se per suum sanguinem sanciti, communione.

XXXV.

Proinde cū minister baptizat, oculis mētis in cœlū sublatis, cogito & credo, Christū, quasi manu sua è cœlo demissa, filiū meū sanguine suo in remissionem peccatorum aspergere, per manū illius hominis, quem video aqua caput infantis aspergentem. Et cū in Cœna minister nomine Christi mihi porrigit panē cum illis verbis, Accipe & comede: hoc est corpus meū, quod pro vobis traditur: cogito & credo. Dominum Iesum. dū panē & vinū per manū ministri exhibet, simul etiā corpus suum, & sanguinem suū mihi māducandū & bibēdū, vt ego ei magis ac magis incorporer. præbere. Scio enim verba esse Christi, nō ministri: & Christum Ecclesiæ dicere, nō ministrū, Accipite, manducate: hoc est corpus meū, quod pro vobis traditur.

XXXVI.

Ac baptismi quidem Sacramento, seu nexu ordinario vtitur ad recipiendum nos in fœderis communionē: Cœna verò, ad nos in ea magis ac magis confirmandos.

XXXVII.

Non alia autem ratione communicat sese nobis Dominus, & nos sibi vnit per Sacramēta, seu nexibus Sacramētorum, quàm qua etiam per verbum, seu nexu verbi.

XXXVIII.

Interim tamē efficacius & ipse sese nobis cōmunicat, & nos sibi vnit, per Sacramenta simul & verbum, quam per verbū solū, quatenus verbo solo nullum corporis sensum percellit, quā auditum: verbo autē simul cū Sacramentis, seu signis, præter auditū, reliquos quoq. permouet sensus.

XXXIX.

Sensus autem sunt ceu ianuæ externæ, per quas aditus & introitus patefit in atrium animæ, & in secretum cordis cubiculum, tam Diabolo, quam etiam Christo.

XL.

Cū igitur Dominus ad nos venit, & se nobis vnit cum suis thesauris per verbum solum, quasi vnā tantùm ianuā nostri palatij pulsat, & per eam solam ingreditur. Cum verò præter verbum adhibet etiam Sacramenta, omnes nostras pulsat fores: & si nos audiamus, & tum verbo fidem adhibeamus, tum Sacramenta fide percipiamus: tūc quasi omnes fores aperimus Christo, & ipse per omnes ingreditur. Efficacius igitur quodammodo per Sacramenta simul cum verbo in nostra ingreditur corda, & sese nobis, & nos sibi venit, quàm per verbum solum.

XLI.

Præstantius tamen est verbum quàm symbola in sese, quoniā per verbum solum sine signis Dominus in nos ingreditur, & se nobis communicat: per signa autem sola, sine verbo minimè: quoniam sine verbo, neque Sacramenta seu elementa illa sunt Sacramenta: accedit enim verbum ad elementum, & fit sacramentum: neque per illa quidpiam in nobis operatur Christus.

XLII.

Ergo existimandum non est, diuersa aliqua alia & præstantiori ratione Christum se nobis communicare per sacramenta, quàm per verbum: quasi magis vnitus sit elementis & symbolis, quam verbo: cum elementa id etiam quod sunt, nempe sacramenta, per quæ se Christus nobis communicat, habeant à verbo: neque enim maiorem vim à verbo accipere possunt, quam ipsum verbum habeat. Non igitur magis vnitus est Christus symbolis, quā verbo: vtroque tamen simul erga electos vtens, efficacius etiā nos permouet, & salutem in nobis operatur.

XLIII.

Idem tamen finis est Christo, tam cū vtitur solo verbo, quam cum etiam simul vtitur sacramentis, nempe vt se nobis, & nos sibi vniat. vnit autem sese nobis, vt per hanc suæ personæ, qua Deus est & homo, nobiscum communionem, in fœderis quoque communionem, quod in ipsius persona positum, renouatum, confirmatum & fixum est, admittat: & si admissi iā antea fueramus, vt in baptismate, in ea nos magis ac magis confirmet, vt in Cœna. Admittit vero nos in communionem fœderis, & in ea nos magis confirmat: vt hoc fœderis nexu, iam vnum facti cū Christo mediatore, cum Deo etiam Patre vnum fiamus, & vnum facti, magis ac magis cum eo coalescamus, donec tandem ipse fiat omnia in omnibus nobis.

XLIV.

Hæc enim vnio cum Deo Patre, in quo & Filius, & Spiritus sanctus, est vltimus, vt dixi, finis, ad quem & nos perpetuo debemus collimare, & Christus tam per verbum, quàm per sacramenta, tam per aduersa, quàm per secunda, tā per internas, quàm per externas suas in nobis actiones, denique tam per vitam, quàm per mortem, nos electos suos continenter ducit.

DE COENA DOMINI IESV.

Nunc vt ad Cœnam Domini Iesu tandem aliquando veniamus, quæ sine iis quæ antea à nobis explicata sunt, neque rectè intelligi, neque salutariter percipi potest: hæc est mea simplex Confessio, his capitibus constans.

CAPVT I.

De iis, quæ in Cœna exhibentur.

Credo itia in Cœna omnibus offerri, & à fidelibus percipi. Symbola, panē & vinum, cum verbis Domini coniuncta. Verbum enim à Symbolis, & symbola à verbo non sunt in Cœna Domini separanda, alioqui Sacramenta non essent. accedit enim verbum ad elementum, & fit Sacramentum.

2. Corpus & sanguinem Domini, hoc est, Dominum ipsum Iesum Christum. Sicut enim reipsa diuinitas non est separata ab humanitate, neque humanitas à diuinitate: ita etiam non offertur vna sine altera. Proinde neque à nobis sunt cogitatione separandæ & distrahendæ: sed sicut totus Christus offertur, sic totus etiam est recipiendus.

3. Fœdus nouum, quod nimirum in Christo renouatum & sancitum est. Hoc est enim illud, cuius præcipuè causa instituta est, & administratur Cœna, vt scilicet personæ Christi magis ac magis incorporati, in fœdere etiam magis ac magis confirmemur. Sunt autem corpus & sanguis Domini, fœdusque nouum in Christo, res illa spiritualis: elementa verò, panis & vinum, res illa terrena, de quibus B. Irenæus.

CAPVT II.

De vsu horum trium: ac primum de vsu verbi, panis & vini.

THESIS I.

Credo autem hæc tria in certos & proprios vsus inter se ordinatos offerri, & exhiberi.

Et primum quidem elementa panis & vini, vnà cũ verbo offerri & exhiberi: vt per hoc, & per illa, tanquam per instrumenta Spiritus sancti, in cordibus electorum operantis, fides in nobis magis ac magis excitetur & confirmetur, qua credamus, rẽ ita se habere, sicut & verba Christi in auribus sonant, & elementa oculis & aliis sensibus repræsentant: nempe panem cœlestem, corpus Christi fractum, id est, occisum & mortuum fuisse pro nobis: & vinum cœleste, nempe sanguinem Christi fuisse effusum pro nobis & pro aliis multis, nempe omnibus electis in remissionem peccatorum: atque ita in corpore Christi sancitum, & eius sanguine confirmatum fuisse nouum fœdus, & hunc cœlestem panem Christum cum nouo fœdere, & cœleste vinum cum remissione peccatorum, per panem terrenum & per vinum terrenum nobis offerri: imò, vt accipiamus iuberi illis verbis, Accipite, comedite. In hunc finem dari panem & vinum credo. Proprius enim & immediatus omnis rationis & omnium signorum, præsertim quæ ad orationis confirmationem adhibentur, vsus atque finis est, non tantum vt simpliciter significent, sed etiam vt significando fidem faciant: hoc est, vt fidem in auditoribus & spectatoribus excitent, qua persuadeantur rem ita se habere, sicut verba loquentis auribus significant, & signa oculis repræsentãt. Apostolus quoque Rom. 10. de verbo Dei & prædicatione Euangelij ait fidem esse ex auditu, auditum autem per verbum Christi. Vsus igitur verbi immediatus & proprius est, vt fidem in auditore excitet: signa autem & sacramenta, verba sunt visibilia. In hunc igitur vsum & finem immediatũ dari omnino credo panem & vinum, vnà cum verbo, vt per ea magis ac magis excitetur in nobis fides, qua credamus rem ita esse, sicut & illud significat, & hæc repræsentant, & hoc pacto significando exhibent, seu offerunt.

II. De vsu fidei, per verbum & Sacramenta in nobis excitata.

Credo verò, fidem hanc per verbum & Sacramenta in nobis à Spiritu sancto excitari: vt per hanc immediatè accipiamus & comedamus corpus Christi pro nobis traditum: accipiamus & bibamus sanguinem Christi, pro nobis in remissionem peccatorum effusum: atque ita Christo ipsi tanquam mediatori, pro nobis mortuo, immediatè vniamur & magis incorporemur.

Sicut enim panis & vinum, corpora terrena & materialia, non possunt nostro corpori terreno incorporari, nisi ore ea capiamus, comedamus & bibamus: ita Christi corpori & sanguini, quæ cœlestis res ab Irenæo appellatur, vniri & incorporari non possumus: nisi fide Christum ipsum apprehendamus, comedamus, & bibamus, hoc est, nobis applicemus.

III. De vsu, in quem comedimus corpus Christi, & bibimus sanguinem eius.

Credo autem corpus Christi manducandum & sanguinem eius bibendum nobis in cœna exhiberi, & fide, per verbum & Sacramenta, opera Spiritus sancti in cordibus nostris excitata, à nobis reipsa manducari vt Christo efficaciùs incorporati, in ipso quoque nouo fœdere, quod in Christo communicatur, tenaciùs confirmemur.

Sicut enim Christus suum corpus ideo tradidit in mortem, & sanguinem fudit suum, vt sua morte & sanguine, peccatis nostris expiatis, fœdus inter Deum patrem & nos renouatum, in se ipso confirmaret, & in sempiternum constabiliret, quemadmodum verba cœnæ de calice docent, & reliqui Scripturarum libri, præsertim epistola ad Hebræos, confirmant: ita in hunc etiam finem, vtrunque, hoc est, corpus & sanguis Christi, nobis communicatur, vt illorum communicatione & participatione, nos vicissim Christo ipsi, magis ac magis incorporati, magis etiam & magis in ipso nouo fœdere confirmemur: proinde cùm porrexit calicẽ, disertis verbis nominauit nouum testamentum seu fœdus: nempe vt Apostoli intelligerent, quorsum iste sanguis filij Dei non solum funderetur, verum etiam ipsis bibendus exhiberetur: nimirum eò, vt sicut per huius effusionem peccata ipsorum omniúmque electorum expiabantur, & iis expiatis, fœdus inter ipsos & Deum in omnem æternitatem confirmabatur: Sic etiam per eiusdem potationem, tum ipsi tum reliqui omnes, Christo magis ac magis incorporati, in ipso quoque sempiterno fœdere, sese confirmatos ac constabilitos esse intelligerent. Scio vtrumque simul fieri, & vnum sine altero percipi non posse: quia tamen diuersa sunt obiecta, fœdus, & caro ac sanguis Christi, & vnum ordinatur ad alterum: idcirco docendi caussa, vnum ab altero distinguo, & proprium cuiúsque vsum indico.

IV. De vsu communicati fœderis.

Credo denique, fœdus ipsum in corpore Christi, & per sanguinem Christi confirmatũ, nobis in eodẽ corpore & sanguine Christi magis ac magis cõmunicari: vt illius nexu magis etiam ac magis Deo Patri, fonti, sicut totius diuinitatis, sic & omnis bonitatis & beatitatis, per Christum mediatorem, operante & habitante in nobis Spiritu sancto, toti quanti quanti sumus, vniamur, atque ita vniamur, vt mente quidem eum vt verum & optimum nostrum patrem in Christo, per Spiritum sanctum quotidie clarius agnoscamus: corde autem eum in Christo, per Spiritum sanctum quotidie ardentiùs amemus: omnibus verò nostris & animæ & corporis viribus, eum quotidie sincerius colamus, & ei similes in sanctitate & iustitia fiamus: donec tandem destructo prorsus peccato, & abolita morte, recuperatáque perfecta Dei imagine, ita perfectè illi per Christum, in Spiritu sancto post hanc vitam copulemur, vt sit ipse omnia in omnibus nobis, Amen.

Hic est enim finis vltimus: ad quem non tantum Cœna Domini: sed etiam baptismus, imo totum Dei verbum, omnia Dei beneficia, omnia flagella, omnia denique Dei verba & facta nos ducunt.

CAPVT III.

De officio hominis Christiani in Cœna Domini.

PRoinde sentio & credo, hæc esse officia hominis Christiani in Cœna Domini.

1. Vt perfectam cum Deo communionem, quæ extra Christum nulla est, & in eo solo haberi potest: sibi ob oculos proponat, & ad eam, tanquam ad vltimum finem, omnia dirigat.

2. Deinde, quò ad hunc finem peruenire possit: initio à mediis, quæ in sensus incurrunt, tanquam à prioribus quò ad nos, & notioribus, facto, tum verbum attentè audiatur, tum ad Symbola reuerenter accedatur, & quid tam illud significet, quàm ista repræsentent, quidve in vtrisque nobis offeratur, diligenter consideretur oportet. Tam verbũ autem, quàm Symbola nobis significant, Christum corpus suum pro nobis in mortem dedisse, & sanguinem in remissionem peccatorum fudisse: ac proinde nouum æterne cum Deo reconciliationis & amicitiæ fœdus, in Mediatore, per eius sanguinem sancitum & confirmatum esse: Atque ita hæc per illa significantur, vt etiam offerantur, & accipienda exhibeantur. Quò fit vt verè appellẽtur signa, non solum significantia, sed etiam rem per ipsa significatam exhibentia.

3. Quia verò res per Symbola significatæ & oblatæ per fidem sunt accipiendæ Fides autem Dei donum est: ideo rogandus est Dominus, vt qui per signa res offert, atque vt eas fide percipiamus, mandat: ipse etiam fidem, qua illas accipere valeamus, donet & augeat.

4. Fide autem in nobis, ex auditu verbi, & ex diligenti Symbolorum consideratione, per Spiritum sanctum excitatã, officium Christiani hominis est, dum externa & visibilia Symbola, externa etiam & visibili corporis manu accipit, oréque corporis edit, & bibit in terris: Simul etiam res ipsas cœlestes & inuisibiles, carnem scilicet & sanguinem Domini, fideli mente in cœlestem mensam subuectã, manu & ore fidei percipere, edere, bibere: vt Christo magis ac magis spiritualiter adglutinatus, & caro de carne eius, atque os ex ossibus eius effectus, in eo viuat, & ille in ipso. Credo enim fideles in Cœna verè recipere & comedere, sed Spiritu & fide, ipsum verum corpus Christi, quod & quatenus pro nobis traditum est: & bibere eius sanguinem, qui & quatenus pro nobis effusus est in remissionem peccatorum: quemadmodum verba ipsa Christi apertè testificantur: Et quidem corpus

s præſens, & ſanguinem præſentem, ſed Spiritui & homini interiori. Huic enim omnes res, quas fide percipit, vera præſentes ſunt, iuxta illud, Chriſtum habitare per fidem in cordibus noſtris: Et nulla loci diſtantia efficere poteſt, vt res quas fide percipimus, abſentes à nobis ſint: quemadmodum neque Sol oculis, à quibus percipitur, abſens eſſe vllo modo dici poteſt.

Quia verò nouũ fœdus in Chriſto per ipſius ſanguinem ſancitum, & teſtamentum morte teſtatoris confirmatum eſt: nexu autem perpetui fœderis, cũ Deo in ſempiternum coniungimur: idcirco Chriſtianus homo, qui iã per fidem ſe Chriſto incorporatum eſſe ſentit, debet etiam credere, ſe in fœdere cum Deo patre, propter Chriſtum: nexu indiſſolubili confirmatum eſſe: ac proinde ſibi à Deo omnia peccata eſſe remiſſa, filiúmque eius, & æternæ vitæ hæredem, ſine vllo exhæredationis metu conſtitutum & confirmatum fuiſſe. Quæ enim & nos viciſſim iuxta fœderis pacta, debemus Deo, Fidem nimirum charitatem. obedientiam: ea pro nobis à Chriſto primogenito pleniſſimè fuiſſe præſtita, nobiſque imputari: firmè credere, & deinde etiã eiuſdẽ Chriſti auxilio, quo hæc ex parte ſaltẽ præſtare poſſimus, nequaquã deſtitutum iri, perſuaſiſſimũ habere debemus: idque propterea, quòd Chriſtus ipſe & illa pro nobis præſtitit, & hoc auxilium nobis promiſit, vt fœdus nouum, ſicut ex parte Dei, ſic etiam ex parte noſtra firmum ac perpetuum permaneat: donec tandem in plenam cœleſtis hæreditatis poſſeſſionem recepti, cum Patre Filio, & Spiritu ſancto, Deo noſtro, in ſumma felicitate viuamus.

Tria enim ſunt ad ſummam ex parte Dei, fœderis capita: condonatio peccatorum: υἱοθεσία, cum perpetuæ beneuolentiæ, gratiæ, protectionis promiſſione coniuncta: & cœleſtis tandem hæreditatis plena poſſeſſio. Tria itidem, quæ à nobis ſtipulatus eſt: fides in Deum, charitas erga proximum, & totius vitæ noſtræ ſanctitas, veraque obedientia: Chriſtus ſua perfecta obedientia vſque ad mortem, eóque ſuo ſanguine & morte: tum quæ Deus promiſerat, nobis impetrauit, tum quæ à nobis ſtipulatus fuerat, pro nobis præſtitit: in cuius rei teſtimonium, fidem, qua in Deum credamus, & dilectionem, qua proximum diligamus & Spiritum regenerationis, quo ſanctitati ſtudeamus, & ſincera in nobis inchoetur obedientia, donat. Ita Chriſtus efficit, vt fœdus non ſolùm ex parte Dei, verùm etiam ex parte noſtra firmum ac perpetuum maneat. Noſtri igitur eſt officij, vt primum fide, qua à Chriſto donamur, ſicut manducamus eius carnem, & bibimus ſanguinem: ſic etiam in fœdere cum Deo nos confirmatos eſſe credamus: ac proinde & peccata eſſe remiſſa, & Deũ noſtrum eſſe Patrem, eúmque nos æterno fauore & protectione proſecuturũ: & denique nos hæredes eſſe vitæ æternæ, eóque ad gloriam & vitam ſempiternam reſurrecturos, idque propter Chriſtum, cuius carne in Cœna veſcimur, & noſtra etiam corpora ad beatam reſurrectionẽ nutriuntur, perſuaſum habeamus: eóque pro tot tantiſque beneficiis, debitas illi agamus gratias: charitate autem, quæ itidem à Chriſto in cordibus noſtris accenditur, proximum, & in primis fratres, complecti debemus: vt ſicut vnum ſumus cum Chriſto: ſic etiam cum tota Eccleſia in vnum magis ac magis coaleſcamus: quemadmodum hortatur Apoſtolus argumento inde etiam ducto, quod omnes ſumus vnum corpus, & vnus panis, omnes, qui de vno pane participamus.

Studio verò ſanctitatis, veræque obedientiæ, quo itidem donamur à Chriſto, debemus Deum ſemper glorificare, & nos vera ac viua membra eſſe Chriſti eóque ad illam veram felicitatẽ pertinere, quæ in perfectiſſima cum Deo vnione, qua ipſe erit omnia in omnibus, reipſa declarare. Sic de officiis Chriſtiani hominis in Cœna, quo dignè, eóque ad ſalutem manducet panem Domini, & de poculo bibat, & ſentio & credo.

CAPVT IV.

De verbis Cœnæ.

CVm hæc ita ſe habeant, ſentio, verba Cœnæ Dominicæ, ſine aliquo tropo rectè intelligi & explicari non poſſe. Primum enim id de calice conſtat, tam apud Euangeliſtas, quàm apud Apoſtolum: deinde de pane etiam liquet, quia, quod Chriſtus dixit, Hoc, id eſt, panis, quem fregi, *eſt corpus meum*: Apoſtolus explicans, ait: Panis, quem frangimus, communio corporis Domini eſt: Tertiò, per regulam Auguſtini de doctrina chriſtiana, lib. 3. c. 16. Quia cum iubemur edere carnem Chriſti, ſi propriè accipias verbum edendi, facinus iuberi videtur: ideo ſermonem Chriſti de manducanda carne ſua, figurate eſſe intelligendum. Adde, quia ſi ſine tropo intelliges, conſequetur, panem verò pro nobis traditum eſſe, & vinum in remiſſionem peccatorum noſtrorum effuſum: denique, quia Lutherus ipſe in Ieſai. c. 6. in verbis Cœnæ Synecdochen eſſe dicit, quo cum hac in parte vbique conſentit Bucerus. Ergo licèt, ſingula verba in illa oratione *hoc eſt corpus meum*, in ſua propria ſignificatione accipiantur, ita vt de pane pane verum & eſſentiale Chriſti corpus prædicetur, vt reuera prædicatur: in ipſa tamen tota oratione aliquis trõpus inſit neceſſe eſt: Quando panis, qui pro nobis traditus & crucifixus non fuit, corpus ipſum eſſe chriſti, quod pro nobis traditũ eſt, propriè dici non poteſt. Ita de ſola ſpecie tropi, qua panis vocetur corpus Chriſti, corpus inquam illud verum, quod pro nobis verè traditum eſt, relinquitur diſputatio. Hanc autem ego tanti non eſſe iudico, vt propterea turbandæ ſint Eccleſiæ, & qui dicit eſſe ſynecdochen, damnet eum, qui ait eſſe metonymiam, & contrà, qui metonymiam, eum, qui ſynecdochen: modo in eo vtraque pars conſentiat, verum & naturale Chriſti corpus, vt Euangeliſtæ & Apoſtolus apertè docent, de vero pane prædicari, & modò articuli fidei, in ſua ſimplicitate, integri & incorrupti vtrinque retineantur, vti, corpus Chriſti naturale vnum eſſe, finitum eſſe, humanũm eſſe, in cœlo eſſe non amplius mori, non teri, non frangi, reuera tamẽ, vt Scripturæ docent, omnibus oſſeri fidelibus reipſa cõmunicari, ſed in myſterio & ſpirituali modo: quemadmodum ipſi fideles, non carnali, ſed ſpiritualizatione, cum capite Chriſto, & cum tota Eccleſia catholica concorporati ſunt in vnum ſemper coaleſcunt.

Ac proinde ſicut in hac ſpirituali & arcana κοινωνίᾳ cum Chriſto & cum Eccleſia, impij hypocritæ nullam habent partem, cùm deſtituantur fide, ſed tantum in externa & viſibili ſocietate, ſic neque vera & naturali, veréque cœleſti Chriſti carne & ſanguine, ſed tantum externis & viſibilibus ſignis, quæ & ipſa nomẽ carnis & ſanguinis Chriſti à Chriſto ipſo acceperunt, eoſdem hypocritas participare ſentio ac credo. Proinde quod Apoſtolus ait, Qui manducant indignè, reos fieri corporis Domini, ſi de impiis (quod certè, & non ſine cauſſa negat Bucerus) intelligatur, illud eo ſenſu interpretor, quo idem Apoſtolus ait ad Hebræos, quoſdam Filium Dei conculcare, & ſanguinem Teſtamenti communem ducere, nẽpe, non quia verè carnem Chriſti edunt, & ſanguinem bibunt, ſed indignè, verùm potiùs, quia corpus & ſanguinem, pane & vino oblata, ſua impietate reiicientes, panem & vinum indignè edunt & bibunt.

Hoc vos velim habere perſuaſum Domini mei, me non eſſe tam impium, vt de veritate verborum Chriſti in Cœna, ſicut nonnulli nimis impudenter per calumniam nobis affingunt, dubitare vllo modo queam, neque etiã me de ſimplici ſingulorum dictionum in propoſitione. *Hoc eſt corpus meum*, intelligentia diſputare. Nam articulo, *hoc* panem monſtrari, præterquam quod contextus ipſe docet, Paulum etiam habeo interpretem 1. Cor. 10. & 11. Neque verbum, *eſt*, aliud mihi ſignificat, quàm eſſe, &, *corpus*, pro vero Chriſti corpore accipio, Chriſto interprete, qui ſubdit, Quod pro nobis traditur, ac proinde nullam eſſe inter nos controuerſiam, an panis in legitimo vſu Cœnæ, ſic verè corpus Chriſti, ſed de modo duntaxat diſputari, quo panis eſt corpus Chriſti. Quin etiam neutra pars dubitat panem eo modo eſſe corpus Chriſti, quo modo eum eſſe voluit ac vult Chriſtus, ex eius enim pendet voluntate.

Cùm autem in verbis de Cœna, voluntate eius de hoc modo non ſit expreſſa, aliunde, hoc eſt, ex aliis ſimilibus, Sacramentalibus nimirum locutionibus, colligendam eſſe ſentio, iacto etiam hoc fundamento, Chriſtum noluiſſe & nolle, panem eſſe ſuum corpus aliquo eorum modorũ, qui ſui verè humani corporis veritatem tollãt, aut cum analogia fidei pugnent, & aliquem ſymboli articulum à ſua ſimplici intelligentia peruertant. Ita excluditur modus per tranſſubſtantiationem, tum quòd neque in Sacramento Baptiſmi ſubſtantia aquæ mutetur, tũ quòd Chriſti verba hoc nullo modo ſonant, tum quòd ſtatim plura corpora in terris Chriſto affingerentur, præter illud, quod habet in cœlo, tum denique quòd ſubſtantia panis, neque ante; neque poſt conuerſionem tradita vnquam pro nobis fuit in mortem, adde quòd, iuxta Marcum, ſubſtantia vini iam in ventriculo erat Apoſtolorum, cùm dixit, Hic eſt ſanguis. Excluditur etiam conſubſtantiationis modus per localem incluſionem, tum

quod neque in aqua baptismi localiter includitur sanguis Christi, quo lauamur à peccatis: tum quòd hic modus veri humani corporis naturam tollit, & cum articulo de ascensione in cœlum, & sessione ad dextram ex diametro pugnat. Iisdem de caussis tollendus est etiam modus, huic non admodum dissimilis, qui fingitur per realem & localem adhæsionem, seu coniunctionem: vt taceamus, quod nullum verbum legimus, vnde colligi queat, Christum, aliquo horum trium modorum, panem suum esse corpus voluisse.

Quónam igitur modo probabile est, esse voluisse? Eo nimirum modo, quo & alia Sacramenta id esse dicuntur, cuius sunt Sacramenta: per Sacramentalem nimirum, eóque mysticam vnionem: quod enim nobis est Sacramentum, Græcis est mysteriũ: vnde frequẽs est locutio apud Patres, panem esse corpus Christi, illúdque præsens: & edi in mysterio: mysterium autem est, cum res visibiles nos ad inuisibiles, terrenæ ad cœlestes, corporales ad spirituales verè intelligendas & percipiendas deducunt: quo sensu Apostolus, ad Ephesios, connubium carnale Adami & Euæ, mysterium magnum appellauit, propter connubium spirituale, quod inter Christum & Ecclesiam contractum est, & ad quod nos illud adducit. Per terrenas autem res ad cœlestes, aut per illarum participationem ad harum cõmunionem adduci non possunt homines animales, & fide ac Spiritu Dei destituti: cùm ne intelligere quidem ipsas possint, vt docet Apostolus. Quæ caussa est, cur carnem & sanguinem Christi, res cœlestes ac spirituales, neque ab impiis, neque ore corporis, reipsa & verè percipi posse sentiam & credam: quæ & Buceri fuit sententiã. proinde etiam dixit, nulla ratione huius seculi, sed modo tantùm spirituali & cœlesti, corpus Christi & præsens esse, & edi à nobis in Cœna. Quod quid aliud est, quàm dicere per Spiritum Christi? Res enim cœlestes cum terrenis per hunc coniunguntur, & per eundem illæ ab iis percipiuntur. Atque hæc de explicatione verborum Cœnæ, mea est fides atque sententia, quam constanter retinebo, donec melior & purior, ac cum sacris Scripturis congruentior ab aliis mihi proponatur & demonstretur.

Hæc est mea, mei Domini, tum generatim de communione cum Christo & Deo, tum speciatim de Cœna Domini, fides atque Confessio. Quam iccircò retineo, & in perpetuum, donec meliùs docear, Deo fauente retinebo: quoniam & confido eam desumtam esse ex sacris literis, consentaneam doctrinæ veteris Ecclesiæ, non dissentancã à vestris Confessionibus: & deinde vtilem ac salutarem, facilem etiam, & minimè intricatã esse scio. Ac proinde censeo, his capitibus debere, quemuis pium esse contentum: neglectis, & de industria, hoc præsertim tempore, omissis quæstionibus inutilibus ac stultis: hoc est, quæ & sine vlla necessitate, & sine vllo fructu in Ecclesiis ad populos proponuntur & agitantur, & nullo Scripturarũ testimonio, aut etiam veterum Patrum, probari possunt. Quæcunque enim proponuntur in Ecclesia, tanquam necessaria ad salutem, & nullum habent certum & apertum testimoniũ in sacris literis: nihilque conducunt ad illam perfectam, de qua priore loco non pauca dixi, cum Deo Patre per Christum, vinculo noui fœderis, communionem, ea tanquam inutilia & prorsus impia reiicienda sunt. Ac proinde vestræ Confessiones, sicut in aliis articulis Christianæ fidei, sic etiam in hoc de Cœna Domini, semper mihi probatæ fuerunt: quòd neglectis infructuosis & vanis quæstionibus, nihil nisi quod & certis Scripturarũm testimoniis probari possit, & ad illum totius doctrinæ Christianæ scopum, ad communionem nimirum cum Deo per Christum conducat, continet. Subiiciam igitur nunc vestras Confessiones, quas ego quoque probo, & amplector.

CAPVT V.

Confessio Ecclesiæ Argentinensis, Constantiensis, Memmingensis, Lindauiensis, de S. Eucharistia, Carolo V. Imp. Anno 1539. Augustæ exhibita.

De Eucharistia cap. 18.

De hoc venerando corporis & sanguinis Christi Sacramento, omnia quæ de illo Euangelistæ, Paulus & S. Patres scripta reliquerunt: Ecclesiæ nostræ fide optima docent, commendant, inculcant, indéque singulari studio, hanc Christi in suos bonitatem semper deprædicant, *a. b* qua is non minus hodie, quàm in nouissima illa Cœna omnibus, qui inter illius discipulos ex animo nomen dederunt, cùm hanc Cœnam, vt ipse instituit, repetunt, verum suum corpus, verúmque suum sanguinem, verè edendum & bibendum, in cibum *c. d* potúmque animarũ, quo illæ in æternam vitam alantur, dare per Sacramenta dignatur, vt iam ipse in illis, & illi in ipso viuant, & permaneant, in die *e. f* nouissimo, in nouam & immortalem vitam per ipsum resuscitandi, iuxta sua illa æternæ veritatis verba, Accipite, & manducate: hoc est corpus meum, &c. Bibite ex eo omnes, hic calix est sanguis meus, &c. Præcipua verò diligentia, populi animos nostri Ecclesiastæ ab omni tum contentione, tum superuacanea & curiosa disquisitione, ad illud reuocant, quod solùm prodest, solúmque à Christo Seruatore nostro spectatum est: nempe vt ipso pasti, in ipso & per ipsum viuamus vitam Deo placitam, sanctam, & ideo perennem quoque & beatam, simúsque inter nos omnes vnus panis, vnum corpus, qui de vno pane in sacra Cœna participamus. Quo sanè factum est, vt diuina Sacramenta in sacrosancta Christi Cœna, quàm religiosissimè, reuerentiáque singulari apud nos & administrentur & sumantur.

Capita huius Confessionis hæc sunt:

1. Quid in Cœna *c* Domini detur. corpus scilicet Christi verum, & verus eius sanguis: illud verè edendum, iste verè bibendus.
2. Quis *d* vtrúmque det, corpus scilicet & sanguinem, nempe Christus ipse.
3. Per quid dentur: per Sacramenta. Ex quo apparet, illam particulam *in*, qua nonnulli vsi sunt, dicentes corpus dari in pane, & sanguinem in vino, maiores vestros nõ intellexisse, nisi more Scripturarum, pro *per*.
4. Quibus *b* dentur: illis qui ex animo inter discipulos Christi nomen dederunt, hoc est, veris discipulis Christi.
5. Ad quid *d* dentur: in cibum potúmque animarum, & quo animæ alantur in vitam æternam.
6. Quis vltimus finis Cœnæ. *f* Illa, quam initiò explicaui, vnio cum Deo & Christo, & cum Ecclesia, seu inter nos: vitáque sancta. Sic enim habet Confessio: Christum dare suis veris discipulis, corpus suum in cibum animarum: quo ipse in illis, & illi in ipso viuant, & permaneant, in die nouissimo in nouam & immortalem vitam per ipsum resuscitandi. Et pauló pòst: Præcipua verò diligentia, populi animos nostri Ecclesiastæ ab omni tum contentione, tum superuacanea & curiosa disquisitione, ad illud reuocant, quod solùm prodest, solúmque à Christo Seruatore nostro spectatum est: nempe vt ipso pasti, in ipso & per ipsum viuamus vitam Deo placitã, sanctam, & ideo perennem quoque & beatam: simúsque inter nos vnus panis, vnum corpus, qui de vno pane in sacra Cœna participamus.

Hæc sunt capita vestræ Confessionis de Eucharistia. Hic vero nulla mentio de manducatione orali, & impiorum. Eadem capita repetita, explicata & confirmata fuerunt à vobis in Apologia anni 30.

Ex Apologia.

Primùm docemus de hoc negotio, iuxta institutionem Domini, quam Euangelistæ & D. Paulus tradiderunt. Quoniam autem apud veteres, & his quoque temporibus, pluribus disputatum est, quo pacto panis sit corpus Christi, & vinum sanguis Christi: docemus & fatemur, iuxta veterum sententiam, duo esse in hoc Sacramento: terrenum & cœleste, vt Irenæus loquitur. A Sacramentum & rem Sacramenti, hoc est, signum & signatum, vt Augustinus loquitur. B Panem verò & vinum in sua natura non mutari, sicut id ipsum Romæ in quodam Concilio decretum fuit, & à Papa Gelasio literis proditum. C Nullam quoque aliam vnionem, præter sacramentalem, fieri inter panem & corpus, vinum & sanguinem Domini. Maiorem etiam fidem habemus verbis Christi, qui etiam post hæc verba, Hic est sanguis meus, potum iam porrectum vocat fructum vitis, Marc. 14. & Paulo, qui hoc sacramentũ, semper panem & vinum nominat, quàm Scholasticis doctoribus, qui hic Transsubstantiationem finxerunt. Neque autem hinc sequitur, quòd propterea in Cœna nihil præter communem panem affirmemus: quò sanè omnia ferè aduersariorum argumenta diriguntur: sed iuxta verba Christi, D

D Accipite, comedite, bibite: hoc est corpus meum: hic sanguis meus: docemus, nequaquam debere nos dubi- e, quin Dominus nobis quoque donet ac det ve- n suum, vnicum & naturale corpus, verúmque v- um & naturalem sanguinem suum: in verum, soli- n & realem cibum, sed animæ, non ventris: sicut verba fessionis nostræ sonant Nam quod Irenæus scri- carnem nostram nutriri corpore & sanguine Domi- , ipsemet interpretatur in sequentibus, cum ait: nostra corpora, cùm Eucharistiam sumunt, iam non mplius esse corruptioni obnoxia. quod profectò ne- o ri attribuet, quod in ventrem descendit, & sicut re- qui cibi concoquitur. F Præterea potest etiam hoc Sacra- entum sumi ad iudicium, & per consequens ad corru- cionem. Quapropter, vt Chrysostomus inquit, omnia hic sunt, seu spiritualia alterius cuiusdam & cœlestis na- turæ, quemadmodum ipse Christus iam in cœlis est: vnde & Paulus eum cælestem hominem, seu Adamum nomi- nat. Hinc est, quod in canone consilij Niceni sic scribitur: Iterum etiam hîc in diuina mensa, G ne humiliter pro- pensi simus ad propositum panem & poculũ, sed exaltata mente, fide consideremus, situm esse in sancta illa mensa agnum illum Dei, tollentem peccatum mundi, qui non victimarum more à Sacerdotibus sacrificatur. &c. I Cum ic eloquimur: neminem cupimus verbis decipere, aut fal- ere: sed cum fatemur, nos verum corpus Christi accipe- e, intelligimus verum naturale Christi corpus. Ita cum icimus nos eodem frui aut vesci, intelligimus veram & calem manducationem & fruitionem, sed propriè lo- quendo, quæ est animæ, non ventris. animæ verò on, nisi per translationem, K potest attribui actio manducandi. L Quoniam autem hæc manducatio, si ve- è fiat, tam efficax est, vt non solum animam ad vitam æ- ternam pascat, sed etiam corpus immortale faciat, si- cut Irenæus, Hilarius, Cyrillus, aliique Patres loquûtur: i- eo ipse Dominus, qui proprijssime hac de re loqui po- tuit, rectè dixit. Caro mea verè cibus est. M Hanc verita- tem omnes veri fideles, qui vera fide, & sincera deuotio- ne Eucharistiam sumunt experiuntur. N Nam in fide, ca- ritate, & diuino Spiritu mirificè inflammantur, confirmã- tur & promouentur: sicut ipse Dominus in iis agit, & re i- psa adimplet. quod in verbis proponitur, & in sacramento præfiguratur. O Cum ergo animæ mentionẽ facimus, hoc præcauere volumus, ne quis ex nostris verbis concludat, quasi dicamus corpus Christi naturali ratione à nobis ita edi, sicut carnem, aut alium aliquem cibum manduca- mus. P quanquam propter sacramentalem vnionem, quę est inter panem & corpus Christi, etiam a S. Patribus cor- pori Christi adscribitur, quod reuera tantum pani, & non corpori competit: propterea quod iam passionis & corpo- ralis operationis expers est. In hãc sententia D. Chrysost. scribit in Matth. Quot sunt, qui dicant, vellem eius for- mam & figuram videre, vestes & calceamenta? Ecce i- psum vides, contrectas, comedis: cupis eius vestimenta vi- dere? ipse verò se præbet tibi non solum videndum, sed et- iam comedendum, contrectandum, ac intra te ipsum su- mendum. Sed quomodo eum videmus? nam oculis cor- poreis tantùm panem videmus. Ob hanc caussam ipse Chrysost. paulò ante hæc verba sic scribit: Cùm itaque Verbum dicat Hoc est corpus meũ, amplectamur illud, & credamus, atque oculis intellectus, hoc est, animi nostri, intueamur. Christ' enim nihil sensibile dedit: sed id quod. extrinsecus agitur, sensibile est: omnia vero intelligibilia & spiritualia. Ita in baptismo donum aquæ, per id quod sensibile est, impertatur: id verò id quod hic efficitur, re- generatio scilicet & renouatio, *[illegible]* est & spirituale. ete- nim si corpore non esses præditus, dona tibi incorporea nuda dedisset: quoniam vero anima cum corpore est con- iuncta: ideò *[illegible]* dedit tibi per sensibilia. Hæc sunt verba Chrysostomi, quibus etiam consentiunt ea quæ Dionysius & Cyrillus de hoc negotio scribunt. in quibus verbis ea- dẽ, quæ suprà commemorauimus, conspiciuntur: Q népe in hoc sacramento duas esse res, sicut etiam in nobis, cœ- lestẽ & terrenã, sensibilẽ & spiritualẽ, seu intelligibilem, signum & signatum. R. Animo, propriè loquendo, per- cipimus cœlestem, S corpore terrenam. & quemadmodũ propter vnionem, quæ est inter corpus & animam, sæpe corpori attribuuntur ea quæ propriè sunt animæ, & vicis- sim: ita in hoc Sacramẽto sæpe corpori Christi attribuun- tur ea, quæ propriè ad panem pertinent, & contra. T ne- quaquam enim corpus Christi frangitur, sed panis: neque dentes corpori Christi infiguntur: sed pani: nihilominus tamen hæc etiam omnia corpori Christi attribuuntur. Et quoniam scriptura ita loquitur, vt veritas Sacramentorum requirit: ideo baptismum vocat lauacrum regenerationis & renouationis spiritus, ablutionem peccatorum, &c. V. X. & fractionem panis nominat communicationem cor- poris Christi: & calicem, communicationem sanguinis Christi. Y Nam in solis impiis sacramenta & res seu my- sterium sacramentorum separantur, cùm neque ipsa aqua per se animum regeneret, neque panis & calix per se verã communicationem Christi exhibeant. Z. Ex his iam di- ctis, speramus facilè esse cuilibet Christiano, diuinarum rerum perito, iudicare, quid de hoc sacramento doce- amus, ac meram esse calumniam aduersariorum, qua di- cunt, nos nihil quàm communem panem hîc statuere. *a* Nihilominus tamen ingenuè fatemur, ipsum corpus Chri- sti non esse panẽ: neque panẽ ipsum corpus Christi sua na- tura: quod etiã Papistæ & omnes alij fatentur: item, panẽ non mutari in corpus Christi: & *b* corpus Christi non lo- caliter in pane includi: ita vt non necesse sit multũ dispu- tare de transmutatione loci, in quem Christus succedat. In summa, fatemur, inter panẽ & corpus Christi, tantùm sa- cramentalem esse vnionẽ. Quoniã verò hæc vnio, tantùm verbo, virtute seu cooperatione Dei nititur: ideò omnibus iis, quibus Christus hoc Sacramentum instituit, hoc est, discipulis Christi, exhibetur vera cõmunicatio corporis & sanguinis Christi, *c* tam certò, quàm panis exhibitio: etsi dentes corpori Christi non infigantur, & concoctio quæ in ventriculo fit, eò non pertingat, siue visibiliter, siue in- uisibiliter, ipséque nunquam in cibum ventris corrupti- bilem euadat. *d* Cùm autem ea, quam animus apprehen- dit, communicatio Christi talis sit, vt per illam reuera de ossibus & carne ipsius simus: nimirum quòd immortali- tatis participes efficimur, ipséque, vt Hilarius & Cyrillus scribunt, iam etiam corporaliter & naturaliter in nobis habitat: efficítque, vt hæc nostra corruptibilis natura, in- corruptibilitatem & diuinam vitam consequi possit, iám- que quodámodo diuinæ naturæ conformes efficimur, & cœlestis Adami veram gestamus imaginem 1. Cor. 15. pro- pter has caussas libenter cum D. Irenæo & Hilario fate- mur, etiam corpora nostra hic pasci: *e* corpúsque Christi, pani & nostris corporibus suo modo præsens esse. *f* Quod si quis obiiciat, nos perpetuo ad istum prædictum modũ debere Christum præsentem habere, eóque frui: vnde se- queretur, nihil peculiare in hoc Sacramento nobis dari: Respondemus, verum quidem esse, Christum perpetuò, omnibus fidelibus præsentem, & cibum ipsorum esse: Ni- hilominùs tamen aliam esse Sacramentorum rationẽ, iis, quibus Euangelium efficaciter prædicatur, mors Christi celebratur: & cum ipsis Sacramentis, tanquam sigillis di- uinarum promissionum, corpus & sanguis Domini quasi visibiliter exhibetur: fides excitatur: cœlestis huius cibi v- tilitas, de qua Christus Iohan. 6. loquitur, reuera percipi- tur atque sentitur: tota vita nostra renouatur, in dilectionẹ erga Deũ inflammatur atque confirmatur. Hinc est quod omnes S Patres, quoties de huius Sacramenti vsu & effi- cacia scribunt: adducere solebant ea quæ Christus Iohan. 6. dixit: etiamsi ibidem Christus externum hoc Sacramen- tum nondum instituerit.

Ex his apparet, nos in hoc negotio omnia quæ ad salu- tem animæ nostræ pertinere possunt, soli Christo attri- buere: nos ipsos verò tantùm ministros esse, qui hæc dona dispensamus. vnde etiam solis discipulis Christi, in quorũ medio se futurum affirmat, etiam ipsum *g* Christum ex- hiberi dicimus. nam Christus his solùm hanc rem insti- tuit, bonáque hæc promisit, ac nullis aliis, sicuti & ipsius & Apostoli verba de hoc Sacramento apertè testantur: iuxta quæ solùm, & non secundùm hominum iudicium, de hoc & de aliis diuinis mysteriis iudicandum est. Nihi- lominus possunt ij, qui discipuli Christi sunt, & fidem ha- bent, ita indignè ad hanc sanctam mensam accedere, vt rei quoque fiant corporis & sanguinis Christi, quemad- modum Corinthiis acciderat: quos Paulus non minùs ad- huc Christianos agnouit. Itaque non consentimus hac in re cum Papistis, qui totũ hoc negotium ponunt in sacrifi- culi consecratione, intentione, deuotione, verborúmq. re- citatione: ac solent sine omni annunciatione morte Chri- sti, eiúsque memoria, panem ostendere, circumgestare, in- cludere, & externis his cæremoniis vti. Hæc & similia, quoniã non ante omnia fides in Christũ docetur & pro- mouetur, sed omnia solum in externis his ritibus collo- cantur, nostri concionatores, tanquam indubitatã idolo- latriã, cõtumeliã aduersus Christũ eiúsq. meritũ, reiecerũt.

i Credimus etiam nos & cõfitemur, Dominum, vtrum- que, panem scilicet & corpus suum nobis dare. & hũc pa- nem etiam esse corpus Christi: sed suo modo ac ratione: non identicè, non naturaliter, non personaliter, sicut

ipsi etiam aduersarij nostri fatentur, aliam enim naturam habet & retinet corpus Christi, aliam etiam panis: sed hic consequuntur vnionem Sacramentalem.

k Credimus, in hoc Sacramento non simplicem & nudum panem, etiamsi dicamus, panem in se & sua natura nihil aliud præter panem esse & manere: sicut & in baptismo, aqua in se suáque natura, semper est & manet aqua.

l Credimus: Deum, quæcunque se facturum dicit, ea etiam facere, quoniam autem nullibi dixit, se velle mutare panem in suum corpus, ideo iudicamus, hoc metum esse figmentum hominum.

Quod aduersarij multis exaggerant interpretationem vocabuli *est* per *significat*: breuiter respondemus: eandem quoque apud Augustinum reperiri explicationem, nam contra Adimantum ita scribit: Dominus cùm daret signũ corporis sui, non dubitauit dicere, Hoc est corpus meum. etenim panis in se suáque natura, non est ipsum corpus Christi, sed corporis signum, sicuti omnes fatentur. Neque tamen in sacra Cœna nihil præter panem esse dicimus: sed ibidem etiam est corpus Christi cum pane Sacramentaliter vnitum, sicut suprà dictum est: & pronomen *hoc* non solum *n* oculis corporeis monstrat panem, sed etiã & quidẽ præcipue, oculis animæ corpus Christi. *o* præterea nos quoque libenter, iuxta Patrum sententiam, non solum cap. 6. Ioannis, sed etiam quidquid de vera manducatione & fruitione corporis & sanguinis Christi in Scriptura habetur, ad explicationem huius sacrosanctæ Cœnæ, quam tamen Iohan. 6. nondum instituerat, accommodamus. imo de hac Cœna intelligimus & interpretamur. *p* Neque vnquam fuit nostra sententia, veram Christi sententia cuiquam, multo minùs Ecclesiæ in hoc negotio eripere: sed vt fideles hunc thesaurum recte & verè in seipsis præsentem haberent, in primis eos ad Christum reuocamus per veram fidem, sine qua neque verba neque Sacramenta iuuare possunt, imo omnis plantatio & irrigatio ministrorum irrita est.

Theses ex Apologia, præcipuè de Cœna Domini.

I.

A.Q. Duo esse in Sacramento Cœnæ: terrenum & cœleste, vt loquitur Irenæus: seu, sacramentum & rem sacramenti: hoc est, signum & signatum, vt loquitur D. Augustinus.

II.

B.Z.i.K.l.m. Panem & vinum, in sua natura non immutari.

III.

c. Inter panem & corpus Christi, vinum & sanguinem Christi, nullam aliam fieri vnionem, quàm sacramentalem.

IV.

D.I. Dominum dare nobis verum suum, vnicum & naturale corpus: verum, vnicum & naturalem sanguinem in verum, solidum & realem cibum, sed animæ non ventris.

V.

E.L. Nostram tamen etiam carnem, vt ait Irenæus, nutriri corpore & sanguine Domini, nempe ad resurrectionem gloriosam.

VI.

F. Hoc sacramentum, non rem sacramenti, posse sumi ad iudicium, ideóque ad corruptionem.

VII.

G. Omnia in Cœna iuxta sententiam Chrysostomi, esse *νοητὰ*, seu spiritualia. & alterius cuiusdam & cœlestis naturæ, quemadmodum & Christus iam in cœlis est.

VIII.

H. Christum, dum celebratur Cœna, esse manerẽque in cœlo: vnde & Paulus eum vocat hominem cœlestem, & iuxta Concilij Niceni canonem, hic in diuina mensa non debere nos humiliter esse intentos ad propositũ panem & poculum: sed exaltata mente, fide considerandum esse agnum Dei, tollentem peccata mundi, situm in illa sacra mensa.

IX.

H. Fide igitur, iuxta canonem concilij Niceni, cum sumimus panem & vinum, exaltata mente in cœlum, vbi est Christus, considerandum, illum esse situm in sacra illa, scilicet cœlesti mensa: q. d. proinde illum ibi sumendum esse, fide & mente exaltata.

X.

I. Manducationem, qua manducamus corpus Christi, esse veram & realem manducationẽm, & fruitionem: sed propriè loquendo, hanc esse animæ, non ventris.

XI.

K. Manducationem, qua dicimur manducare corpus Christi, non nisi per translationem posse accipi, cum sit propria animæ, non ventris.

XII.

L. Manducationem corporis Christi, si verè fiat, esse ita efficacem, vt non solùm animam ad vitam æternam pascat, sed etiam corpus immortale faciat, & hac de causa eam appellari, & esse verum cibum.

(Hinc facile intelligitur, maiores vestros sensisse, tẽ ipsi hypocritæ impij licet sumant panem, non pascantur tamen illorum animæ ad vitam æternam, neque illorum corpora reddantur immortalia, scilicet ad gloriosam resurrectionem: illos igitur non vere manducare carnẽ Domini. proinde secundo loco, carnem Christi non esse illis verum cibum.)

XIII.

M. Veros fideles, qui vera fide & sincera deuotione Eucharistiam sumunt, experiri carnẽ Christi esse vere cibum.

XIV.

N. In piis vera fide & caritate & diuino Spiritu præditis, Dominum agere, & reipsa adimplere, quod in verbis proponitur, & in Sacramentis præfiguratur.

(Hinc facile colligere est Patres vestros sensisse, impios non percipere rem, quam & verba proponunt, & Sacramenta præfigurant hoc est, carnem & sanguinem Domini *g* infrà apertè ponunt.)

XV.

O Non esse sentiendum, Argentinenses dicere, corpus Christi naturali a nobis edi ratione, sicut & carnem, aut aliquem alium cibum manducamus.

XVI.

P.Q. Propter vnionem sacramentalem inter panem & corpus Christi vinum & sanguinem Christi, sæpe attribui corpori Christi quod tantùm pani conuenit: vt verbi gratia, quod manibus contrectetur, quod oculis videatur, quod ore corporis comedatur quòd frangitur, &c. & contrà, multa pani attribui, quæ tantum corpori Christi conueniunt.

XVII.

R S. Animo, propriè loquendo, percipi à nobis rem cœlestem, corpore terrenam, *c d* & nequaquam corpori Christi dentes infigi, sed pani.

XVIII.

T Scripturam, cùm loquitur de Sacramentis loqui sicut veritas Sacramentorum requirit: hoc est, quemadmodũ ipsa, iuxta institutionem Christi, verè offerunt: non quemadmodum illis abutuntur mali. Hinc fieri vt Baptismum vocet lauacrum regenerationis, renouationis spiritus, ablutionẽmque peccatorum. & fractionem panis nominet communicationem corporis Christi.

XIX.

V In impiis, Sacramenta & res seu mysterium Sacramentorum separari. (Hoc est, impios non percipere nisi signa, non rem signatam: rem terrenam, non cœlestem: panem, non corpus Christi.)

XX.

X. Sicut ipsa aqua per se, animam non regenerat sic neque panem aut calicem per se, veram exhibere Christi communicationem. (Ergo non quicunque accipit panẽ, is etiam vere accipit ipsum verum christi corpus.)

XXI.

Y Meram esse calumniam: Argentinenses, quia docent sicut habent in confessione, nihil aliud, quàm communẽ panem in cœna statuere.

XXII.

Z Neque ipsum corpus christi esse panem, neque ipsum panem esse corpus christi sua natura.

XXIII.

a corpus christi non includi localiter in pane. esse enim inter ea vnionem tantum sacramentalem.

XXIV.

c Omnibus iis quibus hoc Sacramentum christus instituit, hoc est, christi discipulis, exhiberi veram communicationem corporis & sanguinis Christi, tam certò atque panis exhibetur.

XXV.

Nostra etiam corpora hic corpore & sanguine Domini pasci, quia scilicet illorũ communione fit, vt immortalitatis participes fiamus, sicut & caro Christi immortalis est.

XXVI.

f Christum perpetuò quidẽ suis fidelibus esse præsentem

tem, & cibum ipsorum esse: nihilominus tamen alia, hoc est, efficaciore ratione præsentem nobis esse, cùm Sacramenta administrantur, quàm cum extra hæc præsens est: quod ibi Euangelium efficaciter prædicetur, mors Christi celebretur, & cum ipsis Sacramentis, tanquam sigillis diuinarum promissionum, corpus & Sanguis Domini quasi visibiliter exhibeatur, fides excitetur, cœlestis huius cibi vtilitas, de quo Iohan. 6. reuera percipiatur, atque sentiatur, tota vita nostra renouetur, in dilectione erga Deum inflammetur atque confirmetur.

XXVII.

g. Solis Christi discipulis, in quorum medio Christus se futurum affirmat, etiam Christum ipsum exhiberi: quod iis etiam solis hoc bona fide promiserit.

XXVIII.

h. Illos indignos, de quibus 1. Cor. 10. esse illos Christi discipulos, qui fidem quidem habent: indigne tamen ad hanc mensam accedunt.

XXIX.

i. Concedi posse: panem esse corpus Christi, sed suo modo ac ratione: non identicè, non naturaliter, non personaliter: sed hoc dici propter Sacramentalem vnionem.

XXX.

K. Etsi panis Cœnæ, in se & sua natura, nihil aliud sit & maneat præter panem: sicut & aqua in Baptismo nihil est in sua natura, nisi aqua, & manet aqua: non esse tamen nudum, & simplicem panem, nępe propter Sacramentalem vnionem, seu propter vsum, quod in hunc vsum depuratus sit & consecratus, vt per illum communicetur corpus Christi verum.

XXXI.

m. Verbum *est* interpretari pro *significat*, (quatenus scilicet refertur ad panem:) absurdum non esse: cùm etiam Patres appellarint panem, signum corporis Christi.

XXXII.

n. Pronomen *hoc*, monstrare non solum oculis corporis panem: sed etiam, & quidem præcipuè, oculis animæ corpus Christi.

XXXIII.

o. Caput sextum Iohannis, & quidquid de vera manducatione & fruitione corporis Christi, in Scriptura habetur: se libenter accommodare ad explicationem Cœnæ, imò & intelligendum esse & interpretandum de illa.

XXXIV.

p. Verum Christi præsentiam se nemini, multò minus Ecclesiæ in hoc negotio eripere.

Ex Articulis disputatis in Synodo Argentinensi, Anno M. D. XXXIII.

Artic. VII.

Sacramenta, Baptismus & Cœna Domini, sunt visibilia Euangelia: quia præfigurant nobis meritum & redemtionem factam per Christum.

VIII.

In Baptismo offertur nobis ablutio peccatorum, quam solus Deus Pater, Filius & Spiritus sanctus efficere potest, cooperante ad id ministro per prædicationem verbi, & porrectionem signorum. Non igitur Baptismus nudum tātum signum est, quo nos mutuo agnoscimus: sed signum est illius, quod nobis Deus per Filium suum Dominũ nostrum Iesum Christum esse, & iuxta institutionē suam dare vult. Errant ergo illi qui dicunt: Baptismum nihil aliud esse, quàm signum & testimonium eorum qui baptizantur, quod velint sibi ipsis mori.

IX.

Simili ratione, in Cœna Domini præcipuè, ipse Christus cibus æternæ vitæ, verum eius corpus, verúsque sanguis nobis exhibetur & datur, & à discipulis Domini verè percipitur: ea tamen ratione, vt propterea panis non fit ipsum corpus Christi, aut vinum ipse sanguis Domini, vel quod propterea panis & vinum, in corpus & sanguinem transmutentur aut localiter includantur, aut vllam naturalem vnionem cum pane & vino consequantur, per quam corpus & sanguis Christi, quæ nulli corruptioni amplius sunt obnoxia, efficiantur eiusmodi corruptibilis ventris cibus & potus, cuiusmodi sunt panis & vinum, quæ in sua substantia à Christi corpore & sanguine in æternum inseparata manent, sed cum pane & vino, vnà cum verbis, nobis verum corpus & verus sanguis, hoc est communicatio Christi, offeruntur, porriguntur, & verè à fidelibus percipiuntur, & ad vitam æternam manducantur, quemadmodum etiam in Baptismo per immersionem in aquam, aut aspersionem aquæ, vnà cum verbis offertur & datur regeneratio & ablutio peccatorum. Figmentum ergo hominum est, & contra Scripturam: dicere, panem secundum suam substantiam mutari in corpus Christi, & vinum in sanguinem Domini: vel dicere vi verborum, cùm à sacerdote recitantur, corpus & sanguinem Christi localiter in hæc includi: vel dicere, ista cum pane & vino, ratione aliqua huius seculi, & non sacramentaliter tantùm vniri. Prętetea horribilis est blasphemia aduersus meritum Christi dicere, Corpus & sanguinem Christi in hac cœna, à sacerdote Patri offerri pro viuis & mortuis sicut etiam horribilis est Cœnæ Domini abusus: quando vel non omnibus fidelibus communiter in Cœna exhibetur vtraque species panis & calicis, vel cum non in lingua communi, quam omnes intelligunt, & per quam omnes ædificari possunt, hæc cæremonia peragitur.

X.

Pertinet autem hæc S. Cœna ad omnes eos, qui Christum pro Seruatore suo agnoscunt, & ex animo verè eo, tanquam pane cœlesti, frui, in eóque vnico Seruatore & Mediatore æternùm viuere cupiunt: neque in vita sua manifestis sceleribus atque flagitiis sine pœnitentia, contrarium de se ipsis testantur. Errant itaque illi & Ecclesiam turbant: qui tales homines à Cœna illa absterrent, docéntque sensibilem quandam mortificationem carnis, & deificationem quasi exspectandā esse: aut qui non ad Cœnam Domini mittunt, nisi antea rebaptizatos.

In iis etiam articulis habemus, præter alia in Cœna quidem verum corpus, verúmque sanguinem Christi exhiberi & dari: sed ea, à veris discipulis Domini, & fidelibus recipi: artic. 9. bis, & 10 Non igitur ab impiis.

Ex Confessione Anni M. D. XXXIX.

Artic. XIII.

Quoniam verò præcipuum est, vt sciamus omnem nostram salutem in eo sitam esse, vt credamus, Dominũ nostrum Iesum Christum sua morte redemisse nos: Placuit Deo, illud ipsum non solum per verbum, sed etiam per signa visibilia, & externos ritus nobis proponere, porrigere atque exhibere.

XIV.

Hac ergo ratione, in Baptismo, ablutio peccatorum, atque adeo ipsa regeneratio nobis proponitur, porrigitur atque exhibetur.

XV.

In sacra verò Cœna, verum corpus, verúsque sanguis Christi: ita vt iam de carne, sanguine, atque ossibus Christi facti, vera eius membra simus.

XVI.

Quemadmodum autem in Baptismo externũ elementum aquæ & verbum nobis ablutionem peccatorum & regenerationem proponunt, indicant, signaque sunt, per quæ ista nobis exhibentur, non autem ipsa sunt ablutio peccatorum aut regeneratio: ita quoque in Sacra Cœna, cum verbis panis & vini proponitur nobis, præfiguratur, atque per hæc Symbola porrigitur & exhibetur verũ corpus, verúsque sanguis Christi, imo ipse totus Dominus noster verus Deus & homo. Non autem panis aut vinum sua natura sunt ipsum corpus & sanguis Christi, neque in illis localiter includuntur, aut cum illis aliqua naturali vnione, sed tantummodo Sacramentaliter vniuntur. Quapropter etiam ipse Dominus Iesus non est cibus ventris, in quem panis & vinum descendunt, sed cibus animæ ad vitam æternam.

Ex compendio Religionis & doctrinæ pastorum Argentinensium, edito Anno M. D. XLVIII.

THESIS XIX.

Decimonono loco credimus & confitemur de Sancto Sacramento corporis & sanguinis Domini, per se & in se esse de eo simpliciter statuendum & credendum quod Dominus ipse & Sanctus eius Apostolus de eo testantur: quod scilicet panis, quem ibi frangimus: hoc est consecramus, distribuimus & accipimus, quemadmodū Dominus ipse præscripsit, communio sit corporis Christi, quod pro nobis fuit immolatum, & calix communio sit sanguinis ipsius, qui pro nobis fuit fusus, ac talis communio, per quā magis ac magis fiamus caro ex carne eius, sanguis ex sanguine eius, & ossa ex ossibus eius: nos in ipso & ipse in nobis maneat & viuat: nósque in eo simus vnum corpus & vnus panis. ita vt ibi cum sancto Episcopo & Martyre Irenæo omnibúsque priscis Apostolicis & Ecclesiis & patribus, duas res in S. Sacramēnto confiteamur: terrenam vnam, panem nimirū & vinum, quæ in sua natura & substantia, queādmodū pius ille Papa Gelasius primus rectè confitetur, permanent immutata: cœlestem alteram, nempe verum corpus & verum sanguinem Christi, hoc est, Dominum nostrum Christum ipsum, totum verum Deum & hominem, qui cœlum propterea non deserit, nec cum pane naturali modo commiscetur, nec localiter includitur: sed ibi seipsum cœlesti quodammodo nobis dat in cibum vitæ æternæ, & in certam fiduciam ac spē beatæ resurrectionis. In hac simplici, atque è Sacris Literis petita confessione, docemus esse persistendum: & alias præterea quæstiones, quæ nulla necessitate cogente eruūtur, Domino committendas: & omnes intempestiuas contentiones, quæ animorum tantùm abalienationem pariunt, & crebras etiam animorum exacerbationes, quas vera Christi fides, quæ per charitatem operatur ferre nequit, esse deuitandas.

Ex iis vestris Confessionibus præter alia hæc tria præcipuè capita liquido colliguntur, quæ ego de principio professus sum Dominis Scholarchis & cōmuni nostro Thomano, neque illa vnqua sum ingressus. Quorū primū est: In Cœna non solū panem percipi & vinum, sed etiam verum Christi corpus, & verum eius sanguinem. Alterum: sed in fide tantum, non autem ore corporis & dentibus. Tertium ac proinde à fidelibus tantum, non autem ab iis, qui vera fide præditi non sunt. Hæc etiam tria capita præcipua habetis in illa Epistola, quam communicaui cū D Marbachio: Heidelbergam missurus de illius etiam consensu, quanquam nunquam fuerit missa. Hanc eandem doctrinam confessus vobis sum in Supplicatione, quam ego Nobilibus & Clarissimis Dominis XIII. viris exhibui, in depulsione calumniæ LXI. Neque hæc doctrina pugnat cum confessione Principum Augustana, neque cum eius Apologia, vt perspicuum est. Neque enim ibi vlla mentio manducationis vel oralis, vt huius auctores vocant, vel impiorum. Quod verò quidam volunt, ex Confessione Augustana hæc etiam duo consequi, manducari scilicet verum Christi corpus ab impiis, & Ore corporis: huiusmodi sequelæ non bene sequuntur. Neque sunt articuli fidei: vt quisquam teneatur ita credere & confiteri, quod ni faciat, excommunicandus aut pro hæretico habendus sit. Certè Lutherus, quicunque fatebātur in Cœna non panē solum, sed etiā corpus ipsum Domini verè manducari, eos vt fratres admittebat. Inde in libro cui titulus est. Defensio τῶν ῥητῶν latino facto quaternione E: postquam multas dicēdi formas recēsuisset de corpore Christi in Cœna, & omnes indicasset tolerari posse: posteà subdit De verbis enim disceptare nō volumus: saltem maneat sententia, quod nō solū in Cœna panē comedamus: sed etiam corpus Christi. His verbis indicat Lutherus, à se illos neque reiici, neque dānari qui fatentur corpus Domini in Cœna manducari.

Ipse quoque Brentius in sua exegesi in Ioh. cap. 6. in tractatiuncula de Cœna Domini hoc vnum contendit: in Cœna non solùm panem edi, sed etiam ipsum verum corpus Christi: Sed hoc ibi perpetuò inculcat: manducari fide, & à credentibus, offerri fidei, interno homini, nobis credentibus: & internum hominem habere suum bonum, scilicet corpus Christi: externum, etiam suum, nempe panem. Quibus verbis apertissimè reiicit hæc duo dogmata: Corpus Christi verum manducari ore corporis, & ab iis, qui vera fide præditi non sunt, hoc est, ab impiis. Itaque inquit, hoc solum quærimus: an pane & vino Cœnæ Dominicæ distribuantur & donentur fidei nostræ corpus & sanguis Christi. Ecce quæ sit quæstio: non, an sumitur ore corporis: sed an fidei nostræ donentur, & proinde fide percipiantur. Postea probat donari hæc fidei nostræ hoc primo argumento: corpus & sanguis Christi nostra sunt dona. pro ratione igitur donorum distribuuntur fidei nostræ. At dona Dei dantur nobis credentibus per verbum & verbi Sacramenta, vt ex prioribus patet. Proinde vt corpus Christi per verbum nobis communicatur, ita & cōmunicatur nobis pane cœnæ per verbum. Hæc ille. Secundū argumentum in Brentio: Christus totus, cum omnibus suis bonis, communicatur credenti per verbum. Ergo per sermonem Cœnæ Dominicæ. Accipite, comedite, hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur, communicatur corpus & sanguis Domini. Quod si fidei nostræ per hunc Christi sermonem, inquit, donantur corpus & sanguis: cur non donentur etiam per panem & vinum, cùm hæc duo sermonis appendices sint? Inde etiam colligere est: D. Brentium sensisse tum, non aliter corpus Christi esse in pane, quàm sit in verbo, cùm eodem modo illud distribui doceat per panem, quàm etiam per verbum, imo pane, inquit per verbum. Tertium argumentum, ductum à ratione Sacramentorum. Duplex in nobis est homo: internus & externus. In Sacramentis etiam duo sunt: vnum externum, nempe Symbolum: & alterum internum, nempe res per symbolum significata & exhibita. Est autem inter Sacramenta quæ distribuuntur, & nos, quibus distribuuntur, pulchra dispensatio, nempe vt illa duo quę sunt in Sacramentis, respondeant illis duobus hominibus, qui sunt in fidelibus Sacramenta sumentibus. Atqui externum in Sacramentis Symbolum datur & sumitur ab externo in nobis homine: vt aqua in Baptismo, & panis ac vinum in Cœna. Ergo etiam internum in Sacramentis: vt regeneratio in Baptismo, ac corpus & sanguis Christi in Cœna, dantur & sumuntur ab interno in nobis homine. Verba eius quædam recitabo. Hæc est vera, inquit, Sacramentorum ratio, quod non sint pura, vacua & vana signa: sed quod veritas signata per ipsa signa distribuatur. Est enim duplex homo internus & externus, spiritualis & carnalis. Proinde in Sacramento offertur per verbum, interno & spirituali homini suum bonum, hoc est spirituale: externo autem suum, hoc est, externum Iam spiritualis non exsatiatur signis, sed rebus. non impletur vmbris, sed veritate. Itaque in Sacramento exhibetur, non solùm externo homini externum signum: sed etiam interno homini res & veritas ipsa, pulchra scilicet dispensatione, vt externus homo habeat externa sua cognata: & spiritualis interna sibi conuenientia. Rem ipsam declarat in Baptismo: scilicet vbi corpus foris abluitur aqua, sed anima intus regeneratur gratia. Postea idem concludit de Cœna, in hæc verba: Proinde vt per verbum, ita etiam per Sacramenta, fidei offeruntur & dantur corpus & sanguis: vt habeat externus homo sua externa, panem & vinum: internus vero sua interna & spiritualia corpus & sanguinem in mysterio donata. Nam vt Baptismus duo habet, aquam & verbum, corpus in Baptismo aquam sensibiliter accipit, qua lauatur: fides verbum, quo lauatur internus homo. Ita & Cœna Dominica duo habet, panem vinum & verbum. corporis os, accipit panem & vinum sensu. præter panem enim & vinum, aliud non sentit. Os fidei, accipit suo etiam sensu corpus & sanguinem, vt corpus in Sacramento habeat corporalia signa, & fides spiritualia, hoc est rem ipsam & veritatem. Proinde ne fidei, propter quam Dominus Sacramenta dedit, voto non fiat satis, omnino necessarium est, vt per Sacramenta non solum vacua signa dentur: sed etiam rerum veritas, qua sola fides contenta sit.

Hæc olim Brentius scripsit, ex quib. satis perspicuè apparet, illum in hac fuisse sententia, corpus & sanguinem Christi verum non ore corporis, sed tantum ore fidei percipi, neque percipi ab impiis, qui carent fide. sed tantum à fidelibus, qui verbis Domini, dicentis: Accipite, comedite, hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur, &, Accipite, bibite, hic est sanguis meus, qui pro vobis effunditur in remissionem peccatorum, vera fide credunt.

At dicet meus aduersarius, Sunt etiam multi in Ecclesia qui non habent veram & iustificantem fidem in Christū, interim tamen credunt, cùm edunt panem, se edere corpus Christi, proinde edunt. Respondeo, Fides quæ requiritur in Cœna, ad hoc vt quis dicatur verè accipere & edere corpus Christi, non est, vt simpliciter credat se edere corpus Christi, sed vt verè credat, primùm quidem corpus Christi pro suis peccatis traditum fuisse in mortem, & sanguinem fusum in peccatorum suorū remissionem. hoc enim habent verba Cœnæ, Qui pro vobis effunditur in remissionem peccatorum. quæ verba non sunt separanda ab illis, Hoc est corpus meum, hic est sanguis meus. Deinde fides est, vt credat verè, hoc corpus & hunc sanguinem sibi sumendum, & per consequens ad remis-

sionem

sionem peccatorum recipiendam, & ad confirmationem fœderis participandam, offerri illis verbis, Accipite, comedite. Certè qui non credit verè illud primum, neque verè credet hoc secundum. Hypocritæ autem destituti fide iustificante, non credunt verè, Christum pro se esse passum, & peccata sibi esse remissa, fœdúsque per Christum, inter Deum & se confirmatum. Quomodo igitur isti hypocritæ, sine vera fide iustificante, edere possunt corpus Christi verè?

Apparet igitur, etiam Brentio, cum hæc scripsit, non probatam fuisse vel manducationem oralem, vt vocat, vel manducationem impiorum. An verò mutarit sententiam, nec ne, viderit ipse. Deinde nihil mea refert. Neque enim hanc priorem Brentij sententiam probo quia Brentij est, sed quia agnosco eam consentaneam esse doctrinæ Sacrarũ literarum. Proinde neque etsi eam ipse, quod non concedet, mutauit, icirco aut ego possum, aut quisquam debet illam priorem improbare, & probare posteriorem. Neque enim fides nostra niti debet autoritatibus hominum, sed Dei tantum, quod is nunquam mutet doctrinam, quia nec vnquam fallitur. illi verò mutant sententiam, aut saltem mutare possunt. Proinde in nullius vnquam hominis verba iurare licet, aut quisquã debet: quod id non possit fieri sine Dei ignominia magna, & animarum periculo. Perspicuum vero est, in hoc loco Ioh. 6. Brentio non probari manducationem Impiorum & Oralem.

Certè Bucerus neutram probauit, legamus quæ scripsit etiam post concordiam factam.

Anno 1537. decem propositiones de Eucharistia disputauit, & defendit in hac Schola. Inter illas quinta sic habet ad verbũ: Percipi vero hæc dicimus, sola, simplici, & inexquisita fide, vt D Cyrillus inquit. etsi non abhorremus etiam ab his D. Chrysostomi verbis: O ingens miraculũ, & magnam Dei beneuolentiam erga nos. Is qui sedet supra cum Patre, illa hora omniũ detinetur manibus, & dat se volentibus circumdare & cõplecti: & si quæ apud hunc vel alios similia reperiuntur. Verum ea intelligimus quẽadmodum hic idem, nempe, vt abiecta omni carnali cogitatione, in cœlestibus hæc geri, & nuda anima, puráque mente afferamus.

Quod vero attinet ad locum Pauli 1. Corinth. 11. vnde meus Antagonista vult concludi, etiam ab impiis manducari corpus Christi, quod dicuntur fieri illius rei, Bucerus propositione 8. intelligit de veris fidelibus, qui tamen non agunt omnia ex fide, & ait sic euenisse Corinthiis.

Propositio non ait, Canonem Concilij Niceni probatum fuisse Marpurgi Luthero, & aliis. Ille autem ita habet: Iterum etiam hic in diuina mensa ne humiliter intẽti simus ad propositum panem & poculum, sed exaltata mente, fide consideremus, situm esse in sancta illa mensa agnum Dei, tollentem peccatũ mundi, qui non victimarum more à sacerdotibus sacrificatur. Et nos, verè pretiosum illius corpus & sanguinem sumentes credamus, hæc esse nostræ resurrectionis Symbola: nam propter hoc neque multum accipimus, sed parum, vt sciamus, quod hæc non satietati, sed sanctimoniæ seruiant.

Eadem Gracè.

Ἐπὶ τῆς θείας τραπέζης πάλιν κἀνταῦθα μὴ τῷ προκειμένῳ ἄρτῳ, καὶ τῷ ποτηρίῳ ταπεινῶς προσέχωμεν, ἀλλ᾽ ὑψώσαντες τὴν διάνοιαν, πίστει νοήσωμεν, κεῖσθαι ἐπὶ τῆς ἱερᾶς ἐκείνης τραπέζης τὸν ἀμνὸν τοῦ θεοῦ, τὸν αἴροντα τὴν ἁμαρτίαν τοῦ κόσμου, ἀθύτως ὑπὸ τῶν ἱερέων θυόμενον· καὶ τὸ τίμιον αὐτοῦ σῶμα καὶ αἷμα ἀληθῶς λαμβάνοντας ἡμᾶς, πιστεύειν ταῦτα εἶναι τὰ τῆς ἡμετέρας ἀναστάσεως σύμβολα. Διὰ τοῦτο γὰρ, οὐ πολὺ λαμβάνομεν, ἀλλ᾽ ὀλίγον, ἵνα γνῶμεν, ὅτι οὐκ εἰς πλησμονὴν, ἀλλ᾽ εἰς ἁγιασμόν.

Huic autẽ Decreto reliqui S. Patres omnes cõsentiunt. Hic Canon statuit corpus Christi in mensa cœlesti, non inclusum in pane: & ad illam esse ascendendum fide. Fideles igitur tantum comedunt, & quidem sola fide.

Anno 44. in Confessione, quam dictauit in hac Schola, & ad cuius finem adiecit hæc verba: Martinus Bucerus: Ita in Domino sentio: & in hac sententia opto venire ad tribunal Domini. manu mea, Anno M.D.XLIIII. Iunij quinto die.

THESIS XV.

Porrò vt hæc Symbola sunt corporis & sanguinis Domini: ænigmata sunt, specula sunt, in quibus cernitur quidem & percipitur verè verum Domini corpus, verus sanguis ipse: sed non sensu, non ratione, verùm solius oculis fidei, sensu rationéque noui hominis, spiritu, qui scrutatur profunda Dei: de quo 1. Cor. cap. 2. imò nec imbuta fide ratio & mens nostra, hanc Christi in Sacramentis exhibitionem, præsentiam, manducationem, potest agnoscere, quid in se sit: sicut nec quid sit nostri in eum insitio, qua facti sumus de carne eius & de ossibus eius, sicut nec quid sit verbi incarnatio, quid sit animæ nostræ cum corpore nostro communicatio; & in eo inhabitatio. Ista tantum à posteriore, id est, ab effectis vtcunque cognoscuntur.

XVIII.

Absurda & dissentanea fidei, quæ hic occurrunt, suggesta à ratione carnis, sic repello: Corpus & sanguinem Domini, Dominum ipsum, ita in Sacra Cœna exhiberi, percipi, adesse, vt nec moueatur loco, nec includatur loco, nec distrahatur locis, nec commisceatur aut alligetur Symbolis vlla ratione huius seculi, nec attingatur sensu vel ratione, non fiat cibus ventris, non patiatur aliquid huius mundi. ad ipsum enim in se sola est subleuata pertingit.

Ita sensit, ita docuit, ita scripsit Bucerus, etiam post concordiam etiam dum fuit in Germania, & docuit Argentinæ. Quid vero, post discessum ex Germania, in Anglia docuerit & scripserit: liquido patet ex Confessione anni L. Atque eam Confessionem huc, tanquam omnium perfectissimam, misit. sic igitur scribit:

THESIS I.

Est enim præsentia hic Christi, siue verbo, ea tantum, siue etiam Sacramentis offeratur aut testificetur: non loci, non sensus, non rationis, non terræ: sed spiritus, fidei, cœlorum: quatenus in hos per fidem subuehimur & collocamur cum Christo, cúmque in cœlesti sua gloria apprehendimus & complectimur: vtcunque speculo & ænigmate verborum & Sacramentorum sensibilium indicatum & oblatum.

XX.

Doceantur igitur dociles: præsentiam Christi in Eucharistia nullam haberi, nisi in legitimo eius vsu, & quæ fide sola cùm apprehendatur, tum tenetur. Cæteri relinquantur vt cæci duces cæcorum, & plantatio, quam pater cœlestis non plantauit. qui enim ex Deo nati non sunt, verbum Dei non audiunt: attestante Christo ipso, Ioh. 8.

XXV.

Doceantur igitur semper, hæc mysteria esse cœlestia, & captum omnem superare humanum: ideoque solo Dei verbo esse apprehendenda & cognoscenda: longéque ab animis repellendas esse omnes huius seculi rationes: verbum Dei attestari, Christum verum hominem, & verum habere corpus hominis, & illum subuectum in cœlos, mundum hunc reliquisse. Non igitur in hoc mundo eum vlla ratione mundi requirendum: sed ita, vt ille se offert, exsistentem in cœlis, & percipiendum nec sensibus, nec ratione, sed fide.

XLVI.

Fide paternæ Dei charitatis erga nos viuimus, & vitam quidem æternam. Hæc fides eo nititur, alitur, prouehitur, quòd Christus filius Dei, se & meritum omne suum donat nobis, viuitque in nobis, peccatóque liberatos, excitabit à mortuis in vitam perfectè cœlestem & beatam. Proinde cibi & potus symbolis voluit Dominus hic vti, & dare carnem suam manducandam spiritualiter, symbolo panis manducandi corporaliter: & sanguinem suum bibendum spiritualiter, symbolo vini bibendi corporaliter. Eandem enim, vt dictum, dat sui communionem in Cœna per symbola & verba sua, quam commendauit Ioh. 6. tantùm verbis. Hæc omnia Buceri.

Quòd si quispiam hîc excipiat, non esse recipienda quę scripsit in Anglia: ego interrogabo quamobrem? nam illa aut sunt hæretica & pugnantia cum verbo Dei, aut cũ illo consentanea: aut neque consona, neque dissona. Non credo, dicet quispiam, ea esse hæretica. consequeretur enim: iure igitur horum autoris & assertoris cadauer, tanquam hæretici hominis, exhumatum & combustum in Anglia fuisse: id quod ferendum Germanis & præsertim Argentinensibus non est. Si autem sunt consona verbo Dei, sunt igitur recipienda. Quamobrem impiorum & oralis manducatio omnino damnanda est. Si non sunt neque dissona, neque consona verbo Dei: nõ sunt igitur hæretica. Quare neque sunt hæretici, qui illam admittunt doctrinam.

Quid plura? In Epistola ad Bonifacium Lycosthenem, de Eucharistia & Confessione Augustana, quomodo ei subscripserint Argentinenses, & quibus de causis id fecerint, præter alia, apertè ait, Lutheranos fateri, oris manducationem pani propriè competere, & corpori Domini, non nisi ob sacramentalem vnionem, & corpus Christi in sacra Cœna, cibum esse animæ, non ventris. Sunt hæc omnia consona sacris literis, & piæ antiquitati: vt patet ex illo canone concilij Niceni: cui omnes Patres subscripserunt, & vt multis in locis docet Augustinus. Non mandu-

cari enim ab impiis, hoc est, ab hypocritis fide vera destitutis docet: vt citat D. Prosper libro Sentent. Augustini. cap.339. cùm ait, Escam vitæ accipit, æternitatis poculum bibit, qui in Christo manet, & cuius Christus habitator est. nam qui discordat à Christo, nec carnem eius manducat, nec sanguinem bibit; etiamsi tantæ rei sacramentum ad iudicium suæ præsumtionis quotidie indifferenter accipiat. Non manducari autem ore corporis, docet libro de doctrina Christiana 3. cap. 16. Nisi manducaueritis, inquit, carnem Filij hominis, & sanguinem biberitis, non habebitis vitam in vobis. facinus vel flagitium videtur iubere. figura est ergo, præcipiens passioni Domini esse communicandum, & suauiter atque vtiliter recondendum in memoria, quòd pro nobis caro eius crucifixa & vulnerata sit.

Ex quibus omnibus apparet satis luculenter, quod vos in vestris confessionibus habetis, nempe corpus Christi in Cœna manducari quidem, & eius sanguinem bibi, sed à piis, & fide: non autem ab impiis, & ore corporis: Christianè & piè positum fuisse. Ac proinde non bene factum fuisse, aut etiamnum fieri à meo aduersario, qui propter hasce duas manducationes totam turbauit & turbat ciuitatem: eos, qui suæ sententiæ simpliciter non subscribunt, vt hæreticos damnando, è conuentu pellendo, &, vt ciuitate etiam pellantur, curando.

Quòd quæstio, An etiam impij manducent verum Christi corpus: & an etiam ore corporis, non sit populus proponenda: multo minus quispiam ad eas credendas cogendus. sed ad veram manducationem, quæ fit per fidem, omnes hortandi sint.

Ego verò contra aio, hanc oralem & impiorum manducationem non esse vllo modo fidelibus proponendam: multo vero minus quempiam ad eam credendam & confitendam, cogendum esse. Nihil enim de religione populis proponendum est, quod non habeat certum apertúmque testimonium ex verbo Dei. Non addes, inquit Dominus, neque detrahes.

2. Quod si tale quidpiam à quouis proponatur credendum, homines tamen Christiani non possunt id credere. Apostolus enim concludit, fidem esse ex auditu: auditum autem per verbum Christi: hoc est, quod liquido & certo constet esse verbum Christi. Quomodo igitur potest homo Christianus aliquid de Christo, déque rebus ad religionem Christianam spectantibus, credere, nisi audiat apertum certúmque Dei verbum, quod certo etiam sciat esse verbum Dei?

3. Neque solum non potest homo Christianus aliquid credere, de quo non audiat certum apertúmque verbum Dei, sed neque id debet credere. Oues enim Christi, sicut non possunt, sic nec debent audire, nisi vocem pastoris sui Christi: hoc est, quam certo agnoscant esse vocem sui pastoris Christi. Quanta igitur tyrannis est in homines Christianos, si iubeantur credere, & cogantur confiteri id, quod non possunt nec debent credere, cùm non agnoscant esse verbum Dei & vocem pastoris sui?

4. Quid verò, si iubeantur credere, & cogantur confiteri id, quod ipsi iudicent, aut etiam certo sciant esse contra verbum Dei? Quodnam autem certum & apertum verbū Dei è Scripturis, huc vsque allatum fuit, quod liquidò demonstret, corpus Christi, & ab impiis, & ore corporis manducari? Quòd si aliquis dicat, vtrumque colligi ex verbo Dei, respondebit fidelis, non satis sibi esse dicere, sed se cupere sibi demonstrari. nisi igitur demonstretur, se non posse huiusmodi manducationes admittere. Vt autem demonstretur, opus esse colloquio, in quo, quæ dubia sibi occurrant, perspicuè declarentur, & quæ argumenta in contrarium habeat, diluantur. Iubere enim & cogere, vt, aliquid credatur, quod nondum constet esse verbum Dei, & quod etiam discuti colloquio, illi qui hoc proponunt, recusent, plus quam tyrannicum esse. Fit ergo magna iniuria ipsis fidelibus, dum coguntur fateri id quod credere non possunt, & quod ideo credere non possunt, quia destituuntur aperto Dei verbo: maior autem, si id fateri coguntur, quod impium esse ex verbo Dei sunt persuasi: maxima verò, si ipsis denegetur colloquium: & petentes sibi veritatem è sacris literis demonstrari, abigantur, suis iussi stare definitionibus absque vlla disputatione.

5. Nemo etiam debet pro hæretico haberi, aut tanquam hæreticus traduci, aut excōmunicari, conuentibus pelli, & vt excommunicatus vitari, nisi prius conuincatur hæreseos, & conuictus nolit resipiscere. At quis adhuc meorum aduersariorum conuicit quempiam nostrū hæreseos, aut erroris contra verbum Dei, propterea quod non admittimus hanc impiorum, & oralem manducationem? & quomodo possunt erroris conuincere, quibus cum colloqui recusant?

6. Quantum vero aberrent à scopo Cœnæ Dominicæ mei aduersarij, ista sua importuna contra eos, qui non admittunt suam impiorum, & oralē manducationem, actione: perspicuū fiet, si quis ea quæ initio de cōmunione cū Christo & Deo scripsi, diligēter consideret: imò si verbum Domini audiat. Annon verbū Domini apertè docet, Cœnam Dominicam in hunc finem esse institutam, vt in ea & fides de remissione peccatorum confirmetur, & charitas inter nos coalescat: vt magis ac magis fiamus vnum tum cum Christo, tū inter nos? At quid ad vtrunque prodest ista impiorum oralisque manducatio? Sentimus reipsa, quantū vtilitatis & fructus attulerit Scholæ, Ecclesiæ, collegiis, toti denique ciuitati, ista nostrorum amicorum importuna atque iniqua pro impiorum manducatione, quotidiana aduersus pios vociferatio.

7. Dominus iubet, ne simus soliciti de impiis & hypocritis: Sinite illos, inquit, cæci sunt & duces cæcorū. Nostri autem videntur facti esse patroni impiorum, cum in articulo de prædestinatione, tum in articulo de Cœna Domini. In articulo quidem de prædestinatione, quia nolunt ferre, vt Deus dicatur eos, quos nunc suo iusto iudicio deserit in suis peccatis, & excæcat, & tandem damnat, idque sciens ac volens longe ante, hoc est, ante mundi constitutionem constituisse deserere, & excæcare & damnare, idque suo iudicio nobis aliquando occulto, semper tamen iusto. In articulo vero de Cœna, quia contendunt, eos quoque manducare verum Christi corpus, vtque impios defendant, bellum aduersus pios suscipiunt.

8. De corporali quoque manducatione Dominus non vult vt cogitemus, sed simus soliciti de spirituali, quæ fit per fidem, idque iis de caussis. Primum, quod illa carnalis nihil ad salutem prosit: deinde quod potius sit perniciosa, immittatque carnales & impias cogitationes in mentes hominū de corpore Christi, quibus cogitationibus homines magis alienentur à Christo, quam, vt ei adhæreant, incitentur. spiritualis vero per fidem salutaris sit atque viuificans. Vtrumque apparet Ioh. 6. cùm enim illi Capernaitæ, audito verbo Christi de manducanda carne sua, cogitare cœpissent de carnali & orali manducatione, primum ostendit illis Dominus, eos de modo manducandi carnem suam inutili cogitasse. neglecto illo, qui vtilis est: nempe qui fit spiritu per fidem, dicens: Caro non prodest quicquam: hoc est, carnalis manducatio, quæ fit per os corporis, de qua cogitatis, quasi hanc meam carnem ore corporis sitis deuoraturi, non prodest quicquam: Spiritus est qui viuificat: hoc est spiritualis manducatio, quæ fit spiritu, per fidē, illa est quæ viuificat. Deinde res ipsa docet, in illorum mentes, propter hanc à se excogitatam carnalem manducationem, incidisse tales de corpore Christi cogitationes: quibus offensi, à Christo, quem ante vt præceptorem suum sequebantur, defecerunt.

9. Ad hæc omnia verò accedit, quòd hæc impiorum manducatio pugnat cum Scripturis. Nam si Christus non se ipse præbeat comedendū, nemo illū comedere potest. est enim ipse, qui se dat manducandū: quemadmodū, in vestris quoque confessionibus habetis, cum ipse sit qui dicat in Cœna, Accipite, comedite. At quomodo existimandum est Dominū dare se manducandū & possidendū illis, quibus cum nullū vult habere cōmercium? quos perpetuò à se reiicit? quos ait se nō agnoscere? Nec de apertè impiis loquitur, cum ait Matth. 7. Nunquam noui vos, discedite à me operarij iniquitatis: sed de hypocritis, qui tali temporaria fide donati sunt, vt etiā edant miracula. De iis hypocritis ait Ioh. 2. Multi crediderunt in eum, videntes signa quæ faciebat. Iesus autem non se credebat eis, eo quod nosset omnes, & sciret quid esset in homine. Quomodo igitur nunc credit se, committit se, manducandum præbet se huiusmodi hypocritis, quos optimè nouit, & scit quid sit in homine?

10. Etsi non voluit rogare pro mundo, h. e. pro reprobis, omnibus impiis, sed apertè dixit, se pro illis non rogare: quomodo igitur præbebit se illis manducandum?

11. Cœnam Domini institutā esse propter fœderis confirmationē, hoc est, vt qui sunt in fœdere, in eo magis ac magis sumtione sanguinis & carnis Christi confirmentur, extra controuersiam est. Qui igitur non sunt participes fœderis, quomodo participēt de carne & sanguine Christi?

12. De Cœna etiam nuptiali eiectum fuisse illum legimus, qui non habebat vestem nuptialem, nec permissus fuit cum aliis conuiuari. Non est igitur existimandum, Dominū sese in hac cœna manducandū illis præbere, qui carent veste nuptiali, vera scilicet fide, & Christi iustitia.

13. Mini-

13. Ministri quoque Cœnæ, omnes illos, qui sunt sine vera & viua fide, hoc est, qui non ex animo resipiscunt, excommunicant, & ne accedant vel ad panem ipsum comedendum, seueriter in nomine Domini mãdant. se enim id, quod ipsi ministrant, nempe panem & vinũ Dominicum, non daturos. Et si fortè alicui tali impio panem præbent, hoc ideo faciunt, quia latentem eius impietatẽ non agnoscunt. Christus igitur, qui nouit impietatem hypocritarum, suum illis corpus manducandum præbere credẽdus est? Offert quidem se omnibus Christus, sed hac conditione, si credant. Si qui igitur non credant, non se illis communicat.

14. Illud, extra controuersiam est, si quis non credat verbis Cœnæ, Accipite, manducate: hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur: Et, Accipite & bibite: hic est sanguis meus, qui pro vobis effunditur in remissionẽ peccatorum: Si quis, inquam, his verbis non credat, extra cõtrouersiam, est, hunc, etsi accipiat panẽ, corpus tamen Domini non edere, aut sanguinẽ eius bibere. quamobrẽ? quoniam & Christus & dona eius distribuuntur, & recipiuntur secundum mensuram fidei nostræ. inde semper dicebat Dominus: Sicut credidisti, fiat tibi. Atqui impij non verè credunt iis verbis: neque enim verè credunt, Christum pro se passum esse, aut peccata sibi per sanguinem Christi esse remissa. Quomodo igitur recipiunt & mãducant illud corpus, quod audiunt pro se traditum esse, sed non credunt? & quomodo bibunt illum sanguinem, quem audiunt quidem pro se fusum esse in remissionem peccatorum suorum, sed non credunt? & quia non credunt, icircò etiam reuera pro ipsis, neque illud corpus traditum est, neque iste sanguis in illorum peccatorum remissionem fusus est.

15. Est enim illud certissimum, iuxta hæc verba Cœnæ, illis tantum reuera dari corpus Christi manducandum, & sanguinẽ Christi bibendũ, pro quibus corpus Christi traditum est, & in quorum peccatorum remissionem sanguis Christi effusus est. Non est autem illud corpus Christi traditum, & sanguis iste Christi effusus pro reprobis incredulis. Quomodo igitur accipiũt, & edunt, & bibũt? Quod si quispiã dicat: Imò ideo comedunt corpus Christi, quia credũt se comedere, hoc est, quia credũt illis verbis, Accipite, comedite, hoc est corpus meum. Respondeo: Qui non credit illud quod sequitur, nempe, Quod pro vobis traditur: neque etiam credit iis verbis, Accipite, comedite, hoc est corpus meum: hoc est, Qui non credit verè, Christum pro se mortuum esse, neque etiam verè credit se illum comedere. Sunt enim verba eiusdem Christi, tam illa, Quod pro vobis traditur, quam ista, Hoc est corpus meum. Proinde cùm hypocritæ impij non verè credant, Christũ pro se mortuum esse, & sanguinem in remissionẽ peccatorum suorum effusum: consequitur, etiam eos non verè credere, se manducare corpus Christi pro se mortuũ, ac proinde nec verè comedunt.

Supplicatio.

Cùm itaque, Domini clementissimi, videatis, hanc de impiorũ manducatione doctrinã pugnare cum Scripturis, vel saltem nullum in illis habere apertum verbum: fideles autem non possint, nec debeant aliquid credere & confiteri, quod non habeat certum testimonium in verbo Dei: cũ in vestris etiam Confessionibus, & Apologia iuxta Scripturas cõpositis, habeatis, corpus Domini illis cõmunicari, quibus Christus hoc sacramentum instituit, hoc est, veris discipulis Christi, & illud semper ore fidei, non autem ore corporis percipi: propter quas Confessiones fit, vt ciues multi, qui sunt persuasi illas esse secundum verbum Christi, cùm porrò audiant contrariam doctrinam sibi proponi, præsertim tam importunè & intempestiuè, vehementer perturbentur: icircò à vobis Christianis & prudentissimis Dominis peto, primum, curetis pro vestra autoritate propter gloriam Dei, propter salutem animarum, propter bonum & pacem publicam, propter honorem etiam maiorum vestrorum & vestrum, curetis inquam, vt doctrina vestratum Confessionum, & Apologiæ, in vestra Ecclesia & Schola, & collegiis retineatur, non quatenus vestra, sed quatenus Christi est, doctrina. doctrinam enim Christianam esse vobiscum agnosco, & vt Christianam amplector. Ac proinde caueatis, ne amplius doctrina vel de impiorum & orali manducatione (cum vestra enim in Confessionibus & Apologia ex diametro pugnat) vel de aliis rebus, quæ cum doctrina vestrarum Confessionum pugnet, populo vestro proponatur, aut in Schola doceatur. Quòd si vestri ministri nolint acquiescere, & contendant, doctrinam, præsertim de prædestinatione & de Cœna Domini, quam habetis in vestris Confessionibus & Apologia, esse erroneam, & pugnare cum Scripturis: rogo secũdo loco, vt id in publica disputatione probare cogantur curetis. Nã quod me attinet, ego quoq. ex altera parte cum aliis collegis meis paratus sum defendere doctrinã vestrã, immo Christi, in vestris Confessionibus & Apologia cõtentam. Primarius meus accusator ait, & nuper etiam scripsit ad Capitulum, vos à priorib. vestris Cõfessionib. recessisse: sed hoc esse falsissimũ audio, lego, & credo. Bucerus enim felicis memoriæ, in epistola ad Bonifacium Lycosthenem, in qua explicat, quo pacto, & quibus de caussis Argentinenses subscripserint Confessioni Saxonicæ, apertè scribit, Argentinenses eam tantũ Saxonicæ Confessionis partem, quæ contineт dogmata, sua subscriptione comprobasse: sed ita, vt protestati fuerint se à sua Confessione haudquaquam recessuros, ac proinde se illi cum sua subscribere. Idem fecisse eas ciuitates, quæ vobiscum faciebant in caussa religionis, Vlmam, Constãtiam, Eslingam, Memmingam, Lindauiam, Bibrachium & Isnam. Si igitur à vestris confessionibus non recessistis, vestri officij est curare, vt doctrina, quam in illis estis professi, in vrbe vestra perpetuo integra retineatur. Illud certè saltem ferre non debetis, vt qui vestras Confessiones profitẽtur, & iuxta illas docent, ij hæretici appellentur. hoc. n. esset tacitè asseriri, maiores quoq. vestros, qui in doctrinã vestrarũ cõfessionũ mortui sunt, hæreticos hinc discessisse.

Rogo præterea, pro vestra autoritate efficiatis, vt vestri ministri seruent regulam Apostoli ad Philippenses. postquam Apostolus proposuisset summam Euangelij, & capita Christianæ religionis aperta & necessaria ad salutem, hortatus est omnes, vt in iis firmiter permanerent. quod si quid aliud postea occurreret, de quo non conueniat inter omnes, ne propterea scinderent Ecclesiam, néve violarẽt fraternam dilectionem, sed expectarent, donec Deus ipsis quoque illud reuelaret: Quod si quid, inquit, aliter sapiris, Deus id quoque reuelabit, modo in eo in quod peruenimus, permaneamus. Hoc Apostoli consilium Augustinus sæpe vrget in suis Epistolis & libris. Hac de caussa, illud quoque (quod etiam supra citaui) Lutheri dictum, in libro qui inscribitur, Defensio τοῦ ῥητοῦ, mihi semper probatum fuit, cùm ait, modò sibi ab aduersariis suis concedatur, in Cœna non solùm panem percipi, sed etiam ipsum verum Christi corpus, se nolle contendere de verbis. Et cùm fui à nonnullis per literas consultus in hac caussa Cœnæ, hoc Lutheri dicto Apostoli consilium confirmaui, quemadmodum exemplum illarum literarum adhuc ostendere possum. Quo etiam ex loco facilè colligere potestis, illud, quod de me in conuentu publicè, initio controuersiæ, primarius meus accusator dixerat, quo dicto omnium animos ferè à me alienauit, meram fuisse calumniam, dixit enim, me in hypocausto D. Sturmij appellasse doctrinam Lutheri, doctrinam diabolicam: cũ tamen nulla vel Lutheri, vel etiam doctrinæ illius mentio facta fuerit: sed tantũ dixerim, Diabolicũ libellum Heshusij caussam fuisse omnium istorũ malorum. quẽ etiam librũ, non aliã ob caussam appellaui diabolicũ, nisi propter διαβολὰς & calumnias, & conuitia in viros magnos & pios, quibus refertus est. Testem appello clarissimum Dominum Iohannem Sturmium. Apparet, vter maiore honore afficiat D. Lutherum: Egóne, qui illius doctrinam, vt Christianã, in duobus præcipuis articulis defendo: an verò accusator meus, qui eam, vt hæreticam damnat, in articulo scilicet de prædestinatione & perseuerantia. Domum igitur vt redeam, atque concludam, obsecro vos per Iesum Christũ, efficiatis, vt & vestræ Confessiones in Schola & Ecclesiã retineantur, & Apostoli, Lutheríque consilium, ab aduersariis meis obseruetur. Nam ego illud nunquã sum transgressus, cum de industria abstinuerim etiam semper à tractando argumento de Cœna Domini in Schola, ne vllã, collegis meis, dissidij atque contentionis occasionẽ darẽ.

Illud ad extremũ vos non tam moneo, quam vt memoria repetatis rogo, quanam ratione factum sit, vt Ecclesia Romana à priore, ideóque & puriore sua doctrina paulatim ad tam impiam impurámque in qua versari eã videmus, defecerit, nec solum defecerit, sed etiam in ea defectione tãdiu permanserit, & permaneat, vt ab ea diuelli amplius nullo modo posse videatur. Hoc inde profectum est, quoniam non continuit se constanter in illa doctrina, quam à suis prioribus institutoribus, Apostolis nimirum, & Apostolicis viris, sibi traditam fuisse sciebat: sed segnis atque ignaua, siuit se à suis prioribus Confessionibus per nonnullos hypocritas Episcopos, qui sua magis, quam quæ sunt Christi, quærebant, & splendore quodam sanctitatis, facilè cuique imponebant, paulatim abduci. Et licèt Magistratus, quorum intererat principiis fortiter resistere, sui officij admonerentur: (neque enim Ecclesiis vllis Deus vnquam defuit, quin per aliquem, aut aliquos, &

quæ vera, & quæ falsa esset doctrina, significarit) interim tamen aut penitus admonitiones seruorum Dei negligebant, aut sese Episcopis opponere non audebant: aut, prudentia quadam carnis ducti, remediũ differebant, & tempus extrahebant, synodos negligebant, Episcopos, & quidquid vellent, docere, & nouas quotidie cæremonias introducere sinebant. Eo vero tandem res deuenit, & Episcoporum tyrannis obtinuit, vt cùm postea multi Principes & Magistratus cuperent Ecclesiæ opem ferre, id facere non potuerint: Episcopis primùm quidem errores omnes & falsos cultus, tanquam Christianos atque Apostolicos, hoc vno potissimum argumento defendentibus quòd scilicet multis iam seculis Ecclesia Romana eam retinuerit doctrinam & cultum: deinde suá potentiá, ne ad priorem doctrinam & cultum rediri posset, impedientibus. Principiis igitur malorum resistendum est.

Vos de principio, cùm hæc Ecclesia cœpit reformari, optimam & purissimam accepistis à primis vestris reformatoribus, viris verè Apostolicis, doctrinam & cultum: quemadmodum & vestræ Confessiones, & libri illorum doctorũ, & sanctissimorum virorum, patrum, atque in primis Buceri, testificantur. Curate, vt in ea persistatis, & totam vrbem vestram in ea retineatis. Vestrum est enim, optimi Domini vt vera & pura religio, qua Deus sanctè colatur, & homines seruentur, in vestra vrbe retineatur, cum primis curare. Si autem illud Tertulliani verum est. Id esse verum, quodcunque prius: id esse adulterum, quodcunque posterius: quid vobis faciendum sit videtis.

Hæc pro meo officio, ac pro mea, cùm erga Christum pietate, tum erga vos obseruantia, non tam monere, quam rogare, quàm obtestari atque obtestari vos volui.

Habetis iam meam de prædestinatione, de perseuerantia, déque Cœna Domini Confessioné: prolixiorem quidem quàm postulatis, sed non quam doctrinæ explicatio, præsertim hoc tempore, à me, quem nunquam docentem audiuistis, flagitabat. Offero autem me ad maiorem, si hæc non suffecerit, & horum & aliorum, quorumcunque volueritis, articulorum explicationem, quando, vbi, & quo modo vos mihi iusseritis.

Valete: & Dominus vobis augeat sapientiam ac fortitudinem, quibus cùm gloriam ipsius promouere, tam saluti vestræ, ac ciuium vestrorum, bono denique & paci publicæ prospicere possitis.

Hæc olim ad ampliss. Magistratum Argentinensem, quæ in lucem dare non erat mihi in animo: sed spiritus inquieti, non sine tamen Dei prouidentia, me hoc facere coegerunt: plura fortassis, & quæ nonnullos male habebunt, nisi me senem in pace, quod reliquum est vitæ, viuere cupientem, isti spiritus lacessere desinant, forás daturum.

HIERONYMVS ZANCHIVS CHRISTOPHORO EHEMIO CANCELLARIO, GRATIAM ET PACEM.



VT olim Argentinæ Sturmius noster, parens illius Scholæ & ornamentum, Prolegomena quædam in Physica Aristotelis, quem tunc extra ordinem interpretabar, mihi extorsit, eáque imprimenda curauit cùm nihil minus vnquam aut cogitarim, aut in animo habuerim, quam quæ præfatus fueram auditoribus meis in Schola, ea in lucem dare: sic tu, compater Christophore oratiunculam meam, quàm paucis horis, & illis quidem succisiuis, conceperam, intra priuatos parietes huius nostræ nouæ Scholæ Neostadiensis, ad fratres aliquot & studiosos adolescentes habui, idque non aliã ob caussam, quàm vt non sine aliqua, & clementiæ diuinæ erga nos prædicatione, & Illustrissimi Principis nostri laude, & ad studia cum humaniorum, tùm maximè diuinarum literarum adhortatione, in nouam hãc scholam ingrederemur: Tu inquam, mi Doctor Ehemi, oratiunculam meam, quam & tibi & aliis non semel denegaueram, tuis tandem crebris flagitationibus, mihi quasi e manibus, tantum non violenter eripuisti, atque vt forás prodierit, quæ libentius domi latuisset effecisti. Non me latet, te, vt hoc faceres, non alia re, quam partim pietate in Deũ, & obseruantiá erga Principem tua, partim amore huius Scholæ adductum fuisse. Verùm quantũ vel ad promouendam doctrinam pietatis, vel ad gloriam Principis illustrandam, vel ad nomen huic Scholæ comparandum, valere potuit scriptio hæc mea inculta atque impolita? Ergo sicut Sturmium in euulgandis meis scriptiunculis imitari voluisti sic eum etiam in præstanda culpa, si opus fuerit, par est imiteris, ὑπὸ τῆς ἀνάγκης, dicebat ille: ego verò addo. καὶ ὑπὸ τῆς [illegible] πολλὰ [illegible] καλά. Vale. Ex musæo. Anno Domini M.D.LXXIX. die vero Februarij secundo, qua die in hanc veni lucem cùm in Templis caneretur: Lumen ad reuelationem Gentium annus vero ageretur [illegible]16. post quem statim annum, Iuxta pla Gentium, lucem Euangelij denuò è tenebris elucere, & per totum porro terrarum orbem splendescere iussit.

HIERONYMI ZANCHII DE APERIENDIS IN ECCLESIA SCHOLIS, DEQVE OPERA SACRARVM LITERARVM STVDIIS cum primis danda.

ORATIO:

In schola Neostadiana, ab Illustriss. Principe Iohanne Casimiro recens instituta, 20. Maij, M.D.LXXVIII. habita.



IVlianus ille Apostata, clariss. & orn. auditores, Iulianus inquam ille hostis Christi acerrimus, totiúsque Christianæ Religionis contumeliosissimus irrisor, multa & grauia mala dedit Ecclesiæ, atq adeò toti Reip. Christianæ: plura & grauiora procul dubio daturus, nisi Christus nefarios impij hominis conatus, vitá illi ademta, maturè è cœlo repressisset. Neque enim malus ille, ac malitiosus, vt sæuus tantùm Tyrannus, proscriptionibus, exsiliis, bonorũ direptionibus, igne (vt dici solet) & ferro Christianos persequi in suum induxerat animum, & persequi iam inceperat: verùm etiam vt homo vafer & callidus, isque nõ indoctus, multa aduersus Christianam doctrinam, acutè & non ineleganter scribere ac disputare, cum multorum admiratione solitus fuit: vsque adeò, vt plus dãni suis sophismatibus, suáque eloquentia, quàm gladio dedisse, non malè à plerisque iudicetur. Mihi vero inter dolosas callidásque rationes, quibus sceleratus Imperator Christianam Religionem conuellere & funditus euertere conatus fuit: illa non postrema fuisse videtur, cùm in suum induxit animum, omnium bonarum literarum studia in Repub. Christiana paulatim exstinguere, merámque barbariem inducere. Hoc enim tentauit, cùm lege cauit, ne liberi Christianorum in scholas Rhetorum, Oratorum, aliásque liberales artes & disciplinas profitentiũ admitterentur. Quid enim obsecro sibi hac lege voluit, homo Apostata & iniquissimus Imperator? Consilium certè astuti Tyranni hic non hærebat, sed longiùs tendebat: eo nimirum, vt iis sublatis studiis, studia quoque S. literarum tollerentur: Christianáque religio, vt quæ vera verbi Dei nititur cognitione exstingueretur. Cùm enim bonis literis, honestisque disciplinis, non solum animi puerorũ excolantur, ad virtutem bonósque mores informentur, ad pietatem erudiantur, sed Christiana etiam doctrina, & vera S. literarum cognitio non parum iisdem adminiculis promoueatur: quid studiis illis exterminatis exspectari aliud poterat, quam mera inhumanitas, morum corruptio, colluuies vitiorum, euersio religionis? Longa hîc probatione non est opus, quando quæ dico, ea regnum in primis Turcicum, & deinde magna ex parte Pontificium, in quibus, extinctis bonarum literarum studiis, quanta barbaries, quantaque impietas, proh dolor, consecuta sit, nemo est qui non videat, abundè & luculenter confirmant. quanquam in hoc altero renouari tandem cœperunt politioris literaturæ, & liberalium disciplinarum studia: vtinam & religio. Ad corruptionem igitur omnium bonorũ morum, atque inprimis ad veræ Christianæque Religionis labefactationem, imo euersionem quin consilium Iuliani spectarit, eóque à diaboli spiritu fuerit, dubitari nec potest, nec debet. Quæ cùm ita se habeant, cõsequitur necessario, non nisi à Spiritu Dei afflari illorũ Principum & Magistratuũ animos, qui huc suas intẽdunt cogitationes, studia, neruos & vires, vt in suis ditionibus & terris scholas instituat, & institutas cõseruẽt: in quib. cùm bonæ literæ, liberales artes, honestæq. disciplinæ tradantur: tum verò maximè S. literæ, quib. solis vera nititur religio, fideliter explicẽtur. Neq. n. aliũde vel studiũ hoc esse potest. quàm à Deo, omnis boni autore: vel Principes ad tales cogitationes, piósque conatus, quàm à Spiritu Dei, à quo vno sunt omnia sancta desideria, pia consilia, iustáque opera.

excitari

excitari possunt. Et sanè, sicut Satan semper suos habuit Pharaones & Iulianos, quos aduersus populum Dei, spiritu suo malo inflaret & irritaret: Sic contrà, Deo nunquam defuerunt sui Ezechiæ & Theodosij, Religiosi Principes, quos ad Ecclesiæ protectionem & conseruationem, vt sui Spiritus excitaret, animaret, impelleret: idque cùm ante, tùm maximè post aduentum Christi. Pertinet huc suauissima illa dulcissimáque promissio apud Iesaiam, de fœlici Noui testamenti seculo, in quo Reges ac Reginæ, hoc est, multi multæque Principes futuri essent Ecclesiæ Christianæ nutritij, atq. nutrices: eóque Scholarum in primis, in quibus studia cùm humanorum, tum in primis diuinarum literarum fouerentur, autores, exædificatores, instauratores. Et erunt (inquit) Reges nutritores tui, & Reginæ nutrices tuæ, Ies. 49. 23. Quomodo autem simpliciter Principes alere & nutrire Ecclesiam dicuntur? Certè Ecclesia, & singula eius membra, duabus constant partibus, animo & corpore. Si igitur Principes totius Ecclesiæ, vt intellexit Propheta, eóque & animorum & corporum alendorum & nutriendorum curam suscipiūt, suscipereque debent: manifestè liquet, duplicem esse rationem, qua subditas sibi Ecclesias alendas, nutriendas, sustentandásque curare tenentur: quarum vna ad animum, altera ad corpus pertinet. Corpora quidem nutriuntur hisce terrenis & corruptioni obnoxiis esculentis, poculentis, vestimentis habitationibus: sed animi non nisi honestis disciplinis, bonis literis, liberalibus artibus. Philosophia, atque in primis studio & vera cognitione verbi Dei, quod nos ad Deū, in quo solo vita est æterna deducit, foueri, sustentarique possunt. Cum ergo Deus se effecturum, vt sub regno Christi inter ipsas etiam Gentes inueniantur Reges & Reginæ, qui curam Ecclesiæ suscipiant, pollicetur: Ratio autem sustentandæ & conseruandæ Ecclesiæ in eo præcipue posita sit, vt scholæ cum primis instituantur, in quibus cum aliæ disciplinæ, tum maximè S. literæ fideliter doceantur, (hinc enim totum etiam ministerium Ecclesiasticum pendet:) manifestum est, Deum hoc Iesaiæ vaticinio, hæc quatuor præcipua capita concludere voluisse: Primum, Hanc esse suam certamque voluntatem, vt nimirum huiusce modi scholæ in Ecclesia Christi, pro regionum, diuersorúmque locorum necessitate, próque Principum ac magistratuum viribus instituantur, aperiantur, conseruentur, Professoribus benignè tractatis scholasticisque pauperibus sustentatis. Quod enim simpliciter promittit Deus, illud etiam se omnino velle manifestissime testificatur. Quid autem voluntate Dei melius, æquius præstantius excogitari potest? ita docet Propheta Principes, qui, vt huic diuinæ voluntati subseruiāt, operā dant: eos & reuera ex eorum esse numero, qui Ecclesiæ Christi fouendæ ac conseruādę, ceu parētes à Deo destinati, præparati, ac promissi fuerūt: & eā ob caussam tū maxima laude & honore, tū totius Ecclesię amore & obseruantia dignissimos esse: quippe qui quod Deo placere, atque ex eius esse voluntate, & ad Ecclesiæ salutē pertinere intelligūt, illud hilari fortique animo amplecti, præstandúmque suscipere minime dubitant: Contra vero, qui hæc negligūt, eos sicut grauiter peccant, sic simili honore vt à Deo non fuerunt digni iudicati, ita reuera dignos non esse. Quærant igitur profani & huius seculi Principes sui nominis celebritatem extruendis altis palatiis, extollendis pyramidibus, erigendis colossis, faciēdis arcubus, suspendendis signis atque trophæis, ædificandis amplissimis ciuitatibus, muniendis arcibus, cogendis diuitiis, augenda potentia, ampliandis regnis, subiugandis hostibus, propagate: at nostri pij, quos Deus nutritios dedit Ecclesiæ, si in hoc vnum cum primis incubuerint, vt ex voluntate Dei scholæ aperiantur, Ecclesiæ curētur, doctrina cælestis propagetur, eóque regnum Christi promoueatur, pérque totum terrarum orbem extendatur, & sceptrum Euāgelij vbique attollatur: ij procul dubio veram, eámque perpetuam, non solum apud homines, verum etiā apud Deum, gloriam sibi comparabunt. Magnæ quidem sunt laudes Constantini, Theodosij, Valentiani, (vt de aliis taceam) à multis rebus præclare gestis, ab humanitate, à clementia, à iustitia, aliísque virtutibus: sed nulla res iam celebres eos in Ecclesia reddidit, quam quod, pro sua in Deum pietate, quam diligentissimè curarunt, vt scholis passim institutis, piísque doctoribus vndiquaque conuocatis, religio Christiana longè latéque propagaretur. Tres etiam inter reliquos habuit Germania eximios Principes, Iohannem Fridericum Saxonem, Philippum Lādgrauium Hassiæ, & Fridericum Tertium Palatinum, quos eadem pietas, idémque pietatis propagandæ studiū verè illustrissimos celeberrimósq. in Ecclesia, atque adeò etiam apud hostes Ecclesiæ reddidit. Friderici certè nostri sancti & verè clementissimi Principis memoria nunquam interibit, nunquam ex piorum cordibus delebitur, nunquam in Ecclesia extinguetur, vtut homines impij eius nominis hostes id pro suis viribus facere conentur: quid ita? quia præter summam eius clementiā & virtutem, summæ curæ fuerunt opt. Principi Scholæ, collegia, Ecclesiæ doctores, pastores, studiosi, ipsum denique totum regnum Christi. Habent in hoc religiosissimo Heroe, cum alij Principes, tum præsertim Filij, exemplar quod imitentur. Est.n. hoc (vt ad alterū caput veniamus) proprium officium Principum, quibus salus populorū cōmissa est, vt Iesaias suis verbis docet, nempe scholas erigere, professores liberaliter sustentare, scholasticos pauperes alere, omnes fouere ac tueri, quod talib. etiā scholis nihil Ecclesiæ, totiq. Reip. Christianæ salutarius cōtingere possit. Cum enim ait, futuros eos nutritios Ecclesiæ, annō manifeste docet, tales esse debere? Illorum igitur hoc propriū est officium. Nam in hunc quoque finem a Deo populis præponuntur, illorúmque Patres constituuntur & vocantur, donari magna potentia & autoritate: nimirum, vt quæ ad commune totius Reipub. & Ecclesiæ bonū spectant, ea præstanda & perficienda curent quàm diligētissime: quēadmodū & Apostolus docet, cum ait, Reges & Principes, pro quibus orari iubet, in ea eminentia esse constitutos, vt per ipsos quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate & honestate: non obscurè significans, boni Principis esse curare, vt publica pax, honestas, pietas in suis terris seruetur ac promoueatur. Quid autem ad hoc publicum bonum promouendum magis conducit, imò quid magis necessarium est, quàm vt publicæ sint scholæ, in quibus ingenia puerorum, sua natura rudia, inculta, praua, impia, erudiantur, disciplinis excolantur, virtutibus ornentur, in vera pietate instituantur? quo & ipsi honestè, commode, & piè viuere discant, & Ecclesiæ porro atque Reipublicæ tandem vsui & ornamento esse possit. Vnde enim viri periti, prudentes, & ad Resp. gubernandas idonei? è scholis. Vnde Medici, qui nostra curent corpora, qui ægrotis faciant medicinam, qui bene valentes valetudinem curare & conseruare doceant? è scholis. Denique vnde viri religiosi, sanæ doctrinæ studiosi, veræ pietatis ac religionis professores, doctores propugnatores? è scholis. Quid quod ne artes quidē mechanicæ perfectæ esse possunt in vrbe, si scholas literarias omnino tollas? Ex lectione enim & antiquorum & recentiorum, qui de his scriptum aliquid reliquerunt, illæ perdiscuntur, perficiuntur. Sine iis autem primis quatuor generibus hominum, consistere Resp. Ecclesiæve non possunt. Quare non immeritò Deus promittens Ecclesiæ Christianæ Reges & Principes, qui illius futuri essent nutritij, docuit, si ipsorum est curare, vt populi vitam degant tranquillam in omni honestate & pietate, eorundem etiam esse nauare operam, vt scholę in quibus discitur quomodo tranquillę honestè, commode piéque viuere possimus, diligenter instituantur. Discant igitur Principes quid sui sit officij. Neque enim officium Principis est, voluptatibus vel illicitis indulgere, vel honestis plus, quam par honestúmque est, operam dare: rursus etiam non est otiari, otiosósque aulicos alere: neque est Ecclesiastica bona in adulatores canes, in lupos rapaces, in ignauos asinos, in immundos & obscœnos porcos insumere. Sed quodnā est officiū? paucis verbis id indicat Dominus, cum eos vocat nutritores Ecclesię. Est igitur instar bonorum parentum curā suscipere Ecclesię Dei, est sanā doctrinā, puramque religionem tueri, est de bonis pastorib. illi prospicere, est doctos piósque viros scholis præficere, iuuentutem piè & sanctè instituendā curare, atque in hos aliósque similes pios vsus bona Ecclesiastica dispensare. Neque certè aliter facient, si Deum timuerint, si Ecclesiam amauerint, si salutem suorū populorum non neglexerint, si dignitatem denique suam re ipsa tueri, & conseruare voluerint: quando ideò vocantur nutritij Ecclesię, non vt Mundum & quæ Mundi sunt ament, sed vt Ecclesiam fouendam tuendā, conseruandam, amplificandamq. curēt: id quod ex scholis bene institutis, peculiariter pendet. Neque enim (vt de peculiari vsu & necessitate Scholarū Theologicarū nōnihil dicā) hoc de nihilo est, quod Deus inde ab initio nascentis Ecclesiæ tales scholas instituit, & institutas conseruari voluit: sed quatuor grauissimæ huiusce rei caussæ nihil fuisse videtur. Prima, vt Prophetica & Apostolica scripta, ne corrūpi, aut penitus perire possent, in illis conseruarētur. Quæ caussa est, cur iis scholis solitæ semper fuerint addi bibliothecæ, in quibus preter alios libros, Sacra Biblia Hebraicè, Grecè & Latinè fideliter descripta & obsignata custodirētur. Alterū fuit, vt nō solum exstarēt in bibliothecis talia Biblia, verū

etiam vt in scholis perpetui essent testes, qui cõtinua successione testificari possent, quinam libri essent verè Canonici,& qui Apocryphi seu adulterini. Tertia fuit, vt hæ scholæ nõ solũ testes essẽt librorũ verè Propheticorum & Apostolicorũ:verũ etiã,quisnã esset natiuus & genuinus aliorũ scriptorũ sensus,quæve doctrina verè Apostolica. Videm⁹ hoc apud Tertullianũ & Irenæũ,cùm de interpretationib. Scripturarũ ad Ecclesias & scholas illas,quæ ab Apostolis plãtatę & apertæ,sine vlla reprehẽsione ad illa vsque tẽpora puræ pſtiterãt atq. sincerè docuerãt, aduersus hæreticos ꝓuocabãt. Postrema caussa fuit,vt ex iis collegiis,qui ad alios docẽdos,& ad Ecclesias gubernãdas idonei essẽt iudicati,euocari possẽt. Nihil ergo vtili⁹,nihil honorificẽti⁹ tũ in politia,tũ verò maximè in religione, aut à populis exoptari,aut à Principibus suis præstari potest ciuib.quã vt in suis regnis,principatibus,vrbibus,terris tales instituãtur scholæ,& institutę cõseruẽtur. Quid.n.magis viris bonis expetẽdũ est,quã vt Respub.& Ecclesiæ,& in iis sua ipsorũ bona,sui liberi,suæ vxores, deniq. ipsimet,& ad animã & ad corp⁹,& ad suas facultates quod attinet,liberi seruentur? Ad hoc autẽ,vt dictũ est,quã maximè vtiles,imò necessariæ sunt scholæ,in quib.pij & docti viri iuuentutẽ ad virtutes informẽt,veramq. doceãt pietatẽ:quando sine iis neq. politia neq. religio cõsistere põt. Viderũt hæc ipsæ quoq. ꝓfanæ Gẽtes: ac proinde in hãc etiã rẽ diligẽter incubuerunt. Apud Ægyptios celeberrima fuisse collegia sacerdotum & sapientum legimus. Babylonij,Persæ, & Medi suas semper habuerunt scholas: vnde Magi, i.sapientes,singulis temporibus prodire, religionémque suorum Deorum conseruare,& ad posteros propagare possẽt. Græci & Romani hac in parte aliis gentib. inferiores esse noluerunt. Vnde apud illos Stoæ,Academiæ,Licæa,apud hos collegia Augurum,Pontificum, aliorũmq. sapientum. Nouerant enim omnes ab ipsa natura longáque experientia edocti, nec religione Deorum suorum sartam tectam conseruari, nec Resp. bene administrari sine viris doctis atque sapientibus posse:hos autẽ in scholis fieri & è scholis prodire,& deficientibus scholis deficere persuasum habuerunt. Hinc itaque factum est,vt tam frequentes apud Gentes omnes non omnino barbaras fuerint literarum ludi, musæa, gymnasia, academiæ: hinc tanto in honore apud illos semper fuerunt homines literati, non solum Philosophi,gymnosophistæ, magi,augures, mathematici, historici, poetæ, dialectici, rhetores: sed etiam qui prima tradunt elementa linguarum,Grammatici. Hanc ob caussam per liberales semper fuisse leguntur in suos professores & doctores:quia nimirum nihil his vtilius Reipub.cõtingere posse intellexerunt, & certissimã experiẽtia didicerũt. Sed quid opus est Gentiliũ historiis,cum in sacris literis,præter Dei constitutionem, tam multa támque illustria piorum Principum his de rebus habeamus exempla? Deus populo suo cõstituit,in variis regni sui oppidis,scholas,in quibus iuuentus Israelitica,& præsertim Leuitæ,qui præ omnibus aliis sacrarum literarum studiis consecrati erant,erudirentur,cœlestique sapiẽtiæ operã darẽt,vnde etiam oppida illa,oppida & ciuitates Sacerdotales ac Leuiticæ appellabantur: quia nimirum destinata erant Sacerdotib.& Leuitis,vt in eis haberẽt scholas atq. collegia,vbi docerent & docerentur:quarum scholarum præclarissima &,ceu mater omnium aliarũ,fuit Hierosolymitana,in qua docuit etiam Simeon ille senex, de quo apud Lucã,tẽpore Christi. Ac tempore Eli sacerdotis talia fuisse collegia,atque in primis in Silo,ex historia liquet Samuelis,qui apud Eli à matre fuit puer collocatus,vt institueretur in sapientia cœlesti,seruirétq. Iehouæ. Sed postea Samuel ipse cum regeret Israelem,summam adhibuit diligentiã in collegiis studiosorum curandis ac conseruandis:atque ipse præesse voluit celeberrimo,quod erat in Rhama, collegio,nomine Najoth,quod habitacula pastorum significat. Ibi.n.habitababant Prophetæ cum suo grege, i. cum studiosis,qui filij Prophetarum vocari solebant. Ad summam totũ illud regnum Israel refertum erat scholis Theologicis,iuxta Dei mandatũ,in quib.seruaretur verbum Dei:iudicibus primũ, deinde Regibus eas fouentibus. Ieroboamus quidem ille impius apostatarũ atque ab Ecclesia & à regno Iuda deficientium rex,sicut corruperat religionem,sic etiam simul euerterat scholas,nẽpe in oppidis decem tribuũ: quoniam sciebat per fidos Prophetas doctrinæ & religionis puritatem in illis conseruari. Sed postea Elias & Elisæus eius discipulus, cùm non ignorarent, religionẽ purã sine scholis sartam tectam seruari nõ posse, illas instaurarunt:cúmque impij Reges vectigalia,quæ debebantur sustentãdis scholis,transtulissent partim ad suos priuatos vsus,& partim in adulatores, ac ventres, multi boni viri,è suis facultatib. ad studiosorum sustentationẽ contulisse, meritò & non sine caussa creduntur. Illud quoque constat,quò Reges ac Principes fuerunt Dei & puræ Religionis amantiores:illos etiã eo fuisse studiosiores reparandarum scholarũ,& in præceptores atque studiosos humaniores,benigniores:quemadmodum post Dauidem & Salomonem, de ipso etiam Iosaphato,Ezechia,Iosia,& aliis piis regibus, sacræ tradũt literæ. Nouerant enim scholas esse ceu arces in quibus sana doctrina,puráq. religio custodiri possit. Iccirco in ipsa etiam captiuitate, & post captiuitatẽ, cũ populus per varias gentium terras esset dispersus: curabant tamen primores populi cum Prophetis, vt etiam inter Gentes aliquot haberẽt Scholas ac Synagogas, in quib.legeretur Moses,populúsque in doctrina cœlesti institueretur: atque hoc est, quod Iacobus Act.15.21.dixit,Moses ab ætatib.antiquis in singulis ciuitatibus haber, qui ipsum prædicent in synagogis: loquebatur autem Apostolus de ciuitatib. Gentiũ in Syria, Cilicia & Asia, in quibus adhuc per id tempus habitabãt Iudæi non pauci, suásque habebant synagogas: proinde dicit in præsenti, qui ipsum prædicet. id quod illis etiã verbis illustratur, quib.ait Lucas in Actis de Paulo ad Gentes profecto,illisq. prędicãte, illũ solitũ fuisse ingredi in ipsas Iudæorũ synagogas & docere,cúmq.illis disputare: tanta fuit semper cura scholarũ in populo Dei, vt nunquam permiserint Iudæi,& qui inter illos primores erant,eas penitus interire:labefactatas vero semper instaurarint. Confirmant hoc ea,quæ etiam post Christum legimus in Actis, de collegiis Libertinorũ, Cyrenensiũ, Alexandrinorũ,Ciliciũ & Asianorũ,h.e. Iudæorũ,qui in illis nati erant regionibus, in ipsa vrbe Hierosolymorum collectis. Quid vero Iohannes Baptista:quid Christus ipse Dominus noster? Corrupta iam magna ex parte doctrina cœlesti & cultu per Sacerdotes & Pharisæos, Iohannes prior aperit scholam Euangelicam, renouat doctrinam de pœnitentia,prædicat Euangelium de præsenti Messia,promissiones explicat, discipulos instruit, & mittit ad Christum: Christus porrò colligit discipulos primũ duodecim, deinde septuaginta, atque illos sibi peculiariter instituendos in doctrina cœlesti suscipit. Neque enim dubium est,quin præter publicam illã,qua omnibus de pœnitentia & fide, déque regno cœlorum prædicabat doctrinam: peculiariter seorsum multa secretiora docuerit,tum Apostolos,tũ alios, quos ad prædicandum missurus erat: id quod etiam inde apparet: quia sæpe post sermonẽ habitũ ad plebẽ in parabolis, accedebant seorsum Apostoli, cúmque vt sibi parabolas aperiret,rogabant:nec nõ & inde idem manifestè liquet,quod Christus illis non semel dixit. Num & vos sine intellectu estis? Matt.15.16.h.e.vos,qui mecum perpetuo estis,quos peculiariter doceo,quę alij adhuc non possunt percipere, vos, inquam, etiam stulti ac dementes estis? Fecit autem officiũ doctoris Christus non solum ante mortem,verum etiã post resurrectionem:cùm per dies 40. discipulis suis, quos ad Gentes missurus erat, disseruit de regno Dei. Dubium enim non est, quin tunc magna & admirabilia mysteria illis peculiariter reuelarit: quemadmodum etiam aperuit illis mentem ad intelligendas Scripturas,vt referunt Euangelistæ. Luc.24.45. Neque Apostoli hac in parte suum neglexerunt officium: sed suo potius exemplo Gentiles docuerunt, quid porrò esset faciendum. Vbique enim colligebant discipulos, & scholas aperiebant. Timotheum fuisse peculiariter institutum à Paulo,liquet ex altera ad Tim. Epist. Hoc certè factũ non fuit in sola Ecclesia, & in sola ad omnes prædicatione,sed peculiariter ac seorsum in scholis. Cõfirmatur hoc ex iis, quæ ep.2. ad eundẽ Tim.scribit, c.2 dicendo, quæ audiuisti à me per multos testes,hæc commenda fidelibus hominib.qui erũt idonei vt alios quoque doceant. Non loquebatur ergo hîc de publica in tẽplo Euangelij prædicatione, qua omnes tam idonei ad docendũ, quàm non idonei docentur: sed de peculiari in scholis, vbi illi diligentiori solicitudine & studio,qui alios possint porrò docere, instituuntur. In Ecclesiasticis quoque historiis abundè videre est hanc Apostolorũ & eorũ discipulorũ curam,constituẽdi nimirũ scholas vbique locorũ, vbi iam Ecclesiæ erant ædificatæ,& illis viros singulari pietate & eruditione præditos præficiendi. Hinc illæ celeberrimæ scholæ, Antiochena, Alexandrina, Constantinopolitana, & aliæ quam plurimæ,in Oriente primùm,& deinde in Occidẽte: quæ etiam amplissimis honorariis, priuilegiis, omniq. beneficiotum genere fuerunt à piis Imperatoribus & Regibus donatæ, vt in illis pura contin uaretur doctrina. Hinc tertium caput huiusce vaticinij abundè confirmari potest. Illud autẽ est eiusmodi: nimirum, non solum voluntatem Dei esse, vt scholæ legitimæ puræ inter Christianos habeãtur,nec solùm hoc efficere & curare officiũ esse magistratus, nec deniq. quidquam iis vtilius contingere posse Eccle-

Ecclesiæ Christi: verùm etiam hoc omnino futurum fuisse & esse in finem vsque mundi. Deum enim subinde excitaturū tales Principes, qui sint nutritores Ecclesiæ, prædixit Propheta. Erunt, inquiens, erunt Reges nutritij tui, & Reginæ nutrices tuæ. Veritas huius promissionis certissima quidem est, propter autoritatem promittentis Dei: sed ex perpetua etiam historiarum serie in hæc vsque tempora non minùs abunde, quā luculēter demōstrari posset, si aut institutum nostrum hoc postularet, aut breuitas tēporis pateretur, aut res ipsa esset ignota. Nā vt de Principib. & Regib. veteris Testamēti, déq. Iohane Baptista, Christo & Apostolis, de quibus ante diximus, nihil amplius dicam⁹, quādo de his etiā nō loquitur Propheta, sed de Gētib. quis nesciat, iā inde à tēporib. Apostolorū nūquā interGētes defuisse viros magnos atq. fortes, qui cū alias disciplinas, tū maximè Ecclesiæ doctrinā per sinceros doctores propagādā cōseruādámque summa diligētia curarūt? Ecclesiasticæ historiæ codices Iuris Ciuilis & Canonici, pleni sunt testimoniorū, quā diligentes fuerint Reges, Imperatores Principes Christiani in scholis construēdis, quaq. liberales in Professores, studiosorúmq. collegia: quātæ denīq. illis fuerit curæ, vt ciues nō solùm pacificè & cōmode viuerēt, verū etiā vt in bonis literis, virtutibus, pietate, accuratissimè instituerentur. Collegia ipsa Canonicorum, monasteria Monachorum, amplissimæ multisque libris refertissimæ apud ipsos bibliothecæ, hoc idem luculentissimè docent ac prædicāt. Quid enim illa cœnobia fuerunt aliud, quàm scholæ, studiosorúmque & Theologorum collegia: qualia & in veteri Testamento fuerant Nazaræorum, Leuitarum & Prophetarum? Etsi vero seculis permultis grauiter peccatum est in reipsa, dum loco verorū doctorum sophistæ, & loco sincerorū Theologorū mataeologi scholis præfecti fuerunt, bonísque Ecclesiasticis abusi sunt ad barbariem, ad voluptatem, ad impietatem: studiū tamē piorū Regum & Principū, quoniam animus erat, vt vera Religio retineretur & propagaretur, non potuit esse, nisi ex Deo: vt interim taceam, subinde aliquos fuisse à Deo excitatos præpotentes viros, qui donati vera cœlestis doctrinæ cognitione, inuitis etiam Antichristis, & reluctantibus Principibus imperitis, heroico animo curarunt vt scholæ instaurarentur, sana doctrina restitueretur, & populi vero verbi Dei pabulo alerentur, nutrirentur, sustentarentur. Vidimus hoc nos, & videmus etiamnum, Dei beneficio, in Germania, in Galliis, in Anglia, in Scotia, in Polonia, in Vngaria, inque aliis variis regionibus multos iam annos obtinuisse: ita vt de perpetua huius vaticinij veritate dubitari minimè possit, Erunt Reges nutritij tui, & Reginæ nutrices tuæ. Annon hoc promissum Dei beneficium (vt aliis omissis ad nos veniamus) & percepimus nos in hoc Palatinatu per multos annos, & percipimus adhuc? Non est hoc certè adscribendum humanæ virtuti, sed promissioni bonitatíq. diuinæ, quòd tales nacti simus Principes, quales partim habuimus, partim habemus: singulare namque hoc Dei donum est. Si enim omnis potestas à Domino Deo est, & per eum Reges regnant: multo magis singulari gratiæ Dei acceptum nos ferre debemus, quod in hac tanta rerum confusione, & Ecclesiarū turbatione, hunc magnanimum & fortem dederit nobis Principem, Iohannē Casimirum, Comitem Palatinū, Ducē Bauariæ, Dominū nostrum clementissimum: qui in sua nos foueat & tueatur ditione: qui puritatem religionis ab optimo Patre relictam & commendatam, conseruatam omnino velit: qui hanc ob caussam omnibus suis Ecclesiis, de optimis ministris prospici curauit: qui quoscunque potuit præceptores, in sui Principatus scholis retinuit: qui pios ministros & studiosos, religionis caussa hinc inde pulsos, quotidie, vt fieri potest, recipit, sustentátque pro sua virili parte: qui denique scholam hanc, collectis vndique doctis viris in hac amœna & saluberrima vrbe, magnis sumtibus instituere voluit: vnde, & qui Reipubl. in rebus politicis, & qui Ecclesiæ, in rebus ad Religionem pertinentibus, aliquando inseruiant, euocari possint. Quid cupimus, quid volumus amplius? Quid igitur restat? Restat id, quod quarto loco eandem prophetica promissio nobis faciendū esse docet: nempe, vt primum Deo opt. max. gratias agamus pro hoc singulari & incomparabili beneficio, quod sicut veraciter promisit, sic etiam re ipsa liberaliter præstat: Beneficiorū autem collatio, animi gratitudinem, gratiarúq. actionē exigit. Deinde, vt pro incolumitate & salute Illustriss. Principis nostri, precemur Deum Patrē, per Iesum Christum, vt eum regat suo Spiritu, in omnibus cogitationibus, desideriis, cōsiliis, actionibus, tueatur aduersus omnes hostes, incolumē diu nobis & Ecclesiæ seruet, illique & bene eius cœptis benedicat ac foueat. Operā enim Principum, ad nos totámque Ecclesiam nutriendā vtitur Deus. Ergo secundùm Deum, erga hos quoque nutritores Principes grati esse debemus. Eadem Prophetica promissio exigit, vt quando in hanc scholam vocati sumus omnes, alij ad docendum, alij ad discendum: diligentes simus omnes, tam professores, quam studiosi, in suo quisque officio. Nam & qui docent, fideli et diligenterque docere, & qui docentur, attentè audire studeréque debent. De Doctoribus & Præceptoribus nihil est quod dicam: quoniam ita perspecta est illorum non solùm eruditio, verùm etiam diligentia in docendo, pietas atque fides: vt facturus sim illis iniuriam, si multis ad officiū faciendū adhortari velim. De me tantùm aliquid vt dicā, hoc polliceor, me daturū operā officio meo faciendo: vt neque fidē, neque diligētiā in me vllā desideraturos vos esse confidam. Methodū eā mihi delegi, quæ omnino ad verè docendum necessaria est. Duplex ea cùm sit, συνθετικὴ καὶ ἀναλυτικὴ: mihi quoque sacras literas interpretaturo, Theologiámq. professuro, vtraque vtendum est, sed suo quaque loco. In explicandis scripturis ἀναλύσει opus est: qua demonstrato in primis autoris scopo atque proposito, ad quod omnia, quæ scribit, referuntur, totum corpus libri seu Epistolæ in suas partes, totáque doctrinæ summa in certas propositiones, & propositionū confirmationes tanquā in sua mēbra resoluatur: In colligendis verò locis Theologicis è sacris literis iā explicatis: σύνθεσις necessaria est, qua ex contextu, quem interpretamur, varias de eodē dogmate propositiones, earúmque confirmationes, distinctè, certóque & ad docendū accōmodato ordine, in vnū colligere atque componere docemur, aliis etiam, aliūdéque adductis, si opus sit, probationibus. Sumus autem, vt prudentissimè docuit Augustinus faciendū esse, scripturas per scripturas, explicata genuina verborum & locutionum significatione, interpretaturi: ad analogiam regulámque fidei omnia examinando, atque etiam, quoad eius fieri poterit, à pia vetustate non recedendo. Neque tamen obstringi volumus, (quia neque expedit, neque licet:) interpretationibus Patrū: quemadmodum etiam illas non facilè aut temerè reiicere solemus. Regulam ipsimet Patres nobis præscribūt, quantum debeamus ipsorum scriptis tribuere: nempe, si quid consentaneum sit cum sacris literis, illud esse retinendum: si quid dissentaneū, illud reiiciendum. Legantur hac de re Canones non pauci in Decreto, distinct. 9. Regulam hanc seruauit ipse Augustinus, & seruandam esse docuit: idcircò (vt ibidem Canon. 10. habemus) ita conclusit, Talis ego sum in scriptis aliorū, quales volo esse intellectores meorū, nēpe liberos vt probēt probāda, & improbēt improbāda. Eatenus autē aliquid in Theologia probari potest, quatenus cū Sacris literis consentaneum est. Absit vero à nobis, & à mente oréq. cuiúsq. Christiani blasphemia illa, qua nōnulli scribūt, Sacras literas ita obscuras & ambiguas esse, vt earū sensus nō ex ipsis scripturis, sed ex autoritate Ecclesiæ petendus sit: quasi verò Deus in Sacris literis, quas Diuus Gregorius vocat Epistolā Dei ad omnes missā aut noluerit, aut nō potuerit ita loqui, vt à nobis intelligeretur. Nō reiicim⁹ tamē, vt dixim⁹, Patrū aliorúmq. piorū doctorū interpretationes: sed seruata ea regula, quā modò ex Augustino adduximus. Solis enim Scripturis simpliciter credendū est. Atq. hæc de mea docēdi ratione. Neque porrò caussæ sunt nullæ, cur, cùm mihi iniunctum sit officium nouum Testamentum interpretandi, Epistolam ad Ephesios, in ipsis scholæ incunabulis, vobis explicandam susceperim: quarum obseruatio non parum & ad rē nostrā facere, & ad Epistolæ ipsius tum summā percipiēdam, tum dignitatem maiestatémque contemplandā pertinere videtur. Sunt omnes enim ex Epistola ipsa, cum nostris collata temporibus desumtæ. Ac prima quidē à scopo Apostoli in tota hac Epistola sumitur: Is autē fuit, vt Ephesinam Ecclesiam, & singula eius membra ad perseuerantiam constantiamque in fide Christi, & in obseruantia mandatorū eius, & verò etiā ad incrementum in vtraque pietatis parte faciēdum, adhortaretur atque animaret: nec sinerent se à doctrina Apostolica semel recepta, ab vllo mortalium propter suas persecutiones & vincula, aut propter multitudinem doctorum, aliter docentium, & autoritatem abduci. Quid autem hac adhortatione temporibus nostris congruentius magísque necessarium esse potest? Videmus enim quanta sit falsorum doctorum multitudo atque autoritas, & contrà, quàm graues vbique sint piorū doctorum & pastorum, eorúmque discipulorum persecutiones ac cruces. Fuerit igitur operæpretium in hac Epistola obseruare rationes & argumēta, quibus ad perseuerantiam in fide, & in vera obedientia excitari possimus: Pertinet enim ad nos hæc Epistola nō minus, quā olim ad

Ephesios. Altera caussa à materia, quæ in hac continetur Epistola, petita est. Est hæc Epistola ceu Epitome totius Doctrinæ Christianæ & omnium fermè præcipuorum locorum, qui in Theologia tractari solent, breue compendium. Confirmaturus enim Apostolus Ephesios, quos ipse instituerat in vera doctrina Euangelij, hortatusque ad constantiam in ea fide, quam à se didicerant, summã totius doctrinæ reuocat illis in memoriã: initio facto à Deo Patrem, à quo, tanquam à fonte, omnia in nos profluunt beneficia, omnésque spirituales benedictiones, per Christum & propter eum: quorum beneficiorum primum, reliquorúmque omnium fundamentũ est ipsa æterna & gratuita nostri electio ac prædestinatio facta in Christo, tanquã omniũ nostrûm capite. Ab hoc primo transit ad alterum, nẽpe ad redemtionẽ, quatenus in persona Filij perfecta fuit: tũ ad redemtionis ipsius dispensationẽ quomodo nimirũ illa nobis cõmunicetur, eiúsque fiamus reipsa participes, per Euangelij scil. prædicationem, si fide illud amplectamur, firmúmque in finẽ vsque retineamus: & quidem electos omnes constanter illud retinere, quòd obsignati sint Spiritu promissionis sancto, qui est arrhabo certæ hæreditatis nostræ cœlestis, in nobis permanens vsque in diẽ perfectæ & consummatæ redẽtionis, quæ futura est in fine mundi. Interim tamen docet, operam esse dandam, idque & precibus & exercitiis fidei ac charitatis, studióque bonorum operum, vt crescamus in vera pietate, in cognitione Dei ac Christi, quem Pater toti Ecclesiæ caput dedit atque constituit. Nos quidem omnes natos esse in peccatis, & filios iræ, seruatos tamen per gratiam Dei, fidéque donatos, & nouas creaturas effectos in Christo, vt in bonis operibus, ad quæ creati sumus, ambulemus: Ideo verò legem mandatorũ, in multis decretis positam, abrogatam esse, vt vterque populus, Iudæus & Gentilis, diluta illa macerie in vnum coirent, fierentque vnus nouus homo per eundem Spiritum sanctũ, sub vno capite Christo, à quo vitam & incrementum accipiamus: qui etiam in hunc finẽ, postquã ascendit in cœlũ supra omnes angelos exaltatus, misso Spiritu S. publicũ Ecclesiæ ministeriũ stabiliuit, ad instaurationẽ nimirum Sanctorũ, & exædificationẽ corporis sui, quod est Ecclesia, & vt crescamus, in eũ per omnia, qui est caput, nempe Christũ: nec ambulemus amplius sicut reliquæ gentes, in peccatis, & in vanitate sensus nostri, sed exuentes indies magis ac magis veterẽ hominẽ, induamus nouũ, & in sua quisque vocatione dignè ambulet. Ad summã habemus in hac Epistola loca fermè omnes, vt antea diximus, Theologiæ præcipuos: de Deo vno, in tribus personis subsistente, Patre, Filio & Spiritu S. de Dei omnipotentia, sapientia, bonitate, misericordia, gratia: itẽ de æterna & gratuita prædestinatione: de creatione mundi: de angelis, diuersisque illorum gradibus, supra quos omnes exaltatus est Christus: cap. 1. Ad hæc locum, de peccato originali & actuali, déque eius caussis & effectis: de promissionibus salutis futurę in Christo, déque fœdere inito cum Patribus, de Lege, déque eius abrogatione, c. 2. De aduentu Christi in carne in plenitudine temporũ, déq. duabus eius naturis, vera Deitate & vera humanitate in vna persona coniunctis, de vera eius morte, resurrectione, veráque ac reali in cœlum ascensione, c. 1. 2. 4. Itẽ de redẽtione & reconciliatione in persona Christi peracta, c. 1. 2. & alibi. De huius redemtionis salutísque æternæ cõmunicatione, eã enim offerri per Euangeliũ, recipi per fidẽ, obsignari per Spiritũ S. c 1 2. & alibi. Recipi, inquam, per fidem viuam, quæ absque studio bonorum operum esse non potest. De fide igitur vera, déque bonis operibus speciatim agit, c. 2. Item de Euangelij prædicatione, cui fides innititur, c. 1. 2. 3. eóque & de ministerio Verbi, déque ministris ad hoc delectis & vocatis, c. 1. 2. 3. 4. De Sacramentis item, quibus non solùm promissiones Euangelij obsignantur, sed etiam res per ipsa significatæ exhibentur credentibus, mundari enim ait Ecclesiam lauacro aquæ in verbo. c. 5. De Ecclesia igitur, quæ constat ex electis tã Gẽtibus, quàm Iudæis, & quæ sola re ipsa particeps fit redemtionis, salutísque ęternæ, agit c 1. 2. & 5. De vera vnione Ecclesiæ, & singulorũ fideliũ cũ Christo, c. 2. & 5. De perpetuo pietatis incremento, perseuerántiáque sanctorũ in Christo, c. 1. 2. 4. De vnitate Ecclesiæ per concordiam inter nos seruanda, de vita Christiana, déque variis virtutibus persequendis, & vitiis fugiendis, c. 4. 5. 6. De summa pietatis Christianæ, quæ à nobis requiritur, eam in fide in Christum & charitate in sanctos consistere, c. 1. Denique de resurrectione à mortuis, de iudicio vniuersali, in quo quisque recipiet à Domino, quidquid fecerit boni vel mali, cap. 6. De ascensione item piorum in cœlum, déque vita æterna, ad quã omnes, qui in Christũ credimus, sumus electi & vocati, vbi in perpetuũ laudaturi sumus Dominũ: omnia enim reliqua & præcedẽtia beneficia in hũc finẽ spectare, vt sim' in laudẽ glorię gratiæ ipsi', laudẽ, inquã, perpetuã. ca. 1. & 2. Cùm igitur Apostolus summã totius doctrinę Christianę hac breui Epistola cõplexus sit, Ego vero in hãc scholã, vna cum aliis præclaris viris, vocatus sim, vt pro his donis, quæ Deus pro sua benignitate in me cõtulit, sacras literas interpretãdo, Theologiam non minus breuiter, quã perspicuè doceam: iudicaui me facturum operę pretium nostris auditoribus, si hãc verè diuinã Epistolã initio prelectionũ nostrarũ interpretãdã susciperẽ, locósq. Theologicos, qui in singulis capitib. sese offerũt, breuiter explicarẽ. Hæc est altera instituti mei caussa. Accedit tertia nimirum, quod si qua alia Pauli Epistola, hæc certè ad Ephesios, firmissima & non pauca continet argumẽta aduersus pestilẽtissimas hoc tẽpore ex inferis reuocatas hæreses: aduersus nouos Arianos Nestorianos, Eutychianos, Marcionitas, Pelagianos, quemadmodũ suis, Deo fauẽte, videbim' locis. Quid n. clari' aduers' Pelagianos, hostes gratiæ Dei, c. 1. & 2. vbi de gratuita Electione abũdè disserit, déq. gratuita redẽtione, & ad Christum vocatione ac iustificatione? vbi etiã totã nostrã salutẽ, & quidquid ad illã pertinet, siue fides, siue opera, nõ ex nobis, sed ex mera Dei gratia esse demõstrat? Quid efficaci' aduers' Nestorianos illos, quod scribit c. 4. eũdẽ planè esse, seu eãdẽ personã Filij Dei, quę ascẽdit in cœlũ, quę etiã prius descenderat de cœlo. Quid vero etiã magis refellit somniũ de cœlo vbiquitario, quã antithesis, quæ ibidẽ habetur inter inferiores partes terræ, & inter supremũ cœlũ, in quod ascẽdit Christus? Nihil quoq. clari' explicat quid sit sedere Christum ad dexteram Patris, quàm locus ille qui habetur c. 1. vbi docet, Christũ nõ ante sedisse ad dextrã Patris, quàm resuscitatus à mortuis ascendit in cœlũ: & quidẽ sedere eũ non vbique aut in terra, sed in supercœlestibus locis: atq. hoc nihil aliud esse, quam eum factum esse Dominũ & Regẽ vniuersorũ, constitutũ supra omnẽ principatũ & potestatẽ, & virtutẽ: i. nõ solũ supra oẽs homines, sed etiã supra oẽs Angelorũ ordines, quaten' scil. mediator est: nõ ergo humanã in Christo naturã exęquatã esse naturæ diuinę, qua Filius semper fuit æqualis Patri sed tãtũ supra omnia creata, supráque omnes angelos, exaltatam in persona mediatoris. Non abs re ergo hanc hoc tempore Epistolam enarrandam explicandámque suscepimus. Addam & hoc, Epistolam hanc plenam esse consolationum aduersus omnia tentationum genera. Iis enim opus habebant fideles in Ecclesia Ephesina, præsertim cùm scirent suum Apostolum Romæ esse captiuum: quæ etiam caussa est, cur ad eos miserit Tychicum. Non minùs certè nos egemus consolationibus, qui propter Christum, veritatemque doctrinæ, variis premimur calamitatibus, diuersis expositi sumus periculis, domi denique & foris affligimur. Fuerit igitur omnibus Epistolæ huius lectio & explicatio, vt confido, vtilissima: quod vt faxit Dominus, eum ex toto corde precor atque obsecro. Etsi vero neque de voluntate ac desiderio studiosorum nostrorum dubitare me sinunt, tum pietas in Deum, quam hactenus constanter professi sunt, tum amor virtutis bonarúmque literarum, quem, non paruo progressu in illis facto, luculentissimè nobis omnibus testatum fecerunt, rem tamen haud ingratam me illis facturum arbitror, si paucis eos rogem, vt quando tale ac tantum à Deo acceperunt beneficium, nempe, vt hic continuare studia, atque in primis veræ pietati, sinceróque sacrarum literarum studio operã dare possint, ne sint in Deum ingrati, néve hoc præsenti abutantur beneficio. Agite ergo adolescentes charissimi, si Deum timetis, si vestram salutem curatis, si parentes colitis, si patriam amatis, si denique Principem scholæ autorem, omnium patronum, Mecænatem vestrum obseruatis: incumbite, vt facitis, in studia ingenuarum artium, atque in primis in studium pietatis, Christianæ sapientiæ, cuius potissimum caussa, aperta nobis est hæc schola. Nihil hac re gratius Deo, nihil vtilius Ecclesiæ, nihil vobis salutarius, nihil denique amicis & patriæ iucundius præstare potestis. Profani homines, Ægyptij, Chaldæi, Græci, Romani, aliique populi, tanti semper fecerunt humanæ sapientiæ virtutem, vt huius comparandæ caussa nihil non egerint, nihil non sint perpessi laborum, vigiliarum, peregrinationum, sumtuum: vt alij è Græcia in Ægyptum, alij ex Italia & Africa in Græciam, & aliunde alij in alias regiones, huius duntaxat rei caussa, migrasse legantur. Viderunt enim, primùm quidem, id per se honestum esse & libero homine dignum: Deinde ea re reliquas virtutes prouidentiam, animi fortitudinem, iustitiam, probitatem comparari posse: in ea denique veras sitas esse diuitias,

quas ma-

quas magni semper fecerint omnes gentes: atque vt vno verbo dicam, illa sapientia iudicarunt hominem verè liberum, felicem beatumque fieri posse. Neque prorsus malè iudicarunt, nempe, si humanas tantùm virtutes, vel potius simulacra (vt Augustinus vocat) virtutum, humanámque & huius vitæ felicitatem, vel potius vmbram quandam felicitatis, spectemus. Videmus enim, quot quantæque virtutes, quot quantáque bona cōsecuta sint illos, qui humaniorum literarū, humanæque Philosophiæ studia ex animo & serio amplexi, diligenterque sunt persecuti, tum inter Græcos, tum inter Latinos insignes. Socrates, Plato, Pythagoras, Aristoteles, Stoici & horum similes inter Græcos: Iulij, Marij, Catones, Cicerones, & alij inter Latinos, vt de aliis taceam populis ac Gentibus. Sed quid illa ad ea, quæ confert sui studiosis diuina sapientia in sacris literis comprehensa? Primò enim ipsa vera sapientia, quæ in vera Dei rerúmque diuinarum cognitione posita est, à sacrarum literarum studio & intelligentia cōparatur: sacras literas (ait Paulus 2. *Tim.* 3. 14) nosti quæ te possunt reddere sapientem ad salutem, id est, in omnibus ad salutē necessariis. Hæc verò sapientia, hominem reddit vere liberū: Si manseritis in sermone meo, veritas liberabit vos, inquit Christus: *Ioh.* 8. 32. efficit verè diuites, Ditati estis in Christo omni sermone & cognitione: 1. *Cor* 1. 5. vere forte. Scripsi vobis adolescentes, quia fortes estis, & verbum Dei habitat in vobis: 1. *Ioh* 2. 14. verè iustum. Omnis scriptura vtilis est ad institutionē quæ est in iustitia: 2 *Tim.* 3. 16. vere temperantē, quia verbum Dei crucifigit veterē hominem, & nouas efficit creaturas, Renati (inquit) estis ex semine immortali per sermonem Dei. 1 Pet. 1. 23. Denique vere nos beatos reddit, Beati qui audiunt verbum Dei & custodiūt illud, dicebat Christus: *Luc.* 11. 28. Et Dauid, O beatum virum, cuius voluntas in lege Domini, & qui in lege eius meditatur die ac nocte. *Psal.* 1. 1. Non sine caussa ergo Apostolus tanto studio & diligentia hortatus est Timotheum, virum alioqui in sacris literis exercitatissimum, vt attenderet lectioni sacrarum literarum. Quid ita? quia inde pēdet omnis vera sapientia, vera prudentia, vera iustitia, vera fortitudo, vera tēperantia, omnis vera virtus, veræ diuitiæ, vera felicitas atq. beatitas. Omnis scriptura est diuinitus inspirata, & vtilis ad docendū. quid? omnē veritatē: ad redarguendū, quid? quosvis errores: ad corrigēdū, quid? quosvis malos mores & vitia: ad instituendū, qua in re? in omni iustitia, vt perfect⁹ sit homo Dei, ad omne op⁹ bonū pfectè instruct⁹. 2. *Tim.* 3. Quid vis ampliùs? Adde & illud Apostoli *Rom.* 15. 4. Omnia quæ scripta sunt, ad nostram doctrinā scripta sunt, vt per patientiā & consolationē scripturarum spē habeam⁹. Admirabilis, n. est, omnémq. superās sensū, cōsolatio, quā sacræ literæ suis studiosis adferunt. An non ergo in illius rei studium incumbemus, quæ nos veris afficit consolationibus in omni tentationum & afflictionū genere? Hanc consolationem præbet sacra scriptura: quæ aduersus omnes hostes nos fortissimos reddit? Sacra scriptura vera nos donat fortitudine: quæ nos prudentes, sapientes, bonos, diuites, felices, beatósque efficit? E sacra scriptura hæc omnia hauriuntur quam copiosissimè. Iactant quidem Philosophi multas & magnas virtutes, multáque recte definiunt, sed quantum absunt a scopo, qui Deum verè non cognouerunt, nec Spiritum eius perceperunt? Definiunt virtutem esse habitum bonum, qui bonū efficiat eū, in quo talis inest habitus: nihil autem esse bonum, nisi quod honestum est & rectum: ac proinde illos prædicarūt bonos, qui pluris cōstāter fecerūt honestum & rectum, quam omnes pecunias, quàm opes, quàm imperia, quàm voluptates, quàm vitam ipsam: quales fuere apud Romanos Romuli, Pompilij, Bruti, Horatij, Decij, Fabricij, Marij, Scipiones, & alij. Verùm, quid obsecro ppriè honestū & rectū dici potest: nisi quod Deo placet, & diuinæ voluntati est consentaneum? Hæc verò Dei voluntas vbinā verè declaratur? In solis sacris literis: Hoc est op⁹ Dei (ait Christus) vt credatis in eū, quē misit ille. Itē: Hæc est volūtas Patris mei vt omnis, qui videt Filium, & credit in eū, habeat vitā æternā. Quis vnquam Philosophorū hoc nouit? Adde, qđ nō solū in iis sacris literis pfectè reuelatur Dei volūtas, verùm etiā Euāgelio rātū credētibus donatur Spirit⁹ sanct⁹, quo quæ Deo placent, & ea re, quæ verè honesta & vera sunt, tū velle possint, tū perficere. Multa quoque speciatim de iustitia, tā vniuersali, quā particulari scripta reliquerunt: sed nulla est vera coram Deo iustitia, nisi quæ per fidem in Christū habetur: hanc verò vbi inuenies, nisi in sacris literis? De animi fortitudine gloriati sunt permulti, & Philosophi, & nobiles Romani: & tantam vim huius virtutis esse dixerunt, vt qui ea munitus sit huius licèt crucietur corpus, ipse tamen animus nunquam possit cruciari: Rectè sanè. Sed quem mihi dabis ex eorū omniū numero, qui Christū ex Euangelio non nouerunt, qui verè hac donat⁹ virtute fuisse dici possit? Accipe verò Apostolos & Prophetas, aliósq. Christi martyres, tā mulieres, quàm viros, tā puellas, quàm pueros, quāta in illis animi fortitudo, quanta cōstantia? quos nō pro gloria mūdi, sed propter nomē Iesu Christi ita constantes & fortes fuisse legimus: vt nullæ eos presserint miseriæ, nullæ terruerint minæ, nulli exanimarint met⁹, nulla tormenta, nullæq. fregerint mortes. Sola. n. fides in Christū ea est virtus, qua non solùm mundum, sed etiam nos ipsos vincimus. Hæc est victoria, quæ vincit mundum (inquit Iohānes 1. 5. 4.) Fides nostra. Hac n. quæ certè non ex libris Philosophorum, sed ex auditu verbi donatur, nouerunt Filij Dei innatas sibi refrenare cupiditates, spernere voluptates, tenere iracundiam, coercere auaritias, & cæteros compescere morbos, mortem contēnere ac superare, inque afflictionibus ipsis gloriari. Legitote catalogum virorum verè fortissimorū atq. heroicorū, apud Apost. ad Hebr. cap. 11. qui sola fide, ex auditu verbi diuini excitata, muniti, tam multa, tam magna, támque præclara præstiterūt veræ virtutis ac fortitudinis opera: vt vix credi ab hominibus possint. Rectè etiam dictum est à Philosophis, illum verè diuitem esse, cui nihil deest: illi autē nihil deesse, qui sorte sua contētus est: eū aūt contentū esse, qui nihil præterea cupit, aut quærit: Sicut cōtra, illū verè pauperē esse definierunt, qui semper eget, eū verò semper egere, q sēper cupit, qui semper optat, qui semper quærit, & nunquā sua est sorte contentus. Cui. n. quæsito semper opus est, hunc perpetuò etiā egenum esse. Sed vnde hæc αὐτάρκεια comparatur? E sacris certè literis: vnde & vera est pietas, si vera à nobis fide legantur, audiantur, in animum reponantur. [illegible] enim [illegible] coniunxit Apost. 1. Tim. 6. 6. pietatis autē fundamentum est Fides: Fides verò ex auditu est: auditus autem per verbum Dei. Rom. 10. 17. Veræ ergo diuitię, sacrarum literarum comparantur auditu atq. lectione. & is vere diues est, cui suppetit copia cognitionis, intelligentiæ, & sapientiæ diuinæ qua fit, vt pij sua sint semper sorte cōtenti. Cui verò tam deest, quod habet quam quod non habet: cui⁹ cupiditatib. saturandis nullæ vnquā sufficiunt facultates: qui propter auiditatem pecuniæ, nullum quæstū iudicat turpem: qui accumulandis diuitiis, quo iure, quáve iniuria semper inhiat, fraudando, decipiendo, mentiendo, poscendo, paciscendo, auferendo, eripiendo, spoliando, expilando: hunc quis audeat verè diuitem appellare, omniū miserrimus & pauperrimus cùm sit? veros thesauros adfert Dei & Christi cognitio: hanc vero sacræ literæ. Eph. 3. 8. Addam ad extremum etiam hoc, quod sapientes huius mundi, de vera libertate, qua nihil felicius esse iudicatur, scriptum reliquerunt: eam demum veram esse libertatē, si quis viuat, vt vult: nihil autem velit: nisi quod rectè iudicat: ac proinde eum vere liberum esse, qui non ex iussu & imperio affectuúve carnis, sed ex recto mentis iudicio, voluntatéque libera, honesti ac recti amante cupiditatibus autem malísq. affectionibus imperante, viuit. Pulcrè sanè & rectè hæc etiam omnia. Quæ est enim eorum vel Imperatorum, vel Regum ac Principū libertas, qui etsi rerū omnium huius mundi potiantur, innumerabilibúsque populis dominentur, suis tamen cupiditatibus imperare non possunt? Liberum certè omnes sapientes eum esse negarunt: iniquissimum verò potiùs seruum esse pronunciarunt, cui vxor imperat, cui leges imponit, pręscribit, iubet, vetat, quod videtur: qui nihil imperanti negare potest: cui, si vocat, veniendum, si eiicit, abeundum, si poscit, dandum, si minatur, extimescendum est. Si hoc verum est: quo nomine ergo illos appellandos putamus, qui omnibus carnis cupiditatibus parere coguntur? quibus peccatū ita dominatur, vt non obedire concupiscentiis eius non possint: quibus denique nihil aut cogitare, aut velle, aut facere liberum est, nisi quod poscit, quod iubet, quod imperat caro, dura, vehemens, & imperiosa domina? Sic senserunt de vera libertate, veráque seruitute, ipsi etiam huius seculi sapientes: Et procul dubio rectè. Consentanea. n. scripserunt cum sacris literis nostris, in quibus Christus ait, illum esse seruum peccati, qui facit peccatum, & eum demum verè liberum esse, quem Filius hominis liberet, nempe à seruitute peccati & Satanæ, Ioh. 8. 34. Cæterùm quem mihi dabis ex omnib. mundi sapientibus recta Dei cognitione, & spiritu Christi destitutis, qui verè liber fuerit, & non potius mancipium peccati & Satanæ? De omnibus gentibus à Christo alienis loquitur Apostolus, cùm ait, principem potestatis huius aëris. i. Diabolum, agere in filiis contumacib. inter quos & nos (inquit) olim conuersati sumus, in cupiditatib. carnis nostræ: facientes, quæ cogitationib. & carni libebant. Eph. 2. 2. Vnde igitur vera libertas? à Christo: quósnam liberat? credentes Euangelio, quo-

modo liberat? donãdo eos suo spiritu. Nã vbi spiritus Domini, ibi libertas: 2.Cor.3. Spiritus aũt datur ex auditu Fidei. h.e. ex fide per auditũ Euãgelij in nobis excitata. Gal. 2. Ergo verã etiã libertatẽ cõsequuntur homines é scripturis sacris, per Dominũ nostrum Iesum Christum. Quæ cũ ita se habeant, quisq. potest videre quantã curã, studio, diligẽtia incumbendũ sit S. literis: quib. tot tantósq. nobis consequi thesauros valemus, verã sapientiã, veram virtutẽ, veram iustitiam, veram fortitudinem, veram libertatẽ, veras diuitias, veram denique felicitatẽ. Hæc certé voluntas est Dei cui qui morẽ gerit, beatũ eum pronuntiat: qui secus facit, maledictũ. Ergo charissimi adolescentes, si vobis cõsultũ vultis, ita debetis studia bonarum literarũ, artium & disciplinarũ omniũ persequi: vt primas semper detis lectioni & auditioni sacrarũ literarũ: in quib. quò quis magis proficit, eò cumulatiores sibi thesauros, citra omnẽ dubitationẽ cõparat. Sic.n. habendũ & statuendũ est, felicitatẽ nostrã omnem in vera cum Christo, adeoq. cum eius carne, sanguine, anima, & per hunc mediatorẽ cum Deo vnitione cõsistere: Ioh. 17. 3. & 21. Ro. 8. 9. 10. 1. Ioh. 4. 13. hãc autẽ per Spiritum S. quo se ille nobis, & nos sibi incorporat, pérq. fidẽ, qua vicissim nos illũ amplexi retinemus in cordib. nostris, fieri & cõstabiliri. Spiritũ vero S. simul & fidẽ, ad auditũ Euangelij rectè intellecti, nobis cõmunicari: Eph. 3. 17. Ro. 10. 17. Gal. 3. 2. eóq. beatissimos illos esse, nõ qui in summis degunt voluptatib. atq. delitiis, nõ qui prædiuites sunt & præpotentes, non qui longe latéq. dominãtur rerúq. omnium potiuntur, non qui ab aliis mortalibus, tanquam Dij, adorantur, non denique qui multa rerũ humanarum scientia, huiúsq. seculi summa sapientia præditi sunt: sed illos demum qui (vt Christus pronuntiauit) audiunt verbum Dei, & custodiunt illud. Luc. 11. 28. Dixi.

ORATIO IN PROMOTIONE TRIVM DOCTORVM THEOLOGIÆ, habita XVIII. Decembris M. D. LXXVI.

De dignitate studij Theologici.

QVibus duabus in rebus tota posita est, plenáq. hominis beatitudo has ambas, viro diuinæ sapientiæ, quã Theologiam vocamus, studioso, pro certo pollicetur atq. confirmat ille qui mentiri non potest, Spiritus S. *εὐτυχίαν* nimirum *μετ' εὐπραξίας* in hoc seculo: & perfectam æternę cœlestisq. vitæ possessionem in altero: ò beatum inquiens, virum, qui in lege Domini meditatur die ac nocte: nostis reliqua in primo Psalmo. Prior illa beatitatis pars in hoc consistit: quód huiusce cœlestis doctrinæ studiosi, in hac præsertim vita, donantur vera Dei, diuinarúmque rerum cognitione: atq. hac donati, per fidem in Christum iustificantur, pérq. eius Spiritum, in alios homines regenerãtur: Renati verò pacatam bonámque semper retinẽt cõscientiam atq. ex hac, sanctè & pie, in finem vsq. vitæ viuentes, fructus proferunt bonos, suis quisque temporibus: sua nũquam non sorte contenti. Altera pars est, quod ex hac vita migrantes, superatis iam hostibus omnibus in beatorum spirituum, Christique suauissimum iucundissimúmq. consortium, cum triumpho recipiuntur: æternúmque cum ipso viuunt quàm felicissimé. Hæc summa est veræ, qua donari potest homo, felicitatis.

An verò hisce duabus rebus aliquid ad veram perfectámque hominis beatitatem addi potest? Plenam itaque perfectámque felicitatem illis, qui sese studio cœlestis sapientiæ dedunt atque cõsecrant: promittit Deus per Prophetam in Psalmo, paulò ante indicato.

Primũ.n. beatũ illũ esse, foréq. beatiorẽ simpliciter pronũciat, qui reiectis impiorũ cõsiliis atq. doctrinis, qui dãnatis sceleratorũ facinorosorũq. hominũ institutis ac morib. qui deniq in sẽpiternũ valere iussis omnib. Epicuræis cuiusuis religionis irrisoribus: ad sincerũ sanctæ Legis, h.e. sacrarũ literarum studium, totũ adiicit animũ, éoq. eo sese totũ, omni exercet tẽpore, diésq. noctésq. Hoc est primũ. Deinde verò, quod generatim de huiusce hominis diuinæ Legis studiosi beatitate dixerat, illud per partes explicat, quarum prior est, quod talis studiosus, hausta é fontib. diuinorum Bibliorum, vera Dei cognitione, noua fit in hoc seculo creatura, factus ceu ex oleastro, oliua optima, arbor nimirum semper virens, & ad riuũ aquarum perpetuo cõtinentérq. fluentium plãtata, quæ fructus suauissimos suo proferr tempore, quæ sua perẽni viriditate mirificè semper oblectat ac recreat, cui deniq. omnia succedunt prosperè. Hæc prior est studiosi diuinæ sapientiæ pars beatitatis, cui mox alteram, eámq. ordine, posteriorem subiicit Propheta, nimirũ, quod post confectum sobriè, iustè, piéq. viuendi curriculum, resurget tandem cum piis omnibus, stabítq. in iudicio, & æternam beatissimámque deget cum Christo Angelisq. omnibus vitam. Quando cõtra impij omnes, qui in hoc Mundo, vt leues stipulæ, omnibus concupiscentiæ ventis agitati vixerunt: in vniuersali iudicio cadent caussa, sempiternísq. adiudicabuntur pœnis. Deum enim piorum & veræ Theologiæ studiosorum hominum instituta, vitam morésque probare, sicut contra odit impiorum suæque doctrinæ contemtorum vias.

Hæc cũ ita se habeãt, quæ pluribus etiã possent, si opus esset confirmari & illustrari testimoniis, sequitur eos nõ solum à pietate, verũ etiã à prudẽtia maximè omniũ laudabiles esse, qui in huiusce Christianæ sapiẽtiæ studiũ, seriò & cõstanter incumbunt. Consulunt enim sibi quã optimé.

Quod si id etiã efficiant non tã suæ salutis caussa, quã vt pro sua virili parte Ecclesiæ inseruiant, regnúmq. Christi promoueant, non laudibus tantum, verum etiam summo amore atq. honore dignissimos esse, dubium non est. Quis enim eũ nõ laudet, qui sese studio addicit illius scientiæ, quæ omniũ nobilissima atq. vtilissima, sicut reuera est, sic omnium etiam sapientum iudicio esse censetur, constantique voce prædicatur? Quis eum singulari & amore & reuerentia dignũ in Ecclesia non iudicet: qui ex vera in Deum & in patriam pietate, studia sua in salutem proximi, publicámque Ecclesiæ vtilitatẽ instituit atque suscipit? Quid autem laudabilius, quidve saluti Ecclesiæ conducibilius studio Christianæ sapientiæ? Apostolus certè hortans Timotheum vt in studio & exercitio Theologiæ persistat: id (inquit) si feceris, te ipsum seruabis, & eos qui te audierint. Si porro vel artium, vel scientiarum dignitas atq nobilitas, à præstantia dignitatéq. primorum illarum autorum æstimanda est: quid dignius diuina hac Philosophia? Huius.n. autor non homo est aut Angelus: sed solus Deus optimus Maximus: qui olim locutus Patrib. in Prophetis, nouissime locutus est nobis in Filio. Si vẽ ab antiquitate quidpiã laudabile est: quid laudabilius Theologia, qua nihil est antiquius? Sapientia enim est Dei, ab omni æternitate in eius residens pectore: reuelata verò atq. manifestata iam inde ab initio Mundi primis hominibus per quos fideliter ad totam posteritatem transmissa est. Libri quoque de ea conscripti, antiquissimi omnium sunt ac vetustissimi. Quis enim inter scriptores vetustior Mose atq. Iobo? Si verò à subiecto (vt loquuntur Scholæ) hoc est à rebus, quæ in quauis arte tractantur, laudẽ sumunt & dignitatẽ sciẽtiæ: quid cœlesti doctrina præstãtius quid nobilius, quidve dignius? Neq n. hic de rebus aut vanis aut inutilib. aut parũ Christiano homine dignis agitur, sed de summa rerũ: de Deo Deiq Regno, déq. æterna hominum salute atq. vita. Hic, quæ sint vera rerum omnium principia, non minus perspicuè, quam verè certóq docetur. Hic, quis & qualis sit verus Deus, quænã eius tã de nobis, quã erga nos voluntas, quídve à nobis fieri velit, disertè explicatur. Hic omnium bonarum legum fons omnib. aperitur, quæ vitanda, quæve persequẽda sint luculẽtissimè declaratur. Hic verissimæ historiæ de reb. iã inde à condito orbe, propter cõmodum salutémq. generis humani gestis, fidelissimè narrãtur, omniũq. aliarũ historiarũ firmissima iaciũtur fundamẽta. Hic vera Rhetorica, efficaxq. persuadẽdi ratio traditur, quæ nimirũ non in persuasoriis humanæ sapiẽtiæ verbis, flosculis, ornamẽtis, colorib. luminib sed in virtute diuini Sp. diuiníq. verbi efficacitate consistit. Hic legitima, medicinã non quidẽ corporibus, sed animis faciendi, imo & corpora nostra, æterna felicissimáq. valetudine donandi via methodúsq. compendiosissimè docetur. Hic deniq. qua ratione tum quisq seipsum suáq. familiam regere, tũ politiæ, Respublicæ, Regna, totúsq. adeo Mundus administrari temperariq. ab hominib. possit, facillimè discitur. Quid vis amplius? Atque hæc omnia vna præstat Theologia nostra, quæ nihil aliud est, quam doctrina de Deo Deiq. natura, ac voluntate operibúsq. ad salutem hominum, in S literis reuelata. Si ergo ab iis, de quibus ita quauis scientia atque arte agitur, ipsarum scientiarum artiúmq. dignitas & excellẽtia pendet, quis nõ videat, nullius artis, nulliúsq. scientiæ studium, cum studio Theologiæ, vlla ratione cõparari posse? Adde iã & hoc, quod quæ in nostra Theologia ex veris ipsius fundamentis traduntur, tam certa sunt, vt nihil certius esse queat. Magna sanè dignitas est scientiarũ Mathematicarũ propter certas euidentésq. demonstrationes quibus sua confirmant, sed quid illæ ad certitudinem verbi Dei? Deus enim, vt non potest falli, sic nec fallere vult aut potest, quippe qui ipsissima veritas est atque sapientia. Sacras autem literas quibus solis vera nititur Theologia, ipsum esse, certissimúmque Dei sermonem, sicut nemo nostrũm Dei beneficio dubitat, sic etiam firmissimis rationib. demonstrari facile potest. Imo

iã olim satis abũdè aduers⁹illorũ tẽporũGẽtes demõstratũ à nostris Patrib.fuit.nã ꝑterquã ꝙ veritatẽ hãc in ipsisElectorũ omniũ animis inscribit Sp. S. vt dubitare de illa non possint:idẽ etiã cõstat omniũ fermè Gẽtiũ ac populorũ testimonio. Quis nescit.n.ꝙ Iulian⁹ ille Apostata,sceleratissim⁹ homo,irriserit scripta tũ Veteris,tũ Noui Testamẽti? Iu dęiõs à Mose,in hęc vsq.tẽpora,cõstãter testificati sũt, & testificãtur,ꝙ in Veteri habem⁹ fœdere Biblia,ea à Deo fuisse Mosi, alijsq. Prophetis,& sacris scriptorib.reuelata, quẽadmodũ etiã Apostolus de iisdẽ scripturis ꝓnũciat in altera adTimotheũ Epist. Omnes vero ꝙ Christo nomen dederunt,ꝑ totũ terrarum orbem,longè latèq. diffusi,perpetua constantique fide, idem de omnibus quoque libris Apostolicis, & certo nouerunt, & palam prædicarunt atque prædicant. Quin & permulti sanguinis vitæq, profusione obsignarunt & quotidie obsignant. Parúmne videtur hoc testimonium? Quot vero quanrisque miraculis iam inde à Mosaicis huc vsque temporibus confirmata, illustrisque toti orbi facta fuit hæc sempiterna veritas? Sexcenta Israelitarum millia & amplius viderunt signa atque portenta,quibus Deus in mõte Syna sese patefecit,suamque promulgauit Legem. Quid igitur Mosaica certius doctrina? Innumerabiles vero populi,ex omni natione earum quæ sub cœlo sunt, vt Lucas narrat, præsentes spectarunt quę Hierosolymis è cœlo cõtigerunt,cum Apostolorum doctrinã,ꝙ ꝑ totũ terrarũ orbẽ iussi àChristo fuerãt publicare,suã esse doctrinã, cõprobare voluit. Ita & Legis simul & Euãgelij cœlestis doctrina in ꝙ tota sacra Scriptura resoluitur,& ꝙ summã Theologiæ cõplectitur, manifestissimis totiq.orbi notissimis è cœlo editis signis,cõfirmata,nullã amplius nisi fortè apud Iulianos, habet haberéve põt dubitationẽ,quin exDeo sit sapiẽtia sẽpiterna. Quis.n. sanæ mẽtis homo de ea dubitare queat doctrina,ꝙ præter eas,quas attulimus rationes, certum quoq. habet euẽtum earum rerum quæ in ea,multis ante seculis,prædictæ fuerant? An non verò,quæcunque de Christo prædixerat Moses aliique Prophetæ, ea omnia suum habuisse complementum videmus? Nisi hæc omnia essent vobis perspectissima,singula ego collatione eorum quæ narrant Euangelistæ,cum vaticiniis Prophetarum,de iisdem singulis rebus copiosissimè facta,luculentissimè explicarẽ. Verum id Euangelistæ ante omnes præstiterunt abundè. Quid enim de Christo narrant,cui statim nõ subiiciant ex dictis Prophetarum testimonium, Sic fieri oportuisse,quia sic scriptum fuerat? Quis verò vestrũm nesciat, quotnã ante exitum de Ægypto seculis prædixerit Abrahæ Deus,illius semen futurum seruum in Ægypto, & inde tamen liberatũ iri post annos 400. & amplius? Euenerunt certè omnia. Quid obsecro nominatim de Cyro déque præclaris eius actionibus prædixerat Iesaias, annis, antequam ea contigissent,supra centum? An non eodem tempore,eodémque modo complementum habuerunt, quo fuerant prædicta? Si sacris historiis nõ creditur,legãtur ꝓfanæ,quę de rebus à Cyro gestis accuratissimè fuerunt conscriptæ, ac rem ita se habere, manifestissimè comperietur. Quid verò clarius his,quæ Daniel partim de suo,partim de longè post venturo tempore prædixit? Illa priora viderunt ita euenisse, sicut prædixerat Propheta omnes illius temporis Nationes:nimirum Regem Nabuchadnezarum ex hominum consortio abiectum herbam instar bouis comedisse:sub dio,die noctúq.in syluis tanquam syluestrem feram oberrasse,capillos ei,vt plumas aquilæ, vnguésque sicut auium creuisse, donec tandem (vt prædixerat Daniel) vera donatus fuit Dei cognitione, sinceráque pietate. Filium porrò eius Balsasarum Regem interfectum: regnúmque iuxta vaticinium sancti Prophetæ, ad Medos & Persas mox translatum fuisse: suis itidem viderunt oculis. Posteriora vero,quæ scil.de Monarchiis, quæ de regno Christi, quæ de certo annorum interuallo vsq. ad Messiæ aduentum,quæ de eius morte,sacrificio,expiationéque peccatorum:quæ de Legis abrogatione:quæ deAntiocho:quæ deniq.de Antichristo,regnóq.eius prædixerat idem Propheta:ea partim Apostoli ipsi spectarunt:partim porrò & nos reipsa contigisse,nõ solum legimus,verum etiã luce meridiana clariùs perspicimus. Quid obsecro plus fidei atque autoritatis conciliare potest toti à Daniele de religione traditæ doctrinæ: quã hæc manifestissima omnium eius vaticiniorum cõplementa? Idẽ planè de reliquorum Prophetarum vaticiniis,si aut per tempus liceret,aut apud vos necessarium esset,demonstrare facilè possem: vnde & eorum doctrinã,non minùs,quàm Danielis,à Deo fuisse illis reuelatã,clarissimum fieret. Theologiam autem Danielis eandẽ planè cum reliquorum omnium Prophetarum & Apostolorum Theologia esse: quotusquisq.vestrũm est qui nesciat? Vt reliqua taceã capita,& de summa tãtũ aliquid dicã: An nõ eadẽ est omniũ Prophetarum & Apostolorum, de Deo Deiq. natura & Attributis: de Christo Christique officio:de ratione,qua beneficij Christi simus participes & seruamur,nimirum per fidem,doctrina? Quãtum verò,ad certitudinẽ nostræ Theologię confirmandam, habet hæc consensio põderis? Lege profanas historias,lege Medicos, lege Iurisperitos,lege deniq.oẽs,quotquot ab orbe cõdito fuerũt ꝓfani scriptores: eos semper si nõ in omnibus,in plerisq. tamen,inter se multum dissidẽtes cõperies. At in Scripturis sacris tanta est inter priores & posteriores omnes scriptores cõsensio,tãtáq. harmonia:vt dici aliter non possit,quàm omnes ab vno & eodẽ Sp.afflatos fuisse: Spiritu inquã veritatis,Spiritu sapientię,Spiritu (vt vno verbo dicam) Dei, Deo: vt quod de Scripturis omnibus veteris Testamenti dixit Apostolus: id in omnes,quos Canonicos Noui etiã fœderis vocam⁹ libros,verè cõpetat: nimirũ,vt diuinitus inspirati,eóq. ipsissimum Dei verbũ esse prædicetur. O vere cęcos,simúlq.& infelices,qui de certitudinẽ huius cœlestis sapiẽtiæ dubitant. Quãtum verò h.e.quod neq. doctrina ipsa vllis vnquã hæreticorũ dolosis conatibus,ex Ecclesia couelli: neq. Ecclesia ab hac cœlesti sapiẽtia,vllis Tyrãnorũ machinis auelli potuit? Argumẽtum Gamalielis ineptum nõ fuit: Si ex Deo est (inquit,de religione Christiana verba faciẽs) vos nõ potestis impedire. Si verò ex hominibus: ea per se corruet. Sapiens sanè dictũ: Quę.n. diuina sunt & pura,ea perpetua etiam sunt: Quæ peregrina & fucata,ea nequeũt diu cõsistere. Proinde etiã de Ecclesia dixit Christus: Et portæ inferi non præualebũt aduersus eã. Quid ita? Quia à ChristoDeo,Dei Patris filio plãtata est & exędificata. Nõ potest autẽEcclesia cõsistere sine verbo:sicut neq. verbũ vllibi purũ,puráq. eius prędicatio custoditur,nisi in Ecclesia. Quòd igitur sacræ literæ contra tot tantósq. hostes,semper in Ecclesia fuerunt cõseruatæ, nunquã vero his penitus spoliari illa potuit: non paruo hæc res argumẽto est,eas vere à Deo traditas inque Ecclesia collocatas ad omnẽ æternitatẽ fuisse. Ab his autẽ suũ habet ortũ:per has suos facit progressus:in his acquiescit Theologia nostra,in cuius vera solidáque cognitione, verã cuiusq. hominis beatitatẽ cõsistere,de principio huiusce orationis nostræ demõstratũ breuiter simul atq. dilucidè à nobis fuisse cõfidimus. Quid igitur ex his omnib⁹ demonstratũ volumus? Hoc sanè,quod initio propositũ à nobis fuit,nimirũ,Qui seriò & constãter incũbunt huiusce diuinæ sapientiæ studio: idque non tã vt suæ,quàm vt aliorũ quoque saluti consulant, Regnúmque Christi pro sua virili parte promoueant: hos non solùm magnis laudibus dignos esse: verùm etiam qui ab omnibus amẽtur, & in Ecclesia iusto honore afficiantur,dignissimos.

Quæ cùm ita se habeãt,restat,vt ad id,cuius caussa,hęc omnia fuerunt dicta:imò cuius gratia huc omnes cõuenimus,accedamus. Nũc igitur ad vos tres,quorũ caussa hic sumus omnes,ego me meamque Orationẽ cõuerto. Quæ diximus de duabus felicitatis partibus,quas Sp.S.viro veræ cœlestisq. doctrinæ studioso pollicetur: ea vos partim experti estis,partim re ipsa sentitis,partim in posterũ magis ac magis (vt cõfidimus) sentietis in vobis ipsis. Primũ enim donati estis à Deo,ex vestris studiis,vera Dei rerũq. diuinarũ cognitione:ita vt à Facultate nostra Theologica iudicati fueritis digni,qui eã alios quoq.publicè doceatis. Deinde nõ dubitamus,quin præter cognitionẽ istam,fides quoq. in Christũ aucta in vobis fuerit nõ mediocriter ex studio sacrarũ literarũ: vsq. adeò vt instar arborũ frugiferarũ, ad riuos perẽnis aquę cõtinẽter fluẽtis cõsitarũ, magno teneamini desiderio ac studio suaues fructus proferẽdi ad gloriã nominis Dei,& ad Ecclesiæ vtilitatẽ. Videtis porrò omnia vestra studia,conatúsq. vestros prosperè vobis successisse:ad res etiã externas quod attinet. Nã præter laudem & honorem,quem apud omnes consecuti estis ex vestris studiis:nemo etiam bonus est,qui vos vestrámque pietatem & eruditionem nõ amet & veneretur. Denique gradum etiam,quem optastis & petiistis, nempe liberam publicè Theologiam profitendi facultatem,adepti & cõsecuti estis cum omnium applausu atq. gratulatione. Ita, vt nihil iam restet (quod ad hæc externa attinet) nisi vt insignia Doctoratus (vt vocant) accipiatis. Quod cùm vobis cõcessum sit à clarissimo nostrę Facultatis Decurione: hoc ipsum per me iam iam consequemini. Sed si prius vos rogauero, Fratres in Domino charissimi, vt seriò & attẽtè cogitetis: ad quãmnã functionẽ vos,ex tã multorũ studiosorum numero,elegerit Dominus in hoc tempore: atque hac publica ceremonia obsignare voluerit: ad munus nimirum sicut omnium dignissimum, vtilissimum,necessariúmque in Ecclesia,sic etiam omnium per se molestissi-

mũ, laboriosissimũq.: Mũdo aũt & Satanę odiosissimũ: nẽpe ad euellendũ ac demoliẽdũ: & simul etiã ad plãtãdũ & ædificandũ quemadmodũ ad Ieremiã dixit Dominus: h.e. tũ ad refellendos errores atq. hæreses, quas quotidie Sata per suos administros, ab inferis reuocat: tũ ad cultũ Dei, à superstitionib. & ἐθελοθρησκείας repurgãdũ ac vindicãdũ: Et cõtra ad propagãdã cœlestẽ doctrinã tũ voce, tũ scriptis: & ad retinẽdã purã in Ecclesia religionẽ: eóq. in summa ad regni Christi defensionẽ, cõseruationẽ, amplificationẽ. Hæc est.n. finis & summa vocationis nostræ, sicut Apostolus disertè docet ad Eph. cũ ait, ad instaurationẽ sanctorũ in ędificationẽ corporis Christi, quid est Ecclesia, dari à Christo Pastores & Dd. ipsi Ecclesię. Neq. aliũde fieri video, vt Ecclesia colũna & firmamẽtũ veritatis vocetur & sit: quã quia Christus dat subinde pios Dd. & Pastores, qui in Ecclesia verbũ prædicẽt, puréque interpretẽtur: qui retineãt veritatẽ, tollãt autẽ errores: qui occurrãt lupis & suo inuigilẽt gregi. Annõ verò rẽ ita se habere luculẽtissimè cõprobãt tũ vetera, tũ noua diuersarũ Ecclesiarũ exẽpla. Da Ecclesię veros Pastores, sincerosque Doctores, qui strenuè & diligẽter suũ faciãt officiũ: tũ videbis Ecclesiã illã colũnã esse & firmamẽtũ veritatis. Tolle hos, quid cõsequetur nisi imperitia, barbaries impietas, idololatriæ, portentosę opiniones, execrabiles hæreses? Cõtigit hoc Ecclesiæ Israeliticæ, quemadmodũ in sacris literis manifestũ est. Euenit idẽ Ecclesiæ Romanæ. Dum in ea floruerunt pij doctique Episcopi ac Doctores, idque per annos multos, etiam post Cõstantinum illum Magnum: fuit illa Ecclesia illustre exẽplar aliis omnib⁹ adeóq. toti orbi, sinceræ doctrinę puri cultus & sanctitatis Christianæ. Illis sublatis, paulatim ita defecit: vt nullibi plures errores, maiorésq. idololatrię reperiantur, quam in Ecclesia Romana: idq. multis abhinc annis atq. seculis. Ita quæ fuit, nõ amplius est columna & firmamẽtum veritatis. Sed quid Romanã in medium profero? Inspicite inspicite Ecclesias quas reformatas & Euãgelicas vocamus. In memoriam reuocate præstãtissimos, quos singulæ fere habuerunt, Doctores. Animo recolite qualis fuerit illarũ Ecclesiarũ status, dum à piis pastoribus docerẽtur, regerẽtur. Cõparate porrò illa tẽpora cum nostris. Examinate caussas deflexionis à pura doctrina, à cultu vero, à Christiana charitate, vbinã potissimùm hæreãt. Quis tam cæcus est, qui non videat labefactationẽ hanc, quam inuiti & dolentes cernimus, inde proficisci, quod Deus propter nostram ἀχαριστίαν, iusto suo iudicio, non solũm pios Principes tollit, sed etiam sanctos, cordatos, sincerósque Doctores? Metuendum sanè est, ne quod Ecclesiæ Romanæ palam contigisse videmus: idem eueniat Germanicis Ecclesiis: vt vnde Euãgelium cœpit propagari, inde lõgè latéq. emanẽt putidæ aquæ diuersarũ hæresium & superstitionũ. Rogandus igitur Deus, vt nostri misertus, sinceros piósque Doctores suæ largiatur Ecclesiæ: vobis vero cauendum in primis est, ne, quod nõnullis cõtingit, contenti inflatique solo Doctorum titulo studia negligatis: sed danda potius opera, sed titulus ille ornamẽtáque Doctorum, vobis sint stimuli ad diligentius studendum faciendúmque officium: id quod & precamur vobis à Deo, & speramus de vobis.

Nunc ad rem venio.

Ego pro ea autoritate, qua in præsentia fungor, & nomine toti⁹ collegij nostri Theologici, vestræ iustæ annuẽs petitioni, palam hic creo, pronũcio, saluto vos S. Theologiæ Doctotores: vósque nõ solum titulo & nomine Doctorum orno: verũ etiã omnib. honoribus, ornamentis, priuilegiis afficio & dono, quib. ornari donariq solent omnes, qui ad illum dignitatis gradum, legitima ratione cõscendunt. Quod vt fœlix faustúmque sit, vobis, Ecclesiæ, nobis Deum Opt. Max. ex animo precor.

Addo præterea externa huius dignitatis symbola tũ vt res certior fiat, tum etiam, vt iis vestri semper moneamini officij. Pileus, signum fuit libertatis apud Romanos. Libertas, qua nunc donati estis: e i l bera publicè docẽdi, literásq. sacras interpretandi facultas. In huiusce ergo rei signum, nouos pileos capitibus vestris impono, vt vestri semper moneamini officij.

Annulus apud Romanos symbolũ fuit Nobilitatis equestrisq. Ordinis. Nõ parua est ista nobilitas, qua iã ornati estis: nempe quòd inter Doctores Ecclesiæ Dei recepti fuistis: & ceu ex ordine pedestriũ militũ Christi, in ordinẽ equestriũ euecti. In huius igitur rei testimoniũ indo digitis vestris annulos. Et vt moneamini, vobis strenue pugnãdũ esse pro Christo eiúsq. Ecclesia, aduersus hæreticos & Antichristum: Librum præterea S. Scripturæ apertum vobis trado: & rursus clausũ reddo: vt hoc signo intelligatis, in hoc libro vobis semper esse versandum, diésque ac noctes meditandum: Et modo hunc apertum vobis populo explicandum: modo ex hoc clauso, sed memoria retento docendum, ac contra hostes Euangelij disputandum.

Deniq. hoc publico amplexu & osculo, nomine omnium piorum Doctorum vos amplector in Domino, vt intelligatis, pacẽ charitatem, atque concordiã in Christo, inter nos vbique & semper esse colẽdã. Quod sicut nos facturos pollicemur: sic vos vicissim præstituros speramus ad gloriam nominis Dei, Ecclesiæ ædificationem, & nostri omnium salutem. Amen.

DE DISSIDIO IN COENA DOMINI: HIERON. ZANCH. IVDICIVM.

Henrico Knollo, nobili Anglo: Hieronymus Zanchius S. P. D.

NOn diu est Generose Knolle, ex quo cùm per hanc vrbem nostram Argentinam, Episcopus quidam, homo Italus, patriã, genere & virtute clarissimus, transiret: rogatus fui illius nomine à Petro Paulo Vergetio & à doctiss. Sturmio nostro: vt quam inter Saxonicas & Heluecticas, reliquásque Ecclesias, quas nos reformatas vocamus in Articulo de Cœna Domini confessionẽ ac dissensionẽ esse iudicarem: eam ego breuiter quidẽ, sed tamen dilucidè, idque scripto explicarem: & eam explicationem ad Episcopum aut ipse ferrem, aut per puerum mitterẽ, Illum enim persuasum esse, tale & tantum hoc esse inter Ecclesias dissidium, vt omninò necesse sit, alterutras ita procul à veritate & orthodoxa doctrina in hoc tanti momenti articulo abesse, & in fœdissimo errore versari, vt, quomodo possimus cum illis bona conscientia communicare planè non videat. Qui petebant summi erant, vt scis, amici, quibus in re tam honesta si nõ morẽ gessissem, in maximum ingrati animi crimen incurrissem. Is, cuius nomine petebant, præterquàm quod & homo meę nationis erat, vt antè dixi, isque nobilis, & virtutib⁹ nec vulgarib⁹, nec paucis ornatus, fuerat etiam meo, honorificę memoriæ, Basilio Zanchio, viro optimo, & vt tota (vt taceam de exteris nationib⁹) nouit Italia, doctissimo, summus ac singularis amicus, ac proinde talis, cui non solùm non poteram non gratificari, sed cui etiam nullum officij genus non me debere planè sentiebam. Res etiam, quæ petebatur, honestissima, imò & necessaria mihi esse videbatur, nempe propter has Ecclesias, quas si pro mea virili tali præiudicio Episcopi liberandas non curassem, & in vtrasque ingratus, & in veritatem iniquus fuissem.

Quod itaq. in rẽ tanta intra paucissimas, eásq. succisiuas horas (erã enim supra modum aliis grauib. rebus occupatus) potui lubẽti animo prestiti, idq; eò libẽtius, quòd amaui hanc mihi occasionẽ dari, qua demõstrarem illud de Cœna Domini, inter has Ecclesias, dissidiũ nõ esse tale aut tantũ: vt propter illud debeãt aut tot turbæ in mundo excitari, aut alterutræ Ecclesiæ dãnari. Est n. meo iudicio inter vtrásq. Ecclesias, sicut in aliis essentialib. vt ita loquar, Christianæ religionis dogmatibus, sic etiã in hoc quod est de Cœna Domini, reipsa consensio maior, quàm vulgo putetur. Atq. ego quidem, si illa mirabilis phantasia πανταχουσίας seu πανταχουσίας corporis Christi quæ ne ipsi quidẽ Ecclesiæ Romanæ vnquã probata fuit, tollatur: firmetúrq. illud, quod omnes sani concedunt Corpus Domini nostri Iesu Christi vnũ tantùm esse, illúdq. humanũ ideóq. finitum: quod corpus etiã in cœlo illo in quod adscendit, esse atq manere, nemo sanus dubitat: & demq. firmũ illud retineatur, quod nemo inficiatur; vera fide sicut omnia beneficia Christi percipiuntur, ita etiam eiusdem corpus percipi ac manducari: reliquũ postea quod in hac materia cum magno certè Ecclesiarum detrimento cõtrouertitur, λογομαχίαν potiùs, quàm verã ἀντίθεσιν esse cẽseo: & maiorem difficultatem in animis multorũ inter se cõciliandis, quàm in controuersia ipsa componenda, positã esse iudicio. Sciebam & scio: hoc meum iudicium nõ omnibus placiturum, præsertim illis, qui nodum in scirpo libenter & vltrò quærunt, & in rebus planis atq. perspicuis nouas sẽper atq. sublimes, quas ne ipsi quidẽ intelligunt, quæstiones mouẽt, disputãt, scribunt. Sed ego horum iudicia nihil morat⁹: simpliciter quid de tota hac cõtrouersia concepto ex vtriusque partis scriptis iudicio, mihi videretur, ei qui hoc à me humaniter petiit, simpliciter & cãdidè scribere malui, quam silendo tum veritatem prodere, tum Ecclesias infamatas relinquere. An verò res ita, vt scribo, habeant: omnibus viris, qui nullo detinentur præiudicio in hac caussa, quique iudicio valent, & scripta vtriusque partis legerunt, ac prudenter perpenderunt, iudicandum relinquo. Certè non pauci pij & docti viri, cum hoc meũ iudiciũ legissent, illud vsq. adeò non improbarunt, vt potius hortati fuerint, vt illud in lucẽ darẽ, cui etiam vt

iam vt adiicerem analyticas quasdam propositiones, quibus complexus fueram totam illam disputationem de ratione reformandarum Ecclesiarum, seu de regula Concilij quam cum illo Episcopo familiariter habueram, rogarunt, haud enim inutiles fore.

Cæterũ quia hæc cõsuetudo obtinuit: vt nihil in lucem mittatur, quod non alicui patrono dicetur: iccircò neque ego volui hunc meũ ceu filiolum sine aliquo bono protectore ex meis ædib. in vulgus emittere. Te igitur humanis. ac generose Knolle, sicut cũ hîc esses apud nos initio huius anni post tuã ad conuentũ Electorũ nuper Francofurti pro Electione Regis Romanorũ habitũ, nomine vestræ Reginæ susceptã legationẽ, delegi mihi in filiæ meæ Leliæ Cõsta:iæ cõpatrẽ: Túq; ita lubẽti animo eã e S. fonte in tuã pro filiam suscepisti, vt ei etiã honorificum λοιπὸν ἀργύριον, tuæ fidei testimoniũ donaris, ita in protectorẽ hui' mei noui quasi filioli eligere decreti, persuasus, te illius protectionẽ nullo modo recusaturum. Nũc venio ad rem.

DE DISSIDIO COENÆ DOMINICÆ: QVIBVSNAM IN REBVS ECCLESIÆ REFORMATAE INTER SE CONSENTIANT ET DISSENTIANT: Hier. Zanchij Iudicium.

QVONIAM de iis quæ ad religionem pertinent, nihil in Ecclesia vel docendum, vel instituendum est, nisi quod ex verbo Domini certo scimus à Domino fuisse vel per se, vel per Prophetas atq; Apostolos, in sua Ecclesia Prius traditum atque institutũ: Icirco omnes reformatæ Ecclesiæ, sicut in reliquis, sic etiam in articulo de sacra Cœna profitentur: se nihil nisi iuxta verbum Domini in Scripturis traditum, docere: & protestantur se nolle vel latum quidem vnguem à verbo Dei deflectere.

Etsi igitur, quod ad sacram cœnã attinet, aliquibus in rebus dissentiant inter se: neutra tamen pars damnari põt: quoniã vtraq; pio & sancto zelo affecta, ita verbũ Dei amplectitur: vt ei nihil vel adiectũ, vel detractũ velit. Atque hoc est primũ, de quo inter omnes conuenit. Solũ Dei verbũ, sicut in reliquis, sic in articulo de sacra Cœna esse sequẽdũ ac retinẽdũ. Cæterũ licet, sicut de autoritate, sic etiã de veritate verborũ Domini in sacra Cœna neutra pars dubitet: tamen περὶ τῆς διανοίας, seu de genuina verborũ Christi intelligẽtia, vtraq; nõnihil inter se digladiata est, & etiãnũ digladiatur: Aliis, verba Domini simpliciissime sine vllo prorsus tropo esse intelligẽda, cõtẽdẽtib.: aliis, nõposse sine tropo verba Christi intelligi demõstrantibus. Etsi vero hac de re nõdũ inter oẽs cõueniat: in eo tamẽ qđ ex verbo Domini apertũ est, h. e. in sũma rei atq; in ipsa substantia, ita oẽs inter se cõsẽtiũt: vt quod adhuc cõtrouertitur, illud nõ mihi tãtũ, sed aliis ẽt antè mẽ nõnullis maximẽ eruditionis & probatissimi iudicij viris, inutilis esse cõtẽtio planè visa sit. id qđ si per otiũ liceret, ex diligẽti vtriusq; sẽtẽtiæ collatione, planũ atq; pspicuũ fieri, (vt cõfido) à nobis posset. Quare neq; ꝓpter hãc qualẽcũq; disceptationẽ (q̃ quã oẽs pij eã vehemẽter dolẽt) hæ nostræ Ecclesiæ ita inter se dissẽtire iudicãdæ sunt, quasi alterutra pars perniciose erret: ideóq; à veritate orthodoxę fidei, in hoc articulo exciderit: & proĩde nõ sit vera Christi Ecclesia. Vt aũt q̃ sit sũma huius doctrinę de sacra Cœna, & in quib. cõsẽtiãt atq; dissẽtiãt inter se nostrę Ecclesię, pspicue videas atq; intelligas: quãtũ mihi in psẽtia cõcessũ est, q̃ breuissimè explicare tẽtabo. Sũt de hac Cœna septẽ præcipua capita. Vnũ de præparatione. Alterum de vsu. Tertium de ipsa alimonia. Quartum de symbolis, quibus ceu vasis ipsa alimonia præbetur. Quintum de modo, quo hæc alimoniã in huiuscemodi vasis continetur: seu de vnione ipsius alimoniæ, quæ est Christus cum symbolis: id quod alij vocant de præsentia corporis Christi, i. Christi ipsius in Cœna. Sextũ de modo veram escam in Cœna propositam percipiendi atq; edendi. Ac proinde septimum de conuiuiis, seu quinã ad Cœnã admittãtur, & qui non admittantur qui vere spiritualẽ escã mãducẽt, & qui nõ verè mãducẽt. Atq; vt primũ de præparatione dicã: nulla planè de illa inter nos est dissensio. Omnes, n. vno consensu, & vno ore ita dicemus, antè quã ad Cœnã Domini accedat: quisq; (iuxta Apostoli doctrinã) seipsũ pbet, an sit in fide & in Christo néc ne, seu an vera & viua, pérq; charitatẽ operante fide, ideóque verã resipiscentiã (est enim hæc à fide inseparabilis) præditus sit. Constat autem vera resipiscentia, tũm viua & solidã admissorũ peccatorum cognitione, atq; in conspectu Dei confessione & detestatione, tũm vero etiam firmo deinceps, per gratiam Dei, totius vitæ ad legem Dei componendæ proposito: tũm denique certissima de remissione peccatorum per Christum fiducia.

Quód etiã ad alterũ caput attinet, quod est de vsu Cœnæ: nulla est controuersia. Omnes enim de vsu eadẽ iuxta verbum Domini docent: Cœnam Domini in perpetuam passionis & mortis Christi memoriam esse institutam: nimirum, vt tum prædicatione verbi, tũ significatione symbolorum, tum mysterio totius Cœnæ per Spiritum sanctũ adiuti, viua memoria repetamus: Christum & suum corpus in mortẽ dedisse, & suum sanguinẽ fudisse propter salutẽ nostram, idq; vt hac viua mortis Christi recordatione primùm fides nostra magis ac magis cõfirmetur, nostra, s. peccata propter Christum nobis esse cõdonata, ideóq; nos tũ Dei filios, tum cœlestis regni hæredes esse effectos. Ac cõsequenter secundo loco, vt hinc magis ac magis vera in nobis resipiscentia stat ilia ut: nimi. ũ, vt cùm simus mortui cùm Christo semel peccato, non amplius viuamus in illo: & cũ simus resuscitati cũ Christo, deinceps in nouitate vitæ ambulemus: expectantes beatam spem, & aduentum gloriæ magni Dei. ac proinde postremò vt certi effecti nos vnũ iã esse factos cũ Christo, os ex ossib. eius, & carnem de carne eius: charitatem quoq; inter nos mutuã, pacem & cõcordiam alamus, charitatisq; officia mutuo exerceamus. Sũma: in hunc vsum esse institutam Cœnã, vt magis ac magis viuamus in Christo, & Christus in nobis: & hac spirituali alimonia tũ fides de remissione peccatorum: tum spes de æterna vita & gloriosa resurrectione: tũ denique charitas erga Deum & erga proximũ in cordib. nostris alatur, sustentetur, augeatur: & tam corpus ad gloriosam resurrectionem, quam anima ad æternam vitam nutriatur. Est hæc, de vsu Cœnæ, omnium Ecclesiarum doctrina.

Venio nunc ad tertiũ caput: quod est de alimonia, quæ in Cœna præbetur & sumitur. Vno & eodẽ consensu omnes docẽt: nõ phantasticũ aut imaginariũ: sed verũ Christi corpus, & ipsum verũ Christi sanguinẽ, h. e. Christũ ipsum, vnã cũ toto salutis mysterio, quod in ipsius corpore peractum est: seu cũ nouo fœdere quod Deus cum suis electis in Christo iniit. & corpore ac sanguine Christi obsignauit (est enim hoc fœdus inseparabile à corpore Christi, seu à Christo ipso: & finis est totius istius mysterij Cœnæ dominicæ.) Hunc igitur Christum totum cum ipso fœdere, veram esse, tum animorum ad æternam vitam, tũ corporum ad gloriosam resurrectionem, se sumentibus & verè manducantibus alimoniam: sicut ipse dixit Ioh. 6. Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus. Qui mãducat mea carnẽ, & bibit meum sanguinẽ: habet vitam æternam: Item, qui manducat me, ipse viuet propter me. Item: Ego sum panis viuus, qui de cœlo descendi. Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum. De hoc etiã tertio capite nulla est inter nostras Ecclesias dissensio.

Quartum caput est de symbolis, quibus ceu vasis ipsa vera esca præbetur. Primùm, omnes vno consensu dicunt: panem esse panem, & vinum esse vinum: idque iuxta Apostolorũ qui tàm post, quã ante verborum Christi prolationẽ panẽ vocãt panẽ, & poculum, poculum: id est, vinum, vinum. Deinde omnes etiam consentienter docent: panẽ hunc & vinum, ita esse, vnum corporis, alterum sanguinis Christi, symbola: vt per illa non tantũ significetur, sed etiã verè exhibeatur corpus & sanguis Christi, h. e. Christus ipse: idq; in ipsa tantum Cœnæ actione, iuxta Apostoli doctrinã, qui ait: Panis quẽ frangimus (scil. in Cœna Domini) nõnne communio corporis Domini est? & poculum cui benediciimus (scilicet in Cœna) nónne cõmunio sanguinis Christi est? Hinc igitur duo consequi: vnum, cùm panis in Cœna visibiliter præbetur, ipsum quoque corpus Domini inuisibiliter exhiberi, & cum poculum visibiliter offertur, ipsum quoq; sanguinem Domini inuisibiliter communicari, quia vnum est κοινωνία τοῦ σώματος: alterum κοινωνία τοῦ αἵματος τοῦ κυρίου. Alterum, extra actionẽ igitur Cœnæ neq; panẽ, corporis, neq poculum, sanguinis esse κοινωνίας: quia tunc tantum, & panis κοινωνία corporis ab Apostolo appellatur, cùm in Cœna frangitur, & poculum κοινωνία sanguinis ab eodem vocatur, cùm ei in Cœna benedicimus. Quare extrà cœnam neq; panem ab aliis communibus cibis, neq; vinum ab aliis communibus vinis differre.

Ex hoc quarto oritur quintum, quod est de vnione escæ spiritualis, hoc est ipsius Christi, cum symbolis. Hoc caput potius ab hominibus inuentum est, quàm propositum in Scriptura à Spiritu sancto. Neque enim in Scripturis vlla aperta mentio est de vnione corporis Christi cum symbolis, vel de præsentia corporis Christi in Cœna. Quamobrẽ potuisset hæc quæstio sine vllo Ecclesiæ detrimẽto omitti, verùm homines docti & pij, cũ edocti à verbo Dei scirẽt, in iis symbolis, seu per hæc symbola spiritualẽ escã & spiritualẽ potũ nobis à Deo proponi, nec solùm proponi,

Sextum quod ad modũ edendi hanc spirituale escam attinet: consentiẽter omnes docent: veram & salutarem edendi rationem esse illã de qua Ioh. 6. nempe per veram & viuam fidem. Cæterùm ex illa contentione de vnione escæ spiritualis cum suo symbolo, seu de præsentia corporis Christi in pane: quidam præter illam superiorẽ spiritualem, aliam etiam manducandi rationem, nempe quæ fit ore corporis (qua de caussa corporalem & oralẽ mãducationem vocant) excogitarunt: corpus enim Christi in Cœna non tantùm fide, sed etiam ore corporis manducari contendunt. Contrà cum alij excipiunt hoc fieri non posse, quòd alioqui (præter alia absurda) corpus Christi dentibus cõminueretur, in stomachum traiiceretur, & per secessum iret: quæ de ipso Christi corpore præsertim immortali, incorruptibili, glorioso nullo modo dici possunt: respondent isti: Etsi ore corporis sumitur: tamen neq. dentibus teri, neq. in stomachũ traiici. Cæterũ cum hoc nõ sit mãducare, vel spiritualiter: (hoc n. fit ab interiore homine per solam fidem) vel corporaliter: (hoc n. fit, cùm cibus nõ tantùm ore capitur, sed etiam, dentibus attritus, in stomachum traiicitur:) & ista pars alteri concedat, corpus Domini non teri dentibus nec traiici in ventriculum: ac proinde re ipsa concedat: corpus Christi non manducari vere corporaliter: id quod tamen verbis contendit: quis non videat hanc etiam esse inanem λογομαχίαν, ex illa priori de reali & corporali escæ spiritualis cũ symbolis vnione profectam? præsertim vero quia ipsimet negant corpus Christi esse in pane localiter: negant igitur illud idem in ore nostri corporis cum manducatur, esse localiter: sed aiunt, Ibi, h. e. in ore nostro esse sicut est in pane: modo sc. imperceptibili, & tamen reali: & consequenter solidum & animatum corpus à solido & animato, sensibilíq. prædito corpore tangi quidem ac manducari, nec tamen sentiri: atque hæc miracula esse, sed inuisibilia & imperceptibilia: tantùm verò credenda. cùm quis igitur mensam Domini accedit, huic esse credendũ: se non tantùm fide, sed etiã ore corporis corpus Christi manducare. Quod quæso quid aliud est, quam sola quadam credulitate manducare? Nam credere, te corporaliter manducare id, quod nullo modo sentis à te corporaliter manducari: nil aliud est, quã credulitate, hoc est falsa imaginatione mãducare. Vtraque pars in eo cõsentit corpus Christi in Cœna fide mãducari. Quod igitur altera pars adiecit de corporali manducatione, quæ non sentitur, sed tantum credenda est: quis nõ videat, inutilem, superuacaneã, atq. inanẽ esse cõtentionem? præsertim cũ ego ipse audierim ex nõ vulgari huius alterius partis quæ Lutherũ sequitur, homine: se & alios suos non ita dicere, corpus Christi à nobis corporaliter mãducari, quasi illud Christi corpus, os & corpus nostrum attingat (hoc n. esse falsũ) sed tãtùm propter sacramẽtalẽ vnionẽ, qua id quod propriè competit pani, attribuitur etiam quodammodo ipsi corpori Christi: se hac locutione vti.

Septimum caput. Quod ad conuiuas huius Cœnæ attinet: primum vtraque pars consentienter docet, ad hanc Cœnam non esse admittendos homines, vel infideles, vel hæreticos, vel profanos, ac scelerosos. Proinde cùm peragenda est Cœna, omnes tales excommunicantur, & si quis audeat accedere: agnitus arcetur. Deinde quia inter eos qui accedunt & mensã Domini communicantur, ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον, sunt alij verè pij, h. e. vera fide prædití, alij hypocritæ, h. e. non vera fide præditi, ideircò quod ad verè pios attinet. vtraq. pars docet, ab iis verũ Christi corpus, seu spiritualem escam, verè percipi & manducari, idque ad æternã salutẽ. Quãquã inter hos etiam pios sunt qui magis, & sunt qui minùs dignè ad mensam Domini accedãt, & escã spiritualem manducent. Quod ad impios hypocritas attinet, pars illa, quæ sentit, sola, eáq. viua & actuali fide spiritualem escam manducari, cùm in confesso sit, hypocritas hac fide non esse præditos, inde concludit, ab hypocritis carnem Domini veram minimè manducari, præsertim cùm manducare carnem minimè sit, carne Dominicali nutriri, sustentari in spirituali vita, qua vita omnino destituti sunt hypocritæ. ij enim non viuunt ex fide, neque in Christo, nec Christus in eis. Illis autem duntaxat Christus est esca: quib. et est vita, proinde Christũ tãtùm ab illis mãducari, in quib. etiã viuit. Id quod præter alia argumenta dicto etiam Augustini confirmant, quod in libro D. Prosperi cui titulus est, liber sententiarum ex D. Augustini operibus sententia 339. habetur, Escam vitæ accipit, & æternitatis poculum bibit, qui in Christo manet, & cuius Christus habitator est, nã qui discordat à Christo: nec carnem eius manducat nec sanguinem bibit, etiamsi tantæ rei sacramentum ad iudicium suæ præsumtionis quotidie indifferenter accipiat. Altera verò pars quæ sentit, corpus Christi cum symbolo panis realiter & corporaliter esse coniunctum, & proinde non tantùm fide, sed etiam ore corporis vnà cum pane manducari: cõcludit, nõ solum igitur à verè piis, sed etiam ab ipsis hypocritis, cum manducant panem, ipsum quoque corpus Domini verum manducari, sed ita tamẽ, vt sicut à piis ad salutẽ sic ab hypocritis impiis ad condemnationem manducetur, præsertim vero quia (inquit) ipsi etiam hypocritæ fide licet mortua præditi sunt. & cum hac fide ad mensam Domini accedunt. Quare si fide corpus Christi manducatur, ergo sicut à piis ad vitam manducatur, quia fide viua manducãt, ita ab ipsis etiam hypocritis manducari, sed ad mortem, quia fide manducant, sed mortua. Hæc eadem tamen pars fatetur, etsi corpus Domini coniunctum sit cum pane, eo quo suprà dictum est modo, si tamen vel mus, vel etiam homo prorsus infidelis panem comedat, nullo modo corpus Domini ab illis manducari. Quare? quia, inquit, sunt prorsus sine vlla fide: sine vlla autem penitus fide non potest hæc spiritualis esca manducari. Deinde eadem non inficiatur, nec inficiari potest, quin fidem esse mortuam, & fidem esse non veram respectu credentis, idem planè sint. Hinc vero consequitur, sicut igitur manducare fide viua, est manducare (vt ita loquar) viuificè, i. ad vitam, & manducare fide mortua, est manducare mortaliter, i. ad mortẽ, sic manducare fide non vera, nihil aliud esse, quã manducare non verè. Hoc autẽ quid aliud est, nisi, non igitur verũ esse, corpus Domini verũ ab hypocritis verè manducari, si fide vera non manducent: Quare cùm idem reipsa, etsi verbis diuersum, hæc etiam altera pars cum superiore de cõuiuis, quinam verè & non verè manducent corpus Domini h. e. Dominũ ipsum concludat: nẽpe à piis vera fide prẽditis illud verè manducari, ab hypocritis autẽm non vera fide præditis, etiam non verè manducari, quis non videat hanc quoque de impiorum manducatione contẽtionem, sicut de aliis etiam reliquis duabus demonstrauimus meram esse λογομαχίαν. Et dici vtrunque posse, corpus Domini h. e. Dominum ipsum ab impiis hypocritis non manducari, nẽpe verè. & tamẽ manducari, nẽpe non vere quia (vt inquit Augustinus) sacramentotenus tantùm, sicut & Apostolus de Patribus omnibus in deserto, tam piis, quàm impiis qui manna manducarunt, ait. Omnes eandem escam spiritualem (Christum) manducasse. sed quomodo? subintelligendum est, suo quæque modo. Quia sc. pij nõ tantùm sacramentum, sed etiam rem sacramenti perceperunt fide vera, ideóq. verè Christum manducarunt. Impij verò quia sine fide vera sacramentum tantùm, sine re sacramẽti perceperunt, (hoc autem est Christum sacramentotenus mãducare) ideóque Christum non verè manducarunt. Postquam enim sic locutus est Apost. de omnibus, tam piis quàm impiis, mox subdit, sed non in omnibus illorum (qui scil. escam spiritualem Christum manducarunt, nempe in impiis) sibi benè complacuit Deus, seu non omnes probauit, sed tantùm pios. Tres igitur illas quæstiones, quæ de Cœna Domini inter nos adhuc controuertuntur. Primam de corporali præsentia corporis Christi in Cœna, Alteram de carnali manducandi modo, nempe per os corporis, & hanc postremam, de manducatione hypocritarum & impiorum, etsi inutiles, meo iudicio, sunt contentiones, cum possint facilè conciliari, tam impias tamen quæstiones esse non iudico, vt propterea Ecclesiæ nostræ sint damnandæ, quasi alterutræ non sint veræ Ecclesiæ, quòd de hoc sacramento inter se nondum consentiant. Quot enim & quantæ fuerunt controuẽrsiæ inter Græcas & Latinas Ecclesias? neq. tamen propterea aut illæ ab istis, aut istæ ab illis, quasi non veræ essent Ecclesiæ, damnatæ vnquã fuerunt. Illud tamẽ fateor, mihi cũ omnibus piis vehementer displicere hæc adhuc inter nos vigere dissidia, quòd, quãtam remoram adferant cursui Euangelij, non ignoremus.

Precor itaque Dominum Iesum Christum, tandem aliquando omnium Ecclesiarum misereatur, efficiátque sua gratia, vt omnes, tam quæ à Romana defecerũt, quàm quæ adhuc sub illa degunt, veram ac perpetuam (id quod non ego tantum, sed omnes pij ardentissimis votis exoptant) in vera ac pura doctrina, puro ac sincero cultu, denique in ipsis etiam cæremoniis, & in disciplina Ecclesiasticã consensionem, ideóque & pacem & charitatem à patre misericordiam consequantur.

Non dubito, quin permulti sint in Ecclesia Romana viri pij atque docti, qui hanc pacem & concordiam percupiant, ac pro sua virili curent. Dominus igitur horum omnium studia feliciter promoueat.

Habes hîc, chariss. Compater, quæ de hoc dissidio cœnæ Dominicæ ad illũ Episcopum scripserim. Ad hæc adiicio illa, quæ de ratione reformandarum Ecclesiarum cum illo eodem Episcopo contuleram, certis & breuibus thesibus comprehensa.

EIVSDEM ZANCHII DE VERA REFORMANDARVM ECCLESIARVM ratione, vel, si mauis, de Regula Concilij Theses Analyticæ.

I.

OMnes homines cupiunt viuere, idque feliciter atque æternùm. Omnes igitur (nisi prorsus Epicuræi & perditi sint) desiderio tenentur viæ, qua ad æternam beatámque vitam perueniri possit, cognoscendæ.

II. Omnes homines post Adæ peccatū, vtvt ingenio, prudētiā & rerū humanarū cognitione præditi sint: in iis tamē, quæ ad Deū, ideóq. tū ad æternā vitā, tū ad viā, qua ad æternā vitā peruenitur, cognoscēdā pertinēt: cæci sunt: iuxta illud Apostoli: Animalis homo nō percipit ea quæ sūt spiritus Dei: & mēdaces: iuxta illud Dauidis, Omnis homo mēdax. Nihil igitur vel veri vel certi de via æternæ vitæ, seu de religione homines à sua tantū sapiētia & prudētia ducti, definire possunt. III. Solus Deus quæ sit hæc certa ad vitā æternā via, nō solùm nouit: sed etiā verbo suo partim p Prophetas, partim per suū Filiū hominē factū partim denīq. per Apostolos mūdo reuelauit ac patefecit. Ex solo igitur Dei verbo, per Prophetas, Christū & Apostolos hominib. prædicato, hæc via, i. vera religio dici potest ac debet. IV. Certū Dei verbū esse illud, qđ in Scripturis Canonicis cōtinetur, h.e. quidquid ibi noīe Dei vel narratur, vel mādatur, vel pmittitur, aut ad mādata, promissiones & Euāgeliū pertinet: apud Christianos oēs extra cōtrouersiā est. Scire igitur atq. definire de religione iuxta verbum Dei, Scripturis Canonicis cōtētum, res est tutissima & securissima. V. Quidquid porrò est in Ecclesiis, tā Romana, q̄ aliis: illud vel est secundū verbū Dei in iis Scripturis Canonicis cōtētum ac declaratū: vel est cōtra verbū Dei: vel neq. cōtra, neq secundùm verbū Dei, sed ἀδιάφορον. Hinc tria cōsequuntur. Primum quidē: Quidquid igitur agnoscitur esse secūdū verbū Dei, in Scripturis Canonicis cōtētū, si in Ecclesiis, tā Romana, q̄ aliis locū habet, retinēdum est: si verò exsulat, postliminio reuocādum est. Alterū: cōtra quidquid agnoscitur esse cōtra verbum Dei: si nō obtinet in Ecclesia: nō est introducēdū: si verò obtinet: illud prorsus est tollēdū. Tertium: Quidquid verò agnoscitur esse neq. secundum, neq. cōtra verbū Dei, nimirū ἀδιάφορον primo loco declarādum est illud esse ἀδιάφορον, i. tale, qđ ad salutē necessariū p se nō est, ac proinde quo nulli⁹ cōsciētia per se obstringi pōt aut debet. Deinde seruāda est regula Apostoli: vt scil. nihil in Ecclesia vel retineatur, vel introducatur, qđ nō faciat ad ædificationē, ad ordinē aut ad decorū. Ceremoniæ igitur & oīa ἀδιάφορα libera sunt Ecclesiis singulis pmitēda: vt quæq. Ecclesia ea vel retineat, quæ magis iudicauerit fore suo populo ad ædificationē, ad ordinē, ad decorū: Sed ita tamē permittēda sunt libera: vt quoad ei⁹ fieri pōt, antiquiora semper potiùs retineātur, q̄ noua introducantur: idq. tū propter honorē antiquitatis, tū quia in Ecclesia Dei, quò quid est antiquius, eò etiā est verius, ideóque & melius: iuxta regulā Tertulliani. VI. Extra Scripturas Canonicas aliquā aliā doctrinam esse verbū Dei, ac proinde quæ in ea doctrina mādātur, esse ad salutē necessaria: demōstrari nullo modo pōt. Aliquid aūt tanquā ad salutem necessariū in Ecclesiā introducere, vel introductū retinere: de quo certus nō sis, an sit secūdum verbū Dei, nécne, peccatū est: iuxta illud Apostoli: Omne qđ non est ex fide, peccatū est. Nihil igitur quod è sacris literis testimoniū nō habeat: tāquā ad salutē necessariū, in Ecclesiā est introducendū, vel introductū est retinendum: quemadmodū non solùm sacræ literæ, sed etiā Patres ipsi docēt. Etsi.n. multa alia tā Prophetæ, q̄ Christus & Apostoli prædicarūt, præter ea quæ in sacris literis cōtinētur: omnia tamē, quæ ad salutē prorsus necessaria sunt, ea in sacris literis abūdè traduntur, quēadmodū tū ipsæ sacræ literæ docentiū ipsi Patres testificātur. VII. Scripturæ canonicæ sunt quidē multis in locis obscuræ: illarúmq. obscuritas aliquādo in verbis ipsis est, aliquādo in reb⁹, aliquādo in vtrisq. simul: qua de caussa tū linguarū, tū historiarū cognitio ad intelligentiā Scripturarū necessaria est: nihil tamē eorū, præsertim quæ ad salutē vel creditu, vel factu necessaria sunt, ita alicubi Scripturarū obscurum est: quin idē alibi in iisdē Scripturis planissimè & perspicuè scriptū inueniatur: sicut etiā Augustinus diligenter obseruauit: & in libris de doctrina Christiana sapienter docuit. Nihil igitur tanquā ad salutē necessariū de religione est definiendū, & populis proponēdū, quod nō habeat certū aliquod & perspicuū in Scripturis Canonicis testimoniū: id quod oēs quoq. Patres docuerunt. Est.n. ea verè vox orthodoxi hominis, apud Theodoretum in Ἀτρέπτῳ aduersus hæreticū, ἐγὼ γὰρ μόνῃ πείθομαι τῇ θείᾳ γραφῇ. Quare ex locis Scripturarū obscuris erui dogma nullū pōt, aut debet: nisi aliis clariorib. Scripturarū locis illa priùs illustrentur ac confirmentur. VIII. Quæcūq. extra Scripturas vel in Patribus, vel in Cōciliis, vel in Pōtificū decretis leguntur: illa sunt verbo Dei vel cōsona, vel dissona, vel neq. cōsona, neq. dissona: Quæ igitur sunt cōsona: ea retinēda sunt: quæ autē dissona, ea reiiciēda sunt: Quæ vero neq. cōsona, neq. dissona: in illis retinēda & seruāda est regula de adiaphoris: nimirū vt primū liberū sit Ecclesiis ea vel admittere, vel nō admittere: deinde si admittāt, ea tantū admittant, quæ ad ædificationē aut ad ordinē, aut ad decorū in Ecclesia faciūt. postremo declarēt, illorū obseruatione nō ita obligari Christianorū consciētias: atq. obseruatione mandatorū Dei. solo.n. Dei verbo Christianorum conscientias per se, & semper obstringi.

IX. Liberæ quidē debent esse Ecclesiæ in reb. adiaphoris, h.e. in iis, quæ nullū habent testimoniū in verbo Dei: illa tamē quæ iā inde ab initio nascentis Ecclesiæ, omniū Ecclesiarū consensu, in Catholica Ecclesia vel semper, vel ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον obtinuisse ex probatis & antiquis scriptorib. certo cognoscūtur: ista inquā sine iustis & necessariis caussis, ex verbo Dei desumtis, atq. si facultas detur, in generali & Christiano Cōcilio explicatis, & ab eo approbatis, reiicere, atq. ex Ecclesia profligare: Christiani & Dei timētis hominis nō est. X. Cōtra: Illa ēt quæ licēt neq. suapte natura mala sint, neq inutiliter in Ecclesia diu obtinuerint: tamē postea longo abusu in superstitiones & idololatrias versa sūt: ista, inquā, nolle vel penitus exēplo Ezech. & Iosiæ tollere, vel saltē exēplo aliorū piorū regū ita emēdare & repurgare: vt oīs idololatria & superstitio, & oīs supstitionis atq. idololatriæ occasio tollatur, pertinacia est nullo modo probāda. Sūma Cōcilia cogūtur vt reformentur Ecclesiæ. Ecclesiæ sunt reformandæ ad formā omniū optimam.

Melior ecclesiæ forma inueniri aut excogitari non pōt illā, iuxta quā Christus per se, & per suos Apostolos Ecclesia initio cōstituit ac cōfirmauit. Qualis fuerit illa *veteris* & Apostolicæ Ecclesiæ forma tēpore Christi & Apostolorū: liquidò & certo appare ex libris Euangelistarū & Apostolorū: probabiliter autem ex reliquis post Apostolos antiquissimis Ecclesiasticis scriptorib. Ad illā igitur in primis Ecclesiæ formam, quæ in sacris literis, præsertim in Noui Testamēti libris traditur, deinde ad illā etiam, quæ in antiquissimis Scriptoribus conspicitur: quoad eius fieri pōt, h.e. quatenus ista nō pugnat cū illa: Ecclesiæ vniuersæ in doctrina, in cultu, ac cæremoniis, & disciplina reformādæ sūt, ita vt omnia ad prima principia, & ad primos fōtes reducātur: seu ita vt profligatis omnib. nouis, Apostolisq. & Apostolicis Patribus, inauditis ac incognitis doctrinis ac cultib. vetera oīa, vet⁹ sc. doctrina, vet⁹ cult⁹, veteres cæremoniæ, vetúsq. disciplina in Ecclesiā postliminio reuocētur. Sic Domin⁹ p Ies. c. 1. promittēs reformationē toti⁹ Ecclesiæ & totius ciuitatis Hierosolymæ, docuit, dicēs: Excoquā ad purū purū in scoriā tuā: & auferā omne stānū tuū: & restituā iudices tuos, sicut fuerūt pri⁹, & senatores tuos sicut antiquitus. Post hæc vocaberis ciuitas Iustitiæ, vrbs fidelis. Sūt igitur omnia stāna nouarū doctrinarū, & nouorū cultuū tollēda: & restituenda est doctrina illa, & cultus ille, & disciplina illa, quæ fuit priùs & ab initio, tēpore sc. Apostolorū & Apostolicorū virorū. Idē Domin⁹ per Hieremiā sic mādat, dicēs: Hæc dicit Dominus, State in viis & circumspicite, atq. interrogate semitas antiquas, vbinam illa via bona sit, in ea ambulate, & inuenietis refrigeriū animab. vestris. Dominus etiam Iesus Mat. 19 reformaturus matrimoniū, Iehudæos ad primam matrimonij institutionē reuocauit dicens, A principio autem non fuit sic. Innumera certè sunt in Ecclesia, quæ à principio non fuerunt sic, tēpore sc. Apostolorū. Sunt igitur ad formā veteris & Apostolicæ Ecclesiæ omnes Ecclesiæ reformādæ, & omnia tā cultus, & disciplina, quàm dogmata, nō ad Lesbiā regulā humani iudicij, sed ad lapidē Lydiū diuini verbi examināda.

Habes hìc etiā opt. Knolle, paucis cōprehēsā sententiā meā, de prima vera Ecclesiarū reformādarū rōne, nēpe de regula, ad quā omnia, quæ in Cōcilio tractāda sūt, examinari debeāt. de altera verò, h.e. de legitima Cōcilij celebrādi forma, de cognitorū genere, déq. cognoscēdi via ac ratione: iudicij mei explicationē in aliud tēp⁹ differo. multa quidē sicut de priore: ita etiā de hac posteriore amicè inter illū Episcopum & me vltrò citróq. disputata fuerunt, ex quib. facilè sicut ego illi⁹, ita ille meam intelligere potuit sentētiā. Cæterùm meā de forma Cōcilij tā breui scripto cōplecti atque explicare: quo etiam meū de regula, ad quam omnia examinanda sint, iudicium complexus sum, propter tēporis breuitatē nō potui. In aliud igitur tempus vt differam, æquitas, vt vides, postulat. Vale, & munusculum hoc meū animo te, hoc est nobili & pio viro, digno accipe.

Argentinæ Calend. Febr. 1563.



I. INDEX SEPTIMI TOMI OPERVM D. HIER. ZANCHII, QVI MISCELLANEA INSCRIBITVR, COMPLECTENS CAPITA totius operis.

II. INDEX SEPTIMI tomi operū D. Hier. Zāchii complectēs Locos S. Scripturæ qui passim in hoc tomo explicantur tantùm.

Prior numerus caput, 2. versiculum, 3. columnam operis notat.

III. INDEX SEPTIMI Tomi operū D. Hier. Zāchii, qui Miscellanea inscribitur, complectēs res, phrases, & voces quę in hoc tomo reperiuntur memorabiles.

A.

B.

C.

Capita

D

E

Immutabili-

Repro-

Z

IV. INDEX COMPLECTENS autoritates Theologorum tam veterũ quàm neotericorum, & aliorum autorum quæ in hoc septimo tomo passim occurrunt.

PATRES.

SCHOLASTICI.

NEOTERICI THEOLOGI.

V. ET POSTREMVS Index continens Quæstiones illustres quæ in hoc septimo Tomo operum D. H. Zanchij occurrunt.

FINIS.



HIERONYMI ZANCHII
Theologi celeberrimi,

MISCELLANEORVM

TOMVS ALTER.

IN QVO SS. THEOLOGIÆ LOCI ET QVÆSTIONES PLVRIMÆ, TVM ET CONTROuersiæ quædam cognitu dignissimè solidè pertractantur.

AAaa



SENATVI POPVLOQVE FRANCKENTHALIENSI, TRIVMQVE ECCLESIARVM MINISTRIS, DOMINIS ET AMICIS, OFFICIOSÈ COLENDIS, Hæredes Zanchiani S. P. D.

MAGNIFICI ET ORNATISSIMI VIRI, VOSQVE antiſtes Reuerendi, Domini, Symniſtæ, & amici perpetuâ animi obſeruantiâ colendi, &c.



ERITO reprehenditur ab Hiſtoricis L. Mummius Proconſul & Imperator Romanus, quòd cùm, euerſa Corintho, exquiſitiſſimas tabellas à præſtantiſſimis artificibus elaboratas, ex mandato Senatus, certo cuidam nautæ Romam vehendas traderet, illi comminatus fuerit, ſi ipſius incuria perderentur, fore, vt nouas ſuo ære comparatas, in earum locum reſtituere cogeretur. Non enim intelligebat vir ille militaris, & earum artium imperitus, non facilè aliquem ſuo tempore inuentum iri, qui excellentem veterum pictorum induſtriam & venuſtatem, nouis ſuis operibus exæquaret. Non abſimili quoque ratione iuſtam reprehenſionem, & maiorem quidem incurrunt, qui præſtantiſſimum doctiſſimorum animorum fœtum, hoc eſt, libros de bonis artibus & ſcientiis, præſertim verò de S. Sancta Theologia eruditè & fructuosè conſcriptos, vel imperitè contemnunt, vel ſuæ fidei concreditos, tanquam pretioſiſſimum Theſaurum in terra defoſſum, perpetuis tenebris obrui patiuntur. Nam & illi non perpendunt, quo ſæculo iam viuamus, nempe eo, de quo verè illud Maronianum vſurpari poſſit:

--Fuimus Troës, ſtetit Ilium, &c.

& quod cum ſuperiori ætate comparatum, multis modis & rationibus ſuperetur. Suppellex enim libraria à maioribus noſtris immenſo labore & incredibili diligentia copioſiſſimè inſtructa, quæ vtile adiumentum ſtudiorum, & iucundum alacritatis incentiuum eſſe debuerat, vel facta eſt turpe fomẽtum deſidiæ, vel alimentum vanæ curioſitatis. Patet hoc vel ex ſola Theologia, quam ex puriſſimis ſacrarum ſcripturarum fontibus, maiores noſtri, viri nunquam ſatis laudati, ardentiſſimo Zelo repurgarunt Quotus enim quiſque eſt hodie, (ſi pauci adhuc veterani ſuperſtites excipiantur) qui veræ eruditionis laude, Zeli feruore, refutandi dexteritate, vitæ innocentia, & tolerãtia crucis, cum primis illis reformatoribus iure conferri mereatur? An non experientia (quam ſtultorum magiſtram non temerè appellant) plus ſatis demonſtrat, pleróſque magis in ſignis rerum & ipſo cortice, quàm in rebus ipſis & vero nucleo deſudare? Multi enim ſcriptores omne punctum ſe tuliſſe arbitrantur, ſi phraſibus à communi vſu remotis, ex laceris antiquorum librorum fragmentis, aut collapſis marmorum & Mauſoleorum ruderibus nuper erutis, turgentes, vitream ingenii ſubtilitatem & vanam coniecturãdi libidinem oſtentent: Concionatores verò ſi in ventoſis ſuis declamationibus, ad demulcendas imperitorũ aures accommodatis, proiiciant (vt ait ille)

--Ampullas & ſeſquipedalia verba.

Quamobrem illi optimè cõſulunt ſuæ ætatis hominibus & futuræ etiam poſteritati, qui præter ἔγγραφον Dei verbum, & ſanctorum Patrum volumina, ſolida Protagoniſtarũ ſcripta diligenter euoluunt, aliíſque commendant, eáque vndique conquiſita, ad ædificationem

cationem Ecclesiæ, in lucem & conspectum hominum producunt. Atque hæc causa fuit, cur clarissimi Theologi & Reuerendi viri D.D. Hieronymi Zanchii, soceri & parentis nostri piæ & laudatæ memoriæ, libros & varia opuscula, quæ post ipsius mortē, hæreditario iure ad nos peruenerunt, quæque ipse nondum ediderat, adhibito amicorum consilio, diuulganda esse censuerimus. Quàm præclaram enim & vtilem operā, suis scriptis, Ecclesiæ nauauerit, quamque acriter veram religionē contra hostes veritatis defenderit, omnibus sacræ Theologiæ studiosis, non tantùm in Germania, sed in exteris etiam regionibus, notissimum esse existimamus.

Cæterùm hoc volumen, quod nunc afferimus, & offerimus, secundam Miscellaneorum partem appellamus, quia in eo, sicut & in priori, ab ipso authore iam olim edito, celeberrimæque tum (eheu) Antuerpianæ Ecclesiæ & Reip. inscripto, varia doctrinæ capita solidè & methodicè pertractantur. Etsi autem exactissimū soceri & parentis nostri, piæ memoriæ, iudicium, in hac editione nō semel desiderauimus, propter rerū copiam & varietatē, vt omnia limatiora in publicū prodirent: tamen eo destituti, saltem hoc operam dedimus, vt omnia ex ipsis manuscriptis accuratissimè expressa in hunc, quē videtis ordinem, non incommodè redigerentur. Cur autem vos potissimùm elegerimus Magnifici, Præstantissimíque viri Domini & fratres honorādi, quibus hoc nouū opus dedicaremus, multas, easque non leues aut ludicras, sed grauissimas & serias habemus rationes. Vt autē vno verbo dicamus, duo nos præ aliis mouerunt, de quibus breuiter dispiciendum. I. Prius est, quòd nunquam de soceri, & parentis nostri exsilio, vita, conditione & liberis, adeóque de nobis ipsis, nostraque fortuna cogitemus, quin vestrum etiam exsilium, vestra conditio & fortuna, vestríque posteri, oculis, animísque nostris obuersentur. Causam enim exsilii vobiscum eandē habuit, sinceram scilicet veræ & reformatæ religionis professionē, quam ipse ad extremum vitæ halitum constantissimè retinuit, & in qua vos etiam per Dei gratiam strenuè perseueratis. Deinde nō secus ac vos, maioréśque vestri, variis ærūnis perpessis, infinitis laboribus exātlatis, multísque periculis & molestiis magno animo superatis ac deuoratis, in hunc eundem vobiscum Palatinatum, ab eodem Clementissimo Principe Septemviro FRIDERICO III. Illustrissimæ memoriæ (qui ab ardentissimo veræ pietatis studio, Pii cognomen meritò cōsecutus est) tanquam alteram patriam & tranquillum studiorum suorum portū receptus est, vnaque vobiscum, licet ratione aliquantulùm diuersa, benignè & liberaliter sustentatus. Quod quidem tantum tanti Principis beneficium ita eum Palatinatui deuinxit, vt seposito natalis soli desiderio, quod tamen;

--nescio qua dulcedine cunctos
Ducit, & immemores non sinit esse sui,

fixum sibi & familiæ suæ domicilium in eo posuerit, & filiabus in matrimoniū elocatis, cum piis huius regionis hominibus, sanctam affinitatē contraxerit, & ad hāc alteram patriam ornandā & condecorandā, omnia sua studia, labores & vigilias, ad mortem vsque contulerit. Vnde accidit vt ipsius liberi & nepotes, non ex illustri familia Bergomensi oriūdi, sed ex Germanica stirpe nati esse putētur. Atque hoc vobis etiā vsu venisse res ipsa testatur, qui in noua vestra vrbe pro virili augenda & exornanda quotidiè pergitis, vt, sub Illustrissimorū Principum clementissima tutela, vobis posterisque vestris quieta sedes: ipsi verò Palatinatui ornamentum & incrementum non exiguum esse possit. Quantum verò præsertim in hoc postremo effeceritis, nobis tacentibus vel ipsa inuidia clamitat. Quod enim, ante vestrum aduentum, cœnobium tantùm erat, crassis quibusdam monachis & paucis monialibus alēdis, hoc est, porcis saginandis destinatum, nunc ciuitas est, circiter mille ducentis ciuibus, honestis ædificiis quamplurimis, omnis generis artibus mechanicis, variis mercibus, earúmque institoribus & mercatoribus, aliisque rebus necessariis referta, & exornata. Quibus rationibus hoc etiā non incommodè addi posse arbitramur, propter causas iam cōmemoratas, ipsum D. Zanchium p.m. ciues Franckenthalienses singulari semper amore fuisse complexū, adeò, vt, (nisi valdè nos fallat opinio) si ipse viuus hunc suum fœtū emisisset, nullis aliis, quàm vobis eum donaturum inscripturúmque fuisse iudicemus.

II. Sed nunc ad alteram causam eámque longè grauiorem accedamus. Posterius igitur est, quòd omnes materiæ Theologicæ, quæ in hoc volumine explicātur in nullos meliùs, quā vos, vestrasque Ecclesias quadrare, ac propterea vos lectores, vos approbatores, vos iudices, defensorésque exigere videantur. Paucis autē hoc nobis de-

Causæ Dedicationis.

monstrandū,& singula quæ in hoc opere tractantur,breuiter percurrenda. Ac primò quidem loco,se offerunt in vniuersam sacram scripturam prolegomena,in quibus diuina eius autthoritas perspicuis argumentis ostenditur, & obiectiones Pontificiorum, suam Ecclesiam,suasque ἀγράφους traditiones, perpetuò crepantium, solidè diluuntur. Quid verò hac explicatione vobis gratius & iucundius esse possit? Retrò numerate secula,& cùm vestra,tum maiorum vestrorū cum Romanensibus certamina ob oculos ponite,& in recentem memoriam reuocate. Quoties aduersarii, vt certam fidei πληροφορίαν vobis excuterent, Ecclesiam catholicam,Ecclesiam catholicam,vt quondā Iudæi ἀλαζονευόμενοι templum Domini,templum Domini ingeminarūt? Iucundū igitur erit hîc ea arma perlegere,quibus olim veritatis hostes fortiter expugnastis,&porrò ingruente necessitate expugnare potestis.Summa est,iuxta cōsilium Iesaię cap.8.ad legem & testimonium esse prouocandum, quod si non fecerimus, lucem matutinam animis nostris non exorituram̄. Accedit secundo loco præfatio in Iesaiā, in qua de officio docentium & dicentium in Ecclesia Dei,piè & vtiliter differitur.Quæ duo cū re ipsa coniunctis animis & studiis hactenus per Dei gratiam expresseritis, dubium non est,quin amplissimas eius benedictiones in Psalmo 133.consignatas,magna cum voluptate persentiscatis.Sequitur tractatus de Ecclesia:in quo,primū vera Ecclesia, à falsa:pura ab impura:adultera,à dilecta sponsa prudēter & manifestè discernitur: deinde primatus Romani Pontificis fictitius, planéque ementitus refutatur: tertiò denique vera Ecclesiæ disciplina,& quid de excommunicatione statuendum sit, ex verbo Dei, & primitiuæ Ecclesiæ praxi, dilucidè explicatur. Quæ omnia & singula, si quis ad vos nihil attinere contēdat,neget etiam,si libet,solem meridie lucere. Vos enim impurissima Babylone relicta,in partes veræ Ecclesiæ,secundùm verbum Dei reformatæ,iamdudum transiistis. Vos hominem illum peccati, & mancipium Satanæ toto pectore auersantes,solum Iesum Christum,vnicum vestrum mediatorem, & caput Ecclesiæ suæ agnoscitis. Vos denique licet alias Ecclesias diuersùm quid sentiētes, aut propter impedimenta quædam & obstacula remissiùs agentes,non planè cōdemnatis: cōuenientem tamen ordinem pro virili obseruatis, & ipsam quoque excommunicandi rationē (quam tamen non nisi in summa necessitate, & quidem omnibus aliis mediis & remedis frustra adhibitis ac tentatis: itémque non nisi prius inuocato diuini numinis auxilio,& negotio cum vicinis Ecclesiis cōmunicato,prudenter & circumspectè vsurpandam esse nouistis, ex mandato Christi, & Apostolica praxi retinetis, atque ea ratione, cum puritate doctrinæ,quæ est anima Ecclesiæ, necessarios hos disciplinæ neruos coniungendos esse,quicquid Diabolus & impii,quorum hæ sunt voces Ps.2.

Vincula quin fortes horum disrumpimus, aiunt,
Nostrisque lora demimus ceruicibus?

contra fremant & obmurmurent,sapientissimè iudicatis. Subiunguntur postea breues quædam explicationes,de promissionibus Dei, & eiusdem comminationibus, déque imprecationibus(quas Poëtæ Diras appellāt) quæ in Prophetis & Psalmis subinde occurrunt:quæ singula vobis etiam non difficile fuerit applicare.Promissiones enim diuinæ benedictionis non tantùm fide vobis applicuistis:sed etiam ampliores,quàm sperare fuissetis ausi,in bonis temporalibus & æternis,reipsa experiemini. Adeò verū est illud Apostoli: Pietatem esse ad omnia vtilem,& habere promissiones,tùm huius,tùm æternæ vitæ. Comminationes verò illius, qui est instar ignis consumentis stipulas,nimis veras aliquando deprehēdistis,cùm propter ingratitudinem aliaque peccata præcedentia clarissima illa patriæ vestræ luminaria è candelabris suis deturbauit, celeberrimas vrbes &arces munitissimas diruit,pagos villasque agricolis partim extinctis,partim dispersis,vastauit,ditissimos quosque ad extremam inopiam redegit, reliquos aut variis modis per crudeles Hispanos afflixit,aut in remotissimum exilium coniecit. Ita scilicet eos punire solet Dominus, qui in peccatis suis præfractè perseuerantes nolunt osculari filium Dei,nec

Discere iustitiam moniti,Christúmque vereri.

Quoties etiam vobis in summis angustiis & calamitatibus constitutis, imprecationes etiam nonnullæ,sed intempestiuiores,contra hostes veritatis exciderunt. Tanta enim est vis crucis, vt sæpenumero fidelibus vel inuitis (quod tamen fieri non oportebat) eiusmodi intemperiem exprimat. Tantæ molis est refractariam carnem domare & spiritui se per omnia subiicere Eas tamen imprecationes,in posterum cum Dauide corrigere &ad verbi Dei normam reuocare didicistis. Accedunt postea quædam alia opuscula

cula,quæ tamen vobis non immeritò adſcribuntur. Primùm eſt,de iuſtiſſima Iudaici populi reprobatione,eiúſque cauſis,quæ à miniſtris veſtris ex vndecimo c.ad Rom. diligentiſſimè inculcantur. Secundum,de Magiſtratu,eiúſque officio,contra Anabaptiſtas,qui apud ſimplices quidem & ſuæ ſectæ ignaros,Magiſtratū ſummo ſe honore afficere ſimulant: interim verò apud ſuos,nullū hominē pium eo munere poſſe bonâ conſcientia defungi,quia malo reſiſtere prohibeamur,palàm confitentur. Hanc autē fœdam ipſorum hypocriſin aut potius,vt nonnulli volunt,ſupinā ignorantiam,quis in Palatinatu,Viro illo præſtātiſſimo,& eloquētiſſimo D.Petro Datheno, primo Eccleſiæ veſtræ Belgicæ miniſtro,meliùs aut feliciùs detexit? Ita vt laus profligati ex Palatinatu Anabaptiſmi,ita dirigente Pio illo Electore FRIDERICO,vobis ferè in ſolidum,veſtriſque paſtoribus adſcribi debere videatur. Tertium eſt de piorū & impiorū diſcrepantia,quotieſcunque à Deo in hac vita, cruce & calamitate premūtur. Neque verò hanc doctrinam vobis ignotam eſſe iudicandū eſt,quorum pietas & fraterna dilectio in pauperibus Chriſti membris alendis & refocillandis,non in Palatinatu tantùm,ſed in peregrinis etiam regionibus tantoperè cōmendatur. Atque hoc exploratiſſimum eſt verè electorū κριτήριον, non ſolùm patienter ferre, quæ à Deo imponuntur iuxta illud Dauidis,Pſal.39.verſ.10. *Tacui & obmutui, quia tu feciſti Domine*:ſed pauperibus & afflictis etiam fratribus,præcipuè verò fidei domeſticis, omnis generis eleemoſynis & ſubſidiis libenter & ex animo ſuccurrere. Quartum ſequitur de furto eiúſque ſpeciebus,qui articulus ad omnes omninò Eccleſias ſpectat. Quintum & poſtremum horū opuſculorum de ſortibus agit:quibus etiam veſtra Eccleſia (ſuo modo) in eligendis Senioribus & Diaconis, implorato ſemper diuino auxilio , non infeliciter vtitur,vt & Eccleſiæ ſua libertas,& collegio miniſtrorū & Seniorum (quod Conſiſtorium vocant) ſua authoritas ſarta tecta conſeruetur. Tandē his omnibus pertractatis, colophonis loco imponitur prolixa illa non tam diſputatio , quàm contentio, inter D.I.Marbachium ſuperintendentem & Profeſſorē Argentinenſem,& D.Zanchium coram diuerſis arbitris & arbitratoribus (vt à Iureconſultis appellantur) de nonnullis capitibus inter nos & Lutheranos controuerſis,multis mēſibus agitata, ac tandem per vicinorum Principum & rerumpub. Theologos tāquam mediatores aliquatenus compoſita. Nec abſimilis fuit olim veſtrorum miniſtrorum D. Iohannis à Laſco,D.Petri Datheni,D.Valerandi Pollani, & aliorum cū Francofurtenſis Eccleſiæ Paſtoribus,eodem ferè tempore,& ex iiſdem ferè occaſionibus,nimirum ex libris Heshuſii,VVeſtphali,& ſimiliū exorta diſſenſio, quæ ſicut D.Zanchium tandē Heidelbergam honorificè vocatum, Argentina,ſic etiā vos veſtróſque doctores,Francofurto,diſcedere coegit. Benedictus autem ſit Deus,& pater Domini noſtri Ieſu Chriſti,qui fidelibus ſuis exulibus tam benignum hoſpitiū in Palatinatu præbuit, & etiamnum præbet,& Senatum etiam Francofurtenſem ad Eccleſiam tàm Gallicam, quàm Belgicam poſtliminii iure recipiendam & fouēdam pro æterna ſua miſericordia tandem flexit ac permouit. Videris ergo Ampliſſimi & conſultiſſimi viri,vóſque fratres honorandi,quæ,quantæque cauſæ nos impulerint,vt non contemnendum hoc ſoceri & parentis noſtri piæ memoriæ volumen , ſenatui populóque Franckenthalienſi , eâ, qua par eſt,ſubmiſſione & obſeruantiâ conſecraremus. Vos igitur,quod ſupereſt, ex animo rogamus,vt hoc munus literariū,non à nobis,ſed à D.Zanchio,inſigni Theologo Palatino, vobíſque olim coniunctiſſimo, profectū, eo quo à nobis offertur animo,hoc eſt,ſincero & beneuolo accipiatis,nóſque omnes & ſingulos ſolito veſtro fauore & beneuolentia proſequamini. Valete Magnifici,Ornatiſſimi,veréque reuerendi viri,Deus Opt.Max. vos quàm diutiſſimè conſeruet incolumes , & ad nominis ſui gloriam,ſanctis veſtris laboribus cumulatiſſimè benedicat. AMEN,

Veſtra Mag. & Reuer.
obſeruantiſſimi, & ſtudioſiſſimi
Hæredes Zanchiani,
Georgius Gabelus Eccleſiæ Mosbacenſis in hac præfectura Paſtor.
Ludouicus Zanchius.
Hieronymus Robertus Zanchius Eccleſiæ Germanicæ in S.Lamperto Miniſter,

HIERONYMI ZANCHII IN MOSEN ET VNIVERSA BIBLIA, PROLEGOMENA.

DVABVS de rebus, optimi Auditores, mihi libros Mosis interpretaturo, præfandum est: primùm de S. Bibliis in vniuersum: deinde speciatim de ipso Mose, deque eius libris.

I. Atque, vt de sacris Bibliis in vniuersum priore loco dicam: principiò quid sacrorum Bibliorum nomine in Ecclesia dicatur, neminem latet, illud nimirum Volumen, quod vtrumque, vt vocant, Testamentum, in certos libros digestum, complectitur. Hoc volumen multis præclaris nominibus ornatur à Spiritu sancto. 1. Nam sæpenumero nomine ab ipso autore sumpto, appellatur simpliciter verbum Dei, vt patet in Prophetis & Euangelistis. 2. Aliquando verbum Christi, Rom. 10. 3. Nonnunquam verbum & doctrina Spiritus sancti. 4. Appellatur etiam à duabus partibus, quibus constat, vetus & nouum testamentum, vt in Epistolis Pauli. Certè omnia volumina Mosis & Prophetarum, Paulus appellauit vetus testamentum, 2. Corinth. 3. cum ait: *In lectione veteris testamenti velamen positum est supra cor eorum.* 5. Aliquando lex & Euangelium, de prima parte, Christus: *In Lege quid scriptum est?* de altera, Paulus, sæpè totam doctrinam noui testamenti Euangelium vocat. 6. Sæpissimè simpliciter Scriptura appellatur à Christo & Apostolis: Ioha. 5. *Scrutamini Scripturas.* Galat. 4. *Sed quid dicit Scriptura?* 7. Non rarò vocatur Scriptura sancta Rom. 1. Quod antea promiserat per Prophetas in Scripturis sanctis. 8. Aliquando sacræ literæ, 2. Timoth. 3. τὰ ἱερὰ γράμματα οἶδας. 9. Aliquando Scriptura diuinitus inspirata: γραφὴ θεόπνευστος. 2. Timot. 3. *Omnis Scriptura diuinitus inspirata.*

Licet autem iis nominibus speciatim Apostoli & Christus scripturas veteris testamenti appellarint; tamen iisdē etiam nominibus nunc in Ecclesia intelliguntur, Scripta Apostolorum, quod perinde Apostolorum atque Mosis & Prophetarum scripta sint verbum Dei & à Spiritu sancto Apostolis inspirata, & per Apostolorum manus literis mandata.

Cæterùm vsus obtinuit, vt hoc volumen integrum Græca voce καθ' ἐξοχὴν & κατ' ἀντονομασίαν Βιβλία appelletur.

Hæc de vulgato nomine, & Epithetis huius voluminis. Nunc venio ad partitiones.

II. Hoc integrum volumen quadrifariam secatur.

1. Prima partitione in duas secatur partes, in libros veteris, & in libros noui testamenti. Partitio hæc est perspicua & Apostolica 2. Corinth. 3. *In lectione veteris testamenti manet velamen.* Nouum igitur iure dicitur testamentum liber continens scripta Apostolorum. Nam ideò illos libros vocauit testamentum vetus, quia voluit illos distinguere à scriptis Apostolorum, quæ sunt post Iohannem. *Lex enim & Prophetæ vsque ad Iohannem*, ait Christus, Matth 11.

2. Secunda partitione, Tam illi, quàm isti secantur iterum in duas partes, in libros Canonicos, vt vocant, & Apocryphos. Canonicos vocant, quos primùm Ecclesia Israelitica, deinde etiam Ecclesia Christiana à Spiritu sancto mentibus Prophetarum & Apostolorum inspiratas & ceu dictatas, perque eorum manus conscriptas fuisse, citra omnem controuersiam semper agnouit, atque vt purum Dei verbum recepit: ac proinde quæ autoritatem habent vnde dogmata fidei constituantur atque probentur. Apocryphos vocant, qui ad Canonis autoritatem non fuerunt ab Ecclesia admissi, neque vt verbum Dei agniti, ac proinde, qui nullam habent autoritatem ad dogmata conficienda, licet & ipsi vtilem contineant doctrinam. Canonici autem illi ideò vocantur, quòd sint in Canone eorum voluminum, quæ à viris quidem sanctis conscripta fuēre, sed non nisi à Spiritu sancto dictata fuisse, Catholica semper nouit ac profitetur Ecclesia. Isti verò Apocryphi (quæ vox absconditum significat) propterea appellantur, quod Ecclesia, licèt eos neque impios neque inutiles esse iudicarit, quia tamen illorum origo abscondita erat, hoc est, quia Ecclesia non agnoscebat, eos esse sicut reliquos, à Spiritu sancto dictatos, iccircò etiam non permittebat, eos palàm in templis: sed tantùm à quibusuis secretò, hoc est, domi suæ legi, vt ipse etiam Cyprianus in Expositione symboli testatur.

Qui porrò sint Canonici, & qui Apocryphi, id cùm apud Ecclesiasticos Scriptores, tum in multis Conciliis, tum denique in ipso limine sacrorum Bibliorum, præsertim Latinè & deinde Germanicè scriptorum, videre est. Ac quod attinet libros veteris testamenti, primùm constat omnes illos esse Canonicos, qui citantur à Christo & Apostolis. Citantur autem ferè omnes, qui sunt in Canone Hebræorum. Quot verò & qui sint in Canone apud Hebræos, Iosephus Iudaicus, qui maximæ semper, non solùm apud Iudæos, sed etiam apud Christianos Scriptores, fuit autoritatis, in libro de Antiquitatibus Iudæorum, contra Apionem Alexandrinum Grammaticum, primò, enumerat Canonici libri qui & qui sint.
atque docet, dicens, eos esse tantùm 22. numero, iuxta numerum etiam Hebraicarum literarum. Et hos ait esse, primùm Mosis libros quinque, quos Hebræi à præcipua materia, quæ ibi traditur, *Thorah* Legem, Græci verò à numero librorum πεντάτευχον appellarunt, deinde libros Prophetarum 13. postremò alios quatuor, qui hymnos, vt ipse loquitur, in Deum, καὶ ὑποθήκας τοῦ βίου τοῖς ἀνθρώποις περιέχουσι, hoc est, præcepta vitæ humanæ continent. Sed quinam ij sint, clariùs explicatur tàm apud Hebræos, quàm apud Græcos & Latinos Scriptores. D. Hieronymi Prologus in libros Regum, quem ipse Galeatum appellat, est in tertio Tomo Operum D. Hieronymi, & præponi solet omnibus ferè sacris Bibliis. Ibi Hieronymus, secutus Canonem Hebræorum, confirmat, 22. tantùm esse libros apud Hebræos in suo Canone, quemadmodum etiam 22. tantùm sunt literæ. Et hos enumerat, dicens, Primum esse, *Bereschith*, hoc est, vt nos vocamus, Genesin. II. *Veelle schemoth*, quem nos Exodum dicimus. III. *Vaiikrah* quem nos Leuiticum appellamus. IV. *Vaiedabber*, quem Numeros vocamus. V. *Elle haddebarim*, qui Deuteronomium prænotatur. Hi sunt libri quinque Mosis. VI. *Iehoschuha.* VII. *Sophetim*, hoc est, librum Iudicum, & cum hoc coniungunt *Ruth*, quia in diebus Iudicum facta eius narratur historia. VII. *Schemuel*, quem nos primum & secundum Regum dicimus. Sed Hebræi tanquam vnum tantùm librum commemorant in Canone. IX. *Melachim*, id est Regum, quem nos tertium & quartum Regum appellamus. X. Iesaiam, XI. Hieremiam, XII. Ezechielem, XIII. librum 12. Prophetarum, qui ab Hebræis appellatur *There hasar.* XIV. Iobum, XV. Dauidis Psalmos, quos Hebræi vocant *Thehilim.* XVI. Solomonis *Mischle*, id est Parabolas seu Prouerbia. XVII. *Coheleth*, hoc est, Ecclesiasten. XVIII. *Shir hasshirim*, id est, Canticum Canticorum. XIX. Danielem, XX. *Dibre haiamim*, hoc est, Verba Dierum, quod, vt Hieronymus ait, significantius χρονικὸν totius diuinæ historiæ possumus appellare, Librum hunc appellamus παραλειπομένων, I. & II. XXI. Esdram, qui & ipse in duos libros apud Græcos & Latinos diuisus est, cùm vnus tantùm esse reputetur apud Hebræos. XXII. Hestera.

Hic est antiquus Canon diuinorum librorum apud Hebræos, de quibus nulla vnquam fuit dubitatio, quanquam, (vt inquit Hieronymus) quidam in horum Ca-

none

none ponunt etiam Librum *Kinoth*, hoc est, Lamentationes Hieremiæ Prophetæ: & coniungunt eum libro Hieremiæ. Extra hos libros, ait Hieronymus, quicquid reperitur, inter Apocrypha est ponendum. Itaque concludit librum Sapientiæ qui inscribitur Solomoni: & Ecclesiasticum, qui etiam vocatur Sapientia Iesu filij Sirach, & Iudith: & Thobiam pro Canonicis habendos non esse, ac multò minus libros Machabæorum.

Atque hanc Hieronymi, iuxta Hebræorum Canonem, sententiam de Canonicis & Apocryphis libris veteris testamenti, probatam fuisse toti Ecclesiæ, inde etiam manifestum est, quod Prologum hunc in libros Regum voluit sacris Bibliis præfigi, vt omnes intelligerent, qui in Canone, & qui extra Canonem habendi essent.

Neque etiam plures illis 22. Canonicos agnouerat lõgè ante D. Hieronymum, D. Cyprianus Episcopus & Martyr, vt est videre in explicatione Symboli, cùm exponit ea verba, *Credo in Spiritum sanctum, Sanctam Ecclesiam*. Et postquam enumerauit etiam volumina noui testamenti, concludit dicens: *Hæc sunt, quæ Patres intra Canonem incluserunt, ex quibus fidei nostræ assertiones constare voluerunt*. De aliis ait: *Maiores voluisse quidem eos legi, sed non proferri ad autoritatem ex ijs fidei confirmandam*.

Eusebius Cæsariensis libro tertio Ecclesiasticæ historiæ, cap. 10. eundem numerum Canonicorum librorum iuxta sententiam Iosephi probat. Neque plures aut alios enumerat ipse.

Epiphanius in suo Panario Tom. prim. libri primi, hæresi 8. quæ fuit Epicuræorum, idem habet, nisi quòd cum Hieremia coniungit etiam eius *Kinoth*, id est, Lamentationes, & Epistolas Baruch: Et concludit, omnes numeratos libros esse 22. iuxta numerum Hebraicarum literarum.

Idem Pater, in libro de Mensuris & Ponderibus, eundem etiam numerum & ordinem librorum Canonicorũ tradit: atque egregiè explicat, quomodo, cùm essent numero 27. redacti sint ad 22. nullo tamen excepto.

Idem Epiphanius in eodem de Mensuris & Ponderibus libro, pulchrè explicat mysterium huius numeri vicenarij cum binario, ac dicit, Deum in Creatione Mundi intra sex dies creasse 22. opera. quæ & enumerat. & iis 22. operibus contineri omnia, quæ fecit Deus in cœlis & in Terra, in Mari, & in abyssis, in luce, & in tenebris: & in omnibus. Dum etiam manifestasse per angelum Mosi, 22. fuisse capita familiarum ab Adamo vsque ad Iacobum, qui Israel fuit cognominatus: vnde populus Dei natus est, quæ capita etiam enumerat, hoc est, 22. generationes. Ita 22. sextarios in vno medio Deum voluisse contineri. Proinde ad eundem numerum datas etiam literas Hebræis, & enumeratos esse libros, traditos illis à Domino Deo.

Hieronymus quoque in Prologo Galeato de quo paulò antè diximus, imitatus Epiphanium, de hoc numero multa tradit. Sicut Hebræi 22. literas habent: sic etiam Syros & Chaldæos: Samaritanos quoque totidem literis Pentateuchum Mosis scriptitare: Et in libro Numerorum hanc eandem supputationem sub sacerdotum & Leuitarum consensu, mysticè ostendi. Psalmos etiam aliquot, vt 36. 110. 111. 118. 144. eiusdem numeri alphabeto contexi. Item Lamentationes Hieremiæ, & eiusdem Orationem: Solomonis quoque in fine Prouerbia, ab eo loco, in quo ait, Mulierem fortem quis inueniet? eisdem alphabetis & incisionibus, 22. supputari. Iure igitur etiam libros diuinos iuxta hunc numerum fuisse traditos & numeratos.

Totidem & eosdem libros Canonicos veteris testamenti enumerat Hilarius in suo Prologo in Psalmos.

In Concilio etiam Laodiceno, quod celebratum fuit anno 370. nempe sub finem Pontificatus Liberij, aut saltem initio Pontificatus Damasi Papæ, qui fuit tempore Hieronymi, non alij, neque plures ponuntur in Canone, quàm suprà etiam vidimus ab Hieronymo, Epiphanio & Cypriano numeratos fuisse. Fuit autem ibi editus Canon 59. vt non legantur, inque autoritatem recipiantur, nisi libri Canonici, & ex veteri testamento illos tantùm, quos antè enumerauimus, Canonicos esse pronunciarunt illi Patres. Quare quòd postea in Concilio Carthaginensi tertio, quod celebratum fuisse legitur circa tempora Syricij illius Papæ, qui legem tulit de Clericorum cœlibatu, inter Canonicos libros recepti fuerunt etiam Sapientia Solomonis & Ecclesiasticus, quem etiam inter Solomonis libros connumerant: cùm tamen apertè constet, fuisse Iesu filij Sirach: item duo libri Machabæorum: & quòd iidem in aliis quoque Conciliis inter Canonicos connumerati sint, & à Pontificibus Romanis recepti: vt primùm ab Innoc. I. inter sua decreta: quemadmodum in Epistola ad Exsuperium Tholosanum Episcopum cap. 7. habetur, deinde ab aliis: viderint ipsi, quâ autoritate id fecerint. Certe neque vnquã Ecclesia Israel, neque vetus Ecclesia Christiana hos agnouit inter libros Canonicos, & à Spiritu sancto dictatos: vt antea vidimus. Et Cyprianus antiquissimus Scriptor, disertissimè scribit in Expositione Symboli de Sapientia Solomonis, & Sapientia Siracidæ: & libris Machabæorum: & aliis huius secundæ classis libris, eos quidem legi posse in Ecclesia: sed nihil ex eis posse proferri ad autoritatem fidei confirmandam. Id quod postea etiam Hieronymus fecit in suo Galeato: & Concilium Laodicenum in Can. 59.

Tom. concil. I. pag. 991. in catal. Gelasij, excluditur secundus Machabæorum.

Proinde quod etiam D. Augustinus Tom. 3. de Doctrina Christiana lib. 2. cap. 8. inter Canonicos libros collocat Thobiam, Iudith am, & Machabæos: ideo fecit, quia suo tempore iam permultæ Ecclesiæ, præsertim Africanæ & Latinæ eos receperat pro Canonicis, id quod apparet ex Regula: quam ibi tradit: & quæ registratà fuit in Decretis dist. 19. in Canonicis. Atque hinc apparet apertissimè, Ecclesiam errare posse. Vetustior enim Ecclesia non dubitauit, sed certò sensit, hos libros non esse Canonicos: posterior posuit inter Canonicos: annon hæc sunt contradictoria? Sed ego retineo regulam Tertulliani: *Id esse verum, quodcumque prius: id esse adulterinum, quodcumque posterius*. Proinde malo (vt ita loquar) errare cum veteri & pura Ecclesia: quàm benè sentire cum posteriori atque corruptiori. Nunc tenemus, qui sint in Canone, & qui Apocryphi ex libris veteris testamenti.

De libris noui Testamenti faciliùs & citiùs qui Canonici sint & qui non, explicatur iudicium. Extra controuersiam semper fuit apud omnes scriptores Ecclesiasticos, & legitimas synodos, hos esse Canonicos:

IV. Euangelistarum libros: hoc est, Euangelium Matthæi, Marci, Lucæ, & Iohannis:

Acta Apostolorum per Lucam conscripta:

Epistolas Pauli omnes, præter illam quæ est ad Hebræos:

Epistolam Petri priorem:

Iohannis priorem.

Hæc scripta pro indubitatis habentur, inquit Eusebius Cæsariensis lib. 3. cap. 25. Ecclesiast. histor. De Epistola verò Iacobi, & de posteriore Petri, & de altera ac tertia Iohannis, deque Epistola Iudæ, & ea quæ est ad Hebræos, postremò de ipsa Iohannis Apocalypsi, dubitatum à multis fuit, in ipsa quoque primitiua Ecclesia, an ab ipsis Apostolis scriptæ fuissent, ac proinde an deberent pro Canonicis recipi, necne: vt testatur Eusebius Cæsariensis lib. 3. cap. 25. Et Tertullianus antiquissimus scriptor libro de Pudicitia, Epistolam ad Hebræos adscribit Barnabæ, qui comes fuerat Paulo in prædicando Gentibus Euangelio. Et Hieronymus in cap. 6. Iesaiæ de eadem Epistola sic scribit: (Quam, scilicet Epistolam, Latina consuetudo non recipit. Idem in Tom. 1. libro de Ecclesiasticis Scriptoribus, de eadem Epistola ita scribit: Epistola autem quæ fertur ad Hebræos, non eius, scilicet Pauli, creditur: propter styli sermonisque distantiam: sed vel Barnabæ, iuxta Tertullianum: vel Lucæ Euangelistæ, iuxta quosdam: vel Clementis, Romanæ postea Ecclesiæ Episcopi, quem aiunt, Sententias Pauli proprio ordinasse & ornasse sermone.) Hæc ille, quanquam ibidem etiam dicit fieri posse, vt fuerit Pauli: sed quod suum suppresserit nomen, vitandæ inuidiæ gratia fecisse, cùm esset Hebræis multis inuisus.

De Epistola altera & tertia Iohannis idem Hieronymus libro de Ecclesiast. Scriptor, ait: creditum in Ecclesia, eas fuisse Iohannis cuiusdam presbyteri. Harum etiam duarum Epistolarum non meminit Eusebius in vita Iohannis Euangelistæ.

De Apocalypsi Ioannis quot & quanti Patres dubitarint, & alij reiecerint, legatur Erasmus in Annotatione in Apocalypsin: ad quæ tamen omnia testimonia doctissimè & piè respondit Beza in suis Annotationibus. Nam multos alios antiquissimos etiam Patres

illam agnouisse, esse Ioannis Apostoli, docet tum Hieronymus in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum, qui ait, Iustini Martyris & Irenæi etiam commentariis illustratam fuisse: tùm Eusebius, qui libro 3. cap. 25. ait, eam à nonnullis fuisse reprobatam, ab aliis autem certis & indubitatis scripturis adiudicatam. Doctissimus etiam Bullingerus in ipsam Apocalypsin multis & testimoniis & rationibus, Iohannis Euangelistæ fuisse, demonstrat.

Idem de Epistola Iacobi & Iudæ iudicium fuit multorum. Cæterum postea hos omnes libros Noui testamenti pro Canonicis receptos fuisse in Ecclesia, manifestum est ex catalogo librorum canonicorum in conciliis permultis, Carthag. III. & ex catalogo Augustini de doctrina Christiana, lib. 2. cap 8. imò & longè antè ex Indice Cypriani in expositione Symboli. Neque id contra Antiquitatem est: quoniam etsi multi ex antiquissimis Patribus de illis dubitarunt: multi tamen alii eos vt Canonicos agnouerunt: vt paulò antè ostensum est. Id quod dici non potest de libris Veteris testamenti, vt de libris Machabæorum, qui in Canone nunquam fuerunt Hebræorum: & à tota Antiquitate pro Apocryphis habiti. Hoc tamùm adiectum volo apud multos, maioris autoritatis esse illos libros, de quibus nihil dubitatum fuit in veteri Ecclesia, quàm alij sint.

Atque hæc satis de secunda sacrorum Bibliorum partitione, quæ est in Canonicos & Apocryphos.

Rursus tertia partitione secantur ab Hebræis omnia scripta Canonica in tres classes: in quarum prima collocant libros Mosis: quos non solùm *Thorah*, à præcipua materia quam tractant: sed etiam à numero quinario quo constant *chomesch*, sicut & Græci πεντάτευχον appellant. In secunda classe ponunt libros prophetarum, quorum etiam duplicem faciunt ordinem: nempe priorum, quos *Nebiim rischonim* vocant: & posteriorum: quos *Nebiim acharonim* appellant. Nomine autem priorum prophetarum, intelligunt Iosuam, Iudices: Samuelis libros duos: & *Melachim*, hoc est Regum libros duos: nomine verò posteriorum intelligunt Iesaiam, Ieremiam, Ezechielem, & 12. minores, quos etiam à numero duodenario appellant.

In tertia autem classe ponunt ἁγιόγραφα. Hagiographa autem vocant Iobum, Psalmos, Prouerbia, Ecclesiasticum: Canticum Canticorum, Paralipomena, Esdram, Hester. Hunc triplicem ordinem Librorum veteris Testamenti recitat Hieronymus ex Hebræis in suo prologo Galeato. Eo autem libentiùs hunc ordinem amplector, quod etiam Dominus Iesus totum vetus testamentum in has tres ordines distinxit. Matth. 11. 22. Luc. vlt. sic ait: O stulti & tardi corde ad credendum iis, quæ scripta sunt in lege, & prophetis, & psalmis (psalmi enim inter hagiographa numerantur) de me.

Quando autem, & per quem in hunc ordinem redacti fuerint ij libri veteris testamenti, operæ pretium est explicare. Tradunt Hebræi, in hunc ordinem digestos fuisse post reditum populi è captiuitate Babylonica per Esdram. Cùm enim multi libri interiissent eo tempore, quo Ciuitas Hierusalem & templum per Regem Babyloniorum fuerunt exusta: illi tantùm Dei prouidentiâ fuerunt asseruati, qui populo erudiendo fuerant necessarij. Hos libros cùm iam è Babylonico exilio reuersus esset populus, Esdras in istum ordinem, quem superiùs explicauimus, redegit, nimirùm ita, vt eorum numerus 22. literis Hebraicis responderet. Hebræi hunc ordinem atque numerum sacrorum Bibliorum, vocant Canonem. Hunc verò Canonem postea iidem Hebræi per tres classes distinxerunt.

Nunc tenemus & numerum & ordinem sacrorum Bibliorum veteris testamenti: & per quos & quando in hunc ordinem fuerint digesti.

Lyranus in Genesin. vt huius quoque partitionem non omittamus. ita distinguit Biblia: vetus testamentum in libros Legales, historicos, & Sapientiales, vt vocat, seu parabolicos. & propheticos. Nouum item testamentum in quatuor partes, quæ respondent illis quatuor partibus veteris testamenti, nempe in Euangelium, quod in quatuor Euangelistis traditur. in historias, quæ sunt acta Apostolorum, in libros Sapientiales, qui sunt epistolæ Apostolorum, & in propheticum, qui est Apocalypsis. Hoc παρέργως adiectum esto.

Quarta autem distinctio Bibliorum est in legem & in Euangelium. Hæc tritissima est, eáque optima, & est distinctio potiùs materiæ seu doctrinæ, quæ continetur in sacris Bibliis, quàm librorum, quòd quidquid in sacris Bibliis continetur, ad hæc duo capita redigatur. Vbique enim sacrorum Bibliorum vel præcepta traduntur de vitandis ac persequendis, in quibus duobus posita est Lex, hoc est, tota ratio rectè viuendi: vel si legem transgrediamur, proponitur beneficium Christi, quo primum peccata remittuntur: deinde etiam vis Spiritus sancti donatur, quá imago perdita in nobis restauratur. In iis autem duobus consistit summa Euangelij.

Atque hæc de partitione Bibliorum, quæ quadruplex est, prima in vetus & nouum Testamentum: secunda in Canonicos & Apocryphos: tertia in legales, propheticos, & hagiographos: quarta, in Legem & Euangelium.

III. Nunc methodus ipsa postulat, vt demonstremus, per quos & quando & quo idiomate ij Canonici libri scripti fuerint.

De Pentateucho, constat partim ex sacris literis, partim ex monumentis Hebræorum, Mosen iam senem in deserto. quidam addunt speciatim, in terra Moab, Hebraicâ lingua illum scripsisse.

Eodem tempore volunt nonnulli librum Iobi aut ab ipso Iobo, aut ab alio aliquo ipsius Iobi nomine in Idumæa conscriptum fuisse, linguâ partim Hebraicâ, partim Arabicâ, partim Syra.

Sunt etiam, qui putant, Mosen huius autorem fuisse.

Defuncto Mose, Iosua res à se præclarè gestas vno libro complexus est Hebraicè.

De libro Iudicum Hebræi tradunt, illum à Samuele conscriptum fuisse linguâ Hebraicâ. Alij v, numquemq. Iudicem suorum temporum res gestas scripsisse: Samuelem postea omnia illa Iudicum monumenta in vnum volumen redegisse: & ita etiam librum Ruth ab eodem compositum fuisse.

Cæterùm libros illos duos, qui Samuelis appellantur ab Hebræis, à Latinis Primus & Secundus Regum, ab ipso Samuele fuisse vsque ad suum ipsius obitum conscriptos, nemini dubium est. Absolutum verò fuisse alterum librum à Dauide, tradunt interpretes.

Duo Regum libri, quos nos tertium & quartum appellamus, fuerunt compositi partim à Dauide, partim à Salomone, partim à reliquis prophetis, qui eo fuerunt tempore: ita vt quisque res suo tempore gestas monumentis mandarit. Hæc est Hebræorum & omnium ferè interpretum sententia.

Psalmos Dauidis variis temporibus ab ipso Dauide compositos, per eos verò, quorum nomina in Inscriptionibus leguntur, decantatos, ab Esdra verò tandem in vnum volumen collectos atque digestos fuisse creditur.

De Salomone quin ipse sua prouerbia, Ecclesiasten, Canticum Canticorum linguâ Hebraicâ scripserit, nemo dubitat: cùm hoc apertè tradat sacra scriptura in libro Regum, & alibi.

Iesaiam, Hieremiam, & reliquos prophetas, postquam concionati fuissent, suas quemque conciones in aliquâ summam seu epitomen redegisse, eásque Ecclesię asseruasse. aliás tùm ex sacris literis, tùm ex probatis autoribus demonstrauimus.

Ac Iustinus quidem Martyr ita de omnibus prophetis scriptum reliquit, in altera pro Christianis Apologia Ἄνθρωποι οὖν τινες ἐν Ἰουδαίοις γεγένηνται Θεοῦ προφῆται: δι' ὧν τὸ προφητικὸν πνεῦμα προεκήρυξε τὰ γενήσεσθαι μέλλοντα, πρὶν ἢ γενέσθαι. καὶ τούτων οἱ ἐν Ἰουδαίοις κατὰ καιροὺς γενόμενοι βασιλεῖς τὰς προφητείας ὡς ἐλέχθησαν ὅτε προεφητεύοντο, τῇ ἰδίᾳ αὐτῶν Ἑβραΐδι φωνῇ ἐν βιβλίοις ὑπ' αὐτῶν τῶν προφητῶν συντεταγμένας κτώμενοι, περιεῖπον.

Vbi autem, & quoto quisque tempore concionatus sit, nunc explicare non est necesse. Satis est, hoc in præsentia retinere, vnumquemque prophetam suas conscripsisse conciones, vel saltem saltem concionum summas. Nunc tenemus, per quos sint scripta Biblia veteris Testamenti, per quem in Canone posita, & per quos in illas tres classes distincta.

Cæterùm multò plura volumina, quã nũc habeamus, scripta fuisse, tùm à Mose, tum à Salomone, prophetis, & aliis scriptorib. Ecclesiasticis, nemini, qui Biblia legerit & obseruarit, dubiũ est: cùm in eis multorum librorum mentio fiat, quorum tamen vestigia nulla exstant.

Moses

Moses enim in Numer. cap. 21. mentionem facit libri Bellorum Domini: hic tamen non reperitur.

Iosuæ etiã cap. 10. legitur: *Nonne scriptum est hoc in libro Iustorum?* Hic tamen interiit.

1. Paralip. 29. mentio fit libri Nathanis & libri Gadis, Prophetarum: ij tamen ad nos non peruenerunt.

Item 2. Paralip. 9. mentio fit sermonum eiusdem Nathanis Prophetæ, & prophetæ Ahiæ Silonitæ, & visionum hoc est, prophetiarum, Addo videtis: qui libri nullibi reperiuntur. Item 2. Paralip. 29.

In libro etiam Regum 3. cap. 4. de Solomone legimus, eum scripsisse 3000. sententiarum parabolicarum: & tamen non habemus nisi 800. Et carminum 5000. & tantum paucissima exstant. Item scripsisse multos philosophicos libros de arboribus omnibus, de quadrupedibus, de Volucribus, de Serpentibus, de piscibus & cæteris. Horum tamen voluminum ne vestigium quidem exstat.

Item 3000. Psalmorum Dauidis commemorantur in libro Paralip. & tamen non exstant, nisi 150. quos etiam ab amicis Ezechiæ Regis ex illis 3000 selectos fuisse, reliquis absconditis, tradit Athanasius in sua Synopsi.

Iosephus scribit, duos prophetiæ libros ab Ezechiele fuisse conscriptos, quorum vnus tantùm ad nos peruenit.

Beda Tom. 4. in Esdram lib. 2. cap. 9. scribit, de sententia Hebræorum, Isaiam præter prophetiam, librum etiam scripsisse historiarum qui nullibi reperiri possit.

Hæc etiam obseruauit D. Athanasius in sua Synopsi.

Qui verò factum est, vt tot libri perierint? Hebræi sentiunt, Templo & Ciuitate Hierosolymorum per Babyloniorum Regem exustis, Dei prouidentia seruatos qui populo erudiendo forent necessarij.

Athanasius in sua Synopsi putat, multos libros, Iudeorum socordia ac pigritia periisse. Illud satis est, tantum seruatum fuisse librorum, quantum ad viam salutis agnoscendam. & nouum testamentum confirmandum, erat necessarium.

IV. Nunc ratio postularet, vt demonstrarem, iure hos, quos Canonicos esse diximus, in Canone fuisse positos, quòd hi soli certum contineant Dei verbum: si hoc non esset extra omnem controuersiam apud fideles positum. Constat enim, Ecclesiam Dei agnouisse hos omnes libros solos & totos fuisse à Spiritu sancto dictatos: ac proinde iis & non aliis tanquam certissimo Dei verbo se subiecisse: Reliquos verò libros, quos Apocryphos appellant, sicut & scripta Patrum, non simpliciter recepisse, sed catenus, quatenus libris Canonicis consentaneos esse iudicauit. Ita enim eos probauit, vt tamen eos ad dogmata fidei probanda, sicut reapse nullam habent autoritatem: ita etiam habere noluerit, imò non habere declarauerit: vt etiam Cyprianus docuit. Non est igitur necesse, vt demonstremus, hosce libros iure fuisse ab Ecclesiâ in Canone positos, cùm omnes sciant, hos solos esse verbum Dei.

Cæterùm illud, quod ex hoc iacto firmóque fundamento consequitur, prætereundum non est: Nempe, Cùm ij Soli, quos enumerauimus, sint Canonici libri: debere igitur hos solos nobis esse Canonem, regulam, & formam totius doctrinæ Christianæ de omnibus Articulis fidei. Quod si alias doctrinæ formulas Ecclesiis atque fidelibus simpliciter recipiendas obtrudamus: maxima tùm sacras literas, tum Spiritum sanctum, sacrarum literarum autorem, tùm denique ipsam Ecclesiã, quæ solas Scripturas sacras pro Canone & regula totius doctrinæ Christianæ & agnouit atque recepit, fidelibúsque recipiendas proposuit, iniuria affecerimus. Iccircò enim hæ solæ Canonicæ appellantur, quod & solæ sint & esse debeant Canon, regula, & formula totius doctrinæ Christianæ: atque ita debeant esse solę Canon totius Christianæ doctrinæ, vt reliquæ omnes doctrinę & libri ad eam, ceu ad lapidem Lydium, sint examinandi: &, si quid ab eo Canone diuersum esse deprehensum fuerit, illud reiiciatur. Proinde in ipsis quoque legitimis & probatis Conciliis, Canones nũquam de doctrina Christiana facti sunt, & ab Ecclesia recepti, nisi quatenus testimonia certa habebant è sacris literis: quod has solas semper Ecclesia agnouerit Canonem esse totius doctrinæ Christianæ. Quare nullis Canonibus, Symbolis, Articulis, Confessionibus de doctrina Christiana, subscribere debent Christiani: nisi vel expressã vel tacitâ conditione: nempe quatenus consentanei illi sunt sacris literis: & huius rei ea est ratio quod solæ sacræ literæ vnica sunt regula, & Canon, cui simpliciter Ecclesia subiecta est, in omnibus iis, quæ ad religionem pertinent. Huc spectant infinita Patrum loca, quibus demonstrant, solis scripturis Canonicis simpliciter eam esse adhibendam fidem, vt de illorum veritate minimè dubitemus: & iis solis eum deberi honorem ac reuerentiam, vt simpliciter recipiantur: aliorum verò scripta quæcumque & quorumcũmque illa sint, ita esse legenda & recipienda, vt illis tamen conscientiæ nostræ minimè obstringantur, quin nobis liceat in illis improbare atque respuere, quæ alioqui anteà probaueramus, si ex verbo Dei meliùs edocti, illa iudicauerimus esse improbanda. Sic præter alios docuit Augustinus Tom. 2. Epist. ad Fortunatianum numero 111. [Neque enim quorumlibet disputationes, *inquit*, quamuis Catholicorum & laudatorum hominum, velut Scripturas Canonicas, habere debemus, vt nobis non liceat saluâ honorificentia, quæ illis debetur hominibus aliquid in eorum scriptis improbare, atque respuere: si fortè inuenerimus, quod aliter senserint, quàm veritas habet, diuino adiutorio vel ab aliis intellecta, vel a nobis. Talis ego sum in scriptis aliorum: tales volo esse lectores meorum.]

Item Epistola 112 [Si quid diuinarum scripturarum, earum scilicet quæ Canonicæ in Ecclesia nominantur, perspicuâ firmatur autoritate, sine vlla dubitatione credendum est: aliis verò testibus vel testimoniis, quibus aliquid credendum esse suadetur: tibi credere vel non credere licet.

Item Tom. 7. Aduersus Cresconium Donatistam Grammaticum, lib. 2. cap. 31. cùm ille protulisset locum pro suo Anabaptismo ex operibus Cypriani, sic respondit Augustinus: [Nos Cypriano nullam facimus iniuriã, cùm eius quaslibet literas à Canonica scripturarum diuinarum autoritate distinguimus. Neque enim sine causa cum salubri vigilantia Canon Ecclesiasticus constitutus est, ad quem certè Prophetarum & Apostolorum libri pertineant: quos omninò iudicare non audemus: & secundùm quos de cęteris literis vel fideliũ vel infideliũ liberè iudicemus.] Legãtur quę etiã sequũtur in c. 32.

Notum est & illud, quod habet in Epistola ad D. Hieronymum 19. quod etiam citatur in decretis dist. 9. Can. 5. Ego solis eis scriptorum, qui iam Canonici appellantur, dedici hunc timorem honoremq. deferre, vt nullum eorum scribendo errasse audeam credere; aut si aliquid in eis offerendo, quod videatur contrarium veritati, nihil aliud existimem quàm mendosum esse codicem, vel non esse assecutum interpretem, quod dictum est: vel me minimè intellexisse non ambigam. Alios autem ita lego, vt, quantalibet sanctitate, quantave doctrina polleant: non ideò verum putem, quia ipsi ita senserunt, sed quia mihi per alios autores, vel Canonicas vel probabiles rationes, quod à vero non abhorret, persuadere potuerũt &c.] Illud enim semper retinẽt fideles tanquam certissimum ἀξίωμα & firmissimum fundamentum: Solas scripturas Canonicas esse totius doctrinæ de religione certissimum Canonem: atque ita certum & vnicum Canonem, vt ad eum omnes doctrinæ, omnes cultus, omnes humanæ vitæ actiones examinari debeant: & nihil vel credendum, vel agendum, vel docẽdum in Ecclesia, quod hoc Canone non sit probatum, ac proinde iis solis hunc deberi honorem ac reuerentiam, vt eis simpliciter & sine vlla deliberatione aut exceptione subscribatur & obtemperetur ab omnibus.

At vnde, inquiat aliquis, Scripturæ Canonicę hãc habuerunt & habent autoritatem, vt eæ solæ sint & esse debeant Canon omnis doctrinæ de religione?

Antiquã est hæc, diuque & multùm agitata quæstio de autoritate Scripturæ: vnde eam habeat, an a se: an verò ab Ecclesia? idque præsertim, propter quoddam Augustini contra Epistolam Fundamenti, dictum: Ego verò Euangelio non crederem: nisi autoritas Ecclesiæ me commoueret. Aliàs etiam hanc quæstionem explicaui, nunc quàm breuissimè repetam meam explicationem idque certis propositionibus: quo res fiat dilucidior. Sed si hoc primùm diligenter obseruauerimus, hîc non vnam, sed duplicem proponi quæstionem: quarum vna est Iuris (vt ita distinguendi gratiã cum Iuris peritis loquar) altera facti: Prima est, vndenam sacris literis hæc dignitas seu autoritas sit, vt ipsę

solæ debeant haberi in Ecclesia pro certissimo canone omnis doctrinæ de religione, cui omnes subiicere sese simpliciter debeant? Altera est facti, quæ hæc est: Vndenam sacræ literæ hanc apud fideles obtinuerint autoritatem in Ecclesia, vt hæ solæ sint receptæ & recipiantur pro Canone omnis doctrinæ de religione, & sese omnes illis tanquam Dei verbo simpliciter subiiciant?

Quod primam quæstionem attinet, eam his propositionibus expedio.

Propositio

I. Quod libri Canonici sint verbum Dei, non habent ab Ecclesia, sed à Deo horum librorum autore. Etsi enim Ecclesia primùm agnouit, deinde aliis declarauit, hos libros certissimum esse verbum Dei: vt tamen sint verbum Dei, Ecclesia minimè effecit, sed Deus, qui loquutus est in patribus, qui quæ in iis libris continentur, inspirauit Moysi Prophetis, atque Apostolis: qui denique per illorum manus atque calamos, omnes hosce libros conscripsit.

II. Verbum autem Dei per se dignum est, vt sit omnibus hominibus Canon & regula omnis pietatis atque iustitiæ. Quòd igitur hi libri, sicut ipsa sunt, sic etiam debeant esse omnibus hominibus Canon & regula omnis doctrinæ de religione: non habent ab Ecclesia, sed à seipsis: quia sunt verbum Dei. Quare dignitas Canonicorum librorum, qua digni sunt, quibus omnes se simpliciter subiiciant, non est illis ab Ecclesia, sed à Deo, cuius sunt verbum & à se, quia sunt verbum Dei.

III. Proinde ij libri Canonici, sicut ab Ecclesia non habent vt sint verbum Dei: ita etiam ab ea non habent autoritatem obligandi hominum conscientias: sed à Deo, cuius sunt verbum, & à se, quia sunt verbum Dei. Solus enim Deus & ipsius verbum habent autoritatem in hominum conscientias.

IIII. Sicut igitur Ecclesia non dedit sacris literis, vt sint verbum Dei, eóque nec vt sint Canon omnis doctrinæ de religione. ac proinde neque autoritatem obligandi conscientias: ita etiam nullam in eis habet autoritatem vel immutandi, vel addendi, vel detrahendi vel dispensandi.

V. Imò ipsa quoque Ecclesia perpetuò est & perpetuò esse debet sacris literis subiecta, vt, si se ab illis subducat, aut superior illis esse velit, mox desinat esse Ecclesia Dei, & fiat Ecclesia Antichristi. Sic enim Antichristus ille esse definitur in sacris literis qui se extollit supra omne quod dicitur Deus. Ita illa Ecclesia est Antichristi, quæ suam autoritatem supra autoritatem Scripturarum, quæ sunt verbum Dei, extollit.

VI. Proprium autem Ecclesiæ Christi est, vt maneat subiecta verbo Dei. Et eatenus est Ecclesia Christi, quatenus verbo Christi subiecta manet: qua de causa columna etiam & firmamentum veritatis appellatur: quia scilicet verbum Dei firmum retinet, & ei manet subiecta.

VII. Est autem semper maior autoritas illius, cui qui subiectus est & subiici debet: quàm illius, qui subiicitur. Verbum autem Domini non est subiectum Ecclesiæ, sed Ecclesia verbo Dei. Autoritas igitur Ecclesiæ non solùm non potest esse maior autoritate verbi Dei in sacris literis reuelati: sed neque illi æquari vllo modo potest.

VIII. Proinde singulari etiam fideles magis subiecti sunt verbo Dei, quàm Ecclesiæ, vnde & magis obedire oportet verbo Dei, quàm hominibus, etiamsi Ecclesiæ Dei nomen & autoritatem retineant, Act 4.5.

Quæstio secunda.

Cæterùm vt ad alteram quæstionem accedamus: Etsi sacræ literæ ab Ecclesia non habent, neque vt sint verbum Dei, neque vt sint, debeántque esse Canon omnis doctrinæ de religione, neque denique, vt obligent humanas conscientiàs, ac proinde æterna illorum autoritas atque dignitas, non fit ab Ecclesia, sed à Deo: contrà verò potiùs autoritas Ecclesiæ pendeat ab autoritate sacrarum literarum, quibus est innixa: tamen quòd hæ sacræ literæ hanc obtinuerint apud singulos fideles autoritatem, vt pro certo Dei verbo, ideóque pro vnico canone omnis doctrinæ de religione sint receptæ: & his sese, suásque conscientias fideles spontè subiecerint: hoc non solùm à Spiritu sancto, & à seipsis habent, sed etiam magna ex parte ab Ecclesia. Quare Ecclesiæ autoritas aliquid etiam dedit autoritatis sacris literis, non quidem in se, sed apud fideles, id quod nunc iis propositionibus declaro atque demonstro.

1. Quòd fideles recipiant verè sacras literas pro canone credendorum & agendorum, hoc est, omnis doctrinæ de religione: & aliorũ libros non accipiant, hoc ideò faciunt, quia agnoscunt seu persuasi sunt, eos esse ipsissimum verbum Dei, aliorum autem libros, minimè.

2. Quod verò hos discernant ab aliis, & hos quidem agnoscant esse verbum Dei, alios autem non: hoc habent à Spiritu sancto. Solius enim Spiritus sancti virtute donatur fides hæc atque intelligentia & iudicium: *Cùm anima is homo non percipiat ea quæ Dei sunt.* 1. Cor. 2.

3. Spiritus autem sanctus ordinarie non solet donare fidem: nisi per auditum verbum. Rom. 10. *Fides ex auditu.*

4. Vt autem audiamus verbum, hoc habemus ab Ecclesia. Hęc enim primùm discreuit libros Canonicos ab Apocryphis: deinde hoc significat singulis qui ad se accedunt: tertiò prædicat & explicat hoc verbum: & ad fidem in illud inuitat, asserens, esse verbum salutis.

5. Ecclesiæ autem autoritas, hoc est, tanti populi Christiani sanctitas, eruditio, virtus, quæ illam fide dignam efficiunt: plurimùm homines mouet, vt quæ illa proponit, audiant & vera esse credant.

6. Cùm igitur audimus verbum ab Ecclesia prædicaritum Spiritus Sanctus, vtens ad hoc autoritate Ecclesię incipit fidem in nobis excitare: persuadens, omnino ita esse, sicut Ecclesia prædicat, hoc scilicet esse verbum Dei & Euangelium salutis.

7. Vsqueadeò autem ita ordinariè Spiritus Sanctus vtitur ministerio & autoritate Ecclesiæ ad fidem in nobis erga Euangelium excitandam, vt, nisi principiò accedat autoritas Ecclesiæ, quæ prædicat verbum & asserit esse verbum Dei, nemo ordinariè crediturus sit Euangelio. Atque hoc est, quod Augustinus contra Epistolam Manichæorum, quam vocat Fundamentum, dixit: *Ego certè* (cùm scilicet essem Manichæus) (*non crederem*) pro credidissem) *Euangelio: nisi autoritas Ecclesiæ*) quæ prædicat verbum & affirmat esse verbum Dei) *me commoueret* (hoc est, commouisset.) Multùm enim prodest ad fidem Euangelio Christi adhibendam, videre, Ecclesiam toto terrarum orbe diffusam, Euangelium amplecti & illud prędicare, pro illo ipsum etiam sanguinem fundere & mori. Luther. etiam sic: Tom. 2. in Resol. conclu. 11. fol. 308. vide pulchrè locum hunc ibi explicatum.

8. Fides tamen nostra erga Euangelium non est ab Ecclesia tanquam à causa efficiente, sed à Spiritu sancto: Ab Ecclesia autem & à verbo, tanquam ab instrumento, quo Spiritus sanctus vtitur ad fidem excitãdam.

9. Ipsæ etiam Scripturæ hanc autoritatem sibi conciliant apud electos, qui se legunt. quâ ratione? primùm dignitate rerum quas tractant. De rebus enim cœlestibus & ad gloriam Dei salutémque hominum pertinentibus, agunt. Deinde veritate historiæ. Quæ enim in his narrantur ea ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον testimonium habent etiam à prophanis scriptoribus: omnia verò miraculis cõfirmata. Tertio sua conscientia, nihil enim in eis discrepat, sed quæ à Mose & à Prophetis, diuersis temporibus tradita fuerunt, eadem etiam confirmantur in nouo Testamento: quartò grauitate & simplicitate sermonis. Non enim fucis agit rhetoricis, sed simplici veritate: postremò sua pietate, quòd omnia ad gloriam Dei dirigat.

10. Non reperiuntur hæc omnia, præsertim simul, in scriptis hominum. Quantam igitur autoritatem, apud homines iudicio aliquo præditos, vt scripturas has credant esse verbum Dei, & sese illis subiiciant, puramus sacræ Scripturæ, suis illis, atque aliis multis qualitatibus conciliari?

11. Cæterùm nisi adsit Spiritus sanctus, qui rem ita esse intus persuadeat: neque Ecclesia, neque verbum quidpiam per se possunt in animis hominum, vt credãt, has esse verbum Dei.

12. Ecclesiæ igitur autoritate homines primùm mouentur vt audiant verbum & aliquo modo Dei verbum esse credãt: deinde vbi audierint & legerint, multò magis mouentur qualitatibus Scripturarum, hoc est, illarum maiestate, grauitate, constantiâ, veritate, simplicitate. Postremò verò Spiritus sanctus efficaciter eis persuadet, fidémque donat.

13. Quare quòd sacræ literæ hanc apud fideles autoritatem sint consecutæ, vt receptæ sint & recipiantur quotidie pro Canone omnis doctrinæ de religione, tanquam verum Dei verbum: habent per se & principaliter à Spiritu sancto qui fidem donat: à seipsis verò tanquam ab instrumento immediato, quo Spiritus sanctus vtitur ad faciendam illis fidem: ab Ecclesia autem tanquam à teste fide digno.

14. Tria enim sunt officia Ecclesiæ circa verbum Dei: vnum est, vt tanquam vera sponsa Christi, prædita spiritu Christi, quæ optimè scit discernere vocem sponsi à voci-

à vocibus adulterorum, iudicet de doctrinis: 1. Cor. 14. & discernat legitimos germanosque libros sacrarum literarum, ab adulterinis atq. apocryphis: & huius rei admoneat singulos sponsi amicos atq. domesticos. Alterum est: vt tanquam fidus notarius, vtrumq. testamētum ceu publicas tabulas apud se conseruet. Fuerunt quidem literis consignata hæc duo testamenta nō à tota Ecclesia: sed à prophetis tantùm atque Apostolis, tāquam à notariis Spiritus sancti: totius tamen Ecclesiæ est, eos apud se fideliter custodire. Tertium officium Ecclesiæ est: vt tanquam publicus præco verbum Dei atque edicta summi Regis promulget atque prædicet.

15. Sed sicut, licet vxor discernat literas & mandata mariti à literis adulterinis, & illas declaret esse mariti, has verò minimè, nō sequitur tamē, eā aut æqualis, aut etiā maioris esse autoritatis, quàm sint aut maritus, aut mariti litteræ: ita, licet Ecclesia per Spiritum Dei, quo est prædita, discernat legitimos libros sui sponsi Dei ab adulterinis singulisq. fidelibus significet, hos esse Christi, illos verò minimè: non sequitur tamen Ecclesiæ autoritatem (vt impiè quidam & ineptè inferunt) vel maiorem, esse vel saltem æqualem autoritati Scripturarum. Notariorum etiam est, testamenta conscribere & asseruare: non sunt tamen eius autoritatis, vt illis aliquid in eis liceat immutare, addere, diminuere, dispensare. Et Præconis est, promulgare edicta suorum Principum non est tamen eius autoritatis, vt liceat quidquā in illis immutare, nisi perfidiæ damnari velit.

16 Ipse etiam Ioannes Baptista Iesum discreuit ab aliis hominibus, & cum demonstrauit Iudæis, testificans, eum esse Christum: atque ita suo testimonio aliquid autoritatis conciliauit Christo apud Iudæos, vt permulti autoritate Ioānis commoti, inceperint Christum audire & ei credere: non propterea tamen Ioanes maioris fuit aut æqualis saltem autoritatis cum Christo. Neque postquā illi inceperunt vere credere Christo, credebant amplius tam propter autoritatem Iohannis, quàm quia ipsi donati spirituDei agnoscebant, eum esse Messiam, quemadmodum & de Samaritanis legimus. Ioan. 4. qui, licèt autoritate mulieris permoti, egressi fuerint vrbe, & cœperint audire Iesum, non tamen propter mulieris testimonium credebāt in Christum, sed quia ipsi audierunt & viderunt, rem ita se habere.

17. Summa. Autoritatem seu dignitatem, quā Scripturæ habent in se, quā fit, vt sint dignæ quæ pro regula omnium credendorum agendorum & vitandorū in religione ab omnibus recipiantur, non habent ab Ecclesia, sed à Deo cuius sunt verbum: & à se, quia sunt Dei verbum.

18. Autoritatem verò quam habent apud homines nondum perfectā fide donatos, quā fit, vt incipiant eas audire & aliquid fidei illis præstare, ordinariè habēt ab Ecclesia, tanquam à Teste, fide digno.

19. Autoritatem autē, quam habent apud fideles, vera iam & firmā fide præditos, quā fit, vt eas habeant pro indubitato verbo Dei, ac proinde eas, tamquam certissimum Canonem, regulam omnis doctrinæ de religione sequantur, habent non ab Ecclesia, sed à Spiritu sancto, qui, sicut illas prophetis atque Apostolis inspirauit atque dictauit, ita etiam easdem Electis omnibus intus persuadet demonstrátque, certissimum esse Dei verbum. Est enim hæc persuasio seu fides solius Sp. S. donum, non autem Ecclesiæ, quāquam ad hanc persuasionem faciendam, principiò vti soleat Sp. sanctus, non solum ministeriò, sed etiam autoritate Ecclesiæ, quā homines permoti incipiant audire & legere, & aliquid fidei scripturis præstare.

20 Proinde apparet, Ecclesiam Christi nullam habere autoritatem in sacras literas addendi, minuendi, immutandi, dispensandi, cùm ipsa etiam subiecta sit scripturis, atque ita subiecta, vt cum primùm aut ab illis omninò defecit: aut sibi aliquid in eas autoritatis vsurpat: aut denique suos canones atque decreta tante esse vult autoritatis, quantæ etiam sunt sacræ literæ: statim desinat esse Ecclesia Christi. Hoc vno Chrysostomi dicto confirmatur, quod est Tom. 2. in Matth. cap. 7. hom. 20. in illud, Erat enim docens eos tamquam habens autoritatem.

Omnis doctor, inquit, *seruꝰ est legis, q a neq; supra legē addere aliquid pōt de suo sensu, neq; subtrahere aliquid secūdùm propriū intellectum, sed hoc tantummodò prædicat quod continetur in lege. Sic enim ait Moses ac Salomon, Non addas verbis Dei, neque detrahas inde. Qui autē hoc ausus fuerit facere, se sapientiorē esse putat Deo, & incipit esse falsus testis, quia illud dicit, quod nec auris audiuit, nec oculus vidit.* Hæc de autoritate.

At, inquiunt nonnulli, Ecclesia, hoc est, populus Dei prior fuit Scripturis. nā etiam ante Scripta Mosis fuit Ecclesia Israelitica, & ante Scripta Apostolica, fuit Ecclesia Christiana. Id autē quod prius est, autoritatem suam non accipit ab eo, quod posterius est, sed cōtrà.

Responsio facilis est. Ecclesia etsi prior est Sanctis Scripturis: non tamē prior est verbo Dei ἀγράφῳ. Prius enim Deus verbū suum reuelauit: deinde verbo sibi Ecclesiam paulatim collegit. annō Ecclesia cœtus est renatorum hominum? Est. Quo autem semine fuerūt homines vnquam renati, aut etiamnum renascuntur? nō alio, quàm verbo Dei: vt docet Christus passim in Euāgelio, & Petrus cōfirmat, dicens, [Nos renatos esse ex semine incorruptibili per sermonē Dei viuentis.] 1. Pet. 1. Vtrū autem prius est: id quo renascuntur homines an ipsi renati, quatenus renati sunt? Vtique id per quod fit renascentia. Vtrum etiam est prius fundamentum super quod fundatur domus: an vero domus ipsa? Fundamentum. Ecclesia autem fundata est, ait Apostolus, super fundamentum Apostolorum & Prophetarum, hoc est, super verbum Christi, seu super Christum prædicatum à Prophetis & Apostolis. Nunquā igitur Ecclesia Dei prior fuit simpliciter verbo Dei. Ac proinde Ecclesia non potuit autoritatem dare verbo Dei, sed contrà suam ipsa accepit à verbo, à quo etiam habet, vt sit Ecclesia Dei. Quid autē obsecro, est scriptura sancta, nisi illud ipsissimū verbū, per quod à condito orbe reuelatum primis parentibus, & deinceps aliis patribus vsque ad Mosen prædicatū, Deus sibi Ecclesiam in Mundo collegit, & perpetuò vsque ad finem eiusdem orbis colliget? Differentia inter illud ἄγραφον & hoc γεγραμμένον, id est scriptum, quod ad ipsam verbi substantiam attinet, nulla est, cùm idem planè verbum sit prius ore tantùm reuelatum & prædicatum, deinde in chartas redactum, litterisque consignatum: Eadem igitur est autoritas Scripti, quæ etiam fuit non scripti. Quare sicut illud ἄγραφον autoritatem suā non accipit ab Ecclesia, ita etiam huic scripto minimè suā dedit Ecclesia autoritatem.

Cæterùm sicut illi primi patres (illi autem erāt ipsa Ecclesia) illustrati spiritu sancto agnouerunt, verbū sibi reuelatum & prædicatum, esse verbū Dei, & proinde alij testificati sunt aliis, illud reuera esse verbum Dei ita posterior Ecclesia, verbum à Prophetis & Apostolis literis consignatum, agnouit vere, verbum esse Dei, & hoc ita esse, vniuersis & singulis hominibus tùm verbis coràm, tùm scriptis tùm denique totā vitā testificata est & quotidie testificatur. Hoc autem totius Ecclesiæ, per totum terrarum orbem à condito Mundo in hæc vsque tempora diffusæ & vsque in finē sæculi diffundendæ, testimonium, nō parùm tùm eos qui foris sunt, commouet, vt hoc verbum audiant, & fidem aliquam illi adhibeant, tùm eos qui intus sunt, in fide Euangelij confirmet atque retinet. Et hæc est tota illa autoritas, quam Ecclesia Verbo Dei apud homines conciliat, testimonium scilicet, quod illi præbet tùm verbis tùm factis.

DE PERFECTIONE Scripturarum.

Est autem sacrarum literarum tanta nō solùm autoritas, sed etiam perfectio, vt in eis nihil aut immutari debeat aut desiderari possit. Etsi enim neque omnia, quæ fuerunt à Domino dicta & facta, scripta sint, neque omnes, qui de rebus Sacris à Sanctis prophetis & Apostolis scripti fuerunt, libri, in hoc volumine, quod Biblia appellatur, contineantur, cùm, vt antè vidimus, multi perierint, tamen & tantùm cùm rerum gestarum, tùm verborum Domini in literas fuit à Sanctis Prophetis & Apostolis redactum, & tot libri, Dei prouidentiā. hucusque sunt seruati, quot & quantum nobis satis sit ad salutem, tum cognoscendam, tùm adquirendam. Docent hoc ipsæ sacræ literæ, confirmāt etiam Patres, quemadmodum aliàs copiosissimè demōstrauimꝰ. In hac igitur cōclusione demonstranda, immorandū non est. Certè Apostolus de Perfectione Scripturarum veteris testamenti sic ait 2.

Timoth.3. Πᾶσα γραφὴ θεόπνευστος, καὶ ὠφέλιμος πρὸς διδασκαλίαν, πρὸς ἔλεγχον, πρὸς ἐπανόρθωσιν, πρὸς παιδείαν τὴν ἐν δικαιοσύνῃ· ἵνα ἄρτιος ᾖ ὁ τοῦ θεοῦ ἄνθρωπος πρὸς πᾶν ἔργον ἀγαθὸν ἐξηρτισμένος.

1. Ioh.1. cap.v.4. Et Iohannes de sua Epistola, *Et hæc*, inquit, *scribimus vobis, vt gaudium vestrum sit plenum.* Potest igitur esse nobis plenum gaudium perfectáque beatitudo ex scriptis Propheticis & Apostolicis, si eas fide vera atque perfecta amplectamur, & iuxta illas omnem nostram tùm religionem tùm vitam instituamus.

Ex patribus nō adfero testimonia: quod sit superuacaneum. Illud tantum Theodoreti retinendum quod habet in Atrepto, folio 6. *cum hæreticus multa profert humanæ sapientiæ argumenta: orthodoxus respondet, ne talia proferat argumenta: sed scripturas sacras:* ἐγὼ γὰρ μόνῃ τῇ θείᾳ πείθομαι γραφῇ. Est igitur propriū orthodoxi hominis, continere se intra limites sacrarum scripturarum: id quod certè non liceret, si perfectissimæ non essent, & quidquid ad salutem necessarium est, non continerent.

Quare quidquid contra hanc sentētiam ab aduersariis adfertur, illud hac distinctione diluatur. Quicquid extra Scripturam de religione in mediū profertur, illud est sacris literis aut consonum & dissonū, aut neque dissonum neque consonum. Si consonū est, recipimus, non vt verbum hominū, sed vt verbum Dei, desumptum è sacris literis. Si dissonum, reiicimus, vt contrarium Spiritui S. Si ἀδιάφορον, non est igitur necessarium ad salutem. Quare liberum est illud vel recipere vel reiicere. Nihil igitur ad salutem per se est necessarium, quod in sacris literis non contineatur.

DE PERSPICVITATE sacrarum literarum.

De perspicuitate etiam sacrarum literarum multa nō dicā, cùm iste articulus primū a multis aliis, tum ex antiquioribus, tùm ex recentioribus, deinde etiam à nobis aliàs fusissimè fuerit pertractatus. Summa est, nihil, quod ad salutē pertineat, ita obscurū esse in vno loco sacrarum literarum, quod in alio nō sit perspicuum. Non enim Deus reliquit nobis Scripturas vt non intelligantur, sed vt ab omnib. Electis, tàm indoctis (modò illis voces declarentur) quàm doctis intelligantur, præsertim ea quę ad salutem necessaria sunt. Ideo in Scripturis ipsum verbum Dei & Euangelium appellatur lumen, lucerna. De lege ait Dauid, *Lucerna pedibus meis verbum tuum.* Item Psal.19. *Lex Domini immaculata, conuertens animas: testimonium Domini fidele, sapientiam præstans paruulis.*

Psal.119. Euangelium Apostolus vocat lumē 2.Cor.4. *Ne irradiet vos lumen Euangelij gloriæ Christi.* Imò comparatur illud primæ luci, quæ totum orbem principio illuminauit, quòd, quemadmodum ante illam lucē omnia erant repleta tenebris, vt Scriptura ait, *Et tenebræ erāt super faciē abyssi*, sed creata illa luce, discussis tenebris omnia facta sunt cōspicua, ita ante reuelatum Euāgelium, quod lumē gloriæ appellat. Hoc est, sine verbo Dei, omnia in homine sunt tenebricosa, aduenientè verò luce Euangelij, omnia quæ antea alioqui latebant, patefiunt, illustrantur, videntur, ideo ait 2.Cor.4. *Deus qui dixit, vt è tenebris lux splēdesceret, is est, qui splenduit in cordibus nostris ad præbēdū lumē cognitionis in facie Iesu Christi.* Totā Scripturā Petrus appellat Lucernā lucentē in caliginoso loco. 2.Per.1. *Et habemus firmißimū propheticum sermonem, cui benefacitis, quòd attenditis tanquam Lucernæ lucenti in caliginoso loco, donec lucifer oriatur in cordib. vestris.* Quomodo igitur Scriptura est verbum obscurum? Sicut lumē obscurum est, ita etiā sacra Scriptura obscura est. Lumē quomodo obscurum est? non certè in se, sed cæcis. Ita est verbum Dei solis reprobis est obtectum. Hoc ait Paulus 2.Cor.4. *Quòd si Euangeliū nostrū obtectū est, iis qui pereunt est obtectum*, in quib. *Deus huius sæculi excæcauit mentes* (id est) infidelib. *ad hoc ne eos irradiet lumē Euangelij Gloriæ Christi.* Hoc Paulus didicerat à pceptore suo Domino nostro Iesu Christo, Mat.11. *Gratias ago tibi pater, quod abscōdisti hæc à sapientibus, & reuelasti ea paruulis.* Nemo igitur accuset Scripturas obscuritatis, sed seipsum infidelitatis & scelerū multorum, quib. fit, vt excæcetur à Satana, ne sacras literas per se illustres atque perspicuas intelligere possit.

Patres quoque confirmant, quod dico de Perspicuitate sacrarum literarum, audite vnum aut alterum.

Chrysostomus Tom.4. in 2. ad Thess. cap.3. hom.3. col. 1413. *Omnia clara sunt & plana ex scripturis diuinis: quæcumque necessaria sunt, manifesta sunt.* hæc ille. Sed opus est (vt ibi ait Chrysostomus) lectione, auditionéque verbi perpetua.

Augustinus Tom 3. de doctrina Christiana libro 2. ca. 6. *Magnificè & salubriter Spiritus sanctus ita sacras Scripturas modificauit, vt locis apertioribus fami occurreret, obscurioribus verò fastidium detergeret. nihil enim ferè de illius obscuritatibus eruitur, quod non planissimè alibi dictum reperiatur.*

Lutherus Tom 2. de Seruo arbitrio, contra Erasmū egregie refutat sententiam hanc Sophistarum, quā etiā Erasmus contra Lutherum vsus fuerat, nempe Scripturas sacras obscuras esse & ambiguas. Ac primùm quod Erasmus pro se attulerat ex Deuteronomio 17. in illum retorquet, Primus Moses dicit, Deut.17. si qua difficilis causa inciderit, esse adeundum locum, quem Deus elegisset in nomen suum: atque consulendos ibi sacerdotes, qui secundùm legem Domini indicare illā debeāt. Hæc Erasmus, quasi concludens ex hoc loco, sacras Scripturas esse obscuras & ambiguas. ideò consulendos esse sacerdotes, atque inprimis pontificem Romanum. Quid Lutherus? Imò hinc concludi demonstrat Lutherus contrarium, sacras literas esse claras atque apertas, quomodo? illud enim secundùm quod res ambiguę iudicandæ sunt, perspicuum & clarissimum sit, necesse est. quomodo enim rem ambiguam per aliam ambiguam declarabis?

Cùm autem causæ difficiles, iuxta dictum Mosis, iudicandæ sint à sacerdotibus secundùm legem, hoc est, secundùm verbum Dei, sic enim ait textus Mosis, consulendos esse sacerdotes, qui secundùm legem Domini iudicare debeant causam difficilem. Quomodo, inquit Lutherus, iudicabunt, nisi lex Domini sit extremè clarissima, qua illis satisfieret?

Ergo necesse est, vt sacræ literæ sint perspicuæ?

Deinde adfert testimonia à Scripturis tam veteris quam noui testamenti, quibus probat sacras Scripturas non esse obscuras aut ambiguas. *Psal.19.* Pręceptum Domini lucidum, illuminās oculos. quomodo id quod oculos illuminat, potest esse obscurum? *Psal.119.* Ostiū verborum tuorum illuminat, & intellectum dat paruulis. Hîc docet Dauid, verbum Dei esse quoddam apertum ostium, quod lumen etiam paruulis adferat. *Ies.8.* ad legem & ad testimonium. Mandat ibi Dominus per Prophetam, vt omnes quæstiones ad Legem & Testimonium sacrarum literarum examinentur, quomodo igitur sunt obscuræ?

Ac postquam citauit aliquot loca e Scripturis: Quid faciunt, inquit, Apostoli, dum suas prædicationes per Scripturas probāt? an vt nobis tenebras suas maioribus tenebris obscurent? vel vt notius per ignotius probent? Quid facit Christus, *Ioan.5.* vbi docet Iudæos, vt Scripturas scrutētur, sui scilicet testes? an vt ambiguos reddat de fide sui? Quid faciunt illi *Actor.17.* qui audito Paulo die & nocte Scripturas legebant, vt viderent, an sic haberet? Nónne ista omnia probant, Apostolos, sicut & Christum, ad Scripturas prouocare, tamquā ad testes clarissimos suorum sermonum? Qua fronte igitur nos eas obscuras facimus? Hæc omnia sunt Lutheri. Illud verò firmum est argumentum, quod subdit: Si obscura, inquit, est scriptura, quam illi, qui prædicant & Scripturas interpretantur, declarant: quis nos certos faciet, ipsam eorum declarationem esse certam? alia dies, noua declaratio: quis & illam declarabit? Ita fiet progressus in infinitum. Tātùm Lutherus. Hoc ne vt fiat, fatendum est, Scripturas esse claras atque perspicuas, in iis præsertim, quæ sunt necessaria ad salutem. Tandem concludens ait: Itaque nihil nisi tenebras nobis reliquas faciunt, qui negant Scripturas esse lucidissimas & euidentissimas.

Quia verò potuisset Erasmus excipere, se nō dicere, scripturas vbique esse obscuras, sed multis in locis: occurrit Lutherus, & ait, se nolle ferre, vt aliqua pars scripturæ dicatur esse obscura. Stat enim illud 2. Petr. 1. Lampadem lucentem nobis esse verbum Dei in caliginoso loco. Quod si pars, inquit, huius lampadis non lucet: potiùs pars caliginosi loci, quàm ipsius lāpadis erit. Non sic illuminat nos Christus, vt aliquam partem obscurā voluerit relictam nobis in suo verbo, dum nos

iubet

iubet ad illud attendere. Frustra enim attendere iubet: si non lucet. *Hac Luther.*

Rom. 11. c. *At, inquiunt, Paulus ait*, Incomprehensibilia sunt iudicia eius: *Item Ies.* 40. Quis nouit sensum Domini? Responsio facilis est. Non ait Paulus, incomprehensibilia sunt iudicia Scripturæ: sed eius, hoc est, Dei, iudicia scilicet non reuelata. Neque ait Iesaias: Quis nouit sensum Scripturæ? sed Dei, nempe non reuelatam voluntatem. Atque hæc est responsio Lutheri.

Cæterum notandum id, quod Lutherus in eodem libro adnotauit, duplicem esse claritatem Scripturæ, sicut & duplex est obscuritas: vna est externa in verbi ministerio posita: altera in cordis cognitione sita. Si de interna claritate loquamur: nullus homo ne iota quidem vnũ videt in Scriptura, nisi qui spiritum Dei habet. Omnes

1. Cor. 2. enim habent obscuratum cor: & animalis homo non percipit ea, quæ sunt Dei. *& Psal.* 14. Dixit insipiens in corde suo: nihil est Deus. Est autem omnis homo, qui sine spiritu Dei est, insipiens. Spiritus autem requiritur ad totam Scripturam, & ad quamlibet eius partem intelligendam. *Ideò de ijs ait Paulus* 2. *Cor.* 4. Quod si Euangelium nostrum obtectum est: iis qui pereunt obtectũ est: in quibus Deus huius sæculi excæcauit mentes. *id est infidelibus* ad hoc, ne illos irradiet lux Euangelij gloriæ Christi. Si verò de externa claritate sermo nobis sit, contendit Lutherus, nihil prorsus relictum esse obscurum, vel ambiguum in sacris literis, præsertim verò eorum quæ ad salutem necessaria sunt. Ac certum est, quod ait Lutherus: Si qua obscuritas in Scripturis nobis esse videatur, illam non esse in scripturis ipsis: sed in animis & cordibus nostris. Sic enim & Paulus docuit 2. *Cor.* 3. cùm dicit: Iudæos non intelligere Mosen, verùsque testamentum, quamobrem? Quia, *inquit*, velamen positum est supra cor eorum: non ait esse velamen in ipso veteri testamento, seu in ipsis scripturis: sed supra cor eorum. Cùm enim mentionem fecisset velaminis, quo Moses texit faciem suam: postea allegoriam exponens, ait: Itaque obduruerunt mentes illorum *scilicet Iudæorum.* Nam vsque ad hodiernum diem, idem velamen in lectione veteris testamenti manet non retectum: quod per Christum tollitur. At, vbinam est velamen? in ipsa scriptura? an verò est in ipsis Israelitis? explicat se Apostolus, & ait: Sed ad hunc vsque diem cùm legitur Moses, velamen cordi illorum impositum est.

Ad veram igitur & perfectam scripturarum intelligẽtiam consequendam, necesse est vt oculi mentis nostræ tenebris à natura post peccatum insitis, & sordibus peccatorum purgentur: deinde illis luminibus, quæ ad videndam scripturarum veritatem necessaria sunt, illustrentur.

Explicabo igitur regulas aliquot, quæ ad tollendam obscuritatem è mentibus nostris, illásque ita illustrandas, vt veram perfectámque sacrarum literarum intelligentiam consequantur, non vtiles tantùm sunt: sed etiam necessariæ. Eæ partim è scripturis ipsis, partim ex Augustino de doctrina Christiana, & aliis collectæ, hæ sunt.

REGVLAE FACIENTES AD intelligentiam scripturarum.

OMnis obscuritas, aut est circa res, aut circa verba & phrases. Ad tollendam primam, quæ est circa res ipsas: iis regulis, tanquam optimo collyrio vtendum nobis est.

Prima est inuocatio nominis diuini. Antequam Biblia aperias tibi legenda, inuocandus semper est Iesus Christus, qui librum sacratum literarum nobis aperiat, verámque illius intelligentiam donet, hoc est, qui spiritu suo sancto corda nostra regeneret, & mentes magis magisque illustret ad intelligendas Scripturas. Ipse enim est ille solus, qui librum (vt est in Apocalypsi) aperit. Quo pacto? Dum suo spiritu aperit nobis mentes, sicut etiam aperuit Apostolis, vt intelligantur Scripturas. 1. *Cor.* 2. Animalis homo non percipit ea, quæ sunt Dei, &c. Nos autem spiritum Christi accepimus, vt intelligamus ea, quæ nobis donata sunt. ibid.

Secunda est, Timor Dei, qui nos perpetuò impellat, ad studium faciendæ legis suæ, vt scilicet & peccata vitemus, & sanctitatem, quam in Adamo perdidimus, quotidie magis ac magis recuperemus. Hanc tradit Dauid *Psal.* 111. cùm inquit, Initium sapientiæ, timor Domini: quod confirmat Siracid. cap. 1. vers. 16. Regula hæc omnino necessaria est, Nam *Sapientiæ* 1. dicitur, In malitiosam animam non introibit sapiẽtia, nec in corpore peccatis obnoxio, habitabit. Hinc sequitur

Tertia: In hunc finem legendæ sunt & audiendæ sacræ literæ, non vt sciamus de illis disserere, sed vt discamus, quæ sit voluntas Dei, & vt in eius faciendæ studiũ incumbamus. Hanc regulam tradit Christus *Ioan.* 7. Si quis voluerit facere voluntatem Patris mei, is cognoscet de doctrina mea, vtrùm ex Deo sit, an ego à me ipso loquar.

Quarta: Tenendus est scopus, in quem omnes scripturæ tendunt. Hic est, Iesus Christus: Finis legis, inquit Apostolus *Rom.* 10. est Christus. *Act.* 10. Huic (Christo) testimonium perhibent omnes Prophetæ. *Ioan.* 5. scrutamini scripturas, quia illæ sunt, quæ testimonium de me perhibent. Neque certè aliud spectauit Moses in omnibus suis libris, etiam in 1. cap. Genes. quàm Christum. Proinde, quia Iudæi hanc regulam non tenent, idcirco scripturas intelligere non possunt, sed velamen adhuc est supra cor eorum, cùm legitur Moses: quod velamen, per solum Christum tollitur, inquit Apostolus 2. *Cor.* 3. v. 14. Ideo subdit ibid. Cùm autem conuersum fuerit (scilicet cor eorum) ad Dominum, tunc auferetur velamen. Est igitur semper in scripturis quærendus in primis Christus: quoniam is est substantia, vt vocant, omnium scripturarum.

Quinta: Tenendus est etiam finis totius doctrinæ, quam nobis tradunt sacræ literæ. Is est duplex, dilectio Dei nimirum (in qua continetur fides & spes) & proximi. Hanc regulam tradit Christus *Matth.* 22. cum ait, In iis duobus mandatis, pendent lex & prophetæ, i. omnes scripturæ. Et Paulus 1. *Tim.* 1. Finis legis est dilectio de corde puro, conscientia bona, fide non ficta. *Augustinus de doctrina Christiana, lib.* 1. *cap.* 35. *&* 36. hanc regulam confirmat, cuius hæc sunt verba: Quisquis igitur scripturas diuinas, vel quamlibet earum partem intellexisse sibi videtur, ita vt eo intellectu non ædificet istam geminam charitatẽ Dei & proximi, nondum intellexit. Quisquis verò talem inde sententiam duxerit, vt huic ædificandæ charitati sit vtilis: nec tamen hoc dixerit, quod ille, quem legit, eo loco sensisse probatur, non perniciosè fallitur, nec omnino mentitur. Ita enim fallitur, ac si quispiam errore deserens viam, eò tamen per agrũ pergat, quo etiam via illa perducit. Et *cap.* 40. ostendit, summam scripturarum, ad quam omnia sunt redigenda, esse hæc tria fidem, spem & charitatem. Quapropter (inquit) cum quispiam cognouerit, finem præcepti esse charitatem de cordę puro, conscientia bona, & fide non ficta: omnem intellectum diuinarum scripturarum ad ista tria relaturus, ad tractationem illorum librorum securus accedat.

Sexta: Tenenda sunt fundamenta, seu præcipua capita Christianæ religionis, tãquam ἀξιώματα totius doctrinæ Christianæ, ad quæ omnia examinentur. Hæc sunt, Decalogus: oratio Dominica, & symbolum Apostolorum: cui adiicitur & Nicænum & Athanasianum. His enim continetur summa doctrinæ Christianæ: & certissima, indubitatáque sunt ἀξιώματα fidei nostræ, Vnde & fides Catholica appellantur, vt Athanasius loquitur in suo symbolo.

His adiicienda sunt ea, quæ in Concilio Nicæno cõtra Arium: & quæ in Concilio Constantinopolitano cõtra Macedoniũ, & alios πνευματομάχους: & quæ in Ephesino & Chalcedonensi, contra Nestorium & Eutychem definita fuerunt. Hæc enim fuerunt recepta ab vniuersa Ecclesia Catholica. Sunt igitur ita legendæ & explicandæ sacrę Scripturæ, vt nihil ita intelligas, aut exponas, quod cum iis axiomatibus doctrinæ Christianæ, seu (vt alij loquuntur) cum analogia fidei pugnet. Hanc tradit Apostolus 2. *Tim.* 4. Tu verò mane in iis, quæ didicisti, & tibi concredita sunt, &c.

Septima, Frequenter legenda sunt Biblia, & percurrenda vsque ad finem, etiamsi non omnia exactè principiò intelligantur. Occurrent enim loci clariores, qui præteritos obscuriores illustrabunt, modò perseueres in quotidiana eorum lectione. Hanc tradit Apostolus 1. *Ti.* 1. Attende lectioni, Imò Dominus iussit populo suo, vt perpetuò habeat sacra Biblia in manibus, *Deut.* 6. Erunt inquit, verba ista, quæ Ego præcipio tibi hodie, super cor tuum, recensebísque ea filiis tuis, & loqueris de iis, cùm resides in domo tua, atque ambulas per viam, cùm vadis dormitum, atque iterum surgis: ligabis denique in signum super manum tuam, eruntque mo-

nitoria inter oculos tuos: scribes etiam super postes domus tuæ, & in portis tuis: Quod præceptum repetitur sæpius in aliis locis. Hoc præcepto significare voluit Dominus, sacra Biblia, perpetuò debere nobis esse in manibus, ea esse legenda, memoriæ mandanda, aliis recitāda, denique in istis die noctúque esse versandum. Pertinet autem hoc præceptum, cùm sit morale, non ad Iudæos tantùm, sed etiam ad nos Christianos omnes. Nam Christus idem iubet *Ioan. 5.* scrutamini scripturas, &c. Sunt igitur perlegenda omnia Biblia Christianis, & quidem diligenter, non oscitanter. Neque enim dicit Christus, scrutamini commentarios Rabbinorum aut aliorū hominum, sed scripturas, scripturas, scripturas. Hoc faciebant Christiani tempore Apostolorum, *Act. 17.* illi Berrhoenses qui erant Thessalonicæ, non contenti erāt Pauli conciones audiisse: sed domi etiam scrutabantur scripturas, vt viderent an ita se res haberet. Ita non debet satis nobis esse, audiuisse lectiones, aut concionem: sed domi scrutandæ nobis sunt scripturæ, & consulenda sacra Biblia. Sic Eunuchus *Act. 8.* legebat scripturas, & quidem Iesaiam, licet non intelligeret. Iis mittit Dominus semper aliquem Philippum, qui sensum scripturarum aperiat.

Est igitur in contextibus sacrarum Scripturarum quotidie versandum: idque ordine aliquo, dum omnia intra annum saltem absoluas legendo. Sic vetus Ecclesia solita erat publicè in sacris cœtibus, ad populum, omnia sacra Biblia, intra anni vnius spacium prælegere. Cuius rei adhuc vestigia aliquot videntur in Papatu, præsertim apud Canonicos & Monachos. Ij enim solent vniuersa Biblia intra annum percurrere in suis matutinis & vespertinis precibus: & de hac re extat Canon apud Gratian. in Decret. dist. 15.

Hanc regulam septimam Augustinus ponit inter primas. *lib. de doctrina Christiana, 2. c. 8. sic inquiens:* Erit igitur diuinarum scripturarum solertissimus indagator, qui primò totas legerit notásque habuerit, etsi nondum intellectu, iam tamen lectione, duntaxat eas, quæ appellantur Canonicæ. *Item cap. 9. ait:* In his omnibus libris, nempe sacræ scripturæ, timentes Deum & pietate mansueti quærunt voluntatem Dei, &c. *Videantur reliqua.*

8. Octaua regula: Quotidie coniungenda est lectio veteris Testamenti, cum lectione noui Testamenti. Hoc enim primò magnam adfert vtilitatem: quoniam nouū Testamentum, interpres est, & ceu commentarius veteris. Nam ibi videmus impleta quæ in veteri fuerunt prædicta & præfigurata. Christus etiam & Apostoli multa Mosis & Prophetarum dicta interpretantur. Deinde adfert magnam tum voluptatem, tum fidei confirmationē: cùm videmus, tātam esse συμφωνίαν, seu consonantiā inter vtrunque Testamentum, vt ne iota quidem vnum dissonet in Nouo, ab eo, quod traditum est in Veteri:

9. Nona: Tenendum semper est argumentum cuiusque libri, & scopus autoris in eo libro. Nā nisi quis scopum teneat autoris, quem legit, facilè hallucinabitur, cùm in omnibus aliis libris, tum maximè in sacris literis legendis, aut explicandis, & sæpe dicet inter interpretandum, quæ pugnabunt cum scopo autoris, quem interpretatur.

10. Decima: Perpendantur semper præcedentia & subsequentia, seu (vt Græci vocant) περίστασις loci, qui obscuram videtur habere sententiam. Hæc enim consideratio, multam lucem adfert locis, qui alioquin videbantur obscuri. Exemplum. Vt cùm ait Iacobus de Abraham, cum fuisse iustificatum, non ex fide, sed operibus. Si περίστασις loci consideretur, liquidò apparebit, Iacobum inuehi in illos, qui fidem sine operibus, hoc est, mortuam iactant: concludere verò, solam fidem, quæ cum operibus est coniuncta, seu quæ per dilectionem operatur, iustificare. Cum igitur nominat opera, à parte totum intelligit, nempe fidem cum operibus. Iustificari ex operibus apud Iacobum, nihil aliud est, quàm iustificari ex fide, quæ per dilectionem operatur.

11. Vndecima: Semper cauendum, ne alicui loco obscuro, talem adferas interpretationem, quæ cum aliis locis perspicuis pugnet, aut aliquid absurdum, contra ἀναλογίαν fidei contineat. Est enim scriptura semper & vbique sibi ipsa constans, nihil habens absurdi. Talis igitur interpretatio est adferenda, quæ cum tota reliqua scriptura, & anologia fidei sit consentanea. Exemplum in loco Iacobi ante citato. Constat tum ex Genesi, tum ex Apostolis Paulo tum ex tota doctrina Euangelij, Abrahamum, & omnem hominē, non ex operibus, sed ex fide viua iustificari. Non potest igitur Iacobus ita intelligi, quasi ex operibus homo verè coram Deo iustificetur, hoc est, condonatis peccatis, iustus reputetur. Hinc sequitur

Regula Duodecima: Scripturæ per scripturas explicentur, obscuriores per clariores, hoc est loci obscuri, locis aliis perspicuis, in quibus eadem res tractatur. Nihil enim eorum, quæ ad salutem pertinent, obscurum est in Scripturis, quod alibi in iisdem scripturis non sit perspicuè tractatum, vt inquit Augustinus, & res ipsa docet.

Decimatertia: Ad extremum, si aliis regulis non potest obscurus locus explicari, consulantur testimonia & interpretationes optimorum interpretum, atque inprimis veteris puriorísque Ecclesiæ. Non enim à consensu veterum Patrum facilè est recedendum, nisi aperta necessitas id nos facere cogat.

Atque hæc de tollenda obscuritate, quæ in animis nostra circa res in sacris literis tractatas, obuersatur, satis sunto. Venio nunc ad obscuritatem, quæ versatur circa verba & phrases scripturarum.

DE OBSCVRITATE CIRCA *verba & orationem.*

OMNIS dictio, omnísque oratio, aut est propria, aut figurata, eáque aut obscura, aut perspicua. Si sint perspicua, non opus habent regulis. De obscuris igitur, tam figuratis, quam propriis, in genere agemus: ad extremum quædam dicemus de figuratis.

Prima: Obscuritas dictionis duobus ex fontibus oritur: aut inde, quod multa habeat significata: aut inde, quod res quæ illā voce significantur, nobis sint ignotæ: idque vel quia non amplius facilè reperiantur: vel quia illarum formæ sint mutatæ. Si ex primo fonte oritur obscuritas primùm consulenda sunt Lexica, tam Hebræa, quàm Græca & Latina, & videndum, quot & quænam vox illa habeat significata. Opus igitur est cognitione linguarum. Deinde consideranda est περίστασις loci illius, quem cupis intelligere, & videndum, quodnam ex tot significatis illius vocis, magis præsenti loco congruat.

Secunda: Si verò ex altero fonte obscuritas oritur, cōsulenda sunt non tantùm Lexica, sed ipsæ historiæ cūprimis, atque antiquitates, quæ rerum, personarum, locorum, temporúmque descriptiones contineant: qualis est inter Iudæos Iosephus & Philo, homines magnæ autoritatis, & maximæ eruditionis. Vel consulendi sunt optimi interpretes sacrarum literarum, qui breuiter vtrūque officium faciunt, tam veteres, quàm recentiores: quales sunt (vt exemplum è nostris adferam) Annotationes Vatabli in vetus Testamentum: & Bezæ in Nouum.

Tertia: Si verò obscuritas sit non in dictione simplici, sed in ipsa oratione ac phrasi: consulenda est grammatica illius linguæ, vnde talis desumpta est phrasis. Propterea linguarum cognitio est necessaria. Quia vero tantùm vetus Testamentum, Hebraicè est compositum & scriptum: Nouum verò non nisi Græcè, quod tamen etiam Hebraicas phrases habet: idcirco lingua sancta est omnibus, qui excellere volunt in intelligentia sacrarum literarum inprimis discenda.

Quarta, quæ tam vocibus simplicibus, quàm orationī explicandæ seruit, hæc est: vt semper in oratione spectetur antithesis, si vlla ibi sit, & altero, nempe clariori mēbro, vtamur ad alterum obscurius intelligendum. Exemplum adfero huius regulæ, quia obscura est. *Rom. 6. v. 15.* ait Apostolus, *Nos non sumus sub lege sed sub gratia.* Hîc primùm est antithesis inter esse sub lege, & esse sub gratia. Deinde clarius est, quid sibi velit esse sub gratia: nemo non intelligit, nihil aliud significare, quàm esse in statu gratiæ, hoc est, fauoris Dei, & remissionis peccatorum, quam Euangelium annunciat credentibus in Christum. A regula igitur antitheseos cōcludimus, esse sub lege, nihil aliud significare, quam esse in statu iræ & maledictionis diuinæ, quam lex adfert suis transgressoribus. Atque hæ quatuor regulæ de obscuritate circa voces & locutiones proprias, satis sunt. Venio ad Figuratas.

Prima:

Prima: Inprimis videndum, an aliqua dictio, vel oratio, sit figurata, nécne. Est enim diligenter cauendum, ne aut figuratum, vt proprium: aut proprium, vt figuratum accipias, vt monet August. lib. 3. de doctrina Christiana: quod hinc maxima consequerentur absurda, & tota euerteretur scriptura. Exemplum: vt cùm scriptura attribuit Deo manus, oculos, pedes, linguam, & alia id genus, quæ propria sunt corporatarum: si ea velis vt propria accipere, quid absurdius? quidve magis totam euerteret scripturam atque pietatem? Hinc hæresis Anthropomorphitarum. Contrà, si quod propriè de Deo legitur, vt quòd sit vnus conditor cœli & terræ: quod Filius factus sit homo, mortuus & sepultus, & alia huius generis, figuratè velis interpretari, nihil iniquiùs feceris. Ergo diligenter cauendum, ne propriè dicta pro figuratè dictis: & contrà, figuratè dicta pro propriè dictis accipias. Ac videmus totum dissidium de Cœna in Ecclesiis, hinc fuisse excitatum.

Secunda: Vt verò discerni possint figuratè dicta, à propriè dictis: inprimis seruanda est regula fidei: Videndum (inquam) est, an, quod immediatè verba significant, congruat cum principiis fidei nec ne: Si non congruit, figuratum sit necesse est. Exemplum. Inter principia fidei Christianæ, hoc est primum, Deum esse spiritum, incorporeum, immortalé, &c. Cùm igitur scriptura attribuit Deo manus, oculos, pedes, figuratè eam loqui concludendum est: quòd alioqui cum articulo fidei de Dei essentia, quæ est incorporea & simplicissima, pugnaret. Hanc regulam tradit August. lib. 3. de doctrina Christiana cap. 10.

Tertia: Seruanda est & alia regula, quam Augustinus tradit de doctrina Christiana, non solum loco iam citato, sed etiam in cap. 16. lib 3. & hæc est, vt ipsissimis vtar Augustini verbis.

Si præceptiua locutio est aut flagitium, aut facinus vetans: aut vtilitatem aut beneficentiam iubens, non est figurata. Si autem flagitium aut facinus videtur iubere, aut vtilitatem aut beneficentiam vetare, figurata est. Nisi manducaueritis (*inquit Christus*) carnem Filij hominis, & sanguinem eius biberitis, non habebitis vitam in vobis. Facinus aut flagitium videtur iubere. Figurata est ergo præcipiens, passioni Domini esse communicandum, & suauiter atque vtiliter recondendum esse in memoria, quod pro nobis caro eius crucifixa & vulnerata sit. *Hæc omnia Augustinus.* Ioh. 6.

Has duas regulas, vna sententia complectitur tanquã vnã, c. 10. eiusdem libri, cùm ait: Demonstrandus est igitur priùs modus inueniendæ locutionis, propriáne, an figurata sit. Et iste omnino modus est, vt quicquid in sermone diuino, neque ad morum honestatem, neque ad fidei veritatem propriè referri potest, figuratam locutionem esse cognoscas. Morum honestas ad diligendum Deum & proximum: Fidei veritas ad cognoscendum Deum & proximum pertinet.

Quarta: Quædam quodam tempore fuerunt & propria & figurata: alio verò tempore tantùm figurata. Exemplum. Vt præceptum de circumcidendo præputio, ante Christi aduentum, fuit propriè primùm, deinde figuratè intelligendum. Nam Iudæi iubebantur & carnem præputij propriè circumcidere, & ipsas cordis concupiscentias tollere, sed illud vsque ad Christi aduentũ: hoc autẽ in perpetuum. Nunc igitur præceptũ illud, figuratè tantum est nobis accipiendũ. Quod vero de circumcisione dixi, id de præceptis quoque aliarum ceremoniarum omnium intelligi debet. Hanc etiam regulam tradit Augustinus de doctrina Christiana lib. 3. c. 18. Est autem cognitu & obseruatu necessaria.

His tribus regulis facilè iudicare poterit studiosus sacrarum literarum, quid propriè, quid figuratè sit intelligendum.

Postea verò quàm agnouerimus aliquid esse figuratè accipiendum: tunc ad tollendam ambiguitatem, quæ circa figuratã locutionem versatur, his regulis vtendum erit.


Prima: Omnis figurata dictio aut oratio est etiam translata: Omnis autem translatio fit aut à rebus, aut à verbis, seu nominibus. A rebus, vt Christus leo appellatur figuratè, propter fortitudinem & generositatem, metaphora sumpta à natura leonis generosa & forti. A nominib. verò, vt Christus appellatur λόγος Patris, quòd per eum Pater, Patrisque voluntas abundè patefiat, omniáque per ipsum tanquam per sermonem Patris, facta sint. Vocatur etiam α & ω, translatione facta ab iis duabus literis, ad Christum: quòd sicut illæ sunt prima & postrema, ita Christus sit primus & nouissimus, vt ait in Apoc. cap. 1.

Omnis igitur obscuritas in dictionibus & orationibus translatis, proficiscitur ex ignorantia rerum & proprietatum illarum rerum, vnde fit translatio: aut ex ignorantia significationis & proprietatum illarum vocum atque verborum, vnde figurata oratio est desumta. Quæ cùm ita sint, consequitur, ad tollendam hanc obscuritatem, quæ circa figuratas seu translatas voces & orationes versatur, necessariã esse cognitionem rũ linguarum vocúmque, non Latinarum solùm, sed etiam Græcarum, atque inprimis Hebraicarum: tum etiam proprietatum rerum, vnde factæ sunt translationes. Ex iis enim omnib. fiunt translationes vocũm & orationũ. Atque hactenus de regulis facientibus ad intelligentiam scripturarum: de quibus pleniorem tractationem vide in libello de sacra scriptura, quæstione duodecima, p. 375. & seqq. nunc pauca quædam.

DE LINGVIS SACRAE SCRIPTURAE: & quod Hebraica sit omnium antiquissima: & cur sancta vocetur.


Non est etiam prætereundum, quot & quibus linguis scriptura sacra tradita conscriptáque fuerit. Vniuersum vetus Testamentum Hebraica lingua traditum conscriptúmque fuisse, nisi quòd alicubi inserta sunt quædam tum Chaldaica, tum Syriaca, & Biblia ipsa testantur, & vno eodem consensu tradunt omnes tum Hebræi, tum Græci atque Latini scriptores. Vt autem hac lingua traderetur atque conscriberetur, & non alia, postulabat tum populus, cui Biblia hæc inprimis destinabantur: tum etiam linguæ dignitas atque antiquitas. Populus Hebraicus erat, Hebræa vtens lingua. Congruum igitur erat, vt mysteria salutis ea lingua illi explicarentur, quam optimè intelligebat, & qua ipse aliis eadem mysteria explicare facilè posset. Hac de causa Dominus quoque, cùm loqueretur Patribus, legémque suam daret Mosi, Hebraica vsus est lingua, quemadmodum in ipsis sacris Bibliis liquidò apparet.

Decebat etiam, vt sacra Dei mysteria ea traderentur lingua, quæ esset omnium antiquissima simul, & excellentissima. Hæc autem fuit Hebraica. Hac enim vsum fuisse Adamum, & eius posteros, vsque ad extructionem turris Babel, hinc facilè colligitur, quod ante illius turris ædificationem, tota terra (vt scriptura loquitur) erat labij vnius, hoc est, vnius linguæ. Post autẽ, & propter illam turrim, lingua illa vna, in multas variásque cõfusa fuit linguas. In quibus verò hominib. fuit confusa? In illis duntaxat, qui facinus illud ædificatæ turris admiserunt. Neque enim Deus confudit linguam in iis, qui fuerunt innocentes, vt ex historia Geneseos manifestum est. In ipsis igitur piis, mansit antiquissima illa lingua, quæ omnibus hominibus communis erat. Videmus autẽ in populo Dei, hoc est, in ipsis piis perpetuò mansisse linguam Hebraicam. Vnde & Deus eã vsus est, cùm dedit legem, & loqueretur cum Mose, aliisque Patribus, vt ante dictũ est: & demum Dominus Iesus eadem prædicauit Euangelium. Consequitur igitur, Hebraicam linguam esse omnium antiquissimã, ac proinde etiam excellentissimam. Atque hinc etiam apparet præcipua ratio, cur hæc lingua sancta vocetur, nimirum, quòd cùm aliæ linguæ introductæ sint in Mundũ, propter peccatum, interque Gentes prophanas distributæ, ac proinde sint quasi prophanæ: hæc vna, quæ de principio data fuerat sancto viro Adæ, in ipso etiam populo sancto cõtinuata fuit, eáque vsus est Deus, & sancti Prophetæ, & demum sanctus sanctorum Dominus Iesus. Decebat igitur, vt etiam res sanctæ, per sanctos viros prædicandæ, & conscribendæ, non alia, quàm hac sancta lingua, sancto Dei populo traderentur & conscriberentur. De versione Græca & Latina, vide libellum eiusdẽ Zanchij de sacra Scriptura, quæstio. 10. pag. 325. & seqq. vbi ex professo hanc materiam tractat.



HIERONYMI ZANCHII

ORATIO, DE OFFICIO DOCENTIVM ET DISCENTIVM, TVM IN ECCLESIIS, TVM IN SCHOLIS, QVAM Argentinæ habuit, cùm interpretationem Prophetæ Iesaiæ auspicaretur.



RIPLEX est officium eorum, qui in Ecclesia Christi, tàm in scholis quàm in templis docent: primum, nihil vt de religione doceant, nisi purum Dei verbum. Deinde vt illud interpretentur sincerè, atque fideliter. Postremo, vt vtrumque faciant παῤῥησιαστικῶς, atque fortiter, hoc est, absque vllo hominum respectu aut timore.

Hæc omnia ita esse, abundè docēt sacræ literę Exod. 20. 21. quando Deus constituit Mosen populi sui doctorem, quid ei docendum tradidit? verbum suum, legémque suam, subinde repetens: *Hæc autem eis iura propones. Ies.*8. docet: reiiciendos esse omnes magistros & doctores, qui non verbum Dei, sed sua, omnia docent: reuocat vero nos ad legem, verbúmque Dei, dicēs: Quod si dixerint vobis: sciscitamini à Pythonicis, & diuinis, qui mussitant & demurmurant: an non populus Deum suum consulet? pro viuis ad mortuos? Ad legem, & testimonium i. ad legē recurrendū est: quæ est testimoniū verum voluntatis Dei. Hinc duo habemus, primum, quod Deus solus vult nobis esse magister: alterum, quod is nullibi loquitur nobis, nisi in lege & sacra scriptura: & propterea ad illam nos remittit solam: quippe quæ sit verum plenúmque Dei testimonium. *Hier* 1. Ecce dedi verba mea in ore tuo. Nihil igitur volebat Dominus Hieremiam populum & gentes docere, nisi verbum Dei. *Marc.* 16. Euntes in vniuersum mundum, prædicate Euangelium omni creaturæ. *Matt.* 28. Euntes ergo docete omnes gentes: quid? seruare, quæcumque mandaui vobis. *Rom.* 1. Paulus segregatus? *ad quid?* ad Euangelium Dei. 1. *Cor.* 1. Non misit me Deus ad baptizandum: sed ad Euangelizandum. *Item*, Væ mihi si non Euangelizem. 2. *Tim.* 4. Prædica verbum, *nempe* Dei. *Gal.* 1. Si quis Euangelium aliud, præter quàm quod prędicatum est vobis, annuntiet, anathema sit. Hęc apertissime docent, officium Doctorum in Ecclesia Christi esse, docere purum Dei verbum.

Primum officium Doctorū.

Hanc doctrinam confirmant exempla, cùm Patriarcharum & prophetarum, cùm Christi seruatoris nostri, & Apostolorum. Quid illi in Ecclesia Dei docuerūt? verbum Dei solum præterea nihil, quàtenus scilicet ad salutem necessarium videbatur. Adamus docuit filios suos quæ ipse edoctus fuerat à Deo optimo, & suo conditore. Seth, Enos, & reliqui deinceps, vsque ad diluuium idem verbū Dei quod ab Adamo audierāt, docuerunt filios suos nepotes & pronepotes. A diluuio vsque ad Mosen Noë Sem, Abraham, Isaac, & alij Patriarchæ, quid docuerunt filios suos? verbum Dei idem, quod ipsi didicerāt à maioribus suis. Genes. 18. Dominus de Abrahamo ipso testatur hoc, dicens: *Num celabo Abrahamū, quæ Ego facturus sum: cùm Abrahamus omnino futurus sit in gentem magnam?* deinde addit Dominus: *Hoc quoque scio quod mandaturus sit filiis suis, & domui suæ post se, vt custodiant vitam domini, faciántque iustitiā.* Moses verò non tantùm nihil docuit in Ecclesia Dei sibi cōcredita, quàm purum Dei verbum: sed ipsum etiā literis mandauit, vt illud semper in Ecclesia exstaret: vnde posteri omnes, quæ sit Dei voluntas, facilè agnoscerent. Nec verò aliud prophetæ docuerunt populos, quàm Dei verbum, quod vel legerant in libris Mosis, vel audierant ab ipso Domino Deo. Hinc voces illæ: Factum est verbū Domini ad me. Hæc dicit Dominus. *Luc.* 1. Factum est verbum Domini ad Ioannem Zacharię filium in deserto. Christus ipse quid attulit? verbū quod audiuit à Patre Deo. *Ioan.* 12. Non loquor à me ipso: sed quæ audiui à Patre, hæc loquor in mundo. & verbū quod Christus docebat, idem erat cum illo, quod Moses & Prophetæ docuerant. Proinde subinde remittit Iudæos ad Mosen & Prophetas. Scrutamini scripturas, inquiebant, quia illæ testimonium perhibent de me. Apostoli quid docent? verbum Dei, quod à Christo perceperunt. *Act.* 4. Quæ audiuimus & vidimus, non possumus non loqui. 1. *Ioan.* 1. Quod fuit ab initio, quod audiuimus, quod vidimus, quod manus nostræ contrectarunt, de verbo vitæ, hoc annuntiamus vobis. Apostolorum discipuli Lucas Marcus Timotheus, Titus, & cæteri ferè omnes, nihil aliud cogitarunt, quàm in Ecclesiis Christi, in quibus erant constituti, aut doctores, aut pastores, verbum Dei docere, præterea nihil.

Ezech. 14. item 33. c. 36. cap v. 5. vers. 45.

Ioh. 5.

Huc collimarunt denique omnes, tam veteres, quàm recentiores, sancti ac boni doctores: tametsi horum permulti nonnunquam, quæ est omnium hominum temeritas à verbo Dei discedentes multa ex suis ipsorum inuentis, atque somniis in Ecclesia Dei, maximo cum detrimento Ecclesiæ, reliquerunt.

Quis ex his tùm sacrarum scripturarum autoritatibus tùm sanctorum patrum exemplis non apertè perspiciat, nihil aliud spectandum esse doctori Christiano, quàm vt ipsum solum Dei verbum doceat, in scholis atque Ecclesiis Christi?

Et certe, si spectemus finem, propter quem mittuntur à Deo doctores & prophetæ in Ecclesiam: manifestissimum nobis erit, quodnam sit doctoris Christiani officium. Quorsum prophetæ, Apostoli, doctores omnes in Ecclesiam missi sunt & mittuntur? Duplex est finis. Primus est, vt sint testes Dei, qui testificentur Mūdo, quod Deus sit in Ecclesia præsens: atque significent, quæ sit eius voluntas, quæ præcepta atque iudicia. Huc faciunt istæ sententiæ. *Ioan.* 1. Fuit homo missus à Deo, cui nomen erat Ioannes. Hic venit in testimonium, vt testimonium perhiberet de lumine. *Actor.* 1. Vos eritis mihi testes in Iuda & Samaria, & vsque ad vltimos terræ fines. *Ioan.* 18. Ad hoc natus sum, vt testimonium perhibeam veritati.

In quos fines Prophetæ & Doctores à Deo mittuntur.

Hic finis concernit etiam reprobatos, quibus Deus vult patefieri suam ipsius voluntatem, suam legem, sua iudicia, vt hac ratione, licet omninò non sint reuersuri ad Dominum, nec facturi voluntatem Dei: tamen reddantur inexcusabiles, atque ita ex ipsorum postea condēnatione illustrior fiat eius iustitia & iudicia. *Ioan.* 15. *v.* 22. Si non venissem, & locutus eis non fuissem, peccatum non haberent. Nunc autem excusationem de peccato suo non habent.

En igitur finem vnum, propter quem mittuntur Prophetæ: nempe vt testificentur Mundo, qualis sit Deus,

quæ

quæ eius voluntas, qui cultus, quæ iudicia. Atqui Deus ipse qualis sit: & quæ eius voluntas, non patefit, nisi in puro verbo. Ergo officium ad quod absoluendum mittuntur Prophetæ & ministri omnes, est prædicatio puri verbi, qua prædicatione ipsi reprobi reddantur inexcusabiles.

Secundus finis est, salus Electorum, hoc est, ædificatio & conseruatio Ecclesiæ Christi. Hic vsque adeo est proprius finis missionis Prophetarum & doctorum: vt sit etiam finis propter quem conditus sit Mundus, missa lex, missus Christus, missi Apostoli, missus Spiritus sanctus: nedum missi doctores. Hunc esse finem potissimũ, propter quem mittantur doctores in Ecclesiam Dei, Apostolus apertissimè docet, *Eph.*4. Et ipse *nempe Christus*, dedit quosdam quidem Apostolos, alios prophetas, alios Euangelistas: alios pastores & doctores: *quorsum?* πρὸς τὸν καταρτισμὸν τῶν ἁγίων, ad instaurationem sanctorum, in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi. Legantur reliqua.

Ecce quorsum Apostolos, prophetas, pastores, & doctores in Ecclesia mittat Deus: nempe, vt per illorum ministerium sancti electi, qui subinde labascunt & labuntur, reficiantur, instaurentur, atque ita exstruatur, & ædificetur indies corpus Christi mysticum, donec perueniamus omnes ad vnitatem fidei, & crescamus in virum perfectum.

Atqui Ecclesia, sicut ædificata est verbo, supra fundamentum Apostolorum & prophetarum, Iesum Christum: Ita etiam conseruatur & augetur eodem verbo: quo verbo ablato ab Ecclesia, aut sepulto, omninò Ecclesia corruit, perit, euertitur: quemadmodum nos omnes, ne longè petamus testimonia, nostro hoc seculo experti sumus. Ergo quotusquisque nostrum est, qui non videat, officium doctoris Christiani esse, vt posthabita doctrina hominum sanctum Dei verbum in Ecclesia doceat? possem hoc confirmare multis etiam patrum, tàm Græcorum, quàm Latinorum testimoniis: sed in re aperta immorandum non est. Quare hoc esto extra controuersiam: Primum officium doctoris in Ecclesia & Schola Christi esse, docere purum Dei verbum.

Secundum officium Doctorum. Neque tantùm debet Christianus doctor contentus esse verbo Dei: sed etiam debet illud interpretari sincerè & fideliter. Quid est sincerè & fideliter? hoc est, absque fermento interpretationum humanarum, & prudentiæ carnis, sed iuxta ipsas Scripturas: ita vt scripturas scripturis interpretetur. Hoc vt meliùs intelligatur, afferam vnum aut alterum exemplum. Omnes scripturæ loci vel sunt aperti, vel obscuri. Si sit apertus, tunc sincerè interpretamur, quando iuxta apertum verborum sensum interpretamur. Exemplum: Christus ait: & subinde inculcat: *Qui credit in me habet vitam æternam:* (Ioh. 3. v. 36.) hoc verbum Dei est perspicuum, non semel atque iterum prolatum à Christo: sed centies inculcatum ab ipso & Apostolis. Ergo tunc sincerè interpretamur hoc verbum: quando dicimus, hominem solâ fide, absque operibus legis, iustificari & saluari, quia hoc verbum per sese apertum & clarum est. Contrà illi corrumpunt hoc verbum, qui ad nostram iustificationem contendunt, non sufficere fidem veram in Christum, sed opera etiam legis esse necessaria. Sic corrumpebant & euertebant hoc verbum, imò totum Euangelium Christi, illi pseudoapostoli, qui Galatis persuaserat, non sufficere fidem, sed opera etiam legis necessaria esse ad salutem. De quibus Gal. 1. ait: quòd conturbent ipsos, & velint μεταστρέψαι, hoc est, euertere Euangelium Christi.

Quod si aliquando contingat locus aliquis obscurus: tunc sincerè interpretabimur, quando ita interpretabimur: vt interpretatio nostra non repugnet aliis apertis sacræ scripturæ locis: id fit, quando ad locos scripturæ obscuros interpretandos adferimus non ingenium prudentiæ carnis nostræ, sed alias scripturas apertas. Sic enim fit, vt idem spiritus, qui totam scripturam reuelauit, conformis & constans sibiipsi semper appareat. verbi gratia. Locus ille. Per fidem solam iustificari hominem, apertus est, vt ostendimus. Si igitur occurrat locus, qui videatur primo aspectu concludere, iustificari hominem etiam operibus, vti est locus Iacobi capite 2. Tunc illum locum ita interpretari debemus, vt non pugnet cum priori aperto, de iustificatione per solam fidem. Non pugnat autem, si ita interpretemur, Abrahamum sola quidē fide iustificatũ fuisse, vt conclusit Paulus & Moses, verùm fide non mortua, sed operante per dilectionem, vt cōcludit Iacobus, quibus operibus, iustus ipsis etiam hominibus agnitus & declaratus est. Quando ergo interpretamur scripturas, secundùm ipsas scripturas: tunc interpretamur & docemus verbum Dei sincerè. Petrus hoc docet, cùm ait 2. *Epist.* 1. omnem propheticam scripturam propriæ interpretationis non esse: sed Spiritu sancto inspiratos, locutos fuisse sanctos Dei homines: quasi dicat: Ergo debet etiam illorum prophetiæ exponi, non proprio nostro spiritu, & iudicio: sed illo eodem spiritu, quo fuerunt scriptæ. quomodo hoc fit? Si ad intelligendas illas scripturas afferamus, non nostrum ingenium: sed alias ipsorum prophetarum scripturas. Ergo officium doctoris Christiani est, docere verbum Dei, & illud sincerè fideliterque interpretari.

Postremo addidi liberè & fortiter, hoc est, παῤῥησιαστικῶς, absque vllo hominum respectu & metu. Hoc præcipit Christus multis in locis, additis etiam rationibus multis: quibus demonstrat, ita verbum Domini esse docendum & prædicandum. *Matth.*10. Quod auditis in aurem, prædicate in tectis: & quod dico vobis in tenebris, dicite in luce. (Tertium Doctoris officium.)

At hîc suboriuntur quædam tentationes, quæ sæpiùs retinent atque impediunt doctores verbi, ne liberè proferant, quod iuxta verbum Domini sentiunt, ac probè cognoscunt. Prima tentatio pertinet ad existimationem: & ea est, quâ metuunt, ne, cum prædicant apertum Dei verbum, ab his, qui id non percipiunt, accusentur hæreseos, & nouæ, portentosæ, perniciosæque doctrinæ. Huic tentationi Christus occurrit, dicens: Si vos domesticos, sicut & patremfamilias, appellauerint Beelzebub: ne metuatis (*scilicet hanc infamiam.*) *Quare?* Nihil enim est rectum, quod non sit retegendum, nihil occultum, quin futurum sit, vt sciatur, quasi dicat, Fiet tandem manifestum, vos non esse Beelzebub, neque hæreticos, sed Filios Dei. (Matt. 10. v.25.26.)

Secunda tentatio concernit vitam hanc, ea est, quâ verbi Pastores atque doctores metuere solent, ne, si liberè dicant verbum Dei, à tyrannis occidantur. Huic tentationi resistendum esse, docet Christus, cum ait, [Nolite timere ab iis, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere. Timete eum, qui potest vtrumque mittere in gehennam], imò nihil aduersi vobis contingere potest ab hominibus, si nolit pater vester, absque cuius voluntate, ne passerculus quidem cadit in terram. Quare neque timenda est mors ab hominibus. Idem argumentum confirmat, dicens, [Nónne duo passerculi minuto asse veneunt, & vnus ex illis non cadit in terram, sine patre vestro? Vestri verò etiam capilli omnes numerati sunt. Ergo ne metuatis, Vos pluris estis, quàm estis, quàm passerculi multi.] Postremo adhibet promissionem, si liberè profiteamur se, & suum verbum doceamus ac prædicemus, sin secùs, addit minas. (Matt. 10. v.28.) (Matt. 10. v.29.30.) (v. 32.) Et hoc, quando ait, (Omnis igitur qui confitetur me coram hominibus, confitebor ego eum coram patre meo cœlesti.) Nihil optabilius, quàm coram patre cœlesti agnosci & commendari à filio. Ergo vicissim debemus illum agnoscere, & prædicare coram hominibus, verbúmque eius liberè docere, vtut aliter carni faciendum esse videatur. Liberè igitur docendùm est verbum Dei. *Tit.* 2. Hæc loquere, & exhortare, & argue cũ omni imperio, id est, libere, absq. vllo timore. Hanc παῤῥησίαν docent exēpla prophetarũ, Christi, & Apostolorũ, qui omnes maxima cũ παῤῥησίᾳ prædicarunt verbũ Dei, neq; illos amouere quidpiam potuit à verbo liberè prædicādo, nō metus infamię, non timor mortis, nō inopia, nō persecutiones, non gladius, non ignes, non cruces, nullũ denique supplicij aut tormenti genus. Manifesta sunt exempla prophetarum, Christi, & Apostolorum, vt longâ narratione non sit opus. Illud tantùm diligenter obseruandum esse duco, quod de Michea propheta legimus. 3. Reg. 22. Consulti prophetæ circiter 400. ab Achabo, eundúmne sit cum exercitu in Rhamatha Galaaditarum néc ne? omnes vno ore in regis gratiam, læta Regi annuntiant, eundum esse. Eâ enim ipsum vrbe potiturum. Accersitur etiam Micheas prophera Dei, vt suam dicat sententiam. Interim dum venit propheta hortatur eum nuntius, vt, quoniam cæteri prophetæ vno ore prædixerunt Regi fausta, ipse quoque illorum exemplo, fausta prædicat. Quid Micheas? *Testor*, inquit, *Deum, quod mihi à Domino mandatum fuerit, id me demum esse dicturum.* quasi dicat, non in gratiam hominum loquendum esse, sed quod iubet Dominus, vt lo-

quamur in verbo suo: tametsi illud fortè non arrideat regi, neque etiam placeat prudentiæ nostræ, nihil refert. Neque enim prædicari & doceri vult Deus verbum suũ duntaxat propter salutem electorum, sed etiam cum primis propter gloriam suam: quæ etiam illustris redditur ex perditione reproborum, vt Apostolus Rom.9. docet: & *Prouerb.16.* Omnia propter semetipsum creauit Dominus, etiam impium ad diem malum. Cùm igitur etiam impiorum perditio seruiat gloriæ Dei, omnia sapientissimè ordinantis, prædicandum est liberè verbum Dei, etiamsi inde reprobi occasionem arripiant, quæ est sua ipsorum malitia, impingendi, prolabendiq. in maiora scelera, & denique in æternam mortem. Hæc est enim natura verbi & Christi, vt aliis sit ad salutem, aliis ad interitum. Christus est lapis angularis Electis:
1. Cor. 1. v.15. est etiam petra scandali reprobis. Positus est in resurre-
1. Pet. 2. v 6.7.8. ctionem multorum, *id est, electorum:* est etiam positus in ruinam aliorum, id est, reproborum. Verbum Euan-
Luc. 2. v.34. gelij odor vitæ ad vitam electis, qui salui fiunt: est etiam odor mortis ad mortem reprobis, id est, iis, qui pereunt. Christus *Ioan.9.* Venit in Mundum: vt non videntes videant, venit etiam, vt videntes cæci fiant. Non est igitur metuenda vel propriæ existimationis, aut facultatum iactura, vel minæ hominum, vel huius corporis mors vel denique reproborum perditio: quin verbum Dei sincere & liberè prædicemus ac doceamus.

Quare manifestum ex iis est, quod sit officium verorum Ecclesiæ doctorum: nimirum, 1. docere verbum Dei solum, ergo non doctrinas & placita hominum. 2. interpretari illud sincere & fideliter: ergo non corrumpendum interpretationibus prudentiæ nostræ. 3. liberè: ergo non in gratiam hominum: neque timendus mundus, vel aliquorum perditio, nempe impiorum ac reproborum, quibus omnia vertuntur in exitium ob suam corruptam naturam. E diuerso, manifestum fit, quodnam
Pseudopro phetarũ & falsorum Doctorum studia. sit studium pseudoprophetarum, & falsorum doctorum in Ecclesia Christi. 1. docere doctrinas hominum, non verbum Dei. 2. Si tamen verbum Dei aliquando prædicent illud deprauare falsis interpretationib. 3. tempus à prudentia carnis 3. Etsi aliquando nõ corrumpant, tamen prædicare in gratia hominum, illa tantùm docendo, quę humanæ prudẽtiæ aut arrideant, aut non ita displiceat.

Quæ cùm ita sint, Ergo etiam mea interest, primùm, solum Dei verbum in hac schola profiteri. Qua e minimè à me debetis exspectare doctrinas hominum, neque philosophorum, neque oratorum, neque verò etiam doctorum Ecclesiasticorum, seu antiquorum seu recentiorum, nisi quatenus & ipsi afferunt verbum Dei. Deinde officium meum postulat, vt hoc verbum interpreter sincerè atque fideliter, iuxta ipsum Dei verbum & mentem Spiritus sancti. Nemo igitur mirari debet, si videat me non semper aliorum sequi interpretationes, & à nullo quantumuis magno viro in explicandis scripturis prorsus pendere, præsertim si me ab illo dissentire ipsæ scripturæ aliquando coegerint. Etenim in nullius hominis verba iuraui, aut iurare Christianum decet, ita vt ab illis dissentire nunquam liceat in explicandis scripturis. Quid enim hoc esset, nisi eodem homines, & hominum verba honore dignari, quo Deum & solum eius verbum afficere debemus? Deus solus talis est, vt in eius verba iurare omninò debeamus, & solæ sacræ scripturæ huiusce modi sunt, hoc est, tàm veræ, firmæ atque certæ, vt ab aliis ne latum quidem vnguem declinare fas sit. Si ergo præter Canonicas scripturas libros quoque, & interpretationes omnes Sanctorum patrum, ita nobis sequendas sumimus, vt ab eis nunquam liceat dissentire, annon in pari & æquo autoritatis gradu locabimus, & patrum libros, & Spiritus sancti scripturas? Hoc autem quàm impium sit, nemo non videt. Deinde magna fieret iniuria liberalitati Spiritus sancti inexhausti. Idem enim Spiritus sanctus, qui aperuit mentes patribus ad intelligendos multos scripturarum locos: potest etiam nos tanto intelligentiæ lumine donare, & subinde donat, vt multos sacrarum Scripturarum locos intelligamus, quos illi non intellexerunt. Neque enim omnia omnibus reuelauit. Ergo si velimus patres per omnia sequi: quid hoc fuerit, nisi præcludere viam donis Spiritus sancti? Aliter certè iubet Apostolus. qui 1. Cor.14. vult vt quisque, prout ei donatum fuerit à Spiritu sancto, suam liberè dicat sententiam, deinde iudicium sit penes Ecclesiam. *Prophetæ,* inquit, *duo aut tres loquantur cæteri diiudicent. Porrò si alij reuelatum fuerit: prior taceat.*

Ergo si reuelatum fuerit Augustino, quod non Hieronymo: taceat Hieronymus, loquatur Augustinus. contrà si quid Hieronymo, quod non Augusti.no: taceat Augustinus, & loquatur Hieronymus. Ita de nostris. Si quid reuelatum sit Luthero, quod non Zvvinglio: taceat Zvvinglius, & loquatur Lutherus. & contrà, si quid Zvvinglio, quod non Luthero: taceat iste: loquatur ille. Ita de reliquis. Sed iudicium sit semper penes Ecclesiam: cæteri, inquit, diiudicent. Quid? quod non solùm Spiritui sancto: sed etiam ipsis doctoribus, quos imitandos suscepimus, maxima fit iniuria: cùm ita ab illis pendemus, vt ab eis aliquando dissentire, religio nobis sit. Nam ipsi scriptum reliquerunt, non sequendum esse, nisi verbum Dei. Sic Augustinus. Apertè enim dicit: (se nolle suos libros admitti: nisi quatenus conformes sunt diuinis scripturis.) Sic omnes verè pij doctores fatentur: & ita faciendum docent. Inde cum multi ex nostratibus à nonnullis arguerentur, quod in interpretandis scripturis discreparent à Patribus, responderunt: non esse per omnia sequendos patres, quippe qui, cum homines essent, in multis hallucinari fuerint: donum interpretandi scripturas, perinde nunc multis donari à Spiritu sancto: atque patribus donatum fuerit. Sic illi: & optimè quidem responderunt. Si ergo nos proponamus nobis vel Patres, vel nostros in omnibus ita sequendos, vt ab eis dissentire numquam liceat: quid effecerimus? contra id profectò. quod ipsi nobis optime consuluerunt, & scriptum reliquerunt: nempe nullo modo pendendum esse ab hominibus, quantumuis sanctissimis atque doctissimis, sed à solo Dei verbo. Atque ita fieret, vt, dùm vellemus eorum doctrinam in omnibus tueri, eam euerteremus. Contra hoc sapientissimum consilium facere, est sectis fenestram aperire. Hinc enim sectæ in Ecclesia Christi oriuntur, cùm scilicet homines plus æquo admiramur, & in illorum verba iuramus. Ita enim fit vt paulatim neglecto vnico præceptore Christo, quisque suum sibi ex hominibus deligat magistrum, quem in omnibus sequi in animum suum inducat, ac quot fuerint præceptores, tot oriantur sectæ. Hoc iam inceperat Corinthi tempore Pauli, ideò arguit illos, Apostolus. quod hac ratione in sectas diuiderentur, dùm alius dicebat, Ego sum Pauli Ego sum Cephæ, Ego sum Apollô. Hinc etiam sectæ 1. Cor. 1. v.12.
ortæ sunt multæ in Ecclesia Romana. inter Monachos, dum alius sibi proposuit imitandum Thomam, alius Scotum, alius alium, ita vt ab eis dissentire nefas fuerit. Quare non erubuerunt vocare se alij Thomistas, alij Scotistas, alij Occanistas. Vereor ne (Satanâ ita operante & Deo permittente, propter nostram ingratitudinem in Christum, & propterea in eius Euangelium) huiusce modi sectæ in Ecclesia iterum oriantur, dum alius gaudet appellari Zvvinglianus, alius Lutheranus, alius Caluinianus. alius alio cognomine. Doctissimi omnes isti suscipiendi, amandi, vt poté de Ecclesia Christi optimè meriti. legendi etiam sunt diligenter horum libri. & quidem etiam multorum patrum voluminibus præferendi, quippe qui sacras literas maiori dexteritate iuxta mentem Spiritus sancti, quàm Patres multis in locis, imo ὡς ἐπὶ τὸ πολύ interpretati sunt, & Christianam doctrinam e tenebris eruerunt, mirabili perspicuitate illustrarunt, mira breuitate complexi sunt, pulcherrima etiam methodo explicarunt. Cæterum licet tanti viri magni sint faciendi, propter singularia Dei dona, quibus ornati fuerunt & sunt, ac proinde errare potuerunt, sicut & patres, iccircò non sunt aut ipsi aut ipsorum libri, ceu regula fidei nobis proponendi, vt non liceat ipsis, cùm opus est contradicere. Solus autor sacrarum scripturarum, est Deus. Ergo ille solus errare non potest. Quamobrem dicamus, vt ille, amicus Socrates: amicus Plato: magis amica veritas. Imò nil gratius possumus facere ipsis doctoribus etiam, si videant, nos ita affectos, vt nihil velimus in religione & scripturis interpretandis admittere, nisi quod habeat testimonium apertum in sacris literis. Discamus à Paulo. qui noluit pendere neque ab omnibus aliis simul Apostolis, sed arguit Petrum libere. quare? quia habebat apertum Dei verbum, contra illud, quod agebat Petrus.

Hæc iccircò pluribus explicaui, vt ostenderem vobis, quàm indecorum doctori Christiano, & quàm detrimentosum Ecclesiæ Dei sit, ita pendere ab hominibus, vt ab eis non liceat vmquam discedere.

Quare

Quare videtis, iustissimas mihi causas esse, cur non debeam semper aliorum interpretationes sequi: sed quas perspicuum fuerit, esse ipsissimum verbum Dei, & mentem Spiritus sancti: id quod est interpretari Scripturas sincere atque fideliter.

Postremo mea interest, hoc idem verbum docere etiam liberè, id est, in nullius gratiam, & absque vllius metu. Obsecro Deum Patrem: vt illam παῤῥησίαν, quam Apostolis largitus est, mihi quoque concedat, & nunc, & semper. quorsum? ad patefaciendam magis ac magis ipsius gloriam in verbo suo, & promouendam salutem electorum. Ergo nullus mihi succensere debebit, si liberè pronuntiabo, quod liquidè cognouero esse apertum Dei verbum.

Hæc de officio meo, & eorum etiam omnium, qui in Ecclesia Christiana docent, dicta sunto.

DE OFFICIO AVDITORVM.

AVditorum Christianorum officium est, audire verbum Domini, à quocumque prædicetur & doceatur: idque solicitè, attentè, & cum timore Dei. Hæc omnia nunc singularim demonstrabo.

Ac primùm quidem officium nostrum esse: vt audiamus verbum Domini, nemo est, qui dubitet, cùm Dominus vbique id nobis mandet. Libri Mosis huiuscemodi præceptis pleni sunt. Vbique enim inculcat Dominus suam legem: & iubet nos eam audire. Prophetæ
Ies. 1. v. 10 ad rauim vsque clamant: *Audite, Audite, verbum Domini*, quin vel ipsa elementa: ipsósq; cælos compellant ad audiendum verbum Dei: Clamat Iesaias, dicens. *Au-*
Ies. 1. v. 1. *dite cœli, & auribus percipe terra: quia Dominus locutus est* capitulo quadragesimo nono, *Audite insulæ, & attēdite populi de longè*. Sed ne omnia loca, quibus nos iubemur audire verbum Dei recenseam: vnum illud, quod est Matth. decimo septimo sufficiat: Pater cœlestis præcipit de cœlo, vt Christum filium suum audiamus omnibus nobis loquentem dicens: *Hic est filius meus dilectus: in quo mihi benè complacui: hunc audite*. Atqui hic Christus, idem ille est Deus, qui locutus fuit in Mose, &
2. Cor. 13. 3. in Prophetis, & in Apostolis. Vnde Paulus: *an experimentum quæritis eius, qui in me loquitur, Christi?* Ergo hæc patris vox de cælo iubet, vt totum Dei verbum audiamus, id est, ipsum Christum loquentem, tam in Mose & Prophetis: quàm in persona sua, & Apostolis. Quanta vero minetur eis, qui negligunt verbum Dei, nemo est, qui nesciat. De Prophetis ait. Deuter. cap. decimo octauo *se animaduersurum in illos, qui non audierint & ob-*
Heb. 2. v. 15 *temperauerint Prophetis*. De Christo: Hebr. ca. 2. & ter-
item 4. v. 7. tio. *Si enim, qui per Angelos habitus est sermo fuit ratus: & omnis transgressio & inobedientia accepit iustā retributionem: quomodo nos effugiemus, si tanta neglexerimus salutem? Videte ne contemnatis loquentē & hodie, si vocem eius audieritis nolite obdurare corda vestra*. De Apostolis Matth. 10 *Quod si quis non susceperit vos, nec audiat sermones vestros, exeuntes de domo illa, vel Ciuitate, excutite puluerem de pedibus vestris: Amen dico vobis: remissius erit terra Sodomæorum & Gomorrhæorum in die iudicij, quàm Ciuitati illi*. Ponderanda sunt diligēter verba ista Christi; & verbis apertis, & signo perspicuo addito, ostēdit magnitudinē & delicti & pœnæ manentis illos, qui respuūt verbū Dei. Verba sunt aperta. Remissius erit terræ Sodomæorū, & vt ostēdat, verissima esse, addit iusiurandū, dicens. Amē. Signū etiā adhibet, quod est excussio pulueris de pedibus Apostolorum, dicēs, Excutite puluerē, q. d. Hoc actu significate illis, qui respuūt nec verbū Euāgelij audire voluūt, tantā esse magnitudinē peccati illorum, & tantam esse pœnam, quæ eos maneat, & quàm breui sensuri sint: vt non sustineatis habere communicationem cum illis, ne pulueris quidem, qui pedibus vestris adhæserat. Sic Luc. capitulo decimo: *Dicite: eum puluerem, qui adhæsit nobis de Ciuitate vestra, extergimus in vos*. Actorum capite decimo tertio hoc præstitit Paulus. *contradicentibus Iudæis Antiochiæ, Pisidiæ, verbis Pauli, & eū audire nolentibus, ipse simul cum Barnaba, excusso puluere pedum, ab eis discessit*. Idē Act. cap. decimo octauo. Corinthi cùm esset, ac Christum illis prædicaret: Contradicentibus Iudæis, atque cum audire non sustinentibus: Paulus maximum exitium eis de-
Act. 18. v. 6. nuntians, scidit vestimenta sua, & ait: Sanguis vester in caput vestrum: mundus ego ex hoc ad gentes vadam.
Matt. 11. Væ tibi Chorazim, væ tibi Bethsaida, &c. Nihil est, quod magis iram Dei concitet aduersus nos, Matth. 11. 21.
quàm vbi verbum Dei, nobis annunciatum, non audimus: sed negligimus, atque reiicimus. Quid enim est hoc, nisi Deum ipsum negligere & reiicere? Id Christus ostendit in Euangelio, dicens: *Qui vos recipit, me recipit: qui me recipit, eum recipit, qui misit me*. Ita contrà reiecto Luc. 10.
vero Deo, quid boni sperare possumus? Hinc deinde pestis, quæ caros nostros à nobis aufert. Hinc crudelia bella: hinc agrorum sterilitates, hinc omnia mala. Legatur Iesaias 5. cap. Econtra verò, beatos pronuntiat Dominus, qui verbum Dei audiunt, eísque omnia bona pollicetur, Luc. 11. Beati (inquit) qui audiunt verbum Dei & custodiunt illud. Psalm. 1. Beatus vir, qui in lege Domini meditatur, de ea dies & noctes cogitans. Hic erit tanquam arbor, quæ ad aquæ riuum sata, fructum suum fert tempore suo, foliis nunquam cadentibus, denique omnia faciet prosperè. Impij verò (qui verbum Dei respuunt (similes sunt paleæ, quam ventus agitat. Et certè, qui non delectantur verbo Dei, atque in eo non acquiescunt: à mille ventorum generibus agitentur necesse est. Quod ad mentem attinet, circumferuntur omni vento doctrinæ, variis erroribus atque Eph. 4. v. 14.
hæresibus, vt ait Apostolus. Quod ad cor attinet, vbi sedes est affectuum, omni concupiscentiarum genere agitantur: vt etiam Iesaias testatur alia similitudine dicens: *Cor impij sicut mare æstuans* & iure. Solum enim Ies. 57.
Dei verbum, fide perceptum, illud est, quo pacificantur corda & conscientiæ nostræ. Huc accedit, qui in varia scelera eos impellit Satan: Deus verò variis pœnarum generibus exagitat. En quomodo etiam in hoc seculo, impios, qui non delectantur verbo Dei, à vento veluti paleas exagitari pronuntiat Propheta! Proinde, qui vitam beatam viuere cupit, non solùm in altero, sed etiam in hoc seculo: is audiat verbum Dei eo delectetur: in illo meditetur dies & noctes, necesse est. Atque hoc dico esse cuiusque Christiani officium.

Adieci deinde, A QVOCVNQVE ILLVD ADFERATVR. Neque enim spectandæ sunt personæ, quæ docent: sed verbum ipsum, quod docetur. Christus hoc docet, Matth. 23. In cathedra Mosis sedent scribæ & Pharisæi, quæ dicunt facite: nempe, quatenus è cathedra loquuntur, id est, docent legem Mosis, & verbum Dei. Hoc propterea addidi, quia permulti sunt, qui verbum audire negligunt, nisi illi, qui docent verbum, sint aut sanctissimi aut eloquentissimi viri: hæc non sunt in primis spectanda: sed videndum est, an adferant purum Dei verbum, nécne. Si non adferant puram doctrinam: etiamsi fuerint non sanctissimi modò, sed angeli de cœlo: non solùm non sunt nobis audiendi: sed anathema esse debent, vt Apostolus pronuntiat, ad Galat. 1. Si verò adferant purum Dei verbum: quicunque illi sint, audiantur, modò certò nobis constet, afferri ab eis purum verbum Dei. Ergo audiendum est verbum Dei à quocunque adferatur.

Addidi præterea, STVDIOSE, hoc est, ita, vt omnia alia posthabeantur propter verbum Dei audiendum. Deus enim est, qui loquitur in suo verbo. Vt igitur Deus audiatur, cur non reliqua omnia negligantur? Nil etiam nobis magis necessarium ad omnia mala vitanda, & ad bona omnia consequenda, denique ad vitam æternam comparandam: Cur ergo non studiosè audiatur?

At res meæ domesticæ non sunt negligendæ? Non dico, vt tuæ vocationis munus negligas, quod vt diligenter obeas, mandat Dominus: sed hoc tantùm dico, auditum verbi Dei præponendum esse rebus omnibus huius seculi, ac quærendam esse priùs iustitiam Dei in verbo, cætera deinde curanda. *Quærite* (inquit Christus) *pri-* Matt. 6.
mùm regnum Dei, & iustitiam eius: & hæc omnia adijcientur vobis.

At quispiam dicet, quomodo omnia dicit Christus subministratum iri à patre iis, qui quærunt iustitiā? cum videamus illos, qui delectantur verbo verè, & sunt verè pij, tamen præ cæteris esse egenos, pauperes, ægrotos, miseros? Respondeo. Primùm, per istud *Omnia* intelligit Christus, omnia, quæ pater agnoscit nobis esse necessaria ad vitam Christianè transigendam. Neque enim simpliciter ait, Et *omnia adijcientur vobis*, sed notāter ait, Et *Hæc omnia*. Quæ hæc omnia? illa quæ nobis necessariò curanda & paranda putatis, vtpote ad hanc

vitam Christianè transigendam necessaria. Atqui hæc non desunt filiis Dei, qui quærunt iustitiam. Nam licet aliquando videatur nos deserere, neque subministrare necessaria, tamen non deserit. Nouit, quando adiicienda sint: & quando detrahenda, iuxta rationem salutis nostræ. Vndè pulchrè Augustinus: Nemo enim homo, cùm plerumque iumento suo cibaria detrahit, cura sua illud deserit, sed potiùs curando hoc facit. Sic igitur & Deus pater nobiscum agit. Deinde illi habent omnia, qui habent quod volunt. Atqui sancti, qui quærunt in primis iustitiam, & regnum Dei, habent quidquid volunt. Nihil enim aliud volunt, nisi id quod habent, & illo contenti sunt. Nam vsque adeò conformes sunt voluntati Dei, vt nolint, nisi quod vult Deus, se habere. Sciunt autem per fidem, velle Deum, vt habeant id, quod tantùm habent, siue paupertate, siue ægritudine. Ergo ipsi quoque volunt illa, prætereà nihil. Cùm igitur nil ampliùs desiderent, nec velint, quàm quod habent, atque ita nihil illorum voluntati desit: omnia dicuntur habere. Quid hoc præstat? verbum Dei fide acceptum, quod adeò regenerat homines, & conformes reddit voluntati Dei, vt nihil velint, nisi quod velit Deus, atque ita ditissimi & felicissimi sint. Ergo manifestum est, quærendum esse primùm regnum Dei, & audiendum Dei verbum: deinde hæc omnia, quæ necessaria nobis sunt, à patre dari. Non est igitur, non est, cur dubitemus, quidpiam nobis defuturum: si animum primùm adiecerimus ad audiendum studiosè verbum Dei, in quo quæritur Dei regnum & illius iustitia: cùm Christus, qui non potest fallere, dixerit: Quærite primum regnum Dei & iustitiam eius: & hæc omnia adiicientur vobis.

Adieci quarto loco, ATTENTE. Si enim attentionem requirunt omnes oratores, cùm orant: quanto magis præstanda est Deo, cùm nobis profert verbum suum & nos alloquitur? Attentè audimus, quæ vtilia nobis sunt, quæ honesta, quæ delectabilia, quæ necessaria. At quid verbo Dei aut vtilius, aut præstantius, aut delectabilius, aut magis necessarium nobis esse potest? Attentè igitur est audiendum.

Denique addidi, CVM TIMORE DEI. Est enim valecendum omni prudentiæ nostræ, quando audimus verbum Dei, captiuandus est intellectus in obsequiũ Christi, quando audimus Deum loquentem, erigendi sunt oculi nostri cum timore & reuerentia in Deum viuentem, in cœlum vsque: quando de cœlo nos verbo suo alloquitur. Sic Moses fecit, quando audiuit Deum sibi loquentem in monte: sic omnes Prophetæ: sic Apostoli. Sic Paulus auditum verbum Euangelij à Christo, non contulit cum carne & sanguine, id est, cum prudentia carnis suæ, an illud acceptare debeat, nécne? an prædicandum sit illud: nécne? sed vale dicto omni prudentiæ suæ (quamquam aliter etiam exponatur locus ille) abiit statim in Arabiam, deinde in alias regiones, prædicatum illud verbum. Ecce timorem! ecce reuerentiam! quam adhibere debemus audiendo verbo Dei. Est igitur verbum Dei audiendum, sed studiosè, attentè, & cum timore ac reuerentia Dei.

2.Cor.10.

Gal.1.v 16.

Hæc de officio Christiani auditoris dicta sunto. Nunc de officio tàm doctoribus quàm auditoribus Christianis communi, quædam, præter ea, quæ dicta sunt, disseramus.

DE OFFICIO VTRIVSQVE tam doctoribus, quàm auditoribus communi.

Officium & munus omnium nostrum, optimi auditores, est, sic verbum Dei nobis oblatum, viua fide percipere, atque in profundo cordis collocare, & conseruare, vt per illud primùm cor ipsum & totus interior homo renouetur, purificetur, regeneretur: deinde pariat ac proferat suo tempore fructus bonorum operum. Hoc nostrum esse officium, tametsi negare nemo possit, tamen propter studiosos, ad maiorem ipsorum vtilitatem, aliquot argumentis & scripturarum locis demonstrabo.

Ac principio quidem à fine, cùm rerum omnium, tùm reuelati post orbem conditum Euangelij. Hoc liquidò demonstratur. Hic est enim finis, propter quem statim à peccato Adami, Deus verbo suo illum arguit, deinde pollicetur salutem in semine Christo: vt hoc auditum verbum Adamus in corde fide receptum seruaret: ac per illud primùm regeneraretur, restauraretur ad pristinam, quam perdiderat, Dei imaginem, atque ita fieret noua creatura: dein ita regenitus, fructus deinceps bonos, iuxta voluntatem Dei, pareret, ac proferret.

Hic finis est, propter quem data lex, missi prophetę, factæ omnes promissiones, sæpè afflictus populus Dei, sępe etiam ab exilio reuocatus & maximis beneficiis affectus fuit: hic, inquam, est finis, propter quem (vt vno verbo dicam) omnia à condito Mundo ad Christum vsque, facta à Domino legimus: siue minæ, siue promissiones: siue beneficia, siue flagella. Omnia enim hæc eò dirigebat Deus, vt homines, præsertim electi altera ex parte, perspectâ irâ Dei contra peccata, contererentur, ac penè morerentur: altera verò ex parte, agnita ac visa Dei misericordia in Christo promisso, erigerentur & excitarentur quasi à mortuis, regenerarentúrque in nouas creaturas, atque ita vitam cœlestem viuerent, & fructus bonorum operum proferrent. Hic est finis, propter quem Christus est missus in Mundum, cruci affixus, mortuus, sepultus, conscendit in cælum ad dextram Patris: missus Spiritus sanctus, condonauit peccata, liberauit nos à morte, donauit sua iustitia & vita æterna.

Audite Apostolum: Tit. 2. Apparuit gratia seruatoris nostri Dei omnibus hominibus erudiens nos, quorsum? vt abnegantes impietatem & secularia desideria, sobriè, iustè, & piè viuamus in hoc seculo, exspectantes beatam spem, & aduentum gloriæ magni Dei. Hic est finis baptismi, in quo, vt Apostolus ait, consepelimur cum Christo: deinde resurgimus cum eodem Christo, vt consepulti cum Christo, non ampliùs viuamus peccato: resuscitati verò cum eodem Christo, vitam cœlestem agamus, viuentes Deo. Tit. 2. v. 11. 12. 13.

Audite Apostolum: Rom capite sexto. Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem, vt quemadmodum Christus resurrexit ex mortuis, per gloriã patris: ita & nos in nouitate vitę ambulemus. Non hæc dixit Apostolus, quasi mors & resurrectio Christi, sit tantùm exemplar mortis & resurrectionis nostrę spiritualis, sed potissimũ mors & resurrectio, cuius vtriusque participes simus in baptismo, nos qui electi sumus ad vitam æternam, causæ sunt & mortis nostræ, qua morimur peccato, & resurrectionis, qua resurgimus in nouam vitam, viuentes Deo. Hic etiam est finis Cœnæ Dominicæ. In hac enim manducamus carnem & bibimus sanguinem Domini verè, ea ratione, qua & Apostoli manducarunt & biberunt: quorsum? vt ita incorporati Christo, qui sedet ad dexteram patris in cœlis, nos quoque spiritu nostro, ab hisce terrenis sordibus in cœlum vsque ad Christum eleuemur: atque ita tametsi corpus nostrum hîc in terris adhuc serpat: tamen animus noster, spiritus noster, interior homo noster viuat in cœlo, non amplius cogitans, aut curans, quæ sunt mundi, sed quæ sunt cœlestia. Rom. 6. v. 4. Col. 3.

Ecce finem harum rerum omnium, quas recensuimus, quis sit? nempe mutatio nostra, regeneratio nostra, iustificatio nostra, ac denique nostra glorificatio. Ergo hic etiam est finis, propter quem Deus optimus, ac benignus pater, Euangelium suum in Ecclesia reliquit, ac doceri vult: nempe, vt illud Electi fide percipiant: fide receptum in corde conseruent ac custodiant: illo custodito in corde, in dies magis regenerentur, regeniti, fructus nouæ vitæ proferant: bonis fructibus absolutis, in cœlo glorificentur. Audite Apostolum loquentem de Euangelio, quo patefacta est nobis facies ipsius Dei, tãquam ablato velo, quod antea impedimento nobis erat sub lege, ne faciem Domini contemplari possemus: audite quid dicat: 2. Cor. 3. Nos autem omnes, reuelata facie, gloriam Domini contemplantes, in eandem imaginem transformamur, à gloria in gloriam, tanquam à Domini spiritu, id est, nos per Euangelium fide receptum, reuelata facie, nullóque obiecto velamine, gloriam Domini contemplamur. Ecce quid primò nobis adferat Euangelium fide receptum? nempe facit, vt Deum quasi à facie ad faciem videamus, & illius gloriã contemplemur. Quorsum verò hoc pręstat nobis Deus per Euangelium suum? respondeo, vt ex hac contemplatione gloriæ Dei, etiam nos renouemur & transformemur, in eandem imaginẽ, quæ, vt alibi ait Apostolus,

est in

est in iustitia & sanctitate vera, atque ita renouati, fructus
Eph. 4.24. nouæ vitæ proferamus: ideo addit, in eandem imaginem transformamur à gloria in gloriam. En igitur finem, propter quem nobis electis annunciari vult pater Euangelium suum: nimirùm vt fide à nobis perceptum, atque in corde, tanquam optimum semen in terra bona reconditum tandem proferat fructus ac spicas bonorum operũ. Nam, Qui seminat frumentum, aut quoduis aliud seminis genus, quorsum in terram illud seminat? nunquid vt pereat & vt perdatur? nequaquam: sed vt satum ac sub terra benè conditum proferat tandem fructum copiosum & bonum. Ita Deus non ob hanc causam seminari vult & annũtiari hominibus Euangeliũ, vt illud pereat, vt tantũ audiatur, præterea nihil fiat: sed ideò seminat illud vt fide percipiatur, in corde condatur, ibi altas radices agat, ac deinde per fructus bonorum operum sese exerat ac patefaciat. Hoc omninò impletur in electis.

Quod si aliquando semen hoc videatur perire, vt in reprobis, non hoc fit vitio seminantis Dei, aut seminari verbi, sed vitio fit reproborum, qui suapte naturâ pessima & sterilis terra sunt, plena saxis, referta spinis.

Hac similitudine seminis libenter vtor, quia hac etiam Dominus noster Iesus Christus, loquens de verbo Euangelij, vsus est Matth. capite decimo tertio & Luc. capite octauo, & apertè parabolam explicans ait, semen est verbum Dei: terra bona electi sunt, via ab hominibus protrita, terra etiam petrosa & terra spinosa reprobi.

Ex hac similitudine videmus officium nostrum, sicut officium bonę terræ sunt, semen recipere & retinere: vt tandem faceret fructus: ita nostrum est, qui sumus bona terra, id est, electi, verbum Dei nobis annunciatum, sic fide viua percipere & in corde seruare, vt tandem per illud magis ac magis renouati, tanquam bona terra fructum bonum feramus, alios centesimum, alius sexagesimum, alius trigesimum. Hoc est, quod a iã similitudine explicat Dominus cùm ait: Ezechiel. capite secundo, oblato volumine magno, quod erat scriptum vndiquaque, fili hominis comede volumen illud comede librum. Necesse enim erat Ezechieli sic vt & omnibus doctoribus & ministris verbi, vt priùs verbum Domini ipse fide perciperet, traiiceret in cor, in stomachum spiritus, ante quàm aliis, nempe Iudæis prædicaret. Nam quid est comedere librum: & comedere verbum Dei? est fide verâ illud percipere, & traiicere in stomachum animæ nostræ, & spiritus, atque ibi seruare.

Hoc certè nobis præstandum est, si velimus, vt nobis prosit hoc verbum Domini, alioqui non proderit, nisi ad condemnationem. Nam quemadmodum panis, nisi manducetur, & in stomachum traiiciatur, nil prodest, ita verbum Dei, nisi viua fide percipiatur, & in cor traiiciatur, non prodest ad salutem. Ratio huius similitudinis est.

Verbum Dei est panis vitæ propter Christum in verbo contentum ac per verbum ministratum, qui Christus de se ait, Ioan. capite 6. Ego sum panis vitæ, propter quem Christum panem verum, etiam verbum dicitur panis, κατ' μετωνυμίαν. Huc spectant illud Pauli 2. Timoth. capite secundo, vbi alloquens Timotheum, cura vt exhibeas teipsum ὀρθοτομοῦντα τὸν λόγον τῆς ἀληθείας: quasi incidentem panem filiis Dei. Ergo fide vera percipiendũ nobis est & manducandum & traiiciendum in cordis ventriculum tanquam panis.

Hoc certè officium nostrum omnium est. Vt autem id fiat rogandus est ardentiss mis votis Dominus, vt hanc viuam ac veram fidem, quam Apostolus Tit. 1. vocat fidem Electorum, nobis pro sua gratia donet. Est enim fides singulare Dei donum, & quod ad inchoationem & quod ad consummationem ipsius fidei attinet: vt apertissimè post Apostolum Paulum, Augustinus inter cæteros ostendit ac probat, cùm alibi tum præsertim in libro de Dono perseuerantiæ. Cùm igitur non sit nostri arbitrij, fidem præstare verbo Dei, aut fide illud traiicere in corda nostra: sed donum Dei sit, qui gratis illud dat cui vult: quia, *cuius vult miseretur: & quẽ vult, indurat:*
Rom.9.15. ideò enixissimè orandus nobis est Dominus, ac petenda fides, quia verbum eius auditum in cor nostrum traiicere possimus, ac tandem fructus se dignos, in nobis pariat.

Hæc ornatissimi auditores, de iis rebus officiis libuit præfari: antequam volumen sacrorum Bibliorum interpretandum in manus accipiam. Nunc, si quis interroget, quidnam in sacris Bibliis sim interpretaturus, paucis respondeo, VETVS TESTAMENTVM. Idque propterea, quod cùm vtrumque Testamentum in Ecclesia Christi sit prædicandum & interpretandum, quemadmodum in Ecclesia Dei semper fieri consueuit: idque primùm, vt hoc modo patefiat vtrũque Testamẽtum tam vetus quàm nouum, ad nos Christianos, quatenus Christus declarauit, pertinere: deinde, quia alterum alteri fidem facit: Nouum verò Testamentum duo alij mei obseruandi collegę, D. D. Marbachius, & D. Ludouicus Rabus, interpretentur. Operæpretium, imò necessarium est, vt Ego Vetus explicandum suscipiam.

Audistis in genere, quam Scripturæ sacræ partem sim interpretaturus. Cæterùm cùm vetus Testamentum multos contineat libros: atque à Christo Seruatore nostro, Luc. 24. diuidatur in Mosen, Psalmos & Prophetas quãnam harum trium partium Zanchevis nobis interpretari? Prophetas. Quamobrem vero hoc à me fiat, inter interpretandum ipsos Prophetas, intelligetis: nempe quia Prophetarum lectio vtiliss ma, simul & necessaria, nostro hoc seculo, mihi esse videtur: quo seculo non minus quàm tempore Prophetarum in Israel, abundant omne genus scelera, idololatriæ, ἐθελοθρησκεία, contemptus Dei. Proinde opus etiam nostræ Ecclesię nunc non minùs, quàm Israeliticæ tunc, habent Prophetarum obiurgationibus comminationibus, fulminibus Suauissimæ etiam Prophetarum consolationes non minùs necessariæ sunt nostro hoc seculo quàm tempore Prophetarum, propter pios, qui non minoribus exercentur tentationibus, à Mundo, ab hostibus Euangelij, à carne, à Satana, quàm pij in Israel à suis hostibus.

Porro inter Prophetas, Iesaias sicut ordine primus est: sic etiam priori loco mihi est interpretandus iis de causis, quas mox audietis. Cùm igitur mihi explicandum sit vetus Testamentum, & primum quidem Prophetæ, priore autem loco Iesaias tribus etiam de rebus antequàm id facere incipiam, necessario mihi dicẽdum est. Quædam de veteri & nouo Testamento. Quædam de Prophetia, atque Prophetis, quædam de Iesaia. Iis explicatis ipsum Prophetam aud.mus.

DE VETERI ET NOVO *Testamento.*

TOTVM corpus sacrarum Scripturarum diuiditur in vetus & nouum Testamentum, tanquam in duas integrales, vt ita loquar, partes. Hæ duæ partes, si accidentia quædam spectentur, sunt omninò inter se differentes: sed si substantia, altera ab altera minimè differt: sed idem planè sunt vetus & nouum Testamentum. Substantia enim & summa totius sacræ Scripturæ, sunt Lex & Euangelium: cùm nihil in tota Scriptura sacra contineatur, quod non sit vel Lex vel Euangelium vel exempla Legis, vel Euangelij, vel denique aliquid pertinens ad Legem vel Euangelium. Lex quid sit, & quod eius officium.

Et Lex quidem est Scriptura seu doctrina de expetendis & fugiendis, autoritate Dei tradita: cuius multiplex est munus. Patefacere voluntatem Dei: ideò Dauid eam vocat Testimonium Domini fidele. Psalm. 19. Transgressiones ac peccata in lucem proferre, & Rom. 3.
peccatores accusare: ideo Paulus inquit: *Per Legem cognitio peccati.* Iram Dei reuelare: ideò Apostolus ait: Rom.4.15.
Lex iram operatur. Pœnam & damnationem infligere: ideò Paulus dicit: *Lex mortem operatur.* Postremo, iis rationibus Electos Dei ad Christum impellere: hinc 2 Cor. 3.
Apostolus, *Lex*, inquit, *Pædagogus erat ad Christum:* Gal 3.24.
qui Christus illos postea ad se per pædagogiam Legis adductos, & sibi per fidem initiatos, in suas vlnas humanissimè excipit, & amplectitur, condonans eis omnia delicta, & liberans à morte commerita, & donãns vitã æternâ: spiritu etiam suo illos regenerat, atque ita regenitos reducit ad voluntatẽm Dei, quam antea non poterant præstare, exsequendam, prout in Lege nobis facienda proponitur. Donato enim spiritu, facit, vt electi ament Legem Dei, quam antea oderunt, & in eius studium, obseruationẽmque sponte & propensissima voluntate ferantur: à qua antea abhorrebant. Atqui hæc doctrina seu lex quæ est de rebus expetendis & fugiendis, tam continetur in nouo, quàm in veteri Testamento, id est, tam in Euangelistis, & Apostolorum epistolis, quàm in libris Mosis & Prophetarum,

Ergo quod ad hanc partem substantialem attinet: non differt nouum à veteri testamento.

Euangeliũ quid & quid sit eius munus. Euangelium verò, quæ est altera pars essentialis sacræ scripturæ, est doctrina siue scriptura, quæ annũciat salutem gratuitam in Christo per fidem. Et, vt loquitur Apostolus *Rom.*1. est vis Dei ad salutem omni credenti: est ὄργανον, quo Deus ad nostram salutem vtitur. Huius munus est, annuntiare salutem gratis in Christo haberi per solam fidem, atque ita erigere & consolari afflictorum conscientias. Nam eius nomen significat bonum, felixque nuntium. Quod autem melius ac felicius nũtium afferri nobis potest, quàm per misericordiam Dei omnipotentis, & propter merita vnius Iesu Christi, nobis condonatas esse omnes transgressiones, liberatos esse à morte æterna, à legis iustificatos esse maledictione, & recõciliatos patri, effectos filios Dei, & fratres Christi & cohæredes vitæ æternæ? Hoc est igitur Euangelium. Atqui etiam in veteri testamento hæc promittebantur Patribus, & per fidem illis promissionibus adhibitam, seruati sunt: quemadmodum & nos per eandem fidem seruamur, vt Paulus vbique docet. Euangelium igitur tàm continetur in veteri testamento, quàm etiam in nouo.

Est quidem discrimen hoc inter vetus & nouum testamentũ, quòd ibi promittebatur salus in Christo futuro exhibenda: in hoc autem nobis annuntiatur iam exhibita in Christo iam incarnato & mortuo & resuscitato. Sed hoc discrimen non pertinet ad substantiam Euangelij, sicut Augustinus apertè declarat: quia inter, Christus veniet, & Christus venit, nullum est discrimen, nisi temporis.

Conueniẽtia veteris & noui Testamenti. Ergo quod ad substantiam attinet, non differt vetus à nouo: cùm ipsa & salus & iustitia, quã annuntiat Euangelium, contineatur tam in veteri Testamento, quàm etiã in nouo. Ideò Apostolus *Rom.*1. ait: Se fuisse segregatum in Euangelium Dei, quod antea promiserat. Ibi ergo erat Euangelium, sed promissum. In nouo est Euangelium, sed exhibitũ. Per Euangelium intelligit Apostolus rem Euangelij, quam Euangelium nuntiat, id est, Christum. Ita *Rom.*3. Nunc autẽ sine operibus manifestata est iustitia Dei, testificata à lege, & à prophetis. Ergo etiam lex, id est Moses & Prophetæ cõtinẽt Euangelium, & iustitiam Euangelij, cùm de ea testificẽtur. Quid enim sunt illæ promissiones: Semen mulieris conteret caput serpentis: &, in semine tuo benedicẽtur omnes gentes: &, Ero Deus tuus & seminis tui post te: item Ies. 1. Si fuerint peccata vestra vt coccus, velut lana dealbabũtur: & infinitæ aliæ promissiones de remissione peccatorum, de salute æterna per Christum habẽda, quid erant, nisi Euangelium? Ergo manifestũ est ex iis, vetus & nouum testamentum, quod ad substantiam & summam totius scripturæ attinet, non differre: cùm lex & Euangelium, quæ sunt summa totius scripturæ, tàm in veteri quàm in nouo contineantur: vt ita argumentum formetur. Illa non differunt substantiã, quæ continent eandem substantiam. Atqui vetus & nouum testamentum continent eandem substantiam, legem sc. & Euangelium. Ergo non differunt substantiã. Quare nõ minùs studendum est veteri, quàm nouo: nec minoris faciendum vetus, quam nouum.

Gen 3. Gen. 22. & 15. v. 17.

Discrimen inter nouum & vetus Testamentum. Fateor tamen, discrimen aliquod esse inter illud vetus & hoc nouũ, si spectemus accidentia quædam. 1. Ibi obscurius continetur Euangelium: hic verò illustriùs. 2. Ibi potiùs promittitur: hîc verò exhibetur. 3. Ibi ad vnã tantùm gentem videtur restringi Euangelium: hîc verò apertè gentibus etiam annuntiatur, & vniuerso orbi prædicari iubetur. 4. Ibi promissionib. de Christo adhibentur aliæ quoque promissiones de regno terreno, hîc expressior est promissio de regno cœlorum. 5. Ibi permultis ceremoniis obuelatum est Euangelium, hic absque ceremoniis retectum & nudum proponitur. Verùm hæ differentiæ non efficiunt, quin tamen ibi perinde contineatur Euangelium atque in nouo, si substantiam rei perpendamus.

At aliquando legimus, abrogatũ esse vetus Testamentum, nouum verò manere. Ergo differunt reipsã. Resp. Abrogata quidẽ est pars veteris Testamẽti, nõ tamen totũ & vniuersum: vel, vt clariùs loquar, Abrogatum dicitur, quod ad accidentia quædam, vt sunt ceremoniæ, promissiones temporalium rerum, & ciuilia decreta, sed quod ad substantiam, nempe quod ad legẽ, id est, doctrinam de expetendis & fugiendis, & quod ad Euangelium, scil. promissiones de salute nostra æterna, attinet, nequaquam est abrogatum, sed magis confirmatum aduentu Christi, vt aliàs posteà fusiùs declarabitur.

Cum hæc ita se habeant, intelligitis, Studiosi, non minùs diligentiæ vobis exhibendum esse in hoc veteri Testamento audiendo, legendo: quàm in noui lectione atque studio.

DE PROPHETIS in genere.

NVnc venio ad caput, quod est de Prophetis. Prophetas enim interpretaturo: quò facilior ad eos intelligendos & explicãdos aditus nobis patefiat: quædam de Prophetis necessariò dicenda sunt. I. de Nomine Prophetæ. II. de varia vsurpatione in scripturis huius nominis, Propheta. III. de quibusdam propriis Prophetarum, ex quibus omnibus definitio vel descriptio Prophetæ haurietur. IV. de missione Prophetarum in Ecclesiam. V. de doctrina Prophetarum, qualis sit. VI. de officio Prophetarum. VII. de discrimine Doctorum & Prophetarum. VIII. de Scopo Prophetarum. IX. de ratione dicendi seu concionandi Prophetarum. X. de Libris Prophetarum. XI. de Vtilitate lectionis Prophetarum.

De I.

I. Iam quantum ad nomen attinet, siue etymon. Prophera. 1. Hebræis dicitur *Nabi:* Propheta à *Naba* prophetauit, vaticinatus est. Sed notandum quod 1. *Reg.*9 legitur: qui hodie vocatur *Nabi*, olim dicebatur *Roeh* vidẽs. Hoc maximè obseruandum est: quia proprium Prophetæ est videre, sc. per afflatum Spiritus sancti Deum agnoscere, legem Dei intelligere, futura præuidere. 2. Græcis dicitur Προφήτης, quod significat vatem seu prædictorem, à προφημι: significat etiam interpretem seu procuratorem: qui alterius nomine verba facit. Vtrumque conuenit Prophetis Dei. Nam & futura prædicebant, & erant Dei interpretes ac procuratores, vt videbimus. 3. Latinis Vates, quasi fates, diuinator, & vaticinari quasi faticinari, fatum canere, vel prædicere.

De II.

Vsurpatur autem hoc nomen in scripturis variis modis. Aliquando enim accipitur propriè, aliquando impropriè. 1. Nam aliquando appellati sunt Prophetæ illi, qui tametsi nullum haberent officium prophetandi, siue prædicendi futura, aut interpretandi scripturas, & alia præstandi, quæ erant propria Prophetarum munia: tamen quia erant amici & cari Deo, & cum Deo aliquando loquebantur, dicti sunt Prophetæ. Sic legimus de Abrahamo Genes. 20. Dominus ait Abimelecho, verba faciens de Abrahamo: Nunc ergo redde viro vxorem, quoniam Propheta est, & orabit pro te, & viues. Hic manifestum est, quod Abraham dictus fuerit Propheta, ob hanc tantùm rationem, quod erat vir Deo carus & familiaris, quo cum aliquando Deus loquebatur. 2. Aliquando Propheta accipitur pro simplici interprete verborum Dei ad alium factorum. Sic Aaron vocatur. Exod. 7. ait Dominus Mosi, Dedi te Deum Pharaoni, & frater tuus erit Propheta tuus. Hîc certè Propheta nihil significat nisi interpretem. Ergo Propheta etiam vocatur, licèt impropriè, ille, qui tantùm interpretatur verba Dei, ad alium tamen à Deo facta: quamuis ei Dominus non apparuerit, nec locutus sit. 3. Aliquando magis propriè Propheta dicitur ille, qui non solùm interpres est verborum Dei: sed primùm verba illa audiuit immediatè à Domino Deo, qui ei Prophetæ apparuit vel in somnis, vel in visione, vel aliqua alia ratione: deinde verba illa audita à Domino aliis refert & interpretatur. Sic Num. 12. Si quis erit inter vos Propheta: Ego Dominus in visione apparebo illi: in somnis loquar ad eum. Non sic seruus meus Moses, qui ex omni domo mea, veritate atque certitudine præstat, ore ad os loquar ad eum, & aperta visione, non in ænigmatis & similitudine Dominum cõtemplabitur. Hîc patet, illum vocari Prophetam, qui vel visione aliqua vel in somnis, vel oraculo obscuro, vel aperta apparitione, & colloquio, vti contigit Mosi, diuina verba & mysteria percipit ab ore Domini, vt ad alios deinde perferat, quod nihil aliud est, quàm esse Dei interpretem, Sic agnitus fuit 1. Reg. 3. Samuel esse Propheta Dei, postquam cognitum fuit, quod Deus illi apparebat, illi & per illum loquebatur. 4. Interdum illi, qui afflati spiritu Dei, Scripturas ipsas, præsertim

Prophetæ quot modis dicti.

præsertim obscuriora loca interpretabantur, vocabantur prophetæ. Sic apud Apostolum 1.Cor.14. Prophetæ duo aut tres loquantur, certi diiudicent. Et differebant à Doctoribus, quia isti multa domi meditabantur, studebant. Illi verò non ita: sed immediatè docti à spiritu loquebantur. 5. Aliquando omnes illi, qui erant cultui diuino dediti, ordinati ad cantandos psalmos, ad orandum Deum certis horis, & interdum etiam ad declarandam & docendam legem Dei, vocabantur Prophetæ. sic 1.Reg.10 & alibi sæpius fit mentio Prophetarum, qui filij Prophetarum, chori prophetarum nominantur. Hi certè non erant prophetæ eo modo, quo Samuel Moses, Elias & ceteri huiuscemodi: nempe quibus appareret Dominus, & cum eis loqueretur, & reuelaret futura, quæ prædicerēt. Sed qui erant? erant viri religiosiores. qui præ cæteris occupati erant & deputati ad canendas Deo laudes certis horis: ad seruiendum in templo Dei, ad docendum aliquando etiam legem Dei: quemadmodum fortè nunc sunt in Ecclesiis nostris reformati Scholastici & Diaconi: & quemadmodum in Papatu Monachi antiquiores. ij erudiebantur sub disciplina maiorum prophetarum. De iis 1.Reg.10. Samuel prædicit Sauli, quid ei euenturum sit in itinere, & ait: Cùm veneris in Ciuitatem, illic obuiam tibi veniet grex prophetarum, descendentium de colle, & ante eos psalterium & tympanum & cithara, & prophetabunt. Quid hic est prophetabunt? nihil nisi hymnis Deum celebrabunt & populum ad societatem prouocabunt. Vnde & dicitur ibi quod Saul cœperit prophetare, id est, laudare Deum percitus spiritu quodam, quod antea nunquam erat solitus facere. Vnde prouerbium, *Num & Saul inter Prophetas?* id est inter eos, qui spiritu quodā afflati celebrabant Deum. 6. Hinc omnes illi, qui afflati aliquo spiritu, vel bono vel malo, tanquam enthusiasmo quodam acti, verba & res insolitas loquebantur, dicebantur prophetare. Sic Num. 11 Sic etiam 1 Reg.18. Et inuasit spiritus Dei malus Saul: & prophetabat in medio domus. quid fuit illud prophetare Saulis? nisi insolentia quædam loqui, sicut acti enthusiasmo facere solent. Vnde & qui bono Dei spiritu afflati, de rebus diuinis differebant carnalibus hominibus insani habebantur Sic Propheta ille, qui venit ad vngendum Iehu: vt est 4.Reg.9. ab iis qui cum Iehu erant, habitus & appellatus insanus. Sic Act. 26. Festus vocauit Paulum insanum, propterea quòd de diuinis rebus disserens insolentia auribus Festi loquebatur. Ergo qui afflati spiritu vel bono vel malo insolentia loquebantur, dicebantur prophetare, & ipsi, prophetæ: vt vidimus in exemplo Saulis. 7. Sæpius verò qui futura prædicūt, ita vt eueniant quæ prædicunt, vocantur prophetæ. Sic Act. 11. Agab⁹ ille, qui prædixit famem magnam futuram. Item Act. 21. prædixit vincula Pauli: quibus vinciendus erat Hierosolymis. Hæc est vna ex proprietatibus propriis prophetarum, vt futura prædicant: &, quæ prædicunt, eueniat: Sicut Moses Deut. 18. ostendit: quanquam prophetæ non semper præditi sunt hoc dono. 8. Aliquando etiam dicitur propheta ille, qui non futura, sed præterita, alioquin incognita & obscura reuelat. Sic Ioan 4 Samaritana audiens Christum sibi retexisse sua secreta, nempè quòd habuerit quinque viros, & hic quem habeat, non sit vir suus, confitetur illum prophetam dicens. *Vt video, Propheta es.* 9. Aliquando pro illo, qui miracula facit. Sic Ioan 6. Christus ob miraculum quinque panum vocatur propheta. 10. Deniq Prophetæ vocabantur illi qui ex instinctu Spiritus sancti instruebāt populum ad pietatem: arguendo vitia, consolando afflictos, docendo bonos mores & veram pietatem. Sic 1.Cor.14. Qui prophetat: hominibus loquitur ad ædificationem, exhortationem, & consolationem. Summa: Propheta ille dicebatur, qui habebatur pro homine, cui Deus immediatè per suum Spiritum loqueretur, mysteria reuelaret, & futura ostenderet.

1. Sam. 10. & 19. cap.

De III.

Quæ propria Prophetarum.

III. Ex iis omnibus, quæ recensuimus de vsurpatione huius nominis Prophetæ, colligere libet quasdam veterum Prophetarum proprietates, ex quibus facilè colligere poterimus veram Prophetæ definitionem, vel saltem descriptionem, atque ita agnoscemus, qui propriè erant & dicebantur Prophetæ. Est autem hoc principiò notandum: proprietatum Prophetarum quasdam esse essentiales, hoc est, tales citra quas nemo potest verè esse & dici Propheta: quasdam verò accidentales, hoc est, tales, quæ aliquando absunt à Prophetis, ita tamen vt non desinant esse Prophetæ.

1. Prima igitur proprietas est: vt sit amicus Dei, Deóque carus. Hanc proprietatem haurio ex illo, quod diximus de Abrahamo. Gen.20. Redde ei vxorem & ipse orabit pro te. Est enim Propheta Dei: id est, amicus carus Deo, à quo facilè impetrare poterit, quod petierit ab eo. Hanc proprietatem possemus etiam multis aliis ex locis probare. sed vnum illud sufficiat, quod Christus loquens de veris Prophetis Dei ait Matth.23. fuisse illos à Iudæis peruersis occisos: ostendens, quia amici Dei & sancti fuerūt illi Prophetæ, propterea occisos ab impiis, qui nec verbum Dei, nec sanctos verbi ministros Prophetas ferre possunt. Prima ergo proprietas est, amicitia cum Deo. Hæc proprietas est essentialis ipsi Prophetæ. Neque enim potest quis verè & propriè dici Propheta Dei, nisi sit amicus Dei. Propterea de falsis Prophetis dicit Christus, dicturum se eis in nouissimo die: Non noui vos. Matth.7.

2. Secunda est, vt Deum ad se loquentem audierint, vel in somnis vel in visione. Veris enim Prophetis Deus loquebatur, reuelabátque suam voluntatem, vel in somnis, vel in visione, hoc est, vel simplicibus oraculis sine spectro, vel in spectris etiam apparendo. Semper autem afflatu sui spiritus eos illuminando & docendo. Hanc proprietatem habemus tum alibi, tum Num. 12. Si quis erit Propheta inter vos: Ego Dominus in visione apparebo illi, in somnis loquar ad eum. Et ex eo: quod omnes Prophetæ semper aiunt, Factum est verbum Dei ad me: item, Sic ait Dominus itē, Dominus locutus est, item ex 1. Cor.14. Quod si alij reuelatum fuerit prior taceat. Vbi dum dicit, Reuelatum fuerit, ostendit proprium Prophetarum esse, vt quę agnoscunt, ex reuelatione Dei speciali agnoscāt, vel in visione, vel in somnis. Sēper autē ex afflatu Spiritus sancti. Et hęc est differentia: quā discernuntur Prophetæ à Doctoribus, vt postea declarabimus. Hæc etiam proprietas est essentialis Prophetis. Neque enim potest quis verè & propriè dici Propheta nisi vel in somnis, vel in visione vt supra dixi, vel saltem afflatu quodam diuino edoctus à Deo fuerit mysteria, legem, & alias res diuinas. Sic Moses, sic Samuel, sic Prophetæ omnes fuerunt edocti ea, quæ aliis postea tradiderunt. Sic 1. Cor.14. etiam illi qui interpretabantur Legem & obscuriora loca aliquot Prophetarum, edocti erant à Spiritus adflatu, & ita edocti loquebantur. Doctores vero domi studebant, meditabantur. quæ erant in Ecclesia docturi. Ideò Hier.23. Dominus discrimen adferens inter veros Prophetas & falsos, ait loquens de pseudoprophetis: Prophetabant & Ego non loquebar ad illos. Ergo proprietas essentialis veri Prophetæ est, vt ad eum loquatur Dominus, aliquo ex iis modis, quos suprà recensuimus.

Tertia proprietas est, vt non solùm de Domino audiant, quę sunt aliis propositurі, sed ea etiam intelligant. Hanc proprietatem haurio ex multis locis scripturarum Gen.41. Pharaoni Deus in somnis ostendit maximam abundantiam futuram in regno suo per 7. annos: deinde & maximam penuriam futuram in eodem regno per 7. alios annos: idque ostendit ei in somnis sub visione 7. Vaccarum pinguium: & 7. aliarum vaccarum tenuium. item sub 7. spicis plenis, & 7. aliis exilibus atque aridis. Sed quia Pharao non intellexit somnium istud, siue visionem ostensam sibi à Domino in somnis: ideò nō fuit Propheta: Propheta fuit Iosephus, quia eam intellexit. Dan.2. Nabuchodonosori Deus in somnis ostendit visionem illam statuæ, quæ destructionem quatuor Monarchiarum Mundi, & erectionem Regni Christi in perpetuum duraturi significabat. Sed quoniam ipse eam non intellexit, non fuit Propheta: Propheta fuit Daniel, qui eam intellexit. & interpretatus est. Num.22. idem de asina Balaam dicendum & de Balaam. Neque enim asina intelligebat visionem illam, quoniam vidit Angelum in via stantem & gladium in manu tenentem. Ideò Asina non fuit Propheta, tametsi viderit visionem, & locuta fuerit. Balaamus potius Propheta fuit, qui postea visionē intellexit. Ioan.11. Caiaphas inspiratus à Sp. sancto fuit, vt diceret, Expedire, vnum mori pro populo, ne tota gēs periret, Vnde ait Euangelista, eum prophetasse Non fuit tamen Propheta, quia non intellexit, quid diceret, Ioannes potiùs fuit Propheta qui ea verba intellexit & interpretatus est, Ergo manifestum est, hanc esse proprietatem Prophetarum, vt intelligant ea, quæ à Domino audiunt, vel edocentur quouis modo.

4. Proprietas quarta est, missio immediata à Deo. Ier. 23. Currebant, & Ego non mittebam eos. Matth. 23. Ecce ego mitto ad vos Prophetas.

5. Quinta essentialis proprietas, est vis vera semper prædicendi, id est, vt quando aliquid futurum prædicit, illud verè ita eueniat. Hanc Deut. 18 docet Moses, vbi afferens signum, quo possint discerni falsi Prophetæ à veris, ait, si quam rem futuram dixerit Propheta nomine Dei & ea non fuerit, neque ita euenerit, ab illo ne pauetote: quasi dicat, non est verus Propheta. Verus autem Propheta agnoscitur quando euenit, quod dicit. Hęc proprietas est essentialis Prophetę, quia sine hac non est verus propheta, sed falsus, vt supra Moses ostendit. Sed non est propria, quin possit etiam falsorum Prophetarum aliquando esse. Nam sæpe fit, vt quæ prædicunt falsi Prophetæ, eueniant, Deo ita permittente, ad excæcationem & deceptionem reproborum. Patet Deut. 13. 2. Thes. 2. de Antichristo: Propterea Moses eodem libro aliam propriam proprietatem, quæ non potest reperiri in falsis Prophetis, sed in bonis & veris duntaxat, attulit: & est: si non auocat populos ab vno colendo Deo.

Ergo sexta essentialis proprietas erit perpetuum studium adducendi populos ad verum cultum veri Dei, & in eo illos continendi perpetuò. Hanc haurio, vt dixi, Deut. 13. vbi sic ait Moses. (Si quis apud vos aut Propheta, aut somniator extiterit, qui vobis signum aliquod aut prodigium edat idque signum aut prodigium vobis ab illo prædictum euenerit: & tamen idem vos cohortetur ad Deos alienos vobisque ignotos sequendos & colendos: nolite illius aut Prophetæ orationi, aut somniatoris somnio obtemperare. Tentat enim vos Iehoua Deus vester, vt discat, an se toto corde, aut animo ametis. Deum vestrum sequimini, hunc timete, huius præcepta seruate, huius vocem audite, huic seruite atque adhærete) Totum istud caput destruit totum Paparum: & vnusquisque Christianus deberet memoriæ mandare, & quotidie legere. Docet enim vnde agnoscendi Antichristi: nempe quando nos auocant ad alios Deos colendos, quos non agnouerunt Israelitæ: ad alium cultum, quem illi non agnouerint. Manifestum est, illos non agnouisse tot aduocatos & intercessores, quos confinxit Papa. Non agnouerunt Purgatorium, Missam, statuas in templis ad cultum erectas: denique tot abominationes, quot sunt in Ecclesiis Papisticis. Ergo cùm Papa nos auocet ad alios Deos, illis & Apostolis etiam ignotos: ad alium cultum, quàm quem in verbo præscripsit illis & nobis Deus & Christus: etiamsi ederent omnia miracula, quæ facta sunt & fieri possunt in Mundo, ad confirmandam suam doctrinam: etiamsi esset vita sanctissima etiamsi haberet omnes Doctores Mundi à suis partibus: tamen nunquam esset audiendus, nũquam poterit esse Propheta Dei, aut vicarius Christi. Quare? quia signum verum, quo cognoscitur quis est verus Propheta Dei, non est operatio miraculorum, aut vitæ externæ sanctitas, aut aliquid aliud: sed est, quando non auocat populos à cultu illo, & illius veri Dei, qui notus fuit per verbum veris Israelitis, ad alios cultus, & alios Deos illis ignotos. Ergo hæc proprietas, scilicet studium auocandi homines à falsis Diis, ad verum Deum, colendum vero cultu, qui præscriptus est in verbo Dei: hæc inquam proprietas est adeò essentialis Prophetæ, vt absque hac non possit vllo pacto esse verus Dei propheta. Ab hac sexta, pendet septima.

Septima igitur essentialis, est interpretatio scripturarum ex singulari afflatu spiritus Dei: & loqui ad ædificationem, consolationem, etiam Ecclesiæ. Hanc Apostolus tradit 1. Cor. 14. Qui prophetat, hominibus loquitur ædificationem, & exhortationem, & consolationem. Item ex Prophetis ipsis hoc apparet. Omnes enim prædìti fuerunt hoc spiritu, vt scirent interpretari scripturas. Nam illorum prophetiæ quid sunt? nisi legis interpretationes? Ergo hæc est proprietas prophetæ: & quidem essentialis, sed non inseparabilis. Aliquando enim fit, vt spiritus interpretandi scripturas, & verum sensum illarum afferendi, prophetam deserat vt 1. Cor. 14. ibidem Apostolus docet, quãdo dicit: Quòd si alij (*Propheta*) reuelatum fuerit: prior (*scilicet cui non fuit reuelatum*) taceat. Item ait: Prophetæ duo aut tres loquantur: cæteri diiudicent. Cur? quia aliquando destituti Spiritu sancto non loquuntur vera, aut verbum Dei. Ideò iubet, vt Ecclesia, quæ prædita est Spiritu sancto, iudicet. Vbi verò cognouerit Ecclesia, illud esse verbum Domini, non potest illud repellere: sed ei subiecta est etiam ipsa. Hanc omnes veri Prophetæ habuerunt, vt manifestum est legenti eorum Prophetias, quæ (vt postea videbimus) nihil aliud sunt, quàm legis diuinæ interpretatio: & ipsi interpretes legis Dei, & diuinarum scripturarum. Item semper loquebantur hominibus ædificationem, exhortationem, consolationem: sed hæc omnia ex singulari quodam Spiritu sancti afflatu.

Hinc sequitur octaua proprietas essentialis, quæ est, intercessio inter Deum & populum: id est, Prophetæ erant interpretes & procuratores Dei apud populum, & aduocati populi ad Deum. Referebant populo mentem Dei, eam interpretabantur, ad eam præstandam hortabantur, arguebant neglectores, prædicebant flagella, quæ Deus illis Prophetis reuelauerat: explicabant etiam promissiones diuinas tam vniuersales, quàm particulares: denique erant procuratores Dei ad populum. Contra etiam suscipiebant causam populi tanquam eius aduocati, eum orationibus commendabant Deo, impetrabant beneficia multa populo à Deo: atque ita erant procuratores Dei & aduocati populi. Hanc haurio ex Prophetarum exemplo. Video enim tales fuisse omnes. Deinde etiam nomen Græcum id significat: προφήτης enim significat non solùm prædictorem seu vaticinatorem: sed etiam interpretem & procuratorem.

Istæ octo proprietates sunt essentiales, id est, tales, vt sine istis non sint veri Prophetæ.

Sed sunt etiam tres accidentales, quarum prior erat vis faciendi miracula. Hanc ex Ioan. 6. vbi legimus, quòd postquam Dominus edidit miraculum illud quinque panum & duorum piscium: populus viso hoc miraculo, eum appellauit Prophetam magnum. Cur? quia illis erat persuasum & certum, Prophetis dari hanc vim miracula faciendi, aliis verò non ita. Hæc proprietas non ita essentialis est Prophetis, vt eâ præditi essent & omnes, & semper: sed illi tantum & tunc præditi erant hac vi, qui & quando opus habebant confirmare doctrinam: vel quando & quibus volebat Dominus hanc vim donabat.

Secunda est vis secreta multa cognoscendi per diuinum afflatum, vel futura, vel præterita vel etiam præsentia, quæ humano ingenio alioqui cognosci nequeunt. Hanc haurio ex sacris Scripturis. De cognitione futurarum rerum patet primò exemplis Prophetarum, qui futura prænoscebant: & secundo etiam, à nomine ipso. Πρόφημι est præloqui, scilicet futura. Tertio, Moses Deuter. 18. dixit hoc vnum esse proprium Prophetarum vt sciant certò agnoscere & prædicere futura. De cognitione rerum præteritarum, sed aliis occultarum, est locus Ioan. 4. Christus agnouit facta omnia Samaritanæ, propterea illum vocauit Prophetam: ostendens hoc modo, proprium esse Prophetarum, vt occulta etiam præterita cognoscant. De præsentibus idem locus probat quem iamiam citaui. Sed Iohannes etiam Baptista vocatus fuit Propheta, quia Christum iam præsentem, sed aliis ignotum, agnouerit, & digito monstrarit. Ergo proprietas etiam hæc est Prophetarum, vt agnoscant quædam futura, & præterita, & præsentia aliis alioqui occulta & ignora. Hæc non est ei essentialis: ac propterea non semper habet hanc proprietatem, hoc donum agnoscendi futura, & secreta multa: & tamen non desinit esse Propheta. Patet. 4. Reg. 4. Elisæus ignorabat quidnam acciderit Sunamitidi illi, quæ ipsam conuenerat in Carmelum montem: vnde dixit Giezi famulo suo, *Sine eã: nam animo tristis est: & Dominus celauit hoc à me, nec mihi indicauit.* Item, 1. Cor. 14. loquẽs de Prophetis Apostolus, qui loquuntur in templo, ait: *Si alij reuelatum fuerit, prior taceat.* Ostendit ibi Apostolus, non semper Prophetas omnia intelligere vel futura, vel præterita, vel arcana scripturarum. Quare non est proprium Prophetarum, vt semper futura, aut alia secreta agnoscant, & prædicant: sed sæpiùs hoc illi à Spiritu sancto conceditur. Est igitur proprietas, sed non essentialis.

Tertia, est politica gubernatio. Hanc haurio ab exemplo Prophetarum multorum, qui destinati à Domino ad negotia etiam politica in populo fuerunt: vt Samuel, Dauid, ad regendum: Esaias ad consulendum Regibus. Sed accidentalis est, & extraordinaria.

Ex iis

Ex iis omnibus possemus, si non definitionem propriam, saltem aliquam descriptionem Prophetarum in hanc formam constare. Propheta est vir Dei, diuinarum rerum & Dei consiliorum per afflatum Spiritus sancti præ aliis sciens, quique à Deo mittitur cum facultate tum sæpe prædicendi futura, & retegendi recondita, tum præsertim diuinam legem, & cæteras sacras Scripturas dexterè interpretandi, & diuina oracula enarrandi, ad Ecclesiæ profectum. Atque ita Prophetia propriè accepta, propriè erit facultas Dei legem, consilia & placita pleniùs & certiùs cùm cognoscendi, tum enarrandi, ad Ecclesiæ profectum, instinctu atque afflatu diuini Spiritus aliquibus viris Dei facta.

Prophetia quid.

De IV.

IV. Sequitur iam caput quartum de missione Prophetarum in Ecclesiam, eiúsque missionis potissimâ causâ. Ergo de missione Prophetarum in Ecclesiam, & eius missionis causa quæratur, respondere possumus, missos fuisse à Deo in Ecclesiam, vt essent interpretes legis, & concionatores Dei, qui partim legem interpretando, partim futura prædicendo, partim miracula operando, partim Deum orando, Ecclesiam, Dei seu electos Dei, ad verum veri Dei cultum reuocarent, & reuocatos in eo conseruarent. Ita breuibus respondere potest. Verùm vt res ipsa reddatur illustrior, libeat altiùs exordiri, nempe ab ipsa lege.

Missio Prophetarum.

Deus pater electorum, & suæ Ecclesiæ perpetuus protector, postea quam Ecclesiam verbo suo, non quidem scripto, sed per Patres tanquam de manu in manum ab Adamo ad Mosen vsque rexit, vbi intercesserunt anni circiter 2365. tandem vt in Ecclesia sua relinqueret perpetuum suæ voluntatis testimonium & normam, secundum quam populus electus instituereretur, & quod ad interiorem, & quod ad exteriorem cultum attinet: Mosi per Angelos, & per Mosen populo legem primo in tabulis exaratam, deinde in libros relatam, dedit, vt eam ceu perpetuam regulam homines in manu tenerent, eámque posteritas omnis sequeretur. In qua quidem lege tria potissimùm continentur. Primùm, doctrina vitæ, vt per hanc populus Dei agnoscat, quid expetendum, quídve fugiendum sit. Deinde, continentur minæ & promissiones, vt iis tanquam duobus calcaribus populus Dei incitetur ad præstandum, quod Dominus iubet præstari. Tertiò denique continetur fœdus gratiæ, quod in Christo fundatum est, vt postquam viderit, se hac non potuisse, quæ lex iubet, præstare, tandem desperatus de suis viribus ad fœdus hoc gratiæ adspirans, spiritum recipiat, & in fœdere salutem. Hæc in summa continet lex. Nam quod ad ceremonias attinet, erant appendices quædam, & exercitamenta, quibus retinebatur populus in cultu Dei, & pietate, quæ priore tabulâ continetur.

Legis summa.

Hactenus habes 1. quòd data fuit lex à Deo suæ Ecclesiæ 2. quando data 3. & quomodo 4. & in quem finem. 5. & quid potissimùm contineat lex ipsa. Iam ad reliqua pergamus. Post latam vero legem, videns Deus populum pertinacem, non contentum iri hac doctrinâ: sed quæ sua erat curiositas, declinaturum ad alias doctrinas peregrinas, ad Ariolos, ad Magos, coniectores & Aruspices consulendos, sicut & cæteræ Gentes faciebant, propterea optimus Pater Deus nominatim prohibuit, ne ad Ariolos & huiusmodi homines consulendos accederet populus ille, dicendo, *Deut* 18. Ne quis inueniatur in vobis, qui suum filium filiámve per ignem traiiciat, neque Aruspex, Ariolus, Augur, Præstigiator, astrologus, Pythij consultor, Magus aut Necromantes. Integri estote erga Deum vestrum. Hoc præceptum addidit, vt tanquam freno in os iniecto contineret suum populum in sola lege Dei Israelis.

Verùm enim verò quia potuissent Iudæi conqueri, conditionem suam fore deteriorem, quàm Gentium, quippe quæ suos habebant flamines, Astronomos, Pontifices, Aruspices, Chaldæos, & huiusmodi homines, quos consulere possent: se verò post Mosen nullum habituros hominem, ad quem cõsulendum in dubiis & ancipitibus causis accederent: idcirco Dominus, vt prætextum illis omnem adimeret, atque os de Deo Israelis conquerendi occluderet, nec se execrandis Gentium ritibus pollucrent: primo pollicetur se eis missurum Prophetas, loco Aruspicum & Magorum Gentilium, qui Prophetæ mentem Dei aperiant populo, & qui fideliter nuncient quicquid mandauerit, ne quid sibi in posterum deesse conquerantur: ac propterea in doctrina & interpretationibus Prophetarum acquiescant, præterea nihil quærentes, dicendo, Deut. 18. *Prophetam de medio vestrum, de vestra consanguinitate, mei similem* (inquit Moses) *suscitabit vobis Iehoua Deus vester, ipsum tanquam me audietis.* Qui locus etsi primò de Christo capite Prophetarum intelligitur, vt Act. 3. interpretatur Petrus: de reliquis tamen etiam Prophetis omnibus tanquam Christi membris, secundariò intelligi potest. Nomine enim collectiuo, omnes Prophetas complectitur.

Non ita multò pòst, mortuo Mose, & ducibus populi, cœpit mittere Prophetas in Ecclesiam, qui legem interpretando, populum in vero cultu Dei continerent: quorum primus fuit Samuel 1. Reg. 1. Secundus Dauid: deinde Nathan, Elias Elisæus, Micheas, Esaias, Ieremias, Daniel, Ezechiel, & deinceps vsque ad Christum, semper misit Prophetas in Ecclesiam: deinde Iohannem præcursorem, plusquàm Prophetam. Nam Prophetæ vsque ad Iohannem, ait Christus, scilicet qui prophetarent de Christo venturo. Aliàs fuerunt etiam postea Prophetę in Ecclesia, vt est Act 11. 1. Cor. 14. Itē Matt. 23. *Ecce mitto ad vos Prophetas.* Eph. 4. *Alios dedit Prophetas.* Deinde misit Christum summum Prophetam. Deinde loco Prophetarum, Apostolos. Post eos, varios Christi Ministros, Doctores in hęc vsque tempora, quibus nuper tanquam Prophetas, excitauit Lutherum, Zvvinglium, Oecolampadium & tot alios viros egregios. Quorsum omnes? vt scripturas, id est, legem Dei interpretando, electos in vero Dei cultu contineant.

Hinc igitur patet, à quo missi fuerint Prophetę: à Deo scil. vt promiserat: & quando nempe non ita multo post latam legem, & mortuum Mosen: & quorsum, vt videlicet legem interpretando, populum Dei in vero cultu continerent, nec sinerent populum declinare ad peregrinas doctrinas & execrandos Gentium cultus.

At videtur non debuisse Deus mittere Prophetas, qui populum erudirent in cultu Dei ob has rationes. 1. Lex erat perfecta & sufficiebat populo ad agnitionem pietatis & veri cultus. 2. Iusserat Deus, ne quis adderet legi. Quorsum igitur Prophetas mitteret, qui adderet etiam suam doctrinam, noua præcepta, nouas minas, nouas promissiones?

Ad hæc facilis est responsio. Ad primum. Lex erat perfectissima doctrina de pietate, & illa sufficiebat populo erudiendo in cultu Dei. Fateor Sed Dominus noluit legem suam manere mutam in populo suo, quemadmodum faciunt Papicolæ, quibus satis est habere Euangelium in libros redactum, & illud in capsis seruare. Sed quemadmodum Christus iussit Euangeliũ prædicari per Apostolos: ita Deus voluit, legem prædicari, declarari. Ad hoc igitur obeundum, misit Prophetas.

Ad secundum, fateor nihil addendum esse legi. Verùm negò Prophetas quidpiam addidisse legi. Neque enim Prophetæ noua præcepta attulerunt, sed declararunt præcepta legis: neque nouas promissiones aut minas: sed genericas promissiones & minas legis, explicarunt in specie. A lege enim tanquam à fonte magno deduxerunt omnes suas conciones, tanquam riuulos, vt pote legis interpretes. Non ergo frustrà missi Prophetæ; sed necessariò.

De V.

V. Atque hinc etiam manifestum fit quintum quod proposueram, nempe qualis sit doctrina Prophetarum. Nihil ferè aliud est, quàm legis interpretatio & explicatio. In qua lege, cùm contineatur etiam Euangelium, id est, fœdus gratiæ in Christo: propterea doctrina Prophetarum nihil est, nisi doctrina legis & Euangelij, quatenus promissiones de fœdere in Christo, possunt Euangelium appellari.

Doctrina Prophetarum.

Quod vt meliùs vobis manifestum fiat, ad memoriã reuocanda sunt ea, quæ superiùs dixi de lege. Lex in summa (vt suprà dixi) continet tria hæc, doctrinam vitæ, id est, doctrinam de expetendis & fugiendis, quæ aliàs appellatur Decalogus. Deinde, minas & promissiones, tã de cælestibus & æternis, quã terrenis & tẽporariis rebus. Postremò fœdus gratiæ in Christo, quo pollice-

batur Deus, se velle nobis in Christo gratis condonare peccata, sibi reconciliare, in filios adoptare, vita æterna donare. Hæc continet lex. Nam si obiicias ceremonias: respondeo illas fuisse tantum (vt dixi) exercitia, quibus populus continebatur in cultu Dei & pietate. Iam doctrina Prophetarum, quid præter hæc, amplius continet? Nihil fere. Ergo doctrina Prophetarum non est, nisi doctrinæ Mosis explicatio siue legis interpretatio. Proinde semper ad legem reuocant populum, ad doctrinam illam, quam Deus dedit patribus per manum Mosis. Esa. 8. omnes reuocat ad legem, testimonium voluntatis Dei, dicendo: Quod si dixerint vobis, sciscitamini à Pythonicis & diuinis, qui mussitant & demurmurant: An non (quasi dicat, sic respondete) an non populus Deum suum consulet pro viuis & mortuis, id est, loco omnium, qui vel viuunt, vel mortui sunt? Ad Legem & ad Testimonium: quasi dicat, recurrite ad legem, quæ est testimonium verum voluntatis Dei.

Malach. 4. postremus Prophetarum, vel Deus potius in Malachia in fine Prophetiæ suæ reuocat populum ad legem Mosis & ea contentum esse iubet, dicendo: Recordamini legem mei Mosis, quam ei in Horebo monte præcepi ad omnes Israelitas, præcepta atque iura dicit Dominus exercituum.

Luc. 16. Propterea Christus, vt ostendat, eandem doctrinam esse Mosis & Prophetarum, simul Mosen & Prophetas coniungit, & ad eos consulendos remittit (introducto Abrahamo loquente) fratres Epulonis, dicendo: *Habent Mosen & Prophetas, audiant ipsos.* Paulus item eos simul iungit, dicendo Rom. 3. Testificata à lege & Prophetis. Ergo doctrina Prophetarum eadem est cum doctrina Mosis.

Discrimen inter Mosen & Prophetas.

At dicet quispiam, nunquid igitur nullum erit discrimen inter Mosen & Prophetas?

Responsio. Quemadmodum etiam diximus de veteri Testamento & nouo, inter Mosen & Prophetas siue inter legem, & libros Prophetarum nullum est discrimen, quod ad rerum seu doctrinæ substantiam attinet, vt suprà ostendimus. Est autem discrimen, si modum eius doctrinæ tradendæ spectemus. Nam lex, doctrinam, promissiones, & minas, & fœdus gratiæ breuibus tradit: Prophetæ verò pluribus. Illa obscurius, isti clarius. Illa pressius, isti latius. Illa in genere: isti specificè, applicantes ad sua tempora, suósque peculiares populos, quæ lex ad vniuersum populum, & ad omnia tempora extendit.

Hoc magis patefiet vno aut altero exemplo. Dixi superius in lege tria in summa contineri, doctrinam vitæ de fugiendis & expetendis: secundo minas & promissiones: tertiò, fœdus gratiæ in Christo. Iam videamus quomodo lex hæc tradat, & quomodo Prophetæ. Doctrinam vitæ lex duabus tabulis breuiter complectitur, & paucis verbis: verùm Prophetæ eam fusissimè explicant. Exemplum De cultu Dei interno, lex ait breuibus. *Non habebis Deos alienos coram facie mea.* Quid Prophetæ? Explicant hoc preceptum fere vbique, ac ostendunt hoc precepto requiri à nobis, fidem, timorem, fiduciam, inuocationem adorationem, gratiarum actionem, amorem, obedientiam ex toto corde nostro in solum Deum: neque fidendum vlla alia re, neque inuocandos Angelos, aut mortuos sanctos, neque adorandum esse quempiam præter Deum, neque bona cuipiam accepta ferenda, nisi Deo: quemadmodum satis perspicuum est legenti Prophetas.

Exemplum aliud De sabbatho sanctificando lex ait, breuib9: *Memento, vt diem Sabbathi mei sanctifices.* Quid Prophetæ? Explicant atque ostendunt sabbathi huius sanctificationem consistere potissimùm in hoc, vt fideles ferientur ab operibus propriæ naturæ corruptæ, ac sinant Deum operari in ipsis: sinant se renouari à Deo Spiritu sancto: sinant se mundari à peccatis sanguine Christi: denique, vt totam salutis fiduciam in Deo per Christum collocantes, in solo Deo quiescant: ac propterea sabbathi huius sanctificationem debere esse perpetuam. Legite Esa. 58. legite Ezech. 20. & alios. Existimabat enim populus ille, sicut & Pontificij sanctificationē sabbathi in ocio tantum corporis consistere, in cessatione ab operibus manuariis: interim non cessabant peccata multa perpetrare. Propterea Prophetæ explicarunt, vbi consistat eius sanctificatio vera, & quomodo prophanentur sabbatha vera Dei. Idem, si opus esset, ostendi posset in reliquis omnibus tam secundæ, quàm primæ tabulæ præceptis.

Minas verò & promissiones, quis non videat in lege compendiosissimè prædicari atque in genere? Minatur Moses *Deut.* 32. Bello te persequetur Deus: foris hostes, domi te intestina dissidia vexabunt. Quid Prophetæ? explicant minas, & in specie loquuntur, dicendo: En Deus (inquiunt) aduersum te gladium Chaldæorum suscitat, gladium Ægyptiorum Persarum, &c. *Esa.* 3. Quoniam superbiunt filiæ Zion, & porrecto collo incedunt: ideo decaluabit Dominus verticem filiarum Zion, & Dominus pudenda earum nudabit. Promittit Moses in lege genericas promissiones *Deut.* 28. Si obseruaueris mandata, benedicet tibi Dominus, & refert beneficia in genere. Quid Prophetæ? Hoc te beneficio Deus donabit. V. g. Esa. 8. promittit adeo certam salutem Hierosolymæ, vt potius deuastandum sit regnum Israelis & Syriæ, quàm vt ab illis ipsa vastetur, dicendo: Sanè antequam puer sciat clamare, pater mi, mater mea, tolletur substātia Damasci, & spolia Samariæ coram Rege Assyriæ.

Fœdus verò gratiæ quàm latiùs explicent Prophetæ, id quod lex non facit, magis patet, quàm vt explicatione egeat. Moses quidem in genere ostendit, Deum per Christum missē fœdus gratiæ cum hominibus, vt per eū solum, sola fide seruentur. Verùm multo clariùs hoc inculcant Prophetæ. Imò semper huc omnes suas conciones dirigunt, vt erigant animos electorum ad Christum seruatorem, per quem breui destruendum sit peccatum, mors, Satan.

Habent etiam Prophetæ suas proprias visiones, quibus futura reuelabat Dominus: idque vt certiùs de voluntate Dei populo testarentur, & populus certiorem eis fidem præstaret. Et in iis etiam differunt à lege. Alia differentia.

Item hoc habent etiam proprium, vt apertiùs, quàm lex, detegant hypocrisin humanam. Exemplum. Lex statuerat quidem ceremonias, & sacrificia multa, non quòd in illis vllam per se statueret salutem: sed vt illis tanquam exercitiis quibusdam retineretur populus in vera pietate, & in vero cultu Dei. At vero populus carnalis deserta vera pietate, perbellè existimabat se functum esse officio suo, & gratificatum esse Deo, cùm externos ritus obseruabat, animalia offerebat, incensum adolebat. Quid igitur Prophetæ? Acriter arguunt populum, ostendúntque nihil illa valere coram Deo, absque vera cordis pietate & charitate in proximum: imò displicere Deo, & esse abominationes. Audite Esaiam. Esa. 1. Audite Principes Sodomorum, &c. quorsum mihi multitudo victimarum vestrarum, &c. Incensum abominatio est mihi. 3. Differ.

Vidistis igitur, quæ sit doctrina Prophetarum, nempe eadem cum doctrina Mosis: neque differre hanc ab illa, nisi quod ad modum tradendi attinet, non quod ad substantiam.

De VI.

VI. Ex iis etiam patet sextum, quod proposueramus, nempe quodnam sit officium Prophetarum. Munus eorum duplex est (ita distinguere liceat declarandi causà) improprium, & proprium. Officium Prophetarum.

Improprium & accidentale, seu extraordinarium erat, futura, præuidere & prædicere, & occulta retegere ac reuelare: Vnde προφήτης à προφήμι, præloquor, predico, eò quòd futura sæpe prædicerent. Sed quia falsi Prophetæ (vt suprà ostendimus) etiam ipsi sæpe futura & præuidebant, & verè prædicebant: propterea hoc non erat proprium.

Item improprium officium erat, & extraordinarium, regere Ecclesias, & Respub. sicut Samuel fecit.

Item officium eorum erat, canere Psalmos certis horis, & laudes Deo, sicut faciebant illi Chori Prophetarū, de quibus 1. Reg. 10. Samuel loquitur. Item, Orare Deū pro populis, vt Moses, Esaias, Daniel, & alij plerique, qui sese ad cohibendam iram Dei contra populum opponebant, enixè deprecantes Dominum ea flagella. Item miracula facere, quando illis erat à Domino concessum. Verùm, quia ista omnia etiam alij, non Prophetæ præstiterunt, sed per gratiam Dei: propterea non erant propria Prophetarum officia.

Proprium verò officium Prophetarum erat, per afflatum singularem Spiritus sancti, legem Dei interpretando, repurgando, prædicando, inculcando, populum Dei seu electos, à falso cultu, ad verum, verúque Dei cultum auocare, & auocatos in eo continere: arguere

arguere Sacerdotes, Reges omnes, & eos instituere in vero Dei cultu, renouantes & repugnantes Ecclesiam. Hoc erat propriū Prophetarum munus quemadmodum ostendimus primò ex voce ipsa *προφήτης*, quæ significat interpretem, seu procuratorem. Ergo Prophetæ Dei erant interpretes Dei, & procuratores Dei qui legem interpretando, curarent, vt Dei cultus integer seruaretur. Item sicut ostendi ex Deut. 13. Vbi Moses ostendit discrimen inter verum Dei Prophetam, & falsum: quòd verus semper curat, vt populi contineantur in verò cultu veri Dei: falsus vero etiamsi edat miracula vera: tamen auocat à vero Deo, & à vero cultu.

De VII.

VII. Atque hinc etiam manifestum fit, id quod septimo loco declarandum suscepi, nempe quod discrimē sit inter Prophetam esse, & Doctorem siue munus Prophetæ & Doctoris. Doctoris enim etiam munus erat, legem Dei, & doctrinam Euangelij interpretando, docere electos in Ecclesia verumDei cultum, ad instaurationem Ecclesiæ, vt est Eph. 4. Sed discrimen erat, quia Doctores, tametsi donum Spiritus S. habebant: tamen non loquebantur ex solo afflatu Spiritus sancti, sed multa domo afferebant, methodum docēdo tenebant, ignota per notiora declarabant, & quæ dicturi erant, præcogitabant.

Discrimen Prophetarum, & Doctorum.

Prophetæ verò quicquid loquebantur (vt etiam ait Chrysostomus) ex Spiritus sancti afflatu loquebantur. Sic etiam ait Petrus 2. Petr. 1. Et habemus firmissimum sermonem Propheticum, cui rectè facitis, quod attendatis, &c. Hoc primùm scientes, quòd nulla Prophetia Scripturæ sit proprij impulsus. Non enim libidine hominis allata est olim Prophetia, sed acti à Spiritu sancto locuti sunt sancti Dei homines.

Item aliud discrimen erat: quia Prophetæ sæpè etiam futura prædicebant, miracula edebant, vt hæc fidem verbis eorum conciliarent apud Ecclesiam: quod non item erat in Doctoribus. En igitur discrimen inter Prophetas & Doctores in primitiua Ecclesia.

DE VIII.

Scopus Prophetarum.

VIII. Quis hinc etiam non videat, quis Prophetarum omnium scopus esset? Hic erat Christus. Patet 1. *Rom.* 10. Finis legis est Christus. Atqui Prophetæ non sunt nisi legis interpretes. Ergo finis etiam & scopus, ad quem omnia dirigebant Prophetæ, est Christus *Act.* 10. Hinc testimonium perhibent omnes Prophetæ, &c.

Secunda ratio est: Prophetæ enim in rebus omnibus, quas proponebant, concionibus, miraculis, vaticiniis, minis, promissionibus hæc duo potissimum quærebant, quæ vnicuique non solùm Doctori, sed cuilibet etiam Christiano quærenda sunt, gloriam scilicet Dei, & salutem proximi. 1. *Pet.* 1. Reportantes fructum Dei, & salutem animarum vestrarum, de qua salute exquisierunt, & perscrutati sunt Prophetę, qui de conferenda in vos gratia vaticinati sunt.

Atqui in vnico Iesu Christo patefit & illustris redditur gloria Dei, nomen eius bonitas, misericordia, sapientia potentia, tota denique Deus ipse, vt Apostolus cùm alibi, tum ad Heb. c. 1 declarat dicendo: Christum esse splendorem gloriæ Dei, & characterem substantię eius. Item in Christo tota salus electorum consistit, qui, vt ait 1. *Cor.* 1. factus est nobis à Deo nostra sapientia, iustitia, sanctificatio & redemtio. Ergo iure scopus Prophetarum in omnibus suis & factis & verbis, erat Christus vnicus, ad quem omnia dirigebant.

Hic idem fuit scopus Mosis: vnde Christus ait *Ioh.* 5. Si crederetis Mosi, crederetis & mihi. De me enim ille testatus est. Ergo mirum non est, Iudæos non intelligere Mosen, & adhuc velamen positum esse super corda eorum. Quare? quia hunc scopum Mosis ignorant. Qui enim ignorat scopum alicuius scriptoris: quomodo potest eum scriptorem intelligere, quid sibi velit?

Hic idem scopus Apostolorum 1. *Cor.* 1. Nos prædicamus Christum. Ergo non mirum, si Papistæ non intelligant scripturas: quia ignorant, hunc vnicum esse scopum scripturarum. Nos ergo hunc scopum semper præ oculis habeamus, si cupimus intelligere scripturas.

DE IX.

IX. Hinc etiā facilè patefit, quod nono loco declarandum recepimus, nempe, quem modum, quàmque rationem seruarint Prophetæ in suis sermonibus deducendo homines ad Christum. Inculcabant primùm legem, eam diligentissime interpretando. Deinde afferebant promissiones Euangelij.

Ratio ducendi Prophetarum.

Duæ enim res sunt, quibus Deus vtitur in deducendo Electos ad Christum, ad salutem: Lex, & Euangelium. De lege Gal. 3. Lex pædagogus est ad Christum. De Euangelio Rom. 1. Euangelium vis Dei est in salutem omni credenti. Ergo Prophetæ, cùm illorum scopus esset deducere electos ad Christum vt suprà ostendimus, vtebantur ad hoc consequendum prædicatione legis & Euangelij simul. Legis prædicatione detegebant peccata populi omnia, præsertim verò interna & hypocrisin: patefaciebant iram Dei contra illos ob peccata: denique deducebant ad humiliter de se sentiendum, ad sui desperationem, ad sentiendos inferni & mortis dolores, atque ad expetendam misericordiam Dei & salutem. Euangelio vero ostendebant Christum vnicum pro peccatis nostris hostiam iustitiam nostram, salutem nostrā, vitam nostram: denique deducebant eos in vlnas Christi venturi, quem tamen ceu præsentem in spiritu illis ostendebant. Hic est modus, & ratio, qua vtuntur Prophetæ in deducendis Electis ad Christum. Proinde in Prophetis semper reperiemus hæc duo subinde inculcari.

DE X.

X. Hinc etiam quisque videre potest, quid sint libri Prophetarum, quidve contineant. Libri Prophetarum sunt variæ conciones habitæ ad suos populos in quibus continetur & prædicatur Lex & Euangelium. Scopus autem illarum, est Christus. Continentur etiam vaticinia & visiones, & miracula à Prophetis facta. Continentur etiam historiæ, quibus narrantur modo vastationes Regnorum, internecciones populorum, & varia flagella, quibus Deus tum populum suum, tum etiam exteras Gentes flagellabat: modo narrantur restitutiones Regnorum, liberationes populorum, & varia Dei beneficia tam erga genus humanum, quàm erga illos populos. Sed hæc ferè omnia habent vsum vel legis vel Euangelij; atque ita omnia reducuntur ad eundem scopum & finem Christum.

Quid libri Prophetarum.

Continetur etiam in illis libris multa eruditio tum diuinarum, tum etiam humanarum rerum, locorum, regionum & vrbium descriptiones: populorum mores & ingenia, temporum variæ mutationes, fluminum, Herbarum, multarúmque aliarum rerum vires & vsus. Denique libri Prophetarum sunt veluti elegantissimi horti, in quibus omne genus herbæ cum amaræ tum dulces continentur: suauissimi flores pulcherrimę rosæ, optimi fructus, sed inprimis pulcerrima vitis optimis vuis referta, ac totum hortum complectens, quæ est Christus. Ego sum (inquit Christus) vitis vera. Hæc autem omnia non solùm ad illum populum, sed etiam ad nos pertinent. Rom. 15. Omnia enim quæ scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, &c. *Ioh. 15.*

DE XI.

XI. Hinc verò quotusquisque vestrûm est, qui non videat, qui non manu ipsa tangat, id quod postremo loco demonstra e promisi, nempe, quàm vtilis nobis sit lectio Prophetarum? imo & quàm necessaria. Quid? putamus fortasse Prophetas illos, qui missi fuerunt ad prophetandum populo illi Iudaico, ad arguendos illos Reges, ad reprehendenda illorum vitia, idololatriam, & afferendas promissiones Dei, ad nos non pertinere? Cōtrà sentit Apostolus, qui ait ad Rom. 15. Omnia quæ scripta sunt (scilicet tam in Prophetis quàm in Mōse) ad nostram doctrinam scripta sunt. Contra etiam sentit Petrus, qui ait, Prophetas nobis, nobis speciatim ministrasse illa, quæ scrutati sunt, & exquisierunt de salute nostra. Audite 1. Petr. 1. De qua salute exquisierunt & perscrutati sunt Prophetæ, qui de gratia in vos conferenda prophetarunt, scrutantes quódnam & quale tempus indicaret Christi Spiritus, quo erant pręditi, præsignificans & Christi passiones, & deinde futuram gloriam. Quibus ostensum est, non ipsos sibi, sed vobis ea administrare, quę nunc vobis nunciata sunt. Ergo ad nos pertinent Prophetarum libri, & cedunt in vtilitatem nostram.

Vtilitas è lectionis Prophetarum.

Sunt autem innumeræ vtilitates, quas ex diligenti Prophetarum lectione haurimus, sed inter alias hæ potissimùm.

Prima, est cognitio Dei, id est, potentiæ, sapientiæ & bonitatis Dei. Prophetæ enim omnes imprimis commemorandis Dei erga nos beneficiis, hoc vnum inculcant & prædicant, Deum illum vnicum qui condidit cœlum terramque, quique locutus est Abrahæ & Patribus, esse omnipotentem, sapientissimum, optimum perfectissimum, atque in eius bonitate prædicanda plurimũ immorantur. Quorsum? Vt ad illi fidendum, ad eũ amandum, colẽdum, accedamus. Ergo cùm Prophetæ subinde inculcent hanc Dei bonitatem, & denique omnem eius perfectionem miris coloribus depingant: nos ex illorum lectione, sed operante Spiritu S. facilè ad Deum perfectè cognoscendum deducimur. Quanta est autem hæc vtilitas scilicet, cognitio Dei! Ioh. 17. Hæc est vita æterna, vt cognoscant, &c.

Secũda, est vera legis cognitio, quis sit verus Dei cultus, quæ vera religio. Prophetæ enim etiam in hac parte plurimum versantur (imo vt aliàs dixi, hoc est illorum proprium munus, nempe, vt legem Dei interpretentur, declarent, doceant verum legis sensum. Nam fuerunt semper Pseudodoctores, & sacerdotes, & Pseudoprophetæ qui subinde declinabant ad falsos cultus, qui mortuæ legis literæ inhærebant, qui legem suis traditionibus corrũpebant: propterea opus erat Prophetis, verum legis sensum vrgere hypocriticum cultum detegere, & veram Dei religionem docere. Quorsum? Vt populus relicta falsa religione & ἐθελοθρησκείᾳ ad verum Dei cultum ac religionem reduceretur. Ergo cùm verum legis sensum aperiant Prophetæ, & falsam atque hypocriticam retegant religionem: ex illorum diligenti lectione ac studio, falsam religionem dedocemur, & veram docemur. Quanta est autem hæc vtilitas?

Tertia est nostri cognitio, id est, miseriæ nostræ peccatorum nostrorum atque ita odium contra peccatum. Nam Prophetæ in hac etiam parte multũ immorantur, vt scilicet retegant hominum peccata & hypocrisin: & suis minis ostendant, quàm grauis ira Dei maneat sceleratos impœnitentes. Quorsum? vt in odium peccati homines adducant, & ad pœnitentiam impellant. Ergo lectio Prophetarum sinceram nostri, id est, peccatorum nostrorum cognitionem, odium peccati, & resipiscentiã (modò, vt dixi adsit Spiritus sanctus) nobis adfert. Quãta autẽ sit hæc vtilitas, nemo est qui nesciat. Huc enim ferè omnia rediguntur, vt cognitis peccatis nostris in illorum odium adducamur, resipiscamus: ac denique mortui peccato, viuamus.

Quarta, est consolatio in cruce Prophetæ enim etiã hac in parte non parum immorantur, vt postquam populum acriter arguerunt ac terruerũt minis, ipsum consolentur, ostendentes Deum nos quidem flagellis variis lædere, sed non vt tyrannum hostes, verùm vt pater filios: non vt perdat, sed vt saluet. Eum enim habere rationem salutis nostræ, propterea rebus omnibus vti, quas videat in salutem nostram cessuras. Post flagella, eos restitutum iri, ac felices beatósque fore. Quorsum hæc? Vt in spe salutis erigant animos electorum, atque ita contineant, ne animum in cruce despondeant, sed æquo animo eam ferant.

Ergo cùm nemo sit nostrũ, qui non aliqua cruce subinde prematur vel interna, vel externa: Prophetarum lectio ad nos in cruce consolandos plurimum valet, & ad omnia æquo animo ferenda nos mirè animat. Quæ autem hæc est vtilitas?

Quinta, est cognitio Christi, & eius regni, quod & qualénam sit. Nam Prophetæ non solùm in hac parte plurimum versantur: sed ferè omnia ad hanc partem dirigunt, vt patefaciant Christum & eius Regnum, ostendentes in hoc vno solo esse salutem, remissionẽ peccatorũ, vitam æternam, denique omnẽ felicitatem: atque sola fide in ipsum Christum, possideri ab electis Christum, eiúsque regnum. Quorsum? Vt hoc cognito eum amplectamur, in eo acquiescamus, in hoc saluemur: vale dicto omnibus aliis religionibus & Mundo vniuerso. Act. 10. Huic testimonium perhibent omnes Prophetæ, quòd remissionem peccatorũ accepturus sit per nomẽ eius, quisquis crediderit in eum. Ergo Prophetarum lectio nobis affert cognitionem Christi, ideóque & salutem, modò adsit Spiritus sanctus. Quanta est autem hæc vtilitas! Ioh. 17. Hæc est vita æterna, vt te solùm cognoscant esse Deum verũ, & quem misisti Iesum Christum.

Huc accedit sexta, Cognitio regni Antichristi, quale sit. Primò enim ex cognitione regni Christi, regnum Antichristi cognoscitur, sicut omne contrarium, ex cognitione alterius. Secundò, Prophetæ etiam pulchris ac viuis lineamentis depingunt regnum Antichristi, cum arguunt illam faciem illius Ecclesiæ, & taxant cultum hypocriticum: & talis iam sit Ecclesia Antichristi. Ergo ex Prophetis agnoscimus regnum Antichristi.

Hinc quis non videat, quanti sint faciendi libri Prophetarum, qui tot bona nobis afferunt: quàm sint frequenter legendi! Daniel ipse Propheta non dedignatus fuit legere Prophetam Ieremiam cùm esset in Babylonia, vt est Dan. 9. Christus etiam sæpe Prophetas citat in nouo Testamento, vt passim in Euangelica historia videre est.

DE ESAIA.

HACTENVS exposui quidem, cùm mei etiam muneris sit interpretari in hac schola verbum Dei sincere ac liberè, me vobis interpretaturum vetus Testamentum, interpretantibus nouum aliis eruditissimis & optimis Doctoribus. Declaraui etiam in genere quã ex tribus veteris Testamẽti partibus, Mose, Psalmis, & Prophetis, essem primum interpretaturus, nempe Prophetas, vbi de Prophetis multa quoque diximus, præsertim de nomine Prophetæ, quid Propheta, de proprietatibus Prophetarum, de eorum missione, doctrina, officio, discrimine inter Doctores, scopo dicendi ratione, libris, vtilitate: hæc inquam hactenus quidem declaraui, sed nõdum exposui, quem ex tot Prophetis primum aggressurus sim. Accipite igitur paucis.

Iesaias primus Propheta ordine & dignitate.

Esaiam sum primum interpretaturus, idque iure optimo. Cùm enim à prioribus & optimis (vt etiam Quintilianus de ratione legendi authores docet) sit incipiendum: Esaias post Dauidem primus est, non solùm ordine sed etiam dignitate inter Prophetas. Ordine, Prophetarum enim omnium, quorum libri reperiuntur, duplex est ordo: primus Maiorum (vt vocant:) secundus Minorum. Maiores vocant Esaiam, Ieremiam, Ezechielem, Danielem. In hoc ordine primus collocatur Esaias: & primus etiam prophetauit ante alios tres, nempe ante Ieremiam, ante Ezechielem, & ante Danielem.

Minores vocant Hoseam, Ioelem, Amosum, Abdiam, Ionam, Micheam, Nahumum, Habacucum, Sophoniã, Haggæum, Zachariam, Malachiam. Ij omnes collocantur in posteriore ordine, scil. minorum. Videtis igitur, quomodo Esaias primus sit ordine.

Sed primus etiam est dignitate & vtilitate. Quanquam enim omnes, quod ad authorem attinet, pares fuerunt, quia omnes instrumenta fuerunt Spiritus sancti, per quos locutus est Spiritus sanctus: ac proinde tantæ autoritatis sint libri cæterorum Prophetarum, quantæ & prophetia Esaiæ: quia illorum prophetiæ perinde sunt verbum Dei, atque huius: tamen si spectemus dona multa, quibus Spiritus sanctus sæpe donat vnũ Prophetam, quibus non donat alium, absurdum non est, si quis alius alium excellere dicatur: quemadmodum neque omnia alicuius artificis instrumenta sunt æquè nobilia, sed aliud alij præstat. Ita inter Prophetas, varia Spiritus sancti instrumenta, alius alio est præstantior. Ergo iniquum non erit, si Esaiam aliis præstare dicam. Nam citra controuersiam Esaias alios Prophetas multis rebus excellit.

1. Ratione dicendi. Hic enim est omnium elegantissimus & dulcissimus. 2. doctrinã. Hic enim perfectiùs doctrinam legis explicat, quàm cæteri, & meliùs docet. 3. Variarum rerum eruditione. Hic enim præter interpretationem legis, & prædicationem Euangelij, adfert etiam cognitionem multarum ac variarum aliarum rerum, vt patebit, quod cæteri non ita facilè præstant. 4. Minarum acrimoniã. Tametsi enim Ieremias videtur primas tenere in acrimonia minandi & arguendi, iuxta multorum sententiam: tamen Esaias noster meo iudicio etiam hac in parte nemini est secundus. 5. Gratia erigendi afflictas conscientias. Hic enim omnium optimè depressas peccatorum conscientias erigit, & afflictorum corda consolatur. 6. Authoritate. Hic enim sæpiùs citatur non solùm in veteri, sed etiã in nouo Testamẽto à Christo, & Apostolis, quàm alij. Quid? quòd etiã Pater cœlestis, cùm voluit patefacere filium suũ Mundo, huius Prophetæ verbis vti digna-

dignatus est, dicendo, *Hic est filius meus, in quo bene* Matth.17. *complacui.* Hæc enim postrema verba sumsit ab Esaia cap.42. 7. Visionum excellentia. Hic enim vidisse se Deum narrat, sedentem super solium excelsum & eleuatum in maxima gloria: audiuisse voces Angelorum clamantium sanctus sanctus, &c. vt est cap.6. Cui Prophetarum clarior & illustrior Dei visio contigit? 8. Miraculis. Hic enim (ita Deo huius Prophetæ preces exaudiente) vrbem Hierosolymam ab intolerabili obsidione Regis Syriæ, & Regis Israel liberauit. Hic fecit solis vmbram, in gratiam Ezechiæ, & confirmationem promissionis ei factæ, reuerti. Hic impetrauit, vt in exercitu Sennacheribi Assyriæ Regis obsidentis Hierosolymam, vna nocte per Angelum interfecti fuerint centum octoginta quinque hominum millia. 4. Reg.19. 9. Constantia prædicandi. Hic enim prædicauit, seu prophetauit annos, iuxta quorundam supputationem 105. iuxta alios verò 10 iuxta alios 94. Sed citra alicuius controuersiam constat ipsum plusquam 64. annos Prophetasse, multis interim exagitatum laboribus & crucibus, & multa certamina atque pericula perpessum. 10. Animi fortitudine. Hic enim cùm esset nobilis, benè meritus de toto populo, & de Regibus illis omnibus, qui fuerunt suo tempore in Hierusalem, vtpote quibus seruauerat toties vrbem: tamen post multos labores propter Dei verbum exantlatos, post multas irrisiones & maledicta, quibus à populo illo peruicaci sæpe fuerat proscissus, Esa. 57. æquo animo perlata, ad extremum etiam non minus ignominiosam, quàm crudelem mortem magnâ animi fortitudine pertulit. Nam impius Manasses (vt Epiphanius & Hieronymus scribunt) eum in duas partes medium serrâ dissecuit: quo mortis genere (vt quidam sentiunt) plecti proditores & defectores solebant. 11. Multis aliis etiam rebus, quibus enarrandis par oratio inueniri non potest, hic noster Esaias alios Prophetas excellit: sed hac vna potissimum re, quæ sola sufficiat, omnibus mihi videtur anteponendus, nempe Euangelij perspicuitate ac vaticiniis de Christo. Hic enim vsque adeo apertè Euangelium non promittit, sed ferè annunciat, & Christum non à longinquo demonstrat, sed ferè coram sub oculos subiicit, vt meritò Euangelista potiùs quàm Propheta appellari debere Hieronymo & aliis visus fuerit.

Ob has igitur rationes Esaiam inprimis interpretandum suscepi: quia scilicet & primus est in ordine Prophetarum, & alios etiam excellit dignitate & vtilitate, id est, rebus iis omnibus, quas modo recensui, & aliis quàm plurimis, quas conticui.

Adde, quod etiam ipse magis facit ad tempora hæc nostra, quàm fortassis vllus alius. Nam quædam vitia erant tempore Esaiæ in illa Ecclesia Iudaica, quæ ferè eadē sunt etiam hoc nostro tempore in Ecclesiis Christianis. Et cùm Esaias delectus fuerit à Deo ad illa vitia arguenda & corrigenda: ergo maximoperè facit ad arguenda ac corrigenda nostri seculi vitia. Quare existimate Esaiam, qui missus fuit tunc ad populum illum Iudaicum, eundem in Spiritu, id est, verbo suo ad nos nunc etiam mitti, vt quæ arguit & correxit vitia in populo illo, eadem in nobis detegat & corrigat.

Videamus igitur vna ex parte aliquot vitia, quæ tunc erant in illo populo: altera verò ex parte videamus, an eadem sint etiam in nostris Ecclesiis: ac propterea annō perinde nobis necessarius sit Esaias, atque illi populo fuit.

Primùm igitur vitium in genere, quod tunc regnauit, erat ingratitudo populi erga Deum maxima. Cùm enim Deus populum illum tot affecerit beneficiis, quibus nullas alias nationes & gentes: ipse tamen Deum respuit, & auersatus est. Id quod bene Esaias in primo capite ac prima concione apertè ostendit, cùm ait, ita loqui Deum: *Filios enutriui, &c.* Iam verò, quando vnquam magis viguit ingratitudo in Ecclesia Christi, atque nunc? cùm in aliis, tum in hac Argentinensi Ecclesia: quæ præ cæteris omnibus, tanquam tribus Iuda, tanquam ciuitas Hierusalem fuit innumeris beneficiis à Deo affecta, vt alias fusiùs declarabitur: & tamen ingrata, Deum suum, plus timens homines mortales, quàm Deum viuentem, est auersata, & ab eo turpissimè defecit. O vrbs Argentina, quæ aliàs vsque ad Cœlum eras exaltata, quomodo nunc ad infernū vsque es depressa? Ergo maximè opus est Esaia, qui huic vrbi ingratitudinem suam erga Deum exprobret.

Secundum vitium in specie, erat idololatria. Nam tunc etiam in populo Iudæ vigebat idololatria, quemadmodum etiam antea in populo Israel regnabat. Adhuc enim sub Ozia, licet alioqui pio Principe, tamen sacella & statuæ, & luci, quos sub Roboamo filio Salomonis passim sibi populus in editis collibus, & sub frōdosis arboribus construxerat, extabant, & ibi suffitum faciebant, idola adorabant, vt est 4. Reg.15. Sub Iothamo eius filio, itidem idololatria viguit, extantibus adhuc sacellis illis, & statuis, vbi suffitum faciebat populus. 4. Reg.15. Sub Achazo, Iothami filio, quid non idololatriæ fuit in populo illo Iudaico, in Hierusalem? Non solùm extabant adhuc illa sacella & statuæ, in quibus antea populus suffitum faciebat: sed etiam ad exemplar Aræ Damasci, ara alia extructa in Hierusalem, ad quam iuxta mores Gentium immolarunt victimas, amoto altarē Dei. Item iuxta mores Gentium, proprij etiam filij traiecti fuerunt per ignem, & ibi immolati. Item conflata fuerunt noua simulachra Baalibus, & in valle Benhennomi sacrificatum. Omninò imitati sunt nō solùm mores Ieroboami, qui fecit peccare Israelem, sed etiā Gentium. 4. Reg.16. Sub Ezechia ablata quidem fuit idololatria omnis in Iuda: sed tamen statim post ipsius obitum restituta fuit omnis idololatria, omnia sacella, & plura etiam addita ab impio Rege Manasse, sub quo obiit Esaias 4. Reg.21. Ecce idololatriam illius temporis! Annon verò (proh dolor) hæc idololatria & maior etiam regnat in Ecclesiis nostris? Erecta sunt idola, restituta est missa illa maledicta, adhuc inuocantur mortui adhuc crucifigitur Christus filius Dei, & quid non fit? Ergo opus est Esaia, qui clamet contra hanc idololatriam seculi nostri.

Tertium vitium, impietas in proximum. Passim enim regnabant extorsiones, furta, homicidia, stupra & alia vitia tam sub Vzia, quàm etiam sub aliis Regibus, quod benè demonstrat Esaias primo cap. *Manus vestræ sanguine plenæ sunt.* At nonne hæc eadem vitia inter nos regnant, & per nos blasphematur nomen Dei inter Papicolas?

Quartum, Cæcitas & hypocrisis. Cùm enim essent illi pleni sceleribus, postea putabant, se Deum pro sceleribus placasse, quando obtulissent vnum bouem, adoleuissent incensum in templo, & alias ceremonias seruassent, vt ostendit Esaias 1. cap. Annon hæc cæcitas & hypocrisis inter nos Christianos etiamnum regnat? Pleni sunt multi impietate in corde, immunditiis & libidinibus in corpore, furtis & rapinis in arcis & scriniis, postea putant se Deum placasse, si intersint cœnę Dominicæ & manducent panem sacramentalem, aut alias ceremonias Ecclesiæ Christianæ seruent. Ergo opus nobis est Esaia, qui clamet, Audite principes Sedom, quorsum mihi multitudo victimarum vestrarum?

Quintum, Timor hominum, sine timore Dei. Multi illorum Regum & principum Iudæ adeo timebant Reges Assyriæ, Samariæ, & cæteros Gentium Reges, vt voluerint contra voluntatem Dei cum eis fœdus inire, & componere rem cum eis, vt sibi & suo regno benè consultum esset. id quod displicuit Deo, vna testantur libri Regum, & Esaias arguit Achazum, qui hoc & ipse voluit facere, cùm videret obsidione premi Hierusalem à Rege Syriæ & Samariæ, vt est Esaiæ cap.7. Iam verò quàm regnat hoc peccatum inter nos? Magis timemus Reges & imperatores, quàm Deum, & propter hunc timorem non veremur multa agere contra veram Christi religionem, non veremur admittere in vrbes nostras, in Ecclesiam, libros impios tanquam pios, & religionem Papisticam, tanquam catholicam. Ergo opus est Esaia, qui hūc timorem arguat, qui nostros Magistratus in fide animet ad resistendum principibus ad timendum Deum magis quàm homines, quoniam Reges nihil possunt cōtra nos, absque Dei voluntate.

Sextum vitium erat nimia securitas. Cùm enim videbant templum Domini, cùm videbant se esse populum Dei, habere terram promissam Abrahæ: Item cùm videbant se fœdere iunctos cum Regibus Gentiū, atque in pace viuere, non poterant adduci, vt crederent Deum amplius missurum flagella, bella, pestem, famem in illum populum: imò aliqui putabant, Deum dormire, negligere humanas res, &c. Et nunc? Idem inter nos accidit. Quoniam res nostræ videntur compositæ cum Regibus & Principibus: quoniam videmur esse in pace: adde, quoniam videmus in Euāgelium vocatos, in Ecclesias Christi ascriptos, habere vera sacramenta,

&c. nequaquam putamus fieri posse, vt aliquid mali nobis accidat, sed securi stertimus in vtramque aurem, edentes, bibentes, luxuriantes. Ergo opus nobis est Esaia, qui ostendat iram Dei breui futuram contra eos, qui negligunt pietatem & veram religionem, neque moribus respondent Euangelio & fidei, quam profitentur.

Septimum, impatientia, atque desponsio animi. Multi enim pij, vbi videbant se affligi, cùm tamen persisterent in verbo Dei, in veteri cultu: impios verò altera ex parte nō solùm flagellorū expertes esse, sed etiam rebus omnibus florere, vt illos Reges Gentium: incipiebant fieri impatientes, & videbantur aliquando animum despondere. Ita nunc ferè accidit plerisque. Quibus enim tentationibus impetimur à Satana, cùm videmus Ecclesias veras Iesu Christi ita in dies affligi peste, gladio, penuria: impiis vero papicolis omnia ferè ex ipsorum sententia succedere? Ergo opus est Esaia, qui ostendat crucem piorum non fore eis inutilem aut diuturnam, sed esse & breui finiendam, & ipsis in salutem cessuram. Quare sint bono animo. Impios vero, quò minus videntur affligi, eo maiores pœnas luituros, & iram Dei contra eos magis grauari.

Octauum, Diffidentia. Multi enim pij viri, videntes Ecclesiam Dei tot annos corruptam fuisse tot idololatriis, nec potuisse vnquam perfectè expurgari & mundari, existimabāt actùm esse de Ecclesia, nunquam impletum iri promissionem de Christo, qui Ecclesiam restitueret & saluaret. Ita nunc multi, cùm videant tum potentem Antichristum, & Reges inimicos Christi: Ecclesiam verò corruptam tot hæresibus, & flagitiis innumeris, putant, conclamatum esse, nec posse restitui amplius Ecclesias ad pristinum Christianum cultum, atque ita diffidunt promissionibus Dei de sua Ecclesia. Ergo Esaia opus est, qui subleuet fidem nostram, qui det bonum animum, qui certiores nos reddat, impletum iri promissiones Dei de sua Ecclesia instauranda, reparanda, & vndequaque ex Gentibus replenda, sicut facit vbique ferè, & præsertim cap. 40. Consolamini, &c. qui denique ostendat, tandem destructum iri omninò peccatum, mortem, infernum in electis, & futurum omninò, vt propitio æuo fruamur, vt facit in fine Esaias noster.

Multa alia sunt in Esaia, quæ ad nostra tempora faciunt, sed hæc satis sunto. Quare videtis, quàm iure optimo assumserim Esaiā præ cæteris nunc vobis interpretandum, tum quia primus est in ordine Prophetarū, tum quia primus est etiam dignitate, tum denique quia maximè facit ad nostra tempora plusquàm alij faciant. Adde quia etiam primus liber Scripturæ, quem Christus interpretatus est, fuit Esaias, Luc. 4. Ergo etiam Ego volui Christum imitari hac in parte. Et certè vobis charus esse debet hic propheta, & libenter ac diligenter & attentè audiēdus, non solùm ob rationes, quas diximus, sed ob has etiam, quas modò dicam.

Primùm, libenter audiri solent nobiles, præsertim Reges, aut qui è regio sanguine sunt. Atqui hic Esaias nobilissimus est, vtpote è sanguine regio natus. Huic enim pater fuit Amoz frater Amasiæ, iuxta quosdā Lutherum & Brentium, aut Azariæ, iuxta Caluinum, Regis Iudææ. Vnde etiam secundū quorundam interpretationem, Esaias vocat Christum patruelem suū, cap. 5. quia Christus descendit ex linea Azariæ, qui patruus erat Esaiæ, quanquam aliter mihi exponendus videtur locus ille Esaiæ. Vtcūque sit, Esaias fuit è regio genere natus. Hanc verò eius nobilitatem non ideo recenseo, quasi velim hanc aliquid adferre seu prodesse ad pietatē, cùm in Christo non sit masculus, neque fœmina, neque barbarus, neque Scyta, neque Iudæus, neque Græcus: & cū Deus eligat ignobilia & contemptibilia Mundi, vt confundat nobilia, 1. Corinth. 1. Sed ideo retuli, vt ostendam, primò carnalibus, & iis qui nobilitatem hominum spectant, non habere cur recusent audire Esaiam, cùm sit nobilissimus. Secundò, vt ostendam verè piis, hoc etiam nomine se magis affici debere ad audiendum Esaiam, quòd eodem ex genere natus sit, vnde & Dominus noster Iesus Christus, id est, quòd Christo non solùm spiritu, sed etiam carne proximè erat coniunctus. Neque enim parui facienda est generis nobilitas, quando accedit ad pietatem & virtutes Christianas. Nam etiam hęc est singulare Dei donum. Quod tamen nobilitatis donum, quemadmodum nonnihil lucis adfert iis, qui sunt pietate & virtutibus præclari & insignes: ita econtra impios ac vitiosos homines sanguinis nobilitas maiori potiùs dedecore afficit, quàm eos cohonestet: quemadmodum etiam qui deformi est facie, magis se turpem & deformem reddit, si in loco conspicuo & illustri, quàm si in abdito & obscuro sedeat. Cùm igitur nobilitas generis in Esaia coniuncta fuerit cum pietate & nobilibus virtutibus: propterea etiam nobilitas eum vobis chariorem & honoratiorem reddere debet.

Libenter etiam audiri & legi solent antiqui autores & scriptores, vtpote quibus antiquitas ipsa magnam fidem conciliat apud posteros. Et certè, quanti debeat æstimari antiquitas, præsertim cum de religione est sermo, vel ex hoc manifestum fieri debet, quod Deus Deut 13. iubet populo, ne se abduci sinat ad Deos patribus incognitos, vel ad aliam religionem, quam patres non agnouerunt. Ob hanc causam Apostoli omnes, cùm volunt comprobare religionem Christianam, eam ostendunt non discrepare à Mose, nec à patribus, sed potiùs eandem esse, cùm & ipsi saluati sint per eandem fidem in Christum, per quam & nos saluamur. Sic Iudæi, tametsi corruptam habebant religionem tempore Christi: tamen vt comprobarent suam religionem, subinde allegabant Mosen, Abrahamum, & patres. Sic Samaritana illa Ioh. 4. commendat putei aquam ab antiquitate, dicendo, *Ex eo bibit Iacob pater noster, & filij eius*. Laudat etiam suum templum in monte, ab antiquitate, dicendo, *Patres nostri in hoc monte adorarunt.* Sic denique Papicolæ, cùm volunt tueri suas abominationes, nuper ab ipsis inuentas & inuectas in Ecclesiam, contra Apostolorum doctrinam, non tamen pudefiunt (adeo sunt impudentes) neque pudet eos subinde allegare antiquitatem, vt hoc fuco plebi indoctæ imponant, atque vtinam permanerent in antiqua religione Prophetarum & Apostolorum, ad quam nos quid aliud facimus, quàm eos reuocare? Igitur antiquitas plurimi æstimatur ab omnibus, & multam fidem facit. Vnde & dicimus, nihil antiquius, id est, nihil præstantius. Hoc igitur etiam nomine plurimi fieri debet noster Esaias, cùm sit Propheta antiquissimus. Nam hic successit Elisæo, natus ante Christum annos circiter octingentos, quemadmodum Chronographi scripserunt, & subducenti rationem temporum ex scripturis sacris videre licet.

Libenter etiam audire solemus eos, quorum iam fama & laus in ore omnium est. Esaias noster est huiuscemodi. Quis de ipso non honestissimum & optimum testimonium ferat? In veteri Testamento & de ipso testimonium habemus, tum in libro Regum quarto, tum in libro Paralip. Quartus enim liber Regum, cap. 15. narrans historiam Ozeæ Regis, remittit ad librum Paralip. Hic verò 2. Paralip. 26. ait, reliqua sermonum Ozeæ priorum & nouissimorum scripsit Esaias filius Amoz Propheta. De hoc item sermo fit cap. 32. Item liber Iesu filij Sirach in catalogo iustorum, honestissimam etiam nostri Prophetæ mentionem facit, dicendo, Ezechias fecit, quod placuit Deo, & fortiter iuit in via patris sui Dauidis, quam mandauit illi Esaias Propheta magnus & fidelis in conspectu Dei. In diebus illis ostendit futura & abscondita antequam euenirent.

Iam verò in nouo Testamento quis de ipso non honorificam mentionem facit? & subinde hunc citat? Iohannes Baptista testimonio Esaiæ vtitur, dum vult suam vocationem comprobare, & populum ad pœnitentiam hortari, dicendo Ioh. 1. Ego vox clamantis in deserto, sicut dixit Esaias Propheta, parate viam Domini.

Christus vocationem itidem suam comprobat testimonio Esaiæ Luc. 4. Allatus est ei liber Esaiæ Prophetæ, & cum aperuisset librum, inuenit locum, vbi scriptum erat, Spiritus Domini super me, &c. & dixit: Hæc scriptura hodie impleta est in auribus vestris. Quoties verò in suis concionibus ipsum citat, quò suam doctrinam Euangelij comprobet? Angelus nunciaturus Virgini conceptionem filij Dei, conflat orationem suam ex verbis Esaiæ cap. 7. dicendo: *Ecce concipies & paries filium*. Pater ipse de cœlo, quantam laudem præbet Esaiæ, dum ab eo mutuat verba, quibus declaret, Christum esse illum filium suum, in quo placatus est erga genus humanū? dicendo: *Hic est filius meus in quo mihi bene cōplacui*. Hęc enim sunt Esaię c. 42. Act. 8. Philippus inter-

interpretatur Iesaiam Eunucho illi, qui in curru legebat hunc Prophetam, quem tamen non intelligebat, & statim apertis oculis credit in Christum & baptizatur, ac lætus domum redit. Iam verò longum esset referre, quot locis Paulus hunc elegantissimum Prophetam citet, quò comprobet ea, quæ scribebat Ecclesiis Christi: imò omnes ferè epistolæ Pauli, præsertim quæ est ad Rom. vbique ornatæ sunt testimoniis huius Prophetæ, tanquam pretiosissimis gemmis. Itidem facit Petrus: itidem Iohannes in Apocalypsi.

Cùm igitur hic Propheta tanti factus sit ab aliis Prophetis, à Iohanne Baptista, ab Apostolis, ab Angelo, à Christo, à Patre, vt eius testimoniis vti non dedignati sint: quis non videt, quanti sit à nobis faciẽdus? & quàm libenter & diligenter audiendus? Quidquod vel ipsum Esaiæ nomen ad eius studium & lectionem nos vehementer inuitat? Nam *Ieschah-ja* idẽ est, quod salus Domini. quod quàm bellè huic Prophetæ conueniat, res ipsa declarat. Neque enim aliud in sua Prophetia nobis adfert & annunciat, quam salutem per illum Christum, cuius hic noster Propheta Iesaias quemadmodum carnis affinitatem, ita & nominis cognationem sortitus est. Nam à *Ieschuah* Iesus non multum discrepat, aut dissimile est nomen *Ieschahja*.

Libenter quoque audire solẽmus eloquentes. Elegãti enim dicẽdi forma & eloquẽtia oblectamur. Atqui Esaia nostro nihil in tota sacra Scriptura inueniri potest elegãtius. Nescio qui rhetorici colores, quæ ornamenta, quæ vis, quæ dicendi copia, quid denique, quod ad ornatè dicendum attineat in hoc nostro Propheta desiderari possit. Quid igitur est primùm, cur non à me hic sanctissimus Propheta debeat præ aliis ad interpretandum assumi? cum hic & in ordine Prophetarum primus sit, & cæteros omnes facilè antecellat ratione dicendi, doctrina, varia rerum eruditione, minandi vehementia, consolandi gratia, apud omnes autoritate, visionum excellentia, miraculorum operatione, prædicandi constantia, animi fortitudine, Euangelij perspicuitate: & denique cùm ad nostra tempora, quibus eadem ferè vitia regnant, quæ tempore etiam Esaiæ regnabãt, magis hic vnus faciat, quàm cæteri omnes? Deinde quid est, cur à vobis non debeat libenter audiri? cum præter ea, quæ de ipso iã diximus, quæ omnia hortantur vos ad eius lectionem & studium, sit etiam inter genere nobiles nobilissimus, Christo seruatori affinis, inter scriptores nõ postremus: inter celebratos celebratissimus: inter eloquentes eloquentissimus: & denique inter pulcherrimos & boni ominis nominibus ornatos, ornatissimus: Quare videtis, quàm iure optimo hic Propheta & à me præ cæteris Prophetis ad interpretandum sit susceptus: & vobis maxima cum diligentia, studio & attentione sit audiendus.

DE ECCLESIA.

CAPVT I.

In 2. vers. cap. 2. Ies.

Et erit in nouissimis diebus, præparatus erit mons domus Iehouæ, &c.

1. *Quibus nominibus appelletur.*



1\. APPELLATVR mons, per metonymiã, pro populo qui in monte habitat, continens pro contento, vel signum pro re signata, quia mons Sion, vbi plantata fuerat Ecclesia Israelitica, typus fuit veræ Ecclesiæ Christi: de quo monte etiam legimus *Hebr.* 12. Accessistis ad montem Sion, & ciuitatem Dei viui, Hierusalem cœlestem, & innumerabilium Angelorum conuentum, &c.

2\. Vinea Domini, Ies. 5. ita vt Christus sit vitis, fideles palmites, Pater agricola, vt est Ioh. 15.

3\. Regnum Dei, vt sæpe in Euangelio, Matth. 25. *Simile est Regnum cœlorum decem virginibus, &c.*

4\. Aliquãdo nomine corporis humani exprimitur, vt sæpè apud Paulũ, præsertim Rom. 12. 1. Cor. 12. Eph. 4. Ita autem appellatur Ecclesia, & quæuis Respubl. propter conuenientiam, quæ est inter corpus humanum, & Ecclesiam atque Rempubl. Nam primo, sicut, si membra corporis inter se dissentiunt, & alterum alteri nolit inseruire, v. g. manus cibum ori porrigere, & os porrectum cibum capere, & dentes captum premere recusent, totum corpus interire necesse est: Ita si in Republ. ciues à plebe dissentiant, & plebei contra ciues conspirent, ita vt sibi inuicem inseruire nolit, tota illa Respubl. breui concidat & pereat oportet. Secundò, sicut horrendum esset monstrum, si corpus humanum haberet caput bouinum, aut porcinum, aut asininum. ita intolerabile monstrum est, cum aliqua Respubl. habet magistratum vel principem impium, vel superbum, vt leonem, sæuum ac rabidum, vt Tigridem, luxuriosum, vt porcum, indoctum, vt asinum, helluonem, vt lupum, blatteronem, vt canem, aut aliis vitiis præditum & insignem. Tunc enim perinde est, ac si corpus hominis habeat caput asininum, aut cæterorum animalium brutorum, quale multis sæculis habuit Respubl. Christiana, cum Papam agnouit pro capite Ecclesiæ, & qualia habent multa regna & Respub. Ergo curandum, vt semper Magistratus creetur pius, & bonis moribus præditus, qui caput Reipubl. Christianæ deceat. Contrà, sicut turpe monstrum est, cum caput est humanum, & quidem pulchrum, mẽbra verò vel omnia, vel aliquot sunt vel asinina, vel porcina, vel aliorum huiuscemodi animalium: Ita turpe est quod caput habeamus Christum pulcherrimum, nos vero simus per vitia. membra vel porcina, vel asinina. Ergo studeamus exhibere nos membra tali capite digna. Hoc docuit Paulus Ephes. 5. cum dixit, Christum caput nostrum, sanguine suo lauisse Ecclesiam, corpus suum, vt esset munda & sine macula, id est, digna tali capite. Tertiò, sicut membra auulsa à capite, viuere amplius non possunt. Ita nos ab scissi à Christo, vitam habere in nobis ipsis non possumus, aut aliquid boni facere. Ergo curemus, vt per fidem vniti maneamus cum Christo. Quartò, sicut quicquid vitalis spiritus est in membris, fluit à capite, ita quicquid boni in nobis est, fluit à Christo. Hoc docet Paulus Col. 2. cùm inquit: Neque obtinens caput, ex quo totum corpus per commissuras & compages suppeditatum & compactum, augescit augmento Dei, id est, incremento fidei, & Spiritus Dei: Quare quicquid boni in nobis, & in Ecclesia est, totum illud capiti Christo acceptum ferendum est. Quinto, sicut in vno corpore, licet multa sint membra, non omnia tamẽ eandem functionem & actionem habent, sed diuersa officia, diuersa membra obeunt, ita in Ecclesia, licet simus multa membra, non tamen possumus omnes eãdem habere vocationem, sed vnusquisque habet suum donum, secundum gratiam sibi datam. Hoc docet Paulus Rom. 12. cùm inquit: Sicut in vno corpore membra multa habemus, membra verò omnia, eandem non habẽt actionem, sic multi vnum corpus sumus in Christo, singulatim autem alij aliorum membra. Habentes autem diuersa dona pro gratia, quæ nobis data est, &c. Quare (vt ibi docet Apostolus) sicut in corpore, vnum membrum sese non ingerit in alterius membri officium, neque illud appetit, sed suo munere contentum, illud diligenter in bonum totius corporis exequitur: ita nemo nostrûm in alterius vocationem & partes se ingerat, sed sua vocatione contentus, in ea sese quisque contineat, eámque diligenter in totius Ecclesiæ bonum exequatur, exempli gratia, qui Ministrum agit, ministerium suum diligenter obeat, non suo, sed gloriæ capitis Christi, & totius Ecclesiæ bono studens. Sic qui docet, in doctrina, qui exhortatur, in exhortatione, qui præest, in studio, scilicet doceat, exhortetur, præsit diligenter. Sic de reliquis officiis. Sextò, sicut in corpore, licet multa & varia mẽbra, varia etiam munia obeant, vna tamen est anima, & vnus spiritus, qui hæc singula munia in singulis membris absoluit, Ita in Ecclesia, licet diuersa simus membra & diuersa etiam munera obeamus, vnus tamen est Deus, vnus Spiritus sanctus qui hæc omnia in nobis singulis operatur, ad ædificationem totius Ecclesiæ, & à quo omnia in nos dona fluunt. Hoc docet Paulus 1. Cor. 12. cùm ait: Diuisiones autem donorum sunt, sed idem Spiritus: & diuisiones ministeriorum sunt, sed idem est Deus efficiens omnia in omnibus. Vnicuique autem datur manifestatio Spiritus ad id, quod expedit. Nam huic quidem datur per spiritum sermo sapientiæ, &c. sed hæc omnia efficit vnus atque idem spiritus, diuidens peculiariter

vnicuique sicut vult. Sicut enim corpus vnum est, & membra habet multa, omnia verò membra corporis vnius, multa cùm sint, vnum sunt corpus: ita & Christus, legantur reliqua. Quare sicut in corpore (vt ibidem hortatur Apostolus) tametsi membra corporis sint varia, & diuersis facultatibus differant, sunt tamen inter se ita connexa, vt in vnum coalescant, & mutuò sese iuuẽt: Ita nos qui sumus membra Christi, licet variis dotibus polleamus, debemus tamen in communem ædificationem omnia conferre & ad illam coniunctionem, & sanctorum communionem, quam habemus in Christo, semper spectare. Septimo, sicut in corpore nullum membrum, licet sit altero ig nobilius, dicere tamen potest propter hoc, se non esse de corpore, quia tam est de corpore pes, quam oculus: Ita in Ecclesia, licet aliquis sit aliis inferior, non iisdem præstantissimis donis præditus, quibus alij fortassis præditi sunt, non ideo tamen putet, se non pertinere ad corpus Christi, se non esse de Ecclesia. Non minus enim de Ecclesia est, & ad Christum pertinet mulio aut bubulcus, modò præditus sit Spiritu Christi, quàm verbi Minister, aut aliquis alius præstantissimus vir, Hoc docet Paulus 1. Cor. 12. cùm ait: Si dicat pes, non sum manus, non sum de corpore, num ob id non est ex corpore? Et si dicat auris, non sum oculus, non sum de corpore, num ob id non est ex corpore? &c. Quare nullus diffidat, se esse de Ecclesia, & membrum eius, & quidem bonum & necessarium, licet sit pauper, & infimæ conditionis homo. Octauo sicut in corpore non possunt omnia membra esse oculus, aut auris sed necesse est, vt aliud sit oculus, aliud auris: Ita in Ecclesia non omnes possunt esse verbi Ministri, non omnes Prophetæ, non omnes Apostoli, non omnes Doctores: sed necesse est, vt in Ecclesia varia sint officia & membra, nobiliora & ignobiliora. Hoc quoque docet Apostolus 1. Cor. 12. dicendo, si totum corpus oculus, vbi auditus? si totum auditus, vbi odoratus? Nunc autem posuit Deus membra singula sigillatim in corpore, sicut voluit &c. & paulo post: Vos autem estis corpus Christi, & membra ex parte, id est, pars vnusquisque est Ecclesiæ: & alios quidem posuit Deus in Ecclesia, primum Apostolos, deinde Prophetas, tertiò doctores, &c. Quare vnusquisque sit contentus sua vocatione, se esse tale membrum Christi, quale à Deo est factum, siue liber, siue seruus, siue ludimagister, siue Doctor. Nonò, sicut in corpore, vnumquodque membrum opus habet alio mẽbro, licet sit infirmum & ignobile: v.g. oculus pede, ideóque oculus nõ debet pedẽ contemnere, quasi sibi inutilẽ & non necessariũ: Ita in Ecclesia vnusquisq. quantumuis diues, sapiens, magnus, opus habet alterius officio, ideóque nemo alterum contemnere debet. Hoc docet Apostolus eod. cap. cùm ait: Non potest oculus dicere manui non est mihi opus te: aut rursus caput pedibus, non est mihi opus vobis: imò multò potius, quæ videntur membra corporis imbecilliora esse, necessaria sunt, & quæ putamus minùs honesta esse iis vberiorem honorem apponimus: & indecora nostra (membra) copiosiorem decorem habent. Nam quæ sunt decora in nobis, iis decore non est opus, &c. Quare alter alterum non contemnat, quasi sibi inutilem & non necessarium in Ecclesia: sed inuicem honore præueniamus, &c. Decimò, sicut in corpore, quando patitur vnum membrum, non est mirum, si compatiantur omnia membra, cum sint simul iisdem neruis coniuncta, eodem spiritu viuificata: Ita non mirandum, si quando caput Christus passus est, etiam nos patiamur, qui sumus eius membra: Ita è contrà, si nos patimur certo sciamus Christum nobiscũ compati, quatenus passiones nostras, suas esse agnoscit. Hoc etiam docet Apostolus eod. cap. dicẽdo, si patitur vnum membrum simul dolent omnia membra, siue honore afficitur vnum membrum, cõgratulãtur omnia verba, &c. Quare læto animo patiamur cum Christo, postquàm & ille nobiscum patitur, vt & cum illo conlætemur. Vndecimò, sicut in corpore vnum tantùm est caput, à quo omnia membra se regi sinunt: Ita in Ecclesia aliud caput non agnoscimus, nisi Christum, à quo solo nos regi in iis, quæ ad pietatem pertinent, sinamus. Non ergo Papa potest esse caput Ecclesiæ. Hoc docet Paulus Eph. 1. Et ipsum (Christum) dedit caput super omnia Ecclesiæ, quæ est corpus ipsius. Quare huic soli capiti Christo adhærendum, & illi in omnibus parendum. Duodecimo, sicut corpus subditum est capiti, non caput corpori: Ita Ecclesia subdita esse debet Christo, non Christus Ecclesiæ. Hoc docet Apostolus Eph. 5. dicendo, Mulieres subditæ sint viris suis, sicut Domino, quoniam caput mulieris vir, vt & Christus est caput Ecclesiæ, & is est: qui salutem dat corpori. Itaque sicut Ecclesia subiecta est Christo: ita & vxores suis viris subiectæ sint in omnibus. Decimotertio, sicut in corpore, licet pes loci interuallo longè absit à capite, tamen per animam & iuncturas illi iunctus est, & ab illo viuificatur: Ita nos infimi peccatores, licet tanto loci interuallo à capite nostro Christo distemus, cùm ille, vt caput, sit in cœlo cum corpore suo, nos verò hîc in infima terra, sicut pedes: nõ dubitemus tamen, quin reuera coniuncti simus Christo, nexu indissolubili, & ab illo viuificemur suo Spiritu. Hoc docet Apostolus *Col.* 2. dicendo: Neque obtinens caput, ex quo totum corpus per commissuras & compages suppeditatum & compactum augescit augmẽto Dei. Item *Eph.* 4. Sed veritatem sectantes cum charitate, adolescamus cũ illo per omnia, qui est caput, nempe Christus: ex quo totum corpus congruenter coagmentatum & compactum, per omnes suppeditatas commissuras, ex vi intus agente, pro mensura vniuscuiusque membri, incrementum capit corpori conueniens, ad sui ipsius extructionem, per charitatem. Propter hasce conuenientias corporis humani cum Ecclesia, iure Ecclesia sæpe nomine corporis exprimitur.

5. Ecclesia etiam interdum appellatur ouile Christi, vt Iohan. 10. vbi manent oues, id est, fideles, pastor est Christus.

6. Aliquando sponsa Christi, vt sæpe apud Prophetas, Hos. 2. Eph. 5.

7. Aliquando nomine Virginis significatur, propter integritatem in cultu, & verbo Dei.

8. Aliquando Mater vocatur respectu fidelium, quos gignit verbo Dei, vt Gal. 4. *Hierusalem superna, quæ est mater nostra.*

Sæpe etiam domus Domini, & templum Domini appellatur, vt *Ies.* 2. & *Matt.* 16. Super hanc petram ædificabo Ecclesiam. Ita autem nominatur, propter collationem domus, & præsertim templi Salomonis (nam huic potissimùm comparatur Ecclesia) cum Ecclesia Dei. Sũt autẽ potissimùm proportiones & collationes, inter domum & Ecclesiam, hæ.

Prima sumitur à causa efficiente. Domus ædificatur ab aliquo architecto, qui etsi solus propriè sit, qui ædificet domum, vtitur tamen ministerio aliorum multorum, qui & ipsi architecti vocantur: Ita Ecclesia Christi habet summum & primum architectum Deũ ac Christu. Hic ait *Matt.* 16. Tu es Petrus, & super hanc petram. Ego (scilicet architectus) ædificabo Ecclesiam meam. Cooperatores verò huius summi architecti fuerunt Apostoli, & sunt hodie omnes verbi Ministri, qui in hac extruẽda & confirmanda domo laborant, quos & architectos vocare dignatus est. Sic 1. *Cor.* 3. ait Apostolus, Vt sapiens architectus fundamentũ posui, &c. *Itẽ*, Quis Paulus, quis Apollo, nisi ministri Christi? per quos credidistis. Ego plantaui, Apollo rigauit Deus autem incremẽtũ dedit. *Itẽ*, Dei ædificatio estis. Isti enim prædicant verbum, administrant sacramenta, Christus verò intus donat fidem, dat rem sacramentis significatam, baptizat spiritu, sicut illi aqua: dat corpus suum, sicut illi panem.

Secunda, à causa materiali. Domus habet fundamentum, parietes, tecta: & quidem parietes sunt ex materia, lapidibus, calce, &c. Ita Ecclesia habet fundamentum: hic est Christus: de quo 1. *Cor.* 3. Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Iesus Christus. *Eph.* 1. Superstructi estis super fundamentum Apostolorum & Prophetarum, imò angulari lapide ipso Iesu Christo. *Matt.* 16. Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. 1. *Cor.* 10. Petra autem erat Christus. *Ies.* 28. Ecce pono in Sion lapidem, lapidem munitionis, anguli pretiosi, fundamenti fundati, qui credit, ne festinet. 1. *Petr.* 2. Hic est lapis angularis ab hominibus quidem reprobatus, apud Deum verò electus & pretiosus. Tota enim fides, qua ceu perfectissimo instrumento absoluitur domus, nititur huic fundamẽto Christo solo. Parietes sunt fideles homines, qui nomen dant Christo, extructi super fundamento Christo, 1. *Pet.* 2. Ad quem accedentes, qui est lapis viuus, ab hominibus quidem reprobatus, apud Deum verò electus & pretiosus: Ipsi quoque veluti viui lapides ædificemini domus spiritualis, sacerdotium sanctum, ad offerendum spirituales hostias, acceptas Deo, per Iesum Christum. *Eph.* 2. Iam non estis hospites & aduenæ, sed conciues sanctorum, ac domestici Dei, superstructi super funda-

mentum

mentum Apostolorum & Prophetarum, &c. in quo totum ædificium congruenter coagmentatum, crescit in templum sanctum Domino. Christus ergo lapides hos, fideles ceu parietes retinet, ne labantur, & inde totam structuram. Tectum est etiam Christus, continens defendensque totam Ecclesiam ab omni malo, imbre, sole, &c. id est, sub cuius cura & tutela, secura viuit Ecclesia.

Tertia collatio sumitur à causa formali. Sicut domus ædificatur secundùm certam aliquam formam, & quasi typum, ad cuius exemplar fit: Ita Ecclesia habuit suum typum. Hic fuit templum Salomonis, ad cuius exemplar quasi extructa fuit. Videndam ergo, quæ fuerit forma templi Salomonis. Tria habebat hoc templum: Sanctum sanctorum: Sanctum: & Atrium: & tamen vnum templum fuit. Ita Ecclesia tres habet partes, & vna tamen est Ecclesia.

Prima pars sunt sancti in cœlo, Spiritus beati, Ecclesia triumphans, vbi semper apparet Christus propitiatorium nostrum. Ibi omnia aurea & felicia. Hæc respondet sancto sanctorum.

Secunda, est Ecclesia militans, scilicet electi solùm, qui verè sancti sunt, mundati sanguine Christi, non habentes formam pietatis, sed ipsam pietatem. Hæc respondet sancto, vbi sanctificati & consecrati Domino.

Tertia, Ecclesia tota militans, quatenus comprehendit & bonos & malos ac hypocritas. Hæc respondet atrio, vbi populus promiscuè & animalia omnia.

Quarta, à causa finali: domus ædificatur, vt ibi inhabitemus: Sic domus Ecclesia, vt ibi Deus inhabitet. *Inhabitabo vobiscum.* 2. Cor. 6. Hæc est potissima causa, cur domus appelletur Ecclesia, vt scilicet significet Deus, se ibi residere sicut in domo sua, se ibi dare responsa, se ibi habere thesauros suos, & extra hanc domum nihil esse bonorum cœlestium. 1. *Cor* 3. An nescitis, quod templum Dei estis, & Spiritus Dei habitat in vobis? Si quis templum Dei violat, hunc perdet Deus. Nam templum Dei sanctum est, quod estis vos. Hæc sunt præcipua nomina, quibus natura Ecclesiæ egregiè exprimitur.

CAPVT II.

QVID SIT ECCLESIA: & in quot partes diuidatur.

Ecclesia est vniuersalis ad vitam æternam electorum ac verè fidelium cœtus, partim in cœlo iam agens, partim adhuc in terra sub Dei Iehouæ nomine militans, in vnitate fidei & spiritus, ad Deum ritè colendum congregatus.

Vniuersalis & catholica vocatur, quòd nō sit affixa vni tantùm tempori aut ætati, neque vni loco, neque vni genti: sed palmites suos in omnia omnium ætatum tempora, & in omnia vniuersi orbis loca, & ad omnes omnium gentium populos extendat ac proferat.

Distinguitur autem sic, primum in triumphantem & militantem. Triumphans est cœtus ille beatorum spirituum in cœlo, qui ceu triumphantes de victo Mundo, de peccato, de Satana, suauissimo Dei conspectu, & æterna pace fruuntur. De hac extat testimonium Apocal. 7. vbi graphicè depingitur Ecclesia hæc.

Militans Ecclesia est cœtus hominum ad vitam æternam electorum ac verè fidelium in terris, sub Christi nomine, ad Deum legitimo cultu in verbo eius præscripto, colendum congregatus, eandem fidem in Deum & Christum eius profitens, eandem sacramenta, iuxta Dei institutum, quoad eius fieri potest, participans, contra carnem, peccatum, Satanam, Mundum, & mortem, sub Christi vexillo militans. De hac propriè loquuntur Scripturæ, cùm dicunt, Ecclesiam sponsam Christi, corpus Christi, redemtam sanguine Christi, fundatam super petram. Soli enim electi, per fidem Deo vniti, sunt Ecclesia Dei. Habet autem adiunctos sibi hypocritas multos, qui eandem fidem verbis profitentur, & eorundem sacramentorum symbola participant: sed licet sint in Ecclesia, non sunt tamen de Ecclesia: Cæterùm, cùm nobis noti plerumque non sint: neque qui sint vera & viua Ecclesiæ membra, neque qui simulata & mortua, fit, vt totus hic visibilis cœtus ex electis viuis membris Ecclesiæ, & ex reprobis hypocritis collectus, vocabulo latiùs accepto, Ecclesia appelletur, & quidem catholica, cuius etiam partes nomen Ecclesiæ retinent, vt Ecclesia Galatiæ, Corinthi, &c.

Hæc etiam Ecclesia latiùs accepta, quatenus & bonos & malos continet, aliquando sub generali nomine tantum Iehouæ, Dei viuentis, Dei Iacobi, &c. collecta mansit, quemadmodum à condito orbe, vsque ad Christum à mortuis excitatum: aliquando sub publico & aperto Christi nomine congregata extitit, sicut post datum Apostolis Spiritum sanctum fuit, & erit vsque ad consummationem seculi.

Hic verò oritur quæstio non contemnenda, An Ecclesia Dei cœperit fundari firmarique postremo tempore, scilicet post Christum resuscitatum, vt Iesaias docet cap. 2. ver. 2. fore, vt in postremis diebus Ecclesia Christi constituatur firmiter: an verò semper à condito orbe fuerit.

Resp. Primò, si Ecclesia accipiatur pro illa Ecclesiæ parte, quæ triumphans dicitur, non cœpit post Christum cùm antea à cōdito orbe, plerique hac vita defuncti, deuicto Mundo, peccato, & Satana triumpharint, & optata pace, etsi ad partem, cum Deo potiti fuerint. Omnes enim ferebantur in sinum Abrahæ. Post Christū verò pleniore pace, vnà cum illo ingressi cœlum fruuntur, exspectantes tamen adhuc corporū resurrectionem, vt non sine nobis consummentur.

Secundò, si Ecclesia accipiatur pro vera Ecclesia militante, nempe pro cœtu electorum, in vno veri Dei cultu, hic in terris collecto: neque hæc cœpit post Christū, sed ab initio Mundi fuit. Fuerunt enim semper electi aliquot in Mundo, in vero Dei cultu collecti, & fuerunt vera Dei Ecclesia, contra fanaticum Seruetum, qui patres illos, non viuam Dei Ecclesiam fuisse, sed typum duntaxat veræ futuræ Ecclesiæ post Christum, voluit.

Tertiò, si Ecclesia latiùs accipiatur pro Ecclesia militante, quatenus etiam reprobi multi & hypocritæ ibi connumerantur, licèt non sint verè de Ecclesia, nec Ecclesia, nec partes Ecclesiæ: dico, hanc etiam posse considerari, vel quatenus sub generali Dei Iehouæ nomine collecta fuit, vel quatenus sub aperto Christi nomine congregata. Si quatenus sub generali Dei nomine collecta, hæc certè non cœpit in extremis temporibus, sed ab initio Mundi. Fuit enim semper in Mundo cœtus ex electis & reprobis hominibus mixtus, qui verum Deum, locutum Adæ, Abrahæ, & Mosi, confessi sunt, eiúsq. cultum, saltem externum, amplexi sunt: quanquam omnes veri electi, & viua Ecclesiæ membra, sub nomine Dei, ipsum Christum vnicum Deum colerent. Si vero consideretur hic cœtus, sub aperto Christi nomine, publicè collectus, certè Ecclesia, postremis temporibus, scilicet post ascensionem Christi in cœlum, plantata & firmata fuit. Nam ante resurrectionem Christi, Ecclesia sub aperto Christi Dei, & hominis nomine, non erat collecta, sed post missum Apostolis Spiritum sanctum, cœpit publicè plantari hæc Ecclesia, & Ecclesia Christi appellata est: quæ, licet mixtos habeat reprobos & hypocritas multos, existentes quidem in Ecclesia, cùm tamen (vt dixi) sint neque Ecclesia, neque partes Ecclesiæ, quæ, inquam, Christi Ecclesia, propriè est sanctus hominum tam Gentilium, quàm Iudæorum, ad vitam æternam electorum cœtus, sub aperto Christi nomine palàm, in eandem veræ fidei vnitatem ac professionem, & eorundem sacramentorum iuxta institutionem Christi, quoad eius fieri potest, participationem collectus.

Hæc est propriè Christi Ecclesia, de qua loquitur Propheta, postremis temporibus plantata, firmata, exaltata, amplificata, & à Christo Rege per Euangelium & Spiritum sanctum recta, & duplicem pacem cum Deo & proximo adepta, ad quam tamen reuera pertinebant etiam Abel, Enoch, Abrahā, cæterique Patriarchæ & Prophetæ, & electi omnes, qui à condito orbe, vsque ad Christum extiterūnt: quandoquidem eadem fide, & eodem Christi Spiritu, & iisdem (si res ipsas, non signa spectemus) sacramentis, nobis essent vniti.

Cæterùm, multæ sunt rationes, propter quas, iure optimo, hæc quæ alioquin ab initio Mundi reuera cœpit Ecclesia Christi, dicatur post Christum cœpisse firmata esse, & esse vera Christi Ecclesia, non ante Christum.

Primò, exigua & in paruo numero semper fuit ante Christum, & eadem etiam contemta, vt ferè videretur,

quasi nulla esse. Hinc illæ voces in Prophetis, quòd Ecclesia esset sterilis, quæ non parit, vrbs deserta: & Paulus ad Galatas quod esset puer infans. Totus enim fere orbis, præter Iudæam, idola colebat, deinde magna pars Iudææ, vmbram potius, quàm veritatem sequebatur. Post Christum vero dilatata est in omnes orbis partes. Ideo tunc fuit ceu lapis excisus de monte, nunc facta est mons magnus.

Secundo, illa etiam exigua Ecclesia, non erat sub aperto & publico Christi nomine collecta: sed tantùm sub nomine Iehouæ, Dei Abrahæ, Isaaci, & Iacobi, sed post Christum, sub aperto Christi nomine. Ideo hæc propriè dicitur Christi Ecclesia.

Tertiò illa nondum re ipsa acceperat, quod sperabat & exspectabat, scilicet Christum in carne, Nos recepimus, & impletionem promissionum accipimus. *Heb.* 11. Et ij omnes testimonium adepti per fidem, non obtinuerunt promissum. Ideo ob hanc caussam, illa vocatur vmbra potius, & typus Ecclesiæ, hæc verò nostra, corpus ipsum, & vera Ecclesia.

Quartò, illa etsi in Spiritu esset verè libera, & Spiritu υἱοθεσίας donata, tamen externè fuit sub dura legis seruitute detenta, iugúmque legis in humeris gestabat, neque tantam etiam interni Spiritus & gratiæ Christi copiam recepit, atque nos post Christum. Hinc illæ voces apud Paulum *Gal.* 4. quòd Agar à monte Sina generarit prolem ad seruitutem, sublimis vero illa Hierusalem, libera sit, quæ est mater omnium nostrorum. Et Rom. 8. quòd illi acceperint Spiritum seruitutis in timorem, nos Spiritum adoptionis. Loquor autem de toto corpore illius Ecclesiæ in genere, non de singulis personis, cùm Abraham, & alij multi præditi essent maiori fide, quàm multi ex nobis.

Quintò, illa sub puerili disciplina (si externam œconomiam spectemus) gubernabatur, vnde *Gal.* 4. ita & nos cùm essemus infantes, sub elementis Mundi eramus in seruitutem redacti. Nunc liberalius hæc à Deo regitur, nec sub tam arcta custodia tenetur. Ob hanc causam tunc videbatur ceu infans & puella, nunc autem adulta mulier.

Sextò, illa sub obscuris inuolucris omnia fidei mysteria recta tenebat: nos reuelata facie Deum ipsum, omniáque eius mysteria contemplamur. Vnde 2. *Cor.* 3. Nos autem reuelata facie, gloriam Domini, vt in speculo intuentes, in eadem imaginem transformamur ex gloria in gloriam, sicut à Domini spiritu, ita vt præ nobis illa Ecclesia Deum ferè ignorasse videatur. Hinc Luc. 10. Beati oculi, qui vident, quæ vos videtis. Dico enim vobis, quòd multi Prophetæ & Reges cupierunt videre, quæ videtis, & non viderunt, & audire quæ auditis, & non audierunt. *Iohan.* Deum nemo vidit vnquam (ante nos scilicet) Filius, qui est in sinu Patris, is reuelauit nobis.

Septimò, illa tanquam priuata Ecclesia fuit, in vno tantùm populo Israelitico conclusa, hæc vero nostra post Christum, catholica est, ex omni Gẽtium & populorum genere constans. Et hanc etiam potissimùm circumstantiam spectauit Iesaias, cùm dixit, Et erit in nouissimis diebus præparatus mons domus Iehouæ. &c. cõfluéntq. ad eũ omnes gẽtes. Tunc ergo, cùm post datũ Spiritum sanctum confluere cœperunt gentes, vt in Actis patet, ad Ecclesiam Christi, rectè dicitur, quòd tunc cœperit Ecclesia, quæ scilicet non ex Iudæis solum, sed etiam ex Gentibus constat.

Octauò, illa non fuit fixa & firma in omnibus rebus, sed mutanda erat in multis rebus, in ceremoniis, quæ erant vsque ad tempus correctionis impositæ, Heb. 9. Post, Christũ verò fixa & firmata fuit in reb. omnibus, vt non amplius mutanda sit. Non est futurum aliud tempus, in quo Deus Ecclesiam nouam, & nouum in Ecclesia regenda ordinem constituat, noua scilicet sacramenta, nouam doctrinam afferat. Nam (vt est Heb. 1.) nouissimè locutus est, quasi dicat, epilogum fecit orationis suę, & finem imposuit per filium. Ob quam rationem visa est Ecclesia illa fuisse instar domus ligneæ, ad cuius exemplar, domus lapidea extrueretur, qua extructa, illa cessaret, hæc verò seruaretur, nostra verò fuisse vera domus Dei, ex lapidibus viuis constructa, vt est 1. Pet. 2.

Ob hęc discrimina inter illam & hanc, licet re ipsa (spectato eodem Deo, eodem fœdere, eodem Mediatore, eadem fide, iisdem sacramentis) esset & fuerit semper vna atque eadem: tamen ob has spectatas differentias, videtur alia fuisse illa ante Christum, atque nostra post Christum, quemadmodum etiam illa cœlestis & triumphans, alia à nostra esse videtur. Ideo sicut iure diceremus, deuictis hostibus omnibus, Ecclesia in cœlo constituetur, firmabitur: Ita etiam Iesaias, respiciens in hanc Ecclesiam nostram, quæ futura esset amplior, firmior, gloriosior & præstantior illa, ait, *In postremis diebus præparatus erit mõs domus Iehouæ, &c.* Apparet igitur quàm bellè vtrumque conueniat, & quod Ecclesia Dei ac Christi semper fuerit ab initio mundi, si spectemus substantiam Ecclesiæ: quòd tamen cœperit in nouissimis temporibus, nempe post Christi ascensionem, si spectemus accidentaria quædam discrimina, inter illam & hanc, idéoque iure & verè dixisse Prophetam Iesaiam, *Et erit in nouissimis diebus, &c.*

Sed hîc alia etiam oritur quæstio, quomodo quę hîc vaticinatur Propheta, interpretari quis possit de Ecclesia militante, in qua sunt & boni & mali, cum non impleantur, nisi in electis, plæraque quæ hic dicit, vt quod firmabitur in vertice montium: reprobi autem non sunt firmi super petram: item, quod extolleretur supra omnia regna mundi: item, quod ambulabunt in viis Domini: Impij autem hypocritæ, non verè ambulabunt in viis Domini, sed in via peccatorum: item quod assequetur pacem cum Deo & proximo, hypocritæ autem non habent pacem hanc, &c.

Resp. Ecclesia Christi militans, est (vt supra dixi) cœtus electorum duntaxat in fide vera Christi collectus: & ij sunt vniuersi, ipsa Ecclesia, singuli autem partes ecclesiæ. Patet hoc 1. *Pet.* 2. Ad quem accedentes, qui est lapis viuus, &c. ipsi quoque veluti viui lapides ædificemini domus spiritualis, sacerdotium sanctum, &c. Hypocritæ verò, etsi sint in ecclesia, non sunt tamen partes ecclesię, neque verè ad ecclesiam pertinent. Ecclesia enim est sponsa Christi, corpus Christi. Vnde Augustin. dicere solet, reprobos in ecclesia multos esse, non tamen de ecclesia, sicut etiam *Ioh.* loquitur, Exierunt à nobis, quia erant in nobis, sed non erant ex nobis, sunt igitur in ecclesia, sicut paleæ in frumento, quæ ita sunt in frumento, vt non sint tamen frumentum, nec partes frumenti, sicut comparauit Christus ecclesiam Matt. 13. Sũt sicut Zizania inter frumentum ab hoste superseminata: Zizania autem non sunt frumentum nec partes frumẽti. Videntur quidem reprobi hypocritæ, qui sunt in ecclesia ad tempus esse etiam de ecclesia, quamdiu scilicet ab ea non deficiunt, & cum aliis Euangelium profitentur, eadem sacramenta participant, & ita communi nomine ecclesiæ & ipsi nominantur: quẽadmodum etiam paleæ, quamdiu vnitę manent cum frumento, videntur & ipsæ esse graues, sicut & frumentum, & eodem nomine frumenti appellantur. Dicimus enim frumentum cum paleis mixtum, hoc est frumentum, cæterùm vbi ventilatæ sunt paleæ, & à granis separatę, leues & vacuæ apparent, declarantúrque tunc nunquam fuisse frumentũ, & ita amittũt nomen frumẽti. Ita hypocritę, cùm ventilantur ventilabro iræ diuinæ, & vel deficiũt ipsi, vel separantur ab ecclesia (vt fiet in die iudicij) patefaciunt, se nunquam fuisse membra ecclesię, cùm proprium membrorum Ecclesiæ sit, semper in Ecclesia permanere. Sic docet Iohannes 1. *Iohan.* 2. Exierunt à nobis, sed non erant ex nobis. Si enim fuissent ex nobis, mansissent vtique nobiscum. Labuntur quidẽ sancti, sed Christum prorsus non deserunt. Exemplo sit Dauid, Petrus & alij. Hoc est illud, quod antea docuimus, Eos qui verè insiti semel sunt Christo, per spiritum regenerationis, inde amplius excidere non posse, licet aliquando ventis tentationum & peccatorum ita in terram deprimantur, vt videantur ab ea inde auulsi & fracti, in terram cecidisse. Reprobi verò sępè videntur insiti, & tamen non sunt, videntur esse membra Ecclesiæ, & nihil minus sunt. Sic Paulus locutus est *Rom.* 9. Non omnes, qui sunt ex Israel, Israelitę sunt. Ita nos, non omnes, qui sunt in Ecclesia ij sunt Ecclesia, aut partes Ecclesiæ. Ergo Iesaias vaticinatus est de vera Christi Ecclesia militante, & ea impleta sunt, & implentur hęc, in qua sunt mixti etiam hypocritę, & tamen hæc prophetia non est impleta, nec impletur, nisi in electis, non autem in reprobis. Ratio, quoniam soli electi, & vera Christi membra, sunt Ecclesia Christi.

CAPVT

CAPVT III.

DE VNITATE ECCLESIAE.

1. *Quòd vna tantùm sit, sempérque fuerit Ecclesia.*
2. *Quibus in rebus vnitas hæc consistat.*

SVpra dictum est, quid propriè sit Ecclesia Christi, nempe sanctus & vniuersalis, hominum tam gentilium, quàm Iudæorum, ad vitam æternam electorum cœtus, partim in cœlo iam triumphans, partim adhuc in terris sub Christi nomine militans, in vnitate fidei & Spiritus, ad Deum ritè, id est, secundùm Euangelium Christi, colendum congregatus.

Hic autem cœtus electorum ac fidelium, non nunc, sed à principio Mundi cœpit congregari, atque indies magis ac magis congregatur, quamuis tempore nouissimo, scilicet post Christi in cœlos ascensionem, magis, in vnitate eiusdem fidei & spiritus. Omnes ergo electi & fideles, qui vnquam fuerunt à condito orbe, & ad finem vsque mundi futuri sunt, siue sint in cœlis, siue in terris: siue fuerint ante Christum, siue post Christum: siue sint in Oriente, siue in Occidente, Septentrione, aut Austro, vnam & eandem constituunt Ecclesiam. Quare non est cogitandum, quod alia fuerit Ecclesia Patrum, ante Christum natum: & alia post Christum natum. Vna atque eadem semper fuit, est & erit: & hæc est illa sanctorum communio, de qua in symbolo.

De hac vnitate Ecclesiæ obseruanda sunt hæc testimonia è Scripturis & Patribus.

Gen. 3. Non solum Adæ & Euæ, sed vniuersæ Christi Ecclesiæ, facta fuit promissio, *Semen mulieris conteret caput serpentis, & tu insidiaberis calcaneo eius*, scilicet Ecclesiæ. Est autem *vnus calcaneus*, non plures, cui insidiatur Satan. Vna ergo est Ecclesia.

In Psalmis subinde Dauid vnam vocat Ecclesiam: Laudabo te in Ecclesia sanctorum. Multi quidem sancti: sed vna tantum Ecclesia. Cant. 4. *Vna est columba mea, & perfecta mea.*

Matt. 16. Super hanc petram, ædificabo Ecclesiā meā (non Ecclesias) Eph. 5. Sicut & Christus dilexit Ecclesia (in singulari) suam & dedit semetipsum pro ea, vt eam sibi mundaret. Item appellat corpus Christi, Ecclesiam, vnum corpus, non multa. Multa quidem membra, sed corpus vnum. Rom. 12. 1. Cor 12. Eph. 4. Col. 1.

Hinc illa nomina, quæ vnitatem Ecclesiæ significant. Appellatur *Ouile vnum*, Ioh. 10.

Vinea vna Domini, Matth. 20.

Mater nostra vna non matres Gal. 4.

Sponsa Christi, non sponsæ, in Canticis.

Virgo vna, Despondi vos vni viro, virginem castam exhibere, 2. Cor. 11.

Domus vna, non plures. Multi quidem lapides, sed domus vna, 1. *Petr.* 2. Ad quem accessistis qui est lapis viuus, &c. Ipsi quoque velut lapides viui ædificemini domus spiritualis, &c. 1. *Cor.* 3. Dei ædificatio, Dei structura estis.

Cyprianus de simplicitate prælatorum: Nemo fraternitatem mendacio fallat: nemo fidei Charitatem perfida præuaricatione corrumpat. Episcopatus vnus est, cuius à singulis in solidum pars tenetur. Ecclesia vna, quæ in multitudinem latiùs, incremento fœcunditatis extenditur: quomodo solis multi radij, sed lumen vnum. & rami arboris multi, sed robur vnum tenaci radice fundatum. (Ex patribus.)

Hieronymus Tom. 2. Epist. ad Euagrium: Nec altera Romanæ vrbis Ecclesia, altera totius orbis existimandā est: & Galliæ, & Britanniæ, & Africa, & Persis, & Oriens, & India, & omnes barbaræ nationes, vnum Christum adorant: vnam obseruant regulam veritatis. Si autoritas quæritur: orbis maior est vrbe: vbicunque fuerit Episcopus, siue Romæ, siue Eugubij, siue Constantinopoli, siue Rhegij, siue Alexandriæ, siue Tanis, eiusdem meriti, eiusdem est & sacerdotij. Potentia diuitiarum, & paupertatis humilitas, vel sublimiorem, vel inferiorem Episcopum non facit. Cæterum omnes Apostolorum sunt successores.

In hac autoritate Hieronymi tria patent. Primùm, quòd Ecclesia Christi vna sit, etsi diuersi populorum cœtus, diuersæ Ecclesiæ appellari soleant. Secundò, vbi consistat hæc vnitas, nempe in hoc: Primò, quòd omnes vnum eundémque Christum adorant. Secundò, quod omnes vnam eandémque obseruant regulam veritatis, id est, verbum Dei, Euangelium Christi, nempe in adorando Christo, & præstando ei cultum, nullam aliam doctrinam, aut rationem sequuntur, quàm eam, quam verbum Dei præscribit. Tertium, quod ob hanc causam Episcopi omnes, etsi alter altero sit vel ditior, vel tenuior, autoritate tamen sacerdotij, & dignitate pares sint. Hoc vltimum confirmat Cyprianus, dicendo: Hoc erant vtique cæteri Apostoli, quod fuit Petrus, pari consortio præditi honoris, & potestatis.

Est ergo vna sola Christi Ecclesia, quæ ob id etiā dicitur Catholica, quòd sit per vniuersum orbem diffusa, sicut sol suis radiis, in vnico orbe diffunditur. Particulares Ecclesiæ non sunt impediméto, quin vna sit Ecclesia Christi. Sunt enim illæ sicut oppida multa in vno regno. Multa autem oppida non scindunt vnitatem regni. Sunt sicut variæ domus, in vrbe vna. Multæ domus autem, non scindunt vnitatem vrbis, sed potius constituūt vnam vrbem. Sunt sicut multa membra: multa autem membra non scindunt vnitatem corporis, sed potius vnum corpus constituunt. Ita, &c.

Est ergo vna tantùm Ecclesia, cui præest vnus Monarcha Christus.

Iure igitur Esaias vocat eam montem (vnum) non montes, quia vna est, & hæc est communio sanctorum.

At vbi consistit hæc Ecclesiæ vnitas?

Resp. Non in hoc consistit, quòd omnes fideles corporaliter sint vna in vrbe vniti aut quod pareant vni eidémque terreno Episcopo, aut principi, vel tyranno: aut quod sequuntur eandem ab hominibus inuentam religionem, sed vbi? è ph. 4. Apostolus docet, vbi hæc vnitas Ecclesiæ consistat, & sanctorum communio, cùm ait, Vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma, vnus Deus, & pater omnium, qui est super omnia & per omnia, & in omnibus vobis. Item Christus Matth. 18. Vbi fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, ibi in medio eorum sum.

Consistit igitur in his.

1. Quod hæc Ecclesia id est, fidelium omniū cœtus, vnum atque eundem Deum, Patrem scilicet Christi, vt suum Deum verè agnoscit, eum solu inuocat, ab eo solo salutem expectat. Ideo Eph. 4. Paulus ait, vnus est Deus, qui scindi in varias partes minime potest. Ecclesia autem, vnum hunc solum Deum agnoscit & adorat, & inuocat. Ergo in hoc primo consistit Ecclesiæ vnitas: quia scilicet omnes fideles vni vero Deo, Patri Iesu Christi, ceu infinitæ lineæ, eidem puncto vniuntur Spiritu per fidem. Exemplum linearum multarum à circumferentia eidem puncto circuli vnitarum.

2. In hoc, quòd vnum solum Mediatorem Christum hostiam pro peccatis omnibus perfectissimam, vnicum aduocatum, & intercessorem agnoscit, per quem solum omnia à Deo in nos bona conferuntur. 1 Tim. 2. Sicut enim vnus est Deus: ita vnus est Mediator Dei & hominum homo Christus. Hunc autem solum, vt seruatorē agnoscit Ecclesia: in hoc vno, omnes salutis partes esse cernit, nil extra ipsum esse quærendum, sicut Paulus tota Epist. præsertim 1. cap. ad Coloss. docet: Et ipse est caput corporis Ecclesiæ, ipse principium, primogenitus ex mortuis, vt sit in omnibus ipse primas tenens. Col. 2. Nō tenens caput, ex quo totum corpus compactum. Eph. 4. Vnus Dominus scilicet Iesus Christus. Quantum igitur ad Christū, vna est Ecclesia, quia vnita capiti vni Christo: sicut multa membra, vnum sunt corpus, quia vnita vni capiti.

3. In hoc, quòd vnū atque eundem Spiritum sanctū habet, à quo regeneratur, & ad actiones suas regitur. Rom. 8. Omnes filij Dei, aguntur à Spiritu Dei. Ideò 1. Cor. 12. Diuisiones gratiarum sunt, idem autem Spiritus. Ezech. 36. Ponam spiritū meū in cordibus eorū, &c. Ro. 8. Qui non habet Spiritū Christi, hic non est eius. Sicut igitur idem Spiritus humanus multa diuersáque membra in corpore vnit viuificátque, ita vt omnia sint vnum corpus: Ita vnus atque idem Spiritus Christi omnes electos, tam eos, qui sunt in terris, quàm qui in cœlis: & tam eos, qui sunt in Oriente, quàm in Occidente, vnit. Hoc pacto Ecclesia vna est in Spiritu. Eph. 2. Habemus vtrique aditum per illum, in vno Spiritu, ad Patrem. Quantum igitur ad Spiritum sanctum Ecclesia vna est, per eundem Spiritum vnita Christo: sicut per eandem animam, multa membra vnita sunt.

4. In hoc, quòd vna atque eadem est fides in Christum totius Ecclesiæ. 2. *Cor*. 4 Habentes autem eundem Spiritum fidei: sicut scriptum est, crediderunt, propter quod locuti sunt: & nos credimus, propter quod & loquimur. Eadem erat fides Pauli quæ & Corinthiorum: eadem Patrum, quæ & nostra, de qua *Eph*. 4. Vnus Dominus, vna fides, &c. Quænam? quæ vnum solum amplectitur Christum, vt vnicum intercessorem, aduocatum, &c.

5 In hoc, quòd vna eadémque sit omnibus spes, vna eadémque omnibus proposita hæreditas cœlestis. Ideo *Eph*. 4. Vna spes vocationis vestræ, & in hac spe tota Ecclesia Christi ambulat. *Col*. 1. Qui idoneos nos fecit ad participationem sortis sanctorum in luce. 1. *Cor*. 1. Fidelis Deus, per quem vocati estis in consortium filij ipsius, Domini nostri Iesu Christi. 1. *Tim*. 6. Apprehende vitam æternam, ad quam vocatus es.

6. In hoc, quòd eodem charitatis vinculo sit colligata, qua se inuicem omnia vera Ecclesiæ membra complectuntur. Ioh. 17. Præceptum nouum do vobis, vt diligatis vos inuicem. In hoc cognoscent homines, quòd discipuli mei sitis, si dilectionem habueritis. Ibid. Volo vt sint vnum, sicut & nos.

7. In hoc, quòd idem habet Euangelium, idem Dei verbum, quo nititur, quod sequitur. Neque enim aliud Euangelium habuerunt patres, aut habituri sunt posteri quam hoc, quod & nos habemus. De patribus, *Rom*. 1. Quod antè promiserat in Scripturis per Prophetas. De posteris, *Hebr*. 1. Vltimis diebus hisce locutus est nobis per Filium. Non ergo aliud habebant posteri, *Gal*. 1. Si quis prædicauerit aliud Euangelium, &c.

8. In hoc, quod eadem habuit & habet sacramenta, quantum ad substãtiam cum patribus. 1. Cor. 10. Omnes sub nube fuerunt. Posteri verò eadem etiam signa Ideo Paulus Eph. 4. Posteaquam dixit, vnam esse omnium fidem, ait vna etiam atque eadem esse sacramenta, dicendo, *Vnum baptisma*. In iis potissimùm rebus consistit vnitas Ecclesiæ, & huius Montis, de quo Iesaias loquitur. Quare spiritualis est, nõ aũt corporalis & externa. Quod docet Christus *Ioh*. 10. Alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili, eas oportet me etiam adducere, vt sint vnũ ouile. Non autem adduxit corporaliter in aliquem locum, Romam videlicet, sed adduxit morte sua ad Patrem, & vniuit omnes eodem spiritu. *Ioh*. 11. Vt filios Dei, qui erant dispersi congregaret in vnum.

Illa igitur est Ecclesia Catholica, de qua Ies. quæ est vna hoc pacto, vt declaraui. Quanquam non inficior, quin etiam fideles omnes quærant vniti esse in eodem loco, si fieri possit, vt vnà audiant verbum, vnà precentur Deum, vnà participent sacramenta. Sic enim Ies. 60. de columbis, quas ad columbarium suum volaturas dicit, id est ad Ecclesiam. *Psalm*. 27. Vnam petij à Domino, hanc requiram, vt inhabitem in domo Domini.

Hinc perspicuum fit, an Ecclesia pontificia pertineat ad hanc vnam Ecclesiam catholicam.

Ecclesia Christi catholica illa est, quæ vnum tantùm colit Deum. Pontificia colit multos Deos. Nam adorant mortuos, item idola. Multos igitur constituunt re ipsa Deos, licet verbis negent.

Ecclesia Catholica, vnum tantùm agnoscit Christum, Mediatorem, Seruatorem, intercessorem, aduocatum, nõ Angelos, neque homines, sicut Paulus docet in Epist. ad Col. c. 1. & 2. Pontificia multos re ipsa constituit Christos, quoniam salutem, & remissionem peccatorum petunt à sanctis, eos inuocant, eos aduocatos & intercessores constituunt pro nobis apud Deum. Contra quod apertè ait Apostolus Col. 2. Ne quis vobis palmam eripiat, volens in humilitate & cultu Angelorum (id facere) in ea quæ non vidit se ingerens, frustra inflatus à mẽte carnis suæ, non tenens caput.

Ecclesia Catholica vnum atque idem habet verbum & sacramenta. Papistica aliud constituit Euangelium, alias addidit doctrinas, alia sacramenta ab iis, quæ prædicauit & habuit Ecclesia Apostolica. Non est igitur illa Ecclesia Catholica, neque ad hanc pertinet.

Hæc eadem Ecclesiæ vnitas, & sanctorum cõmunio, obseruanda est etiam in dictione Domus Domini, seu templi Domini. Ex multis rebus constat domus, ex fundamẽto, ex parietibus, multis lapidibus, tecto, vna tamen est domus. Ita Ecclesia Dei constat ex fundamento: hoc est Christus 1. Cor. 3. Ex parietibus multis, ex lapidibus cõfectis: ij sunt electi ac regeniti omnes, ædificati super Christum, fundamentum Apostolorum & Prophetarũ, 1. Pet. 2. Est ergo vna, cæmento Spiritus sancti ex multis lapidibus super vnicum fundamentum Christum ædificata.

At dicet aliquis, Quæ est hæc Ecclesiæ vnitas, cũ tot ceremoniarum diuersitates fuerint in Ecclesia: & nunc etiam tot fere sint diuersitates ceremoniarum in Ecclesiis, quot sunt particulares Ecclesiæ? Aliis enim ceremoniis vtitur Tigurina: aliis Geneuensis, &c.

Resp. Hæc externarum ceremoniarum, quæ non sunt præscriptæ in verbo Dei, diuersitas, non impedit veram & essentialem vnitatem Ecclesiæ. Ratio, quoniam Deus has sinit liberas in Ecclesia, vt vnaquæque Ecclesia iis vtatur ceremoniis, quæ magis sibi videbuntur facere ad ædificationem, & decorum, & ordinem: nempe, quantum ad tempus, locum, numerum, modum externum conueniendi, legendi scripturas, psallendi, orandi, sacramenta administrandi.

Exemplum de sacramento Eucharistiæ. Circa sacramentum hoc primò, non fuerunt semper eadem & vbique tempora obseruata. Nam Augustini tempore, celebrabatur alicubi quotidie, alibi ter in septimana, alibi bis, nempe die sabbathi, & Dominico: alicubi tantùm die Dominico.

Secundo quantum ad locum non semper idem & vbique locus. Nam Apostolis & postea diu Martyribus, etiam priuatæ ædes erant locus Cœnæ. Postea verò id fuit vetitum, vt non nisi in publico templo celebrari possit, quod locus esset aptior huic sacramento, quod est sacramentum vnionis.

Tertiò aliquando tempore Augustini, Eucharistia dabatur manè & etiam vesperi, bis scilicet in die: aliquando semel tantùm. Legatur de his rebus August. Tom. 2. epist. 118. ad Ianuarium.

Quartò, forma agendi diuersissima fuit. Nam Christus egit sine oratione Dominica: Apostoli adiecerunt eam. Postea verò adiectæ fuerunt multæ & variæ preces ab Ecclesia. Legatur Gregor. Papa. Epist. lib. 7. epist. 63. Item Bucer. contra Latomum. 153.

Idem dico de aliis ceremoniis multis circa Baptismũ, circa preces, circa electionem Ministrorum. Primò, non conueniunt in iis rebus eadem quibuslibet. Secundò, varij Ecclesiarum institutores, varios ritus instituerunt. Tertio, Deus in his rebus, aliqua varietate delectatur, in hunc finem, ne ceremoniæ, si sint eædem vbique, superstitiosè credantur necessariæ: sicut fit in papatu, vbi cùm omnium hominum dissecta sint corda & studia: prorsus tamen iidem sint ritus sacri in Italia Hispania, Gallia, &c. Tempore Apostolorum, & non ita multo post, cùm omnium esset vnum cor, & anima vna; multa erat per Ecclesias in externis ritibus diuersitas.

Stat ergo vera vnitas Ecclesiarum cum varietate ceremoniarũ. Legatur hac de re August. Tom. 2. epist. 86. ad Casulanum, Col. 388. B. Sit ergo vna fides vniuersæ, quæ vbique dilatatur, Ecclesiæ, tãquam intus in membris, etiamsi ipsa fidei vnitas, quibusdam diuersis obseruationibus celebratur, quibus nullo modo quod in fide verum est, impeditur. *Psal*. 45. Omnis enim pulchritudo filiæ Regis intrinsecus: illæ autem obseruationes, quæ variæ celebrantur, in eius veste intelliguntur. Vnde ibi dicitur, *In fimbriis aureis circumamicta varietate* Sed ea quoque vestis ita diuersis celebrationibus varietur, vt non aduersis contentionibus dissipetur. Non ergo varietas ceremoniarum, quæ à verbo Dei præscriptæ non sunt, scindit vnitatem Ecclesiarum: quandoquidem in Essentialibus vnitæ sunt: in administratione sacramentorum, in verbo, in disciplina Christiana. In summa:

Hæc vnio Ecclesiæ in hoc consistit, Primò, quòd Christus caput, sese vnit Ecclesiæ, id est, singulis nobis electis suo Spiritu. Deinde nos, illi animo seu spiritu, per fidem connectimur, ita vt facti vnum corpus cum Christo, ille viuat in nobis, nos in ipso. Iohan. 14. Promittens Spiritum sanctum fidelibus omnibus, qui semper cum ipsis maneat, ait: In illo die cognoscetis, quòd ego sum in Patre, vos in Me, & Ego in vobis (scilicet per Spiritum sanctum.) Sic enim declarat Iohannes, 1. *Iohan*. 3. Per hoc scimus, quòd manet in nobis, per spiritum, quẽ dedit nobis. 1. *Iohan*. 4. Ex hoc cognoscimus, quòd in eo manemus, & ipse in nobis, quoniam de Spiritu suo dedit nobis. *Rom*. 8. Si quis Spiritum Christi non habet, hic non est eius. Quicunque Spiritu Dei ducuntur: ij sunt filij Dei. Rom. 8 En, quomodo Christus sese vniat nobis, nempe per suum spiritum: Nos verò ei per fidem

Ioh. 6.

Iohan. 6. Qui edit meam carnem & bibit meum sanguinem, in me manet, & Ego in illo. Edit autem, qui vera fide credit. *Gal.* 2. Viuo autem iam non Ego, viuit vero in me Christus. Vitam autem, quam nunc viuo in carne, in fide, *id est, per fidem* viuo filij Dei, qui dilexit me, &c. *Eph.* 3. Christum habitare per fidem in cordibus nostris. Spiritu ergo & fide coniungimur Christo, vt corpus capiti, & ita viua membra sumus cum Christo. Qui verò neque Spiritum Christi, neque viuam fidem in Christum habent, vera membra non sunt Christi. *Ioh* 15. Si quis in me non manserit, eiectus est foràs, sicut palmes, &c. *Rom.* 8. Qui non habet spiritum Christi, hic non est eius.

Hoc est primum vinculum, quo coniungitur Ecclesia, & fit vna: nempe spiritus Christi, & fides in Christum.

Secundum est, charitas, quâ membra omnia inter se vniuntur, vel potius iam per fidem & spiritum Christi, inter sese vnita, conseruantur.

CAPVT IV.

DE FIRMITATE Ecclesiæ.

FIRMITAS Ecclesiæ tanta est, vt neque contra eam Satan præualere, neque dirui, aut perire vlla ratione possit. De hac sunt ij loci scripturæ. Exod. 15. De monte Zion, typo Ecclesiæ Christi loquens Moses ait: Introduces eos, & plantabis eas in monte hæreditatis tuæ, firmissimo habitaculo tuo, quod tu parasti Domine: sanctuario tuo, Domine quod firmauerunt manus tuę Dominus regnabit (*scilicet in eo*) in æternum & vltrà. *Mat.* 7. Omnis qui audit sermones meos, & facit eos, assimilabo eum viro sapienti, qui ædificauit domum suam in petram: & descendit imber venerunt flumina, flauerunt venti, & irruerunt in domum illam, nec concidit, quoniam fundata fuerat super petram. Talis autem est Ecclesia Christi, cùm ipsa audit sermones eius, & facit eos. Non ergo imber de cœlo, id est, ira Dei de cœlo, neque flumina è terra, omnes principes & potentiæ Mundi, atque hominum tyrannorum & impiorum: neque venti ex aere, id est, omnis potestas Satanæ & tenebrarũ harũ, poterunt Ecclesiam Christi à fundamento conuellere. *Matt.* 16. Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferorum non præualebunt ei. *Rom* 8. Certus sum, quòd neque mors, neque vita, &c. poterit nos separare. Multo minus ergo totam Christi Ecclesiã. 1. *Tim.* 3. Ipsa enim est columna & firmamentum veritatis. Non potest igitur à veritate penitus excidere, ideóque neque ruere. Item, *firmum stat fundamentum, &c.* Psalm. 2. Insurgunt quidem Reges & principes aduersus Dominũ, ideóque aduersus Ecclesiam. Sed quid Dominus? Ego autem firmaui eum Regem super Zion montem sanctum meum: & ille sceptro ferreo confringet potentias Regum, vt vasa testacea. Ita hic Iesaias: fixus erit & firmus mons. Est ergo firma Ecclesia, neque perire potest.

Vbi autem consistit hæc Ecclesiæ firmitudo? seu, vbi est firma? & vbi est fixa?

Resp. Primo, firma est & fixa in prædestinatione Dei. Ecclesia enim est cœtus hominum, ad vitam ęternã, ante mundi constitutionem à Deo in Christo electorum. Quæ autem prædestinata sunt, firma & fixa sunt, vt mutari non possint. Ratio: quoniam decretum & voluntas Dei firma est. Ergo firma est Ecclesia in Dei prædestinatione, & perire non potest. Ideo Paulus, vbi commemorauit Hymenæum & Philetum, quòd à veritate exciderint, & perierint, eò quòd non essent vera Ecclesiæ membra, statim de Ecclesia subdit, *Firmum autem fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc, Nouit Dominus, &c.*

Secundò, fixa est in dilectione Patris, *Rom.* 8. Quis potest nos separare à dilectione Dei? &c.

Tertiò, firma & fixa est in Christo, cùm sit illi indiuisibiliter insita: cum illo, vt cum capite coniuncta; super illum, sicut super fundamentum, ædificata, & in eius manu collocata. *Matth.* 7. Fundata enim erat super firmam petram, id est, Christum, de qua *Matth.* 16. Super hãc petrã ędificabo Ecclesiã meã. *Ioh.* 10. Nemo potest rapere eas de manu mea. *Col.* 2. Sitis radicati & ędificati in ipso *scilicet Christo*. Quemadmodum igitur accepistis Christum Iesum Dominum, in ipso ambulate: Ἐρριζωμένοι καὶ ἐποικοδομούμενοι ἐν αὐτῷ καὶ βεβαιούμενοι ἐν τῇ πίστει. Talis autem est Ecclesia in Christo. Non enim potest Ecclesia Christo incorporata ab illo separari *Col.* 2. Ex quo scilicet capite Christo totum corpus per nexus & commissuras subministratum & compactum, augescit augmento Dei.

Quartò firmata & fixa est in Spiritu sancto. Vti enim semel facta est habitaculum Spiritus sancti, ab ipso regenita, ita semper fixa & firma manet: cùm in hũc etiam finem illi detur Spiritus sanctus, vt in ea semper maneat. *Ioh.* 16. Mittam vobis Spiritum sanctum, vt maneat vobiscum in æternum. Ideo Ecclesia & vniuersa vera Ecclesiæ membra, semper spiritum Dei habent, ab illo reguntur & aguntur, alioqui nõ essent membra Christi. Vnde *Rom.* 8. Qui non habet spiritum Christi, non est eius. Est igitur firma & fixa in spiritu sancto Christi. Ratio, quoniam cum sit Ecclesia corpus Christi, Christus eius caput, semper in eam infundit suum spiritum, sicut caput in vniuersum corpus, & singula membra infundit vim vitalẽ, vt ad *Eph.* 4. Crescamus super illum per omnia, qui est caput Christus, ex quo totum corpus, &c.

Quinto firma est in fide & fidei confessione. *Luc.* 22. Rogaui pro te, Petre, vt non deficiat fides tua. Et tu aliquando conuersus, confirma fratres. Est enim firma in certitudine salutis: quandoquidem iam, persoluto per sanguinem Christi ære alieno quod nos cõtraxeramus, deletum est omnino chirographum, quod erat contrarium nobis, de quo *Col.* 2. Et vos cum mortui essetis in delictis & præputio carnis vestræ, simul viuificauit cum ipso, condonando vobis omnia peccata: & deleto, quod aduersus nos erat chirographo in decretis, quod erat contrarium nobis, & illud sustulit è medio, affixũ cruci, expolians principatus & potestates, traduxit palàm, triumphans de illis super illa, &c.

Sexto firmata est in hæreditate: quoniam firmum est testamentum, sanguine Christi. Heb. 6.

Septimo, firma est verbo Euangelij. Est enim semper apud eam verbum idem Dei, immutabile atque æternum. Ideo 1. *Tim.* 3. Quæ est columna & firmamentum veritatis. Neque amplius mutabitur verbum Euangelij, neque lex, quam nunc habet Ecclesia. *Heb.* 1. Est enim nouissimè locutus, &c. In hac parte non fuit ita omninò firma Ecclesia Israelitica: quoniam etsi firma fuit in Euangelio & lege morali: non fuit tamen firma in legibus de ceremoniis & iudiciis, cùm abrogandæ essent in aduentu Christi in carnem, propter eius infirmitudinem, vt dicitur *Heb.* 7. Translato autem sacerdotio, necesse est, vt legis quoque mutatio fiat. *Gal.* 3. Quorsum ergo lex? Propter transgressiones addita fuit, donec veniret semen, cui facta est promissio, &c. At post Christum, firmatum fuit omninò in Ecclesia verbum & Ecclesia in verbo. Ideo *Gal* 1. Si quis vobis euangelizauerit præter id, quod accepistis, anathema sit. Deinde, vsque ad Christum omnia ferè fuerunt illis suspensa, cùm adhuc non venisset Christus, postea firmata omnia.

Octauo, firma est in sacramentis. Neque enim posthac alia instituet Deus sacramenta in Ecclesia, sed hæc duo manebunt, donec veniat Dominus ad iudicium. 1. *Cor.* 11. Quotiescunque manducaueritis panem hunc, &c. mortem Domini annunciabitis, donec veniat. Erunt ergo perpetua in Ecclesia: ideóque etiam in iis firma est Ecclesia.

In hac etiam parte non fuit firma Ecclesia Israelitica; Nam licet quoad substantiam sacramentorum, firma fuerit, quia semper eadem & ipsorum & nostra: tamen quoad symbola ipsa, non fuit firma: quandoquidem abroganda erant illa symbola, & noua in eorum locum substituenda. Heb. 9. Fuerant enim omnia *vsque ad tempus correctionis imposita*, & omnia vmbræ veritatis. Corpus autem in Christo est. In hoc respectans Iesaias, dicit, montem, id est, Ecclesiam illam, non fuisse firmatam, aut fixam & stabilitam: sed in extremitate dierum fixum & firmatum iri. Nunc enim firmatum est Testamentum sanguine Christi: firmatum verum Euangelij: firmata sacramenta: firmata forma & ratio gubernandæ Ecclesiæ, firmata denique omnia. Iure ergo ait, Mons firmus erit.

Nonò, est etiam firma in mundo, quatenus hic pusillus grex, etsi pusillus & debilis grex sit, contráque eum insurgant lupi, tyranni, vt eum perdant: tamen extingui ab illis omninò non potest. Semper enim in mundo

manebit aliquis cœtus fidelium: semper manebit hic pusillus grex, vel inter medios lupos. *Matt.28.* Ero vobiscum vsque ad consummationem seculi. *Item* portæ inferorum non præualebunt ei *Matth.16* Manebit frumentum in agro Dominico, vsque ad messem, velint, nolint inimici Christi. Etiamsi Imperatores & Reges ac Reginæ omnes fœdus ineant cum Antichristo, aduersus hanc Christi Ecclesiam, vt eam penitus & funditus subuertant, non poterunt tamen. Quare? quia fixa est & firma in Christo.

Notandum autem, ex iis quæ diximus, totam hanc Ecclesiæ fortitudinem & firmitatem, spiritualem esse, non carnalem. Si enim spectemus externã Ecclesiæ faciem, omnium debilissima, & infirmissima est: sed Spiritu fortis & firma est. Ideo Paulus dicit 2.*Cor.*10. In carne ambulantes, non secundùm carnem militamus: siquidẽ arma militiæ nostrę non sunt carnalia, sed potentia Dei, ad destructionem munitionum, quibus consil a demolimur, &c. 2.*Cor.*4. Habemus autem thesaurum hunc in vasis testaceis, vt sit excellentia potentiæ Dei, & non ex nobis: dum in omnibus premimur, at non anxij reddimur: laboramus inopia, at non destituimur. &c. En quomodo Ecclesia in carne infima, in spiritu verò fortis & firma sit. Fixa ergo & firma est Ecclesia in cacumine montium, in cœlo, in spiritu, ita vt nullus mõs, id ẽst, regnum contra eam præualere, aut eam superare queat. Satan insidiatur calcaneo eius: at ipsa virtute Christi conterit caput eius, tantum abest, vt ab eo vinci ac superari possit.

CAPVT V.

DE GLORIA, EXALTATIO-ne, & dignitate Ecclesiæ, in vers.2. *Et eleuabitur supra omnes colles.*

DAN. 2. Lapis excisus de monte fregit statuam, & ipse creuit in montem magnum Hoc est enim Regnum Christi, vt declarat Daniel, quod omnia alia regna mundi destruat, & ipsum crescat in regnum excelsum. Regnum autem Christi, est Ecclesia.

*Hag.*2. Maior erit gloria domus illius nouissimæ, quàm primæ. Nulla enim maior gloria, atque est gloria & dignitas Ecclesiæ Christi.

*Psal.*86. Gloriosa dicta sunt de te, Ciuitas Dei.

Vbi vero consistit hæc Ecclesiæ Christi exaltatio, ac gloria, seu dignitas? Paulus ad *Rom.c.*8. Gradus huius exaltationis statuit, Primus, est electio: Secundus, vocatio. Tertius, iustificatio. Quartus, glorificatio. In iis ergo potissimum consistit.

1\. I. In hoc, quod cũ omnes essemus ex eadem terra ac massa, perditi in Adamo, obnoxij morti: tamen ex hac massa, elegerit sibi nos atque exaltarit in hũc excellim dignitatis gradum, nempe, vt essemus sponsa Christi, filij Dei, hæredes æternæ vitæ, & totius mundi: item, vt essemus sancti, immaculati, vt fieremus vna caro cum Christo, & corpus eius, vt cum illo in æternum regnemus in cœlis, & omnes creaturæ nobis inseruirent, omniáque beneficia, quæ per Christum nobis parta sunt, assequeremur, idque gratis, pro sua misericordia & beneplacito. Quænam maior hac exaltatione Ecclesiæ reperiri potest?

Hæc exaltatio figurata fuit in exaltatione, qua Deus exaltauit Iacobum supra fratrem Esaum, de qua Rom.9. Et de hac agitur *Eph.*1. Sicut elegit nos in ipso, ante mundi constitutionem vt essemus sancti. *Rom.* 9. Duæ gentes in vtero tuo, &c. & maior seruiet minori, Iacob dilexi: Esau odio habui.

II. In hoc, quod è tot populis ac gentibus, iisque idololatricis suapte natura, populum quendam, iam ab æterno electum euocauit atque quotidie euocat, vocatione efficaci, a dChristũ, ad verum Dei cultum, in vnum corpus Christi, quæ & ideo Ecclesia appellatur, ab ἐκκαλεῖν, eò quòd sit ex tot populis selecta, & à cultu idolorũ euocata, ad verum veri Dei cultum, Ideo *Rom.*8. Quos prædestinauit hos & vocauit, scilicet vocatione efficaci & sancta. De hac Ecclesiæ gloria & exaltatione, 1.*Cor.*1. Videte vocationẽ vestrã: quia nõ multi nobiles, nõ multi potentes. &c. sed quæ stulta sunt mundi, elegit Deus, vt confundat sapiẽtes, &c. *Col.*1. Qui idoneos nos fecit, ad participationem sortis sanctorum in lumine: qui eripuit nos à potestate tenebrarum, & transtulit in regnum filij dilecti sui. 2.*Tim* 1. Ne igitur pudeat testimonij Domini nostri, &c. Qui seruauit nos, & vocauit vocatione sanctã, non secundũ opera nostra, sed secundũ propositum suum, & gratiam, quæ data quidem est nobis per Christum Iesum ante tempora secularia: sed patefacta est nunc per apparitionem seruatoris nostri Iesu Christi, &c.

Tertia pars huius exaltationis Ecclesiæ, est iustificatio per Christum, quod scilicet ex inimicis Dei, ex peccatoribus, ex iniustis, mancipiis Satanæ, seruis peccati, & reis mortis, facti sumus re ipsâ per Christum amici Dei, sancti, iusti, filij Dei, serui iustitiæ, hæredes vitæ æternæ: eóque euecti sumus, vt mortem, Satanam, omnia denique subiecerit sub pedibus nostris, & iam ingressi cœlum spiritu, & carne etiam in Christo, sedeamus ad dextram Patris.

*Rom.*5. Cùm inimici essemus, recõciliati sumus ei, per mortem filij eius. *Ibi.* Iustificati igitur fide, pacem habemus ad Deum per Iesum Christum. *Eph.*2. Conuiuificauit nos vnà cum Christo, & conresuscitauit, & sedere fecit in cœlestibus in Christo.

Est autem iustificationi iuncta regeneratio. Ideo hoc adde, quod adeo corda nostra per spiritum sanctum regenerauit, vt veri fideles conuersentur spiritu in cœlis, tametsi carne viuant in terris, ideóque exaltati sint in cœlum vsque. Ideo *Col.*3 Si conresurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, non quæ super terram. Sic autem facit Ecclesia. Ergo spiritu Ecclesia exaltata est in cacumine montium, in cœlum vsque, licet carne adhuc in terris iaceat. Quin & caro nostra exaltata est eo dignitatis, vt sit facta caro Christi, ideóque sit in cœlo cum Christo. *Eph.*5. Caro de carne, &c. Mysterium hoc magnum est: Ego autem dico in Christo & Ecclesia. Et corpora nostra, templum sunt Spiritus S.

Quarta vero pars huius exaltationis, est glorificatio, cùm scilicet fidelium & animæ solutæ corporibus, in cœlum rectà conscendunt, extolluntúrque: & cum deinde corpora à mortuis excitata, gloria immortalitatis vestientur, attollentúrque in cœlum. De qua exaltatione 1.Cor.15. Seminatur corpus animale, resurget spirituale: seminatur in ignominia, resurget in gloria. Phil.3. Vnde & Saluatorẽ exspectamus, qui trãsformabit corpus nostrũ humile, vt cõforme fiat corpori suo glorioso.

In his quatuor partibus potissimùm consistit Ecclesię exaltatio supra omnes colles: & est exaltatio spiritualis, non carnalis. Iacob.1. *Glorietur autem frater humilis, in exaltatione* (ac sublimitate) sua, nempe, quã apud Deum exaltatus est, vnà cum tota Ecclesia.

II. Secundò, in hoc quoque cõsistit exaltatio Ecclesiæ quòd huic cõmissum est verbum Dei, apud ipsam est, & ab hac sola emanat in vniuersum mundũ. Quòd hæc sit magna exaltatio, nẽpe habere apud se verbum Dei, Paulus docet Rom.3. *Quid ergo amplius Iudæo: plurimum per omnem modum. Primùm.* (id est, præcipuè ac imprimis) *quia concredita sunt illi eloquia Dei.* Hanc exaltationem spectauit hîc Iesaias cùm ait, exaltatum iri montem illum Zion. Cur? quia ad eum confluent Gentes, vt audiant verbum Domini: vt in viis Dei instituantur. De Zion enim exibit lex, &c. Habere igitur verbum Dei apud se, magna est dignitas, magna gloria, & exaltatio. Iactent igitur Reges sua trophæa, suas diuitias, regna, &c. Ecclesia Christi illos omnes excellit dignitate: cùm habeat apud se verbum Dei, & prædita sit Spiritu sancto. Agnoscamus & nos hanc dignitatem nostram, & pluris faciamus, quàm hactenus est facta. Hinc pendet Ecclesiæ autoritas: Est enim tota à verbo.

III. Ideo exaltatio eius consistit in potestate seu autoritate, quã habet Ecclesia supra omnia regna mundi, supra omnes homines. Quæ est hæc? Autoritas ligandi & soluendi, de qua Christus Ioh.20. Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata remittentur eis: quorũmque retinueritis erunt retenta. Et Matth.16. ad Petrum: Quicquid ligaueris in terra, erit ligatũ in cœlis: & quicquid solueris in terra, erit solutum in cœlis. Spiritualis est Ecclesia: Spiritualis igitur & eius autoritas. Hæc est vera autoritas Ecclesiæ, & quidẽ maxima. Præstat autẽ hoc Ecclesia, tum prædicatione verbi, tũ administratione sacramẽtorum, nec nõ etiam excommunicatione. Nam etiam ligat per excommunicationem: soluit verò, cùm iterum recipit in gratiam fideles.

Cùm

Cùm sint autē omnes particulares Ecclesiæ, vna atque eadem Ecclesia Christi:hinc fit, vt etiam hæc autoritas Ecclesiæ, æqualis sit in omnibus Ecclesiis, ideóque & æqualis omnium dignitas. Non enim ait Propheta, exaltabitur Ecclesia Romana,supra omnes alias Ecclesias:sed vniuersa Ecclesia Christi,vbicunque sit,exaltabitur supra omnes colles,id est,Regna Mundi. Quare nec plus autoritatis habet vnus Episcopus quàm alius: primò,quia autoritas Episcopi, est ab autoritate Ecclesiæ.Omnium autem Ecclesiarum æqualis est illa autoritas,quam Christus suæ Ecclesiæ tribuit. Secundò, omnibus Apostolis ex æquo dixit: *Quæcunque solueritis in terra,&c.* Tertio,Patres hoc confirmant.

Cyprianus de simplicitate prælatorum,[Episcopatus vnus est,cuius in solidum à singulis pars tenetur.Ecclesia vna, quæ in multitudinem latiùs incremento fœcunditatis extenditur, quomodo solis multi radii, sed lumen vnum.] Item:Hoc erant Apostoli,quod Petrus, pari consortio præditi dignitatis & potestatis.

Hieronymus Tom.2.epist.ad Euagrium: Si autoritas quæritur, orbis maior est vrbe: Vbicunque fuerit Episcopus,siue Romæ,siue Eugubij, &c. eiusdem est & sacerdotij.

Meminerimus igitur,quicquid ad dignitatem,autoritatem,exaltationémque pertinet Ecclesiasticam,id toti Ecclesiæ Christi,& singulis partibus eius nēpe particularibus Ecclesiis, non autem vni aut alteri dari. De tota enim Ecclesia Christi, non de Romana aut Hierosolymitana loquitur Propheta, cum ait, *Extolletur supra omnes colles*, quasi dicat, sedes Ecclesiæ ponetur supra omnes montes,& erit gloriosissima.

IV. Quar.In hoc etiam videtur consistere particularis Ecclesiæ Christi exaltatio, quòd post Christū, exaltata est in cultu diuino,quatenus antea Gentes adorarunt idola in excelsis, & montibus suos Deos coluerūt: Iudæi Hierosolymis terrenā vrbe: Christi Ecclesia in summo monte adorat Deum, nempe in spiritu & veritate. Ioh.4. Venit hora,quando veri adoratores adorabunt neque in monte hoc, neque Hierosolymis, sed in spiritu & veritate. Sed Iesaias videtur propriè extollere montem hunc Zion, quòd inde verbum Domini erat ad omnes deriuandum,quo quidem verbo seu vehiculo gentes erant vehendæ in cœlum vsque supremum, atque ibi Deum visuræ,& imaginem Dei in Euangelio contemplaturæ.

V. Quin.In hoc verò maximè dixerim,Ego consistere Ecclesiæ exaltationē supra omnes colles, & Regna ac Principes mundi,quòd Christus homo,caput Ecclesiæ, exaltatus est supra omnes principatus & potestates,datáque illi potestas in cœlo & in terra: & donatum nomen,quod est supra omne nomē.Matt.28.Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra.Eph 1.explicat Apostolus,dicendo: Memoriā vestri facio,in orationibus meis,vt sciatis, quæ sit supereminens magnitudo virtutis eius in nos,qui credimus, &c. quam operatus est in Christo, suscitans illū è mortuis & constituens ad dextram suam,in cœlestibus,supra omnem principatum,& potestatem,& virtutem,&dominationem,& omne nomen, quod nominatur non solùm in hoc seculo, sed etiā in futuro:& omnia subiecit sub pedes eius,& ipsum dedit caput super omnia ipsi Ecclesiæ, quæ est corpus eius,& complemētum eius,qui omnia in omnibus implet. Cùm ait, Christum exaltatum esse supra omnem principatum potestatem, &c. intelligimus montē exaltatum supra omnes colles, &c. Quod autem primò Christo datur in capite,datur secundò Ecclesiæ,vt eius corpori,à capite omninò inseparabili. Ergo &ipsa exaltata est in Christo,supra omnes principatus & potestates,&c.Ideo Paulus hoc docens Eph.c.2.subdit, Exaltatam Ecclesiam cum Christo,supra omnem principatū, &c.in cœlestibus: dicendo: Et vos cùm essetis mortui, delictis & peccatis, in quibus aliquando ambulastis iuxta seculum mundi huius,&c. En quæ erat priùs Ecclesia humi depressa, modò audi exaltatam: dicendo: Sed Deus,qui diues est in misericordia,&c.conresuscitauit,& consedere fecit in cœlestibus.

CAPVT VI.
DE AMPLITVDINE ECCLESIÆ.
in vers.2.*Confluent ad eum omnes Gentes.*

His verbis docet Propheta,Ecclesiam Christi futuram amplissimam,in vniuersumque orbem diffundendam,non autem in vno terræ angulo,nempe in Iudęa, & in vno populo, nimirum Iudaico semper continendam? De hac amplitudine Ecclesiæ multa etiam habemus testimonia in scripturis, Gen. 15. 16. Amplificabo semen tuum, sicut stellas cœli, & sicut arenam Maris. Item,non numerabitur prę multitudine.Promittit hic, Ecclesiam Christi fore amplissimam per semē Abrahæ. Quod est autem semen hoc Abrahæ? Non solùm Iudæi, sed etiam Gentiles, qui Abrahami fidem sequuntur, quod hinc patet, quòd Paulus hoc expresè docet Rom.9.& Gal.3.& 4.Matth.3 ait Iohan.Bapt. *potens est Deus suscitare de lapidibus istis filios Abrahæ*, innuens, filios Abrahæ,non esse illos,qui tantū ex semine carnali Abrahæ nascuntur,alioquin ex lapidibus non potuissent fieri filij Abrahæ:sed illos, qui sequuntur fidem Abrahæ, quocunque ex semine nati sint, etiamsi ex mera terra & lapidibus nati essent,vt lapides sunt.

De hac vide Ezec. ch.67.

1.2.

Stellæ cœli non sunt in vna Iudæa tantùm: neque arena Maris:sed vbique terrarum ita futura erat Ecclesia Christi amplissima,& vbique.Gen.17.Abrā vocatur Abraham, *quia constitui te* (ait Dominus) *patrē multarum Gentium.* In voce *multarum* indicat Ecclesiæ amplitudinem futuram ex vocatione non solùm Iudæorum,sed etiam Gentium.legatur Gen.cap.15.16.& 17. 3.

Exod.1. de populo Dei dicitur, quod quantò magis affligebatur,eò magis multiplicabatur. Typus hoc fuit Ecclesiæ Christi multiplicandæ, idque eò magis, quo magis à mundo opprimatur. Hoc verò præsertim vsu venit post Christum. Quò magis fuit oppressum primò caput Ecclesiæ,deinde singula eius membra, eo magis multiplicata est.

Ies.6.Multiplicabitur,quæ derelicta erat. Itē, Esa 54. 4. Lætare sterilis, quæ non paris: quia plures erunt filij desertæ,quàm liberæ.Matt.8.Multi venient ab Oriente & Occidēte.Erat igitur multiplicāda Ecclesia Christi mirum in modum,inque omnes partes orbis diffundenda idque ex Gētium vocatione, de qua plenæ sunt scripturæ testimoniis.

De hac Gentium ad Ecclesiam Christi vocatione hæc sunt notanda.

1. Quòd etiā ad Gentes pertinebat promissio de salute æterna per Christum.Patet hoc primò à prædestinatione. Promissio de salute, ad omnes prædestinatos in vitā æternam pertinet.Promissio enim de vita æterna,quid est,nisi reuelatio illius prædestinationis, & beneplaciti diuini de nobis ad vitam æternam? Atqui etiā Gentes fuerunt prædestinatæ ad vitam:patet quia Act. 13.expresè dicitur de Gentibus, Crediderunt,quotquot erant prædestinati ad vitam æternam. Ergo etiam ad Gentes talis promissio pertinebat.

2. Gen.3.Promissio illa de vita æterna facta Adæ.Semen mulieris conteret caput serpentis, ad omnes, qui ex Adamo nasciturì erant,& fidem in semen amplexuri,pertinebat. At ex Adamo nati sunt non solùm Iudæi, sed etiam Gentiles. Ergo non solùm ad Iudæos,sed etiam ad Gentes pertinebat promissio. Gen.12.& 17. Abraham,in te benedicentur omnes Gentes,&c.

At Rom.15.asserit Paulus,promissiones factas Iudæis: Gentes verò pro misericordia seruatas.ideo glorificare Deum,&c [Dico autem Christum ministrum fuisse circumcisionis, pro Dei veritate, vt confirmaret promissiones Patrum.] *Occupatio.*

Responsio.In genere quidem promissio de salute,reuerà primùm facta fuit & in Adamo & in Abrahamo, non solùm Iudæis,sed etiam Gentibus,vt patet ex locis iam citatis: sed vbi postea speciatim sibi collegit populum, nempe Israeliticum, ex quo Messias carnem susciperet, & in quo verbum & religio conseruaretur vsque ad Christum, eiecto quasi è domo sua gentili populo, ob sua scelera: specialiter videtur populo Iudaico facta fuisse promissio; & populus Gentilis visus fuit exclusus à religione Dei, macerie Ceremoniarum interpositā inter Gentilem & Iudaicum populum: ita vt si postea Gentilis accersitus fuit ad Ecclesiam Christi, visa fuerit specialis misericordia exhibita illi, pro qua debuerit laudare Dominum. Huc respexit Paulus, cùm dixit, Christum ministrum fuisse circumcisionis, pro Dei veritate, vt confirmaret promissiones. Quantum igitur ad externā œconomiam, Christus promissus fuit Iudæis. Exemplum habemus in Euangelio Luc. 15.de duob. filiis. Amborū ex æquo est hæreditas paterna. Minor natu insolens,acceptā quādam portione suā,

barut Deus, se velle nobis in Christo gratis condonare peccata, sibi reconciliare, in filios adoptare, vita æterna donare. Hæc continet lex. Nam si obiicias ceremonias: respondeo illas fuisse tantum (vt dixi) exercitia, quibus populus continebatur in cultu Dei & pietate. Iam doctrina Prophetarum, quid præter hæc, amplius continet? Nihil fere. Ergo doctrina Prophetarum non est, nisi doctrinæ Mosis explicatio siue legis interpretatio. Proinde semper ad legem reuocant populum, ad doctrinam illam, quam Deus dedit patribus per manum Mosis. Esa. 8. omnes reuocat ad legem, testimonium volũtatis Dei, dicendo: Quod si dixerint vobis, sciscitamini à Pythonicis & diuinis, qui mussitant & demurmurant: An non (quasi dicat, sic respondete) an non populus Deum suum consulet pro viuis & mortuis, id est, loco omnium, qui vel viuunt, vel mortui sunt? Ad Legem & ad Testimonium: quasi dicat, recurrite ad legem, quæ est testimonium verum voluntatis Dei.

Malach. 4. postremus Prophetarum, vel Deus potius in Malachia in fine Prophetiæ suæ reuocat populum ad legem Mosis & ea contentum esse iubet, dicendo: Recordamini legem mei Mosis, quam ei in Horebo montе præcepi ad omnes Israelitas, præcepta atque iura dicit Dominus exercituum.

Luc. 16. Propterea Christus, vt ostendat, eandem doctrinam esse Mosis & Prophetarum, simul Mosen & Prophetas coniungit, & ad eos consulendos remittit (introducto Abrahamo loquente) fratres Epulonis, dicendo: *Habent Mosen & Prophetas, audiant ipsos.* Paulus item eos simul iungit, dicendo Rom. 3. Testificata à lege & Prophetis. Ergo doctrina Prophetarum eadem est cum doctrina Mosis.

Discrimen inter Mosen & Prophetas. At dicet quispiam, nunquid igitur nullum erit discrimen inter Mosen & Prophetas?

Responsio. Quemadmodum etiam diximus de veteri Testamento & nouo, inter Mosen & Prophetas siue inter legem, & libros Prophetarum nullum est discrimen, quod ad rerum seu doctrinæ substantiam attinet, vt supra ostendimus. Est autem discrimen, si modum eius doctrinæ tradendæ spectemus. Nam lex, doctrinam, promissiones, & minas, & fœdus gratiæ breuibus tradit: Prophetæ verò pluribus. Illa obscurius, isti clarius. Illa pressius, isti latius. Illa in genere: isti specificè, applicantes ad sua tempora, suósque peculiares populos, quæ lex ad vniuersum populum, & ad omnia tempora extendit.

Hoc magis patefiet vno aut altero exemplo. Dixi superius in lege tria in summa contineri, doctrinam vitæ de fugiendis & expetendis: secundo minas & promissiones: tertiò, fœdus gratiæ in Christo. Iam videamus quomodo lex hæc tradat, & quomodo Prophetæ. Doctrinam vitæ lex duabus tabulis breuiter complectitur, & paucis verbis verùm Prophetæ eam fusissimè explicant. Exemplum De cultu Dei interno, lex ait breuibus. *Non habebis Deos alienos coram facie mea.* Quid Prophetæ? Explicant hoc preceptum ferè vbique, ac ostendunt hoc precepto requiri à nobis, fidem, timorem, fiduciam, inuocationem adorationem, gratiarum actionem, amorem, obedientiam ex toto corde nostro in solum Deum: neque fidendum vlla alia re, neque inuocandos Angelos, aut mortuos sanctos, neque adorandum esse quempiam præter Deum, neque bona cuipiam accepta ferenda, nisi Deo: quemadmodum satis perspicuum est legenti Prophetas.

Exemplum aliud De sabbatho sanctificando lex ait, breuib⁹: *Memento, vt diem Sabbathi mei sanctifices.* Quid Prophetæ? Explicant atque ostendunt sabbathi huius sanctificationem consistere potissimùm in hoc, vt fideles ferientur ab operibus propriæ naturæ corruptæ, ac sinant Deum operari in ipsis: sinant se renouari à Deo Spiritu sancto: sinant se mundari à peccatis sanguine Christi: denique, vt totam salutis fiduciam in Deo per Christum collocantes, in solo Deo quiescant: ac propterea sabbathi huius sanctificationem debere esse perpetuam. Legite Esa. 58. legite Ezech. 20. & alios. Existimabat enim populus ille, sicut & Pontificij sanctificationẽ sabbathi in ocio tantum corporis consistere, in cessatione ab operibus manuariis: interim non cessabant peccata multa perpetrare. Propterea Prophetæ explicarunt, vbi consistat eius sanctificatio vera, & quomodo prophanentur sabbatha vera Dei. Idem, si opus esset, ostendi posset in reliquis omnibus tam secundæ, quàm primæ tabulæ præceptis.

Minas verò & promissiones, quis non videat in lege compendiosissimè prædicari atque in genere? Minatur Moses *Deut.* 32. Bello te persequetur Deus: fortis hostes, domi te intestina dissidia vexabunt. Quid Prophetæ? explicant minas, & in specie loquuntur, dicendo: En Deus (inquiunt) aduersum te gladium Chaldæorum suscitat, gladium Ægyptiorum Persarum, &c. *Esa.* 3. Quoniam superbiunt filiæ Zion, & porrecto collo incedunt: ideo decaluabit Dominus verticem filiarum Zion, & Dominus pudenda earum nudabit. Promittit Moses in lege genericas promissiones *Deut.* 28. Si obseruaueris mandata, benedicet tibi Dominus, & refert beneficia in genere. Quid Prophetæ? Hoc te beneficio Deus donabit. V. g. Esa. 8. promittit adeo certam salutem Hierosolymæ, vt potius deuastandum sit regnum Israelis & Syriæ, quàm vt ab illis ipsa vastetur, dicendo: Sanè antequam puer sciat clamare, pater mi, mater mea, tolletur substãtia Damasci, & spolia Samariæ coram Rege Assyriæ.

Fœdus verò gratiæ quàm latiùs explicent Prophetæ, id quod lex non facit, magis patet, quàm vt explicatione egeat. Moses quidem in genere ostendit, Deum per Christum misse fœdus gratiæ cum hominibus, vt per eũ solum, sola fide seruentur. Verùm multo clarius hoc inculcant Prophetæ. Imo semper huc omnes suas conciones dirigunt, vt erigant animos electorum ad Christum seruatorem, per quem breui destruendum sit peccatum, mors, Satan.

Habent etiam Prophetæ suas proprias visiones, quibus futura reuelabat Dominus: idque vt certius de voluntate Dei populo restarentur, & populus certiorem eis fidem præstaret. Et in iis etiam differunt à lege. Alia differentia.

Item hoc habent etiam proprium, vt apertiùs, quàm lex, detegant hypocrisin humanam. Exemplum. Lex statuerat quidem ceremonias, & sacrificia multa, non quòd in illis vllam per se statueret salutem: sed vt illis tanquam exercitiis quibusdam retineretur populus in vera pietate, & in vero cultu Dei. At vero populus carnalis deserta vera pietate, perbellè existimabat se functum esse officio suo, & gratificatum esse Deo, cum externos ritus obseruabat, animalia offerebat, incensum adolebat. Quid igitur Prophetæ? Acriter arguunt populum, ostendúntque nihil illa valere coram Deo, absque vera cordis pietate & charitate in proximum: imò displicere Deo, & esse abominationes. Audite Esaiam. Esa. 1. Audite Principes Sodomorum, &c. quorsum mihi multitudo victimarum vestrarum, &c. Incensum abominatio est mihi. 3. Differ.

Vidistis igitur, quæ sit doctrina Prophetarum, nempe eadem cum doctrina Mosis: neque differre hanc ab illa, nisi quod ad modum tradendi attinet, non quod ad substantiam.

De VI.

VI. Ex iis etiam patet sextum, quod proposueramus. nempe quodnam sit officium Prophetarum. Munus eorum duplex est (ita distinguere liceat declarandi causa) impropriũ, & proprium. Officium Prophetarum.

Impropriuм & accidentale, seu extraordinarium erat, futura, præuidere & prædicare, & occulta retegere ac reuelare: Vnde προφήτης à προφάναι, præloquor, predico, eò quòd futura sæpe prædicerent. Sed quia falsi Prophetæ (vt suprà ostendimus) etiam ipsi sæpe futura & præuidebant, & verè prædicebant: propterea hoc non erat proprium.

Item improprium officium erat, & extraordinarium, regere Ecclesias, & Respub sicut Samuel fecit.

Item officium eorum erat, canere Psalmos certis horis, & laudes Deo, sicut faciebant illi Chori Prophetarũ, de quibus 1. Reg. 10. Samuel loquitur. Item, Orare Deũ pro populis, vt Moses, Esaias, Daniel, & alij plerique, qui sese ad cohibendam iram Dei contra populum opponebant, enixè deprecantes Dominum ea flagella. Item miracula facere, quando illis erat à Domino concessum. Verùm, quia ista omnia etiam alij, non Prophetæ præstiterunt, sed per gratiam Dei: propterea non erant propria Prophetarum officia.

Proprium verò officium Prophetarum erat, per afflatum singularem Spiritus sancti, legem Dei interpretando, repurgando, prædicando, inculcando, populum Dei seu electos, à falso cultu, ad verum, verúmque Dei cultum auocare, & auocatos in eo continere: arguere

arguere Sacerdotes, Reges omnes, & eos instituere in vero Dei cultu, renouantes & repugnantes Ecclesiam. Hoc erat propriū Prophetarum munus quemadmodum ostendimus primò ex voce ipsa προφήτης, quæ significat interpretem, seu procuratorem. Ergo Prophetæ Dei erant interpretes Dei, & procuratores Dei qui legem interpretando, curarent, vt Dei cultus integer seruaretur. Item sicut ostendi ex Deut. 13. Vbi Moses ostendit discrimen inter verum Dei Prophetam, & falsum: quòd verus semper curat, vt populi contineantur in vero cultu veri Dei: falsus vero etiamsi edat miracula vera: tamen auocat à vero Deo, & à vero cultu.

De VII.

VII. Atque hinc etiam manifestum fit, id quod septimo loco declarandum suscepi, nempe quod discrimē sit inter Prophetam esse, & Doctorem siue munus Prophetæ & Doctoris. Doctoris enim etiam munus erat, legem Dei, & doctrinam Euangelij interpretando, docere electos in Ecclesia verumDei cultum, ad instaurationem Ecclesiæ, vt est Eph.4 Sed discrimen erat: quia Doctores, tametsi donum Spiritus S. habebant: tamen non loquebantur ex solo afflatu Spiritus sancti, sed multa domo afferebant, methodum docēdo tenebant, ignota per notiora declarabant, & quæ dicturi erant, præcogitabant. *Discrimen Prophetarum, & Doctorum.*

Prophetæ verò quicquid loquebantur (vt etiam ait Chrysostomus) ex Spiritus sancti afflatu loquebantur. Sic etiam ait Petrus 2.Petr.1. Et habemus firmissimum sermonem Propheticum, cui rectè facitis, quod attendatis, &c. Hoc primùm scientes, quòd nulla Prophetia Scripturæ sit proprij impulsus. Non enim libidine hominis allata est olim Prophetia, sed acti à Spiritu sancto locuti sunt sancti Dei homines.

Item aliud discrimen erat: quia Prophetæ sæpè etiam futura prædicebant, miracula edebant, vt hac fidem verbis eorum conciliarent apud Ecclesiam: quod non item erat in Doctoribus. En igitur discrimen inter Prophetas & Doctores in primitiua Ecclesia.

DE VIII.

VIII. Quis hinc etiam non videat, quis Prophetarum omnium scopus esset? Hic erat Christus. Patet 1.*Rom*.10. Finis legis est Christus. Atqui Prophetæ non sunt nisi legis interpretes. Ergo finis etiam & scopus ad quem omnia dirigebant Prophetæ, est Christus *Act*.10. Hinc testimonium perhibent omnes Prophetæ, &c. *Scopus Prophetarum.*

Secunda ratio est: Prophetæ enim in rebus omnibus, quas proponebant, concionibus, miraculis, vaticiniis, minis, promissionibus hæc duo potissimum quærebant, quæ vnicuique non solùm Doctori, sed cuilibet etiam Christiano quærenda sunt, gloriam scilicet Dei, & salutem proximi. 1.*Petr*. Reportantes fructum Dei, & salutem animarum vestrarum, de qua salute exquisierunt, & perscrutati sunt Prophetę, qui de conferenda in vos gratia vaticinati sunt.

Atqui in vnico Iesu Christo patefit & illustris redditur gloria Dei, n[illegible] m[illegible]e eius bonitas, misericordia, sapientia potentia, tot[illegible]s denique Deus ipse, vt Apostolus cùm alibi, tum ad Heb. c.1 declarat dicendo: Christum esse splendorem gloriæ Dei, & characterem substantiæ eius. Item in Christo tota salus electorum consistit, qui, vt ait 1.*Cor*.1. factus est nobis à Deo nostra sapientia, iustitia, sanctificatio & redemtio. Ergo iure scopus Prophetarum in omnibus suis & factis & verbis, erat Christus vnicus, ad quem omnia dirigebant.

Hic idem fuit scopus Mosis: vnde Christus ait *Ioh*.5. Si crederetis Mosi, crederetis & mihi. De me enim ille testatus est. Ergo mirum non est, Iudæos non intelligere Mosen, & adhuc velamen positum esse super corda eorum. Quare? quia hunc scopum Mosis ignorant. Qui enim ignorat scopum alicuius scriptoris: quomodo potest eum scriptorem intelligere, quid sibi velit?

Hic idem scopus Apostolorum 1.*Cor*.1. Nos prædicamus Christum. Ergo non mirum, si Papistæ non intelligant scripturas: quia ignorant, hunc vnicum esse scopum scripturarum. Nos ergo hunc scopum semper præ oculis habeamus, si cupimus intelligere scripturas.

DE IX.

IX. Hinc etiā facilè patefit, quod nono loco declarandum

dum recepimus, nempe, quem modum quāmque rationem seruarint Prophetæ in suis sermonibus deducendo homines ad Christum. Inculcabant primùm legem, eam diligentissimè interpretando. Deinde adferebant promissiones Euangelij. *Ratio dicendi Prophetarum.*

Duæ enim res sunt, quibus Deus vtitur in deducendo Electos ad Christum, ad salutem: Lex, & Euangelium. De lege Gal.3. Lex pædagogus est ad Christum. De Euangelio Rom. 1. Euangelium vis Dei est in salutem omni credenti. Ergo Prophetæ, cùm illorum scopus esset deducere electos ad Christum vt suprà ostendimus, vtebantur ad hoc consequendum prædicatione legis & Euangelij simul. Legis prædicatione detegebant peccata populi omnia, præsertim verò interna & hypocrisin: patefaciebant iram Dei contra illos ob peccata: denique deducebant ad humiliter de se sentiendum, ad sui desperationem, ad sentiendos inferni & mortis dolores, atque ad expetendam misericordiam Dei & salutem. Euangelio vero ostendebant Christum vnicum pro peccatis nostris hostiam iustitiam nostram, salutem nostrā, vitam nostram: denique deducebant eos in vlnas Christi venturi, quem tamen ceu præsentem in spiritu illis ostendebant. Hic est modus, & ratio, qua vtuntur Prophetæ in deducendis Electis ad Christum. Proinde in Prophetis semper reperiemus hæc duo subinde inculcari.

DE X.

X. Hinc etiam quisque videre potest, quid sint libri Prophetarum, quidve contineant. Libri Prophetarum sunt variæ conciones habitæ ad suos populos in quibus continetur & prædicatur Lex & Euangelium. Scopus autem illarum, est Christus. Continentur etiam vaticinia & visiones, & miracula à Prophetis facta. Continentur etiam historiæ, quibus narrantur modo vastationes Regnorum, internecciones populorum, & varia flagella, quibus Deus tum populum suum, tum etiam exteras Gentes flagellabat: modo narrantur restitutiones Regnorum, liberationes populorum, & varia Dei beneficia tam erga genus humanum, quàm erga illos populos. Sed hæc ferè omnia habent vsum vel legis vel Euangelij; atque ita omnia reducuntur ad eundem scopum & finem Christum. *Quid libri Prophetarum.*

Continentur etiam in illis libris multa eruditio tum diuinarum, tum etiam humanarum rerum, locorum, regionum & vrbium descriptiones: populorum mores & ingenia, temporum variæ mutationes, fluminum, Herbarum, multarúmque aliarum rerum vires & vsus. Denique libri Prophetarum sunt veluti elegantissimi horti, in quibus omne genus herbæ cum amaræ tum dulces continentur: suauissimi flores, pulcherrimę rosæ, optimi fructus, sed inprimis pulcerrima viris optimis vuis referta, ac totum hortum complectens, quæ est Christus. Ego sum (inquit Christus) vitis vera. Hæc autem omnia non solùm ad illum populum, sed etiam ad nos pertinent. Rom. 15. Omnia enim quæ scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, &c. *Ioh.15.*

DE XI.

XI. Hinc verò quotusquisque vestrûm est, qui non videat, qui non manu ipsa tangat, id quod postremo loco demonstrare promisi, nempe, quàm vtilis nobis sit lectio Prophetarum? imo & quàm necessaria. Quid? putamus fortasse Prophetas illos, qui missi fuerunt ad prophetandum populo illi Iudaico, ad arguendos illos Reges, ad reprehendenda illorum vitia, idololatriam, & afferendas promissiones Dei, ad nos non pertinere? Cōtrà sentit Apostolus, qui ait ad Rom. 15. Omnia quæ scripta sunt (scilicet tam in Prophetis quàm in Mose) ad nostram doctrinam scripta sunt. Contra etiam sentit Petrus, qui ait, Prophetas nobis, nobis speciatim ministrasse illa, quæ scrutati sunt, & exquisierunt de salute nostra. Audite 1. Petr. 1. De qua salute exquisierunt & perscrutati sunt Prophetæ, qui de gratia in vos conferenda prophetarunt scrutantes quódnam & quale tempus indicaret Christi spiritus, quo erant prędití, præsignificans & Christi passiones, & deinde futuram gloriam. Quibus ostensum est, non ipsos sibi, sed vobis ea administrare, quę nunc vobis nunciata sunt. Ergo ad nos pertinent Prophetarum libri, & cedunt in vtilitatem nostram. *Vtilitas lectionis Prophetarum.*

Sunt autem innumeræ vtilitates, quas ex diligenti Prophetarum lectione haurimus, sed inter alias hæ potissimùm.

Prima, est cognitio Dei, id est, potentiæ, sapientiæ & bonitatis Dei. Prophetæ enim omnes inprimis commemorandis Dei erga nos beneficiis, hoc vnum inculcant & prędicant, Deum illum vnicum qui condidit cœlum terramque, quique locutus est Abrahæ & Patribus, esse omnipotentem, sapientissimum, optimum perfectissimum, atque in eius bonitate prædicanda plurimū immorantur. Quorsum? Vt ad illū fidendum ad eū amandum, colendum, accedamus. Ergo cùm Prophetæ subinde inculcent hanc Dei bonitatem, & denique omnem eius perfectionem miris coloribus depingant: nos ex illorum lectione, sed operante Spiritu S. facilè ad Deum perfectè cognoscendum deducimur. Quanta est autem hæc vtilitas scilicet, cognitio Dei! Ioh. 17. Hæc est vita æterna, vt cognoscant, &c.

Secūda, est vera legis cognitio, quis sit verus Dei cultus, quæ vera religio. Prophetæ enim etiam in hac parte plurimum versantur (imo vt aliàs dixi) hoc est illorum proprium munus, nempe, vt legem Dei interpretentur, declarent, doceant verum legis sensum. Nam fuerunt semper Pseudodoctores, & sacerdotes, & Pseudoprophetæ qui subinde declinabant ad falsos cultus, qui mortuæ legis literæ inhęrebant, qui legem suis traditionibus corrūpebant: propterea opus erat Prophetis, verum legis sensum vrgere hypocriticum cultum detegere, & veram Dei religionem docere. Quorsum? Vt populus relicta falsa religione & ἐθελοθρησκείᾳ, ad verum Dei cultum ac religionem reduceretur. Ergo cùm verùm legis sensum aperiant Prophetæ, & falsam atque hypocriticam retegant religionem: ex illorum diligenti lectione ac studio, falsam religionem dedocemur, & veram docemur. Quanta est autem hæc vtilitas?

Tertia est nostri cognitio, id est, miseriæ nostræ peccatorum nostrorum atque ita odium contra peccatum. Nam Prophetæ in hac etiam parte multū immorantur, vt scilicet retegant hominum peccata & hypocrisin: & suis minis ostendant, quàm grauis ira Dei maneat sceleratos impœnitentes. Quorsum? vt in odium peccati homines adducant, & ad pœnitentiam impellant. Ergo lectio Prophetarum sinceram nostri, id est, peccatorum nostrorum cognitionem odium peccati, & resipiscentiā (modò, vt dixi adsit Spiritus sanctus) nobis adfert. Quāta autē sit hæc vtilitas, nemo est qui nesciat. Huc enim ferè omnia rediguntur, vt cognitis peccatis nostris in illorum odium adducamur, resipiscamus: ac denique mortui peccato, viuamus.

Quarta, est consolatio in cruce Prophetæ enim etiā hac in parte non parum immorantur, vt postquam populum acriter arguerunt ac terruerūt minis, ipsum consolentur, ostendentes Deum nos quidem flagellis variis lædere, sed non vt tyrannum hostes, verùm vt pater filios: non vt perdat, sed vt saluet. Eum enim habere rationem salutis nostræ, propterea rebus omnibus vti, quas videat in salutem nostram cessuras. Post flagella, eos restitutum iri, ac felices beatósque fore. Quorsum hæc? Vt in spe salutis erigant animos electorum, atque ita contineant, ne animum in cruce despondeant, sed æquo animo eam ferant.

Ergo cùm nemo sit nostrū, qui non aliqua cruce subinde prematur vel interna, vel externa: Prophetarum lectio ad nos in cruce consolandos plurimum valet, & ad omnia æquo animo ferenda nos mirè animat. Quæ autem hæc est vtilitas?

Quinta, est cognitio Christi, & eius regni, quod & qualénam sit. Nam Prophetæ non solùm in hac parte plurimum versantur: sed ferè omnia ad hanc partem dirigunt, vt patefaciant Christum & eius Regnum, ostendentes in hoc vno solo esse salutem, remissionē peccatorū, vitam æternam, denique omnē felicitatem: atque sola fide in ipsum Christum, possideri ab electis Christum, eiúsque regnum. Quorsum? Vt hoc cognito eum amplectamur, in eo acquiescamus, in hoc saluemur: vale dicto omnibus aliis religionibus & Mundo vniuerso. Act. 10. Huic testimonium perhibent omnes Prophetæ, quòd remissionem peccatorū accepturus sit per nomē eius, quisquis crediderit in eum. Ergo Prophetarum lectio nobis affert cognitionem Christi, ideóque & salutem, modò adsit Spiritus sanctus. Quanta est autem hæc vtilitas! Ioh. 17. Hæc est vita æterna, vt te solùm cognoscant esse Deum verū, & quem misisti Iesum Christum.

Huc accedit sexta, Cognitio regni Antichristi, quale sit. Primò enim ex cognitione regni Christi, regnum Antichristi cognoscitur, sicut omne contrarium, ex cognitione alterius. Secundò, Prophetæ etiam pulchris ac viuis lineamentis depingunt regnum Antichristi, cum arguunt illam faciem illius Ecclesiæ, & taxant cultum hypocriticum: & talis iam sit Ecclesia Antichristi. Ergo ex Prophetis agnoscimus regnum Antichristi.

Hinc quis non videat, quanti sint faciendi libri Prophetarum, qui tot bona nobis afferunt: quàm sint frequenter legendi! Daniel ipse Propheta non dedignatus fuit legere Prophetam Ieremiam cùm esset in Babylonia, vt est Dan. 9. Christus etiam sæpe Prophetas citat in nouo Testamento, vt passim in Euangelica historia videre est.

DE ESAIA.

HACTENUS exposui quidem, cùm mei etiam muneris sit interpretari in hac schola verbum Dei sincere ac liberè, me vobis interpretaturum vetus Testamentum, interpretantibus nouum aliis eruditissimis & optimis Doctoribus. Declaraui etiam in genere quā ex tribus veteris Testamēti partibus, Mose, Psalmis, & Prophetis, essem primùm interpretaturus, nempe Prophetas, vbi de Prophetis multa quoque diximus, præsertim de nomine Prophetæ, quid Propheta, de proprietatibus Prophetarum, de eorum missione, doctrina, officio, discrimine inter Doctores, scopo dicendi ratione, libris, vtilitate: hęc inquam hactenus quidem declaraui, sed nōdum exposui, quem ex tot Prophetis primum aggressurus sim. Accipite igitur paucis.

Esaiam sum primùm interpretaturus, idque iure optimo. Cùm enim à prioribus & optimis (vt etiam Quintilianus de ratione legendi authores docet) sit incipiendum: Esaias post Dauidem primus est, non solùm ordine sed etiam dignitate inter Prophetas. Ordine, Prophetarum enim omnium, quorum libri reperiuntur, duplex est ordo: primus Maiorum (vt vocant:) secundus Minorum. Maiores vocant Esaiam, Ieremiam, Ezechielem, Danielem. In hoc ordine primus collocatur Esaias: & primus etiam prophetauit ante alios tres, nempe ante Ieremiam, ante Ezechielem, & ante Danielem. *Iesaias primus Prophetis ordine & dignitate.*

Minores vocant Hoseam, Ioelem, Amosum, Abdiam, Ionam, Micheam, Nahumum, Habacucum, Sophoniā, Haggæum, Zachariam, Malachiam. Ij omnes collocantur in posteriore ordine, scil. minorum. Videtis igitur, quomodo Esaias primus sit ordine.

Sed primus etiam est dignitate & vtilitate. Quanquam enim omnes, quod ad authorem attinet, pares fuerunt, quia omnes instrumenta fuerunt Spiritus sancti, per quos locutus est Spiritus sanctus: ac proinde tantæ authoritatis sint libri cæterorum Prophetarum, quantæ & prophetia Esaiæ: quia illorum prophetiæ perinde sunt verbum Dei, atque huius: tamen si spectemus dona multa, quibus Spiritus sanctus sæpe donat vnū Prophetam, quibus non donat alium, absurdum non est, si quis alius alium excellere dicatur: quemadmodum neque omnia alicuius artificis instrumenta sunt æquè nobilia, sed aliud alij præstat. Ita inter Prophetas, varia Spiritus sancti instrumenta, alius alio est præstantior. Ergo iniquum non erit, si Esaiam aliis præstare dicam. Nam citra controuersiam Esaias alios Prophetas multis rebus excellit.

1. Ratione dicendi. Hic enim est omnium elegantissimus & dulcissimus. 2. doctrinā. Hic enim perfectiùs doctrinam legis explicat, quàm cæteri, & meliùs docet. 3. Variarum rerum eruditione. Hic enim præter interpretationem legis, & prædicationem Euangelij, adfert etiam cognitionem multarum ac variarum aliarum rerum, vt patebit, quod cæteri non ita facilè præstant. 4. Minarum acrimoniā. Tametsi enim Ieremias videtur primas tenere in acrimonia minandi & arguendi, iuxta multorum sententiam: tamen Esaias noster meo iudicio etiam hac in parte nemini est secundus. 5. Gratia erigendi afflictas conscientias. Hic enim omnium optimè depressas peccatorum conscientias erigit, & afflictorum corda consolatur. 6. Authoritate. Hic enim sæpiùs citatur non solùm in veteri, sed etiā in nouo Testamēto à Christo, & Apostolis, quàm alij. Quid? quòd etiā Pater cœlestis, cùm voluit patefacere filium suū Mundo, huius Prophetæ verbis vti

digna-

dignatus est, dicendo, *Hic est filius meus, in quo bene*
Matth. 17. *complacui*. Hæc enim postrema verba sumsit ab Esaia cap. 42. 7. Visionum excellentia. Hic enim vidisse se Deum narrat, sedentem super solium excelsum & eleuatum in maxima gloria: audiuisse voces Angelorum clamantium sanctus sanctus, &c. vt est cap. 6. Cui Prophetarum clarior & illustrior Dei visio contigit? 8. Miraculis. Hic enim (ita Deo huius Prophetæ preces exaudiente) vrbem Hierosolymam ab intolerabili obsidione Regis Syriæ, & Regis Israel liberauit. Hic fecit solis vmbram, in gratiam Ezechiæ, & confirmationem promissionis ei factæ, reuerti. Hic impetrauit, vt in exercitu Sennacheribi Assyriæ Regis obsidentis Hierosolymam, vnâ nocte per Angelum interfecti fuerint centum octoginta quinque hominum millia. 4. Reg. 19. 9. Constantiâ prædicandi. Hic enim prædicauit, seu prophetauit annos, iuxta quorundam supputationem 105. iuxta alios verò 10.. iuxta alios 94. Sed citra alicuius controuersiam constat ipsum plusquam 64. annos Prophetasse, multis interim exagitatum laboribus & crucibus, & multa certamina atque pericula perpessum. 10. Animi fortitudine. Hic enim cùm esset nobilis, benè meritus de toto populo, & de Regibus illis omnibus, qui fuerunt suo tempore in Hierusalem, vtpote quibus seruauerat toties vrbem: tamen post multos labores propter Dei verbum exantlatos, post multas irrisiones & maledicta, quibus à populo illo peruicaci sæpe fuerat proscissus, Esa. 57. æquo animo perlata, ad extremum etiam non minus ignominiosam, quàm crudelem mortem magnâ animi fortitudine pertulit. Nam impius Manasses (vt Epiphanius & Hieronymus scribunt) cum in duas partes medium serrâ dissecuit: quo mortis genere (vt quidam sentiunt) plecti proditores & defectores solebant. 11. Multis aliis etiam rebus, quibus enarrandis par oratio inueniri non potest, hic noster Esaias alios Prophetas excellit: sed hac vnâ potissimum re, quæ sola sufficiat, omnibus mihi videtur anteponendus, nempe Euangelij perspicuitate ac vaticiniis de Christo. Hic enim vsque adeo apertè Euangelium non promittit, sed ferè annunciat, & Christum non à longinquo demonstrat, sed ferè coram sub oculos subijcit, vt meritò Euangelista potiùs quàm Propheta appellari debere Hieronymo & aliis visus fuerit.

Ob has igitur rationes Esaiam inprimis interpretandum suscepi: quia scilicet & primus est in ordine Prophetarum, & alios etiam excellit dignitate & vtilitate, id est, rebus iis omnibus, quas modo recensui, & aliis quàm plurimis, quas conticui.

Adde, quod etiam ipse magis facit ad tempora hæc nostra, quàm fortassis vllus alius. Nam quædam vitia erant tempore Esaiæ in illa Ecclesia Iudaica, quæ ferè eadē sunt etiam hoc nostro tempore in Ecclesiis Christianis. Et cùm Esaias delectus fuerit à Deo ad illa vitia arguenda & corrigenda: ergo maximoperè facit ad arguenda ac corrigenda nostri seculi vitia. Quare existimate Esaiam, qui missus fuit tunc ad populum illum Iudaicum, eundem in Spiritu, id est, verbo suo ad nos nunc etiam mitti, vt quæ arguit & correxit vitia in populo illo, eadem in nobis detegat & corrigat.

Videamus igitur vna ex parte aliquot vitia, quæ tunc erant in illo populo: altera verò ex parte videamus, an eadem sint etiam in nostris Ecclesiis: ac propterea annō perinde nobis necessarius sit Esaias, atque illi populo fuit.

Primùm igitur vitium in genere, quod tunc regnauit, erat ingratitudo populi erga Deum maxima. Cùm enim Deus populum illum tot affecerit beneficiis, quibus nullas alias nationes & gentes: ipse tamen Deum respuit, & auersatus est. Id quod bene Esaias in primo capite ac prima concione apertè ostendit, cùm ait, ita loqui Deum: *Filios enutriui, &c.* Iam verò, quando vnquam magis viguit ingratitudo in Ecclesia Christi, atque nunc? cùm in aliis, tum in hac Argentinensi Ecclesia: quæ præ cæteris omnibus, tanquam tribus Iuda, tanquam ciuitas Hierusalem fuit innumeris beneficiis à Deo affecta, vt alias fusiùs declarabitur: & tamen ingrata, Deum suum, plus timens homines mortales, quàm Deum viuentem, est auersata, & ab eo turpissimè defecit. O vrbs Argentina, quæ aliàs vsque ad Cœlum eras exaltata, quomodo nunc ad infernū vsque es depressa? Ergo maximè opus est Esaia, qui huic vrbi ingratitudinem suam erga Deum exprobret.

Secundum vitium in specie, erat idololatria. Nam tunc etiam in populo Iudæ vigebat idololatria, quemadmodum etiam antea in populo Israel regnabat. Adhuc enim sub Ozia, licet alioqui pio Principe, tamen sacella & statuæ, & luci, quos sub Roboamo filio Salomonis passim sibi populus in editis collibus, & sub frōdosis arboribus construxerat, extabant, & ibi suffitum faciebant, idola adorabant, vt est 4. Reg. 15. Sub Iothamo eius filio, iisdem idololatria viguit, extantibus adhuc sacellis illis, & statuis, vbi suffitum faciebat populus. 4. Reg. 15. Sub Achazo, Iothami filio, quid non idololatriæ fuit in populo illo Iudaico, in Hierusalem? Non solùm extabant adhuc illa sacella & statuæ, in quibus antea populus suffitum faciebat: sed etiam ad exemplar Aræ Damasci, ara alia extructa in Hierusalem, ad quam iuxta mores Gentium immolarunt victimas, amoto altarè Dei. Item iuxta mores Gentium, proprij etiam filij traiecti fuerunt per ignem, & ibi immolati. Item conflata fuerunt noua simulachra Baalibus, & in valle Benhennomi sacrificatum. Omninò imitati sunt nō solùm mores Ieroboami, qui fecit peccare Israelem, sed etiā Gentium. 4. Reg. 16. Sub Ezechia ablata quidem fuit idololatria omnis in Iuda: sed tamen statim post ipsius obitum restituta fuit omnis idololatria, omnia sacella, & plura etiam addita ab impio Rege Manasse, sub quo obiit Esaias 4. Reg. 21. Ecce idololatriam illius temporis! Annon verò (proh dolor) hæc idololatria & maior etiam regnat in Ecclesiis nostris? Erecta sunt idola, restituta est missa illa maledicta, adhuc inuocantur mortui adhuc crucifigitur Christus filius Dei, & quid non fit? Ergo opus est Esaia, qui clamet contra hanc idololatriam seculi nostri.

Tertium vitium, impietas in proximum. Passim enim regnabant extorsiones, furta, homicidia, stupra & alia vitia tam sub Vzia, quàm etiam sub aliis Regibus, quod benè demonstrat Esaias primo cap. *Manus vestræ sanguine plenæ sunt*. At nonne hæc eadem vitia inter nos regnant, & per nos blasphematur nomen Dei inter Papicolas?

Quartum, Cæcitas & hypocrisis. Cùm enim essent illi pleni sceleribus, postea putabant, se Deum pro sceleribus placasse, quando obtulissent vnum bouem, adoleuissent incensum in templo, & alias ceremonias seruassent, vt ostendit Esaias 1. cap. Annon hæc cæcitas & hypocrisis inter nos Christianos etiamnum regnat? Pleni sunt multi impietate in corde, immunditiis & libidinibus in corpore, furtis & rapinis in arcis & scriniis, postea putant se Deum placasse, si intersint cœnę Dominicæ, & manducent panem sacramentalem, aut alias ceremonias Ecclesiæ Christianæ seruent. Ergo opus nobis est Esaia, qui clamet, Audite principes Sedom, quorsum mihi multitudo victimarum vestrarum?

Quintum, Timor hominum, sine timore Dei. Multi illorum Regum & principum Iudæ adeo timebant Reges Assyriæ, Samariæ, & cæteros Gentium Reges, vt voluerint contra voluntatem Dei cum eis fœdus inire, & componere rem cum eis, vt sibi & suo regno benè consultum esset. id quod displicuit Deo, vna testantur libri Regum, & Esaias arguit Achazum, qui hoc & ipse voluit facere, cùm videret obsidione premi Hierusalem à Rege Syriæ & Samariæ, vt est Esaiæ cap. 7. Iam verò quàm regnat hoc peccatum inter nos? Magis timemus Reges & imperatores, quàm Deum, & propter hunc timorem non veremur multa agere contra veram Christi religionem, non veremur admittere in vrbes nostras, in Ecclesiam, libros impios tanquam pios, & religionem Papisticam, tanquam catholicam. Ergo opus est Esaia, qui hūc timorem arguat, qui nostros Magistratus in fide animet ad resistendum principibus ad timendum Deum magis quàm homines, quoniam Reges nihil possunt cōtra nos, absque Dei voluntate.

Sextum vitium erat nimia securitas. Cùm enim videbant templum Domini, cùm videbant se esse populum Dei, habere terram promissam Abrahæ: Item cùm videbant se fœdere iunctos cum Regibus Gentiū, atque in pace viuere, non poterant adduci, vt crederent Deum amplius missurum flagella, bella, pestem, famem in illum populum: imò aliqui putabant, Deum dormire, negligere humanas res, &c. Et nunc? Idem inter nos accidit. Quoniam res nostræ videntur compositæ cum Regibus & Principibus: quoniam videmur esse in pace: adde, quoniam videmus in Euāgelium vocatos, in Ecclesias Christi asscriptos, habere vera sacramenta,

&c. nequaquam putamus fieri posse, vt aliquid mali nobis accidat, sed securi stertimus in vtramque aurem, edentes, bibentes, luxuriantes. Ergo opus nobis est Esaia, qui ostendat iram Dei breui futuram contra eos, qui negligunt pietatem & veram religionem, neque moribus respondent Euangelio & fidei, quam profitentur.

Septimum, impatientia, atque desponsio animi. Multi enim pij, vbi videbant se affligi, cùm tamen persisterent in verbo Dei, in veteri cultu: impios vero altera ex parte nō solùm flagellorū experses esse, sed etiam rebus omnibus florere, vt illos Reges Gentium: incipiebant fieri impatientes, & videbantur aliquando animum despondere. Ita nunc ferè accidit plerisque. Quibus enim tentationibus impetimur à Satana, cùm videmus Ecclesias veras Iesu Christi ita in dies affligi peste, gladio, penuria: impiis vero papicolis omnia ferè ex ipsorum sententia succedere? Ergo opus est Esaia, qui ostendat crucem piorum non fore eis inutilem aut diuturnam, sed esse & breui finiendam, & ipsis in salutem cessuram. Quare stent bono animo. Impios vero, quò minus videntur affligi, eo maiores pœnas luituros, & iram Dei contra eos magis grauari.

Octauum, Diffidentia. Multi enim pij viri, videntes Ecclesiam Dei tot annos corruptam fuisse tot idololatriis, nec potuisse vnquam perfectè expurgari & mundari, existimabāt actum esse de Ecclesia, nunquam impletum iri promissionem de Christo, qui Ecclesiam restitueret & saluaret. Ita nunc multi, cùm videant tum potentem Antichristum, & Reges inimicos Christi: Ecclesiam verò corruptam tot hæresibus, & flagitiis innumeris, putant, conclamatum esse, nec posse restitui amplius Ecclesias ad pristinum Christianum cultum, atque ita diffidunt promissionibus Dei de sua Ecclesia. Ergo Esaia opus est, qui subleuet fidem nostram, qui det bonum animum, qui certiores nos reddat, impletum iri promissiones Dei de sua Ecclesia instauranda, reparanda, & vndequaque ex Gentibus replenda, sicut facit vbique ferè, & præsertim cap. 40. Consolamini, &c. qui denique ostendat, tandem destructum iri omninò peccatum, mortem, infernum in electis, & futurum omninò, vt propitio æuo fruamur, vt facit in fine Esaias noster.

Multa alia sunt in Esaia, quæ ad nostra tempora faciunt, sed hæc satis sunto. Quare videtis, quàm iure optimo assumserim Esaiā præ cæteris nunc vobis interpretandum, tum quia primus est in ordine Prophetarū, tum quia primus est etiam dignitate, tum denique quia maximè facit ad nostra tempora plusquàm alij faciant. Adde quòd etiam primus liber Scripturæ, quem Christus interpretatus est, fuit Esaias, Luc. 4. Ergo etiam Ego volui Christum imitari hac in parte. Et certè vobis charus esse debet hic propheta, & libenter ac diligenter & attentè audiēdus, non solùm ob rationes, quas diximus, sed ob has etiam, quas modò dicam.

Primùm, libenter audiri solent nobiles, præsertim Reges, aut qui è regio sanguine sunt. Atqui hic Esaias nobilissimus est, vtpotè è sanguine regio natus. Huic enim pater fuit Amoz frater Amasiæ, iuxta quosdā Lutherum & Brentium, aut Azariæ, iuxta Caluinum, Regis Iudææ. Vnde etiam secundū quorundam interpretationem, Esaias vocat Christum patruelem suū, cap. 5. quia Christus descendit ex linea Azariæ, qui patruus erat Esaiæ, quanquam aliter mihi exponendus videtur locus ille Esaiæ. Vtcūque sit, Esaias fuit è regio genere natus. Hanc verò eius nobilitatem non ideo recenseo, quasi velim hanc aliquid adferre seu prodesse ad pietatē, cùm in Christo non sit masculus, neque fœmina, neque barbarus, neque Scyta, neque Iudæus, neque Græcus: & cū Deus eligat ignobilia & contemptibilia Mundi, vt confundat nobilia, 1. Corinth. 1. Sed ideo retuli, vt ostendam, primò carnalibus, & iis qui nobilitatem hominum spectant, non habere cur recusent audire Esaiam, cùm sit nobilissimus. Secundò, vt ostendam verè piis, hoc etiam nomine se magis affici debere ad audiendum Esaiam, quòd eodem ex genere natus sit, vnde & Dominus noster Iesus Christus, id est, quòd Christo non solùm spiritu, sed etiam carne proximè erat coniunctus. Neque enim parui facienda est generis nobilitas, quando accedit ad pietatem & virtutes Christianas. Nam etiam hęc est singulare Dei donum. Quod tamen nobilitatis donum, quemadmodum nonnihil lucis adfert iis, qui sunt pietate & virtutibus præclari & insignes: ita econtra impios ac vitiosos homines sanguinis nobilitas maiori potiùs dedecore afficit, quàm eos cohonestet: quemadmodum etiam qui deformi est facie, magis se turpem & deformem reddit, si in loco conspicuo & illustri, quàm si in abdito & obscuro sedeat. Cùm igitur nobilitas generis in Esaia coniuncta fuerit cum pietate & nobilibus virtutibus: propterea etiam nobilitas eum vobis chariorem & honoratiorem reddere debet.

Libenter etiam audiri & legi solent antiqui autores & scriptores, vtpote quibus antiquitas ipsa magnam fidem conciliat apud posteros. Et certè, quanti debeat æstimari antiquitas, præsertim cum de religione est sermo, vel ex hoc manifestum fieri debet, quòd Deus Deut 13. iubet populo, ne se abduci sinat ad Deos patribus inuisos, vel ad aliam religionem, quam patres non agnouerunt. Ob hanc causam Apostoli omnes, cùm volunt comprobare religionem Christianam, eam ostendunt non discrepare à Mose, nec à patribus, sed potiùs eandem esse, cùm & ipsi saluati sint per eandem fidem in Christum, per quam & nos saluamur. Sic Iudæi, tametsi corruptam habebant religionem tempore Christi: tamen vt comprobarent suam religionem, subinde allegabant Mosen, Abrahamum, & patres. Sic Samaritana illa Ioh. 4. commendat putei aquam ab antiquitate, dicendo, *Ex eo bibit Iacob pater noster, & filij eius.* Laudat etiam suum templum in monte, ab antiquitate, dicendo, *Patres nostri in hoc monte adorarunt.* Sic denique Papicolæ, cùm volunt tueri suas abominationes, nuper ab ipsis inuentas & inuectas in Ecclesiam, contra Apostolorum doctrinam, non tamen pudefiunt (adeo sunt impudentes) neque pudet eos subinde allegare antiquitatem, vt hoc fuco plebi indoctæ imponant, atque vtinam permanerent in antiqua religione Prophetarum & Apostolorum, ad quam nos quid aliud facimus, quàm eos reuocare? Igitur antiquitas plurimi æstimatur ab omnibus, & multam fidem facit. Vnde & dicimus, nihil antiquius, id est, nihil præstantius. Hoc igitur etiam nomine plurimi fieri debet noster Esaias, cùm sit Propheta antiquissimus. Nam hic successit Elisæo, natus ante Christum annos circiter octingentos, quemadmodum Chronographi scripserunt, & subducenti rationem temporum ex scripturis sacris videre licet.

Libenter etiam audire solemus eos, quorum iam fama & laus in ore omnium est. Esaias noster est huiuscemodi. Quis de ipso non honestissimum & optimum testimonium fecat? In veteri Testamento & de ipso testimonium habemus, tum in libro Regum quarto, tum in libro Paralip. Quartus enim liber Regum, cap. 15. narrans historiam Ozeæ Regis, remittit ad librum Paralip. Hic verò 2. Paralip. 26. ait, reliqua sermonum Ozeæ priorum & nouissimorum scripsit Esaias filius Amoz Propheta. De hoc item sermo fit cap. 32. Item liber Iesu filij Sirach in catalogo iustorum, honestissimam etiam nostri Prophetæ mentionem facit, dicendo, Ezechias fecit, quod placuit Deo, & fortiter iuit in via patris sui Dauidis, quam mandauit illi Esaias Propheta magnus & fidelis in conspectu Dei. In diebus illis ostendit futura & abscondita antequam euenirent.

Iam verò in nouo Testamento quis de ipso non honorificam mentionem facit? & subinde hunc citat? Iohannes Baptista testimonio Esaiæ vtitur, dum vult suam vocationem comprobare, & populum ad pœnitentiam hortari, dicendo Ioh. 1. Ego vox clamantis in deserto, sicut dixit Esaias Propheta, parate viam Domini.

Christus vocationem itidem suam comprobat testimonio Esaiæ Luc. 4. Allatus est ei liber Esaiæ Prophetæ, & cum aperuisset librum, inuenit locum, vbi scriptum erat, Spiritus Domini super me, &c. & dixit: Hæc scriptura hodie impleta est in auribus vestris. Quoties verò in suis concionibus ipsum citat, quò suam doctrinam Euangelij comprobet? Angelus nunciaturus Virgini conceptionem filij Dei, conflat orationem suam ex verbis Esaiæ cap. 7. dicendo: *Ecce concipies & paries filium.* Pater ipse de cœlo, quantam laudem præbet Esaiæ, dum ab eo mutuat verba, quibus declaret, Christum esse illum filium suum, in quo placatus est erga genus humanū? dicendo: *Hic est filius meus in quo mihi bene cōplacui.* Hęc enim sunt Esaię c. 42. Act. 8. Philippus inter-

interpretatur Iesaiam Eunucho illi, qui in curru legebat hunc Prophetam, quem tamen non intelligebat, & statim apertis oculis credit in Christum & baptizatur, ac lætus domum redit. Iam verò longum esset referre, quot locis Paulus hunc elegantissimum Prophetam citet, quò comprobet ea, quæ scribebat Ecclesiis Christi: imò omnes ferè epistolæ Pauli, præsertim quæ est ad Rom. vbique ornatæ sunt testimoniis huius Prophetæ, tanquam pretiosissimis gemmis. Itidem facit Petrus: itidem Iohannes in Apocalypsi.

Cùm igitur hic Propheta tanti factus sit ab aliis Prophetis, à Iohanne Baptista, ab Apostolis, ab Angelo, à Christo, à Patre, vt eius testimoniis vti non dedignati sint: quis non videt, quanti sit à nobis faciẽdus? & quàm libenter & diligenter audiendus? Quid quod vel ipsum Esaiæ nomen ad eius studium & lectionem nos vehementer inuitat? Nam *Ieschahia* idẽ est, quod salus Domini. quod quàm bellè huic Prophetæ conueniat, res ipsa declarat. Neque enim aliud in sua Prophetia nobis adfert & annunciat, quam salutem per ipsum Christum, cuius hic noster Propheta Iesaias quemadmodum carnis affinitatem, ita & nominis cognationem sortitus est. Nam à *Iehoschuah* Iesus non multum discrepat, aut dissimile est nomen *Ieschahia*.

Libenter quoque audire solemus eloquentes. Elegãti enim dicẽdi forma & eloquẽtia oblectamur. Atqui Esaia nostro nihil in tota sacra Scriptura inueniri potest elegãtiùs. Nescio qui rhetorici colores, quæ ornamenta, quæ vis, quæ dicendi copia, quid denique, quod ad ornate dicendum attineat in hoc nostro Propheta desiderari possit. Quid igitur est primùm, cur non à me hic sanctissimus Propheta debeat præ aliis ad interpretandum assumi? cum hic & in ordine Prophetarum primus sit, & cæteros omnes facilè antecellat ratione dicendi, doctrina, varia rerum eruditione, minandi vehementia, consolandi gratia, apud omnes autoritate, visionum excellentia, miraculorum operatione, prædicandi constantia, animi fortitudine, Euangelij perspicuitate: & denique cum ad nostra tempora, quibus eadem ferè vitia regnant, quæ tempore etiam Esaiæ regnabãt, magis hic vnus faciat quàm cæteri omnes? Deinde quid est, cur à vobis non debeat libenter audiri? cùm præter ea, quę de ipso iã diximus, quę omnia hortantur vos ad eius lectionem & studium, sit etiam inter genere nobiles nobilissimus, Christo seruatori affinis, inter scriptores nõ postremus: inter celebratos celebratissimus: inter eloquentes eloquentissimus: & denique inter pulcherrimos & boni ominis nominibus ornatos, ornatissimus: Quare videtis, quàm iure optimo hic Propheta & à me præ cæteris Prophetis ad interpretandum sit susceptus: & vobis maxima cum diligentia, studio & attentione sit audiendus.

DE ECCLESIA.

CAPVT I.

In 2. vers. cap. 2. Ies.

Et erit in nouissimis diebus, præparatus erit mons domus Iehouæ, &c.

1. *Quibus nominibus appelletur.*

1. PPELLATVR mons, per metonymiã, pro populo qui in monte habitat, continens pro contento, vel signum pro re signata, quia mons Sion, vbi plantata fuerat Ecclesia Israelitica, typus fuit veræ Ecclesiæ Christi: de quo monte etiam legimus *Hebr.* 12. Accessistis ad montem Sion, & ciuitatem Dei viui, Hierusalem cœlestem, & innumerabilium Angelorum conuentum, &c.

2. Vinea Domini, Ies. 5. ita vt Christus sit vitis, fideles palmites, Pater agricola, vt est Ioh. 15.

3. Regnum Dei, vt sæpe in Euangelio. Matth. 25. *Simile est Regnum cœlorum decem virginibus, &c.*

4. Aliquãdo nomine corporis humani exprimitur, vt sæpè apud Paulũ, præsertim Rom. 12. 1. Cor. 12. Eph. 4. Ita autem appellatur Ecclesia, & quæuis Respubl. propter conuenientiam, quæ est inter corpus humanum, & Ecclesiam atque Rempubl. Nam primo, sicut, si membra corporis inter se dissentiunt, & alterum alteri nolit inseruire, v. g. manus cibum ori porrigere, & os porrectum cibum capere, & dentes captum premere recusent, totum corpus interire necesse est: Ita si in Repubł. ciues à plebe dissentiãt, & plebei contra ciues conspirent, ita vt sibi inuicem inseruire nolit, tota illa Respubl. breui concidat & pereat oportet. Secundò, sicut horrendum esset monstrum, si corpus humanum haberet caput bouinum, aut porcinum, aut asininum. ita intolerabile monstrum est, cum aliqua Respubl. habet magistratum vel principem impium, vel superbum, vt leonem, sæuum ac rabidum, vt Tigridem, luxuriosum, vt porcum, indoctum, vt asinum, helluonem, vt lupum, blatteronem, vt canem, aut aliis vitiis præditum & insignem. Tunc enim perinde est, ac si corpus hominis habeat caput asininum, aut cæterorum animalium brutorum, quale multis sæculis habuit Respubl. Christiana, cum Papam agnouit pro capite Ecclesiæ, & qualia habent multa regna & Respub. Ergo curandum, vt semper Magistratus eręetur pius, & bonis moribus præditus, qui caput Reipubl. Christianæ deceat. Contrà, sicut turpe monstrum est, cum caput est humanum, & quidem pulchrum, mẽbra verò vel omnia, vel aliquot sunt vel asinina, vel porcina, vel aliorum huiuscemodi animalium: Ita turpe est quod caput habeamus Christum pulcherrimum, nos vero simus per vitia, membra vel porcina, vel asinina. Ergo studeamus exhibere nos membra tali capite digna. Hęc docuit Paulus Ephes. 5. cum dixit, Christum caput nostrum, sanguine suo lauisse Ecclesiam, corpus suum, vt esset munda & sine macula, id est digna tali capite. Tertiò, sicut membra auulsa à capite, viuere amplius non possunt: Ita nos abscissi à Christo, vitam habere in nobis ipsis non possumus, aut aliquid boni facere. Ergo curemus, vt per fidem vniti maneamus cum Christo. Quartò, sicut quicquid vitalis spiritus est in membris, fluit à capite, ita quicquid boni in nobis est, fluit à Christo. Hoc docet Paulus Col. 2. cùm inquit: Neque obtinens caput ex quo totum corpus per commissuras & compages suppeditatum & compactum, augescit augmento Dei, id est, incremento fidei, & Spiritus Dei: Quare quicquid boni in nobis, & in Ecclesia est, totum illud capiti Christo acceptum ferendum est. Quinto, sicut in vno corpore, licet multa sint membra, non omnia tamẽ eandem functionem & actionem habent, sed diuersa officia, diuersa membra obeunt, ita in Ecclesia, licet simus multa membrã, non tamen possumus omnes eãdem habere vocationem, sed vnusquisque habet suum donum, secundum gratiam sibi datam. Hoc docet Paulus Rom. 12. cùm inquit: Sicut in vno corpore membra multa habemus, membra verò omnia, eandem non habẽt actionem, sic multi vnum corpus sumus in Christo, singulatim autem alij aliorum membra. Habentes autem diuersa dona pro gratia, quæ nobis data est, &c. Quare (vt ibi docet Apostolus) sicut in corpore, vnum membrum sese non ingerit in alterius membri officium, neque illud appetit, sed suo munere contentum, illud diligenter in bonum totius corporis exequitur: ita nemo nostrûm in alterius vocationem & partes se ingerat, sed sua vocatione contentus, in ea sese quisque contineat, eámque diligenter in totius Ecclesiæ bonum exequatur, exempli gratia, qui Ministrum agit, ministerium suum diligenter obeat, non suo, sed gloriæ capitis Christi. & totius Ecclesiæ bono studens. Sic qui docet, in doctrina, qui exhortatur, in exhortatione, qui præest, in studio, scilicet doceat, exhortetur, præsit diligenter. Sic de reliquis officiis. Sextò, sicut in corpore, licet multa & varia mẽbra, varia etiam munia obeant, vna tamen est anima, & vnus spiritus, qui hæc singula munia in singulis membris absoluit, Ita in Ecclesia, licet diuersa simus membra & diuersa etiam munera obeamus, vnus tamen est Deus, vnus Spiritus sanctus qui hæc omnia in nobis singulis operatur, ad ædificationem totius Ecclesiæ, & à quo omnia in nos dona fluunt. Hoc docet Paulus 1. Cor. 12. cùm ait: Diuisiones autem donorum sunt, sed idem Spiritus: & diuisiones ministeriorum sunt, sed idem est Deus efficiens omnia in omnibus. Vnicuique autem datur manifestatio Spiritus ad id, quod expedit. Nam huic quidem datur per spiritum sermo sapientiæ, &c. sed hæc omnia efficit vnus atque idem spiritus, diuidens peculiariter

mentum Apostolorum & Prophetarum, &c. in quo totum ædificium congruenter coagmentatum, crescit in templum sanctum Domino. Christus ergo lapides hos, fideles ceu parietes retinet, ne labantur, & inde totam structuram. Tectum est etiam Christus, continens defendensque totam Ecclesiam ab omni malo, imbre, sole, &c. id est, sub cuius cura & tutela, secura viuit Ecclesia.

Tertia collatio sumitur à causa formali. Sicut domus ædificatur secundum certam aliquam formam, & quasi typum, ad cuius exemplar fit: Ita Ecclesia habuit suum typum. Hic fuit templum Salomonis, ad cuius exemplar quasi extructa fuit. Videndum ergo, quæ fuerit forma templi Salomonis. Tria habebat hoc templum: Sanctum sanctorum: Sanctum: & Atrium: & tamen vnum templum fuit. Ita Ecclesia tres habet partes, & vna tamen est Ecclesia.

Prima pars sunt sancti in cœlo, Spiritus beati, Ecclesia triumphans, vbi semper apparet Christus propitiatorium nostrum. Ibi omnia aurea & felicia. Hæc respondet sancto sanctorum.

Secunda, est Ecclesia militans, scilicet electi solùm, qui verè sancti sunt, mundati sanguine Christi, non habentes formam pietatis, sed ipsam pietatem. Hæc respondet sancto, vbi sanctificati & consecrati Domino.

Tertia, Ecclesia tota militans, quatenus comprehendit & bonos & malos ac hypocritas. Hæc respondet atrio, vbi populus promiscuè & animalia omnia.

Quarta, à causa finali: domus ædificatur, vt ibi inhabitemus: Sic domus Ecclesia, vt ibi Deus inhabitet. *Inhabitabo vobiscum.* 2.Cor.6. Hæc est potissima causa, cur domus appelletur Ecclesia, vt scilicet significet Deus, se ibi residere sicut in domo sua, se ibi dare responsa, se ibi habere thesauros suos, & extra hanc domum nihil esse bonorum cœlestium. 1.*Cor* 3. An nescitis, quod templum Dei estis, & Spiritus Dei habitat in vobis? Si quis templum Dei violat, hunc perdet Deus. Nam templum Dei sanctum est, quod estis vos. Hæc sunt præcipua nomina, quibus natura Ecclesiæ egregiè exprimitur.

CAPVT II.

QVID SIT ECCLESIA: & in quot partes diuidatur.

Ecclesia est vniuersalis ad vitam æternam electorum ac verè fidelium cœtus, partim in cœlo iam agens, partim adhuc in terra sub Dei Iehouæ nomine militans, in vnitate fidei & spiritus, ad Deum ritè colendum congregatus.

Vniuersalis & catholica vocatur, quòd nō sit affixa vni tantùm tempori aut ætati, neque vni loco, neque vni genti: sed palmites suos in omnia omnium ætatum tempora, & in omnia vniuersi orbis loca, & ad omnes omnium gentium populos extendat ac proferat.

Distinguitur autem sic, primum in triumphantem & militantem. Triumphans est cœtus ille beatorum spirituum in cœlo, qui ceu triumphantes de victo Mundo, de peccato, de Satana, suauissimo Dei conspectu, & æterna pace fruuntur. De hac extat testimonium Apocal.7. vbi graphicè depingitur Ecclesia hæc.

Militans Ecclesia est cœtus hominum ad vitam æternam electorum ac verè fidelium in terris, sub Christi nomine, ad Deum legitimo cultu in verbo eius præscripto, colendum congregatus, eandem fidem in Deum & Christum eius profitens, eandem sacramenta, iuxta Dei institutum, quoad eius fieri potest, participans, contra carnem, peccatum, Satanam Mundum, & mortem, sub Christi vexillo militans. De hac propriè loquuntur Scripturæ, cùm dicunt, Ecclesiam sponsam Christi, corpus Christi, redemtam sanguine Christi, fundatam super petram. Soli enim electi, per fidem Deo vniti, sunt Ecclesia Dei. Habet autem adiunctos sibi hypocritas multos, qui eandem fidem verbis profitentur, & eorundem sacramentorum symbola participant: sed licet sint in Ecclesia, non sunt tamen de Ecclesia. Cæterùm, cùm nobis noti plerumque non sint: neque qui sint vera & viua Ecclesiæ membra, neque qui simulata & mortua, fit, vt totus hic visibilis cœtus ex electis viuis membris Ecclesiæ, & ex reprobis hypocritis collectus, vocabulo latiùs accepto, Ecclesia appelletur, & quidem catholica, cuius etiam partes nomen Ecclesiæ retinent, vt Ecclesia Galatiæ, Corinthi, &c.

Hæc etiam Ecclesia latiùs accepta, quatenus & bonos & malos continet, aliquando sub generali nomine tantum Iehouæ, Dei viuentis, Dei Iacobi, &c. collecta mansit, quemadmodum à condito orbe, vsque ad Christum à mortuis excitatum: aliquando sub publico & aperto Christi nomine congregata extitit, sicut post datum Apostolis Spiritum sanctum fuit, & erit vsque ad consummationem seculi.

Hic verò oritur quæstio non contemnenda, An Ecclesia Dei cœperit fundari firmarique postremo tempore, scilicet post Christum resuscitatum, vt Iesaias docet cap.2.ver.2. fore, vt in postremis diebus Ecclesia Christi constituatur firmiter: an verò semper à condito orbe fuerit.

Resp. Primò, si Ecclesia accipiatur pro illa Ecclesiæ parte, quæ triumphans dicitur, non cœpit post Christum cùm antea à cōdito orbe, plerique hac vita defuncti, deuicto Mundo, peccato, & Satana triumpharint, & optata pace, etsi ad partem, cum Deo potiti fuerint. Omnes enim ferebantur in sinum Abrahæ. Post Christū verò pleniore pace, vnà cum illo ingressi cœlum fruuntur, exspectantes tamen adhuc corporū resurrectionem, vt non sine nobis consummentur.

Secundò, si Ecclesia accipiatur pro vera Ecclesia militante, nempe pro cœtu electorum, in vno veri Dei cultu, hic in terris collecto: neque hæc cœpit post Christū, sed ab initio Mundi fuit. Fuerunt enim semper electi aliquot in Mundo, in vero Dei cultu collecti, & fuerunt vera Dei Ecclesia, contra fanaticum Seruetum, qui patres illos, non viuam Dei Ecclesiam fuisse, sed typum duntaxat veræ futuræ Ecclesiæ post Christum, voluit.

Tertiò, si Ecclesia latiùs accipiatur pro Ecclesia militante, quatenus etiam reprobi multi & hypocritæ ibi connumerantur, licèt non sint verè de Ecclesia, nec Ecclesia, nec partes Ecclesiæ: dico, hanc etiam posse considerari, vel quatenus sub generali Dei Iehouæ nomine collecta fuit, vel quatenus sub aperto Christi nomine congregata. Si quatenus sub generali Dei nomine collecta, hæc certè non cœpit in extremis temporibus, sed ab initio Mundi. Fuit enim semper in Mundo cœtus ex electis & reprobis hominibus mixtus, qui verum Deum, locutum Adæ, Abrahæ, & Mosi, confessi sunt, eiusq. cultum, saltem externum, amplexi sunt: quanquam omnes veri electi, & viua Ecclesiæ membra, sub nomine Dei, ipsum Christum vnicum Deum colerent. Si vero consideretur hic cœtus, sub aperto Christi nomine, publicè collectus, certè Ecclesia, postremis temporibus, scilicet post ascensionem Christi in cœlum, plantata & firmata fuit. Nam ante resurrectionem Christi, Ecclesia sub aperto Christi Dei, & hominis nomine, non erat collecta, sed post missum Apostolis Spiritum sanctum, cœpit publicè plantari hæc Ecclesia, & Ecclesia Christi appellata est: quæ, licet mixtos habeat reprobos & hypocritas multos, existentes quidem in Ecclesia, cùm tamen (vt dixi) sint neque Ecclesia, neque partes Ecclesiæ, quæ, inquam, Christi Ecclesia, propriè est sanctus hominum tam Gentilium, quàm Iudæorum, ad vitam æternam electorum cœtus, sub aperto Christi nomine palàm, in eandem veræ fidei vnitatem ac professionem, & eorundem sacramentorum iuxta institutionem Christi, quoad eius fieri potest, participationem collectus.

Hæc est propriè Christi Ecclesia, de qua loquitur Propheta, postremis temporibus plantata, firmata, exaltata, amplificata, & à Christo Rege per Euangelium & Spiritum sanctum recta, & duplicem pacem cum Deo & proximo adepta, ad quam tamen reuera pertinebant etiam Abel, Enoch, Abrahā, cæterique Patriarchæ & Prophetæ, & electi omnes, qui à condito orbe, vsque ad Christum extiterunt: quandoquidem eadem fide, & eodem Christi Spiritu, & iisdem (si res ipsas, non signa spectemus) sacramentis, nobis essent vniti.

Cæterùm, multæ sunt rationes, propter quas, iure optimo, hæc quæ alioquin ab initio Mundi reuera cœpit, Ecclesia Christi, dicatur post Christum cœpisse, firmata esse, & esse vera Christi Ecclesia, non ante Christum.

Primò, exigua & in paruo numero semper fuit ante Christum, & eadem etiam contemta, vt ferè videretur,

quasi nulla esse. Hinc illæ voces in Prophetis, quòd Ecclesia esset sterilis, quæ non parit, vrbs deserta: & Paulus ad Galatas quòd esset puer infans. Totus enim fere orbis, præter Iudæam, idola colebat, deinde magna pars Iudææ, vmbram potiùs, quàm veritatem sequebatur. Post Christum vero dilatata est in omnes orbis partes. Ideo tunc fuit ceu lapis excisus de monte, nunc facta est mons magnus.

Secundo, illa etiam exigua Ecclesia, non erat sub aperto & publico Christi nomine collecta: sed tantùm sub nomine Iehouæ, Dei Abrahæ, Isaaci, & Iacobi, sed post Christum, sub aperto Christi nomine. Ideo hæc propriè dicitur Christi Ecclesia.

Tertiò illa nondum re ipsa acceperat, quod sperabat & exspectabat, scilicet Christum in carne, Nos recepimus, & impletionem promissionum accipimus. *Heb.11.* Et ij omnes testimonium adepti per fidem, non obtinuerunt promissum. Ideo ob hanc caussam, illa vocatur vmbra potiùs, & typus Ecclesiæ, hæc verò nostra, corpus ipsum, & vera Ecclesia.

Quartò, illa etsi in Spiritu esset verè libera, & Spiritu υἱοθεσίας donata, tamen externe fuit sub dura legis seruitute detenta, iugúmque legis in humeris gestabat, neque tantam etiam interni Spiritus & gratiæ Christi copiam recepit, atque nos post Christum. Hinc illæ voces apud Paulum *Gal.4.* quòd Agar à monte Sina generarit prolem ad seruitutem, sublimis vero illa Hierusalem, libera sit, quæ est mater omnium nostrorum. Et Rom.8. quòd illi acceperint Spiritum seruitutis in timorem, nos Spiritum adoptionis. Loquor autem de toto corpore illius Ecclesiæ in genere, non de singulis personis, cùm Abraham, & alij multi præditi essent maiori fide, quàm multi ex nobis.

Quintò, illa sub puerili disciplina (si externam œconomiam spectemus) gubernabatur, vnde *Gal.4.* ita & nos cùm essemus infantes, sub elementis Mundi eramus in seruitutem redacti. Nunc liberalius hæc à Deo regitur, nec sub tam arcta custodia tenetur. Ob hanc caussam tunc videbatur ceu infans & puella, nunc autem adulta mulier.

Sextò, illa sub obscuris inuolucris omnia fidei mysteria recta tenebat: nos reuelata facie Deum ipsum, omniáque eius mysteria contemplamur. Vnde 2.*Cor.3.* Nos autem reuelata facie, gloriam Domini, vt in speculo intuentes, in eadem imaginem transformamur ex gloria in gloriam, sicut à Domini spiritu, ita vt præ nobis illa Ecclesia Deum ferè ignorasse videatur. Hinc Luc. 10. Beati oculi, qui vident, quæ vos videtis. Dico enim vobis, quòd multi Prophetæ & Reges cupierunt videre, quæ videtis, & non viderunt, & audire quæ auditis, & non audierunt. *Iohan.* Deum nemo vidit vnquam (ante nos scilicet) Filius, qui est in sinu Patris, is reuelauit nobis.

Septimò, illa tanquam priuata Ecclesia fuit, in vno tantùm populo Israelitico conclusa, hæc vero nostra post Christum, catholica est, ex omni Gẽtium & populorum genere constans. Et hanc etiam potissimùm circumstantiam spectauit Iesaias, cùm dixit, Et erit in nouissimis diebus præparatus mons domus Iehouæ, &c. cõfluentq. ad eũ omnes gẽtes. Tunc ergo, cùm post datũ Spiritum sanctum confluere cœperunt gentes, vt in Actis patet, ad Ecclesiam Christi, rectè dicitur, quòd tunc cœperit Ecclesia, quæ scilicet non ex Iudæis solum, sed etiam ex Gentibus constat.

Octauò, illa non fuit fixa & firma in omnibus rebus, sed mutanda erat in multis rebus, in ceremoniis, quæ erant vsque ad tempus correctionis impositæ, Heb.9. Post, Christũ verò fixa & firmata fuit in reb. omnibus, vt non amplius mutanda sit. Non est futurum aliud tempus, in quo Deus Ecclesiam nouam, & nouum in Ecclesia regenda ordinem constituat, noua scilicet sacramenta, nouam doctrinam afferat. Nam (vt est Heb.1.) nouissimè locutus est, quasi dicat, epilogum fecit orationis suę, & finem imposuit per filium. Ob quam rationem visa est Ecclesia illa fuisse instar domus ligneæ, ad cuius exemplar, domus lapidea extrueretur, qua extructa, illa cessaret, hæc verò seruaretur, nostra verò fuisse vera domus Dei, ex lapidibus viuis constructa, vt est 1. Pet. 2.

Ob hęc discrimina inter illam & hanc, licet re ipsa (spectato eodem Deo, eodem fœdere, eodem Mediatore, eadem fide, iisdem sacramentis) esset & fuerit semper vna atque eadem: tamen ob has spectatas differentias, videtur alia fuisse illa ante Christum, atque nostra post Christum, quemadmodum etiam illa cœlestis & triumphans, alia a nostra esse videtur. Ideo sicut iure diceremus, deuictis hostibus omnibus, Ecclesia in cœlo constituetur, firmabitur: Ita etiam Iesaias, respiciens in hanc Ecclesiam nostram, quæ futura esset amplior, firmior, gloriosior & præstantior illa, ait, *In postremis diebus præparatus erit mõs domus Iehouæ, &c.* Apparet igitur quàm bellè vtrumque conueniat, & quod Ecclesia Dei ac Christi semper fuerit ab initio mundi, si spectemus substantiam Ecclesiæ: quòd tamen cœperit in nouissimis temporibus, nempe post Christi ascensionem, si spectemus accidentaria quædam discrimina, inter illam & hanc, ideóque iure & verè dixisse Prophetam Iesaiam, *Et erit in nouissimis diebus, &c.*

Sed hic alia etiam oritur quæstio, quomodo quę hîc vaticinatur Propheta, interpretari quis possit de Ecclesia militante, in qua sunt & boni & mali, cum non impleantur, nisi in electis, pleraque quæ hic dicit, vt quod firmabitur in vertice montium: reprobi autem non sunt firmi super petram: item, quod extolleretur supra omnia regna mundi: item, quod ambulabunt in viis Domini: Impij autem hypocritæ, non vere ambulabunt in viis Domini, sed in via peccatorum: item quod assequetur pacem cum Deo & proximo, hypocritæ autem non habent pacem hanc, &c.

Resp. Ecclesia Christi militans, est (vt supra dixi) cœtus electorum duntaxat in fide vera Christi collectus: & ij sunt vniuersi, ipsa Ecclesia, singuli autem partes ecclesiæ. Patet hoc 1.*Pet.2.* Ad quem accedentes, qui est lapis viuus, &c. ipsi quoque veluti viui lapides ædificemini domus spiritualis, sacerdotium sanctum, &c. Hypocritæ vero, etsi sint in ecclesia, non sunt tamen partes ecclesię, neque verè ad ecclesiam pertinent. ecclesia enim est sponsa Christi, corpus Christi. Vnde Augustin. dicere solet, reprobos in ecclesia multos esse, non tamen de ecclesia, sicut etiam *Ioh.* loquitur, exierunt à nobis, quia erant in nobis, sed non erant ex nobis, sunt igitur in ecclesia, sicut paleæ in frumento, quæ ita sunt in frumento, vt non sint tamen frumentum, nec partes frumenti, sicut comparauit Christus ecclesiam Matt.13. Sũt sicut Zizania inter frumentum, ab hoste superseminata: Zizania autem non sunt frumentum nec partes frumẽti. Videntur quidem reprobi hypocritæ, qui sunt in ecclesia ad tempus esse etiam de ecclesia, quamdiu scilicet ab ea non deficiunt, & cum aliis euangelium profitentur, eadem sacramenta participant, & ita communi nomine ecclesiæ & ipsi nominantur: queadmodum etiam paleæ, quamdiu vnitę manent cum frumento, videntur & ipsæ esse graues, sicut & frumentum, & eodem nomine frumenti appellantur. Dicimus enim frumentum cum paleis mixtum, hoc est frumentum, cæterùm vbi ventilatæ sunt paleæ, & à granis separatę, leues & vacuæ apparent, declarantúrque tunc nunquam fuisse frumentũ, & ita amittũt nomen frumẽti. Ita hypocritæ, cùm ventilantur ventilabro iræ diuinæ, & vel deficiũt ipsi, vel separantur ab ecclesia (vt fiet in die iudicij) patefaciunt, se nunquam fuisse membra ecclesię, cùm proprium membrorum Ecclesiæ sit, semper in ecclesia permanere. Sic docet Iohannes 1.*Iohan 2.* Exierunt à nobis, sed non erant ex nobis. Si enim fuissent ex nobis, mansissent vtique nobiscum. Labuntur quidẽ sancti, sed Christum prorsus non deserunt. Exemplo sit Dauid, Petrus & alij. Hoc est illud, quod antea docuimus, Eos qui vere insiti semel sunt Christo, per spiritum regenerationis, inde amplius excidere non posse, licet aliquando ventis tentationum & peccatorum ita in terram deprimantur, vt videantur ab ea inde auulsi & fracti, in terram cecidisse. Reprobi verò sępè videntur insiti, & tamen non sunt, videntur esse membra Ecclesiæ, & nihil minus sunt. Sic Paulus locutus est *Rom.9.* Non omnes, qui sunt ex Israel, Israelitę sunt. Ita nos, non omnes, qui sunt in Ecclesia ij sunt Ecclesia, aut partes Ecclesiæ. Ergo Iesaias vaticinatus est de vera Christi Ecclesia militante, & ea impleta sunt, & implentur hęc, in qua sunt mixti etiam hypocritę, & tamen hæc prophetia non est impleta, nec impletur, nisi in electis, non autem in reprobis. Ratio, quoniam soli electi, & vera Christi membra, sunt Ecclesia Christi.

CAPVT

CAPVT III.

DE VNITATE ECCLESIAE.

1. Quòd vna tantùm sit, sempérque fuerit Ecclesia.
2. Quibus in rebus vnitas hæc consistat.

SVpra dictum est, quid propriè sit Ecclesia Christi, nempe sanctus & vniuersalis, hominum tam gentilium, quàm Iudæorum, ad vitam æternam electorum cœtus, partim in cœlo iam triumphans, partim adhuc in terris sub Christi nomine militans, in vnitate fidei & Spiritus, ad Deum ritè, id est, secundùm Euangelium Christi, colendum congregatus.

Hic autem cœtus electorum ac fidelium, non nunc, sed à principio Mundi cœpit congregari, atque indies magis ac magis congregatur, quamuis tempore nouissimo, scilicet post Christi in cœlos ascensionem, magis, in vnitate eiusdem fidei & spiritus. Omnes ergo electi & fideles, qui vnquam fuerunt à condito orbe, & ad finem vsque mundi futuri sunt, siue sint in cœlis, siue in terris: siue fuerint ante Christum, siue post Christum: siue sint in Oriente, siue in Occidente, Septentrione, aut Austro, vnam & eandem constituunt Ecclesiam. Quare non est cogitandum, quod alia fuerit Ecclesia Patrum, ante Christum natum: & alia post Christum natum. Vna atque eadem semper fuit, est & erit: & hæc est illa sanctorum communio, de qua in symbolo.

De hac vnitate Ecclesiæ obseruanda sunt hæc testimonia è Scripturis & Patribus.

Gen. 3. Non solum Adæ & Euæ, sed vniuersæ Christi Ecclesiæ, facta fuit promissio, *Semen mulieris conteret caput serpentis, & tu insidiaberis calcaneo eius*, scilicet Ecclesiæ. Est autem *vnus calcaneus*, non plures, cui insidiatur Satan. Vna ergo est Ecclesia.

In Psalmis subinde Dauid vnam vocat Ecclesiam: Laudabo te in Ecclesia sanctorum. Multi quidem sancti: sed vna tantùm Ecclesia. Cant. 4. *Vna est colũba mea, & perfecta mea.*

Matt. 16. Super hanc petram, ædificabo Ecclesiā meā (non Ecclesias) Eph. 5. Sicut & Christus dilexit Ecclesia (in singulari) suam & dedit semetipsum pro ea, vt eam sibi mundaret. Item appellat corpus Christi Ecclesiam, vnum corpus, non multa. Multa quidem membra, sed corpus vnum. Rom. 12. 1. Cor 12. Eph. 4. Col. 1.

Hinc illa nomina, quæ vnitatem Ecclesiæ significant. Appellatur *Ouile vnum*, Ioh. 10.

Vinea vna Domini, Matth. 20.

Mater nostra vna non matres Gal. 4.

Sponsa Christi, non sponsæ, in Canticis.

Virgo vna, Despondi vos vni viro, virginem castam exhibere. 2. Cor. 11.

Domus vna, non plures. Multi quidem lapides, sed domus vna, 1. *Petr.* 2. Ad quem accessistis qui est lapis viuus, &c. Ipsi quoque veluti lapides viui ædificemini domus spiritualis, &c. 1. *Cor.* 3. Dei ædificatio, Dei structura estis.

Ex patribus. Cyprianus de simplicitate prælatorum: Nemo fraternitatem mendacio fallat: nemo fidei Charitatem perfida præuaricatione corrumpat. Episcopatus vnus est, cuius à singulis in solidum pars tenetur: Ecclesia vna, quæ in multitudinem latiùs, incremento fœcunditatis extenditur: quomodo solis multi radij, sed lumen vnum: & rami arboris multi, sed robur vnum tenaci radice fundatum.

Hieronymus Tom. 2. Epist. ad Euagrium: Nec altera Romanæ vrbis Ecclesia, altera totius orbis existimanda est: & Galliæ, & Britanniæ, & Africa, & Persis, & Oriens, & India, & omnes barbaræ nationes, vnum Christum adorant: vnam obseruant regulam veritatis. Si autoritas quæritur: orbis maior est vrbe: vbicunque fuerit Episcopus, siue Romæ, siue Eugubij, siue Constantinopoli, siue Rhegij, siue Alexandriæ, siue Tanis, eiusdem meriti, eiusdem est & sacerdotij. Potentia diuitiarum, & paupertatis humilitas, vel sublimiorem, vel inferiorem Episcopum non facit. Cæterum omnes Apostolorum sunt successores.

In hac autoritate Hieronymi tria patent. Primùm, quòd Ecclesia Christi vna sit, etsi diuersi populorum cœtus, diuersæ Ecclesiæ appellari soleant. Secundò, vbi consistat hæc vnitas, nempe in hoc: Primò, quòd omnes vnum eundémque Christum adorant. Secundò, quod omnes vnam eandémque obseruant regulam veritatis, id est, verbum Dei, Euangelium Christi, nempe in adorando Christo, & præstando ei cultum, nullam aliam doctrinam, aut rationem sequuntur, quàm eam, quam verbum Dei præscribit. Tertium, quod ob hanc causam Episcopi omnes, etsi alter altero sit vel ditior, vel tenuior, autoritate tamen sacerdotij, & dignitate pares sint. Hoc vltimum confirmat Cyprianus, dicendo: Hoc erant vtique cæteri Apostoli, quod fuit Petrus, pari consortio prædidti honoris, & potestatis.

Est ergo vna sola Christi Ecclesia, quæ ob id etiā dicitur Catholica, quòd sit per vniuersum orbem diffusa, sicut sol suis radiis, in vnico orbe diffunditur. Particulares Ecclesiæ, non sunt impedimēto, quin vna sit Ecclesia Christi Sunt enim illæ sicut oppida multa in vno regno. Multa autem oppida non scindunt vnitatem regni. Sunt sicut variæ domus, in vrbe vna. Multæ domus autem, non scindunt vnitatem vrbis, sed potius constituūt vnam vrbem. Sunt sicut multa membra: multa autem membra non scindunt vnitatem corporis, sed potius vnum corpus constituunt. Ita, &c.

Est ergo vna tantùm Ecclesia, cui præest vnus Monarcha Christus.

Iure igitur Esaias vocat eam montem (vnum) non montes, quia vna est, & hæc est communio sanctorum.

At vbi consistit hæc Ecclesiæ vnitas?

Resp. Non in hoc consistit, quod omnes fideles corporaliter sint vna in vrbe vniti aut quod pareant vni eidémque terreno Episcopo, aut principi, vel tyranno: aut quod sequuntur eandem ab hominibus inuentam religionem, sed vbi? è ph. 4. Apostolus docet, vbi hæc vnitas Ecclesiæ consistat, & sanctorum communio, cùm ait, Vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma, vnus Deus, & pater omnium, qui est super omnia & per omnia, & in omnibus vobis. Item Christus Matth. 18. Vbi fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, ibi in medio eorum sum.

Consistit igitur in his.

1. Quòd hæc Ecclesia id est, fidelium omniū cœtus, vnum atque eundem Deum, Patrem scilicet Christi, vt suum Deum verè agnoscit, eum solū inuocat, ab eo solo salutem expectat. Ideo Eph. 4. Paulus ait, vnus est Deus, qui scindi in varias partes minime potest. Ecclesia autem, vnum hunc solum Deum agnoscit & adorat, & inuocat. Ergo in hoc primo consistit Ecclesiæ vnitas: quia scilicet omnes fideles vni vero Deo, Patri Iesu Christi, ceu infinitæ lineæ, eidem puncto vniuntur Spiritu per fidem. Exemplum linearum multarum à circumferentia eidem puncto circuli vnitarum.

2. In hoc, quòd vnum solum Mediatorem Christum hostiam pro peccatis omnibus perfectissimam, vnicum aduocatum, & intercessorem agnoscit, per quem solum omnia à Deo in nos bona conferuntur. 1 Tim. 2 Sicut enim vnus est Deus: ita vnus est Mediator Dei & hominum, homo Christus. Hunc autem solum, vt seruatorē agnoscit Ecclesia: in hoc vno, omnes salutis partes esse cernit, nil extra ipsum esse quærendum, sicut Paulus tota Epist. præsertim 1. cap. ad Coloss. docet: Et ipse est caput corporis Ecclesiæ, ipse principium, primogenitus ex mortuis, vt sit in omnibus ipse primas tenens. Col. 2. Nō tenens caput, ex quo totum corpus compactum. Eph. 4. Vnus Dominus scilicet Iesus Christus. Quantum igitur ad Christū, vna est Ecclesia, quia vnita capiti vni Christo: sicut multa membra, vnum sunt corpus, quia vnita vni capiti.

3. In hoc, quòd vnū atque eundem Spiritum sanctū habet, à quo regeneratur, & ad actiones suas regitur. Rom. 8. Omnes filij Dei, aguntur à Spiritu Dei. Ideò 1. Cor. 12. Diuisiones gratiarum sunt, idem autem Spiritus. Ezech. 36. Ponam spiritū meū in cordibus eorū, &c. Ro. 8. Qui non habet Spiritū Christi, hic non est eius. Sicut igitur idem Spiritus humanus multa diuersáque membra in corpore vnit viuificátque, ita vt omnia sint vnum corpus: Ita vnus atque idem Spiritus Christi omnes electos, tam eos, qui sunt in terris, quàm qui in cœlis: & tam eos, qui sunt in Oriente, quàm in Occidente, vnit. Hoc pacto Ecclesia vna est in Spiritu. Eph. 2. Habemus vtrique aditum per illum, in vno Spiritu, ad Patrem. Quantum igitur ad Spiritum sanctum Ecclesia vna est, per eundem Spiritum vnita Christo: sicut per eandem animam, multa membra vnita sunt.

4. In hoc, quòd vna atque eadem est fides in Christum totius Ecclesiæ. 2. *Cor.* 4 Habentes autem eundem Spiritum fidei: sicut scriptum est, crediderunt, propter quod locuti sunt: & nos credimus, propter quod & loquimur. Eadem erat fides Pauli quæ & Corinthiorum: eadem Patrum, quæ & nostra, de qua *Eph.* 4. Vnus Dominus, vna fides, &c. Quænam? quæ vnum solum amplectitur Christum, vt vnicum intercessorem, aduocatum, &c.

5 In hoc, quòd vna eadémque sit omnibus spes, vna eadémque omnibus proposita hæreditas cœlestis. Ideo *Eph.* 4. Vna spes vocationis vestræ, & in hac spe tota Ecclesia Christi ambulat. *Col.* 1. Qui idoneos nos fecit ad participationem sortis sanctorum in luce. 1. *Cor.* 1. Fidelis Deus, per quem vocati estis in consortium filij ipsius, Domini nostri Iesu Christi. 1. *Tim.* 6. Apprehende vitam æternam ad quam vocatus es.

6. In hoc, quòd eodem charitatis vinculo sit colligata, qua se inuicem omnia vera Ecclesiæ membra complectuntur. Ioh. 17. Præceptum nouum do vobis, vt diligatis vos inuicem. In hoc cognoscent homines, quòd discipuli mei sitis, si dilectionem habueritis. Ibid. Volo vt sint vnum, sicut & nos.

7. In hoc, quòd idem habet Euangelium, idem Dei verbum, quo nititur, quod sequitur. Neque enim aliud Euangelium habuerunt patres, aut habituri sunt posteri quàm hoc, quod & nos habemus. De patribus, *Rom.* 1. Quod antè promiserat in Scripturis per Prophetas. De posteris, *Hebr.* 1. Vltimis diebus hisce locutus est nobis per Filium. Non ergo aliud habebant posteri, *Gal.* 1. Si quis prædicauerit aliud Euangelium, &c.

8. In hoc, quod eadem habuit & habet sacramenta, quantum ad substātiam cum patribus. 1. Cor. 10. Omnes sub nube fuerunt. Posteri verò eadem etiam signa Ideo Paulus Eph. 4. Posteaquam dixerat vnam esse omnium fidem, ait vna etiam atque eadem esse sacramenta, dicendo, *Vnum baptisma*. In iis potissimùm rebus consistit vnitas Ecclesiæ, & huius Montis, de quo Iesaias loquitur. Quare spiritualis est, nō aūt corporalis & externa. Quod docet Christus *Ioh.* 10. Alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili, eas oportet me etiam adducere, vt fiat vnū ouile. Non autem adduxit corporaliter in aliquem locum, Romam videlicet, sed adduxit morte sua ad Patrem, & vniuit omnes eodem spiritu. *Ioh.* 11. Vt filios Dei, qui erant dispersi congregaret in vnum.

Illa igitur est Ecclesia Catholica, de qua Ies. quæ est vna hoc pacto, vt declaraui. Quanquam non inficior, quin etiam fideles omnes quærant vniri esse in eodem loco, si fieri possit, vt vnà audiant verbum, vnà precentur Deum, vnà participent sacramenta. Sic enim Ies. 60. de columbis, quas ad columbarium suum volaturas dicit, id est ad Ecclesiam. *Psalm.* 27. Vnam petij à Domino, hanc requiram, vt inhabitem in domo Domini.

Hinc perspicuum fit, an Ecclesia pontificia pertineat ad hanc vnam Ecclesiam catholicam.

Ecclesia Christi catholica illa est, quæ vnum tantùm colit Deum. Pontificia colit multos Deos. Nam adorant mortuos, item idola. Multos igitur constituunt re ipsa Deos, licet verbis negent.

Ecclesia Catholica, vnum tantùm agnoscit Christum, Mediatorem, Seruatorem, intercessorem, aduocatum, nō Angelos, neque homines, sicut Paulus docet in Epist. ad Col. c. 1. & 2. Pontificia multos re ipsa constituit Christos, quoniam salutem, & remissionem peccatorum petunt à sanctis, eos inuocant, eos aduocatos & intercessores constituunt pro nobis apud Deum. Contra quod apertè ait Apostolus Col. 2. Ne quis vobis palmam eripiat, volens in humilitate & cultu Angelorum (id facere) in ea quæ non vidit se ingerens, frustra inflatus à mēte carnis suæ, non tenens caput.

Ecclesia Catholica vnum atque idem habet verbum & sacramenta. Papistica aliud constituit Euangelium, alias addidit doctrinas, alia sacramenta ab iis, quæ prædicauit & habuit Ecclesia Apostolica. Non est igitur illa Ecclesia Catholica, neque ad hanc pertinet.

Hæc eadem Ecclesiæ vnitas, & sanctorum cōmunio, obseruanda est etiam in dictione Domus Domini, seu templi Domini. Ex multis rebus constat domus, ex fundamēto, ex parietibus, multis lapidibus, tecto, vna tamen est domus. Ita Ecclesia Dei constat ex fundamento: hoc est Christus 1. Cor. 3. Ex parietibus multis, ex lapidibus cōfectis: ij sunt electi ac regeniti omnes, ædificati super Christum, fundamentum Apostolorum & Prophetarū, 1. Pet. 2. Est ergo vna, cæmento Spiritus sancti ex multis lapidibus super vnicum fundamentum Christum ædificata.

At dicet aliquis, Quæ est hæc Ecclesiæ vnitas, cū tot ceremoniarum diuersitates fuerint in Ecclesia: & nunc etiam tot fere sint diuersitates ceremoniarum in Ecclesiis, quot sunt particulares Ecclesiæ? Aliis enim ceremoniis vtitur Tigurina: aliis Geneuensis, &c.

Resp. Hæc externarum ceremoniarum, quæ non sunt præscriptæ in verbo Dei, diuersitas, non impedit veram & essentialem vnitatem Ecclesiæ. Ratio, quoniam Deus has sinit liberas in Ecclesia, vt vnaquæque Ecclesia iis vtatur ceremoniis, quæ magis sibi videbuntur facere ad ædificationem, & decorum, & ordinem: nempe, quantum ad tempus, locum, numerum, modum externum conueniendi, legendi scripturas, psallendi, orandi, sacramenta administrandi.

Exemplum de sacramento Eucharistiæ. Circa sacramentum hoc primò, non fuerunt semper eadem & vbique tempora obseruata. Nam Augustini tempore, celebrabatur alicubi quotidie, alibi ter in septimana, alibi bis, nempe die sabbathi, & Dominico: alicubi tantùm die Dominico.

Secundò quantum ad locum non semper idem & vbique locus. Nam Apostolis & postea diu Martyribus, etiam priuatæ ædes erant locus Cœnæ. Posteà verò id fuit vetitum, vt non nisi in publico templo celebrari possit, quod locus esset aptior huic sacramento, quod est sacramentum vnionis.

Tertiò, aliquando tempore Augustini, Eucharistia dabatur manè & etiam vesperi, bis scilicet in die: aliquando semel tantùm. Legatur de his rebus August. Tom. 2. epist. 118. ad Ianuarium.

Quartò, forma agendi diuersissima fuit. Nam Christus egit sine oratione Dominica: Apostoli adiecerunt eam. Postea verò adiectæ fuerunt multæ & variæ preces ab Ecclesia. Legatur Gregor. Papa. Epist. lib. 7. epist. 63. Item Bucer. contra Latomum. 133.

Idem dico de aliis ceremoniis multis circa Baptismū, circa preces, circa electionem Ministrorum. Primò, non conueniunt in iis rebus eadem quibuslibet. Secundò, varij Ecclesiarum institutores, varios ritus instituerunt. Tertiò, Deus in his rebus, aliqua varietate delectatur, in hunc finem, ne ceremoniæ, si sint eædem vbique, superstitiosè credantur necessariæ: sicut fit in papatu, vbi cùm omnium hominum dissecta sint corda & studia: prorsus tamen iidem sunt ritus sacri in Italia, Hispania, Gallia, &c. Tempore Apostolorum, & non ita multo post, cùm omnium esset vnum cor, & anima vna: multa erat per Ecclesias in externis ritibus diuersitas.

Stat ergo vera vnitas Ecclesiarum cum varietate ceremoniarū. Legatur hac de re August. Tom. 2. epist. 86. ad Casulanum, Col. 388. B. Sit ergo vna fides vniuersæ, quæ vbique dilatatur, Ecclesiæ, tāquam intus in membris, etiamsi ipsa fidei vnitas, quibusdam diuersis obseruationibus celebratur, quibus nullo modo quod in fide verum est, impeditur. *Psal.* 45. Omnis enim pulchritudo filiæ Regis intrinsecus: illæ autem obseruationes, quæ variæ celebrantur, in eius veste intelliguntur. Vnde ibi dicitur, *In fimbriis aureis circumamicta varietate* Sed ea quoque vestis ita diuersis celebrationibus varietur, vt non aduersis contentionibus dissipetur. Non ergo varietas ceremoniarum, quæ à verbo Dei præscriptæ non sunt, scindit vnitatem Ecclesiarum: quandoquidem in Essentialibus vnitæ sunt: in administratione sacramentorum, in verbo, in disciplina Christiana. In summa:

Hęc vnio Ecclesiæ in hoc consistit, Primò, quòd Christus caput, sese vnit Ecclesiæ, id est, singulis nobis electis suo Spiritu. Deinde nos, illi animo seu spiritu, per fidem connectimur, ita vt facti vnum corpus cum Christo, ille viuat in nobis, nos in ipso. Iohan. 14. Promittens Spiritum sanctum fidelibus omnibus, qui semper cum ipsis maneat, ait: In illo die cognoscetis, quòd ego sum in Patre, vos in Me, & Ego in vobis (scilicet per Spiritum sanctum.) Sic enim declarat Iohannes, 1. *Iohan.* 3. Per hoc scimus, quòd manet in nobis, per spiritum, quē dedit nobis. 1. *Iohan.* 4. Ex hoc cognoscimus, quòd in eo manemus, & ipse in nobis, quoniam de Spiritu suo dedit nobis. *Rom.* 8. Si quis Spiritum Christi non habet, hic non est eius. Quicunque Spiritu Dei ducuntur: ij sunt filij Dei. Rom. 8 En, quomodo Christus sese vniat nobis, nempe per suum spiritum: Nos verò ei per fidem.

Iohan. 6. Qui edit meam carnem & bibit meum sanguinem, in me manet, & Ego in illo. Edit autem, qui vera fide credit. *Gal.* 2. Viuo autem iam non Ego, viuit vero in me Christus. Vitam autem, quam nunc viuo in carne, in fide, *id est, per fidem* viuo filij Dei, qui dilexit me, &c *Eph.* 3. Christum habitare per fidem in cordibus nostris. Spiritu ergo & fide coniungimur Christo, vt corpus capiti, & ita viua membra sumus cum Christo. Qui verò neque Spiritum Christi, neque viuam fidem in Christum habent, vera membra non sunt Christi. *Ioh.* 15. Si quis in me non manserit, eiectus est foràs, sicut palmes, &c. *Rom.* 8. Qui non habet spiritum Christi, hic non est eius.

Hoc est primum vinculum, quo coniungitur Ecclesia, & sit vna: nempe spiritus Christi, & fides in Christum.

Secundum est, charitas, quâ membra omnia inter se vniuntur, vel potius iam per fidem & spiritum Christi, inter sese vnita, conseruantur.

CAPVT IV.

DE FIRMITATE *Ecclesiæ.*

FIRMITAS Ecclesiæ tanta est, vt neque contra eam Satan præualere, neque dirui, aut perire vlla ratione possit. De hac sunt ij loci scripturæ. Exod. 15. De monte Zion, typo Ecclesiæ Christi loquens Moses ait: Introduces eos, & plantabis eas in monte hæreditatis tuæ, firmissimo habitaculo tuo, quod tu parasti Domine: sanctuario tuo, Domine quod firmauerunt manus tuę. Dominus regnabit (*scilicet in eo*) in æternum & vltrà. *Mat.* 7. Omnis qui audit sermones meos, & facit eos, assimilabo eum viro sapienti, qui ædificauit domum suam in petram: & descendit imber venerunt flumina, flauerunt venti, & irruerunt in domum illam nec concidit, quoniam fundata fuerat super petram. Talis autem est Ecclesia Christi, cùm ipsa audit sermones eius, & facit eos. Non ergo imber de cœlo, id est ira Dei de cœlo, neque flumina è terra, omnes principes & potentiæ Mundi, atque hominum tyrannorum & impiorum: neque venti ex aere, id est, omnis potestas Satanæ & tenebrarũ harũ, poterunt Ecclesiam Christi à fundamento conuellere. *Matt.* 16. Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferorum non præualebunt ei. *Rom* 8. Certus sum, quod neque mors, neque vita, &c. poterit nos separare. Multo minus ergo totam Christi Ecclesia. 1. *Tim.* 3. Ipsa enim est columna & firmamentum veritatis. Non potest igitur à veritate penitus excidere, ideóque neque tuete. Item, *firmum stat fundamentum, &c.* Psalm. 2. Insurgunt quidem Reges & principes aduersus Dominũ, ideóque aduersus Ecclesiam. Sed quid Dominus? Ego autem firmaui cum Regem super Zion montem sanctum meum: & ille sceptro ferreo confringet potentias Regum, vt vasa testacea. Ita hic Iesaias: fixus erit & firmus mons. Est ergo firma Ecclesia, neque perire potest.

Vbi autem consistit hæc Ecclesiæ firmitudo? seu, vbi est firma? & vbi est fixa?

Resp. Primò firma est & fixa in prædestinatione Dei Ecclesia enim est cœtus hominum, ad vitam æternã, ante mundi constitutionem à Deo in Christo electorum. Quæ autem prædestinata sunt, firma & fixa sunt, vt mutari non possint. Ratio: quoniam decretum & voluntas Dei firma est. Ergo firma est Ecclesia in Dei prædestinatione, & perire non potest. Ideo Paulus, vbi commemorauit Hymenæum & Philetum, quòd à veritate exciderint, & perierint, eò quòd non essent vera Ecclesiæ membra, statim de Ecclesia subdit, *Firmum autem fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc, Nouit Dominus, &c.*

Secundò, fixa est in dilectione Patris, *Rom.* 8. Quis poterit nos separare à dilectione Dei? &c.

Tertiò, firma & fixa est in Christo, cùm sit illi indiuisibiliter insita: cum illo, vt cum capite coniuncta; super illum, sicut super fundamentum, ædificata, & in eius manu collocata. *Matth.* 7. Fundata enim erat super firmam petram, id est, Christum, de qua *Matth.* 16. Super hãc petrã ędificabo Ecclesiã meã. *Ioh.* 10. Nemo potest rapere eas de manu mea. *Col.* 2. Sitis radicati & ędificati in ipso *scilicet Christo.* Quemadmodum igitur accepistis Christum Iesum Dominum, in ipso ambulate: Ἐρριζωμένοι καὶ ἐποικοδομούμενοι ἐν αὐτῷ καὶ βεβαιούμενοι ἐν τῇ πίστει. Talis autem est Ecclesia in Christo. Non enim potest Ecclesia Christo incorporata ab illo separari *Col.* 2. Ex quo scilicet capite Christo totum corpus per nexus & commissuras subministratum & compactum, augescit augmento Dei.

Quartò firmata & fixa est in Spiritu sancto. Vti enim semel facta est habitaculum Spiritus sancti, ab ipso regenita, ita semper fixa & firma manet: cùm in hũc etiam finem illi detur Spiritus sanctus, vt in ea semper maneat. *Ioh.* 16. Mittam vobis Spiritum sanctum, vt maneat vobiscum in æternum. Ideo Ecclesia & vniuersa vera Ecclesiæ membra, semper spiritum Dei habent, ab illo teguntur & aguntur, alioqui nõ essent membra Christi. Vnde *Rom.* 8. Qui non habet spiritum Christi, non est eius. Est igitur firma & fixa in spiritu sancto Christi. Ratio, quoniam cum sit Ecclesia corpus Christi, Christus eius caput, semper in eam infundit suum spiritum, sicut caput in vniuersum corpus, & singula membra infundit vim vitalẽ, vt ad *Eph.* 4 Crescamus super illum per omnia, qui est caput Christus, ex quo totum corpus, &c.

Quinto firma est in fide, & fidei confessione. *Luc.* 22. Rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua. Et tu aliquando conuersus, confirma fratres. Est enim firma in certitudine salutis: quandoquidem iam, persoluto per sanguinem Christi ære alieno quod nos cõtraxeramus, deletum est omnino chirographum, quod erat contrarium nobis, de quo *Col.* 2. Et vos cum mortui essetis in delictis & præputio carnis vestræ simul viuificauit cum ipso, condonando vobis omnia peccata: & deleto, quod aduersus nos erat chirographo in decretis, quod erat contrarium nobis, & illud sustulit è medio, affixũ cruci, expolians principatus & potestates, traduxit palàm, triumphans de illis super illa, &c.

Sexto firmata est in hæreditate: quoniam firmum est testamentum, sanguine Christi Heb. 6.

Septimo firma est verbo Euangelij. Est enim semper apud eam verbum idem Dei, immutabile atque æternum. Ideo 1. *Tim.* 3. Quæ est columna & firmamentum veritatis. Neque amplius mutabitur verbum Euangelij, neque lex, quam nunc habet Ecclesia. *Heb.* 1. Est enim nouissimè locutus, &c. In hac parte non fuit ita omninò firma Ecclesia Israelitica: quoniam etsi firma fuit in Euangelio & lege morali: non fuit tamen firma in legibus de ceremoniis & iudiciis, cùm abrogandæ essent in aduentu Christi in carnem, propter eius infirmitudinem, vt dicitur *Heb.* 7. Translato autem sacerdotio, necesse est, vt legis quoque mutatio fiat. *Gal.* 3. Quorsum ergo lex? Propter transgressiones addita fuit, donec veniret semen, cui facta est promissio, &c. At post Christum, firmatum fuit omninò in Ecclesia verbum & Ecclesia in verbo. Ideo *Gal* 1. Si quis vobis Euangelizauerit præter id, quod accepistis, anathema sit. Deinde, vsque ad Christum omnia ferè fuerunt illis suspensa, cùm adhuc non venisset Christus, postea firmata omnia.

Octauo, firma est in sacramentis. Neque enim posthac alia instituet Deus sacramenta in Ecclesia, sed hæc duo manebunt, donec veniat Dominus ad iudicium. 1. *Cor.* 11. Quotiescunque manducaueritis panem hunc, &c. mortem Domini annunciabitis, donec veniat. Erunt ergo perpetua in Ecclesia: ideóque etiam in iis firma est Ecclesia.

In hac etiam parte non fuit firma Ecclesia Israelitica; Nam licet quoad substantiam sacramentorum, firma fuerit, quia semper eadem & ipsorum & nostra: tamen quoad symbola ipsa non fuit firma: quandoquidem abrogañda erant illa symbola, & noua in eorum locum substituenda. Heb. 9. Fuerant enim omnia *vsque ad tempus correctionis imposita*, & omnia vmbræ veritatis. Corpus autem in Christo est. In hoc respectans Iesaias, dicit, montem, id est, Ecclesiam illam, non fuisse firmatam, aut fixam & stabilitam: sed in extremitate dierum fixum & firmatum iri. Nunc enim firmatum est Testamentum sanguine Christi: firmatum verum Euangelij: firmata sacramenta: firmata forma & ratio gubernandæ Ecclesiæ, firmata denique omnia. Iure ergo ait, Mons firmus erit.

Nonò, est etiam firma in mundo, quatenus hic pusillus grex, etsi pusillus & debilis grex sit, contráque eum insurgant lupi, tyranni, vt eum perdant: tamen extingui ab illis omninò non potest. Semper enim in mundo

manebit aliquis cœtus fidelium: semper manebit hic pusillus grex, vel inter medios lupos. *Matt.28.* Ero vobiscum vsque ad consummationem seculi. *Item* portæ inferorum non prævalebunt ei *Matth.16* Manebit frumentum in agro Dominico, vsque ad messem, velint, nolint inimici Christi. Etiamsi Imperatores & Reges ac Reginæ omnes fœdus ineant cum Antichristo, aduersus hanc Christi Ecclesiam, vt eam penitus & funditùs subuertant: non poterunt tamen. Quare? quia fixa est & firma in Christo.

Notandum autem, ex iis quæ diximus, totam hanc Ecclesiæ fortitudinem & firmitatem, spiritualem esse, non carnalem. Si enim spectemus externã Ecclesiæ faciem, omnium debilissima, & infirmissima est: sed Spiritu fortis & firma est. Ideo Paulus dicit 2.*Cor.*10. In carne ambulantes, non secundùm carnem militamus: siquidẽ arma militiæ nostrę non sunt carnalia, sed potentia Dei, ad destructionem munitionum, quibus consilia demolimur, &c. 2.*Cor.*4. Habemus autem thesaurum hunc in vasis testaceis, vt sit excellentia potentiæ Dei, & non ex nobis: dum in omnibus premimur, at non anxij reddimur: laboramus inopia, at non destituimur, &c. En quomodo Ecclesia in carne infima, in spiritu vero fortis & firma sit. Fixa ergo & firma est Ecclesia in cacumine montium, in cœlo, in spiritu, ita vt nullus mõs, id est, regnum contra eam prævalere, aut eam superare queat. Satan insidiatur calcaneo eius: at ipsa virtute Christi conterit caput eius, tantum abest, vt ab eo vinci ac superari possit.

CAPVT V.

DE GLORIA, EXALTATIONE, & dignitate Ecclesiæ. in verſ.2. *Et eleuabitur supra omnes colles.*

DAN. 2. Lapis excisus de monte fregit statuam, & ipse creuit in montem magnum. Hoc est enim Regnum Christi, vt declarat Daniel, quod omnia alia regna mundi destruat, & ipsum crescat in regnum excelsum. Regnum autem Christi, est Ecclesia.

Hag.2. Maior erit gloria domus illius nouissimæ, quàm primæ. Nulla enim maior gloria, atque est gloria & dignitas Ecclesiæ Christi.

Psal.86. Gloriosa dicta sunt de te, Ciuitas Dei.

Vbi vero consistit hæc Ecclesiæ Christi exaltatio, ac gloria, seu dignitas? Paulus ad *Rom.c.8.* Gradus huius exaltationis statuit, Primus, est electio. Secundus, vocatio. Tertius, iustificatio. Quartus, glorificatio. In iis ergo potissimum consistit.

I. In hoc, quod cũ omnes essemus ex eadem terra ac massa, perditi in Adamo, obnoxij morti: tamen ex hac massa, elegerit sibi nos atque exaltarit in hunc excelsum dignitatis gradum, nempe, vt essemus sponsa Christi, filij Dei, hæredes æternæ vitæ, & totius mundi: item, vt essemus sancti, immaculati, vt fieremus vna caro cum Christo, & corpus eius, vt cum illo in æternum regnemus in cœlis & omnes creaturæ nobis inseruirent, omniáque beneficia, quæ per Christum nobis parta sunt, assequeremur, idque gratis, pro sua misericordia & beneplacito. Quænam maior hac exaltatione Ecclesiæ reperiri potest?

Hæc exaltatio figurata fuit in exaltatione, qua Deus exaltauit Iacobum supra fratrem Esaum, de qua Rom.9. Et de hac agitur *Eph.1.* Sicut elegit nos in ipso, ante mundi constitutionem vt essemus sancti. *Rom.9.* Duæ gentes in vtero tuo, &c. & maior seruiet minori, Iacob dilexi: Esau odio habui.

II. In hoc, quod è tot populis ac gentibus, iisque idololatricis suapte natura, populum quendam, iam ab æterno electum euocauit atque quotidie euocat, vocatione efficaci ad Christũ, ad verum Dei cultum, in vnum corpus Christi, quæ & ideo Ecclesia appellatur, ab ἐκκαλῶ, eò quòd sit ex tot populis selecta, & à cultu idolorũ euocata, ad verum veri Dei cultum. Ideo *Rom.8.* Quos prædestinauit hos & vocauit, scilicet vocatione efficaci & sancta. De hac Ecclesiæ gloria & exaltatione, 1.*Cor.*1. Videte vocationẽ vestrã: quia nõ multi nobiles, nõ multi potentes, &c. sed quæ stulta sunt mundi, elegit Deus, vt confundat sapiẽtes, &c. *Col.1.* Qui idoneos nos fecit, ad participationem sortis sanctorum in lumine: qui eripuit nos à potestate tenebrarum, & transtulit in regnum filij dilecti sui. 2.*Tim* 1. Ne igitur pudeat testimonij Domini nostri, &c. Qui seruauit nos, & vocauit vocatione sancta, non secundũ opera nostra, sed secundũ propositum suum, & gratiam, quæ data quidem est nobis per Christum Iesum ante tempora secularia: sed patefacta est nunc per apparitionem seruatoris nostri Iesu Christi, &c.

Tertia pars huius exaltationis Ecclesiæ, est iustificatio per Christum, quod scilicet ex inimicis Dei, ex peccatoribus, ex iniustis, mancipiis Satanæ, seruis peccati, & reis mortis, facti simus re ipsâ per Christum amici Dei, sancti, iusti, filij Dei, serui iustitiæ, hæredes vitæ æternæ: eóque euecti simus, vt mortem, Satanam, omnia denique subiecerit sub pedibus nostris, & iam ingressi cœlum spiritu, & carne etiam in Christo, sedeamus ad dextram Patris.

Rom.5. Cùm inimici essemus, recõciliati sumus ei, per mortem filij eius. *Ibi.* Iustificati igitur fide, pacem habemus ad Deum per Iesum Christum. *Eph.2.* Conuiuificauit nos vnà cum Christo, & conresuscitauit, & sedere fecit in cœlestibus in Christo.

Est autem iustificationi iuncta regeneratio. Ideo huc adde, quod adeo corda nostra per spiritum sanctum regenerauit, vt veri fideles conuersentur spiritu in cœlis, tametsi carne viuunt in terris, ideóque exaltati sint in cœlum vsque. Ideo *Col.*3 Si conresurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, non quæ super terram. Sic autem facit Ecclesia. Ergo spiritu Ecclesia exaltata est in cacumine montium, in cœlum vsque, licet carne adhuc in terris iaceat. Quin & caro nostra exaltata est eò dignitatis, vt sit facta caro Christi, ideóque sit in cœlo cum Christo. *Eph.5.* Caro de carne, &c. Mysterium hoc magnum est: Ego autem dico in Christo & Ecclesia. Et corpora nostra, templum sunt Spiritus S.

Quarta vero pars huius exaltationis, est glorificatio, cùm scilicet fidelium & animæ solutæ corporibus, in cœlum rectà conscendunt, extolluntúrque: & cum deinde corpora à mortuis excitata, gloria immortalitatis vestientur, attollentúrque in cœlum. De qua exaltatione 1.Cor.15. Seminatur corpus animale, resurget spirituale: seminatur in ignominia, resurget in gloria. Phil.3. Vnde & Saluatorẽ exspectamus, qui trãsformabit corpus nostrũ humile, vt cõforme fiat corpori suo glorioso.

In his quatuor partibus potissimùm consistit Ecclesię exaltatio supra omnes colles: & est exaltatio spiritualis, non carnalis. Iacob.1. *Glorietur autem frater humilis, in exaltatione* (ac sublimitate) sua, nempe, quâ apud Deum exaltatus est, vnà cum tota Ecclesia.

II. Secundò, in hoc quoque cõsistit exaltatio Ecclesiæ quòd huic cõmissum est verbum Dei, apud ipsam est, & ab hac sola emanat in vniuersum mũdũ. Quòd hæc sic magna exaltatio, nẽpe habere apud se verbum Dei, Paulus docet Rom.3. *Quid ergo amplius Iudæo? plurimum per omnem modum. Primùm* (id est, præcipue ac imprimis) *quia concredita sunt illi eloquia Dei.* Hanc exaltationem spectauit hîc Iesaias cùm ait, exaltatum iri montem illum Zion. Cur? quia ad eum confluent Gentes, vt audiant verbum Domini: vt in viis Dei instituantur. De Zion enim exibit lex, &c. Habere igitur verbum Dei apud se, magna est dignitas, magna gloria, & exaltatio. Iactent igitur Reges sua trophæa, suas diuitias, regna, &c. Ecclesia Christi illos omnes excellit dignitate: cùm habeat apud se verbum Dei, & prædita sit Spiritu sancto. Agnoscamus & nos hanc dignitatem nostram, & pluris faciamus, quàm hactenus est facta. Hinc pendet Ecclesiæ autoritas: Est enim tota à verbo.

III. Ideo exaltatio eius consistit in potestate seu autoritate, quã habet Ecclesia supra omnia regna mundi, supra omnes homines. Quæ est hæc? Autoritas ligandi & soluendi, de qua Christus Ioh.20. Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata remittentur eis: quorúmque retinueritis, erunt retenta. Et Matth.16. ad Petrum: Quicquid ligaueris in terra, erit ligatũ in cœlis: & quicquid solueris in terra, erit solutum in cœlis. Spiritualis est Ecclesia: Spiritualis igitur & eius autoritas. Hæc est vera autoritas Ecclesiæ, & quidẽ maxima. Præstat autẽ hoc Ecclesia, tum prædicatione verbi, tũ administratione sacramẽtorum, nec nõ etiam excommunicatione. Nam etiam ligat per excommunicationem: soluit verò, cùm iterum recipit in gratiam fideles.

Cùm

Cùm sint autē omnes particulares Ecclesiæ, vna atque eadem Ecclesia Christi:hinc fit, vt etiam hęc autoritas Ecclesiæ, æqualis sit in omnibus Ecclesiis, ideóque & æqualis omnium dignitas. Non enim ait Propheta, exaltabitur Ecclesia Romana,supra omnes alias Ecclesias:sed vniuersa Ecclesia Christi,vbicunque sit,exaltabitur supra omnes colles,id est,Regna Mundi. Quare nec plus autoritatis habet vnus Episcopus,quàm alius: primò,quia autoritas Episcopi, est ab autoritate Ecclesiæ.Omnium autem Ecclesiarum æqualis est illa autoritas,quam Christus suæ Ecclesiæ tribuit. Secundò, omnibus Apostolis ex æquo dixit: *Quæcunque solueritis in terra,&c.*Tertio,Patres hoc confirmant.

Cyprianus de simplicitate prælatorum,[Episcopatus vnus est,cuius in solidum à singulis pars tenetur.Ecclesia vna, quæ in multitudinem latiùs incremento fœcunditatis extenditur, quomodo solis multi radii, sed lumen vnum.] Item:Hoc erant Apostoli,quod Petrus, pari consortio præditi dignitatis & potestatis.

Hieronymus Tom.2.epist.ad Euagrium: Si autoritas quæritur, orbis maior est vrbe: Vbicunque fuerit Episcopus,siue Romæ,siue Eugubij, &c. eiusdem est & sacerdotij.

Meminerimus igitur,quicquid ad dignitatem,autoritatem,exaltationémque pertinet Ecclesiasticam,id toti Ecclesiæ Christi,& singulis partibus eius népe particularibus Ecclesiis, non autem vni aut alteri dari. De tota enim Ecclesia Christi, non de Romana aut Hierosolymitana loquitur Propheta, cum ait, *Extolletur supra omnes colles*, quasi dicat, sedes Ecclesiæ ponetur supra omnes montes,& erit gloriosissima.

IV. Quar.In hoc etiam videtur consistere particularis Ecclesiæ Christi exaltatio, quòd post Christū, exaltata est in cultu diuino,quatenus antea Gentes adorarunt idola in excelsis, & montibus suos Deos coluerūt: Iudæi Hierosolymis terrenâ vrbe: Christi Ecclesia in summo monte adorat Deum, nempe in spiritu & veritate. Ioh.4. Venit hora,quando veri adoratores adorabunt neque in monte hoc, neque Hierosolymis, sed in spiritu & veritate.Sed Iesaias videtur propriè extollere montem hunc Zion, quòd inde verbum Domini erat ad omnes deriuandum quo quidem verbo seu vehiculo gentes erant vehendæ in cœlum vsque supremum, atque ibi Deum visuræ,& imaginem Dei in Euangelio contemplaturæ.

V. Quin.In hoc verò maximè dixerim,Ego consistere Ecclesiæ exaltationē supra omnes colles, & Regna ac Principes mundi,quòd Christus homo,caput Ecclesiæ, exaltatus est supra omnes principatus & potestates,ditáque illi potestas in cœlo & in terra: & donatum nomen,quod est supra omne nomē.Matt.28.Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra.Eph 1.explicat Apostolus,dicendo: Memoriā vestri facio,in orationibus meis,vt sciatis, quæ sit supereminens magnitudo virtutis eius in nos,qui credimus, &c. quam operatus est in Christo, suscitans illū è mortuis & constituens ad dextram suam,in cœlestibus,supra omnem principatum,& potestatem,& virtutem,& dominationem,& omne nomen, quod nominatur non solùm in hoc seculo, sed etiā in futuro:& omnia subiecit sub pedes eius,& ipsum dedit caput super omnia ipsi Ecclesiæ, quæ est corpus eius,& complemētum eius,qui omnia in omnibus implet. Cùm ait, Christum exaltatum esse supra omnem principatum,potestatem, &c. intelligimus montē exaltatum supra omnes colles, &c. Quod autem primò Christo datur in capite,datur secundò Ecclesiæ,vt eius corpori,à capite omninò inseparabili.Ergo &ipsa exaltata est in Christo,supra omnes principatus & potestates,&c.Ideo Paulus hoc docens Eph.c.2.subdit,Exaltatam Ecclesiam cum Christo,supra omnem principatū, &c.in cœlestibus: dicendo: Et vos cùm essetis mortui, delictis & peccatis, in quibus aliquando ambulastis iuxta seculum mundi huius,&c. En quæ erat prius Ecclesia humi depressa, modò audi exaltatam: dicendo: Sed Deus,qui diues est in misericordia,&c.conresuscitauit,& consedere fecit in cœlestibus.

CAPVT VI.

DE AMPLITVDINE ECCLESIÆ.

in vers.2.*Confluent ad eum omnes Gentes.*

HIs verbis docet Propheta,Ecclesiam Christi futuram amplissimam,in vniuersúmque orbem diffundendam,non autem in vno terræ angulo,nempe in Iudæa, & in vno populo, nimirum Iudaico semper continendam?De hac amplitudine Ecclesiæ multa etiam habemus testimonia in scripturis, Gen. 15. 16. Amplificabo semen tuūm, sicut stellas cœli, & sicut arenam Maris. Item,non numerabitur pre multitudine.Promittit hic, EcclesiamChristi fore amplissimam,per semē Abrahæ. Quod est autem semen hoc Abrahæ? Non solùm Iudæi, sed etiam Gentiles, qui Abrahami fidem sequuntur, quod hinc patet, quòd Paulus hoc expressè docet Rom.9.& Gal.3.& 4.Matth.3 ait Iohan.Bapt. *potens est Deus suscitare de lapidibus istis filios Abrahæ*, innuens, filios Abrahæ,non esse illos,qui tantū ex semine carnali Abrahæ nascuntur,alioquin ex lapidibus non potuissent fieri filij Abrahæ:sed illos, qui sequuntur fidem Abrahæ, quocunque ex semine nati sint, etiamsi ex mera terra & lapidibus nati essent,vt lapides sunt. 1.2.

De hac vide Iesa. ch.67.

Stellæ cœli non sunt in vna Iudæa tantum: neque arena Maris:sed vbique terrarum ita futura erat Ecclesia Christi amplissima,& vbique.Gen.17.Abrā vocatur Abraham,*quia constitui te* (ait Dominus)*patrē multarum Gentium*.In voce *multarum* indicat Ecclesiæ amplitudinem futuram ex vocatione non solùm Iudæorum,sed etiam Gentium.legatur Gen.cap.15.16.& 17. 3.

Exod.1. de populo Dei dicitur, quod quantò magis affligebatur,eò magis multiplicabatur. Typus hoc fuit Ecclesiæ Christi multiplicandæ, idque eò magis, quo magis à mundo opprimatur. Hoc verò præsertim vsu venit post Christum. Quò magis fuit oppressum primò caput Ecclesiæ,deinde singula eius membra, eo magis multiplicata est.

Ies.6.Multiplicabitur,quæ derelicta erat. Itē, Esa 54. Lætare sterilis, quæ non paris: quia plures erunt filij desertæ,quàm liberæ.Matt.8.Multi venient ab Oriente & Occidēte.Erat igitur multiplicāda Ecclesia Christi mirum in modum,inque omnes partes orbis diffundenda idque ex Gētium vocatione, de qua plenæ sunt scripturæ testimoniis. 4.

De hac Gentium ad Ecclesiam Christi vocatione hæc sunt notanda.

1. Quòd etiā ad Gentes pertinebat promissio de salute æterna per Christum,patet hoc primò à prædestinatione. Promissio de salute, ad omnes prædestinatos in vitā æternam pertinet.Promissio enim de vita æterna,quid est,nisi reuelatio illius prædestinationis, & beneplaciti diuini de nobis ad vitam æternam? Atqui etiā Gentes fuerunt prædestinatæ ad vitam:patet quia Act. 13.expresse dicitur de Gentibus, Crediderunt,quotquot erant prædestinati ad vitam æternam. Ergo etiam ad Gentes talis promissio pertinebat.

2. Gen.3.Promissio illa de vita æterna facta Adæ.Semen mulieris conteret caput serpentis, ad omnes, qui ex Adamo nasciturí erant,& fidem in semen amplexuri,pertinebat.At ex Adamo nati sunt non solùm Iudæi, sed etiam Gentiles. Ergo non solùm ad Iudæos,sed etiam ad Gentes pertinebat promissio. Gen.12.& 17. Abraham,in te benedicentur omnes Gentes,&c.

At Rom.15.asserit Paulus,promissiones factas Iudæis: Gentes verò pro misericordia seruatas,ideo glorificare Deum,&c [Dico autemChristum ministrum fuisse circumcisionis, pro Dei veritate, vt confirmaret promissiones Patrum.] Occupatio.

Responsio.In genere quidem promissio de salute,reuerà primùm facta fuit & in Adamo & in Abrahamo, non solùm Iudæis,sed etiam Gentibus,vt patet ex locis iam citatis: sed vbi postea speciatim sibi collegit populum, nempe Israeliticum, ex quo Messias carnem susciperet, & in quo verbum & religio conseruaretur vsque ad Christum, eiecto quasi è domo sua gentili populo, ob sua scelera: specialiter videtur populo Iudaico facta fuisse promissio: & populus Gentilis visus fuit exclusus à religione Dei, macerie Ceremoniarum interpositā inter Gentilem & Iudaicum populum: ita vt si postea Gentilis accersitus fuit ad Ecclesiam Christi, visa fuerit specialis misericordia exhibita illi, pro qua debuerit laudare Dominum. Huc respexit Paulus, cùm dixit, Christum ministrum fuisse circumcisionis, pro Dei veritate, vt confirmaret promissiones. Quantum igitur ad externā œconomiam, Christus promissus fuit Iudæis.Exemplum habemus in Euangelio Luc. 15.de duob. filiis. Amborū ex æquo est hæreditas paterna. Minor natu insolens,acceptā quādam portione suā,

discedit in regiones longinquas. Interim igitur videtur exclusus à domo Patris:& tota hæreditas videtur pertinere ad maiorem natu tantum: ita vt si postea alter est receptus, ex misericordia sola videtur receptus.

Sed quod promissiones de salute æterna pertineant etiam ad Gentes, docet expresse Paulus Rom. 9. Vbi, quoniam promissiones salutis restringebant Iudæi in Iudaismo, docet primùm eam non pertinere ad omnes Iudæos, qui sunt secundum carnem ex Abraham nati: sed ad paucos, nempe ad reliquias. Deinde, docet, eam salutem extendi etiam ad Gentes, & quidem multas ac varias. De primo ait, *Non autem quòd exciderit verbum Dei:* hæc loquitur, quòd totus Israel non saluatur, sed multi pereant; *Non enim omnes qui sunt ex Israel, sunt Israel, neque quia semen Abrahæ sunt statim omnes filij.* Ideo non omnes saluantur, & tamen non propter hoc excidit verbum Dei quia impleatur in omnibus, qui verè sunt semen Abrahæ. De secundo ait. *Sed per Isaac nominabitur tibi semen*, id est, non qui filij sunt carnis, ij sunt filij Dei sed qui filij sunt promissionis (electi etiam Gentiles) ij reputantur in semen. Postea confirmat testimoniis Prophetarum dicendo: *Quomodo & vocauit nos, non ex Iudæis solùm sed etiam ex Gentibus*, vt etiam in Hosea dicit, *vocabo populum, qui meus non erat populum meum: & eam quæ dilecta non erat dilectam.* Pertinebat igitur salus per Christum, etiam ad Gentes, ad omnes scilicet, qui prædestinati fuerunt in Christo, hoc est primum.

II. Quoniam autem omnes quos prædestinauit, etiam vocat suo tempore, & vocatione quidem efficaci, vt ait Paulus Rom. 8 ideo Gentes vocandæ erant ad Euangelium, & vniendæ cum populi Iudaici reliquiis, id est, electis.

III. In huius rei testimonium primò, antequã genus humanum in duos populos diuideretur, Iudaicum & Gentilem promiscuè salus hæc per Christum participabatur ab omnibus, quicunque illi essent, modo fidem adhiberent promissioni diuinæ, primò factæ Adæ, deinde confirmatæ Nohæ & aliis. Ita vera Dei religio mansit promiscuè in mundo apud multos homines, sine discretione vnius populi ab alio, idque vsque ad Abrahamum, & potissimùm vsque ad Iacob, seu Israelem.

IV. In Abrahamo igitur cœpit fieri discretio populorũ & in Israele absoluta Selegit enim Deus sibi in populum peculiarem filios Israelis. 12. vnde 12. tribus: inde numerosissimus populus. In hoc collocauit & restrinxit religionem suam, verbum, sacramenta & huic populo fiebant peculiares promissiones Tunc posita maceries ceremoniarum inter Israeliticum populum, & reliquos omnes, quos Gentes communi nomine vocabant. Voluit enim Deus suam religionem in hoc populo vnico, vsque ad Christum conseruare. Videbatur tunc populus Gentilis à salute exclusus, salúsque ad solos Iudæos pertinere: & vt ait Paul *Act.* 14. Siuit præteritis generationibus Gentes ambulare in viis suis.

V. Interim tamen Deus, ne existimarent Iudæi, ad se solos pertinere salutem per Christum, Gentes verò omnes omninò exclusas, sed etiam illas tandem ad Christum vocandas: primò subinde te ipsa aliquem ex Gentibus saluabat, & in consortium populi Iudaici cooptabat, vt videre est in Iobo, in Gabaonitis, in Cyneis, lib. Iof. & Iudicum, & multis aliis populis, in Nabuchdonosore, in Dan. Secundo, apertis verbis promittebat per Prophetas, se Gentes ad Christum, ad veram religionẽ, & salutem euocaturum, vt omnes fierent vnus Populus, sanctus & dilectus. Huiuscemodi promissionem de vocatione Gentium, plena sunt scripta Prophetarum, Iesaiæ præsertim & Hoseæ, quos etiam frequentissimè in hac causa citat Apostolus in suis epistolis, maximè Rom. 9.

VI. Sed quo tẽpore erant vocandæ Gentes, & vniendæ cum populi Iudaici reliquiis, rupta maceriе, vt fieret vnus populus, vnum ouile? In nouissimis diebus, vt ait Ies. scilicet post Christum carne indutum, aut in cœlos euectum: tunc confluent omnes Gentes, &c. Populi igitur omnes, ab Adamo vno nati, vniti erant in vno eodémque cultu diuino, ita vt vnus esset populus. Secundo, diuisum totum genus humanum est in duos præcipuos populos, in Israeliticum, quem sibi peculiariter delegerat Deus, & in Gentilem, sub quo reliqui omnes continebantur: & maceries quidem ceremoniarum & legis posita inter vtrumque, ne Iudaicus cum Gentili misceretur. Tertiò, iterum per Christũ, diruta macerie, vterque populus vnitus, de quo mysterio Paulus Eph. 2.

VII. Quomodo vnitus? Per prædicationem Euangelii, in vnitate fidei & spiritus, ad cultum vnius eiusdéq; Dei, per eundem Mediatorem Christum, qui fecit vtraque vnum. Vnio spiritualis est, de qua supra, in cap. de vnitate Ecclesiæ.

Ita Christi Ecclesia, quæ antè exigua erat, vt ne videretur quidem Ecclesia, post Christum ita fuit amplificata, vt euenerit in montem magnum. Mons Zion exaltatus fuit, & eleuatus supra cacumina montium, ex confluxu Gentium ad Ecclesiam Christi. Ecclesia antè erat in vno mundi angulo, nempe in Iuda collecta: post Christum verò in vniuersum terrarum orbem dilatata. Ecclesia erat particularis, ex vno populo tantùm, eóque exiguo collecta, post Christum facta est Ecclesia Catholica, vniuersalis, ex omnibus Gentibus amplificata. Hęc est amplitudo regni Christi, id est, eius Ecclesiæ, ex Gẽtibus multis & variis, de qua vaticinatus est Ies. cum dixit, *& confluent ad eum omnes Gentes.* Quid est omnes? omnes electi ex Gentibus, qui pertinent ad Christum in prædestinatione. Neque enim simpliciter intelligenda est hæc dictio *Omnes.* Nam alioqui mendax esset Prophera, cum non omnes fluant: sed restringenda est ad eos, qui prædestinati sunt & electi in Christo. Ii omnes igitur confluent & verè & certò confluent: qua de relegatur & Ambrosius de vocatione gentium, &c. 1. In vocatione igitur omnis, notandum est, primò nullam esse personarum acceptionem apud Deum in Ecclesia: Non enim ait Propheta, confluent gentes sapientes, vel iusti vel potentes, sed omnes, tam pauperes, quàm diuites, &c 1 *Cor.* 1. Videte vocationem vestram, quia non multi sapientes, &c. *Gal.* 3. Non est Iudæus, neque Græcus. *Col.* . Non est Iudæus & Gentilis. Non igitur ex meritis est vocatio vel salus, vel ex dignitate personarum. Secundò Vox *omnis* in scripturis non semper significat omnes promiscuè, sed omnes alicuius generis vel ordinis. Et hæc est annotatio Ambrosii Tom. 2. de vocatione gẽtium, lib. 1. cap. 3. Quidam enim anguntur animo, quinam fieri possit, vt Deus velit omnes saluos fieri, vt Apostolus ad Timoth docet, 1. *Tim.* 2. homines, & ad agnitionem veritatis peruenire, & tamen non omnes saluẽtur. Hinc adiguntur ad tales angustias, vt aut dicant voluntatem Dei fieri posse irritam, quod impium est dicere, per liberum hominis arbitrium & voluntatem, aut Pauli verba non esse vera: Ambrosius docet, in scripturis sæpe *omnes* accipi pro multis, id est, vt ego explicem, pro omnibus nõ in genere, sed in specie. Exempla.

Gen. 18. In semine tuo benedicentur omnes Gentes. Nunquid omnes in genere benedictum iri in semine Abrahæ promisit Deus? Nequaquam. Si promisisset se omnes benedicturum, benediceret. Est enim verax. Quos igitur omnes intellexit? Multos, id est, omnes electos ante iacta fundamenta mundi in hoc semine Christo. Ierem. 31. credituros promisit omnes, dicendo: Et non docebit vnusquisque proximum suum dicendo, cognoscite Dominum, &c. omnes enim cognoscent me à minimo vsque ad maximum. Numquid omnes in genere homines promisit cognituros? absit, alioqui fecisset, vt se cognoscerent. Ergo solum de electis loquebatur. 1. Deus promisit se effecturum vt credãt omnes, séque agnoscant. Ier. 31. Scribam legẽ meam, &c. omnes cognoscent me, à minimo vsque ad maximum. 2. Iisdem promisit, se eos reconciliaturum sibi, dicẽdo. Ier. 3. Propitius ero iniquitatibus eorum, & iniquitatum eorum non recordabor ampliùs. 3. Iisdem promisit, se effecturum, vt obediant, dicendo. Ierem. 32 v. 30. Dabo illis cor vnum & viam vnam, vt timeant me omnes dies, &c. 4. Iis promisit perseuerantiæ donum, dicendo. Ierem. 32. Timorem meum dabo in cor eorum, ne discedant à me, &c. 5. Denique promisit, se facturum, vt omnes sine exceptione sibi curuent genua. Iesa. 45.

Hîc, *ait Ambrosius lib. 1. de vocat. gent. c. 3.* Hîc, inquam si dicamus, non fieri, quod iurauit Deus esse faciendum, falsitatẽ Deo (quod absit) & mendaciũ asscribimus veritati. Si autẽ (vt pietas & fides persuadẽt) Dei verba nõ excidunt, & fit omninò quod statuit: quomodo nobis veracis promissionis firmitas apparebit, cũ multa adhuc hominũ millia dæmonibus seruiant & idolis genua flectãt, nisi huiusmodi denunciationes Dei secũdùm illam immutabilem scientiam editas nouerimus, in qua apud illum vniuersitas humana discreta est, & siue de bonis, siue de malis loquatur, ita vnius partis meminit, quasi neminẽ hominum prætermittat. Exempla.

1. Cor. 5.

2.Cor.5.*Vetera transierũt, ecce facta sunt omnia noua.* Nunquid non omnes homines videtur dixisse renouatos? Et tamen non omnes, sed tantùm electi renouati. Col.1. *In ipso complacuit, omnia sibi reconciliare.* Nunquid igitur omnia reconciliata? non. Ergò tantùm de electis loquitur. Ioh.12. *Cùm exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum.* Electos certè tantùm traxit & trahit, cum tamen videatur polliceri se omnes attracturum. Psal.2. *Postula à me, & dabo tibi Gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.* quas gentes? omnes electos, de quib. Heb.1. *quem constituit hæredem vniuersorum.* Ies.40. *Omnis vallis reuelebitur, & omnis mons & collis humiliabitur.* Nunquid vllus hominũ videtur omissus, qui non significatus sit Christo esse subdendus? Ies. capite sexagesimo sexto. *Et veniet omnis caro in conspectu meo, vt adorent in Hierusalem aicit Dominus.* item Ioel.2. *Effundam de spiritu meo super omnem carnem,* &c. Psal. 144. *Alleuat Dominus omnes, qui corruunt: & erigit omnes elisos.* Nunquid non ita pronũciatum est, ait Ambrosius, quasi ab hoc Dei munere nemo sit discretus? Concludit Ambrosius dicendo: *Habet ergo populus Dei plenitudinem suam* (id est vniuersitatem) *& quamuis magna pars hominum saluantis gratiã, aut repellat, aut negligat, in electis tamẽ & præscitis ab omnium generalitate discretis specialis quadã cẽsetur vniuersitas, vt de toto Mũdo, totus Mundus liberatus, & de omnibus hominibus, omnes homines videantur assumpti: sicut etiã cùm de impiis sermo est, ita locutionem suam diuinus stylus ordinat, vt ea quæ de quadam parte dicuntur, ad omnes homines pertinere videantur.* Exemplum veluti est illud Ioh 3. *Qui de cœlo venit super omnes est, & quod vidit & audiuit hoc testificatur, & testimonium eius nemo accipit.* Aut illud, Philip.2. *Omnes quæ sua sunt quærunt, non quæ Iesu Christi.* Psal.13. *Dominus de cœlo prospexit,* &c. *non est faciens bonum, non est vsque ad vnum. His igitur* (ait Ambrosius) *& aliis documentis quæ possunt ab inquirentibus numerosiora proferri, non dubiè demonstratur: interdum & pro parte terræ, omnem terram, & pro parte Mũdi totum Mũdum: & pro parte hominum, omnes homines nominari.*

Est igitur hęc regula in scripturis, Quotiescunque sermo est de salute, & ibi vniuersalis vox *Omnis* auditur, intelligenda est non de omnibus absolutè hominibus, sed de electis omnibus ad vitam æternam. Ratio, ad illos enim spectat salus & promissiones. vt 1. Cor. 15. *in Christo omnes viuificabuntur,* id est, omnes electi, qui ad Christum pertinent. 1. Tim. 2. *Deus vult omnes homines saluos fieri,* id est, omnes electos. Sunt autem ex omni hominum genere aliqui electi quos cum nos non nouerimus, ideo pro omnibus est rogandus Deus. 2. *Pro omnibus mortuus est Christus,* id est, pro electis. Nã ait Ioh. 17. *Ego non rogo pro mundo,* ergo neque pro illo mortuus est, nisi sufficienter. Alibi enim ait *pro multis effundetur sanguis.* Ij multi, sunt electi omnes, ideo sunt multi omnes. Ita hic, *confluent omnes gentes,* id est, omnes electi, qui certè maxima erunt multitudo.

Contra, vbi sermo est de damnatione æterna, ibi per vocabulum *omnis,* primò aliquando intelliguntur in genere omnes homines, in sua ipsorum natura, quatenus in Adamo nascuntur filij iræ omnes, vt cùm ait *Rom.5.* Per vnum hominem, peccatum intrauit in mundum, & ita in omnes homines pertransiit. Secundò aliquando verò pro parte hominum, vt pro reprobis. Exemplum habemus *Ioh.3.* Testimonium eius nemo accipit. *Item,* Non rogo pro mundo, id est, pro parte mundi. Aliquando tamen scriptura discrimen facit, vt de quibus intelligendus sit locus, apertè demonstret. Exemplum Rom. 11. Cùm de Iudæorum obcæcatione & damnatione dissereret, & quosdam ex ipsis gratiã saluos fieri demonstraret, ait: *Dico igitur, Nunquid Deus repulit plebem suam? Absit. Nam & ego Israelita sum.* Videtur hic loqui primo aspectu de vniuersa plebe, & quòd nullus sit repulsus, sed statim aperit, de qua parte plebis intelligat, nempe, de electis ex Iudæis, dicendo: *Non repulit Deus plebem suam, quam præsciuit.* Plebs ergo non repulsa, electi & præsciti sunt. De iis loqui Apostolum, patet ex sequentibus: De eodem Israele loquitur Dominus in libro Regum, Eliæ, dicẽs: *Reliqui mihi septem millia,* &c. Reliqui mihi, ij sunt electi. De eodem etiam Israele, visus fuit ante Apostolus dixisse, quod omnes essent excæcati: sed postea aperit, de quibusnam intelligat, videlicet de parte, dicendo: *Sed ex parte cæcitas contigit in Israel.* Non igitur omnis Israel reprobatus, neque omnis lectus: sed partem cæcitas voluntaria antecurrit, partem sibi illuminatio gratuita reseruauit. Omnes igitur Gentes (scilicet electæ ad vitam æternam) cõfluent ad montem illum, id est, Ecclesiam.

CAPVT VII.

DE DISCESSV SEV DEFECtione ab Ecclesia Christi. in vers. 3. *Venite ascendamus ad montem Iehouæ.*

CVm ait Propheta in persona electorum, Ascendamus ad montem Iehouæ, innuit, ita ascendendum esse ad Ecclesiam, vt inde nunquam sit discedendum, quamdiu manet mons Domini, quamdiu manet Ecclesia Christi. Ascensu enim vnio Ecclesiæ augetur: discessu vnio scinditur. Non est autem scindenda vnitas Ecclesiæ, quam fecit Christus. Quid est enim scindere Ecclesiam, nisi scindere Christum in varia frusta, cùm Ecclesia sit corpus Christi?

De hoc discessu, seu defectione ab Ecclesia Christi, nobis verba facturis, hæc primùm notanda sunt, vt omnia meliùs intelligantur.

I. Primo, quod Ecclesiam hic intelligo, visibilẽ illũ hominum cœtum, vbi purũ Dei verbum prædicatione conseruatur, & sacramenta secundùm institutionem Christi purè administrantur, tametsi cœtus ille constet & ex verè piis & ex hypocritis, seu bonis & malis. Nam etsi reuera Ecclesia non sit nisi sancta hominum ad vitam æternam electorũ, ac verè fidelium cœtus, in vnitate fidei & spiritus, ad Deum rite colendum congregatus: tamen quoniam discernere nobis non licet verè pios & electos, ab hypocritis & reprobis, cùm vtrique soli Deo noti sint: sed tantùm a posteriori, ab iis duabus supra dictis Ecclesiæ notis, purà verbi prædicatione, & legitimà secundum Christi institutionem sacramentorum administratione, discernimus Ecclesia Christi ab Ecclesia Antichristi ideirco quoad iudicium nostrum, Ecclesiam Christi esse iudicamus & dicimus cœtũ hominum Christum profitentium, vbi & purum Dei verbum prædicatur, & sacramenta secundum institutionẽ Christi legitime administrantur: vel potius dicimus, ibi veram Ecclesiam Christi esse, vbi hæc duo signa vistuntur. Nam fieri non potest, quin ibi sit maxima multitudo verorum fidelium: & ij sunt vere Ecclesia Christi, & cum iis mixti sunt mali.

Ab hac dicimus, non esse discedendum, sed cum omnibus vere piis dicendum est, *Ascendamus ad montẽ Domini,* ibi nimirum semper permansuri, quamdiu erit mons Domini, id est, Ecclesia Christi.

II. Notandum deinde quod aliqui nunquam ascendunt ad montem Domini, neque animo, neque corpore id est, neque sunt de Ecclesia, neque veniunt in Ecclesiam, quales sunt penitus infideles, vt Turcæ, qui in suis falsis religionibus pereũt. Ij nunquã dicunt, *Ascendamus ad montem Domini,* &c. Alij iis penitùs oppositi, ita ascendunt, vt nunquam discedãt, quales sunt electi, qui nõ solùm sunt in Ecclesia, sed etiam de Ecclesia. Ij dicunt, Ascendamus, &c. scilicet nũquam discessuri. Alij medij, qui ascendunt quidem ad mõtem Domini, & corpore, & quodammodo etiam animo: sed tamẽ non manent in monte Domini, sed ab eo discedunt & deficiunt, quales sunt hęretici & schismatici inter quos hoc discrimen ponit Augustinus, lib. quæst. Euang. secundũ Matt. Hæretici quidem falsis dogmatibus fidei sinceritatẽ corrumpunt: schismatici verò, Interdum etiam in similitudine fidei, societatis vinculum dirumpunt, seu, illi discedunt à fide & doctrina Ecclesiæ: ij verò à caritate, & sacramentorum participatione, etiamsi verè candẽ fidem profiteantur: Ij duo aliquando quidem dixerunt, ascendamus: sed deinde etiam dicunt, discedamus.

III. Notandũ igitur, quod hic discessus, seu defectio ab Ecclesia potest fieri duob. modis: primò in fide & doctrina cum scilicet quis deficit vel partim, vel in vniuersum ab essentialib. doctrinæ Christianæ capitib. a Catholica Ecclesia receptis, ad oppositã illis doctrinam: vt v.g. quòd Christus nõ sit Deus secundùm naturam, sed tantùm per gratiã & priuilegiũ, vt Seruetus impiè docuit: Quòd non sint tres personę realiter à se distinctæ,

Pater, Filius, & Spiritus sanctus, vt Seruetus: Quòd Christus non sit solus mediator & intercessor, sed etiā sancti. Quòd non per solam fidem, sed etiam per opera iustificemur: quod missa sit sacrificium expiatorium pro peccatis: quod Papa sit summum caput in Ecclesia plenam habens super omnes Ecclesias & Episcopos autoritatē, vt Papistæ. Alia enim fuit doctrina illa, quàm prædicarunt Apostoli, totáque Ecclesia Catholica receperat, vt patet in Scripturis, & verò etiā sæpè in patribus. Quare Papistæ defecerunt in fide, seu in summa doctrinæ, à Catholica & Apostolica Christi Ecclesia, ideóque sunt non schismatici, sed hæretici. Hæretici enim hoc pacto discedunt ab Ecclesia, cùm scilicet discedunt à Scriptura, vel ea doctrina, quæ ab vniuersa Ecclesia Christi fuit recepta, ad alias sibi ipsis delectas, atque ab hominibus inuentas doctrinas, de quibus 1. Ioh. 2. Exierunt a nobis, quia non erant ex nobis.

Secundo potest fieri hic discessus ac defectio in charitate & symbolis charitatis, id est, in sacramētorū participatione, publicarum precum cōmunicatione, Eleemosynarum Ecclesiasticarum collectione, & huiuscemodi aliis Ecclesiasticis exercitiis: cum scil. quis, etsi in præcipuis Christianæ doctrinæ capitibus, cum reliqua Ecclesia Christi consentit: tamen ob leues nescio quas causas, à reliqua Ecclesia se subtrahit, neque in sacramentis cum ea communicat. Tales appellantur propria voce schismatici: & talis discessius, schisma, quasi dicat scissura ἀπὸ τοῦ σχίζειν, eò quod vnitatem Ecclesiæ, suo hoc discessu scindant: Et, vt ait Augustinus, etiam in similitudine fidei, societatis vinculum dirumpant. Contra hos schismaticos igitur dico: ita ad mōtem Domini ascendendum esse, vt quamdiu agnoueris mus cum esse montem Domini ab eo discedendū non sit, hoc est, ita ad Ecclesiam Christi ascendendum est, vt quamdiu agnoueris eam esse Ecclesiā Christi, ab ea discedendum non sit, ob quam velis causam.

Hic repetēdum est primo, quid hîc intelligamus per Ecclesiam Christi. Secundò, quomodo possimus agnoscere, eam esse Ecclesiam Christi. Tertiò, quæ causæ prætendi soleant à schismaticis cùm schisma faciunt ab Ecclesia: & quòd non sint causæ legitimæ, cur ab Ecclesia discedendum sit.

De I.

Vera Ecclesia quæ sit.

Sacræ literæ bifariā de Ecclesia loqui consueuerunt: aliquando secundùm iudicium Dei, quod falli non potest, id est, de ea Ecclesia, quæ coram oculis Dei est vera Christi Ecclesia. Sic Ecclesia Christi reuera nihil aliud est, quàm, vt supra diximus, sanctus & vniuersalis hominum iam Gentilium, quàm Iudæorum, ad vitā æternam electorum, & verè fidelium cœtus, partim in cœlis regnans, partim in terris adhuc, sub Christi nomine militans, in vnitate fidei & Spiritus, ad Deum ritè, id est, secundùm Euangelium Christi, colēdum congregatus. Ad hanc Ecclesiam referuntur, quæ ad Ephes. 5. scribit Paulus, v. 25. & seqq.

Aliquando secundùm iudicium nostrum, id est, de Ecclesia illa, quæ coram oculis nostris est & videtur esse Ecclesia. Sic Ecclesiā Christi appellamus vniuersam hominum multitudinem in orbe diffusam, quæ vnū se Deum & Christum colere profitetur: baptismo initiatur in eius fidem, cœnæ participatione vnitatem in vera doctrina & charitate testatur: consensionem habet in verbo Domini, atque ad eius prædicationem Ministerium conseruat à Christo institutum: in qua sunt boni & mali, verè pij & hypocritæ. Ad hanc ecclesiam referuntur, quæ Paulus scribit ad Corinth. & Galatas, vocans eas ecclesias Christi, cùm tamen plurimi ibi essent hypocritæ, & nomine tantùm Christiani. Illam primam veram ecclesiam, verè sanctam credimus, & ita credere necesse est, de qua in symbolo *Credo sanctam Ecclesiam.* Hanc verò quæ respectu hominum ecclesia dicitur, obseruare, eiúsque communionem colere debemus.

Sub hac vniuersali visibili Ecclesia, continentur priuatæ & particulares, ceu illius partes: & singulæ nomen & autoritatem Ecclesiæ obtinent. De hac ergo Ecclesia vniuersali, & de singulis nunc loquimur.

De II.

Quomodo igitur vel vniuersalem, vel particularem aliquam Ecclesiam esse Christi cognoscimus?

Resp. Ab iis duabus notis, à Christo nobis relictis, quibus Ecclesias cognoscere possimus, à verbo & sacramentis Domini. Dominus enim hæc duo perpetuò reliquit in Ecclesia, verbi prædicationem, & sacramentorum suorum administrationem, ita vt nulla sit Ecclesia Christi, vbi & verbum Dei non purè prædicetur, & sacramenta ritè administrentur. Vbicunque igitur videmus, verbum Dei sincerè prædicari & audiri: & sacramenta ex Christi instituto administrari: ibi sine dubio aliquam esse Ecclesiam Christi, credendum est. Stat enim promissio Christi Matth. 18. *Vbicunque duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi in medio eorum ero.* Deinde nusquā esse possunt hæc duo, quin aliquomodo fructificent. *Verbum enim Domini* (ait Iesa. 55.) *nunquā reuertetur vacuum.*

Huius autem visibilis, siue vniuersalis, siue particularis Ecclesiæ tanta est autoritas, vt vel eam spernere, vel monita respuere, vel consiliis refragari, vel castigationes ludere nemini impunè liceat, multò minùs verò ab ea deficere, & eius vnitatem abrumpere. Ratio, quoniā spernere Ecclesiam est spernere Christum: & scindere vnitatem Ecclesiæ, est scindere corpus Christi in varia frusta: & deficere ab Ecclesia, est deficere à Christo. Hinc illæ voces Matth. 10. *Qui vos audit, me audit: qui vos spernit, me spernit:* quatenus scilicet Ecclesia annūciat verbum Domini, & sacramēta Christi administrat. Matth. 18. *Si non audierit Ecclesiam, sit tibi sicut Ethnicus & publicanus.* Quis autem impunè Christi corpus scindet? à Christo deficiet? Quas pœnas sumsit Deus de schismaticis illis, Chore, Dathan, & Abiram, & reliquis qui cum eis consenserant? Illos viuos terra dehiscens absorbuit: hos ignis de cœlo consumsit. Non ergo impunè euadent schismatici ab ira Dei.

De III.

Hinc videre est, quas causas prætendant schismatici, cum ab Ecclesiæ communione se subducunt. Sunt autem in summa quinque.

Prima, aliqua in doctrina diuersitas.

Secunda, Ceremoniarum ac rituum varietas.

Tertia, aliqua Ministrorum vitia.

Quarta, impurior vita eorum, qui in Ecclesia versantur.

Quinta, promiscua omnium ad cœnam Dominicam accessio.

Has causas obtendere solent ferè schismatici omnes, cùm ab Ecclesiæ communione deficiunt: quę quàm sint iustæ causæ, videamus.

Primo aiunt, nolumus vobiscum communicare, quoniam diuersa est inter vos doctrina. Alij enim aliter docent, & alij aliter de sacramento cœnæ de baptismo infantium, de prædestinatione, de libero arbitrio. Prima causa.

Resp. Doctrina potest esse diuersa bifariā: vel diuersa erit in essentialibus Christianæ religionis capitibus, & quasi axiomatibus, & propriis religionis placitis, qualia sunt articuli fidei, sine additione aut diminutione, sincerè intellecti: qualia sunt etiam, omnes homines nasci in peccatis: nil in se boni posse: iustificationē fieri per solam fidem, sine operibus: non adoranda esse idola: &c. Si talis sit diuersitas in Ecclesiis, dico non esse permanēdū in illis Ecclesiis, quæ aliter sentiunt: & talē ab eis defectionē, nō esse schisma ab Ecclesia Christi. Ratio, quoniam tales Ecclesiæ, non sunt Ecclesiæ Christi sinceræ, sed synagogæ Satanæ. Ecclesia enim Christi fundata est super verbum Dei, nil diuersum sentit ab Apostolis, & in omnib. essētialib. Christianæ religionis capitib. semper est eadē & sibi similis. Cùm autem ab eis deficit, desinit esse Ecclesia Christi: qualis est Ecclesia Papistica. Ideo diximus, ascendendū esse ad montē Domini, ita, vt quamdiu manserit mons Domini, ab eo nō sit discedēdū. Iam cū deseritur essentialis Christi doctrina, ibi non est amplius mons Domini. Vel hæc diuersitas doctrinæ erit in rebus non essentialibus, neque quæ fidei vnitatem scindunt: qualis esset, si quis (citra tamen pertinaciam) assereret, Christum præsentialiter descendisse ad inferos, vbi erant damnati: alij autē non, sed tātùm virtute & vi: vel, Animas non statim solutas à corporibus euolare in cœlum, viuere tamen cum Domino, alij verò dicant, statim euolare. Item, Animas non ex traduce esse, sed creari de nouo: alij verò, quòd sint ex traduce. Aut etiam hæc diuersitas erit in quotidiana scripturarū interpretatione, & accommodatione eius ad nostra tēpora. In hac semper fuit mira diuersitas & varietas inter Ministros verbi & Doctores, ob quam

tamen

tamen nemo sanctus sese abdicauit consortio Ecclesiæ, vt patet in Patribus.

Dico igitur, quòd, modò Ecclesiæ retineant essentialia capita religionis, neque in iis dissentiant, satis sit ad hoc, vt sint Ecclesiæ Christi, ideóque ab iis non discedendum. Si verò dissentiant in aliis non essentialibus capitibus, vel in varia scripturarum expositione, quæ tamen dogmata Christiana salua & integra seruet: dico non esse legitimam causam, cur ab Ecclesia sit deficiendum, & faciẽdum schisma. Patet: Ab Ecclesia Christi, quamdiu est Ecclesia Christi, non est discedendũ. Est autem Ecclesia Christi, quãdiu retinet essentialia omnia dogmata: etiamsi aliqua varietas sit, vel in capitibus non essentialibus, vel in scripturarum expositione. Nam etiam tempore Apostolorum varietas sæpe talis inueniebatur inter fideles: vnam Ecclesiam & aliam: nec tamen desinebant esse Ecclesia Christi. Huc spectant sententiæ illæ. *Phil.* 3. Quicunque perfecti sumus, idem sentiamus: si quid aliter sapitis, Deus quoque hoc reuelabit. Hìc apertè docet Apostolus, dissensionem de rebus istis non necessariis, non esse legitimam causam, cur inter Christianos debeant esse dissidia, aut, cur ab Ecclesiis sit deficiendum. 1. *Cor.* 14. Cùm conuenitis, vnusquisque vestrum Psalmum habet, doctrinã habet, linguam habet, reuelationem habet, interpretationem habet: omnia ad ædificationem fiant. Prophetæ duo aut tres dicant, cæteri diiudicent: quòd si alij reuelatum fuerit sedenti, prior taceat. 1. *Thess.* 5. Omnia probate, quod bonũ est, tenete. Exemplo sunt Patres, & illę Ecclesię Patrum.

Secunda causa.

Quantum vero ad secundam causam, id est, rituum & ceremoniarum diuersitatem: magna est inter vos, aiunt, diuersitas circa ritus sacros, ita vt ferè quot sunt Ecclesiæ, tot sint ceremonię. Arqui hęc diuersitas arguit inter vos nequaquam esse Spiritum vnionis & pacis. Quomodo igitur possumus vobiscum communicare?

Resp. Diuersitas in ceremoniis potest considerari bifariam: primo, in ceremoniis essentialibus, vt in sacramentis, quæ & ipsa sub ceremoniarum nomine continentur. Si hæc sit diuersitas, ita vt vna Ecclesia ministret sacramenta non secundùm institutum Christi: vel alia, præter sacramenta à Christo instituta administret, sicut Papistica Ecclesia, aliæ verò Ecclesiæ conueniant in ministratione essentiali sacramentorum, iuxta institutum Christi, tunc dico non solùm non esse manendum in illis Ecclesiis, sed etiam discedendum, neque hunc discessum esse schisma ab Ecclesia Christi, sed accessum ad Ecclesiam Christi. Ratio, Non enim illa Ecclesia, quæ alia à Christi instituto sacramenta administrat, Ecclesia Christi est, sed Antichristi, qualis est Papistica.

Secundò, diuersitas hæc potest esse in ritibus & ceremoniis non essentialibus, quæ versantur circa administrationem sacramentorum, & prædicationem verbi, & publicas preces. Vt, quòd vna Ecclesia, v.g. agat cœnam Domini singulis diebus Dominicis, alia, singulis mensibus, alia ternis quibusque mensibus: Et in ipsa cœna agenda, vna aliis ceremoniis vtatur, alia aliis. Tunc dico, hanc ceremoniarum diuersitatem, non esse legitimam causam, cur ab Ecclesiis Christi discedamus, & Ecclesiarum communionem disrumpamus. Ratio, quoniam ob hanc diuersitatem non desinunt esse Ecclesiæ Christi.

Tempore Augustini, & aliorum Patrum, diuersitas huiusmodi ceremoniarum erat in Ecclesiis, quando alia ter in septimana, alia bis, alia die tantùm dominico cœnam ageret. Item, alia dabat Eucharistiã mane tantùm, alia etiã vesperi, hẽ aliquãdo in priuatis domibus, aliquãdo in templis publicis, aliquãdo addita tantum oratione Dominica, aliquãdo multis aliis precibus: quibus de rebus Augustinus Tom. 2. epist. 118. ad Ianuariũ. Greg. ep lib. 7. ep 63. Socrates in historia Ecclesiastica, lib. 5. c. 22. multis verbis declarat magnam diuersitatem rituum, quæ tum erat in Ecclesiis: Et ait, *nulla religio eosdem ritus custodit, etiamsi eandem de illis doctrinã amplectatur.* Ita Ireneus ad victorẽ Rom. Episcopum, diuersitatem in ieiunio, & Paschate colendo narrat, & tamen erant Ecclesiæ Christi omnes.

Deinde, Deus vult hac in Ecclesia diuersitatem: primò ne existimentur à superstitiosis, necessariæ esse ad salutem, quod quidem facilè esset cogitare, si semper & vbique essent eædem, quemadmodum patet in Papatu. Secundò, hac varietate ceremoniarum ornatur Ecclesia Christi ceu vestimẽtis vaga colorum varietate depictis,

vt ait Dauid Psal. 45. Astitit Regina à dextris tuis, in vestitu deaurato, circumamicta varietate. Item, Omnis gloria filiæ Regis ab intus in fimbriis aureis circumamicta varietatibus: quod exponit Augustinus Tom. 2. epist. 86. ad Casulanum. cuius quidẽ Ecclesiæ pulchritudo & decor essentialis intus consistit, nempe in interiore fide, & Spiritu, & charitate: diuersitas autẽ ceremoniarum, ad eius externum ornatũ attinet. Vnde ait, illæ autem obseruationes, quæ variæ celebrantur, in eius veste intelliguntur. Ergo, quando diuersitas harum ceremoniarum in Ecclesiis non est impedimento, quin remaneant Ecclesiæ Christi, imò faciant ad totius Ecclesiæ ornamentum: manifestum est, non esse ob hanc ceremoniarum diuersitatem ab Ecclesia Christi per schisma discedendum. Stat igitur hactenus propositio: ad Montem Domini ita esse ascendendum, vt quamdiu manserit mons Domini ab eo non sit recedendum, neque ob aliquam in doctrina, sed non essentiali, varietatem, neque ob magnam in ceremoniis non essentialibus diuersitatem: alioqui qui schisma facit ab Ecclesia, ita Dei manet super illum, cum in sola Ecclesia Christi, ceu in Arca Nohæ sit salus.

Quantum verò ad tertiam causam, nempe Ministrorum vitia, dicunt: Qui possumus vobiscum communicare, & vestris Ecclesiis interesse, cùm Ministri vestri, à quibus ministrantur sacramenta & verbum prædicatur, multis & apertis vitiis sint polluti? alij auaritiæ semper student, alij superbi sunt, &c. Dominus autem iubet, vt Pseudoprophetas fugiamus. Tertia causa.

Resp. Primò, etiamsi aliqui experiantur huiuscemodi ministri etiam inter nos, qui sua turpi & flagitiosa vita, ministerium suũ dehonestent ac deturpent, quod quidem valde dolendum est: non tamen omnes tales sunt: imo, Dei gratia, maior pars honesta vita (quantum humana fragilitas patitur) ministeria sua cohonestat. Sed esto sint omnes scelerati: non est tamen legitima causa hæc cur ab Ecclesiis Christi sit faciendum schisma, & cur à ministris non sit & purum Dei verbum audiendum, & sacramenta iuxta institutionem Christi administrata suscipienda. Ratio, quoniam huiuscemodi Ecclesiæ, quæ retinent purum Dei verbum, & vbi legitimè administrantur sacramenta, ob vitia ministrorum, non desinunt esse Ecclesiæ Christi. Exempla.

Tempore Christi Ecclesia illa Iudaica, quoniam ibi adhuc retinebatur verbum Dei, & legitimè sacramenta administrabantur, licet ministri pontifices & Pharisæi essent perditissimi homines, tamen non desiit esse Ecclesia. Ideo nec Christus, nec Apostoli, aut alij pij, se subduxerunt ab illa Ecclesia, neque cuipiam consuluit Christus, vt se subduceret à communione Ecclesię propter vitia sacerdotum sed contra Matt. 23. Super cathedram Mosis sedent Scribæ & Pharisæi, omnia ergo quę dixerint vobis, vt seruetis, seruate & facite: secundum verò opera eorum ne faciatis: quę dixerint vobis seruate, quatenus scilicet docent, è cathedra Mosis, id est, docent legem & doctrinam Mosis. At sunt scelerati homines? Benè, occurrit Christus, secundũ opera ipsorũ nolite facere. Dicunt enim, & non faciunt: quasi dicat, doctrina quidem bona est, ideo eam seruate: Vita mala, & non respondet doctrinæ: Ergo eam nolite sequi. Cæterùm doctrinam Mosis bonam, propter malam ipsorum vitam, nolite respuere. Hìc apertè Christus prohibet schisma fieri à veris Ecclesiis, in quibus scilicet purè prædicatur verbum Domini & sacramenta sincerè administrantur, propter sacerdotum & ministrorũ vitia.

At Dominus iussit, vt fugiamus Pseudoprophetas. Responsio. Pseudoprophetæ non dicuntur quorum mala est vita sed qui malam & falsam docẽt doctrinam, hos fugiendos neque audiendos esse docet Dominus. Discrimen est inter malum ministrum, & falsum seu mendacem ministrum. Malum facit mala vita: falsum & mendacem, falsa doctrina. Occupatio.

Hinc ferè fuit error Donatistarum, qui putabant Ministerium propter Ministrorum vitia, non esse efficax, ideóque se ab Ecclesia Catholica subduxerunt, id est, à monte Domini discesserunt. Augustinus contra eos disputans, multis rationibus hunc fœdum errorem cõfutauit: ideóque concludit, propter Ministrorum vitia, ab Ecclesia Catholica non esse deficiendum, & faciendum schisma. Legatur Aug. Tom. 4. in quæst. ex vtroque Testamẽto mixtim, cap. 102. vbi docet, quòd vita mali Ministri non nocere possit Ecclesiæ, quando ab illo vel verbum audit, vel sacramenta sumit. Item, Tom. 7. con-

tra Donatist. præsertim contra literas Petil. libro 3. cap. 55. Item contra Crescon. Grammaticum, libro 3. cap. 6.

Quarta causa. Sed quarta causa plus videtur habere coloris. Dicunt, Ecclesia Christi sancta est, sine macula & sine ruga, vt est ad Ephes. 5. Vestræ autem Ecclesiæ plenæ sunt vitiis, & quidem fœdissimis, quandoquidem impurissima est vita vestrorum fidelium, qui ipsam efficiunt Ecclesiam. Non sunt ergo vestræ Ecclesiæ Christi. Atqui cum sola Christi Ecclesia est communicandum. Ergo optime facimus, quòd à vestris Ecclesiis discedimus.

Resp. Antequam ad hanc causam respondeam, primùm notandum est duo esse hominum genera, qui hac prætexerunt caussam suæ defectioni. Quidam sunt impij & fanatici homines, qui in hac re bifariam peccant, primo, quia sibi fingunt quondam nescio quam Ecclesiam in hoc mundo, sine vllo prorsus peccato, ruga, aut næuo: putántque fieri posse, vt Christiani in hac mortali carne, fiant omninò peccati expertes, qui nunquã peccent aut peccare possint. Secundo quoniam quide falsa perfectissimæ sanctitatis persuasione inflati, qua existimant, se esse sanctissimos & mundissimos, cæteros omnes impuros esse iudicant: ideóque non posse versari inter alios peccatores, sine aliqua suæ sanctitatis contaminatione. Tales olim fuerunt Cathari, & qui eorum insaniam sequebantur. Tales & nunc sunt ex Anabaptistis permulti, qui præ aliis videri volũt sanctissimi. Quidam vero sunt non prorsus impij, aut omninò mali, imo potiùs alioqui boni, qui & ipsi hac in re bifariam peccant: Primò quoniam existimant ibi non esse Ecclesiam Christi vbi impuriorem alioqui vident hominũ vitam. Secundo quoniam & ipsi, ex occulta quadam superbia & φιλαυτίᾳ, nimium sibi placent, neque vere agnoscunt quales sint: idcirco aliorum consortia, in quibus humanum aliquid adhuc superesse cernunt, aspernantur. Omnium autem horum finis, cur se ab Ecclesiis subducant, & schisma faciant, si penitiùs rem perpendamus, est, vt aliis sanctiores videantur: quanquam illorum magis, horum verò minùs sit apertus.

Nunc ad illam, quam prætexunt causam respondeo: Et primò ad id, quod aiunt, Ecclesiam Christi esse sanctam, &c. *Resp.* Ecclesiam Christi accipi posse bifariam, vel pro Ecclesia secundùm iudicium Dei, quæ est reuera Ecclesia coram oculis Dei. Hanc cõfitemur esse sanctam sine ruga, & næuo. Sed quomodo? Primò in Christo, quonia nullum ei peccatum imputatur, sed in Christo reputatur apud Patrem sanctissima, sine ruga, &c. Deinde, in continua Spiritus sancti regeneratione, quæ quoniam quotidie expetitur, perficitur per Spiritum sanctum. Tertiò in spe, quoniam breui futurum est, vt sit prorsus sine vlla in se macula: Sicut Apostolus etiam Rom. 8. ait, spe nos saluos factos esse: ita, dico, spe Ecclesiam esse omninò sanctissimam, sinéque ruga. Nõ autem intelligendum est, Ecclesiam & membra ecclesiæ, esse aut posse realiter in hoc mundo sine vllo peccato: cùm contrarium doceant Scripturæ. 1. *Ioh.* 1. Si dixerimus, nos peccatum non habere, nos ipsos fallimus, & veritas in nobis non est. Quare errant in maiore propositione.

Deinde nos non loquimur de hac Ecclesia, quandoquidem discernere nobis non licet hanc puram Ecclesiam, quæ constat tantùm electis, ab aliis Ecclesiis. Vel accipi potest Ecclesia secundùm iudicium nostrum, pro visibili hominum cœtu, qui eundem Deum, & Christum eius filium se colere profitetur, habéntque sincerum Christi verbum, legitimámque sacramentorum administrationem. Hanc certè esse totam omnino sanctam, sine ruga, &c. falsum est. Primò, quoniam illi electi, qui sunt verè de Ecclesia, imò ipsa Ecclesia coram Deo, non sunt prorsus sancti secundùm præsentem & realem in se inhærentem sanctitatem, vt suprà docuimus. Deinde, quoniam ibi semper in finem vsque mundi, sunt & erunt reprobi & hypocritæ, electis atque piis admixti, ita vt nunquam in hoc mundo reperiri possit vlla visibilis Christi Ecclesia, in qua non sint & boni & mali. Huc spectant parabolæ Christi, de Ecclesia, Matth. 13. & alibi, quod sit instar retis, quo colliguntur omnis generis pisces & boni mali, neque seliguntur, donec in littore sint expositi. Quod sit instar agri, in quo sunt & frumenta & zizania, neque separantur ab inuicem, donec veniat tempus messis, id est, finis seculi. Quòd sit area, Matt. 3. vbi frumentum mixtum cum paleis, sub quibus paleis tamdiu delitescit, donec vanno & cribro repurgatum, in horreum reconditur.

Falsum est igitur, quod somniant, Ecclesiam Christi, quocunque modo illam accipiant, posse in hoc mundo esse realiter sine vllo peccato, ruga, aut næuo. Quare si discedendum est ab illis Ecclesiis, vbi vitia aliquot inueniuntur, & vbi impura est vita multorum, qui in illis Ecclesiis commorantur: in nulla Ecclesia poterit quis habitare, quoniam nulla reperiri potest talis, qualis ab ipsis schismaticis fingitur.

Ad id vero, quod aiunt in minore propositione: vestræ Ecclesiæ sunt impuræ, ibi multa vitia passim grassantur, neque tamen corriguntur, cùm tamen Apostolus 1. Corinth. 5. grauiter respondebat Corinthios, quod vnum flagitiosum hominem sinant in suo contubernio?

Resp. Primo. Non inficiamur, multa esse vitia in nostris Ecclesiis, quod cum maximo etiam dolore affirmamus, superbiam, auaritiam, stupra, crapulam, ebrietatẽ, inhospitalitatem: neque magistratus admodum sunt soliciti, vt hæc vitia ab Ecclesiis Christi tollantur, quoad eius fieri potest, sed omnes inhiant suis commodis, quærunt quæ sua sunt, non quæ Iesu Christi. Hæc fatemur, ita vt multis Papistis alioqui sine dolo, simus impedimento, & scandalo, ne ascendant ad montem Domini: imò simus in causa, ob nostra scelera, vt Ecclesiæ Christi inuertantur a Tyrannis mundi: hæc, inquam, fatemur: sed dico secundo, Nunquid potest hæc esse legitima & iusta causa, cur ab Ecclesia Christi, vt sunt nostræ, sit deficiendum? Nequaquam. Ratio, quoniam ob hanc impuram hominum, qui sunt in Ecclesia, vitam, Ecclesiæ non desinunt esse Ecclesiæ Christi, modo in illis purè prædicetur verbum Domini, quantum ad capita doctrinæ essentialia attinet, & legitimè administrentur sacramenta: ideóque ab illis, ob hanc impuram hominum vitam, discedendum non est.

Exemplis sacris scripturæ id fiat illustrius. Corruptissima erat Ecclesia Hierosolymitana tempore Iesaiæ, Ieremiæ, Ioelis, Habachuchi, quemadmodum ab ipsis Prophetis describitur: corruptissima inquam erat, & in religione, & cultu, atque in moribus. Nam religió partim erat contemta, partim supra modũ contaminata: sacrificabant in sacellis, adorabant idola, denique maxima erat in religione & diuino cultu corruptio, vt Iesaias cap. 1. conqueritur. In moribus quanta pestis? passim grassabantur fœdissima vitia, ita vt Sodomæ & Gomorræ similes esse & populus & principes dicerentur: passim furta, rapinæ, cædes, perfidiæ: pauperum, viduarum, pupillorum & aduenarum oppressiones: Magistratus iudicium & iustitiam non faciebat, non curabat Ecclesiam, non animaduertebat insontes, sinebat omnia sursum & deorsum volui: principes, facti socij furum: vt habet 1. cap. Esa. Videtis quàm corrupta fuerit illa Ecclesia, non in moribus solum, sed etiam in religione: Nunquid tamen vel ipsi Prophetæ schisma fecerunt ab illa Ecclesia, & nouam sibi Ecclesiam erexerunt, noua altaria fabricarunt, in quibus separata sacrificia haberent, aut alios ad schisma & defectionẽ hortati sunt? nequaquam. Vitia quidem illa, & cultus diuini contaminationem reprehendebant: *Quorsum mihi* (ait Dominus) *multitudo victimarũ vestrarũ, &c.* vt se emendarẽt hortabantur, dicendo: *Lauate, mundate vos, &c.* ad schisma vero nunquam hortati sunt quempiam, neque ipsi ab ea Ecclesia defecerunt. Ratio, quoniam cum adhuc ibi sincere prædicaretur verbum Domini per Prophetas, & sacraměta iuxta institutionẽ Dei legitimè administrarẽtur, Ecclesia illa, ob reliqua populi vitia, nõ desiit esse Ecclesia Dei. Quare neque ab ea discedẽdum erat.

Iam dico, si igitur sancti illi Prophetæ, tametsi tot & tanta vitia, non in vno & altero homine, sed in toto ferè illo populo, in tota ferè Ecclesia passim videbãt: tamen religionẽ sibi ducebãt, se ab Ecclesia abalienare, aut alios ad talem abalienationem hortari: nimium certè nobis arrogamus, si protinùs audemus ab Ecclesiæ communione deficere, vbi non omniũ mores vel nostro iudicio, vel Christianæ etiam professioni satisfaciunt. Nõ igitur licet ab Ecclesia Christi discedere, quamdiu manet Ecclesia Christi: & tamdiu manet visibilis Ecclesia Christi, quamdiu retinet & puram verbi prædicationem, & legitimam sacramentorum administrationem.

Hic tamen addo, & dico officium pij hominis esse, ab omni priuata impiorum consuetudine se subducere, nulla se voluntaria cum ipsis necessitudine implicare, sicut passim docent sacræ literæ, & præsertim Paulus 2. Cor. 6. Sed aliud est priuatum malorum fugere contubernium:

tubernium, aliud ipsorum odio publicam Ecclesiæ communionem renunciare. Illud affirmo, hoc nego esse faciendum.

Adferre possem sexcenta loca ex Patribus, qui hoc idem confirmant, nempe propter impuriorem eorum, qui in Ecclesia versantur, vitam, non esse ab Ecclesia Christi deficiendum, sed vnicuique studendū, vt ipse bonus permaneat, ac melior in dies fiat, & in aliis, quod potest corrigat, quod nō potest, patiēter ferat, nunquam tamen Ecclesiā deserat, sed duo tātùm loca citabo. Aug. Tom.7. cont. epist. Parmeniani. libro 3. cap. 1. & 2. & Cyprian. lib.3. epist. epist.3. Quam eandem August. citat Tom.7. contra Crescon. Grammat lib.3. c.31. *Si videntur* (inquit) *in Ecclesia esse Zizania: non tamen impediri debet aut fides aut charitas nostra, vt quoniam in Ecclesia Zizania esse cernimus, ipsi de Ecclesia recedamus, nobis potius laborandum est, vt frumentum esse possimus, vt cùm cœperit frumentum dominicis horreis condi, fructum pro opere nostro & labore capiamus.* At quinta causa plus negotij facessit multis etiam alioqui piis. Aiunt, manebimus quidem in Ecclesia, veniemus ad audiendum verbū, & ad preces, sed qui possumus in cœna communionē vobiscū habere, cùm ad eam admittantur multi impuri, ebrij, auari, & alij scelerati homines? Apostolus enim iubet 1. Corinth. 5. vt cum huiusmodi hominibus, ne panem quidem communem comedamus, i.e. ab illorū consortio omninò abstineamus, qui fieri igitur potest, vt liceat nobis cum illis panem dominicum manducare? In hoc albo sunt plerique etiam inter nos, in omnibus fermè locis.

Quinta causa.

Resp. Primùm ad id, quod aiunt, promiscuè admitti à nobis ad cœnam Domini quoscunque vel ebrios, vel impudicos, &c. respondeo, quantum ad hos peccatores, eos intelligi posse bifariam, vel qui ante fuerunt ebrij, &c. Sed postea resipuerunt. Hos dicimus secundùm verbum Domini, non esse excludendos à mensa Domini, quandoquidem vera pœnitentia & fide præditi sint, vel eos, qui etiamnum ebrietati student, aliisque vitiis. & tales sine pœnitentia & fide accedunt. hoc dicimus simpliciter non esse admittendos. Quòd autem admittuntur plerumque, hoc contingere potest bifariam, vel ex ignorantia Ministrorum, eo quod non agnouerint tales esse, quales sunt, & hanc certè ignorantiam non probamus, quoniam debet Minister agnoscere, qualesnā sint illi, quibus cœnam Dominicam administrat, quòd si ignorat, nō potest nō accusari supinæ & reprehendendæ negligentiæ, Vel potest fieri ex consilio, id est, quod Ministri eos quidem agnoscunt quales sint, sed tamen nolint eos à cœna arcere, idque aut quoniam cum sint occulti, neque omnibus noti peccatores impœnitentes, nolunt eos apud totam Ecclesiam traducere, & in hac parte non errant, quoniam sequuntur exemplum Christi, qui cœnam dedit Iudæ impœnitenti, sed alioqui occulto, aut, cùm sint omnibus noti, qualesnam sint, non student tamen eos arcere præ timore, vel aliquo alio humano respectu. Hoc damnamus in Ministro vitium timiditatis. Debet enim Minister Christi, esse cordatissimus & heroicus.

Sed hic non est spectandum, quid vnus aut alter vilis Minister agat, sed quæ sit Ecclesiæ institutio, quæque communis in omnibus Ecclesiis consuetudo In omnibus autem Ecclesiis nostris, antequam cœna ministretur, omnibus huiuscemodi publicè facinorosis hominibus cœna interdicitur, ne ad Dominicam mensam accedant. Et certè magnum est probrum, quòd inter filios Dei locum habeant & porci & canes, multò verò maius, si illis prostituuntur sacrosancta cœnæ Dominicæ symbola, id quod Paulus vehementer reprehēdit in Ecclesia Corinthiaca. Quare Ecclesiæ Christi nō debent huiuscemodi sceleratos in sinu suo ferre, nec ad sacram cœnam dignos simul & indignos promiscuè admittere: id quod plerumque fit in Ecclesiis nostris.

II. Sed fac, vt Ecclesiæ Ministri suo desint officio in hac parte, admittántque ad cœnam etiam indignos & publicè sceleratos, quid tum? legitimáne erit hæc causa, cur vnusquisque sese à cœna Dominica subducat, eóque à publica Ecclesiæ communione deficiat? Nequaquam. Ratio, quoniam propter hunc abusum, Ecclesia Christi non desinit esse Ecclesia Christi. Deinde istorum sceleratorum communione in cœna Domini, non possunt piorum conscientiæ contaminari. Exempla adfero. Ecclesia Hierosolymitana tempore Prophetarum, vt supra dictum est, corruptissima erat in moribus & in religione: ad sacra admittebantur promiscuè omnes, ibi multi scelerati, & facinorosi homines: Prophetæ tamen vnà cum illis templū introibant, sacris cum aliis participabant, vnà cum aliis manus ad Deum extendebāt, sacrificia cum aliis offerebant. Cur? quoniam cùm ibi conseruaretur purum Dei verbum, & sacramenta legitimè administrarentur, ideóque esset vera Dei Ecclesia, idcirco nolebant schisma ab Ecclesia facere, propter sceleratos in sacris præsentes. Quòd si Prophetæ existimassent posse piorum animas ex tali cum impiis in sacris cōmunione infici, aut aliquid contagionis contrahere, mori potius centies maluissent, quàm talibus sacris interesse, & cum impiis communicare. Non ergo aut ob talē abusum Ecclesia desinit esse Ecclesia Christi: aut pij, impiorum in sacris cōmunione possūnt contaminari. Adferam & exemplum Christi. Qualis fuerit eadem Ecclesia Hierosolymitana, tempore Christi & Apostolorum, omnes norunt corruptissima in moribus & religione. Sacra illa administrabantur à pessimis Sacerdotibus, inferant quàm plurimi perditissimi nebulones, Christus tamen & Apostoli, in idem templum ingrediuntur ad publica religionis exercitia, iisdem sacris cum reliquo populo vtuntur: neque aut desperata Pharisæorum impietas, aut dissoluta reliqui populi in viuendo licentia potuit eos à communionibus cum reliquo populo sacris arcere. Quare? quoniam optime sciebat Dominus & Apostoli, piorum conscientias nequaquàm malorum societate pollui, si pura conscientia iisdem sacris communicent. Si pij communione in sacris cum impiis pollui possunt: cur ergo Christus à cœna non arcet Iudam, quem optimè notat esse impurissimū nebulonem, ne cæteri Apostoli eius consortio pollucrentur? Non arcuit. Ergo manifestum consortio impiorum in sacra cœna pios non contaminari: Neque enim animi per veram & propriam fidem sinceri, per alienā perfidiam possunt commaculari. Adferam & sententiam Pauli. Quid Paulus hac de re docet? Primū qualis esset Ecclesia Corinthiaca apertè describit, corrupta in cultu & doctrina corruptissima in moribus. Quantum ad mores attinet, ibi erant horrenda flagitia, qualia nec inter gentes audiebantur, stuprum scilicet & fornicatio talis, vt quis teneret vxorem patris sui: ibi feruebāt contentiones, sectæ æmulationes, inuidiæ: ibi lites & iurgia cū anxia habendi cupiditate: ibi denique infinita & omne genus vitia. Quantum ad religionem & doctrinam, ibi negabant multi resurrectionem mortuorū, & eam habebant ludibrio: ibi permulti qui cum infidelibus vescebantur idolothytis, vulnerantes infirmorum conscientias. in cœna magna confusio: diuites nō expectabant pauperes, eos contemnebant: pauperes de diuitibus obmurmurabant, ita vt dicat Apostolus hoc non esse Cœnam Dominicam manducare. En qualis describatur illa Ecclesia ab Apostolo: & quomodo in cœnā Domini fuerint permulti indigni.

Sed numquid ob hanc causam prohibet piis, ne accedant ad mensam Domini, quasi consortio impiorū contaminandi? Minimè gentium. Sed quid Paulus? hortatur omnes, vt veniant ad cœnam Domini, neque alter, ob alterius impuram vitā, à cœna abstineat: sed *unusquisque* (inquit) *probet seipsum*, non alios, sed *se ipsum. & sic de pane illo edat.* Nō exigit Apostolus vt vnus alium examinet, aut vnusquisque totam Ecclesiam: sed singuli se ipsos probent. Certè si cum indigno cōmunicare nefas esset, iuberet Paulus nos circumspicere, num aliquis in cœtu sit cuius immunditia pollui possimus. Nō hoc iubet, sed tantùm vt vnusquisque se ipsum probet. Ergo docet minimè nobis obesse, si qui indignè nobiscū ad mensam Dominicam accedant. Huc spectat, quod ait; *Qui indignè manducauerit, manducat sibi iudicium* Nō ait, alus, sed *sibi iudicium manducat*. Ergo patet ex Apostolo apertè, hanc non esse legitimam causam, cur quispiam debeat abstinere à Cœna Dominica, ideóque sese à cōmunione Ecclesiæ subducere, propterea quòd ad cœnam Dominicam multi accedant indignè, scelerati & impœnitentes.

At ait, 1. Corinth. 5. homines facinorosos, qui eandem Christi religionem profitentur, & fratres appellantur, ita fugiendos esse fidelibus, vt cum iis ne panem quidem sumant. Quomodo igitur licet panem Dominicū cum illis sumere?

Resp. Loquitur ibi Paulus de excommunicatione, nempe, vt Ecclesia huiuscemodi facinorosos & impœnitentes homines, qui tamen appellari volunt inter nos

fratres, excommunicet. Iubet vero singulis, vt eorũ consuetudinem fugiant, quos Ecclesiam à sua communione resecuit. Huiuscemodi quoque neque ad cœnam ad mittendos esse docemus. Atque de iis valet consequentia: cum huiuscemodi excommunicatis ab Ecclesia, nõ est, ne panis quidem communis (si nobis sit liberum) sumendus: ergo multò minus panis Dominicus. Longè verò alia ratio est de iis peccatoribus, qui non sunt ab Ecclesia excommunicati, si accedant etiam ipsi ad cœnam Domini.

Manifestum est igitur ex iis omnibus, quæ diximus, non esse legitimam causam, cur aut ab Ecclesia omninò sit deficiendum, aut cum reliquo populo in sacris non sit communicandum, eò quod ad cœnam Domini sæpiùs etiam accedant & admittantur multi scelerati homines, ebrij, auari, seditiosi: modo non sint ab Ecclesia excommunicati. Ratio, quoniam Ecclesia propter istos non desinit esse mons Domini: neque istorum consortio in sacris contaminari possunt pij.

Quare stat propositio nostra, ita ascendendum esse ad montem Domini, ad Ecclesiam Christi, vt inde nunquam sit discedendum, quamdiu mãserit Ecclesia Christi, mons Domini. Manet autem tamdiu, quamdiu in ea permanet & sincera verbi Dei prædicatio, & legitima secundum institutionem Christi sacramentorum administratio: quæ duæ sunt perpetuæ notæ, veræ Ecclesiæ visibilis Christi. Vbicunque enim purum Dei verbum sincerè, quantum ad essentialia doctrinæ Christianæ capita attinet, prædicatur: & vera sacramenta, secundùm institutionem Christi, legitimè administrantur: tametsi ibi reperiantur vel in doctrina aliqui errores, qui summam tamen doctrinæ necessariæ non inuertant, vel in sacramentorum administratione, aliqua ceremoniarum ab aliis Ecclesiis diuersitas, quæ legitimam tamen sacramentorum administrationem non corrumpat: vel in moribus tam ministrorum, quam reliqui populi aliqua corruptio. ibi Ecclesiam Christi esse, procul dubio agnoscendum & fatendum est. Quare quamdiu talis manet, ab ea discedere nefas est, ob quam possis prætexere causam.

CAPVT VIII.

AN DEFICIENTES AB ECclesia Romana, deficiãt ab Ecclesia Christi, à monte Domini: & qualisnam fuerit nostra defectio.

POsteaquam igitur ostendimus, ita ascendendum esse ad montem Domini, vt inde, quãdiu mãserit, mons Domini, id est, Ecclesia Dei, discedere fas non sit, neque ob aliquos in doctrina errores, neque ob aliquam sacramentarum administrationis diuersitatem, aut etiam abusum neque ob vitia vel ministrorum, vel reliquę plebis, neque ob communionem cum impiis in vera cœna Domini: Nunc videndum est, I. An nos ab Ecclesia Papę deficientes defecerimus à monte Domini, id est, ab Ecclesia Christi. II. Cùm tamen defecerimus ab illa Ecclesia, qualisnam sit nostra defectio. Hæc ideo tractanda sunt, vt pateat, an defecerimus à monte Domini, an potiùs ascenderimus ad montem Domini.

De I.

Quantùm ad primum attinet, manifestum est, nos defecisse ab Ecclesia, vel potiùs à secta Papæ, & hoc libenter fatemur, & de hac defectione gloriamur. An verò ita deficientes, defecerimus ab Ecclesia Christi, negamus, statuimúsque hãc conclusionẽ: Quod deficiẽtes ab Ecclesia Papæ, non deficiant ab Ecclesia Christi. Patet hoc Enthymemate: Ecclesia Papæ, non est vera Ecclesia Christi: Ergo qui ab Ecclesia Papæ deficiunt, non deficiunt à vera Ecclesia Christi. Consequentia patet. Nunc probandum est Antecedẽs, Ecclesiã, inquã, Christi visibilem. De hac enim loquimur. Nam de solo electorum cœtu, nullum ferre certum iudicium possumus. Vnde verò hoc meliùs probabimus: quàm à veris, perpetuis & essentialibus tesseris Ecclesiæ Christi, quibus non solum agnoscitur Ecclesia, sed etiam definitur, quid sit Ecclesia?

I. Videamus ergo *primò*, quæ sint veræ & essentiales Ecclesiæ Christi notæ, seu tesseræ, quæ & essentiales partes sunt definitionis Ecclesiæ, quibus Ecclesia Christi definitur, quæ & quid sit. II. *Secundò*, videamus, an hæ tesseræ reperiantur in Ecclesia Papæ, ideóque an in definitionem Ecclesiæ Papæ possint cadere hæ notæ.

III. *Tertiò*, tunc videbimus aperte, an Ecclesia Papæ sit Ecclesia Christi, nec ne: Cui enim non competit definitio, ei neque competit definitum.

Notæ & tesseræ veræ Ecclesiæ Christi (iuxta quorundam sententiam, quam non improbamus) sunt duplicis generis: aliæ sunt externæ, aliæ internæ. Internæ sunt propriæ & singulares ipsis electis & verè piis, quibus coram oculis Domini vere discernuntur ab hypocritis: & quibus etiam pij ipsi sese agnoscunt, an sint vera Ecclesiæ membra vel non. Hæ sunt præcipuæ tres istæ: prima, communio Spiritus Domini, qua primum Christus nobis sese vnit, in nos illabitur, & in nobis manet. Hac nota agnoscunt veri fideles, quòd Christus in ipsis sit. 1. *Ioh.* 3. Ex hoc cognoscimus, quod in eo manemus, & ipse in nobis, quoniam de Spiritu suo dedit nobis. *Rom.* 8. Est enim axioma: Qui non habet Spiritum Christi, hic non est eius. Interna Ecclesiæ notæ.

Secunda est, fides viua & sincera, qua deinde vicissim amplectimur nos Dominum, & ei copulamur. 1 *Iohan.* 4. Quisquis confessus fuerit, quòd Iesus est Filius Dei: Deus in eo manet, & ipse in Deo. *Ephes* 3. Christum habitare per fidem in cordibus nostris. Proinde Christus suo Spiritu illabitur in corda nostra, & se vnit nobis: nos fide excitata in cordibus nostris, per Spiritum Christi. Christum amplectimur.

Tertia est Charitas, qua proximo nostro copulamur, quæ & appellatur à Paulo vinculum perfectionis. Hac enim omnes fideles iuncti sunt inuicem, dum se mutua charitate complectuntur: quanquã etiam fide & eodem Spiritu Christi iungimur & sumus vnum. De hac *Ioh.* 13. Præceptum meum do vobis, vt alij alios diligatis, sicut ego dilexi vos, vt & diligatis alij alios. Hæ sunt internæ notæ veræ Ecclesiæ Christi quibus coram Deo agnoscitur esse Ecclesia Christi, & quibus singuli fideles agnoscunt se esse membra veræ Christi Ecclesiæ. Cæterùm quoniam iis certo agnoscere non possumus, quænam sit visibilis Ecclesia Christi, quandoquidem nobis apertè non constat, quinam verè præditi sint Spiritu Christi, fide in Christum, & charitate, nisi ab effectis, quæ sæpe fallere nos possunt, idcirco iudicanda nobis est Ecclesia non ab internis, sed ab ipsis externis Ecclesiæ notis.

Externæ notæ Ecclesiæ Christi veræ, sunt duæ, pura verbi prædicatio & conseruatio, saltem quantum ad essentialia attinet, & legitima sacramentorum secundum institutionem Christi, administratio. De prima *Ephes* 2. Ecclesia fundata est super fundamentum Apostolorum, id est, super doctrinam & verbũ Dei, ab Apostolis & Prophetis prædicatum: nec solùm fundata, sed etiam eodem verbo augetur, ędificatur, conseruatur. De secunda 1. *Cor.* 11. Quotiescunque manducaueritis panẽ hunc, &c. mortem Domini annunciabitis: docet in Ecclesia fore vsque ad aduentum Domini administrationem sacramentorum, non solùm baptismi, quo cooptamur in Ecclesiam Christi: sed etiam cœnæ Dominicæ, quã annunciamus illius mortem, donec veniat: & cibamur ad vitam æternam. De vtraque nota. *Matt.* 28. Docere omnes Gentes seruare quæcunque præcepi vobis. En verbum: Baptizantes eos in nomine Patris, &c. *Actor.* 2. Cùm prædicasset verbum Petrus ipsis Hierosolymitanis, quæ est prima nota, hortatur ad sacramentum baptismi, quæ est secunda nota, dicendo: *Baptizetur vestrum vnusquisque in nomine Domini, &c. in remissionẽ peccatorum.* Item ibidem recensentur symbola hæc Ecclesiæ ambo, cùm de Ecclesia loquens, Lucas ait, *Erant perseuerantes in doctrina Apostolorum, & beneficentia, ac fractione panis, & precationibus.* En & perseuerantiam in doctrina simplici Apostolorum, quæ est prima nota, & puram sacramentorum participationem, quę est secunda. Notæ externæ.

Manifestum est igitur, duas esse præcipuas tesseras visibilis Ecclesiæ Christi externas, verbum Dei, & sacramenta Christi. His enim colliguntur homines in societatem vnius corporis Ecclesiastici, & in eadem societate retinentur. Sed quale verbum, & qualia sacramenta, sunt notæ Ecclesiæ?

Resp. Purum Dei verbum, orthodoxè intellectum, & sincerè

sincerè prædicatum. Primò *purum*, vbi enim doctrinæ humanæ admiscentur verbo Dei, & obtruduntur, tanquam necessariæ,sicut & verbum Dei,ibi nō est Ecclesia Christi.Secūdo,*orthodoxè intellectum*. Vbi enim verbum admittitur quidem,sed peruersè intellectum,& in præposterum sensum detortum, vt solent omnes hæretici,ibi non est Ecclesia Christi. Ariani & alij hæretici non repudiabant verbum Dei,imò errores suos scripturarum testimoniis confirmare & tueri nitebantur: sed depravatis,& extra orthodoxum sensum intellectis. Est autem orthodoxus sensus ille, qui conformis est primis Christianæ doctrinæ axiomatibus & articulis: item aliis apertis scripturarum locis: item qui ab vniuersa semper Ecclesia fuit admissus.Tertiò *sincerè prædicatū*. Ibi enim non est Ecclesia Christi, vbi etsi sit verbum in scriniis reconditum,tamen non prædicatur,vt fit in Ecclesiis hæreticorum,vt sunt synagogæ Iudæorum.Verbum enim Domini vel mixtum cū humanis doctrinis: vel non orthodoxè intellectum: vel non sincerè prædicatum, non est veræ Ecclesiæ Christi nota, vt patet in Ecclesiis hæreticorum Arianorum, Pelagianorum, &c. Ad hoc igitur, vt verbum sit vera Ecclesiæ Christi nota, oportet,vt sit purum, orthodoxè intellectū, sincerè prædicatum: siue, pura ac orthodoxa & sincera verbi Dei prædicatio,nota est Ecclesiæ Christi.

Sacramenta item sunt altera vera Ecclesiæ Christi nota, si sint pura, id est, sola & legitimè iuxta institutum Christi administrata. Primò, *Sola*, quoniam ibi non est Ecclesia Christi, vbi alia, præter sacramenta Christi,sacramenta instituuntur & administrantur. Secundo *iuxta institutionem Christi administrata*: quoniam ibi non est Ecclesia Christi vbi in alium vsum,alia ratione,aliis ritibus,quàm instituta fuerunt à Christo, administrātur. Sacramenta enim vel cum aliis sacramentis admixta, vel non iuxta institutum Christi administrata,non sunt vera EcclesiæChristi nota.Pura igitur verbi prædicatio, & legitima sacramentorum administratio, veræ sunt Ecclesiæ notæ exemplum.

Sacrificia fiebant in populo Israel,sub Ieroboamo, & Deo quidem Israel: sed quoniam non legitimè offerebantur sacrificia illa,id est,eo modo,quo iusserat Deus, neque in eo loco, nempe Hierosolymis: sed in lucis & collibus sub frōdosis arboribus:propterea illa sacrificia non erant vera signa,quòd illa esset Ecclesia Dei.Gentes eadem sacrificia offerebant, sed quia non legitimè ideo non erant signa,quod essent Ecclesia Dei.

Tertia successio Episcoporum. A Romanistis additur tertia nota, quam & præcipuā dicunt esse,quæ est continua Episcoporum & pastorum in Ecclesia Christi successio. Hæc probatur esse necessaria nota sic:primò,Eph.4 Et posuit quidem in Ecclesia alios Apostolos,alios Prophetas, alios verò Euangelistas,alios pastores & doctores,ad instaurationem sanctorum,in opus administrationis,in ædificationē corporis Christi,donec occurramus omnes in vnitatem fidei. Hic docet Paulus fore semper in Ecclesia perpetuam & continuam pastorum ac Episcoporum successionē, per quos EcclesiaChristi regatur,ædificetūrque,donec occurramus omnes Christo,&c.

Secundò sic: Ecclesia Christi visibilis in terris semper sit,vsque ad finem mundi, necesse est, vbi prædicetur verbum Dei,& administrentur sacramenta. Atqui esse non potest, nisi ibi sit perpetua & continua Episcoporum ac pastorum successio, per quos verbum prædicetur,& sacramenta administrentur: alioqui nulla extaret Ecclesia Christi visibilis,nisi ibi essent pastores. Ergo necesse est, vt semper in Ecclesia Christi sit cōtinua Episcoporum successio:&hæc est legitima & præcipua Ecclesiæ nota,ita vt qui se separant ab hac Ecclesia, vbi est continua Episcoporum successio, sint ceu membra à toto corpore auulsa.

Tertiò,autoritate Patrū, præsertim Tertulliani, qui Ecclesiam Christi metiuntur & æstimant etiā ex continua successione Episcoporum.Is enim contra hæreticos disputans,inter alia ait: Cæterū,si quæ scilicet Ecclesiæ audent interserere, se ætati Apostolicæ, vt ideo videantur ab Apostolis traditæ,quia sub Apostolis fuerunt: possumus dicere, edant igitur origines Ecclesiarum suarum.

Resp. Si per successionem Episcoporum intelligunt Papistæ successionem hominum quorundam, qui vocentur Episcopi, tametsi neque doceant verbum Dei, neque administrent sacramēta:& si docent, doceāt doctrinas hominum, & sacramenta ab hominibus inuēta administrent, & qui sunt potiùs idola Episcoporum, quàm veri Episcopi: dico hanc successionem non esse notam Ecclesiæ Christi: neque ex hac successione Episcoporum reiicientium verbum Dei, & depravantium sacramenta Christi, probari posse, ibi esse Christi Ecclesiam. Ratio,quoniam Ecclesia Christi non potest esse, vbi non est purum Dei verbum, & sincera sacramenta. Exemplo res clarior fiat. In Ecclesia Israelitica ab Aarone vsque ad Christum, fuit successio taliū Pontificum & sacerdotum,non solum in Iudaico populo,sed etiam in Israelitico, tempore Ieroboam: nunquid igitur talis continuata successio erat vera nota illam esse veram Ecclesiam Dei? Particulariùs & clariùs dicam. Ab Aarone,serie non interrupta, vsque ad Vriam sub Achabo, & alios impios Pontifices, à verbo Dei ad traditiones hominum & idololatriam deficientes, fuit hæc continuata successio pontificum,quorum primi quidem boni & pij fuerunt, postea alij defecerunt à verbo Dei, vt patet sub Ieroboamo in Israel: illa successio probátne idololatras pontifices,cum Ecclesia ipsis adhærente esse Ecclesiam Dei? Minimè gentium. Non igitur successio falsorum Episcoporum aliquid probat de vera Ecclesia Dei.

Si verò per successionem Episcoporum intelligunt successionem verorum Episcoporum, id est, hominum, qui continuata serie, verbum à Prophetis & Apostolis acceptum sincerè prædicāt, & sacramenta administrant legitimè, sint plures vel pauci nil refert: admitto,hanc successionem notam esse Ecclesiæ Christi. Ratio, quoniam,cùm verbum Dei purè prædicatum & sacramenta legitimè administrata, idque serie perpetua in Ecclesia Christi, sint veræ notæ Ecclesiæ Christi: verbum autem non possit prædicari, nec sacramenta continuata serie administrari, nisi per pastores, quicunque illi sint,quos & Episcopos vocamus & Presbyteros: sequitur etiam, hanc verorum Episcoporum successionem, esse notam Ecclesiæ Christi. Et de hac loquitur Apostolus Eph. 4. de hac loquuntur Patres,& Tertullian. de hac, inquam, continuata verorum Episcoporum successione, quatenus puram Catholicæ Ecclesiæ doctrinam retinent & prædicant, & secundùm verbum Dei regunt Ecclesiam.

Cæterùm, nil postea concludunt Romanenses, cùm hinc arguere volunt, se esse veram Ecclesiam quoniam possunt ostendere, hanc Episcoporum successionem in Ecclesia Romana fuisse, incipiendo à Petro, inde ad Clementem,& ita deinceps, vsque ad sanctissimum Iulium III. Nos verò non esse Ecclesiam Christi, quoniam non possumus citare hanc Episcoporum successionem. Ratio, quòd non valeat hæc illatio,est: quoniam non citant successionem verorum Episcoporum Ecclesiæ Christi: sed miscent Episcopos, qui defecerunt ab Ecclesia Christi ad Idololatriam, cum Episcopis veris qui antecesserunt, alioqui sequeretur etiam Arianos & Eutychianos,& alios Episcopos hæreticos esse Ecclesiam Christi, quoniam poterant citare hanc continuam successionem.

Nos potius possumus citare hanc continuam verorum Ecclesiæ Christi Episcoporum & pastorum successionem,qui,quando alij defecerunt à Christo, & se diuiserunt à veris Apostolorum successoribus, sicut contigit in Romana Ecclesia, isti pij viri noluerunt deficere à Christo, nec ab Apostolorum continua serie, ceu filo quodam, auelli: sed continuata cum Apostolis & Apostolorum successoribus vnitate, verum minùs Apostolicum amplexi, in medio Ecclesiæ prædicare cœperunt verum Dei verbum, & arguere defectores: quanquam illi pij viri,quia pauci, ab aliis hæretici iudicati fuerint. Exemplum in Israelitica Ecclesia. Primus Pontifex verus fuit Aaron: ab eo continuata fuit successio Episcoporum vera,vsque ad Ieroboam, Regem decem tribuum, vel vsque ad Achab: ibi deficiunt Pontifices ordinarij à verbo Dei ad idololatriam: Elias non defecit, sed suscipitur in medio populi, qui verbum Dei verum, & verum Dei cultum prædicet, arguátque idololatriam totius reliqui populi,& falsorum sacerdotum. Hic quæro, quis successit tunc prætermissis veris Ecclesiæ pastoribus? nunquid idololatrici Pontifices? Non, sed Elias: iste continuauit seriem verorum pastorum in Ecclesia Dei,aliis iam ad idololatriam prolapsis, ideóque à filo & serie demortuorum verorum Ministrorum abscissis: sic deinceps discurrentes vsque ad Christum, semper dum illi, qui videbantur ordinarij Pontifices & doctores, deficis-

bant & seriem verorum successorum interrumpebant, alij extraordinariè excitati à Deo, prædicabant verbum Dei,& ita continuabant Episcoporum seriem veram. Sic tempore Christi: in quibus continuata fuit successio verorum Episcoporum? in illis Pontificibus sacerdotum, qui omnia corruperant?an in Christo & Apostolis? In Christo & Apostolis, qui tamen aliis videbantur hæretici, & sectas facere,cum reuera illi veram Ecclesiam congregarent & regerent. Ita post Apostolos idem vsu venit.

Hæc igitur successio Episcoporum in Ecclesia, potest nota esse Ecclesiæ Christi, si sit successio verorum Episcoporum,qui agnoscuntur & iudicantur veri ex verbo, si scilicet sincerum Dei verbum prædicēt: falsi,si à verbo deficiant ad doctrinas hominum. Quare cùm etiam hæc successio Episcoporum iudicetur ex iis duabus notis,scilicet ex sincera verbi prædicatione,& legitima sacramentorum administratione, consequitur, duas tantùm has notas, verbi prædicationem, & sacramentorum administrationem, veras & perpetuas, & essentiales esse Ecclesiæ Christi notas.

Ideo Tertullianus loco supra citato,primùm dum recenset continuam successionem Episcoporum in Ecclesia, non recenset nisi veros Episcopos, dicendo: Sicut Smyrneorum Ecclesia habens Polycarpum, ab Iohanne collocatum refert,sicut Romanorum,Clementem à Petro ordinatum edit: proinde vtique & cæteræ exhibent, quos ab Apostolis in Episcopatum constitutos Apostolici seminis traduces habeant. Nota Apostolici seminis traduces habeant. Secundò, quia fieri potest, vt aliqua Ecclesia primùm habuerit bonos & veros Episcopos, idque per multū temporis, deinde successerint praui Episcopi,& lupi hæretici, qui adferant doctrinas hominum, &c. qua quidem ea successione glorientur,& inde probare conentur, se esse cum suo populo veram Ecclesiā idcirco idem Tertullianus statim reuocat ad veram Ecclesiæ notam, scilicet ad doctrinam Apostolicam,dicendo: *Confingant tale aliquid hæretici sed etsi confinxerint, nihil promouebunt. Ipsa enim doctrina eorum, cum Apostolica comparata,ex diuersitate & contrarietate sua pronunciabit,neque Apostoli alicuius autoris esse, neque Apostolici.* Videantur reliqua.

Declarat iis duabus Ecclesiæ notis, quibus etiam addo veram verorum Episcoporum successionem, videndum nunc est, an hæ tres notæ reperiantur in Ecclesia Papæ ideóque an sit vera Ecclesia Christi.Sic igitur arguere liceat à prima tessera.

Ille hominum cœtus, seu Ecclesia, quæ purum Dei verbum, orthodoxam eius intelligentiam, & sinceram eius prædicationem saltem quantum ad essentialia attinet,nō retinet, etiamsi multas cum vera doctrina consensiones retineat, vera Ecclesia Christi esse non potest. Est enim hæc legitima & principalis Ecclesiæ Christi nota & essentialis pars definitionis Ecclesiæ Christi, vt suprà ostensum est. Confirmatur hæc propositio Ephes.2. Ecclesia fundata est super doctrinam Apostolorum & Prophetarum, tanquam fundamentum. Tunc sic:si fundamentum Ecclesiæ Christi est doctrina Prophetarum & Apostolorum, qua fideles iubentur in vno Christo suam salutem reponere: certè ablata vel corrupta hac doctrina ceu fundamento, quantum ad essentialia attinet,Ecclesia corruat necesse est.1.Tim.3. Si Ecclesia est columna & firmamentum veritatis, illa certè non est Ecclesia Christi, à qua profligata exulat veritas, & illius loco regnat mendacium & falsitas.

Atqui Ecclesia Papæ non retinet purum Dei verbum, nec orthodoxam eius intelligentiam nec sinceram eiusdem prædicationem: sed potiùs ipsa veritas, sine qua Ecclesia Christi stare non potest, ab ea exulat, ita vt si quis eam ab exilio reuocare velit,statim prohibeatur, & in carcerem coniiciatur:Patet hoc,si quis vniuersam doctrinam papisticam ventilet. Primò, purum verbum non retinet. Adhibet enim humanas doctrinas infinitas verbo Dei, easque pari fide credi vult,atque verbum Dei: sicque verbum Dei totum hoc humanarum doctrinarum fermento inficit. Secundò, etsi verbum Dei retinere videatur, illius tamen orthodoxam intelligentiam non retinet, sed peruersissimis & contortis interpretationibus corrumpit. Tertiò neque sinceram eius prædicationem. Nam si quis sincerè illud prædicare conetur, in carcerem coniicitur. Patet hoc vel in vno ac principali articulo Christianæ religionis, in quo tota ferè summa consistit, nempe in articulo iustificationis per solam fidē. An non fuit è Concilio Tridentino publicè expulsus Episcopus Canensis, propterea quòd assereret, per solam fidem iustificari hominem, sine operibus legis?An non damnantur, qui constanter asserunt hunc articulum? Probari hoc fusiùs posset & sigillatim per singulos articulos, nisi res esset notissima. Exulat igitur ab Ecclesia Papæ veritas,& illius loco regnat mendacium. Quid? quod huc accessit maxima tyrannis,vt scilicet Papæ interdicto,populi,qui alioqui Latine non intelligunt, neque Græcè, biblia sacra in linguam vernaculam versa legere nequeant,quæ tamen iussit Deus vt nunquam recederent ab oculis & ore nostro. Hæccine igitur est Ecclesia Christi catholica?

II. Iam ad aliam Ecclesiæ Christi notā,nēpe ad sacramenta. Illa Ecclesia,quæ non solū non retinet verbum, sed neque pura sacramenta & legitimam eorundem secundùm institutum Christi administrationem,Ecclesia Christi non est. Patet,cū & hæc sit essentialis nota Ecclesiæ Christi. Simul ac enim & summa doctrinæ necessariæ est inuersa, & legitimus sacramentorum vsus corruit,Ecclesiæ interitus sequatur necesse est.Exemplum: Sicut de vita alicuius actum esse verè dicimus, vbi iugulum illi est transfixum, vel præcordia eius lethaliter sauciata: verbum autem, & legitimus sacramentorum vsus sunt ceu iugulum Ecclesiæ,vel præcordia. Quare de illa Ecclesia actum sit necesse est, à qua vel in vniuersum,vel magna ex parte ablatum est verbum Dei,& legitimus sacramentorum vsus.

Atqui talis est Ecclesia Papæ.Primò sacramenta Christi pura non sunt, sed adiderunt alia sacramenta ab hominibus conficta. Secundo, eadem etiam duo sacramenta Christi, non legitime administrantur. Nam Baptismus,etiamsi ab eis susceptus iterandus non sit,propterea quia datus est in vero elemento, & in nomine Patris, Filij, & Spiritus sancti: tamen impiis blasphemiis & idololatriis admixtis est corruptissimus. Cœna verò Domini ita est deprauata, vt nullam ampliùs cœnæ Dominicæ formam retineat, sed in illius locum successit missa fœdissimum sacrilegium, quæ cum cœna Domini nullam habet similitudinem. Sunt igitur sacramenta intolerabiliter deprauata, & mille mendaciis & superstitionibus & idololatriis contaminata. Hæccine igitur est Ecclesia Christi catholica & orthodoxa?

Huc addere possum publicos conuentus.Publici conuentus ab Apostolis ad preces, & alia Christiana exercitia instituti ab ea prorsus Ecclesia profligati, & in illorum locum substituti sunt conuentus ad audiendum illorum boatum,ad colenda idola, ad alendas superstitiones,denique ad crucifigendum Christum. Totus denique cultus,cultus est corruptissimus. Huc accessit tyrannis Papæ, qui omnes ad idololatriam, sub pœna capitis cogit: qui maledicta lege impuri cœlibatus, ad transgrediendum mandatum Dei, de non fornicando multos constringit. Hæccine est igitur Ecclesia Christi?

III. Nunc videnda est tertia nota quam illi iactant, de continua successione Episcoporum in illa Ecclesia: Illa(inquiunt) est vera Ecclesia Christi vbi potest assignari cōtinua Episcoporum successio,initio facto ab eo tempore,quo cœpit Ecclesia. Ratio,quoniam Ecclesia Christi,nō potest esse sine iis.Eph.4.Posuit enim Christus in Ecclesia primùm Apostolos, deinde Prophetas, &c. Atqui in nostra Ecclesia Romana, assignari potest hæc perpetua Episcoporum successio,incipiendo à Petro vsque ad Iulium III.Ergò,&c.

Resp.(vt suprà)ad maiorem:vel intelligunt successionem verorum Episcoporum, qui scilicet & purum Dei verbum prædicarunt,& legitimè administrarunt sacramenta:vel successionem malorum,qui nec verbū prædicarunt, nec sacramenta administrarunt: vel verbum corruperunt, doctrinásque hominum docuerunt, & sacramenta Christi profanarunt, aliáque administrarunt: vel tertiò, successionem promiscuam tam bonorum, quàm malorum simul. Si primò dicant malorum Episcoporum, negamus nos hanc esse notā Ecclesiæ Christi, quia Ecclesia Christi non agnoscit tales Episcopos, pro suis Episcopis, sed pro lupis, non pro pastoribus, neque illorum voces audit, vt Iohan. 10. Oues meæ vocem meam audiunt,non norunt vocem alienorum.

Si secundò dicant,promiscuam successionem,bonorum scilicet & malorum: negamus itidem,totam hanc mixtam

mixtam successionem esse notam Ecclesiæ Christi. Nā si ita est, sequitur sacerdotes illos sub Achabo, cum tota sua Ecclesia qui omnes defecerāt à cultu Dei ad idololatriam, & adorabant in collibus, & sub frondosis arboribus idola, & vitulos aureos, fuisse ecclesiam Dei veram. Ratio, quoniam poterant assignare successionē hanc: & certè multos etiam veros Episcopos seu sacerdotes prædecessores habuēre. Non erant tamē Ecclesia Dei: quæ in sola tribu Iuda remanserat. Item, sequeretur Eutychetem, Arium, Apollinarem, & multos alios Episcopos hæreticos, cum suis Ecclesiis, quibus præerant, fuisse veras Ecclesias Christi. Ratio, quoniam poterant hanc mixtam successionem bonorum & malorū assignare. Nam reuera habuerunt prędecessores, quibus ipsi successerunt, bonos Episcopos & Catholicos: non erant tamen Ecclesia Christi. igitur successio hæc ex bonis simul & malis Episcopis mixta, non probat, ecclesiam aliquam esse Ecclesiam Christi.

Si verò tertio intelligant successionem verorum Episcoporum, vt suprà diximus, tūc concedimus maiorem propositionem: sed minorem negamus, posse nimirum Romanenses assignare hanc perpetuam & continuam verorum Episcoporū in sua Ecclesia successionē: ideóque neque sequi conclusionem, eam esse Ecclesiam Christi. Hic igitur mihi ostendendum esset, quòd hæc nota de successione verorum Episcoporum perpetua, non sit in Ecclesia Papæ: sed quia hoc ab aliis luculentissimè multis exemplis demonstratum est, labori huic in præsentia supersedebo. Vide volumen de redemtione. pag. 705. vbi etiam hac de successione agitur.

CAPVT IX.

DE CAPITE ECCLESIAE.

In 4. vers. cap. 2. Ies. *Et iudicabit (scilicet ipse Christus solus: de eo enim loquitur) inter Gentes.*

Hisce verbis innuit Propheta, Christum solū totius Ecclesiæ ex Iudæis & Gentibus collectæ caput esse, principem, ac regem, qui eam regat. Illud enim verbum iudicabit, hîc significat, regnabit, gubernabit.

De hoc igitur rege Christo hæc sunt obseruanda.

I. Christum Deum & hominem verum esse Ecclesię ex Iudæis & Gentibus collectæ caput principem seu regem, ac iudicem summúmque pontificem.

II. Solum Christum esse talem regem ac principem.

III. Ideóque & solum Christum, habere omnem plenámque potestatem & iurisdictionem super Ecclesiam: &

IV. In solo Christo impletam esse Prophetiam hāc. Ipse enim propriè regit Ecclesiam. Quare nullus alius nobis agnoscendus est princeps, aut rex, aut caput vel summus sacerdos in Ecclesia Christi.

Primum, patet ex scripturis quamplurimis, iisque expertissimis, Eph. 1 Eúmque cōstituit caput super omnia, ipsi ecclesiæ, Col. 1. Estq. caput corporis Ecclesiæ, principium & primogenitus ex mortuis, vt sit in omnibus ipse primas tenens. Col. 2. Et estis in eo completi, qui est caput omnis imperij ac potestatis, & vers. 19. Neque obtinens caput, ex quo totum corpus, &c. Ies. 9. Princeps pacis, cuius imperium super humeros eius. Psal. 110. Tu es sacerdos in æternum. Heb. 1. Rex & sacerdos summus Ecclesiæ esse ostenditur.

Secūdum patet etiam. Nam scriptura nullum alium constituit regem & caput, aut summum sacerdotē Ecclesiæ, nisi Christum. Ergò ipse solus est.

Tertium patet ex consequentibus per illationem. solus est rex Ecclesiæ: ergo solus habet plenam potestatē & iurisdictionem super Ecclesiam & super omnia. Ideo Matt. 28. Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra. Dan. 2. Porrò tēpore regum istorum suscitabit Deus cœli regnum, quod in æternum nō corrumpetur, & regnum istud populo alteri non relinquetur, comminuet & consummabit omnia ista regna & ipsum stabit in æternum. Ioh. 13. Sciens Iesus, quod omnia dedisset sibi pater in manus, &c. 1. Cor. 15. Nam omnia subiecit sub pedes illius.

Quartum etiam patet. De nullo enim alio vaticinatus est Iesaias, nisi de Christo. Est autem impleta prophetia. Ergo in Christo solo.

Quod etiam Christus, licet in cœlo sit, Ecclesiam tamen suam semper regat, in eáque regnet, multa sunt in scripturis testimonia, sed inter alia.

1. Regnum Christi prædicatur æternum in scripturis. Ergo ipse semper regnat in suo regno. Suum autem regnum est Ecclesia. Luc. 1. Angelus promittit Mariæ: *Et regnabit in Iacob in æternum, & regni eius non erit finis.* Est autem domus Iacob, Ecclesia Dei: Ergo etiam nunc in ea regnat: symbolum Nicenum, *Cuius regni non erit finis.*

2. A præsentia Christi in Ecclesia. *Matth.* 28. Ecce ego vobiscum sum, vsque ad consummationem seculi.

3. A spiritu, quo dicitur in filiis Dei regnare, & Christus in nobis habitare. Col. 2. *Ex quo* (scilicet capite Christo) *totum corpus*, scilicet Ecclesia, *compactum, &c.* Rom. 8. *Qui sunt filij Dei* (id est, vera Christi Ecclesia) *aguntur à spiritu Dei.* Ergo Christus in eis regnat, & eos etiamnum regit.

4. Ab intercessione apud Patrem. *Heb.* 9. Ingressus est in ipsum cœlum, vt appareat nunc in cōspectu Dei. *Rom.* 8. Qui etiam est ad dextram Dei, & interpellat pro nobis. Infinita sunt testimonia, quæ hoc demōstrant, Christum perpetuò regnare in Ecclesia sua, nō solùm triumphante, sed etiam militante. Vnde illud Pauli. 1. *Cor.* 15. Deinde finis, cum tradiderit regnum Deo & Patri: quasi dicat. Hactenus in finem vsque mundi Christus regnat in Ecclesia: dico militāte, eam ab hostibus tuendo peccatum condonando, eam purificando, regnum suum indies adaugendo. Vbi vero completum & absolutum, & plenum ac perfectum fuerit regnum, tunc tradet Deo & Patri: non tunc regnabit ipse solus vt Mediator, vt defensor, ac protector regni: sed tunc Deus erit omnia in omnibus: tunc omnia redacta erunt in pacificum & tranquillum statum: tunc videbant Deum à facie ad faciē, non erit necessaria interpositio carnis Christi, sicut nūc: sed ablato velo regnabit in omnibus Deus. Ergo impletum in Christo, & quotidie impletur, quod ait Iesaias, *Et ipse iudicabit*, id est, regnabit *inter gentes*: quasi dicat: Antè tantum inter Iudæos regnabat, quia Ecclesia solum erat in Iudæa: tunc regnabit etiam inter Gentes. *Eph.* 2. Itaque iam non estis hospites & inquilini, sed conciues sanctorum & domestici Dei, &c.

Quare nullus alius vobis agnoscendus est Rex, & Princeps, aut caput, & summus sacerdos Ecclesiæ, nisi Christus.

Hic verò Papistæ nobis aliqua ex parte contradicūt. Quoad primum quidem, fatentur Christum esse Regē & caput Ecclesiæ, sed quoad secundum, negant solum esse caput & principem: Dicunt enim etiam Papam, caput esse Ecclesiæ & principem, & summū sacerdotem, regémque seu vniuersalem Rectorē Ecclesiæ: ideóque quoad tertium negant solum Christum habere plenam potestatem & iurisdictionem super Ecclesiam. Nam etiam Papam eandem habere contendunt. Quoad quartum negant in solo Christo impletam hanc Prophetiam, sed quotidie etiam impleri in vnoquoque Papa, quippe qui inter Gentes iudicet, id est, in Ecclesia ex Gentibus etiā collecta regnet. Quare non solùm Christum sed etiam Papam nobis agnoscendum esse, vt caput Ecclesiæ, Principem & summum Sacerdotem: quāquam discrimen aliquod statuant inter Christum & Papam, capita & principes Ecclesiæ, dicendo: Christum quidem esse principale caput, Principem, Regem & Pōtificem Ecclesiæ, Papam verò secundarium caput, Principem & Pontificem, vtpote constitutum à Christo sui vicarium in terris: ideóque Christum quidam habere per se vt Deum, & immediatè à Patre vt hominem, suā potestatem & iurisdictionem super Ecclesiam: Papam verò habere eandem potestatem: sed à Christo acceptā. Quare concludunt Papam, etsi non ex se, sed à Christo habeat, habere tamen eandem autoritatē in terris, quā Christus quoque habuit, scilicet leges condendi, damnandi, saluandi, scripturas interpretandi, Episcopos cōstituendi, peccata remittendi, reges creandi & mutādi, denique quicquid libuerit, faciendi, ita vt nemo ei dicere iure possit, Cur ita facis? Quare? quoniam (inquiūt) vniuersalis est Episcopus, ideóque princeps & caput totius Ecclesiæ Christi in terris. Quomodo id probant? Est enim, inquiunt, successor Petri Episcopi Romani. Petrus autem fuit vicarius Christi, Princeps Apostolorum, & totius Ecclesiæ Christianæ caput, idque iure. Oportet enim in Ecclesia præter Christum esse aliquem visibilem vniuersalem & primum Episcopum, & ceu Monarcham, à quo regatur Ecclesia. Ideo verba Iesaiæ

nunc ita intelligenda sunt, Christum regnare inter Gentes, id est Ecclesia, sed per se solum quidem in Ecclesia triumphante, per Papam autem in militante.

Nos verò negamus, eum habere hanc autoritatem. Quare? quia non est vniuersalis Episcopus, nec caput Ecclesiæ, nec successor Petri: imò nec Petrus fuit Princeps Apostolorum: sed contra Papa est Antichristus, ideóque non habet hanc, quam sibi vsurpat, super omnes Ecclesias iurisdictionem & potestatem iudicandi. Vt igitur rem ita esse pateat, hæ obseruandæ sunt propositiones.

1 Propositio. Prima: In Ecclesia nullus potest aut debet esse Monarcha præter Christum. Ecclesia enim vna est & Monarchia, & politia, seu Respubl. Quoad Christum, vna est Monarchia: Vnus igitur est Monarcha Christus, qui agit in ciuibus suis omnia. Ephes. 4. Quo ad nos, vna est Respubl. & politia: nos verò omnes ciues, quorum tamen alij aliis funguntur officiis. Quare hoc pacto non potest nec debet in ea vllus esse Monarcha, Rex, aut Princeps, qui in reliquos (quoad religionem) ius aut potestatem plenariam habeat, & qui (vt ait Ies.) inter Gentes, id est, populos alios iudicet.

Secundo: Ecclesia vnum est corpus, vt in Scripturis vbique patet. Ergo vnum tantùm habet caput. Hic autem est Christus. *Ephes.* 1. Et omnia subiecit sub pedes eius. Neque hic mihi responsionem suam adferant Papistæ de duplici capite, quorū alterū sit principale, quod est Christus: alterum secundarium, quod est Papa. Corpus enim vnum humanum, vnum tantùm habet caput, non autem duo, alterum principale, alterum secundarium, seu (vt dicunt) ministeriale & vicarium. Scripturæ nunquam de duobus capitibus loquuntur Ecclesiæ, sed de vno tantùm, quod est Christus: omnes verò fideles membra faciunt istius corporis, id est, Ecclesiæ, & sub capite Christo contineri. Neque dicant, ad veram Hierarchiæ & Ecclesiastici ordinis rationem oportere aliquod visibile in Ecclesia esse caput, ad quod tandem recurratur in controuersiis, à quo Ecclesiæ regimen pendeat? caput, inquam non principale (concedunt enim hoc esse Christum) sed ministeriale & vicarium, quod Christi vices in terris agat. Nos enim hoc non admittimus, neque tam iniquis legibus subiicere volumus Ecclesiam Christi, vt sine verbo Dei, tale externum ac visibile caput necessarium ei esse dicamus, & quod necessarium non sit hoc caput ministeriale, quod vices Christi gerat patet ex Scripturis.

At (inquiunt) in Ecclesia Dei ante natum Christum, præsidebat vnus, qui & Princeps Sacerdotum dicebatur, sub quo multi ordines continebantur Sacerdotum & Leuitarum, penes quem summum erat iudicium in causis religionis. Item, si naturæ ordinem intueamur, videmus omnem autoritatem, quæ quouis modo dicitur vna, nunquam non ad vnum ceu caput & principium referri. In arboribus multi ramorum ordines sunt: sed ij omnes ab vnitate radicis proficiscuntur. In animantibus multa membra, sed hæc omnia reguntur ab vno capite.

Item, vt Cyprianus ait, *Rex vnus est in apibus, dux vnus est in gregibus, & in armentis rector vnus: & in politia quauis non perperam instituta, referri debet ad vnū totius rei prorsus administratio.* Ex iis (inquit Roff.) discere possumus, nunquam posse Ecclesiam rectè gubernari, nisi tanta varietas ordinum, ad vnum referatur.

Roff. pag. 314.

Responsio ad has tres obiectiones. Ad illud de summo sacerdote in Ecclesia ante Christum, duplex adfertur responsio. Prima est, Negatur illatio: In Ecclesia Iudaica vnus erat summus sacerdos, ergo idem debet esse in vniuersa Ecclesia Christi quæ per totum orbem diffusa est. Vnius gentis, & totius orbis, longè diuersa est ratio. Cur enim illi populo, vnum præfecit Pontificem? Quoniam cùm vndequaque ab idololatris circundati essent Iudæi, ne religionum varietate distraherentur, sed sui cultus sedes ibi cōseruaretur, necesse erat, vnum ibi esse antistitem, quem omnes respicerent, quò faciliùs & meliùs in vnitate veræ religionis continerentur. At nūc vbi in totum orbem vera religio est diffusa, non solùm non est necesse sed etiam ἀδύνατον, vt totius Ecclesiæ Orientalis & Occidentalis moderatio vni detur Episcopo.

Secunda: Illud exemplum, si aliquid concludit, non concludit, nisi vnum in Ecclesia debere esse summū pōtificē. At quis hic erit? Papa? Negamus. Quis igitur? vtique vnus Iesus Christus. patet. Erat enim pontifex ille figura Pontificis veri qui est Christus, cuius sacerdotiū in tribus potissimùm consistit: Primò, in doctrina: secūdò, in sacrificio: tertiò, in oratione atque intercessione, qua nunc apud Patrem fungitur, apparēs vultus Dei pro nobis, & interpellans pro nobis. Rom 8. & Hebr. 9. Non autem fuit typus Papæ, vt ipse impudenter fuisse vult, Vt igitur typus respondeat rei veritati, solus Christus debet esse summus in Ecclesia Pontifex, Princeps Sacerdotum, & caput Ecclesiæ.

Ad secundam obiectionem de ordine Naturæ: Item ad tertiam à Cypriano sumtam, eadem datur responsio: nil concludunt, si quid concludant, nisi in Ecclesia debere vnum esse caput, principem, & summum Sacerdotem, à quo regatur Ecclesia. At controuersia est, quisnam iste sit? Negamus esse Papam, fatemur esse Christum summum Sacerdotem. Vel potiùs concludunt, in vnaquaque Ecclesia particulari, vnum debere esse Episcopum, id quod facilè concedimus. Sed numquid iis exemplis concluditur, vnum debere Episcopum toti mūdo vel omnibus totius orbis Ecclesiis præesse? Nihil minùs. Vnus est Rex apibus, sed quibus? nūquid omnibus, quæ sunt in mundo? non, sed apibus vnius aluearij. Vnus est dux in gregibus: sed quibus? &c. Ita, &c.

At opus habet vicario in terris?

Responsio Negamus. Totum munus summi Pontificis Christus sine vicar. obiuit & obit: Primo, doctrinā reliquit in Ecclesia, & quotidie per omnes Ministros verbi externè docet: internè verò per Spiritum sanctū. Secundò, sacrificium pro peccatis mundi solus sine vicario obtulit Patri. Tertiò, solus sine vicario intercessionis officio fungitur apud Patrem, cui semper pro nobis adstat, interpellans pro nobis. Quo igitur vicario opus habet? aut cui honor summi Pontificis alij, quàm Christo communicari debet?

At (inquiunt) quoad internum regimen Ecclesiæ fatemur, vnum Christum esse Monarcham & summum pontificem sed quantum ad externum, quomodo regetur Ecclesia, nisi vnus ei in terris Monarcha præsideat?

Resp. Quomodo regūtur Respubl. Item Aristocratiæ vbi tamen nullus Monarcha aut summus princeps inuenitur: ab vniuerso senatu, vbi etsi aliquis sit ordo, vt vnus ibi sit consul, non tamen Monarcha est, aut absolutam autoritatem in Repub. obtinet. Ita regitur Ecclesia, quæ si visibiliter consideretur sine Christo, Respubl. est, ideóque regitur ab vniuerso Episcoporum senatu, inter quos etsi aliquis ordo concedatur, vt alter sit altero dignior, omnes tamen eiusdem sunt autoritatis. Si consideretur inuisibiliter cum Christo: Monarchia est, cui præsidet Christus, & ab eo, Spiritu & verbo, regitur.

At (inquiunt) tria sunt, quæ exigunt, vt in Ecclesia vnus sit summus pontifex & caput visibile, ad quod recurratur. Primo, solent inter ministros oriri controuersiæ de intelligentia Scripturarum, & de fide: quomodo poterunt tunc componi, nisi vnus adsit supremus iudex, cuius iudicio stetur? Secundò, aliquando generalia concilia sunt congreganda: sed per quem, nisi adsit vnus summus princeps, cuius mandato reliqui pareant, & ad concilium veniant. Tertiò, castigandi interdum sunt cōtumaces: & ipsi Episcopi interdum inter se dissentiunt: quomodo poterunt hæc fieri, nisi vnus præsit Ecclesiæ princeps, & summus Sacerdos?

Resp. Facilis etiam adhæc responsio datur. Primò, ad controuersias de fide, & intelligentia scripturarum sedandas, non est opus Monarcha aliquo, cuius iudicio stetur: sed duo adhibenda sunt: primùm, verbum ipsum, quod vbi per se est perspicuū, declarat etiā se ipsum: vbi aliquando videtur obscurum, secundum: congregati Episcopi, & alij viri pij & docti in conciliis. Ij omnes meliùs iudicare poterūt de intelligentia scripturarum, quàm vnus: & horum omnium iudicio, tutiùs stabitur, quàm vnius. Exemplum è scripturis. Orta controuersia inter Iudæos & Gentiles, de obscuritate legis Mosis, à quibus fuit composita & sedata? ab vnóne Monarcha? non, sed ab vniuersis Apostolis, qui habito cōcilio Hierosolymis, quid de lege Mosis sentiendum esset, aperuerunt. Quomodo? consuluerunt scripturas, vbi erāt apertæ, & ex iis sententiam tulerunt. Secundò, ad congregationem conciliorum non opus est vno Monarcha. Quomodo in repub. Romana ciues ad comitia congregabātur. Item, in vnaquaque republica, per quos vniuersus congregatur senatus? Nūquid vno Monarcha opus est? Minimè. Ita in Ecclesia. Si tamē vno Monarcha opus sit ad hoc: nō est opus, vt sit Papa. Satis est imperator. Aliàs imperatores concilia congregabant, vt patet de Constantino primo, cuius iussu Niceæ concilium cōgregatum

tum fuit. Tertio, Ad contumaces puniendos, & ipsos Episcopos, non est etiam opus Monarcha sicut neque in repub. Vniuersum concilium satis superque est, ad puniendos duos vel tres, vel etiam plures contumaces Episcopos? Deinde si inter ipsos omnes oriatur schisma, ad est Imperator, cuius interest prospicere, ne schismata in conciliis oriantur.

Concludimus igitur, non esse necessarium Ecclesiæ Christi vllum Monarcham, præter Christum, seu vllum aliud caput, præter Christum: nullum inquam, vicarium Christi, qui vices eius gerat in terris.

I. Si enim huiuscemodi caput ministeriale & vicariũ, quod toti Ecclesiæ præsit, quod vices Christi in terris agat, à quo Ecclesiæ regimen pendeat, si (inquam) huiuscemodi vicarium caput, quemadmodum dicunt Papistæ, necessarium esset, ita vt sine hoc constare Ecclesia non possit, nedum rectè regi, sed (vt ipsi loquuntur) sit acèphala: procul dubio Christus præsentiam suam ab oculis nostris in cœlum subducens, aliquem in primis Ecclesiæ præfecisset, qui esset huiuscemodi caput, qui ageret vices sui in terris, qui primatum super omnes teneret, à quo totius Ecclesiæ regimen penderet. Qui enim ita dilexit Ecclesiam, vt pro ea erigenda & saluanda, sanguinem fuderit, Spiritum sanctum donarit, tot ministeria instituerit, tot Spiritus sanctus charismata in ea reliquerit: quomodo non etiam tam necessarium sui vicarium & caput ei præfecisset? Atqui nullum tale caput, aut vicarium in ea reliquit, vt mox ostendam, ergo non est necessarium.

Minor huius syllogismi, nempe, nullum à Christo sui vicarium toti Ecclesiæ præfectum fuisse, præsertim tam necessarium, vt Romanenses fingunt, hinc patet.

Si tam necessarium caput, aut vicarius, à Christo institutus fuisset in Ecclesia, eique toti præfectus, vtiq; Paulus, qui sæpè totam Ecclesiam describit, variamque eius imaginem depingit, huius capitis & vicarij aliquando meminisset, præsertim quando de aliis omnibus Ecclesiæ ministeriis ex professo loquitur. Atqui nunquam huius vicarij capitis, nunquam huius ministerij, quod summum in Ecclesia esse dicunt Romanenses meminit Apostolus, vt patet eius epistolas legentibus. Ergo, &c. Eph. 4. postq; ã ostendit, Christum ascẽdisse in cœlum, & suam præsentiam à nostris oculis subduxisse, ne quis putaret, Christum non amplius præesse suæ Ecclesiæ in terris constitutæ, ait, ascendisse, non vt Ecclesiam desereret, sed *vt impleret omnia*, nempe suo Spiritu, tametsi hæc verba etiam aliter exponantur, nempe vt impleret omnia, quæ scripta erant de illo. Hoc enim adhuc supererat implendum. Itaque adhuc eum præsentem habet Ecclesia, & semper est habitura. Vt verò doceat Paulus rationem, qua Christus sese adhuc præsentem suæ Ecclesiæ exhibet, reuocat nos ad ministeria Ecclesiæ, atque ea ordine recensens ait: *Et quosdam quidem dedit in Ecclesia Apostolos alios autem Prophetas, &c. ad instaurationem sanctorũ &c.* Hic nullam mentionem facit Apostolus talis vicarij, tam necessarij capitis ministerialis, seu Papæ. Cur non ait, & primùm quidem, vnũ Ecclesiæ suæ vicarium præfecit, &c Certè cùm Paulus enumeret reliqua minora Ecclesiastica ministeria, à Christo in Ecclesia instituta, debuisset & hoc in primis recensere, si verum esset, istud institutum esse à Christo, Item, scopus Pauli ibi est, commendare vnitatem Ecclesiæ, vt omnes sint vnanimes. Vnde ait in initio, *Solliciti sitis seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis, ita vt sitis vnũ corpus & vnus spiritus.* Vt ad hanc vnitatem hortetur, ostendit omnia quæ sunt in Ecclesia, ad hanc vnitatem spectare, dicendo: Si spectemus hæreditatem nostram, *vna est spes vocationis nostræ*: si Dominum Ecclesiæ, *vnus est Dominus*: si fidem, *vna fides*: si sacramẽta, *vnum baptisma*: si Deum & Patrem Ecclesiæ, *vnus Deus & Pater*. Si hic vnus vicarius & caput ministeriale constitutum esset à Christo in Ecclesia præsertim ita necessarium, cur Paulus non etiam addidit, vnus est Papa, vnus est vicarius Christi, vnus summus pontifex, qui Ecclesiam in vnitate cõtineat? Debetis igitur ex iis omnibus excitari ad vnitatẽ spiritus seruandã. Vnitatẽ igitur Ecclesiæ ibi commendat: sed vbi hanc vnitatẽ ponit? in vno Christo, in vna fide, in vno baptismo, in vno Deo Patre: ibi Paulus spirituale Ecclesiæ regimen repræsentare voluit, quod quidem totum pendet à Christo, per varia ministeria: ibi tamen nullum ministeriale caput.

2. Ecclesia habet caput vnũ Christum, *ex quo totum corpus Ecclesiæ compactũ & connexum per omnẽ iuncturã subministrationis augmentum facit.* Non est ergo necessarium aliud caput.

3. Solus Christus sponsus est & vir Ecclesiæ. 2. Cor. 11. Despõdit nos vni viro, virginem castam exhibere Christo. Ergo solus Christus caput Ecclesiæ. Nam vir est caput vxoris.

Deinde, etiam si aliquis possit esse summus sacerdos & princeps in terris Episcoporum omnium & totius Ecclesiæ: tamen non sequitur, hunc esse Romanum põtificem: quandoquidem neque Petrus, cuius se locum tenere dicit Papa, talis fuit princeps, seu talem obtinuit principatum in Ecclesia, vel inter Apostolos. Hæc ergò esto secunda conclusio.

Petrus non fuit Apostolorum, neque totius Ecclesiæ princeps, ita vt in eos vllam haberet autoritatem, vel in Ecclesiam Dei maiorem ipse, quàm reliqui Apostoli, potestatem habeat.

1. Ex æquo enim omnibus dixit Christus Apostolis. *Ioh.* 20. Sicut me misit Pater, etiam ego mitto vos, nẽpe ad prædicandum Euangelium, ad regendam Ecclesiam Dei, eandẽ vobis omnibus autoritatẽ tribuẽs, quam etiam mihi Pater dedit. Item, omnibus ex æquo dedit Spiritum sanctum in eos insufflans, & dicens, *Accipite Spiritum sanctum quorum remiseritis peccata.* &c. Hac autem legatione & potestate filij Dei, quæ omnibus Apostolis est pariter demandata, quam aliam maiorem potuit habere Petrus? Non ergo fuit Apostolorũ princeps, ita vt maioris esset autoritatis inter illos.

2. Confirmatur hoc testimonio Cypriani, locũ illũ, *Tibi dabo claues*, &c. interpretantis, lib. de simpl. prælat. *dicẽdo*: Et quamuis Apostolis omnibus post resurrectionem suam, parem potestatem tribuat, & dicat, sicut me misit Pater, etiam ego mitto vos: Accipite Spiritũ sanctum, &c. tamẽ vt vnitatem manifestaret, vnitatis eiusdem originem, ab vno incipientem, sua autoritate disposuit (nempe cùm dixit Christus Petro, tibi dabo claues.) Hoc erant vtique cæteri Apostoli quod fuit Petrus, pari consortio prædit & honoris & potestatis, sed exordium ab vnitate proficiscitur, vt Ecclesia vna monstretur. Hæc ille.

3. Confirmatur Matt. 20. Cùm duo Zebedæi filij aliis vellent in regno Christi præponi, reliqui verò decem hoc inuiti, ægrè tulissent, optarẽtque vnusquisque alij præponi, & maior esse, Christus ait: Scitis quod principes gentium dominantur in eas, & qui magni sunt, vtũtur licentia in eas Verùm non ita erit inter vos, sed quicunque voluerit inter vos magnus fieri, sit vester minister. *Item.* Vnus est Magister vester, Christus, vos autem omnes fratres, &c. Matt. 23. 8.

4. Act. 8. Cœtus Apostolicus mittit Petrum & Iohãnem in Samariam, vt confirmarent discipulos, qui receperãt verbũ Dei, eisq; darent Spiritum S. Quis autẽ dicat, à suis subditis mitti principem? non fuit ergo princeps Apostolorũ. Imo dũ reliquis Apostolis obsequitur, & legationem sibi mandatam suscipit, eo fatetur sibi cũ illis esse societatem, non autem in illos imperiũ, 2. Cor. 12. Nulla in re sũ inferior (ait Paulus) summis Apostolis.

5. Gal. 1. v. 2. contendit Paulus se non minoris esse autoritatis, atque reliqui erãt Apostoli, ideóq. & Petrus. Item exemplo declarat, quando *restitit publicè Petro in faciem, Antiochia illum acriter arguens, quòd non ambulasset iuxta veritatem Euangelij*. Item dum dicit, se venisse ad Petrum Hierosolymam, ita loquitur, vt ostẽdat, se ad eum venisse non vt subiectionem profiteretur, sed tantùm, vt omnibus testatum faceret, quanta consensio sit inter suam & aliorum Apostolorum doctrinam.

6. Cypriani testimonium apertum est, de simpl. prælat. *Hoc erant vtique cæteri Apostoli, quod fuit Petrus, pari consortio præditi & honoris & potestatis.*

At videmus in Euangelio, & in Actis, Petrum semper tenere nescio quas primas partes cùm ipsum primò interrogat Christus: cùm ipse primus respondet: cùm ipse in concilio proponit, &c.

Resp. Fuit quidem Petrus, ipso etiam Christo agente in humanis, ceu os totius collegij Apostolici. Huc spectat, quòd Christus subinde verba ad omnes Apostolos faciens vnum tamen Petrũ interrogat, & ipse vnus pro omnibus respondet: vni Petro videtur facere promissionem, quæ tamẽ omnibus Apostolis ex æquo fiebat, vt illa, *Et tibi dabo claues*, &c. Omnibus enim fiebat hæc promissio, quod patet ex promissionis impletione: Omnib. enim deinde dedit claues has. Fuit multis priuilegiis & donis, præ aliis Apostolis ornatus. Huc spectant

multa encomia de Petro, quæ apud Patres leguntur, Fuit post mortem Christi, inter Apostolos instar consulis inter senatores. nempe, vt ipse cæteris Apostolis proponeret, si quid esset deliberandum, vt patet in Actis, in electione Matthiæ, & alibi sæpe: si quis hoc pacto velit eum Principem Apostolorum appellare, sicut sæpe solent patres, non multum reclamabo. Cæterùm, fuisse illum ita Apostolorum principem, sicut fingunt Papistæ, vt maioris esset autoritatis, quàm reliqui Apostoli, vel vt potestatem in eos teneret, impium est sentire, quandoquidem verbum Dei æqualem aliis, Apostolis illum facit.

Responsiones ad obiectiones pontificiorum pro primatu Petri.

At respondendum est aliquot rationibus & autoritatibus, quas in hanc rem citant Papistæ. Vide Ruff. de primatu summi Pontif. p.300. ab illo omnia ferè excerpsit Alfonsus de castro, & alij.

1. Obiect.

I. Obiiciunt Nominis mutationem: Mutatum ei fuit nomen, inquiunt, Cùm enim vocaretur Simon. Christus eum deinde vocauit Cepham, id est, Petrum. Ioh.1. Atqui nominis mutatio in Scripturis indicium semper fuit cuiusdam altioris mysterij. Ergo nominis mutatio indicat, illum fuisse principem Apostolorum.

Resp. Maiorem admittimus, Minorem negamus. Non vna, sed multæ sunt causæ, cur mutentur aliquibus nomina in scripturis. Aliquando ex præterito euentu, vt Gen.25. Iacob in Israel: aliquando ex eo, quod iam cernitur, quia si præualuit contra Deum, quanto magis cõtra homines, &c. Aliquando ex eo, quod futurum est, vt Abram, in Abraham, quia futurus sit pater multarũ gentium. Non autem semper est testimonium altioris, (vt aiunt) mysterij. Ita hic: Ab eo, quod Christus facturus erat, nomen Simoni mutat: erat illũ sua gratia facturus Petrum, id est, non solùm Christianum, & vnum ex lapidibus, è quibus ædificanda erat Ecclesia super fundamentum Christum, quo nomine omnes Christiani sunt petri id est, lapides pretiosi, ex quibus constat & coalescit Ecclesia: sed etiam peculiari fidei fortitudine illum erat donaturus, vt instar durissimæ petræ, vir esset inuictæ fortitudinis. Ab inuicta igitur fidei fortitudine, qua præ cæteris hunc erat Christus donaturus, de Simone, Petrum dicit appellandum. Mutatio igitur nominis in Petro significauit illum fore virum inuictæ fidei: non autem significauit, illum fore principem Apostolorum, aut fundatorem Ecclesiæ. Quare malè infertur conclusio à mutatione nominis, inde eum esse principem Apostolorum. Si hæc ratiocinatio valeret: Mutatum est illi nomen: Ergo princeps fuit Apostolorum: sequeretur, etiam Iacobum & Iohannem fuisse principes Apostolorum. Nam & ipsis mutata fuerunt nomina. *Marc.3.* & imposuit eis nomina Boanerges, quod est, filij tonitrui. Ita non erit vnus Monarcha in Ecclesia.

Simõ cur vocatus Petrus.

Magis verò ridiculum est argumentum aliorum, qui ab hoc nomine, Cephas, arguunt, Petrum fuisse caput Ecclesiæ, quoniam (inquiunt) Cephas idem est, quod caput. O homines doctos. Nomen omninò Chaldaicum, faciunt Græcum, & existimant, Cephas esse κεφαλὴ. Sic Anacletus Papa (vt Gratianus illi tribuit) sensit, summa est: Mutatio nominis Simonis, filij Iona, (id est, Iohannis) hominis obscuri, in Petrum, quòd lapidẽ significat indicauit, mutandum hunc Simonem in alium virum, nempe de filio Adæ terreni, ceu de terrea gleba, in viuum lapidem, & filium Dei, ex quo vna cum aliis ædificaretur Ecclesia: & peculiari Spiritus ac fidei fortitudine donatum iri, vt instar durissimæ Petræ inuictæ esset fidei: non autem indicauit, fore eum principem Apostolorum. Omnibus enim Christianis conuenit, esse Petros, qui super Christum fundamentum extructi, crescant in templum sanctum Domino: sed tamen hic vnus, propter excellentiam fidei, ita est peculiariter vocatus.

Interpretatio fuit & ratio cuiusdam (qui tamen nunquam fuit Anacleti. Vide in Decr. par. 1. dist. 21. Can. 2. Sed vide quoq. quæ ibi annotat. Molinęus.

2. Obiectio.

II. Aiunt: etsi non fuit primus ad Apostolatum vocatus: primus tamen semper in Scripturis nominatur, vt patet in Euangelio & in Actis. Cùm enim recensentur nomina Apostolorum, semper primo loco nomen Petri commemoratur. Atqui hoc non facerent Euangelicæ historiæ, nisi dignitate & autoritate prior aliis esset Petrus, quandoquidem non fuit primus tempore Apostolus. Ergo hoc etiam indicat, Petrum fuisse primum & principem Apostolorum?

Resp. Si semper, qui primo loco inter multos nominatur, prior etiam aliis esset potestate & autoritate, aliquem colorem haberet hoc argumentum. Verùm aliquis potest esse primus multis modis, tempore, ætate, officio, authoritate, potestate, honore, dignitate, virtute, ordine. Libenter igitur concedam, Petro primùm dari inter Apostolos locum, propter diuinas excellentésque virtutes, quibus præ aliis donatus erat à Christo, præsertim propter maiorem animi fortitudinem, qua post receptum Spiritum sanctum præditus fuit: item quoniam os erat collegij Apostolici. Item, hunc etiam dabo honorem, quod fuerit (si ita placeat) primus, non tempore, sed fidei & aliarum virtutum præstantia, qui in ædificio Ecclesiæ super Christum sit fundatus, deinde reliqui sequantur Apostoli. Cæterùm, hinc concludere, illum in reliquos Apostolos primatum quendam tenuisse, ita vt esset princeps Apostolorum, & Ecclesiæ, vt volunt, Papistæ nimis absurdum est & ridiculum. Quæ enim est isthæc illatio, Petrus primus inter Apostolos nominatur, & alios Apostolos doctrina, feruore studij, animi magnitudine, multisque aliis virtutibus præcessit: Ergo ita primus inter illos fuit, vt potestatem in eos haberet? Act.6. etiam inter Diaconos primo loco nominatur Stephanus, propterea quòd doctrina & feruore alios præcessit: sequitúrne inde, illum talem obtinuisse primatum, qualem Petrum tenuisse volunt Papistæ Habeat igitur Petrus primas partes, quas libenter do: sed recordemur, multum interesse inter honorem ordinis, & potestatem. Hunc honorem detulerunt Apostoli Petro, vt in cœtu primus verba faceret, alios quasi preiret, referendo, admonendo, hortando: sed talem potestatem, quam illi dant Papistæ, nunquam reliqui Apostoli dederunt, nec vllum de ea in Scripturis verbum vnquam est factum.

III. Inquiunt: Matth non omnibus Apostolis, sed vni tantùm Petro, ob editam fidei de Christo confessionem dicitur à Christo: Et, *Ego dico tibi, quòd tu es Petrus: & super hanc petram &c.* Super hanc peculiariter promittit Christus, se suam Ecclesiam extructurum, id est, super Petrum, sicut interpretati sunt Patres permulti Græci & Latini præstantissimi. 3. Obiect.

Hoc & multis aliis, quæ sequuntur locis vsus est Gregorius Papa, ad primatum Petri probandũ. Tom.2 ep. l.4.c.76.

Responsio. Non admittitur interpretatio patrum in hoc loco. Primò, quoniam Scripturis apertè aduersatur. Scriptura enim apertissimè vnum constituit Ecclesiæ fundamentum, quod est Christus. Vnde Paulus 1. Corinth.3. Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Iesus Christus. Reliquos omnes, tam Apostolos, quàm Mariam virginem, & nos, appellat lapides viuos, qui super fundamentum hoc fundamur per fidem. Vnde idem Petrus, quem isti volunt esse fundamentum, super quod fundata sit Ecclesia, se & alios omnes facit lapides fundatos super Christum dicendo: 1. Pet 2. Ad quem scilicet Christum, non ad me accedentes, lapidem viuum, ab hominibus quidem reprobatum, à Deo autem electum ac pretiosum, & ipsi tanquam lapides viui superædificamini, domus spiritualis, &c.

At Apocalyps.21. de Ciuitate Dei, id est, Ecclesia, Iohannes ait, Fuisse illius fundamenta duodecim, in quibus scripta erant nomina 12. Apostolorum. Ergo etiam Apostoli possunt dici fundamentum, super quod Ecclesia fundatur. Quare Petrum esse fundamentum, super quod Ecclesia ædificatur, non repugnat scripturis? Instatur.

Responsio. Fundamentum dicuntur Apostoli eo sensu, quo Paulus dixit Eph. 2. Ædificati super fundamentum Apostolorum, id est, quod Apostoli prædicarunt, hoc est, Christum. Ita ibi: quia duodecim Apostoli prædicarunt hoc fundamentum, id est, Christum, vocantur fundamenta. Sic Augustinus. (Si tamen Augustini est) Tom. 9. in Apocal. hunc locum interpretatur. Ita Rupert. Tuit. Alioqui non solùm super Petrum (vt papistæ contendunt) sed etiam super alios Apostolos, fundata erit Ecclesia: atque ita non erit petrus princeps Apostolorum. Quomodo igitur papistæ hoc loco Matth.16. nituntur, *Tu es Petrus*, &c. ad probandum Petrum fuisse principem Apostolorum. quia fundamentum est, super quod Ecclesia fundata est? quandoquidem per Iohannem in Apocal. etiam reliqui Apostoli sunt fundamenta Ecclesiæ. Non ergo admittitur interpretatio patrum in hoc loco, super hanc petram, id est, petrum.

Secundò, si aliqui patres ita interpretantur, alij etiam per petram intelligunt Christum, vt Augustinus: super hanc petram, scilicet quam confessus es, id est, super me, non super te, ædificabo Ecclesiam. Imò cùm etiam aliquando exposuisset hunc locum sicut Ambrosius, vt petra sit petrus: postea aliam attulit expositionẽ,

& eam

& eam magis probat Tom.1.Retract.1.ca.21. Quin Chrysost. Tom.3. sermone de Pentecoste, interpretatur petram, ipsam fidem, & confessionem veritatis, seu ipsum verbum Euangelij, dicendo: *Super hanc petram, non dixit, super Petrum. Non enim super hominem sed super fidem ædificauit Ecclesiam suam. Quid autem erat fides? Tu es Christus, Filius Dei viui. Petram vocauit Ecclesiam, &c. Quid est super petram? hoc est, super confessionem, super sermones pietatis.* Hæc ille.

IV. Obiectio.

IV. *Tibi dabo claues regni cœlorum, & quodcunque solueris, &c.* Ex hoc contextu arguunt Petro datum fuisse principatum in Ecclesia. Sic Soli Petro facta fuit hæc promissio. Ait enim, tibi scilicet vni, non omnibus, dabo. Atqui in hac promissione promittit Christus, se daturum principatum super Ecclesiam Petro, & eum sui vicarium, & ceu proregem totius regni sui futurum. Patet à locutionibus. Quibus enim dantur claues alicuius regni? Regi ipsi: vel discedente rege, ipsi proregi, seu regis vicario. Ergo hac locutione Christus promittit, se constituturum Petrum proregem & vicarium sui regni, quod est Ecclesia. Idem etiam docet metaphora ligandi, soluendi. Cùm autem impleta fuerit. *Promissiones enim Christi habent etiam & Amen.* Ergo, &c.

Resp. Primò ad minorem: Negamus iis verbis promitti primatum vel Petro, vel aliis, in Ecclesiam, talem præsertim, qualem fingunt Papistæ datam fuisse Petro & Papæ. Probandum est Papistis, hunc esse horum verborum sensum. Nunquid dare alicui claues Regni, est facere eum proregem? non: sed est tantùm dare autoritatē aperiendi & claudendi. Quibus autem rebus aperitur regnum cœlorum, id est, Ecclesia: & quibus clauditur? Prædicatione Euangelij, ex parte ministri, & fide vel infidelitate, ex parte auditorum. Aperitur illis, qui audiētes verbum Euangelij, fidem illi adhibent: clauditur illis, qui cùm audiant verbum, illud tamen sua infidelitate respuunt nec volunt ingredi regnum cœlorum. Iis enim denūciatur sua ipsorum damnatio, quòd extra cœlum saluandorum sint. Ergò dare claues regni cœlorum alicui, est committere ei prædicationem verbi, qua ceu clauibus aperitur regnum cœlorum credētibus, & clauditur incredulis, & hæc est suprema potestas, quæ sit in Ecclesia. Non ergo iis verbis promittit primatum in alios Petro: sed summam autoritatem, nempe aperiendi regnum cœlorum, & claudēdi, quæ est prædicatio Euāgelij. Et hæc expositio congruit loci illius circumstantiis. Petrus Euangelij summam confessus est, magna fidei fortitudine: quæ quidem summa est, Christum esse Filium Dei: proinde ait Christus: Ego igitur tibi hanc prouinciam prædicandi hoc Euangelium quod confessus es, dabo, qua ceu clauibus aperias regnum cœlorū credentibus, claudas incredulis id est, illis declares, remissa esse peccata, ingressos esse regnum Dei: istis verò, adhuc manere eos in peccatis, & extra regnum Dei.

Huc etiam spectat alia illa metaphora, ligandi, soluendi, vt cùm ait: *Quæcunque ligaueritis &c.* Papistæ etiam ex iis verbis arguunt primatum Ecclesiæ promissum Petro, nēpe vt præesset toti Ecclesiæ, vt Monarcha, idque nomine Christi, qui in cœlis existens, hanc Petri in terris potestatem exactam comprobet. Quasi verò nil aliud sit ligare & soluere, nisi toti orbi, vel toti Ecclesiæ præesse. Fallacia vtrobique est figuræ dictionis. Ligare & soluere duo significat Primò significat absolutè peccata remittere, hoc est, soluere: vel peccatores impœnitētes, ob sua peccata, adhuc vinculis implicare, id est, implicatos declarare. Ita intelligitur hic locus, sicut ille Matt. 16. Patet alio ex loco *Ioh.* 21. Accipite Spiritum sanctū, hoc est, accipite claues, *quorum remiseritis peccata*, hoc est, quæcunque solueritis. Vbi notandum, non propriè ipsis Apostolis aut aliis dari potestatem remittendi peccata, sed ipsorū ministerio, seu Euāgelio. Nō enim propriè ipsi remittunt peccata: sed Euangelium adfert remissionē peccatorum credentibus: incredulis, iram Dei, & damnationem æternam. Rom.1. Sicut enim *Euangelium virtus Dei, ad salutem omni credenti:* Ita incredulis iram Dei vndequaque de cœlo reuelat, manereque incredulos docet. Et hæc est summa Euangelij, nēpe, quod omnes nos serui peccati & mortis soluimur per redemptionem Christi: Qui verò Christum liberatorē non amplectūtur, & non agnoscunt eos æternis pœnis addictos esse. Ergo soluere est dimittere: ligare, retinere peccata, sicut docui Ioh. 21. Modus verò quo retinentur aut remittuntur peccata, est prædicatio verbi, quæ si fide recipiatur, soluit: si infidelitate respuatur, ligat. Quoniā autē verbum prædicatur per ministros, ideò quod propriè est Euangelij, datur Euangelij prædicatoribus, seu quod est propriū ministerij, datur ipsis ministris, nēpe vt ipsi remittant, &c. Hoc docet Paulus qui 2 Cor.5. docet, ministros habere *verbum reconciliationis*, mandatū scil. per Euāgelij prædicationē reconciliādi homines Deo. Cap. vero 10. dicit: Ministros habere potestatem exercendæ vindictæ in eos qui beneficium hoc respuunt. Hæc est prima significatio horum verborū, ligare & soluere.

Secunda non longè diuersa est. Ligare est impœnitētes excommunicare, tradere Satanæ: soluere est pœnitētes ab excōmunicatione absoluere, atque in cōsortium fideliū iterū recipere. Hoc sensu locutus est Christus dicēdo, Matt.18. Si non audierit Ecclesiā, sit tibi sicut Ethnicus & publicanus Amen dico vobis, quæcunque ligaueritis in terris, &c. Hanc autoritatem dedit non singulis ministris sed toti Ecclesiæ. Illa verò superior, singulis ministris data fuit: & locus ille pertinet ad prædicationē verbi: hic ad disciplinā Ecclesiasticam, quæ Ecclesiæ à Christo est concessa. Ecclesia igitur ligat, quē excōmunicat: soluit, quem in communionē recipit Quare, cùm excommunicat, dicitur ligare, cùm recipit in communionem dicitur soluere? Dicitur ligare excommunicatione, non quòd in perpetuam ruinam aut damnationē coniiciat, sed quia scelerati vitam ac mores damnat, ac nisi resipuerit, iam eum suæ damnationis admonet: dicitur soluere, cùm recipit in communionē, quia veluti solutum à Satana, eum participem facit vnitatis, quam ipsa Ecclesia habet in Christo Iesu Hæc est secunda verborū ligandi & soluendi, significatio, quæ habetur Matt. 18. Vtrobique autem volens Dominus significare se, licet in cœlis corpore existat, illum esse, qui per ministerium Apostolicū & Ecclesiæ, tū prædicatione Euāgelij, aut remittat peccata credentibus, aut retineat incredulis, tum sententia per Ecclesiam prolata, aut impœnitētes excōmunicet, aut resipiscentes in communionē recipiat, dixit: Quæcunque ligaueritis in terris, erunt ligata in cœlis, &c Nunquam autem reperietur in sacris literis quod ligare & soluere, significet toti mundo præsidere, primatum in alios obtinere. Quemadmodum neque dare alicui claues regni cœlorum, significat illum constituere Monarcham aut principem regni, sed significat, dare autoritatem aliis aperiendi, & aliis claudendi regnum. Regnum autem cœlorum prædicatione verbi aperitur credentibus & clauditur incredulis. Hanc igitur autoritatem promisit Petro Christus se daturū, id est, se Euangelij concionatorem effecturum. Quare ex iis verbis nihil minus hauriri potest, quam Petro promissum à Christo totius Ecclesiæ primatum. Vel, si ex iis verbis volunt Papistæ promitti primatum. Ergo non solus Petrus, sed omnes Apostoli, ex æquo primatū hūc tenent Nam Ioh 20 ex æquo, quod hic promisit Petro, omnibus præstitit, dicendo: *Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, &c.* Hæc est responsio ad minorem syllogismi.

Ad maiorem, vbi dicitur, soli Petro promisit, dicēdo: *Tibi dabo &c.* respondeo, non soli Petro factam promissionem, sed in vno Petro omnibus Apostolis factā fuisse. patet 1. Ex promissionis impletione: Ioh. enim 20. quod antè promiserat Christus Petro, dicendo, *tibi dabo. &c.* reipsa præstat omnibus Apostolis ex æquo, dicendo: *Sicut misit Pater, &c. quorum remiseritis peccata.* 2. Testimonio Cypriani & Augustini. Cyprianus de simplicitate prælatorum, locum illum Matth. 16. interpretans, ait in summa: *in persona vnius hominis* (scilicet Petri) *Dominum dedisse omnibus claues. Cur? vt omnium vnitatem denotaret. Hoc vtique fuisse reliquos Apostolos, quod erat & Petrus: pari consortio præditos, honoris & potestatis.* Verba eius suprà posita sunt. Augustinus vero in Iohan. Tractat. 50. Si in Petro non esset Ecclesiæ mysterium, non ei diceret Dominus, Tibi dabo claues. Si enim hoc Petro (scilicet soli) dictum est, non haberet Ecclesia (scilicet claues) si autem Ecclesia habet, Petrus quando claues accepit: totam Ecclesiam designauit. Item Homil.11. Cùm interrogati essent omnes, solus Petrus respondit, Tu es Christus, & ei dicitur, Tibi dabo claues: quasi ligandi & soluendi solus acceperit potestatem: cùm & illud vnus pro omnibus dixerit: & hoc cū omnibus, tanquā personā gerēs ipsius vnitatis, accepit. Ideò vnus pro omnib⁹: quia vnitas est in omnib.

At (inquiunt) attendendum est, quod Petro ait, *Quæ-* Instantia

cunque solueris in terris, erũt soluta in cœlis(in plurali.) Reliquis verò Apostolis ait: *Quæcunque solueritis erunt soluta in cœlo.* Quid quidem indicat maiorem autoritatem concessam Petro, quàm aliis?

Resp. Obseruatio hæc pucerilis est, & nullo fundaméto nititur. Hebraica enim lingua, qua locutus est Christus, cùm hæc diceret Apostolis, vocem quæ significat cœlum, habet in plurali. *Schamaim*, quæ significat cœlos. Visum est autem Spiritui sancto scribenti per Apostolos quæ audiuerant à Christo, vocem hanc vertere, modò in singulari, modò in plurali, sine tamen mysterio hoc quod Romanenses in hac numeri diuersitate esse volunt. Si mysterium hoc verum est: igitur minor potestas data fuit Christo, post resurrectionem, quàm Christus Petro dederit. Nam Petro dat *in cœlis*. Christo autem data est potestas in cœlo tantùm, *Matth.28.* Data est mihi omnis potestas in cœlo, &c. Non ait, *in cœlis*. Item si in iis verbis primatum certò daturum se Petro Christus promisit: Cur igitur Apostoli postea cõtendunt de primatu, quis futurus sit maior? Certè orta non fuisset illa contentio, sicut etiam in cœna, si Petro iam datus fuisset primatus. Deinde, Christus non opus habuisset dicere *scitis quòd principes gentium dominantur. &c.* Sed vno verbo potuisset contentionem dissoluere, dicendo: Constitutus est Petrus: nolite ampliùs contendere. Imò Petrus ipse inter reliquos Apostolos non ampliùs dubitasset, quis futurus esset maior.

V. Obiectio. V. Matth. 17. Christus in soluendo tributo, sibi iungit Petrum non alios Apostolos, dicendo: *Solue pro te & pro me:* Ergo (inquiunt) declarat Christus, Petrum futurum inter Apostolos primum, seu principem, & caput Apostolorum: alioqui cur non pro aliis, sed tantùm pro Petro & se soluit?

Resp. Negatur illatio. Nunquid enim soluere tributum pro testimonio est, aliquem esse inter alios principem? imò subiectionis est signum, id quod ibi voluit Christus, qui in forma serui venerat, indicare. Si Christus sua vteus libertate non soluisset tributum, inque eo non soluendo Petrum sibi adsciuisset in socium, declarasset potiùs Petrum vnà secum inter alios futurũ principem. Cùm verò solui iubeat, & pro se & pro Petro, quis non videat, locum hunc nihil facere ad primatum seu principatum Petri?

1. Instant. At, cur ergo non pro aliis sicut pro Petro solui tributum iubet? Responsio. Quoniam Petrus non alij, tributum eo in loco, nempe in Capernaum, soluere tenebatur, quippe qui eius esset ciuitatis ciuis, ipse & Andreas, vbi & domum habebant, vt patet Matth.8. Luc 4. Reliqui verò non tenebantur ibi soluere tributum. Est igitur fallacia à non causa ad causam. Non enim causa, cur, vni Petro dixerit, solue pro te & me non autem pro aliis, fuit, quia Petrum aliis præferret: sed, quod Petrus ad hoc persoluendum tenebatur, non alij: deinde erat ad id accommodus ciuis nempe cum esset eius oppidi: accedit, quòd hospes erat Christi, ideo ipsius interfuit, curare, vt pro Christo & se solueret.

Sed esto, locus hic probet, Petrum aliis Apostolis præpositum fuisse: quid tum? Nunquid sequitur, factũ fuisse talem principem, qualem fingunt papistæ? Aliis maior fuit non autoritate, sed honore. Si verò exemplum hoc trahatur ad Pontificem Romanum, quid concludit? nisi eum debere tributum Cæsari dare, sicut & Petrus fecit? Contra autẽ faciunt. Non ergo facit hic locus pro Papa.

2. Instant. At confirmant locum hunc facere ad primatum papæ: quia statim soluto didrachmate, Apostoli reliqui de primatu contendere cœperunt, nempe hinc oblata occasione, quia Dominus Petro dixerat, *vade ad mare, &c.* Et est ratio Chrysostomi.

Resp. Multò etiam antè pestis hæc inuaserat Apostolos, non tunc, & Marcus apertè docet. Apostolos, antequã Capernaum venisset Christus, ideóque antequam iussus fuisset Petrus didrachma soluere, in ipso itinere hanc quæstionem mouisse. Non ergo ex interrogatione Apostolorum, quæ postea Matth. 18. sequitur, colligi potest, præcedentia verba Christi ad Petrum, primatum Petri confirmare.

VI. Obiectio. VI. Dicunt, Luc.22. pro Petri, non pro aliorum fide, rogasse se Christus ait, dicendo: *Simon Simon. Satan expetiuit, vt cribraret,* id est, exagitaret *vos* & ceu fundamentũ fidei concuteret. *Sed ego rogaui pro te Petre, &c. Et tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.* Hic prærogatiuam quandam inter Apostolos se Petro dare indicat Christus, dum peculiariter pro Petro rogasse se dicit, vt in fide firmatus, alios fratres in fide vacillaturos confirmet.

Responsio. Primùm, quod Petro dicit, Omnibus Apostolis, imò & fidelibus omnibus dictum fuisse, intelligere possumus. Christus enim reuera rogauit nõ solùm pro fide Petri, sed etiam pro omnibus fidelibus, id est, electis, ne deficiat illorum fides, quemadmodum & Bucerus obseruauit in Matth. locum hunc Lucę exponens. Id quod etiam confirmant verba Christi, quæ sequuntur: *Et tu aliquando conuersus. confirma fratres,* ne scilicet despondeant animum, si aliquando videant se à Satana exagitari, & ipsorum fidem concuti. Quomodo cõfirmabo? sicut & Ego te confirmaui, significans illis, sicut & Ego tibi, me pro illis rogasse, ne ipsorum fides deficiat. Hoc enim maximè confirmat fidelium corda, cũ sciunt Christum pro ipsis rogasse, & impetrasse, ne ipsorum fides penitus deficiat.

Secundò, sed esto, pro fide peculiariter ipsius Petri rogauerit: numquid hinc consequitur, Petrum fuisse principem Apostolorum, maiori scilicet præ cæteris autoritate ac potestate præditum? Nihil minùs. Sed tantùm fuisse maiori fidei fortitudine munitum ab oratione Christi, vt cæteros (quos) fratres (non subditos) confirmare posset.

At saltem hinc colligitur (inquiunt) fidem solam Romanæ Ecclesiæ, certam esse, & Catholicam, quæ nunquã defecerit, neque vnquam deficiet, ideóque eam, vt regulam infallibilem consulendam & sequendam esse. 3. Instant.

Resp. Si fides Romanæ Ecclesiæ, esset fides Petri, rectè hoc consequeretur, quod aiunt: sed probandum est, Romanæ Ecclesiæ fidem, esse Petri. Certè si ab operib. (vt docet Iacobus) agnoscenda est fides, imò si ex verbo Dei est diiudicanda, longè alia fuit Petri, atque nũc est Ecclesiæ Romanæ fides. Longè diuersa est doctrina, quã credidit & professus est Petrus, ab ea, quam Papa: & lõgè diuersa opera illius, quàm huius.

VII. Iohan. 20. Cùm Petrus & Iohannes ambo ad monumentum currerent, citiúsque Iohannes eò peruenisset, quàm Petrus, non tamen prius introiuit, quam Petrus venisset: Hinc colligit Roff Episcopus, Petrus primus enim locum ingreditur, vnde surrexerat Dominus, cùm tamen Iohan. prior potuisset ingredi, quippe qui citiùs ad monumentum venerat: Ergo primus in Ecclesia post Christum, eius vices gerens, id est, princeps est Apostolorum. VII. Obiectio.

Responsio. Quàm insulsa sit hæc ratiocinatio, vel pueri ipsi vident. Primò fallacia est à non causa ad causam. Quæ enim causa fuit, cur Iohannes non sit primus ingressus? Nunquid, quia Petrum vt principem Apostolorum recognoscebat? negamus. Sed potiùs hæc fuit, quòd vtpote iunior, eóque timidior, timuit in sepulchrum introire: vel hæc: noluit primus ingredi, vt aliquem honorem Petro deferret. Sed nunquid hinc consequitur; Petrum fuisse principem, &c. Est igitur secundò fallacia consequentis. Non enim sequitur, prior est ingressus. Ergo est princeps Apostolorum.

VIII. Iohan. 21. Præ aliis Apostolis Christus ait Petro, idque ter. *pasce oues meas.* Ergo principem Apostolorum primariúmque in Ecclesia Episcopum ac pastorem Christus Petrum constituit? VIII. Obiectio.

Resp. Negatur illatio. Fallacia est à non causa ad causam. Non enim idcirco dictum fuit Petro, non aliis. *pasce oues meas,* idque ter, quia ipse futurus esset princeps Apostolorum. Sed quæ fuit causa? dicam ex Chrysostomi, Augustini & Cyrilli sententia. Trina illa Christi negatione, Petrus sese Apostolatus & autoritate, & honore indignum reddiderat. Ergo Christus, vt Petro & Apostolatus dignitatem in integrum restituat, & omnem, quàm terna negatione contraxerat, infamiæ labem abstergat, ter pastorem eum constituit, ter iubens, pasce, pasce, pasce oues meas. hæc est vera causa.

Secundò, Fallacia est figuræ dictionis. Neque enim *pasce oues* significat principatum habeas in Ecclesia, in ouili: sed rege. Quo pacto? verbi prædicatione. Ideò ait, *pasce*, non dominare. Quid autem Petro his verbis dedit Christus, quod reliquis Apostolis non dedit? Commune omnibus Apostolis fuit munus hoc pascendi oues verbo. Ergo licet vni sit Petro dictum, pasce: non hinc tamen sequitur, primatum aliquem in regimine Ecclesiæ Petro præ cæteris Apostolis datum fuisse.

Tertio, sed demus aliquid honoris Petro præ aliis à Christo iis verbis datum fuisse: nunquid tamen inde colligitur, constitutum illum fuisse Apostolorum principem,

cipem,& vniuersalem totius Ecclesiæ pastorem? Nihil minus. Omnibus enim ex æquo aperte dixit Matth. 28. Euntes in vniuersum mundum prędicate Euangelium, &c. *Item. Ioh. cap. vigesimo.* Sicut me misit Pater · ita & Ego mitto vos,&c. Accipite Spiritum sanctū,&c. Quare locus ille Ioh. 21. nil ad primatum Petri firmandum facit. Non ait, Tu solus pasce: sed tu(nempe cum aliis) pasce,&c.

Sed quartò demus, iis verbis primas regendi ac pascendi Ecclesiam datas fuisse Petro: quid tamen ad primarum papæ super omnes Ecclesiæ Episcopos, Reges? &c quando ipse Ecclesiam, seu oues non pascat? imo hoc vti possumus loco contra papam: primatus petro datur iis verbis, vt pascat, papa non pascit, sed enecat, mactat, exossat. Ergo non tenet primatum petri.

Quinta responsio: Ex his verbis Christi ad petrū haurio contrarium eius, quod hauriunt papistæ. Dicunt, huic commissam fuisse curam vniuersalem omnium ouium Christi, id est, omnium Ecclesiarum. Ego verò dico, curam tantùm ouium, i. Iudæorum. Hos enim propriè vocat oues suas. Conformis est hæc interpretatio illi, quod scribit paulus Gal. 2. petro commissam fuisse curam Iudæorum duntaxat, sibi vero Gentium. Hæc præcipua sunt, quæ è Scripturis testimonia, ad stabiliēdum petri in vniuersa Ecclesia principatum, adferuntur à papistis, quæ quanti sint momenti, quilibet ipse videt.

Adfert propterea Roffensis decem alia loca ex Actis, quibus conatur idem probare: vt quod petrus proponit in Concilio, eligendum esse aliquem in locum Iudæ: quod in Concilio Hierosolymitano primus sentētiam dicit, &c. Cæterùm ad loca illa omnia vna satis fuerit responsio, eundem locum habuisse petrum in Apostolos, quem consul inter Senatores, vt scilicet proponat, primus loquatur, hortetur, &c. non tamen, quod maioris sit autoritatis, quàm totus senatus.

Profert deinde patres aliquot, tum Græcos, tum Latinos, qui asseruisse videntur, petrum caput fuisse Ecclesiæ, omniúmque Apostolorum principem. Ac primum quidem August. Tom. 10. in sermonibus de tempore, serm. 124. vbi verba faciens de petro, quem Dominus subdeseruit, vt se negaret, vt in illo totum humanū genus agnosceret, nihil boni se sine Dei gratia posse, ait: *Totius corporis morbum in ipso capite curat Ecclesia, & in ipso vertice componit membrorum omnium sanitatē: in ipsa confessionis Christi crepidine, in ipso immobilis fidei fundamento in Petro scilicet illo, qui dixerat, Etiamsi mihi moriendum esset &c.*

Chrysostomus in Matt. hom. 55. (vt citat Roff.) petrum vocat caput Ecclesiæ. Item in Iohan. hom. 87. appellat petrum, principem Apostolorum.

Responsio. Patres in hunc sensum Petrum vocarunt caput Ecclesiæ, & principem Apostolorum, nō propter maiorem autoritatem aut potestatē, quam haberet in Ecclesia præ cæteris Apostolis, sed propterea, quod ob singulares suas virtutes, fidei constantiam, magnitudinem animi, ardorem & zelum gloriæ Dei, inter Apostolos erat ceu consul inter senatores os totius collegij. Patet hoc, si quis verba Patrum in locis, quos Papistæ citant, diligenter consideret.

Augustinus loco suprà citato declarat in quem sensum Petrum vocarit caput Ecclesiæ, statim subdens: Hic est Petrus, inquit, qui diuina reuelatione prior omnium veritatem meruerit confiteri, dicendo: Tu es Christus. Hic tantus & talis venit ad noctem, &c. Quia igitur cæteris prior Spiritu sancto donatus fuit ad confitendum Christum, quia talis ac tantus erat, id est, quia fide, aliisque virtutibus cæteris Apostolis antecedebat, idcirco Augustinus eum appellauit caput Ecclesiæ, verticem Apostolorum.

In hunc eundem sensum Chrysostomus eū appellauit caput Ecclesiæ. Sic enim habent verba eius, in Mat. hom. 55. *Vt futura Ecclesia tot tantisque fluctibus impetu irrūpentibus, immobilis maneat, cuius pastor & caput, &c. adamantis naturā firmitate superet, hæc omnia se ei daturū promittit Christus.* Hic cur caput vocat? quia primus pastor, præcipuus, dignior, quippe qui singulari præ cæteris, Dei sapiētia præditus fuit. Itē supra, cū vocat os & veritatē Apostolorū dicendo: *Quid igitur ait Petrus, omnium Apostolorum os, & vertex totius consortij, cùm omnes interrogati essent, ipse solus respondet?*

Ita in Iohan. Homil. 87. os & principem Apostolorū vocat, vbi altera vox, alteram declarat. Cur enim principem Apostolorum vocat? quia os omnium Apostolorum, sicut consul, princeps dicitur totius senatus, quia ceu os quoddam est totius senatus. Hanc autem dignitatem facile damus Petro inter reliquos Apostolos: Sed hinc dici nequaquam potest, Petrum principem Apostolorum dici, quod maioris esset præ illis, autoritatis: neque caput Ecclesiæ, quod vniuersa Ecclesia à Petro penderet.

Hæc responsio satis esto ad omnes autoritates patrū, quæcunque in hanc rem citari possunt. In hunc enim sensum vocatum fuisse petrum à patribus, principem Apostolorum & caput Ecclesiæ, alij etiam patres apertè docent, quos citat Roffensis, Euseb. Cæsar. Ecclesiast. histor. lib. 2. c. 14. sub ipso Claudij imperio, *optima illa Dei omniū & humano generi amica prouidētia, cōstantissimū, & magnum Apostolum Petrum, reliquorum omnium virtutis gratia principem, Romam deduxit.* Cur principem vocat Apostolorum? non ob maiorem autoritatem aut potestatem, sed, *virtutis gratia*, ait. Ita Cyrillus in *Ioh.* (vt etiam citat Roffensis) Cùm Christus ab Apostolis quæreret, Vos autem, quem me esse dicitis? petrus vt princeps capútque cæterorum, primus exclamauit, Tu es Christus, filius Dei, &c. Quis non videat, quo sensu principem & caput Apostolorum vocet Petrum Cyrillus? quia scilicet prior fide fuit donatus & maiori fide erat præditus, ideò prior cōfessus est Christum, tanquam os totius collegij apostolici. Erat igitur caput & princeps Apostolorum, non in autoritate & potestate, sed in fide ob quam primum locū libenter cæteri apostoli dabant petro, vt primus semper loqueretur.

Stat igitur immota altera propositio, nempe petrum non fuisse Apostolorum principem, aut totius Ecclesiæ caput ita vt vel in reliquos Apostolos vllam haberet autoritatem, vel in ecclesia Dei maiorem quàm reliqui apostoli potestatem teneret. Fuisse autem principem, quemadmodum & consul totius senatus princeps dici potest, non propter maiorem autoritatem, sed propter maiorem honoris & dignitatis gradum non inficiamur: in quem sensum intelligenda sunt omnia loca, tam in scripturis, quàm in Patribus, quæ Petrum, vel caput vel principem Apostolorum totius ecclesiæ prędicant. Fuit enim reuera, ipso etiam Christo in humanis degente, multis priuilegiis, & donis, præ cæteris Apostolis, donatus: fuit post mortem Christi, ceu cōsul, in cœtu Apostolorum: fuit in Ecclesia omnium Apostolorum, fideliúmque omnium præstantissimus & ϑεολογώτατος. Cæterùm, fuisse cum vnicum vicariū, & ministeriale Christi caput, à quo Ecclesia penderet: fundamentum, super quod Ecclesia fundata consisteret: principem, qui autoritatē in reliquos apostolos, & totā Ecclesiā habere, negamus, inficiamur, & scripturis aduersari contendimus.

Sed demus (id quod omninò dari non potest) Petrum Apostolorum, totiúsque Ecclesiæ principem fuisse, eo sensu, quo Papistæ contendunt: quid tamen ad Romani pontificis primatum facit? Plurimum (inquiunt Papistæ) facit ad principatum Papæ stabiliendum, sic: Petrus fuit Apostolorum omnium princeps: Ergo omnis Papa seu Episcopus Romanus, semper Episcoporum omnium princeps, ideóque Ecclesiarum omnium caput est.

Responsio. Illatio hæc non consequitur. Vnus Petrus aliquando fuit duodecim Apostolorum princeps: Ergo omnis Romanus Episcopus, quicunque ille sit, semper est Episcoporum omnium princeps, ideóque Ecclesiarum omnium, quæ in toto terrarū orbe diffusæ sunt, caput. Ratio. Non enim ab vno singulari exemplo, ad vniuersalem propositionem tenet consecutio: neque id, quod semel est factum, ad perpetuam regulam, vt idem semper fiat, iure trahi potest: quandoquidē longè diuersa ratio est illius singularis & temporarij exempli, atque huius generalis ac perpetuæ regulæ, quam inde colligunt. Quod quidem hinc perspicuum fit.

Si inter Apostolos vnus Petrus summus fuit princeps constitutus, id ideo factum est, quia reliquis omnibus Apostolis fidei constantiā, animi magnitudine, studio gloriæ Dei, aliisque plurimis diuinæ gratiæ donis præstabat. Num igitur consequetur, vnum Episcopum, qui reliquos non solùm non antecellat, neque eruditione, neque vitæ sanctitate, sed sæpe etiam longè inferior aliis omnibus sit, debere inter omnes alios Episcopos esse summum & principem?

Deinde, si Petrus duodecim Apostolis præfuit vt

princeps, hoc ideo fuit, quia illi pauci erant, quibus poterat aliquis vnus præfici: num propterea consequetur, vnum debere quadringentis Episcopis, imò centum millibus ouibus vel etiam Ecclesiis præfici, qui eas omnes regat? Minimè. Neque enim vnus, sicut ad duodecim homines, aut vnam Ecclesiam regendum sufficit, ita ad centum millia hominum, aut ad vniuersas in toto orbe Ecclesias gubernandas, hoc præsertim regiminis genere, quale est Ecclesiasticum, quod Episcopi in sua Ecclesia præsentiam requirit, sufficere potest.

At vnus sufficit imperator ad totum orbem regendũ. Ergo & Papa ad totam Ecclesiam?

Resp. Imperator per se non sufficit, sed per alios regit. Hoc autem pacto Christus per ministros multos suam Ecclesiam externè regit: quo fit, vt hoc pacto non sit necessarius vnus Papa, ad totam Ecclesiam regendam. Vnum habemus caput, & principem, regem Christum, qui solus per se internè suo spiritu externè verò per ministros regit Ecclesiã. Quare etsi detur (id quod dari non potest) Petrum inter 12. Apostolos, talem primatum qualem fingunt Papistæ, tenuisse: nulla tamen ratione consequi potest, aliquem vnum Episcopum Episcoporum omnium principem esse, vniuersisque Ecclesiis præfici debere.

Sed esto, valeat hæc consecutio ab exemplo singulari: Tempore nascentis Ecclesiæ vnus scilicet Petrus primatum inter Apostolos omnes tenuit: Ergo & nunc, & semper in finem vsque mundi, aliquis debet in Ecclesia esse omnium Episcoporum princeps & totius Ecclesiæ caput: quomodo tamen hinc consequetur, hunc reuera esse, aut esse debere, Romanum Episcopum?

At consequitur, (inquiunt Papistæ) hoc modo: Illius Ecclesiæ Episcopus omnium Episcoporum princeps esse debet, cuius etiam Petrus omnium Apostolorum Princeps, Episcopus fuit. Atqui Petrus fuit Episcopus Ecclesiæ Romanæ, idque annis 25. ergo, &c.

Resp. Primò ad minorem propositionem. Negamus Petrum fuisse Romanæ Ecclesiæ Episcopum, præsertim annis 25. vt ipsi tradunt: contráque hanc tertiam propositionem statuimus.

Tertia propositio. Petrum, vel nunquam, vel exiguo tempore fuisse Romæ.

Petrus etsi detur fuisse aliquo modo Apostolorum princeps: non tamen fuit Ecclesiæ Romanæ Episcopus, tanto præsertim tempore, quanto fuisse fingitur à Papistis 25. nimirum annis: sed vel nunquam vel exiguo admodum tempore Romæ fuit ac mansit. Hoc verò ex iis, quos subiiciam, locis demonstrabo.

Primò ab officio seu vocatione Apostolorum. Apostolorum vocatio erat, vt nullas certas ac firmas haberent sedes, vbi perpetuò manerent: sed in totum terrarum orbem proficiscerentur, Ecclesiásque vbique erigerent, erectis verò aliquem pastorem seu Episcopum præficerent, quemadmodum patet è testimonio Christi. *Matth.* 28. Euntes in vniuersum mundum, &c. *Actor.* 1. Eritis mihi testes in Iudæa, Samaria, &c. Quî igitur fieri potest, vt Petrus princeps Apostolorum certam & firmam sedem Romæ tenuerit, tanto præsertim tempore, nempe annis 25. vt Papistæ dicunt? Confirmatur etiam ex eo, quod scribit Paulus Ephes. 4. vbi diuersa Ecclesiasticorum ministeriorum genera recenset, aliud esse dicens munus Apostolicum, aliud munus pastorum: Alios (*inquit*) dedit Apostolos, alios Prophetas, alios Euãgelistas, &c. Diuersum igitur cum sit munus Apostolicum à munere pastoris seu Episcopi: Petrus autem esset Apostolus, dicendum non est, illum fuisse Romanæ Ecclesiæ Episcopum.

Secundò Gal. 2. Paulus testatur, Petrum destinatum fuisse à Spiritu sancto Apostolum ad circumcisos, id est, vt suo fungeretur Apostolatu inter Iudæos, se verò destinatum Apostolum Gentium: dicendo: *Nam qui efficax fuit per Petrum ad Apostolatum circũcisionis: efficax etiam fuit per me inter Gentes.* Quî igitur verisimile est, Petrum contra suam vocationẽ deseruisse Iudæos, Romã verò venisse ad Gentes, præsertim ibi semper in finẽ vsque vitæ mansurũ? Facilè potest dari, eum aliquãdo fratres, qui Romæ erãt, inuisisse, atque in doctrina Euangelij confirmasse: sed ibi deinde semper mansisse 25. annis, dari non potest, quin maxima Petro fiat iniuria.

Tertiò ex temporum supputatione id fit perspicuum, fieri non posse, vt Petrus fuerit Romæ, tanto præsertim tempore; nedum Episcopus ibi sederit. Papistæ quidem contendunt, Petrum non solùm fuisse Romæ, sed etiam Romanæ Ecclesiæ primum & fundatorẽ, & Episcopum fuisse, eíque præfuisse annis 25. Atque in hanc sententiam adferunt nihil quidem ex verbo Dei, cum ne mentionem quidẽ vllam hisce de rebus, nisi in oppositam partẽ, faciat: sed testimonia tũ Patrum aliquot, tum historicorũ. Ego igitur demonstrabo hęc quatuor.

Primum fieri non posse, vt Petrus annis 25. Romæ manserit.

Secundum, Petrum nõ fuisse Romanæ Ecclesiæ fundatorem.

Tertium, Neque fuisse Romanæ Ecclesiæ Episcopum.

Quartum, Fortasse neque Romæ vnquam fuisse: ideóque neque hæreticum neque impium esse, si quis dicat, Petrum Romæ nunquam fuisse.

Age igitur. Tradunt quidem permulti in genere, Petrum Romam venisse sub ipso Claudij imperio, vt Euseb. Cæsar. histor. Eccles. lib. 2. cap 14. Alij vero certum annum statuentes dicunt, anno imperij Claudij secundo, qui fuit annus Domini 44. (vt refert Funccius) alij, anno Domini 45. qui fuit annus Claudij imperatoris tertius, vt Damas. in pontif. & refert Lucid. Samoth de emendatione temporum, lib 8. Omnes autẽ pontificij dicunt, Petrum ibi Ecclesiam fundasse, & primum Romanæ Ecclesiæ Episcopum fuisse, annis 25. illi præfuisse: deinde vnà cum Paulo, anno 14. & vltimo Neronis, ibi occisum occubuisse. Lucid. Samoth. Lib 8. Item in tab. annal. fol. 11.. & 114.

Hæc omnia quam vera sint patefaciam, simúlque illa quatuor, quæ iam proposui, perspicuè demõstrabo: Primò quidem ex iis, quæ de Pauli & ad Christum cõuersione, & Hierosolymam profectione, in sacris literis traduntur.

Paulus ad Christum citiùs conuersus non est, quàm circa annum Domini 35. vt ex Actis colligi potest. Necis enim Stephani interfuit Act. 7. Stephanus autem lapidibus obrutus fuit à Iudæis circa annum à resurrectione Domini secundum. Resurrexit verò Dominus anno à sua natiuitate 34. Erat autem tunc Petrus Hierosolymis, quando Paulus conuersus est, anno igitur Domini 35. Petrus est Hierosolymis.

Deinde Paulus ad Christum conuersus, Christũ prædicat in Arabia annis tribus, vt Gal. 1. apparet. Post annos autem à sua conuersione tres iam elapsos, venit Hierosolymam, & mansit apud Petrum diebus 15. vt ibidẽ testatur. Anno igitur Christi 38. Petrus est Hierosolymis. Totum hoc fatentur Papistæ sine vlla controuersia: quanquam Lucid. Samoth ait hoc tempore, vsq. ad annum Domini 38. Petrum partim in Iudæa mansisse, partim in Ponto, Galatia, Cappadocia, Asia & Bithynia vbi Ecclesias quoque fundauit vt ex 1. epist. Petri apparet. Anno vero Domini 38. fuisse in Antiochia, & Ecclesiam ibi fundasse, ibique præfuisse annis 7. nempe vsque ad annum Domini 45 quo quidem anno venisse postea Romã tradit. Satis est, conuenisse hactenus inter nos, quod anno Domini 38. Petrus fuit Hierosolymis. Pergamus nos in Paulo. Anno igitur Domini minimũ 50. Paulus iterum ascendit Hierosolymam vnà cũ Barnaba, assumto & Tito, quo quidem tempore coactum fuit Concilium Hierosolymis primum ab Apostolis, explicãdæ illius, de legis necessitate, quæstionis gratiã, vbi aderat Petrus, vt patet Act. 15. & Gal. 2. Ait enim Paulus Gal. 2. se post annos 14. nempe vel à cõuersione sua, vel (vt alij volunt) post visum primá vice Petrum, rursus ascendisse Hierosolymam, vt suum Euãgelium, quo prædicabat legis abrogationem, conferret cũ aliis Apostolis: non quia dubitaret de suo Euangelio, sed aliorum causâ, vt scilicet gentes magis confirmarentur in fide Euangelij, quod prædicabat Paulus.

Quo ex loco patet, Paulum non secundò ascendisse Hierosolymam, nisi ante habitum illud Conciliũ Hierosolymitanum. Nam si antè fuisset sentẽtia Apostolorum de legis abrogatione omnibus declarata, sicut fuit in illo concilio, proculdubio opus non fuisset Paulo ascendere Hierosolymam. Secũdò, conferendi sui cum aliis Apostolis Euangelij, quo abolitam legem prædicabat gratiâ. Quo perspicuum sit, tunc concilium habitum fuisse, quando secundò Paulus ascendit Hierosolymam post annum 14. à suâ scilicet conuersione, vel post visum primá vice Petrum. Sed vtut sit manifestum est, Petrum eo tempore, quo Paulus post annos 14. ascendit Hierosolymam, Hierosolymis fuisse. Iam numeremus annos.

Anno

Anno Domini se voluente, 35. Paulus conuertitur ad Christum: post conuersionem annis tribus Christum prædicat in Arabia antequàm primùm veniat Hierosolymam videndi Petri causa. Iam habes annum Domini 38. Iis adde vel 14. integros (iuxta aliquos) & habebis annum Domini 52. vel saltem addas vndecim integros iam elapsos, & initium duodecimi, vt sint 14. à sua conuersione, quando secundò venit Hierosolymam cum Barnaba, quo tempore Petrus erat Hierosolymis & habitum fuit concilium. Sic habes annum Domini saltem 50. Hæc sunt apertissima.

Ex iis manifestum est, Petrum anno 50. fuisse adhuc Hierosolymis, non autem Romæ. Quo modo igitur fieri potest, vt verum sit, quod aiunt papistæ, Petrum anno Domini 44. vel 45. Romam venisse, cùm ex scripturis manifestum sit, eum fuisse Hierosolymis, anno Domini 50.

Occupatio. At (dicet aliquis papista) Petrus anno 44. venit Romam, ibi Ecclesiam fundat, deinde reuertitur Hierosolymam, ita vt ibi reperiatur, anno 50. Domini, & anno conuersionis Pauli 14. quo anno coactum fuit conciliū Hierosolymitanum. Ita vtrumque bene cohæret, & quod nos dicimus, eum venisse anno Domini 44. Romam: & quod vos colligitis è scripturis, eum fuisse Hierosolymis anno 50.

Responsio. Dari hoc nun potest, nempe Petrum Romam profectum, deinde Hierosolymam reuertisse, & iterum Romam rediisse, vbi mortuum esse dicūt. Primò quia nun est iter tam breue & facilè Roma Hierosolymam, & Hierosolyma Romam, vt toties iter huc fecisse Petrum credendum sit. Secundò quia Lucas, qui Act. Apostolorum conscripsit, ne verbum quidem vllum hac de re facit, vnde hoc saltem coniectare possimus quod certè non omisisset, si ita fuisset. Tertiò quia verisimile non est, Petrum ante habitum concilium Hierosolymitanum, atque ita ante sedatos fidelium, qui erant in Iudæa, animos, circa quæstionem de necessitate legis Mosaicæ, Iudæam deseruisse, & Romam venisse. Denique, quia in nulla historia fide digna reperitur, Petrum, postquam Romam venit, eam deseruisse, atque Hierosolymam iterum reuertisse: quod, etiamsi apud aliquem legeretur, cùm tamen in Sacra scriptura nulla de hac re mentio fiat, res saltem manet incerta, atque ita non tenemur vobis dare, Petrum Romam venisse, deinde Hierosolymam rediisse: Nisi igitur meliorem responsionē adferatis, nos è scripturis euicimus, Petrum ante annum Domini 50. non fuisse Romæ: quo quidem tempore iam annus Imperatoris Claudij 8. agebatur. Quare falsissimum est quod dicitis, anno 2. Claudij, & anno Domini 44. Petrum Romam venisse: atque ita concluditur, annis 25. non potuisse Petrum Romæ mansisse.

II. Deinde ex Eutropio, Romanarum rerum scriptore, qualis nunc circumfertur, apparet falsum esse quod dicitis. Philo Iudæus (vt ex veris historiis, Iosepho & aliis patet) cùm legatum ageret Hebræorum ad C. Cæsarem, id quod contigit anno Domini 40. mortuus est Romæ. Eutropius autem (vel verius Eutropij deprauator) de hac legatione Philonis loquens, ait: Is scilicet Philo *Romam veniens* anno scilicet Domini 40. *locutus est cum Apostolo Petro, eiúsque amicitias habuisse fertur.* Hic certè facit, vt Petrus anno Domini 40 Romæ fuerit, si cum Philo Romæ est allocutus. Quomodo igitur vel alij, qui dicunt anno Domini 44. aut 45. Romam venisse, mendaces non sunt, si verax est hic Eutropius? vel si illi vera dicunt, quomodo non est mendax hic Eutropius? Concilient Papistæ suos historicos? non minùs vni, quàm alteri credendum est. Nos vero ex verbo Domini ostendimus, Petrum anno Domini 50. Hierosolymis fuisse, ideóque ante annum 50 Romam non venisse, vel secundùm Papistas, neque ante annum 57.

At excipiet papista quispiam, post annum Domini 50. vel 57. venisse Romam, ibique præfuisse annis 25.

Resp. Ostendam primùm Ego, Petrum nō fuisse Romæ, neque circa annum Domini 58. aut 60. neque circa annum Domini 70. Deinde concludam etiam clariùs, fieri non posse, vt ibi 25. annis manserit. Ac primùm quidem anno 58. qui fuit annus imperij Neronis tertius, Paulus vinctus Romam duci incepit: anno verò Domini 60. Romam peruenit, vt apertè explicat Functius in chronologia. Tunc Petrum non fuisse Romæ, patet ex Actis, vbi cùm Lucas diligētissimè narret, quæ contigerint Paulo, & in ipso itinere, & vbi propè Romā accessit, cui multi fratres obuiam fuerunt, & vbi Romam peruenit, vbi multi cum fratres conuenerūt, nunquam mentionem vllam facit de Petro, vel quòd ibi esset, vel obuiam venisset, vel Romam perductum salutasset, quod quidem proculdubio fecisset Lucas, si ibi adfuisset Petrus, quando quid alij fratres egerint, diligenter narret. Non ergo verisimile est, eum fuisse Romæ anno 60.

Neque item ibi fuit anno Dom. 70. qui fuit annus Neronis postremus, quo scilicet martyrio coronatus fuit Paulus Euseb. Cæs. hist. Ecclesiast. lib. 2. c. 25. Nam ex epist. ad Tim. 2. cap. vlt. perspicuum fit, Petrum non fuisse Romæ sub id tempus, quo mors Pauli instabat quandoquidem aliquot eorum fratrum, qui tum ibi aderant, meminit, nempe Eubuli, Prudentis & Lini: de Petro vero ne verbum quidem: quod quo pacto omittere potuisset Paulus, si tantus Apostolus, qualis erat Petrus, ibi adfuisset?

Ex iis perspicuum fit, Petrum non fuisse Romę, neque anno 60. quando Paulus Romam perductus fuit vinctus: neque anno 70. quando suæ mortis tempus instabat, cùm neutro tempore vllam Petri mentionem faciat Paulus.

At (inquies) vtroque tempore, & cùm eò perductus fuisset Paulus & cùm suæ mortis tempus instaret Petrus Roma aberat ob aliquot negotia. Resp. Hoc non fit verosimile. In nulla enim epistola, quas multas tamen Romā scripsit Paulus, meminit vnquam Petri, vel quod adfuerit, vel quòd abfuerit, cùm tamen de aliis minoris pretij fratribus subinde mentionem faciat, si vel adfuerint, vel aliquo abierint: quemadmodum 2. *Tim.* 4. facit, Crescens *inquit* in Galatiam abiit, Titus in Dalmatiam. *Item* 1. *Cor.* 16. Exspecto Timotheum cum gaudio. Vnde tam altum de Petro silentium? nisi quod verisimile est, ibi Petrum nunquam fuisse, præsertim ante mortem Pauli?

III. Quòd verò fieri non possit, vt Ecclesiæ illi præfuerit Petrus annis 25. præter ea, quæ diximus, hinc etiam patet.

Claudius imperauit annis 13. mensibus 8. Nero verò eius successit annis 14. Iam altera ex parte, à nobis supra est demonstratum, Petrum Romæ non fuisse, ante annum Claudij Octauū qui fuit annus Domini 50. altera ex parte Pontificij dicunt, vt Euseb. in hist. Eccles. lib. 2. cap 25. anno 14. Neronis, Petrum vnà cum Paulo Romæ fuisse occisum. Iam subducas annos, exorsus ab anno Claudij octauo, qui erat annus Domini 50. quo tempore Petrus adhuc Romæ non fuerat (vt supra à nobis est demonstratum) vsque ad annum Neronis postremum, quo dicunt, mortuum fuisse Petrum: & reperies, non pluribus quàm 19. tantùm annis, & mensibus 8. Romanæ Ecclesiæ præfuisse Petrum, si tamen detur præfuisse. Tot enim anni intercedunt ab anno Claudij octauo, qui fuit annus Domini 50. vsque ad 14. Neronis, qui fuit annus Domini 70. Quid igitur garriunt, annis 25. illi Ecclesiæ ipsum præfuisse? Fieri hoc nullo pacto potest nisi demus anno Domini 44. (vt volunt) Petrum Romam venisse, quod falsum esse supra demonstratum est, & historicorum Pontificiorum inconstantia confirmat: quando alij dicunt, vt falsus Eutropius, anno Domini 40 Romæ fuisse, atque è Philone inuisum & salutatum alij anno 44. alij anno 45. vt Lucid. Samot.

Addam iam & alias perspicuas coniecturas, ex quibus colligetur, falsa esse, quæ pontificij tradūt de Petro, quòd fuerit primus Romæ Episcopus, primus Ecclesiæ Romanæ fundator, quod 25. annis illi præfuerit, quòd ibi cum Paulo mortuus.

Si Petrus fuit Romæ eámque Ecclesiam fundauit rexitque annis 25. vel id fuit, antequam Paulus scripsisset Epistolam ad Romanos, id est, ad Ecclesiam, quæ erat Romæ: vel post scriptam & missam epistolam eò venit Petrus. Si dicas, post missam Epistolam Pauli, consequentur hæc omnia necessariò. Primùm, ergo primus illius Ecclesiæ fundator, aūt Episcopus, non fuit Petrus: erat enim iam fundata antequam epistolam ad eos misisset Paulus, vnde appellat eos sanctos, &c. Secundum, Ergo Petrus non præfuit annos 25. Epistolam enim scripsit Paulus ad Romanos, circa annum Domini 58. id est, paulo antequā eò ipse perductus fuisset vinctus, quod factum fuit anno Domini 60. Et occisum ferunt Petrum anno Domini 70. id est, postremo Neronis anno. *I. Coniectura.*

Si dicas (vt ipsi volunt) ante missam Epistolam, hoc non fit vero simile. Si enim, cùm Paulus scriberet ad Romanos, iam Petrus erat Romæ Episcopus: qui fit, vt in Epistola sua Paulus nullam penitus mentionē tanti Apostoli Petri faciat, neque eum salutere iubeat? Cùm tamen tot alios fratres nominatim salutet, & etiā muliercula quasdam salutere iubeat, vt cap.16. Epistola ad Rom. Item Actor.11. Lucas meminit illius famis quæ fuit sub Claudio. Item Act.18. refert, Claudium iussisse omnes Iudeos Roma discedere. Hoc autem alterum accidit circa annum Domini 52. Nulla tamen ibi fit mentio Petri, vel quod manserit, vel quod discesserit. Ergo vel Romæ nunquam fuit Petrus, vel saltè eius Ecclesiæ fundator aut Episcopus primus non fuit, neque 25 annis illi præfuit. Si autē ab aliis, quàm vel à Petro, vel à Paulo fundata fuit illa Ecclesia (vt reuera fuit) totum Papatus fundamentum corruit, qui dicunt ideo Ecclesiam Romanam primam esse Ecclesiam, quoniam primus eius fundator & Episcopus fuit Petrus. Dicant igitur se esse successores non Petri, sed alicuius incerti Ecclesię illius fundatoris.

2. Coniect. Act.28 refert Lucas, permultos fratres Paulo, cùm Romam perduceretur, obuiam venisse, & vbi eò perductus fuit, à multis iisdem fratribus inuisum fuisse: de Petro nulla fit mentio. Quid hoc indicat? nisi Petrum tum ibi non fuisse?

3. Coniect. Phil.2. In epistola quam Roma ad Philippenses scribit, conqueritur se non habere vllum tam animatum ad res Philippensium curandas, atque Timotheus erat. Omnes enim (*inquit*) quæ sua sunt, quærunt, non quæ Iesu Christi. Hic interrogo Papistas, vbi tum erat Petrus? Si Romæ erat, vt ipsi fingunt, fœdissimam certè & turpissimam notam illi quoque inurit Paulus, dum ait se præter Timotheum nullum habere, qui curet res Ecclesiæ & Christi. sed omnes etiam, qui fratres videbantur, quærere quę sua sunt. Absit autem, vt hoc sentiamus de Petro. Ergo ibi non fuit. In fine verò ait *Salutant vos omnes sancti, maximè verò qui sunt ex Cæsaris familia.* Si ibi Petrus, nūquid oblitus fuisset salutare fratres nomine Petri? aut illi prætulisset fratres, qui erant ex familia Cæsaris?

4. Obiect. Ad Colossēses Roma scribit, & cap. vltimo ait: *Salutat vos Aristarchus & Iesus, &c. Ij soli cooperary sunt ad regnū Dei qui fuerunt mihi solatio.* Ergóne Petrus Romæ erat, & tamen non erat operatius ad regnum Dei? absit.

5. Obiect. 2. Timoth. 4. Quid fortius & euidentius conuincit Papistas mendacij cùm dicunt, Petrum Romanū Episcopum fuisse, vnáque cum Paulo (vt Damasc. in pontificatu tradit) occisum fuisse, quàm caput 4. epistolæ posterioris ad Timoth. quam Roma scripsit, cum iam suæ mortis tempus instaret? Ibi ait: *Da operam, vt venias ad me citò.* Cur? *Nam Demas me dereliquit, amplexus præsens seculū & profectus est Thessalonicā. Crescens in Galatiam, Titus in Dalmatiam: Lucas mecum est solus.* Iam sic dico: Si ibi tū fuit Petrus, vel fuit liber vel in carcere vnà cū Paulo. Si liber, qui fieri pōt, vt Paulū ipse quoq. deseruerit? Si in carcere, quī fit, vt nullū verbum de Petro faciat Paulus? Item subdit: *In prima mea defensione nemo mihi adfuit, sed omnes me deseruerunt.* Si tunc Romæ erat Petrus quomodo potuit & ipse tantum Christi Apostolum, & charissimum fratrem deserere? Mendaciū igitur est, quicquid Papistæ garriunt, de pontificatu Petri in Ecclesia Romana.

V. Postremo idem perspicuum fit ex iis, quæ de Lini temporibus tradunt Papistæ. Plerique contendunt Linum Petri successorem fuisse in Ecclesię Romanæ Episcopatu, & eo quidem anno Episcopatum illum obtinuisse, quo Petrus occisus fuit. Tomo verò Concil. primo, in vita Lini papæ, pag.30. ex pontificali Damasi papæ, hæc leguntur de Lino: *Fuit autem (Linus) temporib. Neronis à cōsulatu Saturnini, & Scipionis, vsq. ad Capitonem & Rufum Consules, martyrio coronatus &c.* Hæc ibi.

Obseruetur hîc mendacium Romanensium. Saturninus & P. Cœpio (quē ibi appellat Damasus Scipionem) consules fuerunt anno Neronis secundo. Capito verò & Rufus, anno eiusdem Neronis 13. sicut ex historiis patet. Pontificij porrò dicunt, Petrum vltimo Neronis anno, nempe 14 occisum. Iam si Linus, anno 13. Neronis mortuus est, seu martyrio coronatus (sicut ex pontific. Damasi colligitur, qui dicit Linum peruenisse tantùm ad consulatum Rufi & Capitonis, qui anno 13. Neronis fuerunt consules) & Petrus (vt pontificij tradunt) mortuus est anno sequenti, nempe 14. eiusdem Neronis: quomodo igitur potuit Linus succedere Petro cùm anno ante Petrum vno, martyrio sit coronatus? Vt sic arguamus, si Linus fuit tempore Neronis Ecclesiæ Romanæ Episcopus, certè Petrus non fuit. Si fuit Petrus, præsertim anno 14. certè Linus non fuit, quandoquidem anno 13. Neronis mortuus est. Ergo necessarium est, vt alterutrum sit mendacium. Atqui magis credendum est, fuisse Linum, Romanæ Ecclesiæ Episcopum, tempore Neronis, quàm Petrum. Non enim repugnat scripturis illud, sicut hoc, neque vllam secum absurditatem trahit, sicut hoc, quod dicunt de Petro. Ergo Petrus non fuit Romanæ Ecclesiæ Episcopus.

VI. Petrum certe non fuisse Romanæ Ecclesiæ Episcopum testatur etiam Irenæus lib.3. cap 3 Ait enim, *primum Romanæ Ecclesiæ Episcopum fuisse Ecclesiæ illi ab Apostolis Petro & Paulo præpositum.* Tertullianus verò, lib. de præscript. hæret. 10. primum Romanæ Ecclesiæ Episcopum, dicit fuisse Clementem quem tamen tertium facit Irenæus.

Ac sanè, si vera sunt alia quæ dicitur de Petro, quod Hierosolymis docuerit vsque ad annum Domini 38. Deinde in Antiochia 7. & fuisse etiam in Ponto (vt aliqui tradunt) 5. annis, in Bithynia, &c. vbi Ecclesias erexerit, quomodo potuit igitur esse Romæ 25. annis? annō vltra annos Neronis hoc modo vixerit?

Item si ipsi concionandum fuit gentibus Romæ annis 25. quomodo ergo ausus est manum dare Paulo, vt ipse ad Iudæos, ille ad Gentes se conferret? quomodo ausus est Petrus se alligare Iudæis, si sciuit sibi necessario concionandum esse Romæ Gentibus?

Et quid igitur de morte Petri dicemus? Romæne, an alibi est mortuus?

Resp. Non me latet, quid Patres scripserint, idque vno eodemque consensu, Petrum scilicet Romæ interemptum occubuisse, idque sub Nerone, vel vnà cum Apostolo Paulo, vel anno circiter vno interueniente. Sic sensit Egesippus, lib.3. cap 2. Sic Euseb. Cæsar. in hist. Eccles. lib.2. cap.25. Sic Damasus papa in suo pontificali, quemadmodum etiam in Tomo Concil.1. in vita Petri per Damasum, legitur: sic alij quàm plurimi grauissimi viri.

Sed ego dico, primò, cùm ex scripturis hoc probari non possit, hæreticum non esse, neque impium, si quis neget, eum Romæ mortuum, aut vnquā Romæ fuisse. Deinde, etiamsi demus (quod quidem propter consensum tot clarissimorum patrum ego facile dederim) eum Romæ crucem subiisse: fieri tamen non posse aio, propter rationes e scripturis allatas, vt diu ibi manserit, multo minus, vt ibi Episcopus fuerit.

At locus est (inquiunt) in epistola Petri prima, cap.5. ibi ait Petrus: *Salutat vos Ecclesia, quæ est in Babylone collecta*, per Babylonem autem typicè Romam intelligit. Ergo è scripturis patet, Romæ fuisse. Hoc loco maxime nititur Eusebius Cæsar vt probet Petrum fuisse Romæ. Argumēta pontificiorum in oppositum.

Resp. Negare nos talem interpretationem, vt per Babylonem intelligēda sit Roma. Quæ igitur fuit illa Babylon? Dicimus nos, fieri posse, vt fuerit illa, quæ est in Chaldæa, & cuius sæpius mentio fit in scripturis. Cùm enim Petrus (vt ex Actis patet) aliquot annis in Syria fuerit: fieri facilè potuit, vt & Babylonem illam adierit, quæ est in Chaldæa. Vel fieri etiam potest, vt illa fuerit, quæ erat in Ægypto, in qua multi Iudæi cōgregati fuerant. Cùm igitur ad prædicandum Iudæis destinatus esset Petrus, fieri potuit, vt ad eos etiam, qui in illa Babylone Ægyptiaca erant, peruenerit, indéque epistolam illam ad fratres, qui erant dispersi in Cappadocia, Bythynia, &c. scripserit: quod magis est vero simile, quā vt ex illa, quæ erat in Chaldæa, scripsisse eum dicamus.

Sed vtut sit, certum est, Petrum nequaquā fuisse Ecclesiæ Romanæ fundatorem, vel Episcopum. Quod nō fuerit Episcopus, testis est Irenæus, lib.3.c.3. qui dicit, fuisse Linum: & Tertull. lib.10. qui dicit fuisse Clementem.

At saltem Ecclesiæ Romanæ fundator fuit, vt Irenæus testatur? Responsio. Ad hanc autoritatem Irenæi, qui ait, fundatam illam Ecclesiam à Petro & Paulo, dico, si referatur ad personas Petri & Pauli, falsum esse, & suppositum illud ab aliquo Romanensium. Ratio prima. Neque enim Ecclesia Romana, circa Nicenam synodum, in eo honore est habita, quo deprauator

Irenæi eam fuisse tradit circa annum Christi 180. Secūda, Petrus & Paulus, ante scriptam Pauli epistolam ad Romanos, Romæ non fuerunt, vt supra est ostensum de Petro, & de Paulo apertissimum est ex epistola: & tamen ante scriptam epistolam, iam fundata erat Ecclesia, vt patet ex epistola Pauli. Ergo non potuit fundari à Paulo & Petro.

Ex iis omnibus, quæ hactenus in responsione ad minorem Papistici syllogismi propositionem diximus, vbi illi dicunt: Atqui Petrus Episcopus Romanæ fuit per annos 25. hæc omnia manifesta sunt. Primò, fieri nullo pacto posse, (sicut ex scripturis & chronologiis colligitur) vt Petrus annis 25. Romæ manserit. Secundo, Petrū non fuisse primum Romanæ Ecclesiæ fundatorem, imo nec Paulum, quoniam ante epistolam Pauli ad Romanos scriptam, Ecclesia illa iam fundata erat. Ante aurē illam Epistolam Pauli, nec Petrus, nec Paulus Romæ fuerunt. Tertiò, neque eundem Petrum fuisse vnquam Romanæ Ecclesiæ Episcopum, sed primum potius Episcopum fuisse Linum. Quartò Petrum vel nunquam, vel exiguo saltem tempore, Romæ fuisse. Sic ad Minorem est responsum.

Nunc igitur ad Maiorem propositionem respondentes, eam negamus vtpote falsam, & nulla solida ratione suffultam. Quæ est enim ratio, vt quicunque sit Romanæ Ecclesiæ Episcopus, sit etiam omnium Episcoporum princeps, & omnium Ecclesiarum caput, vniuersalisque totius Ecclesiæ pastor? Ratio est (inquiunt papistæ) quoniam Petrus quoque, qui eiusdē Ecclesiæ Episcopus fuit, princeps Apostolorum fuit. At quid tum? simile est, ac si dicamus: Dauid, qui populi Israelitici Rex fuit, fuit & propheta, Ergo quicunque eiusdem populi rex fuit, propheta fuit. Vel sic: Saul primus Israelitarum Rex, Deo inuisus fuit: Ergo quicunque populi eiusdem rex fuit, Deo inuisus fuerit oportet. Ita vos dicitis, Petrus, qui primus Ecclesiæ Romanæ Episcopus fuit, fuit etiam omnium Apostolorum princeps: Ergo quicunque Episcopus est Romanæ Ecclesiæ, princeps Apostolorum sit necesse est. Quis non videat, falsam esse hanc illationem, cum sit à particulari exemplo, ad vniuersalem propositionem & perpetuam regulam?

At (inquiunt) valet illatio, quoniam perpetuo nititur priuilegio, quod Petrus acceptum à Christo, loco seu vrbi, in qua sedit & mortuus est, reliquit, nempe, vt non solùm ipse, sed omnis etiam ipsius successor, omnium Episcoporum princeps, & omnium Ecclesiarum sit caput: hinc tenet illatio, Petrus primus Ecclesiæ Romanæ Episcopus, Apostolorum princeps fuit: Ergo omnis eiusdem Ecclesiæ Episcopus, reliquorum Episcoporum princeps est.

Resp. Primò: Assumitis quod est probandum. Etsi enim nunc in gratiam vestram damus, dignitatem hanc accepisse Petrum à Christo, vt esset princeps Apostolorum: non tamen actu tùm damus, dignitatem hanc potuisse à Petro, vrbi seu Ecclesiæ, in qua sedit, relinqui, aut alligari, vt quicunque in eius Episcopatum succederet, eiusdem quoque principatum teneret. Ratio cur hoc non demus est, primò, quia hoc quod dicitis nullum habet testimonium è sacris literis. Quod autem non habet testimonium è sacris literis, ea facilitate reiicitur, quâ etiam dicitur, vt ait Hieronymus. Deinde quia aduersatur dignitati Christi. Nulla est enim ratio cur hoc demus Petro, Christo verò non demus. Dicite quæso, quæ ratio est, cur Petrus longè inferior Christo, tantum honorem acquirere possit loco, vbi sedit Episcopus, & vbi mortuus est: vt quicunque eiusdem loci fuerit Episcopus, princeps sit Episcoporum omnium, perinde atque Petrus fuit Apostolorum: Christus verò princeps pastorum, id non potuerit: An non Christus fuit princeps pastorum, caput Ecclesiæ summus omnium Episcopus? Omninò An non is quoque suo Episcopatu est functus, sacerdotiique munus impleuit Hierosolymis, ibique mortuus est? procul dubio: Et tamen suæ Hierosolymæ hunc honorem acquirere non potuit, vt quicunque illius foret Episcopus, princeps quoque pastorum, & caput Ecclesiæ, & summus omnium Episcopus fieret, perinde atque Christus fuit Et hoc Petrum potuisse dicemus? absit. Neque enim legimus, cum vlla loci conditione, principatum hunc datum fuisse Pétro. Tertiò, Si Petrus Apostolorum princeps, & caput Ecclesiæ, principatum hūc illi, in qua ipse præfuit, soli ciuitati tribuit, ita vt qui deinceps in eadem vrbe præest, is solus princeps Episcoporum, & caput Ecclesiæ sit: consequetur principatum hunc rem esse infirmam, incertam ac instabilem, super quam tamē ceu super firmam petram. constitutam esse Ecclesiam dicitis, & deficere non posse: idcóque fieri facilè poterit, vt Ecclesia maneat sine capite. Quòd verò hoc consequatur ex illo, sic patet Si vrbs, in qua præfuit Petrus, nunc dirueretur, aut sub Turcarum imperium redigeretur, quemadmodum & Constantinopolis, ita vt nullus in ea pontifex præesse posset: tunc certè nullus esset in Ecclesia summus pontifex, princeps Episcoporū, aut caput Ecclesiæ, quandoquidem principatus iste, ita alligatus est loco, vbi præfuit Petrus, vt nullus, nisi qui ibi præest, talem principatum obtinere possit, sed perdito loco, principatus quoq. pereat necesse sit. Hoc autem, secundum vestra dogmata, est omnium longè absurdissimum. Ergo etiam secundùm vestra dogmata fieri non potest, vt Petrus principatum Ecclesiæ, alligauerit loco, vbi ipse præfuit, quoniā alioqui Ecclesia, super fundamentum oppidúmque infirmum fundata esset. Quartò, Si ista ratiocinatio valet, Petrus princeps Apostolorum, Romæ Apostolatu suo functus est, & ibi mortuus. Ergo sedes primatus Petri est Romæ relicta: valebit & hæc, Moses princeps prophetarum, caputque totius populi Israelitici, in deserto suo ministerio est functus, & ibi mortuus est: ergo sedes principatus Mosis in deserto relicta est, non Hierosolymis. Quis non videat has pueriles ineptias?

Sed esto, vt hunc honorem Petrus loco illi reliquerit, vbi Episcopus fuit: & valeat hæc argumentatio, Petrus principatum habuit inter Apostolos? Ergo Ecclesia vbi sedit, hoc priuilegij habere debet, vt illius Episcopus, inter omnes Episcopos principatum teneat: quid tum consequetur? Profectò hoc consequetur, Atqui primùm sedit Antiochiæ: Ergo Antiochenæ Ecclesiæ Episcopus iure principatum inter omnes Episcopos tenere debet: non autem Romanæ Ecclesiæ Episcopus Antiocheno debet præferri.

Scio, quid hic respondeant papistæ. Fatemur (inquiunt) quàm diu Petrus sedit Antiochiæ, primam Ecclesiarum sedem ibi fuisse: & si Petrus ibi semper mansisset, Antiochenæ Ecclesiæ Episcopus, principatum inter reliquos omnes Episcopos tenuisset. Verum, quia Petrus inde Romam migrauit, ibique mortuus est, idcirco factum est, vt illud quoque priuilegiū Antiochiā Romam secum transtulerit, atque ideo non Antiochenæ, sed Romanæ Ecclesiæ Episcopus, principatum Petri inter omnes Episcopos teneat: sicque Antiochena Ecclesiæ Romanæ cessit: & hac de re extat epist. Marcelli Papæ ad presbyteros Antiochenos.

Responsio. Nos verò ad illam exceptionem respondentes, primum epistolam illam sub nomine Marcelli Papæ non admittimus, neque cogimur admittere. Deinde, falsum esse dicimus, quod nugantur Papistæ, trāslatum fuisse principatum Petri Antiochiā Romam. Certè Chrysostomus primatum hunc dat suæ Ecclesiæ Antiochenæ. Homilia enim tertia ad populum Antiochenum, sic habet: [Ciuitatum omniū Antiochena nostra, Christo est optatissima: Et sicut Petrus inter Apostolos primus Christum prædicauit: sic inter ciuitates (sicut iam prædixi) hæc prima, tanquam coronam quādam admirabilem, Christianorum tulit appellationem. Item hom. 17. Quæ vero est ciuitatis nostræ dignitas? Cōtigit primū Antiochiæ discipulos appellari Christianos. Hoc autem ciuitatum quæ sunt in mundo, ciuitas habet nulla, neque ipsa Romuli ciuitas. Propterea contra omnem terrarum orbem Antiochia oculos erigere potest.] Hæc ille. De sententia igitur Chrysostomi, Petrus primatum ab Ecclesia Antiochena, ad Romanā transferre non potuit, neque efficere, quin Ecclesia Antiochena adhuc prima sit Ecclesiarum, quoniam in ea primùm discipuli Christi, appellari cœperunt Christiani: adde & in ea primùm præfuit Petrus.

Deinde, interrogo papistas: si Antiochenā Ecclesia principatum hunc Petri prima omnium accepit à Petro: quid causæ est, cur semel receptum, deinde illum perdiderit? Quoniam (inquiunt) Petrus inde discessit Romam. Per discessum igitur Petri primatus hic ademptus est Ecclesiæ Antiochenæ? Ita, inquiūt. Ergo primatus iste essentialis seu realis non erat, sed accidentalis, ita vt penderet à præsentia personæ Petri, vt ibi esset Petrus, ibi esset primatus, vnde abesset Petrus, abesset &

primatus. Ita est; inquient. Exemplum: Quemadmodum & nunc vbi residet Papa, ibi est sedes Apostolica. Si Auinioni aliquando sedit, ibi erat sedes Apostolica & primatus.

Resp. Si ita se res habet, tum ego infero: Ergo neque Roma amplius primatum hunc tenet. Ratio, non enim amplius ibi præsidet Petrus. Si enim per discessum Petri Antiochia, Romam ablatus est primatus ab Ecclesia Antiochena: cur non & per discessum eiusdem Roma in cœlum, ablatum esse dicemus primatum ab Ecclesia Romana?

Scio etiam quid hic respondere possint, discrimen esse inter illum, & hunc discessum. Sed esto: non effugient tamen, si illorum valet ratio, primatum esse Romæ, & illam primas habere, quia ibi sedit & mortuus est Petrus, quin etiam secundæ saltē Antiochenæ Ecclesiæ dētur, vbi primùm sedit Petrus. Atqui non fuerunt datæ Antiochenæ, sed Alexandrinæ. Item Constantinopolitana prælata fuit Antiochenæ. Ergo illa ratio papistarum, quà primatum Ecclesiarum demonstrant à dignitate fundatorum cuiusque Ecclesiæ, nihil valet. Vide Calv. Inst. lib 4. cap. 6. Item cur cùm sederit etiam Hierosolymis, & in Ponto Bithynia, &c. nullus tamen Hierosolymitanus Episcopus aut Ponticus dicitur successor Petri, & ius Petri retinuisse? Item, esto: Papa sit successor Petri, non potest tamen esse talis princeps, qui gestet gladiū vtrūque, politicámque administrationē habeat. Christus ait, *Ioh*.20. Sicut me misit Pater, ita & ego mitto vos. Atqui non fuit missus Christus ad regna sibi cōparanda, reges sibi in dominio terreno subiiciendos. Ergo neque Petrus, ergo neque Episcopi Romani.

Ex scripturis igitur perspicuum factum est, falsum omnino esse quod dicunt Pontificij, post Christum pontificem Romanum caput esse, à quo tota Ecclesia pendeat: Monarcham, à qua tota Ecclesia regatur: principem, qui in omnes & Episcopos & Ecclesias plenam habeat autoritatem ac potestatem: denique summum & vniuersalem esse Pontificem, qui Episcopis omnibus potestate & autoritate antecellat, & vniuerso orbi præsidere debeat: atque hunc principatum ac dignitatem à Christo in Petro accepisse.

Modò idem confirmare liceat aliquantulum rationibus & testimoniis à Patribus & veteri Ecclesia deductis. Ostendam enim, Patres & veterem Ecclesiam non agnouisse Romanum Pontificem, vt caput totius Ecclesiæ, vt principem Episcoporum omnium, vt vniuersalem & summum omnium Pontificem.

1. Si vetus Ecclesia, ac Patres agnouissent Episcopum Romanum verè caput esse Ecclesiæ & principem omnium Episcoporum: vtique in legitimis conciliis, datus semper fuisset primus locus Romano pontifici, & eius legatis. Atqui non id semper est factum, in primis præsertim & vniuersalibus conciliis, quod iam ex conciliis & historiis demonstrabo. Ergo hac re significàrunt Patres se non agnouisse Romanum pontificem pro capite Ecclesię. Quod verò ita se res habeat, patet.

In concilio Niceno, quod omnium generalium conciliorum antiquissimum & sanctissimum habetur, aderant legati Romani pontificis Iulij, Vitus & Vincentius: iis tamen datus fuit non primus, neque secundus, neque tertius, sed quartus locus. Autor est Sozomenes, in hist. Tripart. lib. 2. cap. 1. Vbi primo loco ponit Machariū Episcopum Hierosolymitanum Secundo, Eustachiū, Episcopum Antiochenum: tertio, Alexandrū, Episcopum Alexandrinum: Deinde quarto loco ait: *Iulius autem Romanus Episcopus propter senectutem defuit, erántque pro eo præsentes Vitus & Vincentius Presbyteri eiusdem Ecclesiæ*. Socrates verò ibidem ait, Alexandrū Episcopum Constantinopolitanum, id est, regiæ vrbis (vt ipse loquitur) propter senectutem abfuisse, locum verò eius suppleuisse, eius legatos Presbyteros.

Quin etiam in Epistola, quę inseritur in primo Concil. Tomo, 270. fingitúrque scripta à concilio Niceno ad Syluest. Papam tertio loco reponuntur legati Papæ, primus præcedit Osius Cordubensis. Secundus Macharius, quem facit Episcopum Constantinopolitanum: tertio loco sequuntur legati Episcopi Romani. Item si quis legat subscripta nomina Episcoporum, primo loco preponitur Osius Cordubensis Episcopus. 1. Tom. Concil. p. 257.

In Concil. Arelat. secundo, tempore Syluestris Papæ, quintum locum tenent legati Papæ, Claudianus & Auitus, Presbyteri. Eugenius & Quiriacus Diaconi. Concil. T. 2. pag. 292.

In Concilio Carthagin. sexto, quod vniuersale fuit ab Episcopis 217. habito, Aurelianensis Episcopus (qui ibi & ipse Papa dicitur) primum locum tenet: secundum Valentinus, primæ sedis Numidiæ Episcopus: tertium Faustinus legatus Romani Pontificis. Concil. To. 1. pag. 494.

In Concilio Ephesino primo, præsidet Cyrillus Alexandrinus Episcopus legati Papæ inferiori loco sedent. Hist. Trip. lib. 12. cap. 5. & in Concil. Tom. 1. p. 535.

In Concilio Ephesino secundo, quod quidem initiò fuit legitimè congregatum, licet postea in definitionibus, sanctum Flauianum damnarit, & hæreticum Eutychen absoluerit, eiúsque hæresim comprobarit: in hoc, inquam, concilio Dioscorus Patriarcha Alexandrinus præsedit: Legati vero Leonis Rom. pontificis, inferiori loco sederunt, nequaquam id factum, si primum locum agnouissent Romano pontifici iure deberi.

At in Concilio Chalcedonensi, quod à 630. Episcopis habitum fuit, Legati Pontificis Romani primum locum, seu primam sedem obtinent. Ergo, &c. Resp. Fateor, sed quo pacto? non quod sedi Romanæ id deberetur sed quia Imperator Marcianus, rogatus à Leone Pōtifice Romano, extraordinario quodam priuilegio illud concessit, ob causas, quæ in epistola Leonis ad Imperatorem, & eius vxorem Pulcheriam cōtinetur. Quod autem extra ordinem, ac singulari priuilegio petitur ac conceditur, illud profectò ex communi lege non est. Imò eo ex loco patet, ante non fuisse vnquam id factum, sed tunc primum, concessione Imperatoris, primum locum dari cœptum Romano Pontifici: non quia illum vt caput Ecclesiæ recognosceret, sed propter causas ibi contentas.

In ipsa Italia, habitum fuit Concilium Aquileiense, ibi non Romanus Episcopus interest, sed Ambrosius Mediolanensis Archiepiscopus præest, qui cùm apud Cæsarem maxima autoritate polleret, effecit, vt tūc Ecclesia Mediolanensis illustrior esset, quàm Romana.

In Concilio primum Nicæno Romanus Episcopus agnoscitur non vt vniuersalis Episcopus: sed vt vnus ex 2.
Patriarchis, & deinde ita in multis Conciliis, cui non omnes in orbe terrarum Ecclesiæ, sed suburbanæ tantùm subessent, ideóque cuius potestas, & autoritas certis finibus esset circumscripta.

Concil. Nicæn. Can. 6. Vbi legitur: *Antiqua consuetudo seruetur per Ægyptum, Lybiam & Pentapolim, ita vt Alexandrinus Episcopus horum omnium habeat potestatem. quia & vrbis Romæ Episcopo parilis mos est* (nimirū vt sit primus in suburbanis Italicis Ecclesiis.)

Idem clarius, in primo Tom. Conciliorum, pag. 49. In Canon. Hic Concilij, Canone 6. ibi legantur verba. Idem ferè distinct. 65. cap. mòs antiquus.

Item in Concilio Constantinopolitano secundo. cap. 36. quatuor Patriarchæ paris potestatis & dignitatis agnoscuntur, Romanus, Constantinopolitanus, Alexandrinus, Hierosolymitanus.

Iustin. quoque imperator, in T. inter claras, cap. de sacrosancta Ecclesia. Item in Nouell. 123. Inter quatuor Patriarchas connumerat Romanum. Erant autem (vt dixi) Patriarchæ paris potestatis & dignitatis, ita vt arguere liceat: Episcopus Romanus tum agnitus fuit vt vnus ex 4. Patriarchis. Ergo non vt caput totius Ecclesiæ vniuersalis.

Certè Nicænum Concilium suburbanarum tantùm Ecclesiarū curā Pontifici Romano, & vnicuique Patriarchę dedit. Itē cōfirmatur in Conciliis aliis, sed pręsertim in Concilio Constantinopolitano primo, vbi Patres (sicut refert Socrates in hist. Tripart. & est in primo Tom. Concil. pag. 406.) confirmarunt rursus Nicænam fidem, & Patriarchas constituerunt, distribuentes prouincias, vt Episcopi vniuscuiusque diœcesis, ad Ecclesias non irent extraordinarias.

Si vetus Ecclesia agnouit Episcopum Romanum vt 3.
caput & vniuersalem pontificem totius Ecclesiæ: profectò sanctissimi Imperatores & Reges, non ausi fuissent, inconsulto Episcopo Romano congregare vniuersalia Concilia: sed hanc potestatem, reliquissent Pontific. Romano, vtpote illi, cuius hoc intererat, si caput erat Ecclesiæ: id quod & nunc dicit, se solum posse Concilia conuocare. Atqui contrà sunt exempla permultis in

Conci-

Conciliis. Constantinus primus, sua propria autoritate conuocat Episcopos omnes Nicæam, vbi Concilium Nicænum habitum. Concilium Aquileiense in Italia congregatum per Gratianum, Valentinianum & Theodosium Imperatores, qua de re & gratias illis agūt Ambrosius & alij Patres in Concilio congregati, quod sanctum Concilium fieri curassent.

Concilium Constantinopolitanum primum, vbi 150. Episcopi, congregatum fuit per Gratianum Valentiniani filium Imperatorem in Europa, vt Socrates refert in hist. Tripart.

Illyricus Conuentus, sub Liberio Pontifice Romano, iussu Imperatoris Valentiniani, actus fuit. Vide Niceph. lib. 11. c. 30. pag. 563. B. Vbi hæc verba: *Quo cognito, qui tū Ecclesiam Romanam adhuc gubernabat Liberius, finitimis Episcopis, principis iussu conuocatis.*

Quoties Pontifices Romani per literas & nuncios rogarunt Imperatores, vt iuberent conuocari Episcopos, & haberi Concilia pro fide Catholica? quippe quorum Imperatorum intererat, Ecclesiæ curam suscipere. Legantur epistolæ Leonis primi ad Theodosium, ad Marcianum. Augustos, &c. in actis ante Conciliū Chalcedonense. Tom. concil. 1. in quibus etiam rogauit Imperatorem, & Pulcheriam Augustam, vt sibi concederent primum in eo Concilio locum, ob causas, quas ibi recenset.

Quoties verò pij Reges tum Galliæ, tum aliarum prouinciarum in suis regnis Concilia coegerint, inconsulto Romano pontifice; tanquam qui haberent hanc autoritatem, exempla multa adferre possem, sed breuitati studens omitto. De regibus Galliæ aliquot exempla adfert Doctissimus Molinæus, in præfatione super edictum Henrici 2. pag. 14.

4. Si Ecclesia vetus agnouit Episcopum Romanum, vt caput Ecclesiæ, &c. qui igitur factum est, vt sanctissimi Imperatores, & reges permulti, inconsulto hoc totius Ecclesiæ Monarcha pontifice Romano, leges tulerint, ad religionem & Ecclesiasticos mores attinentes? sicut patet de Constantino primo, & aliis Imperatoribus, Theodosio, &c. de Carolo Magno, Ludouico pio, & Lothario eius filio rege Galliarū, teste Platina in Gregorio quarto, qui multas sanctissimas leges tam circa doctrinam, & sacramēta quàm circa Episcopos & alios ministros tulit, quibus & Ecclesia paruit, vt patet in capitulis Caroli Magni, Ludouici pij, & Lotharij. Item in Decret. Grat. dist. 63. cap. Sacrorum. Item 11. q. 1. cap. volumus. De quibus Molin. in præfatione edicti Henr. secundi. pag. 15. & deinceps.

In ipsa certè Ecclesia Romana, latas fuisse infinitas propè leges ab Imperatoribus circa res Ecclesiasticas, quibus & Ecclesia, & ipse Papa Romanus obedire cogerentur: primùm patet in Decretis, distinct. 10. cap. de capitulis, c. vides. cap. Quid autem. Item distinct. 97. c. Ecclesiæ, capite victor. In quo capite etiam patet, quòd Bonifacius primus Papa, supplicem libellum misit ad Honorium Imperatorem, orans vt legem ferret circa electionem Romani Pontificis: id quod & fecit, quę lex etiam continetur distinct. 79. c. Si duo. Deinde pro testimonio est ipsum ius ciuile Romanum, quod totum huiuscemodi legibus Imperialibus est refertum. Patet cap. de sacrosancta Ecclesia: de Episcopis & Clericis. Item in Nouell. Iustin. Magni, constit 3. lex lata, vt sit determinatus numerus clericorum. Constit. 5. lex de Monasteriis & Monachis. Constit. 6. lex, quomodo oporteat Episcopos & Clericos ad ordinationem perduci. Item constit. 16. 57. 59. 67. 83. constit. 117. 123. 146. Tertiò, tempore Honorij 3. Papæ, etiam Romæ non dubitabatur, quin omnes Clerici, & Pontifices ipsi, tenerentur legibus Imperatorū, etiam in re Ecclesiastica parere, quod Molin. apertè demonstrat pag. 25. Nunc certè Papa, sibi soli, vt capiti Ecclesiæ, adscribit hoc officium leges scilicet circa religionem condendi: tunc igitur Imperatores, ideóque Ecclesia vetus hoc caput & summum Ecclesiæ principem papam non agnouit: aut impia fuit. Absit autem hoc secundum.

5. Patet idem ex eo etiam, quod Imperatores, reges & reliqui ciuiles Magistratus potestatem suam exercuerunt in causis Ecclesiasticis cognoscendis, in Clericis, Episcopis, ipso etiam Romano pontifice iudicandis, suarúmque legum transgressoribus puniendis: quæ certè non fecissent, si Papa fuisset caput Ecclesiæ, summus Monarcha, supremus Iudex, vt nunc gloriatur, dicendo, ad se solum attinere causas Ecclesiasticas cognoscere, clericos iudicare, & se à nemine mortalium in terris iudicari posse. Atqui hæc fecerunt sanctissimi Imperatores, &c. Patet 23 q. 5. c. principes seculi. Item cap. Administratores: vbi principes, secularésque (vt vocant) potestates, nonnunquam intra Ecclesiam (id est, in rebus & personis Ecclesiasticis) potestatem exercent, vt muniatur & conseruetur disciplina Ecclesiastica. Hos textus Canonistæ quidem restringunt ad id tantùm temporis, quando Ecclesiastici negligunt, vel abutuntur suâ potestate: vel quando secularem potestatem accersunt in auxilium: sed in re tam perspicua non opus est tam contortis glossis. Nam de legislatione Imperatorum & Regum, principaliter de rebus & personis Ecclesiasticis facta, & ab Ecclesia recepta, apertissimi sunt textus, & in Canones relati, vt patet dist. 10. cap. de capitulis C. Vides. C. quid autem.

Exempla. Leo Papa quartus, inter Pontifices Romanos sanctitatis quoque nomine celebratissimus, accusatus læsæ maiestatis, quòd Imperium transferre ad Græcos voluisset, causam suam agit coram Ludouico secūdo Lotharij primi Imperatoris filio, eiúsque iudicio se submisit: patet, 2. q. 7. c. Nos si competenter.

Gregorius Tom. 2. epist. lib. 4. epist. 78. ad Constantiam Augustam, loquens de Mauritio Imperatore, appellat eum Dominum suū serenissimū, & fatetur, officium esse Imperatoris, præcipere tam sibi, quàm aliis sacerdotibus. Præceperat enim Mauritius Augustus Gregorio, vt pacem conseruaret cum Patriarcha Cōstantinopolitano. Gregorius ibi hęc verba profert: *Præterea indico, quià piissimi Domini scripta suscepi, vt cū fratre & cōsacerdote meo Iohanne debeam esse pacificus: Et quidē sic religiosum Dominum decuit, vt ista sacerdotibus præciperet.*

Quid quod multi etiam Pontifices Romani coacti fuerunt non solùm suæ fidei confessionem edere coram Imperatoribus & Regibus: sed etiam iurare, se seruaturos leges Imperiales & prædecessorum Pontificum?

Leo primus, apud Marcianum Augustum hoc professus est: se leges Imperiales seruaturum, nullas nouitates facturum, ad proprium reatum imputans, si contra aut faceret ipse, aut ab aliis fieri permitteret.

Item Pelagius primus, tempore Iustiniani Imperatoris, Childeberto Galliæ Regi, & confessionem fidei suæ proprio ore exposuit, & propriæ manus subscriptione professus est, se Leonis primi Papæ tomum per omnia seruaturum, vt patet 25. q. 1. cap. Satagendum. Annon hæc testimonia sunt subiectionis? Papam scilicet non esse caput vniuersale Ecclesiæ, aut Monarcham, sed subditum esse Imperatoribus & Regibus.

Leo quartus Lothario primo Imperatori profitetur apertissimè, se seruaturum capitula Imperialia Lotharij, suorúmque prædecessorum, idque nunc & in æuum perpetuum facturum, mendacij accusans omnes, quicunque aliter dixerint, dicturive sint. Ergo mendaces sunt omnes nunc Pontifices Romani, qui contrarium dicunt, se scilicet non esse subiectos legibus Imperatorum.

Iohannes quoque octauus Papa, earundem legum Imperialium obseruantiam profitetur Ludouico secundo Imperatori Franco dist. 10. c. vides. Certè Chrysostomus exponit illud Pauli Rom. 13. *Omnis Anima, &c. Ideo* (inquit) *Paulus hæc dixit, vt ostenderet, neminem hac subiectione excipi posse, etiamsi Apostolus, Propheta, vel Euangelista sit, nedum sacerdos, vel Monachus.*

6. Papistæ in statuendo suo vnico summo Pontificatu, inter alias rationes, quibus nituntur, nituntur exemplo summi pontificis in lege Mosis. At certè contra papistas facit exemplum illud. Nam etiamsi ille esset summus pontifex in sacris administrandis: non erat tamen caput, cui omnes subdi deberent, sed ipse quoque regibus subdebatur, eisque parere cogebatur. Et Regum officium erat, religionem curare, abigere idola, animaduertere in transgressores legis Dei, etiam in ipsos sacerdotes, idololatriam, quæ humana inuentio introduxerat in Ecclesiam, eiicere. Deut. 17. Hoc docent gesta Dauidis, qui Sacerdotes & Leuitas omnes in certos ordines, per 24. classes distribuit, vt or-

dinatim Ministerio suo per vices fungerentur, vt patet 1. Par.23.24.25.26. Hoc docent gesta Salomonis, Ezechiæ, Iosiæ, & aliorum sanctorum Regum Iuda, qui etsi non administrarent sacra, quoniam hoc erat munus Pótificum & Leuitarum: imperium tamen habebant & exercebant in Clerum ipsum & Sacerdotes, disciplina Ecclesiasticam ordinabant. Non fuit autem autoritas illa Regum in Clerum abrogata per Christum, sed confirmata per Apostolos, Paulum præsertim & Petrum Roman.capite 13.1.Pet.2.imo neque per veros Apostolorum successores fuit abrogata, sed contrà confirmata, vt exempla citrà citara demonstrant, & Ambrosius Mediolanensis Episcopus, & alij docuerunt. Regibus & potestatibus ab omnibus esse parendum, 2.q.1.Manifestum est igitur etiam ex scripturis sacris, summum (vt dicunt) Pontificem, non esse monarcham Ecclesiæ, sed subditū esse ciuili Magistratui, suáque non interesse, leges condere circa cultum Dei, & disciplinam Ecclesiasticam, sed officium esse Imperatorum.

7. Si vetus Ecclesia agnouit Papam, vt caput Ecclesiæ, cuius decretis nemini liceat contradicere: quomodo igitur (vt de aliis infinitis taccam) Ludouicus nonus (quē etiam inter sanctos Romani Pontifices retulerunt) Rex Galliæ, anno Domini 1228. ausus fuit legem ferre pro libertate Ecclesiarum Gallicanarum, aduersus omnes nouas Romanæ curiæ adinuentiones, quæ (vt refert Molinæus) habetur in stylo Parlamenti Parisiensis, par.3.Tit.5.§.1.

Item, aliam edidit, quam etiam nunc pragmaticam sanctionem vocant Sancti Ludouici quá præter alia vetuit, omnes Curiæ Romanæ exactiones, tam impositas, quàm imponendas. Idem alij permulti secuti reges fecerunt. Exempla alia permulta aliorum regum Galliæ, qui huiusmodi leges aduersus exactiones Romanorum Pontificum tulerunt, refert Molin. in sua præfat.in Regum edictum, pag.21.22.

Quidquod non solùm rex Galliæ Carolus: sed etiam vniuersus senatus, totúmque regium Consilium, contra ordinationes Benedicti 13. Episcopi Romani, leges cōstituerunt? Vbi & Benedictum Papam tyrannum vocant, deficiunt à Pontifice: & ibi Academia Parisiensis concludit, nequaquam parendum esse Pontifici Romano: sed ab illo faciendam esse (vt loquuntur) subtractionem. Vide Molin.pag.112.114.115.119.

Neque hoc sine testimonio sacrarum literarū iudicauit Academia. Nam 2. *Thess vltimo: præcipimus, inquit Paulus*, vobis, fratres, per Dominum nostrū Iesum Christum vt subtrahatis vos ab omni fratre, qui inordinatè se gerit, & non iuxta institutionem, quam accepit à nobis. Et quidem sæpe, propter ambitionem & tyrannidem Paparum, aliæ Ecclesiæ sese, à Romana subduxerunt, atque ab eius communione se parauerunt: Exēplum Tempore Victoris Papæ primi, Orientales Ecclesiæ, ab Ecclesia Romana, propter nouam Ecclesiasticæ libertatis oppressionem, quam Papa moliebatur, sese separauerunt, circa annum Domini, ducentesimum, de Consecrat.dist.3 c.celebritatem. Victor enim Papa primus Ecclesiam scidit, Græcam sc. à Latina suá tyrannicá oppressione separans. Vbi patet quinā fuerint schismatum in Ecclesia autores, & Ecclesiasticæ vnionis perturbatores nempe Episcopi Romani.

8. Si Ecclesia vetus & Patres agnouerunt Papam, vt supremum summúmque Pontificem, qui in iis, quæ sunt fidei errare non possit, vt nunc iactat Papa Romanus: Cur ergo ipse Pius primus Papa fatetur (circa annum Domini 150.) se credidisse somniis Hermetis impostoris qui mandatum Angeli (vt ait Platina) in persona pastoris prætexebat? vt patet de consec. dist.3. c.nosse. cur Irenæus arguit acerrimè Victorem Papam, eò quòd propter celebrationem Paschæ, in Ecclesias orientales nouam censuram exercere volebat? Cur Bernhardus Eugenium Papam tam acriter arguit in suis ad Papam epistolis? Cur Antonius Flor. Episcopus, Paschalem secundum Papam (quandoquidem nebulo erat egregius) Antichristū esse populis significabat? Prædicabat enim, natum esse Antichristum. Testis Sabell. Ennead.9.lib. capite 4.

9. Ecclesia Græca illum nunquam agnouit, vt se maiorem: sed æqualem, vsque ad Iohannem Patriarchā Cōstantinopolitanum, qui se etiam illo maiorem esse voluit. Si igitur à Christo, in Petro, factus est princeps Ecclesiarū omniū: quí fit, vt Ecclesia Græca (quæ tamen refertissima fuit doctissimis & piis Episcopis) nunquam Papam Romanum agnoscere voluit, vt supremū Episcopum & vniuersalem pastorem? Quin etiam aliquot ex Græcis, hunc super omnes Ecclesias principatum sibi deberi contendebant: vt Ioh.Constantinop. Patriarcha tempore Gregorij Papæ Romani. Etsi autem impiè hoc fecerit: hoc tamen pro testimonio est, tunc temporis Romanum Pontificem non fuisse ab Ecclesia agnitum, vt vniuersalem Episcopum, & supremum pastorem.

10 Patres prohibuerunt, ne quis hoc titulo vniuersalis Episcopi gloriaretur & appellaretur. Si itaque Ecclesia verus agnouisset Papam caput Ecclesiæ, agnouisset non solùm Papam, sed aliquem alium Episcopū, vt supremum omnium Pontificem, caput Ecclesiæ, & vniuersalem Episcopum, in Ecclesia esse debere, profectò & antè Iohan. Constantinopolitanum Patriarcham, hoc nomine capitis vniuersalis Episcopi, aliquando dignata fuisset, & postea non prohibuisset, ne quis hoc nomine vniuersalis Episcopi appellaretur. At neque ante Iohan. Constantinop. quisquam publicè appellatus fuisse legitur hoc nomine, & postea vetitum, ne quis auderet tale nomen sibi vsurpare. testimonia sunt hæc.

Primò, Canon concilij Nicæni 6. qui etiam citatur dist.65.mos antiquus: & confirmatus est in concil.Constan.inop.primo, & in Carthag.6. Vbi Augustin.fuit, denique ab omnibus sanis Patribus summá reuerentia exceptus: dum vnicuique Metropolitano suas decernit Ecclesias, in sua tantùm prouincia, & ne quis in alienam Ecclesiam se insinuet, omninò titulum hunc vniuersalis Episcopi, licet adhuc nulla mentio facta fuisset, damnauit.

Secundò, cùm Iohann.Constantinop.Patriarcha titulum hunc vniuersalis Episcopi sibi primū publicè vsurpare inciperet, & à synodo confirmari curaret: Episcopus Romanus Pelagius 11. tanquam rem in Ecclesia Christi abominandam reprobauit, idque directis & ad Iohannem ipsum Constantinop. & ad alios Epistolis, vt patet dist.99. cap.nullus. Nullus (inquit) Patriarcharum, vniuersitatis vocabulo vnquam vtatur: quia si vnus Patriarcha vniuersalis dicitur Patriarcharum nomen cæteris derogatur, sed absit hoc à fidelibus. Fuit autem & Episcopus Romanus vnus ex 4. Patriarchis. Ergo testimonio est, Pelagium ipsum voluisse, neque vt ipse Episcopus Romanus appellaretur, aut esset vniuersalis Episcopus.

Tertiò, Cyprianus in oratione, quam habuit in Concilio Carthaginensi, idem docuit, dicendo: [Superest, vt de hac ipsa re, quid singuli sentiamus proferamus. Neque enim quisquam nostrûm, Episcopum se esse Episcoporum constituit, aut tyrannico terrore ad obsequendi necessitatem collegas suos adigit: quādo habeat omnis Episcopus pro licentia libertatis & potestatis suæ, arbitrium proprium, tanquam iudicari ab alio non possit, cùm nec ipse alterum possit iudicare.]

Quartò, Gregorius ipse primus maximus, quibus verbis hunc primatum insectatur? Dixit, eum esse Antichristum, vel saltem Antichristi præcursorem, qui vellet vniuersalis (id est οἰκουμενικὸς seu ἄρχων τῆς οἰκουμένης totius terræ habitabilis) Episcopus appellari. Legatur hac de re Beatus Gregorius Tom.2. epist. lib.4. cap.76.77.78. Item cap.80.& 81.quarum epistolarum altera est ad Eulogium, Episcopum Alexandrinum, & Anastasium Episcopum Antiochenum, altera verò ad ipsum Iohannem Constantinopolitanum Episcopum. Item epist.83. eiusdem 4.libri, ait: *In isto enim scelesto vocabulo* (scilicet vniuersalis Episcopi) *consentire, nihil aliud est, quàm fidem perdere* Item lib.6.cap 188. *Si vnus Episcopus vocatur vniuersalis, vniuersa Ecclesia corruit. si vnus vniuersalis cadit.* Idem lib.4.cap.76. Item lib.6.cap.192. & epist.194.ait, *Ego autem fidenter dico. quia quisquis se vniuersalem sacerdotem vocat, vel vocari desiderat, in elatione sua, Antichristum præcurrit, quia superbiendo se cæteris præponit.* Item lib.4.cap.80.cùm ait. hunc primatum, & vniuersalitatis titulum, sibi à Chalcedonensi Concilio oblatum, se omninò recusasse, ob causas, quas ibi recenset. Perfectò fatetur Gregorius, neque aliis neque sibi talem primatum superbúmque vniuersalitatis titulum conuenire. Item distinct.99.cap.Ecce. & est ex epistolarum lib.7. cap.30. ad Eulogium Alexandrinum Episcopum. Legenda est epistola illa.

Quin-

Quintò, Igitur in Concilio Africano sub Bonifacio Papa habito, Can. 6. prohibitum est, ne quis appelletur aut princeps Episcoporum, aut summus, aut maximus, aut tale quiddam: sed tantùm primæ sedis Episcopus (omnis scilicet Metropolitanus.) Idem in Concil. Carthag. Can. 26. Verba Græca ex Concilio sic habent, ὥστε τὸν πρώτης καθέδρας ἐπίσκοπον μὴ λέγεσθαι ἔξαρχον τῶν ἱερέων, ἢ ἄκρον ἱερέα, ἢ τοιοῦτό τρόπον τι ποτε ἀλλὰ μόνον ἐπίσκοπον τῆς πρώτης καθέδρας. Qui autem primæ sedis Episcopi appellabantur? Omnes Metropolitani, in sua prouincia: Carth. Concil. cap. 23. τὸ πρώτης καθέδρας ἐπίσκοπον appellat, ἐν ταῖς ἰδίαις χώραις ἐπισκόποις. Hos etiam appellabant τοὺς πρώτους, τοὺς πρεσβυτέρους, καὶ μητροπολίτας καὶ ἀρχιεπισκόπους, καὶ πατριάρχας, vt patet etiam in Nouellis Iustiniani, Nouella 123. & alibi.

His decretis iudicarunt Patres, neminem in Ecclesia posse esse vniuersalem Episcopum, aut caput totius Ecclesiæ, seu summum totius Ecclesiæ pontificem ac Monarcham, sicut hodie Papa gloriatur se esse. Si enim non potest quispiam appellari summus sacerdos: ergo etiam non potest esse.

11. Si ipsi Episcopi Romani agnouissent, se à Christo in Petro principes Episcoporum constitutos fuisse, ideóque præesse omnibus in vniuersum Episcopis & Ecclesiis debere: vtique Romani episcopi, & præsertim Bonifacius III. cùm contenderent aduersus Patriarchã Constantinopolitanũ, de hoc primatu, ipsum Episcopo Romano, non autem Constantinopolitano deberi, attulissent hanc rationem in medium, cui Constantinopolitanus contradicere, non potuisset, nempe Petro & omnibus eius successoribus primatum hunc à Christo datum fuisse: se esse successores Petri: igitur sibi, nõ autem Constantinopolitano deberi, & ita sedata fuisset controuersia. At si quis diligenter legat illas altercationes, videbit non fuisse allatam hanc rationem, sed humanam tantùm nempe, quia Roma caput esset Imperij: Igitur eius Episcopum caput esse debere Episcoporum, & totius Ecclesiæ. Hac eadem vtebatur Patriarcha Constantinopolitanus, dicendo: caput & sedes imperij Constantinopolim translata est, eáque iam dudum noua Roma vocata est: igitur ibi debet esse sedes & caput Ecclesiæ. Contrà Romanus dicebat, sola Roma est sedes Imperij: Constantinopolis verò est colonia Romanorum: Vnde & Imperator Constantinopolitanus appellatur αὐτοκράτωρ τῶν Ῥωμαίων, & ipsi ciues Constantinopolitani Romæi. Hanc ob causam Phocas impius & sceleratus Imperator pronunciauit, Romanũ Episcopum fore Oecumenicum, & caput, & vniuersalem, summúmque totius Ecclesiæ Pontificem, teste Platina, in Bonif. 3. Paulus Diaconus de gestis Longobardorum, lib. 4. capite 11. Item Volater. Sabell. & alij Chronographi. Legitima igitur causa, cur ita pronunciarit Phocas fuit, quoniam Roma non desit, sed adhuc iudicabatur esse caput imperij, vt apertè indicat textus Decr. dist. 22. c. Constantinopolitanæ, vbi dicitur, Constantinopolitanum Episcopum ideò secundum à Romano locum tenere, quod Constantinopolis sit noua Roma, seu iunior Roma, vt ait textus Concilij Constantinopolitani can. 2. Ideo sequi veterem, non autem præcedere debet. Ex hac causa humana, quàm attulerunt illi Episcopi Romanus & Constantinopolitanus, in illa de primatu contentione, & ob quam solam, lata fuit sententia à Phoca pro Episcopo Romano, perspicuum fit, illos non sensisse iure (vt dicunt) diuino, sed tantùm humano, deberi Episcopo Romano hunc primatum, alioqui attulisset statim Romanus Episcopus, ius diuinum, si potuisset.

Idem colligo ex petitione & Zozimi, & deinde Bonifacij primi à Concilio Africano, cùm vterque peteret à Concilio Africano, & Carthaginensi 6. vbi aderat Augustinus, vt omnibus liceret ad Romanum Pontificem, tanquam ad supremum & summum Episcopũ appellare, neuter attulit ius diuinum, dicendo: Sic enim à Christo in Petro, Episcopis Romanis fuisse concessum: sed tantùm ius humanum adferunt (sed tamen falsò) Concilij scilicet Nicæni. Certè si de iure diuino, Episcopus Romanus summus esset & supremus in Ecclesia iudex, & caput, ad quem liceat omnibus appellare: illi boni Episcopi Romani non petiissent à Concil. Carthag. vt sibi cõcederent hoc priuilegium, neque attulissent tantùm Canonem Concilij Nicæni. Item, Patres qui erant in illo Concilio, si hoc deberi Romano Episcopo ex iure diuino cognouissent, profectò non dixissent, se velle videre alia exemplaria Nicæni Concilij: neque tandem Bonifacio primo denegassent, quod postulabat. Quis non videat Patres non agnouisse hoc Ecclesiæ caput, & vniuersalem Pontificem, scilicet Episcopum Romanum, neque à Christo, neque à Concilio Nicæno, in tali gradu constitutum?

12. Igitur argumentum duodecimum allegatur ex eo, quòd Patres Concilij Carthag. & Africani, noluerunt concedere Episcopo Romano, vt ad ipsum omnes appellare possent, quod certè facile concessissent, si agnouissent Episcopum Romanũ, vt caput Ecclesiæ à Christo constitutum, imò vel etiam à Concilio Nicæno: sicut falsò dicunt Romani Pontifices. Vbi interim videmus, quàm turpis impudentissimi mendacij nota adusta fuerit Romano Pontifici, dum in vno tam celebri, & ex ducentis & septemdecim clarissimis Patribus collecto Concilio, falsi conuictus fuit. Historia extat in primo Tomo Concil. pag. 518. 519. & deinceps. Ab ea synodo quatuor petebat & per literas & per legatos Pontifex Romanus, sed inter alia hoc vnum, vt liceret sacerdotibus & Episcopis omnibus ex Africa, ad se appellare. In summa hoc pacto iurisdictionem super omnes Ecclesias Africanas sibi concedi petebat. Id verò vt sibi deberi probaret, affirmabat sic fuisse in Nicæna synodo decretum. Patres illi, non fidentes verbis Episcopi Romani, dixerunt se velle videre Acta Concilij Nicæni in aliis etiam exemplaribus. Scripserunt igitur ad Cyrillum Alexandrinum Patriarcham & ad Atticum Patriarcham Constantinopolitanum, vt exemplaria concilij Nicæni, ad Concilium mitterent: miserunt, viderunt Patres Concilij aliter contineri in Nicæno Concilio, quàm Episcopus Romanus dixerat. Rescribunt igitur ad Bonifacium Romanum Episcopum, in verioribus exemplaribus acceptis a Cyrillo & Attico, & ex authentico missis, nihil tale reperire se potuisse, quod Episcopus Romanus dicebat, & in suo Romã misso transcripto continebatur. Quamobrem se non posse ei, quod petebat, cõcedere. Ibi aderat Augustinus. Quid vobis videtur? annon falsi conuictus?

13. Si Patres agnouissent Episcopum Romanum, vt caput & Patrem Patrum, &c. Cur igitur fratrem & consacerdotem semper, Patrem autem nunquam, aut caput Ecclesiæ appellant? Exempla aperta sunt, si quis legat epistolas Patrum ad Romanum Episcopum datas. In Concilio Africano, Patres ad Bonifacium Papam primum scribunt, & fratrem ac consacerdotem appellant.

At appellant Papam, quod significat Patrem Patrum?

Resp. Primò, Papa non significat Patrem Patrum, sed tantùm Patrem, vt Suidas testatur in dictione πάππα, & vox est Syracusana. Deinde, vox hæc communis erat omnibus Episcopis, vt patet in epistolis Hieronymi ad Augustinum quem sæpe Papam appellat. Item in epistolis Cypriani, multi ad eum scribentes, Papam vocarunt. Item Aurelius Episcopus Carthag. in initio Concilij Carthag. Papa appellatur. Item Alypius in oratione sua ita alloquitur Aurelium Episcopum: ἀπόκριναι τὴν ἡμετέραν τῇ σῇ ἀγιότητι πάππα Αὐρήλιε. Item in eodem Concilio, Patres verba facientes de Innocẽtio Episcopo Alexandrino, inquiunt. *Placuit vt ad sanctissimum Papam Innocentium scribatur.* Imò ex hoc quod Episcopus Romanus, nomen alioqui omnibus commune, sibi vt proprium vsurpauit, ita vt nunc solus Papa appelletur, colligere possumus, vnà cum nomine, rem quoque ipsam, nempe autoritatem, alioqui omnibus communem & æqualem, sibi soli Papam Romanum vsurpasse.

14. Apostolis vsque ad Constantinum Magnum Imperatorem, qui pacem Ecclesiæ donauit, in Ecclesia nõ reperiebantur nisi Presbyteri & Episcopi, qui singuli Episcopi, ex singulis collegiis Presbyterorum eligebantur. Pace verò iam per Constantinum Imperatorem Ecclesiis concessâ Metropolitani institui cœperunt, non primatus super reliquos habendi, sed Ecclesiasticæ disciplinæ diligentiùs curandæ causâ. Omnes enim Metropolitani, qui & Archiepiscopi & præsides (in sua scilicet quisque prouincia) Episcopi & primates appellati postea fuerunt, paris erant dignitatis & potestatis, neq; ab aliis Episcopis differebant, nisi in hoc, quòd plurium quoque Episcoporum in sua prouincia curam gerebãt, inter quos primates erat & Romanus. Patet hoc totum in concilio Nicæno, can. 6. Quomodo igitur Ecclesia vetus agnouit Episcopum Romanum, vt summum & vniuersalem Pontificem?

Huc accedit, quòd huiuscemodi Archiepiscopi, & eorum sedes, arbitrio principum, Imperatorum, & Regum instituebantur, vt patet in Concil. Chalcedonensi. & Africanis. Non ergo diuina & immutabilis, sed politica institutio ab hominibus inuenta, Ecclesiasticæ disciplinæ commodiùs instituendæ & exercendæ causa fuit. Confirmatur hoc testimonio Hieronymi. Is in epist. ad Tit. c. 1. (& habentur verba Hieronymi dist. 95. c. olim.) *Initio primitiuæ Ecclesiæ*, inquit, *non erat certus in singulis locis Episcopus nec differentia inter Presbyterum & Episcopum: sed Ecclesia communi Presbyterorum concilio gubernabantur nomine Christi. Deinde decretum fuit, & in toto orbe receptum, vt in singulis plebibus vnus ex Presbyteris electus superponeretur cæteris, ad quem omnis eius Ecclesia cura pertineret.* Deinde subdit dicēdo: *Sicut ergo Presbyteri sciunt, se ex Ecclesia consuetudine, ei qui sibi præpositus fuit, esse subiectos: ita Episcopi nouerint se magis consuetudine, quàm dispositionis dominicæ virtute Presbyteris esse maiores.* Et tamen hic tantum de Episcopis loquitur Hieronymus, nihil adhuc de Archiepiscopis, multò minus de vniuersali & summo vnico Pontifice Romano. Quid ergo dicunt Romanenses, ex Domini instituto Episcopum Romanum vniuersalem esse Episcopum, omnium Episcoporum principem omniumEcclesiarum caput? Videte, quo progressa superbia in Ecclesia Christi: primò tantùm erant Presbyteri (vt ait Hieronymus) secundò additi Episcopi, idque tempore Apostolorum: tertio loco additi Archiepiscopi, idque tempore Concilij Nicæni: quartò quatuor Patriarchæ: Quinto, vnus Romanus Episcopus, vniuersam Ecclesia, imo & politicam iurisdictionem & potestatem occupauit. Quomodo ergo Ecclesia semper agnouit hunc vniuersalem Episcopum, & primatum Papæ?

15 Tempore Gregorij Constantinopolitana Ecclesia, æqualis fuit Romanæ, etiam in dignitate, vt videre est apud Gregorium Papam Tom. 2. epist. lib. 4. 5. & 6. in omnibus fere epistolis vbi de Iohānne Constantinopolitano Episcopo scribit, quem etiam fratrem & consacerdotem appellat. Sic & eadem omnino iura, & priuilegia habebat, imo & Romana dicebatur, & Episcopus Constantinopolitanus, Romanus Episcopus vt est 24. q. 2. c. Quomodo igitur primatum Romani Pōtificis agnouit super omnes Ecclesias? Fateor autem decretum fuisse, vt Romana Ecclesia primam sedem, Constantinopolitana vero secundam haberet, vt patet in Nouell. nouella 131. de Eccles. canon.

16. Ecclesia Græca, nunquam hunc Romani Episcopi primatū agnoscere voluit, nec ei subijci, nisi vi coacta. id quod contigit circa annum Domini 1211. quando scilicet Galli, duce Balduino, Venetis adiuuantibus, Constantinopolim venerunt, & Alexium in Imperio restituerunt sed ea conditione (vt ait Platina in Innocentio 3.) vt ipse Alexius Ecclesiam Græcam Romanæ subijceret. Tunc aliquandiu, Ecclesiam Romanam Dominam appellarunt Græci sed coacti. Nam non ita multò post, iterum suam dignitatem cōseruare cœpit, nec subijci voluit Romanæ. Imo quia Michael Palæologus Imperator Orientalis ad concilium Lugdunense venit & cum Papa Romano Gregorio 10. conuenit (vt Platina in Nicolao 4. & Baptista Egnat. in suis Cæsaribus lib. 2. scribunt) tantam inuidiam Græcanę gentis etiam apud Sacerdotes contraxit, vt ei morienti nec iusta persoluerint. & locum sepulturæ negarint: ita vt nec Andronicus Palæologus eius filius, & in Imperio successor, mutire ausus fuerit. Sæpiùs deinde tentatum, suasoribus & instigatoribus Romanis Pontificibus per Balduinum, & alios Imperatores, vt Græca Ecclesia Romanæ subijceretur: sed quantum restiterint Græci? quantum sanguinis effusum? quot quantáque inde mala sunt profecta? Legatur Sabell. lib. 6. Item Machiauelli Italiano, in sua historia, præsertim lib. 1. Vbi Papatus initium, progressum & incrementum describit.

In histor. Tripart. lib. 4. c. 16. Extat epistola Episcoporum Orientalium circa causam Athanasij ad Iulium Pontificem Romanum, in qua acerrimè pungunt Episcopum Romanum, & ei minitantur, dicúntque se secundo loco minimè habendos esse, propterea quod non abundarent multitudine Ecclesiarum, atque Romanus Episcopus. Tametsi vero impiè se gesserint in causa Athanasij: tamen ex illa epistola colligere possumus, quāti Episcopū Romanū fecerint Ecclesiæ Græcę.

Certè non agnouerunt vt vniuersalem & supremum Pontificem. Quin neque Ecclesia Mediolanensis, neque ante Ambrosium, neque tempore Ambrosij, subiecta fuisse legitur Ecclesiæ Romanæ. Sed primum tempore Stephani 9. Papæ, Anno Domini 1057. Ecclesiæ Romanæ cœpit subesse & obtemperare, vt etiam Platina in Stephano testatur. Cuius libertatis vestigia etiamnum aliquot ibi supersunt in ceremoniis & ritibus multis, ab Ecclesia Romana diuersis.

Ecclesiæ Hispanicæ ante Vrbanum secundum Papā, Romanæ Ecclesiæ subditæ non erant. Tunc primum sub Vrbano secundo subdi cœperunt, vt ait Platina in Vrbano secundo. Sub Alexandro vero tertio, tunc primùm Henricus secundus Angliæ Rex, coactus minis Papæ, Regni sui iura à Papa recognoscere cœpit, & iurauit se nunquam appellationibus ad Romanam Curiam factis aduersaturum, testis Platina in Alexandro tertio. Quomodo igitur vetus Ecclesia semper agnouit Romanum Pontificem, vt caput?

17. Ex eo argumentum ducitur, quòd excommunicatus fuit ab Episcopis, in legitimis Concilijs. Circa annum Domini 1075. & 76. Episcopi permulti videntes tyrannidem Papæ, Gregorij septimi, qui ante Hildebrandus appellabatur, eum excommunicant in concilio VVormaciensi: & Henricus quartus Imperator se, suósque omnes, ab obedientia Papæ subduxit, & publicis programmatis interdixit omnibus, ne vlla in re Romano Pontifici obtemperarent. & ex eodem VVormaciensi concilio Romandus Parmensis Clericus Romam venit, & Papæ publice interdixit, ne quid ageret deinceps, quod ad Magistratum Pontificis attineret: & Cardinalibus nomine concilij mandauit, vt relicto Gregorio, alium Pontificem habituri, ad Imperatorem proficiscerentur, testis Platina in Gregorio septimo. Quomodo hæc ausi fuissent Episcopi illi & Imperator, si Papam agnouissent pro summo & authentico diuinitus constituto capite Ecclesiæ? In concilio Turonensi consultum & conclusum fuit licere Regibus, in huiuscemodi causis qualis erat cum Ludouico duodecimo, ab obedientia Papæ se subducere, & eum armis cōpescere. Quoties ipsi Papæ non solùm excommunicati ab alijs Episcopis & concilijs, sed etiam Papatu abdicati? Gregorius septimus excommunicatus (vt supra) in concilio VVormatiensi. Iulius secundus ab administratione Papatus suspensus fuit in concilio Pisano; quanquam statim illud armis recuperauit. Iohannes 22. tempore Iohannis Hus, papatu abdicatus. Quomodo igitur Ecclesia semper credidit, Papam caput Ecclesiæ esse?

At fuerunt illi ob sua scelera condemnati?

Resp. Primo, satis est ostendisse, non fuisse in veteri Ecclesia Papam habitum semper pro capite & vniuersali pastore, vnde penderet Ecclesia. Secundò, si ob vitia à Papis est deficiendum, quanto magis quàm nunc? Si abdicandi Papatu, qui iustius vnquam, quàm Papæ nostrorum temporum?

Item ex eo, quod Papæ sine assensu Imperatorum eligi non poterant: Imperatores verò eligi, sine assensu Pontificis. Imperatorum erat, ad electionem Papæ, suū assensum, sine quo creari non poterat, præbere, & electū confirmare: non autem vicissim Papæ erat, Imperatorē eligere & electum confirmare. Patet, Platina in Pelag. 2. & in Gregorio 1. Item Paulus Diaconus de gestis Longobardorum lib. 3. c. 39. & c. 74.

18. Idem quoque fatentur gesta ipsorum Pontificum Romanorum, & canones, qui in Decretis leguntur Bonifacius enim primus qui contra Eulalium competitorem suum, Pontificatum obtinuit, anno Domini 421. rogat Honorium Occidentis in Italia Imperatorem, vt contra ambitionem sacerdotum, super ordinatione & electione Romani Pontificis legem ferret, vt patet dist. 97. cap. 1. id quod Honorius Imperator fecit. Legem enim tulit & statuit, vt si duo, studio partium concertantium, ordinentur Papæ, neuter eorum sit Papa: & non solùm vtrique ius prætensum abrogauit, sed etiam vtrumque pro ea saltem vice inhabilem ad Pōtificatum esse pronuntiauit: quare alium è numero reliquorum Clericorum eligendum esse decreuit, & in sede permansurum dixit, quē noua ordinatione diuinū iudiciū (id est, ipsorū Imperatorū, qui diuini appellabātur) & vniuersitatis cōsensus elegerit. Lex hęc Imperialis, ad supplicationē ipsius Papæ, lata, antiquissima est, & à Papa totáq. Ecclesia recepta, & in Decretis inserta,

Dein.

Deinde Pontificis Romani electioni alia lex lata est ab Odoacre Saxone Herulorum rege,& totiusItaliæ,ideóque & Romæ per vim belli occupatore & Imperatore, & est in Decret.dist.96.c.Benè quidem.

Quomodo igitur tunc temporis Papa caput erat Ecclesiæ habens omnem(vt ipsi loquuntur)plenitudinem potestatis?quando ius constituendi non solum reliquos Episcopos,sed ipsum etiam Episcopum Romanum, penes Imperatores & reges fuit? Et mansit quidem integrum hoc ius in Episcopos & Romanum Pontificē penes Imperatores vsque ad Gregorium 7. Pontificē Roman. Is enim seditionibus multis & cædib.in Imperio concitatis, ius illud seu autoritatem, quam Imperatores hactenus in Romanum Pontificem,& reliquos Episcopos habuerunt,ab Henrico 4. Imperatore extorquere conatus est: atque ita perrexerunt Pontifices Romani ob hanc causam Imperatores bellis & seditionibus exagitare,donec tandem circa annum Domini 1110. Hēricus 5. quarti filius, coactus de suo iure decessit, atque illud renuntiauit Paschali secundo Papæ, qui Paschalis 2. primus fuit, qui nomine suo,& stipendiis Papalis sedis, multos magnósque in Italia exercitus, ad illius regnum capessendum armauit. Ante quidem Gregorium 7. aliquando contigit, vt Romanus pontifex electus fuerit sine autoritate Imperatoris,vt cùm vel necessitas vrsit, vel periculum seditionis imminere visum fuit: sed tamen ius illi non fuit ablatum, ante Gregorium 7. id quod gestis suis testatur Pelagius 2. Episcopus Romanus. Is enim creatus Pontifex anno Domini 581. in iussu Imperatoris Constantinopolitani (idque quando vrbe Roma obsessa à Longobardis exire nullus poterat) misit ad placandum Imperatorem, orans vt electionem iam factam confirmare dignaretur: id quod & fecit Imperator Mauricius, vt patet apud Platinam in Pelagio 2.& Paulum Diaconum de gestis Lōgobard.lib.3.cap.10. Alia huiusmodi exempla permulta adferri possunt,quibus demonstratur, penes Imperatores fuisse ius Pontificem Romanum creandi, vel saltem confirmandi,&c.

19. Imperatores, reges & Principes in suis priuilegiis ante Gregorium septimum, soliti erant, Episcopatus, Abbatias, aliáque (vt vocant) beneficia Ecclesiastica, quibus vellent conferre. Hoc enim erat proprium ius Imperatorum in suo Imperio, & Regum in suis regnis. De regibus Galliæ hoc docet Gregorius Turonensis Episcopus(scripsit autē hic tempore Gregorij Magni papæ)in sua Gallorum historia.lib.4 c.6.& deinceps. Idē Annoni de historia Francorum lib.4.cap 85. Item lib.3. cap. 55. & alibi, id docet non solùm de regibus Galliæ, sed etiam de aliis principibus. De Imperatoribus manifestum est, cum exemplis permultis, tum ex dist. 63. cap. Adrianus. Adrianus primus iura & priuilegia Imperialia, quæ semper antè habuerant in res Ecclesiasticas, Carolo Magno vnà cum Imperio competere recognouit, & confirmauit. Item Paulus Æmil lib.3.in Carolo Simplice,Caroli Magni Abnepote,qui annis circiter centum post Abauum regnauit. De regibus Hispaniæ patet distinct.63. cap.Cùm longè. Et Panormitanus de accusat.Num.4.capit.Veniens confitetur reges fundatos esse in suo regno(vt ipsius verbis vtar)in temporalibus: & consequenter ius habere conferendi Episcopatus,Abbatias & prioratus sui regni,& (vt alij loquuntur)ius præsiliandi, sicut tradit Archid. dist.63.cap.lectis. Item testatur Antonius Corsilus, in tractatu de excellentia & potestate regia q. 34. De iis plura vide in Molin. 182. Idem patet 16. q. 7. capite Monasterium:vbi dicitur,quòd Monasterium non sit auferendum à dominio constructoris. Dominium autem est ius, quo propriè res aliqua nostra est. Item, quod Reges plenum ius habeant conferendi præbendas, est apertus textus, in Decretalibus lib 3.de præbendis cap. dilectus: idque intelligendum est non ex gratia & priuilegio Papæ, sed ex iure regni: vt doctissimè ibi notat Molin. Cùm hæc ita se habeant, quomodo igitur vetus Ecclesia, Imperatores, & Reges recognouerunt Papam, vt principem Ecclesiæ, qui solus habeat autoritatem conferendi beneficia,& agendi quicquid velit?

20. An verò ignoramus, quando & qui primus hanc Imperatorum, Regum & aliorum principū iurisdictionem sibi Papæ vsurpare tentauerint? quot bellis, quot cædibus, quod schismatibus contra Imperatores excitatis,tandem eam sibi vendicarint?Gregorius 7. Episcopus Romanus, & impiissimus nebulo, qui ante Hildebrandus, Monachus, astutissimus fuit, is primus hanc iurisdictionem & beneficiorum collationem, regibus & imperatoribus,quā antè pontifices semper habuerant,auferre cœpit,tam inuestituram dantes,quàm accipientes,excommunicando: vt patet 16.q.1.cap. quis deinceps,&c c.quoniam. Is etiam primus Adrian 3. decretum de abroganda Cæsarum potestate in electione summi Pontificis Romani,ante annos 188.attentatum,& deinde post annos 77.antiquatum,innouauit Is etiam primus temporalem supremámque iurisdictionem,quam ante annos 100 Bonifacius septimus,occupare tentarat, lege latā sibi vsurpauit, dicendo, à se & à Magistratibus suis iustitiam esse requirendam. Is enim primus palàm edixit,se non solùm in cœlo ligare & soluere posse,sed etiam in terra, regna & imperia, & principatus,& quicquid habere homines possunt,auferre & dare posse,idque non,quia Constantinus, aut quiuis alius Imperator,vel rex,id sibi concesserit: sed quoniam à Christo immediatè in persona Petri, eam potestatem accepit, atque huc torquebat scripturas aliquot, vt illud, *Pasce oues meas, &c. Tibi dabo claues regni cœlorū*, id est, omnem potestatem super regna mundi Vt verò hanc, quam sibi iure diuino deberi dicebat, autoritatē & potestatem reipsa obtineret: quid non & ipse & eius successores mali agitant? quot bella mouerunt aduersus imperatores Henricum 4. & Henricum 5? quot schismata excitarunt?

21. Docet etiam Augustinus in Ioh. Tract.6. propè finem,Col 60.nihil terreni iure diuino,vt proprium,possideri ab Ecclesia, sed tantùm iure humano, id est Imperatorum. *Tolle*(inquit)*iura Imperatorum,& quis audebit dicere mea est illa villa? Vt autem ista teneantur ab hominibus iura acceperunt Regum.* Hæc ille. Quomodo igitur ait Papa(sicut apertè antè dixit Bonifacius 7.) iure diuino suum esse orbem terræ, Imperia, regna omnia sibi deberi? Augustinus certè non agnouit, Episcopum Romanum iure diuino Dominum esse totius orbis terrarum vt nunc ait Papa.

22. Iactant etiam Romani Pontifices,se non solū spiritualē, sed etiam temporalem iurisdictionem habere, cùm in omnes ciuitates iure diuino, tum præsertim in vrbem Romam ex donatione, vel resignatione potius, (vt alij dicunt)Constantini. Et tamen manifestum est ex historiis, quomodo & quando Romani Pontifices hāc iurisdictionem in vrbe Roma, sibi vsurpatint, nempe multo post Gregorium 7. Nam licet Gregorius septimus dixerit,à se suísque Magistratibus iustitiam esse requirendam, séque Dominum esse vniuersorum tam in temporalibus, (vt loquuntur) quàm in spiritualibus: tamen temporalis iurisdictio, neque ei, neque multis aliis post se Papis, pacifica fuit in vrbe Roma, nisi post annos 360.tempore Nicolai 5. Manserunt enim semper in vrbe, pro libertate populi Romani, Senatores, seu Magistratus (vt dicunt) seculares, à Lothario primo, tempore Eugenij 2.ibi constituti:qui ius dicebant, non solum seculari populo, sed etiam clericis, Cardinalibus & Papis, quo ad secularem iurisdictionem, ciuiléſque causas, idque non nomine Papæ, sed nomine Imperatoris,vel populi Romani.Patet in sexto,de Electione c. Fundamenta §.decet.

Eugenius quidem tertius Papa,præstigiis quibusdam Senatores Romanos eò impulit, vt se Magistratu abdicarent,circa annum Domini 1145. quoniam tamen hoc facto,nimis læserat maiestatem ac libertatem vrbis populique Romani, coactus fuit è Roma sese in fugam conuertere: fugientem autem cum veluti perduellem, populus Romanus telis sagittisque est insecutus. Plat.

Circa annum Domini verò 1154. Adrianus quartus diris execrationibus coēgit consules abdicare se Magistratu, relictā sibi liberā administrandæ vrbis facultate: sed nunquam populus Romanus id ferre æquo animo potuit, quandoquidem tyrannicè hanc sibi iurisdictionem eripi à Papa videbat. Quare vtrinque diu pugnatum est, annis scilicet 400. Pontifices Romani aduersus populum Romanū & Imperatores, pro ea iurisdictione sibi vsurpanda: populus contra Papam, vt propriam sibi libertatem ac dignitatem defenderet, vt patet ex historiis,Plat.& Abbate Vrspergensi & aliis: ita vt etiam Lucius Papa 3.cùm nomen consulum abolere conaretur, ex vrbe eiectus fuerit à populo Romano,& omnib.suis fautoribus in vrbe captis,effossi oculi, teste Platina. Quid hæc indicant, nisi neque à populo

Romano, neque ab Imperatoribus, agnitum fuisse Papam, vt dominum vrbis & orbis, vt ipse ait?

Quid non egit Gregorius nonus, Innocentius quartus & alij, aduersus Imperatores & populum Romanũ, vt hanc iurisdictionem temporalem vrbis Romæ sibi vsurparent? Legatur Platina in vitis Paparum, & Sabell. Sed tamen semper valenter restitit populus Romanus & Imperatores, vt à Lucio Papa 3. per vndecim sequentes Papas, sine vlla interruptione, suam libertatem & iurisdictionem seruarit, donec per Clementem quartum Pontificem Romanum tandem effectum est cum populo Romano, vt munus senatorium daretur Carolo Prouinciæ & Andiganiæ Comiti, & deinceps aliis principibus dari consueuerit.

Deinde vero Nicolaus tertius regnũ in Italia, & sua & prædecessorum suorum arte, pacifice nactus nihil timens ab Imperatore, neque à Romano populo, ad se vnum primo munus senatorium: deinde omnem Magistratum, sedis nomine transtulit, Testis Plat. Quanquam deinde iterum senatores & Magistratus restituti fuerunt populo Romano, à Martino quarto Pontifice: & vt est rerũ vicissitudo, Magistratus Romanus diu fuit modò Papę modo populi Romani, vsque ad Nicolaũ quintum. Hic enim postremò omnem potestatem & Magistratum, ad se vnũ perpetuò transtulit & firmauit. Hęc omnia apud Platinam & alios historicos extant.

Ex iis manifestum fit, vnde nam Papis hæc temporalis potestas, quam dicunt se à Christo in persona Petri accepisse: & an Papa habitus fuerit in veteri Ecclesia, pro summo Monarcha mundi, vt ipse dicit, vel non.

23. Denique Bonifacius primus Papa ad Hilarium Episcopum Narbonensem scribens, conqueritur, quod Patroclus cessante petitione populi & plebis, in locum decedentis Episcopi, nescio quem in aliena prouincia, prætermisso Metropolitano, contra Patrum regulas, ordinauerit: & ex Concilio Nicæno hunc Canonem, qui est Canon. 6. adfert Bonifacius, dicendo: Nulli etenim incognita videtur synodi Nicenæ constitutio, quæ ita præcepit (*vt eadem propriè verba ponamus*) per vnamquamque prouinciam ius Metropolitanos singulos habere debere, nec cuiquam duas posse esse subiectas: quod illi (quia aliter credẽdum non est) seruandũ Spiritu sancto suggerente, sibimet censuerunt. Hæc ille: & est epistola hæc in primo Tomo Concil. inter decreta Bonifacij Papæ primi, pag. 492.

CAPVT X.

DE REGIMINE ECCLESIÆ, seu de modo quo Christus Rex hanc suam Ecclesiam regit. In ea verba Iesaiæ: Et arguet populos multos, &c.

HVNC locum sic interpretor, quod Christus regat Ecclesiam, eam quotidie arguendo, corrigẽdo, purgando, reformando, perficiendo de die in diem: idque tum prædicatione verbi, tum administratione sacramentorum, tum disciplina Ecclesiastica, tanquam instrumentis externis, tum Spiritu sancto, vt instrumento interno & efficaci donec imago Dei in ea per peccatum inducta, per hanc regiminis rationem restauretur. Media igitur quibus Christus ordinariè Ecclesiam suam regit, sunt hæc. I. Prædicatio verbi, id est, legis & Euangelij.

II. Administratio sacramentorum, III. disciplina Ecclesiastica. Hæc tria externa sunt. IV. Spiritus sanctus internè in cor delapsus. Hoc quartum internum est.

De omnibus iis quatuor mediis, infinita extãt in scripturis testimonia. De primo. *Matth.* 28. prædicate Euangelium, &c. denique loci omnes, in quibus vrgetur prędicatio verbi. De secundo, *Matth.* 28. Baptizate eos in nomine patris, &c. denique loci omnes, in quibus docetur Baptismus, & Cœna Domini. De tertio, *Matth.* 18. Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & publicanus. Quæcunque enim ligaueritis in terra, &c. denique loci omnes, in quibus Ecclesiæ datur potestas à Christo, populos non solùm publicè, sed etiam priuatim arguendi, corrigendi, admonendi, excommunicandi, ieiunia indicendi, aliaque permulta ad regimen Ecclesiæ pertinentia, instituendi. De quarto, *Rom.* 8. Qui sunt filij Dei, aguntur à spiritu Dei: denique loci illi omnes, in quibus prædicatur, per Spiritum sanctum Ecclesiam lauari, purgari, regenerari, à peccatis liberari, ab hostibus Satana & morte defendi, ad bona opera dirigi, & alia huiusçemodi sexcenta.

Huc accedunt exempla Prophetarum, Apostolorum, & Patrum Apostolicorum, qui iis mediis tribus externis, prædicatione verbi, administratione sacramentorum, & disciplinâ Ecclesiasticâ, Ecclesiam externè sanctissimè rexerunt, eam interius regente Spiritu S. Non igitur dubium est, iis quatuor mediis Ecclesiam Christi semper solitam regi & gubernari per Christum. Quare hæc est certa ac vera regendæ Ecclesiæ ratio.

Quòd legitima hæc sit ratio, manifestum est, non solum hinc, quia hæc a Christo instituta, sed etiam ex analogia, quam ad regnum habet. Necesse est, vt media, quibus res aliqua regitur, rei illi conueniant, atque analogiam quandam ad illam habeant. Exemplum. Aliis mediis familia priuata, aliis respublica, aliis regnũ, aliis homo, aliis equus regitur: nec eadem media omnibus conueniunt. ita aliis etiam regna mundi, aliis regnum Christi. Regna mundi carnalia sunt: ideo carnali ratione reguntur. Regnum Christi spirituale est: ratione igitur, quã id regatur, spirituali opus habet. Quæ autem magis spiritualis regendæ Ecclesiæ ratio inueniri potest, atque hæc? quæ constat verbi Dei prædicatione, sacramẽtorum administratione, disciplinâ Ecclesiasticâ, internâ Spiritus sancti actione? Idcirco Christus ad hoc suum Regnum acquirendum aut regendum, aut conseruandum, aut perficiendum, non carnalia aut arma, aut quæuis alia instrumenta, sed spiritualia tantùm adhibuit, verbum, Sacramenta, disciplinam, spiritum sanctum.

Quòd etiam sit necessaria, patet ab ipso Ecclesiæ regimine. Totum Ecclesiæ regimen in hoc consistit, vt Ecclesia ipsa, primùm altera ex parte ab hostibus suis, peccato, morte, Satana, liberetur: altera verò ex parte, ad iustitiam, vitam æternam. Deúmque Patrem suum trahatur, ipsaque sentiat, se per Christum, ab illis liberatam, ad hæc perduci. Secundò, vt etiam re ipsa altera ex parte peccati tyrannide veterique natura exuatur: altera vero, iustitia, sanctitate, ornetur, & nouum hominem induat, qui creatus est in iustitia, &c. Hæc verò quã ratione obtinentur? per fidem. Per fidem enim primùm sentimus, nos liberatos esse ab hostibus nostris peccato, mundo, Satana, morte, &c. 1. Ioh. 5. *Hæc est victoria quæ vincit Mundum, fides nostra.* Per eandem deinde purificantur corda nostra, exuimúsque veterem hominem, & induimus nouum, regeneramur, sanctificamur, fimus nouæ Creaturæ, indies perficimur. *Act.* 15. Fide purificantur corda nostra. At vero fides vnde? per se à Spiritu sancto est: igitur per se necessarius Spiritus sanctus, ad regendam Ecclesiam, quando is est, per quem donamur fide, per quem regeneramur, &c. Ex verbo verò est ordinariè, quatenus fides est per auditum verbi, & verbi Dei nititur. Ergo necessaria est verbi prædicatio. Sacramenta verò sunt sigilla, quibus verbum prædicatum obsignatur, & quibus excitat Deus sensa nostra ad verbum fide arripiendum: item quibus tanquam visibilibus vinculis tota Ecclesia colligata, in vnum conseruatur, & custoditur. Ergo necessarius est vsus sacramentorum. Quid verò disciplina? accedit ad hæc omnia, vt fratres, & in audiendo verbo, & in participatione sacramentorum, ideóque in vero cultu, & bonis moribus retineat & conseruet: & si quis aberret, ad Ecclesiam reuocet.

Cæterùm, quoniam de illis tribus mediis, verbi prædicatione, sacramentorum administratione, & Spiritus sancti actione ac ductu, nemo Christianus est, qui dubitet, quin necessaria sint in Ecclesia, de quarto verò, de disciplina nimirum Ecclesiastica, pauci sunt, qui eam in Ecclesia locum habere velint, imò quàm plurimi eam ab Ecclesia ceu inutilem, vel detrimẽtosam potius eliminant: idcirco illis tribus aliis mediis omissis, dę hac Ecclesiastica disciplina, quàm in Ecclesia necessaria sit non nihil dicam: sed si prius, quid hoc nomen significet, quid propriè sit, & quæ eius partes, ostendero. Ex his enim patefiet, quàm sit non solùm vtilis, sed etiam necessaria hæc disciplina, ad bene regendam Ecclesiam Christi.

1. Vox hæc Disciplina, quæ Græcè & *μάθησις*, & *μαθητεία* & *παιδεία* & *ἀγωγὴ* dicitur, cũ multa habeat significata, præcipuè tamen significat primùm eruditionem, quam à præceptore discipulus accipit, seu significat eruditionem, quæ, quatenus à præceptore est, doctrina,

quæ-

quatenus verò à discipulo percipitur, disciplina appellatur. Hinc secundò transfertur ad significandam quālibet in quauis arte institutionem: vnde disciplina militaris, disciplina moralis, &c. i. institutio, quaquis, instituitur in arte militari, in bonis moribus, &c. Ita disciplina Ecclesiastica, qua fideles in Ecclesia tam circa cultū, quā circa mores instituūtur ac retinentur. Tertiò, quoniā autem, qui in aliqua arte instituuntur, admonitionibus, correctionibus, subinde etiam ferulis & castigationibus opus habent, quandoquidem subinde errant: idcircò factū est, vt hoc nomen, disciplina sæpius vsurpetur pro ferula seu castigatione & correctione, qua discipulus à Magistro, filius à Patre Ecclesia à Deo castigatur & corrigitur. Sic *Deut.* 11. Cognoscite hodie disciplinam Domini Dei vestri, id est, castigationem, qua vos erudiuit Dominus post exitū de Ægypto. Item *Prouerb.* 3. Disciplinam Domini ne abiicias, nec deficias cùm ab eo corriperis. Quos enim diligit Dominus castigat. Ita *Hebr.* 12. Omnis disciplina in præsenti non videtur esse gaudij, sed amaritudinis. Significat igitur in summa quamuis institutionem in quauis arte aut scientia, aut in moribus, vnà cū castigatione & correctione cōiunctam. Quare & disciplina Ecclesiastica erit institutio non simplex, qua publicè populi per prædicationem verbi generalem in religione Christiana instituuntur, sed institutio vnà cum correctione & Ecclesiastica ferula coniuncta, qua fideles & priuatim & publice corriguntur, puniuntur, & si opus sit, excommunicantur, vt ita correcti, in legis obedientia instituantur, & retineantur.

Quid sit. 2. Definiri verò sic potest: Est actio qua Ecclesia, secundùm facultatem sibi à Christo traditam fideles suos non solùm publicè sed etiam priuatim tam in vero Dei cultu, quam in bonis moribus, atque tum doctrina, tum correctionibus, tum Ecclesiasticis pœnis ac censuris, tum etiam, si opus sit, excōmunicationibus, instituit & institutos retinet. Vel, si quis malit pro actione ponere facultatem, sic: Est facultas à Christo concessa, qua Ecclesia fideles suos, &c.

Quod talem potestatem dederit Dominus suæ Ecclesiæ, paret è scripturis. *Matth.* 18. de correctione fraterna loquens Christus ait, Si te non audierit, accipe tecum adhuc vnum, aut duos: vt in ore duorum aut trium testium stet omne verbum. Quod si neglexerit audire eos, dic Ecclesiæ: Quòd si Ecclesiam audire neglexerit, sit tibi velut Ethnicus & publicanus. 2. *Cor.* 13. Hæc absens scribo, ne cùm præsens fuero, duriùs agam secundùm potestatem, quam dedit mihi Dominus. Est enim disciplina Ecclesiastica pars illius potestatis, quam Dominus Ecclesiæ suæ concessit. Potestas autem illa est facultas, qua Ecclesia, primùm eos, qui ad regnum Christi, fide & resipiscentia veniunt, condonatis peccatis, in eiusdē regni consortium recipit: contra vero, quos infideles ac impœnitentes videt, inde secundum præceptum Domini reiicit: qua secundò pascit receptos ac regit verbo & sacramentis, & disciplina Ecclesiastica, vt veteri homine indies magis ac magis abolito, nouus homo in eis instauretur, inque vera pietate, ac sanctitate proficiant: contra verò rursus ex consortio Domini reiicit eos, qui suis prauis moribus, & præfracta nequitia id promeruerunt. Hæc est summa potestas Ecclesiastica, quæ tota in hunc finem est data, vt ædificet Ecclesiam non vt destruat, exerceatur ad instaurationem fidei, non ad destructionem.

De hac potestate testimonia extant quàm plurima, Matth. cap. 10. 18. 28. Iohan. cap. 20. 21. Actor. 10. 1. Cor. 3. 4. 5. 12. 13 14. 2. Corinth. 3. 10. 13. Item, 1. Thess. 2. 2. Thessal. 3. ad Timoth. vtraque, & ad Titū. 1. Petr 3 huius inquam potestatis pars est ipsa disciplina Ecclesiastica. 2. Cor. 13. Cùm Paulus ait, *Hæc scribo, ne cùm præsens fuero, durius agam secundùm potestatem, quam dedit mihi Dominus in ædificationem, & non in destructionem*: de qua te loquitur? de Disciplina Ecclesiastica, qua durius castigantur scelerati in Ecclesia. Dicit autem, se hoc facere posse, secundùm potestatem sibi à Christo traditam. Nullam autem habet facultatem Ecclesia, nisi quæ faciat ad ædificationem, non ad destructionem. Disciplina igitur Ecclesiastica pars est potestatis Ecclesiasticæ, & tota facit ad ædificationem Ecclesiæ. Habemus ergo iam, quid sit, & in quem finem data.

Quotuplex sit. 3. Disciplina Ecclesiastica duplex est, vna, quæ ad vniuersam communiter Ecclesiam, altera quæ particulariter ad Clericos, vt hac voce vtar, id est, ad omnes, qui publico Ministerio in Ecclesia funguntur, pertinet. Est enim disciplina quædam, à qua nemo excipitur, sed omnes ex æquo ei subsunt: est deinde alia, quæ propria est Ministrorum.

4. Prima disciplina duas habet partes, quarum altera in potestate clauium, altera extra potesta em clauiū posita est. Illa enim proprie potestate clauium diuinitùs Ecclesiæ concessa, nititur: illa vero potiùs in antiqua tum Prophetarum, tùm Apostolorum & virorum Apostolicorum in Ecclesia, consuetudine, quàm clauium potestate fundata est. Disciplina Ecclesiastica vniuersalis.

Illa prior pars disciplinæ Ecclesiasticæ, quæ in potestate clauium posita est, habet non solùm publicam doctrinam, publicas admonitiones, correctiones, obiurgationes: sed etiam, ac præcipuè, priuatam doctrinam, priuatas admonitiones, correctiones, obiurgationes, & postremo iurisdictionem Ecclesiasticam. Primò habet priuatam doctrinam. Habet enim Ecclesia potestatem, si publica doctrina, in publico templo non sufficiat, priuatas fidelium domos ingrediendi, atque ibi eos priuatim docendi, & in vera doctrina, ac religione Christiana instituendi: & fideles pati debent, vt pastor suas ędes ingrediatur, & eos priuatim instituat. Huius exemplum est in Act. 20. vbi Paulus refert, se Ephesi non solùm publicè sed etiam priuatim & per singulas domos docuisse. Idem fecerunt reliqui Apostoli, sicut in Actis patet. Secundò, habet priuatas admonitiones, correctiones, obiurgationes. Habet enim Ecclesia potestatem, si quē videat, officium suum sponte non facere, aut insolenter se gerere aut minus honeste viuere, aut denique aliquid reprehensione dignum admisisse, habet, inquam potestatem, si publicæ & generales admonitiones & correctiones non satisfaciant, eum priuatim admonendi, corrigendi, obiurgandi. Hanc potestatem dedit Ecclesiæ Christus.

Nunc videndum est in quem potissimùm finem instituta sit vniuersa hæc disciplina Ecclesiastica: & deinde quos fines peculiares habeat iurisdictio. Primò igitur respondeo, institutam esse in summa, in ædificationem Ecclesiæ, in instaurationem sanctorum, sicut etiam reliqua potestas Ecclesiastica. 2. Cor. 13. Hæc scribo, ne cùm venero, duriùs agam vobiscum secundùm potestatem, quæ mihi data est in ædificationem &c. Hic est finis in genere Ecclesiasticæ disciplinæ, vt fideles hac tāquam ferula, & freno, tam in veritate Euangelij, quàm in obedientia legis cōtineatur, ideóque salui fiāt. Patet 1. Cor. 5. Decreui hunc hominem tradere Satanæ in interitum carnis, vt Spiritus saluus fiat. Loquitur autem de disciplina Ecclesiastica, & præsertim de iurisdictione. 1. Tim. 1. Quidam naufragium circa fidem fecerunt, ex quibus est Hymenæus & Alexander, quos tradidi Satanæ vt discant non blasphemare. Hic est finis, ad quem necessaria est disciplina. Caro enim nostra, quæ eius est ad malum pronitas, atque propensio & boni fastidium, imò quę eius est ferocia, nisi freno aliquo cohibeatur, ad deserendam veritatem Euangelij, & ad perpetranda quæuis contra legem Domini scelera, præceps fertur: idcirco opus habet hac disciplina, vt ea seu freno à peccando cohibeatur, & in doctrina Euangelij legisque obedientia contineatur. Ferocia equi, non nisi freno, in in os iniecto, ne se præcipitem det ex altis rupibus, cohiberi potest: Ita caro, ne se præcipitem à fide Euangelij, & ab obediētia legis, in orcum tradat, disciplina cohibetur. Lubricus & laboris impatiens puer, non finit se doceri, aut in bonis moribus institui, nisi accedat ferula præceptoris: ita quotus quisque est, qui nisi accedat disciplina, vel sinat se doceri, vel in bonis moribus institui, atque in obedientia legis contineri? Tanta est profecto carnis ferocia, vt sine hac disciplina vix retineri possit, quin omnem religionem abiiciat, spernat, contēnat. Quę familia quæ domus, quę vrbs, quod regnū, sine disciplina regi atque in recto tramite conseruari possit? Quare? ob ferociam carnis, quę nisi per disciplinā in ordinē redigatur, nihil non destruit, deuastat, perdit: quādo omnia, quæ in Ecclesia sunt, docentur: & traduntur, huic ferocissimę carni aduersantur. Crux, quę & ipsa disciplina Domini appellatur in Scripturis SS. ad carnis ferociam domandam necessaria est, & in hunc finē sæpe Deus eos virga tribulationum cædit: in eundē finem necessaria est disciplina Ecclesiastica. Sine neruis cohęrere membra in corpore non possunt, sed totum corpus dissipetur necesse est: ita sine disciplina, Ecclesię corpus consistere nequit. Corpus est Ecclesia, anima corporis

est verbum Dei: disciplina verò instar neruorum est. Hac enim fit, vt membra corporis, suo quæque loco cohæreant, & anima, id est, verbum Dei, in corpore Ecclesiæ retineatur & viuificet: alioqui quid futurum est huic corpori si ablata disciplina, vnicuique quod libet, liceat? Est disciplina Ecclesiastica, frenum, stimulus, ferula: frenum, quo cohibetur ferocia eorum, qui aduersus Christi doctrinam, & legem Domini ferociunt: stimulus, quo spiritus eorum, qui ad malum propensi, & ad bonum parum voluntarij sunt, ad bonum excitetur: Ferula denique paterna, qua caro eorum, qui grauius prolapsi sunt, clementer tamen & pro Spiritus Christi mansuetudine castigetur. Citra hanc disciplinam, quis non videat, omnem ab Ecclesia rectum ordinem tolli? omnia interturbari? hæreses iam dudum sepultas, iterum ab inferis suscitari? vitia grassari? improbos ac scelerotos impunè quicquid velint, moliri? populum in vera religione nimimè posse contineri? An non hæc omnia in Ecclesiis nostris videmus, quoniam ab eis exulat disciplina? Certè ad retinendos populos in vera religione, & in obedientia legis Dei, necesse est, vt caro, quæ ad malum semper inclinat, & contra Christum semper ferocit, castigetur: ad hanc autem castigationem, necessaria est disciplina in Ecclesia. Est igitur necessaria ad populos in vera religione, & in obedientia legis Dei retinendos. Atque hic est finis totius Ecclesiasticæ disciplinæ.

Fines excommunicationis.

Iam videamus, in quos speciatim fines data sit iurisdictio Ecclesiæ, animaduertendi in peccata & præsertim excommunicatione. Nam præter illam totius disciplinæ communem finem, habet etiam præcipuos fines hæc iurisdictio. 1. Primus igitur spectat ipsum caput, & ipsum corpus Ecclesiæ, ne scilicet vel Christus, vel Ecclesia ignominia afficiatur. Publicè igitur scelerati ab Ecclesia castigantur, & excommunicantur, ne si inter Christianos & membra Ecclesiæ nominentur & ipsi, qui turpem & flagitiosam vitam agunt, Deus Christianorum & sancta eius Ecclesia, cōtumelia afficiatur, quasi & Deus talibus delectetur filiis, & sancta eius Ecclesia, sit improborum & sceleratorum hominum coniuratio. Cùm enim Ecclesia sit Christi corpus, nisi à se hæc fœtida ac putrida, quibus inquinatur mēbra abscindat, fieri non potest, quin maxima ignominia & in totum corpus, & in caput ipsū recidat. Ergo vt hoc euitetur, abigēdi sunt ex Christi familia illi, ex quorū turpitudine, ad Christianū nomen infamia redūdat. Hic est primus finis. Hic idē, cur cœna Domini, a iis publicis sceleratis dispensari nō debeat, sed ab ea sint abigendi, si accedāt, ne scilicet corpus Christi profanetur ac ceu canibus prostituatur, néve Ecclesiā talibus sceleratis delectari credatur. Hoc autem quî fieri potest, nisi Ecclesia habeat iurisdictionem excommunicandi & à se abigendi sceleratos? Hunc finem Paulus spectauit, cum arguit Corinthios, quod incestuosum hominem non corrigerent: *Auditur inter vos fornicatio, qualis nec inter Gentes: blasphematur per vos nomen Dei inter Gentes.*

2. Secūdus respicit sana Ecclesiæ membra, ne inficiātur. Excommunicantur ergo scelerati, atque a familia Ecclesiæ abiguntur, ne assidua malorum consuetudine, boni corrumpantur. Hunc finem spectauit Paulus. 1. Corinth. 5. cùm præciperet Corinthiis, vt incestuosum hominem à consortio Ecclesiæ separarent, dicendo: Modicum fermentum totam massam corrumpit. *Item* Si quis frater inter vos nominatur vel scortator, vel auarus, vel idolorum cultor, vel ebriosus, vel maledicus, cum eiusmodi ne cibum quidem sumire.

3. Tertius spectat salutem ipsorum qui excommunicantur, vt scilicet pudore suffusi, resipiscant. Excommunicantur ergo, vt ipsos pudore confusos, suæ turpitudinis pœnitere incipiat: atque ita, qui indulgentia obstinatiores futuri erant, iidem sensu seueræ ipsorum nequitiam castigantis, expergefacti ad Dominum conuertantur, & salui fiant. Hunc finem spectauit Apostolus, dicendo: 1. *Cor* 5. Decreui tradere Satanæ (id est, excōmunicare, Satan enim extra Ecclesiam est) in interitū carnis. In quem finem? vt Spiritus saluus fiat. 2. *Thess* 3. Si quis non obedit doctrinæ nostræ, hunc notate, & ne commisceamini cum illo, vt pudore suffundatur. Quare etiam ex iis tribus finibus manifestum fit, totam disciplinam Ecclesiasticam, in salutem Ecclesiæ, & in honorem Christi, esse institutam.

Circa quid versetur disciplina Ecclesiastica.

6. Hinc facilè videre licet sextum, quod proposui; nempe circa quid versetur præcipuè, tāquam circa propriam materiam, hæc disciplina, & præsertim hæc prima disciplinæ pars: nempe circa fidelium carnem, extra ordinem euagantem in recto ordine retinendam, aduersus Dominum ferocientem, ceu ferula domandam: ad bonum pigram, & renitentem, ceu stimulo excitādam: denique versatur circa peccata cohibenda, vt iis correctis, in vera religione, & sinceris Christianísque moribus Ecclesia conseruetur. Quòd circa hęc versetur, patet primò, quoniam hoc est officium vniuscuiusque disciplinæ, scilicet vt vitia & peccata corrigat: disciplinæ in ludo literario, vt ibi peccantes corrigantur, castigentur: disciplina in vrbe, in vnaquaque familia, in regno idcircò instituta, vt vitia ibi corrigantur quò omnia recto ordine fiant. Ergo & disciplinæ Ecclesiasticæ proprium officium est, quosuis errantes corrigere, peccata cohercere, transgressores cohibere, punire, vlcisci. Secundò, Quotiescunque in scripturis mentio fit de hac disciplina, ibi videmus peccata commorari & transgressiones, ad quas corrigendas & cohercendas, disciplina in Ecclesia à Christo est instituta. Matt. 18 Si peccauerit in te frater, vade corrige. Cur? quia peccauit. En circa quid versetur disciplina. 1. Cor. 5. exercet Paulus disciplinam in Corinthium illum. Cur? quia peccauit propter igitur peccatum illud corrigendum, Paulus Ecclesiasticam disciplinam exercuit. 1. Tim. 1. Tradidi Satanæ Hymenęū & Alexandrum. Cur? quia blasphemabant. Vt igitur discant non blasphemare, excommunicat. Propria igitur materia, circa quam versatur disciplina Ecclesiastica, est carnis nostræ petulantia, ferocia, sunt peccata & transgressiones ad quas cohercendas est instituta. Proinde si fideles semper in vera pietate persisterent, si non peccarent, nequaquam opus esset disciplina in Ecclesia. Quoniam autem semper ibi reperiuntur, qui non faciunt officium, qui turpiter viuunt, qui alios seducunt, qui ad obedientiam legis non nisi ferula adacti, venire nolunt, denique quia ibi semper peccata reperiuntur: idcirco ibi necessaria est hæc disciplina, quæ pigros stimulet, quæ peccantes corrigat, quæ præfractos puniat, quæ vitia vlciscatur.

7. Quæ cùm ita sint, nunc ad septimū veniendum est, ac videndum discrimen inter peccata, vt sciamus, quæ priuatim, quæ publicè corrigenda, quæ mitioribus, & quæ maioribus pœnas punienda. Discrimen inter peccata obseruandum.

Sic igitur hæc prima distinctio. Peccata sunt alia priuata & occultissima alia publica & manifestissima: alia occultiora, medij scilicet generis, partim occulta, partim manifesta. Occultissima sunt illa, quæ hypocritæ faciūt & alios homines latent. Ad hæc se non extendit disciplina Ecclesiastica, neque sub Ecclesiæ iudiciū, aut censuram cadunt, sed generaliter in templis, prædicatione legis arguuntur. Publica & manifestissima sunt, quæ nō vnum solum aut alterum hominem, sed vniuersam Ecclesiam testem habent, quippe quæ palam, & cum totius Ecclesiæ offensione perpetrantur.

Occultiora verò seu medij generis, id est, partim occulta partim manifesta, sunt illa, quę etsi vniuersam Ecclesiam testem non habent: testibus tamen non carēt. Hæ duæ postremæ species sub disciplinam Ecclesiasticam cadunt: quanquam alia ratione punienda sunt illa publica, & alia ratione hæc occultiora.

Altera distinctio hæc sit: Ex iis peccatis alia sunt leuiora, alia sunt grauiora: seu alia sunt delicta, alia sunt scelera vel flagitia.

8. Iam videndum, quo pacto circa singula exercenda sit disciplina Ecclesiastica.

Quod ad primam distinctionem: Illa occultiora, quę partim manifesta, partim occulta, sunt corrigenda eo ordine, quem Christus docuit Matt. 18. De illis enim occultis vnicuique fratri priuato ait: *Si peccauerit in te*, id est, sub tua conscientia, ita vt non sint plures testes, *Vade & corrige eum, &c.* tandem deferenda sunt ad seniorum consessum, qui vniuersam Ecclesiam repręsentant, si frater correctus pertinax fuerit. Non enim priùs deferenda sunt ad Ecclesiam, quàm accesserit contumacia. Illa verò publica & manifesta, publicè quoque & manifestè ab Ecclesia sunt corrigenda. De iis enim 1. ad Timotheum cap. 5. *peccantes coram omnibus argue, vt reliqui timorem habeant.* Vbi enim Ecclesia viderit huiuscemodi peccata publica, debet statim facere officium suum, vocare peccatorem, & eum pro modo delicti corrigere, idque publicè.

Quoad alteram distinctionem, notandū quòd Ecclesia tam in peccatis publicis, quàm in priuatis sibi iam patefactis corrigendis, aliam disciplinę rationē seruare debeat in leuioribus delictis, & aliam in grauioribus

scelerі-

sceleribus. In leuioribus delictis non est adhibēda magna seueritas pœnarum aut excōmunicationis: sed satis est peccatorem verbis castigare & corripere, idque verbis paternis & lenibus, quæ fratrem peccantem nec exasperent, nec confundant: sed tantùm ad resipiscentiam inducant. Hanc regulam docet Paulus in iis peccatis corrigendis seruandam Galat. 6. Fratres etiamsi præoccupatus fuerit homo, in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, instaurate, καταρτίζετε huiuscemodi hominem Spiritu lenitatis πραότητος, considerans teipsum ne & tu tenteris. 1. Thess. 5. Rogamus autem vos fratres corripite τοὺς ἀτάκτους inordinatos, consolamini pusillanimes, suscipite ἀντέχεσθε τῶν ἀσθενῶν, id est, subleuate infirmos. 2. Tim. cap. 2. Oportet seruum Domini præter alia, quæ narrat, esse παιδεύοντα ἐν πραότητι τοὺς ἀντιδιατιθεμένους, id est, corripientem & instituentem eos qui resistunt veritati in Spiritu lenitatis. Exemplum Christi hoc docet, tum erga mulierem adulteram, tum erga alios De quo Iesaias capite quadragesimo secundo. *Ecce seruus meus, &c. calamum quassatum non conteret, & linum ferè extinctum, non extinguet.*

1. In iis igitur leuioribus peccatis corrigendis, seruanda est lenitas, mansuetudo, &c. In flagitiis verò grauioribus, grauius etiam & acrius remedium adhibendū est. Si quis enim edito grauissimo facinore, grauiter Ecclesiam læserit, an satis erit, cum tantùm verbis castigari? Minimè, sed grauioribus pœnis est castigandus. Neque enim Paulus in Corinthium illum, qui patris vxorem, & sibi nouercam cognouerat, verbis tantùm vtitur, sed excommunicatione animaduertit, è consortio fidelium eliminat, & acriter reprehendit Corinthios, quòd tamdiu eum tulissent: Auditur, inquit, inter vos fornicatio, & talis fornicatio, quę neque inter Gentes, vt quis vxorem Patris habeat: & vos inflati estis, ac non potius luxistis, vt tolleretur de medio vestrûm, qui facinus hoc perpetrasset. Non est bona gloriatio vestra.

2. In huiuscemodi grauioribus flagitiis castigandis hanc rationem seruabāt: Primo, eum, qui flagitium vnde ortum erat scandalum, perpetrasset, publicè grauissima obiurgatione obiurgabant: secundo, sacræ Cœnæ ad tempus participatione priuabant, donec resipisceret, & resipiscentiæ suæ fidem faceret: tertio vbi videbatur resipuisse, iubebatur coram Deo sese humiliare, & coram Ecclesia pœnitentiam testari, idque solennibus ritibus, qui tum lapsis iniungi solebant, vt essent pœnitentiæ testimonia, de quibus quidem ritibus testimonia habemus permulta tum in Conciliis, tum in variis Patrum voluminibus, & in Decretis. In concilio Nicæno & aliis aliquot, mentio fit de variis pœnitentium gradibus & ritibus: de iis mentionem quoque facit Tertullianus, libro de pœnitentia, pagina 483. & 484. De iis Cyprianus multis in locis, sed præcipuè Epistolarum lib. 3. epistola 4. pag. 93. Eusebius Cæsar. histor. Ecclesiast. lib. 5. cap. 28. pag. 84 exemplum adfert pœnitentiæ, quam egit quidam Natalius, antea hæresim Asclepiodoti secutus: ex qua quidem pœnitentia facilè videre licet, quos ritus sequeretur vetus Ecclesia in publica pœnitentia agenda. In summa is, qui publico peccato offenderat Ecclesiam, manebat in pœnitentia publica per aliquot dies, alius plures, alius pauciores, pro grauitate peccati, cilicio vel sacco, vel alio viliori vestimento indutus, cinere aspersus, coram tota Ecclesia humi prostratus, ieiunio incumbēs, & deinde publicam sui peccati exomologesim coram Ecclesia faciens, aliósque ritus seruans. Iis actibus declarabāt se verè & ex animo pœnituisse, idcóque huiuscemodi pœnæ ab Ecclesia peccatori iniūctæ, & ab eo impletæ, satisfactiones vocabantur, scilicet Ecclesiasticæ. Vbi enim peccator pœnas sibi iniunctas dedisset, dicebatur satisfecisse Ecclesiæ, id est, plena suæ pœnitentiæ indicia dedisse: quæ pœnæ cùm relaxabantur, dicebantur indulgentiæ. Quarto igitur loco, vbi is, qui erat in pœnitentia, tempore suæ pœnitentiæ absoluto, veræ suæ pœnitentiæ indicia præbuisset, ita vt Ecclesiæ satisfactum esset, tum Ecclesia manus illi imponens, eum recipiebat in gratiam. atque ita in consortiū fidelium receptum, ad communionem Eucharistię recipiebat. Cyprianus libro Epist. 3. epist. 14 breuiter describit hūc ritū dicendo: *Nā cùm in minoribus peccatis agant peccatores pœnitentiam, iusto tempore, & secundùm disciplinæ ordinem ad exomologesim veniant, & per manus impositionē Episcopi & Cleri, ius communicationis accipiant: nunc crudo tempore, persecutione adhuc perseuerāte, ad communionē admittuntur, & nondū pœnitētia facta, nondum exomologesi finita, nondum manu eis ab Episcopo aut Clero imposita, Eucharistia illis datur.* Videtis quomodo Patres illi Ecclesiasticam disciplinam retinebant & exercebant, in peccatis grauioribus puniendis.

Nunc videndum, penes quos, & per quos exercenda sit hæc disciplina, videlicet iurisdictio. Quoad primū, Romanus Pontifex dicit, penes se vnum esse. At Spiritus sanctus dicit, esse penes vniuersam Ecclesiam Christi. Matth capite decimo octauo. Vbi hæc iurisdictio instituta à Christo fuit, apertissimè patet datam fuisse toti Ecclesiæ hanc iurisdictionis potestatem: *si non audierit te dic Ecclesiæ si nō audierit Ecclesiā, sit tibi velut Ethnicus & publicanus. Quicquid enim ligaueritis* Vos fideles omnes etiamsi tantùm duo aut tres essetis in nomine meo congregati, *erit ligatum in cælo.* Quod ad secūdum, per quos sit exercenda, notandum est, duplicem tantùm in Ecclesia fuisse legitimum morem exercēdæ disciplinæ: primum quòd tempore Apostolorum, cùm Ecclesia adhuc esset exigua, per vniuersam Ecclesiam exercebatur. 1. Corinth. 5. cùm vult Apostolus iurisdictionem, exerceri in Corinthium illum incestuosum, admonet vniuersam Ecclesiā, vt id faciat. Quod nō est ita intelligendum, quasi vniuersa plebis multitudo, totā actionē regeret & sentētiam excōmunicationis proferret, sed ita quòd cōsensus quidem seniorū, vnà cū Episcopo totā actionē regebat, & vnus Episcopus sentētiam nomine totius Ecclesiæ pronuntiabat: sed id non fiebat, nisi a conscia & approbāte, ac præsente vniuersa Ecclesia. Consessus igitur seniorū. vnà cùm Episcopo, totam actionē regebat: vniuersa verò plebis multitudo adstabat vt testis, & obseruabat vt custos, ne quid per libidinē à paucis gereretur, sed cōmuni totius Ecclesiæ cōsensu & autoritate id fieret. Hoc indicāt verba Apostoli 1. Cor. 5 Ego quidē certè, tanquā absens corpore, præsens autē spiritu, iudicaui iam, tanquā præsens, qui hoc ita designauit, in nomine Domini nostri Iesu Christi, cōgregatis vobis & meo spiritu *nota congregatis vobis* cū potētia Domini nostri Iesu Christi, eiusmodi hominem tradere Satanæ in interitum carnis. Paulus non pro sua libidine excōmunicat solus, quamuis Apostolus, sed vniuersam Ecclesiam secum vult cōgregatā, vt cōmuni autoritate res agatur: præit quidem ipse & ait, *Ego iudicaui tradere*: sed tamē vniuersam Ecclesiā sibi sociam adiungit. Cæterum quoniam vniuersa Ecclesia, in duas præcipuas partes diuidebatur, in collegium Presbyterorum seu seniorum, & in reliquam plebis multitudinem: plebs autem, nisi consilio seniorum regatur nihil vnquā moderate aut grauiter agit: idcirco consessus seniorum primùm rem ipsam cognoscebat & iudicabat: deinde eam iam præiudicatam ad reliquam Ecclesiæ multitudinem deferebat: tum totā Ecclesia præsente & approbante sententia pronunciabatur. Hic erat mos in Ecclesia, tempore Apostolorum, qui etiam aliquot pòst annis seruatus fuit.

Cyprianus epist. lib. 3. epistola 10. in fine, habet hæc verba: *Ad id verò quod mihi scripserunt Presbyteri nostri, Donatus, Honatus & Curdius solus rescribere nihil potui, cùm à primordio Episcopatus mei statuerim nihil sine consilio vestro* (scribit autem suis Diaconis & Presbyteris) *& sine consensu plebis mea priuatim sententia gerere: sed cùm ad vos venero, in commune tractabimus.* Patet Cyprianum decreuisse sequi morem Apostolicum, & iurisdictionem Ecclesiasticam sine consensu totius cleri, & totius plebis exercere noluisse: & simul indicat, etiam, tunc solitum fuisse hunc morem seruari.

Vsitatus tamē mos fuit tempore Patrum, cùm Ecclesia iam numerosior esset facta, vt per senatum Presbyterorum (qui erat in Ecclesia quod senatus in vrbe) iurisdictio Ecclesiastica exerceretur: quorū quidem seniorū duo erant genera, alij ad docendū erāt ordinati quales nunc ministri nostri & Diaconi, qui concionantur: alij ad mores tantùm corrigendos erant destinati. quales etiamnum sunt seniores nostri morū scilicet tārūm censores. De iis duobus generibus Paulus 1. *Tim.* 5. Presbyteri, qui benè præsunt, duplici digni sunt honore, maximè qui laborant in verbo. Ibi duo genera Presbiterorum indicat Apostolus: aliòs qui præsunt quidem regēdæ Ecclesiæ, sed tamē non laborant in verbo: alios, qui præter id, in verbo etiam laborant. Per Senatum igitur horum seniorum omniū, Ecclesiastica disciplina exercebatur tempore Petrum, sine conscia plebe: sicut etiam nūc per Senatū exercetur iurisdictio, sine plebis cōsēsu

Deinde verò degenerauit hic mos, ita vt solus clericorũ senatus, sine aliis senioribus, morum censoribus, eam exerceret. Patet hoc ex Ambrosio. Ambrosius enim Tom.5. in epist.ad Timoth.prim. cap.5. exponens verba illa *Seniorem ne increpaueris*, conqueritur, quòd hæc iurisdictio Ecclesiastica, cognoscendi causas Ecclesiasticas, ad solos clericos degenerarit, & habet hęc verba: ***Vnde & synagoga & postea Ecclesia seniores habuit, quorum sine consilio nihil agebatur in Ecclesia, quod quâ negligentia obsoleuerit, nescio, nisi fortè doctorum desidia, aut magis superbia dum soli volunt aliquid videri.***

Ita habemus secundum morem exercendæ iurisdictionis Ecclesiasticæ laudatum: alterum Apostolicum, vt per concessum quidem seniorum, sed tamen vniuersa Ecclesia præsente & comprobante, qui si fieri posset, esset seruandus: alterum virorum Apostolicorum vt per senatum seniorum, sine vniuersa plebis multitudine. Atque hæc sunt, quæ mihi circa hanc primam communis Ecclesiasticæ disciplinæ partem, quæ in clauium potestate posita est, dicenda fuisse videntur. Modò ad secundam.

II. Pars. Altera igitur huius primæ disciplinæ Ecclesiasticæ, quæ vniuersam Ecclesiam spectat, pars est illa, quæ extra clauium potestatem posita est. Hæc enim magis in antiquissima & sanctissima, tum Prophetarum, tum Apostolorum, & virorum Apostolicorum consuetudine, quàm in clauium potestate, fundata est. De hac pauca mihi dicenda sunt.

I. Primùm, quibusnam in rebus potissimùm consistat, & versetur eius officium. Huius munus, non in correctionibus, aut obiurgationibus, neque in iurisdictione versatur: sed propriè consistit duabus in rebus, primùm in legibus, vel canonibus: qui neque verbo Dei aduersentur, neque fidelium consciẽtiis vt laquei imponantur, sed qui tum ad ordinem, tum ad decorum tum ad ædificationem Ecclesiæ faciant, condendis, quæ etiam Ecclesiasticæ traditiones vocantur: Cuiusmodi sunt leges de hora, qua habenda sit concio, de tempore & de modo, quo peragẽda cœna, de modo, quo publicæ preces fieri debeant, & id genus alia. De hac parte nihil aliud dicam (quoniam pertinet ad locum de traditionibus Ecclesiasticis) nisi quod fideles hanc disciplinam libẽter amplecti debeant, vt huiuscemodi canonibus pareant. Nam etiamsi neque ad salutem, eorum obseruatio, neque ad damnationem eorum transgressio per se faciat: tamen in Ecclesia Christi semper vsitatum fuit, vt fideles iis etiã canonibus parerẽt. Hoc est primùm, in quo cõsistit hæc secũda pars disciplinę Ecclesiasticę.

II. Secundò consistit in exhortationibus ad pietatis exercitia, quorum nec tempus, nec modus nec forma in verbo Dei præscribitur, sed Ecclesiæ iudicio relinquitur. Iam vt de hac parte loquar, addo hoc secundum & dico. Hanc disciplinæ partem non esse quidem in clauium potestate sitam: sed tamen neque nouam, neque inutilem esse. Non nouam. Semper enim in veteri Ecclesia, ab ipsis vsque Apostolis & Prophetis vsitata fuit. Hoc patet, si quis legat Prophetas & Apostolorum Acta, & sanctorum Patrum libros. Quoties Prophetæ populos ad solemnes preces, ad publica ieiunia, ad publicas collectas, áque alia pietatis exercitia, pro temporũ necessitate, hortati sunt? Quoties Apostoli ieiunia publica & publicas preces Ecclesiæ indixerunt, cùm aliqua necessitas vrgeret? Non est igitur noua hæc disciplinæ pars in Ecclesia. Neque inutilis. Videmus enim in sacris literis & historiis, quoties Deus post huiuscemodi ieiunia, & publicas preces, & huiuscemodi pietatis exercitia pronunciarit se placatum esse erga populos, vt apud Ioëlem, Ionam, & alios. Non quod iis operibus, tanquam ex opere operato placaretur Deus: sed quod ad pœnitentiam & fidem excitandam plurimum valeant, imò quòd publica sint nostræ pœnitentiæ testimonia. Fide autem & pœnitentia, non ex opere operato, sed ex promissione, placatur Deus.

Hic locus exigeret, vt explicarem, quanta sit vtilitas publicarum precum, solennium ieiuniorum, & alia huiuscemodi humilitatis & pœnitentiæ exercitia, quæ ab Ecclesia, pro temporum necessitate, solent indici, sed studendum est breuitati, satis est indicasse locum.

III. Sed per quosnam exercenda est hæc disciplinæ pars, seu per quos indicenda sunt ieiunia & preces publicæ? Resp. Per ministros Ecclesiæ, sed ex consensu & decreto totius Presbyterorum conuentus. Sic in veteri Testamento per Prophetas: sic in Nouo per Apostolos, sic in veteri Ecclesia Patrum, per Episcopos ac ministros indici solebant.

IV. Quando verò exercenda est hęc disciplinę pars, seu, quando indicenda sunt hæc solemnia ieiunia, solẽnes preces, & quando ad hæc & alia huiuscemodi pia exercitia adhortãda est Ecclesia? & ob quas causas? Resp. Res quæ nobis accidunt, aut sunt à nobis agendæ, aut sunt nobis ferendæ. Agendæ sunt (quantum ad præsentem causam Ecclesiasticam attinet) vt si explicandę sint controuersiæ de religione, conuocandæ synodi, eligendi ministri, &c. Ferendæ, vt si ira Dei immineat, fames, bella, &c. Ergò primò, si aliqua res magna & difficilis tractanda sit, si eligendi sint ministri, si definiendæ sint de religione controuersiæ, si conuocandæ sint synodi, si denique aliqua alia res grauis Ecclesiastica tractanda veniat, tunc indicenda sunt solemnia ieiunia totiu Ecclesię, indicendæ sunt publicæ preces, & ad alia huiusmodi exercitia est adhortanda Ecclesia. Quorsum? vt Dominus totius Ecclesiæ pœnitentiam, ac publica pœnitentiæ, & fidei exercitia spectans, pro sua misericordia, & propter Christum Filium suum, dignetur Spiritu suo Ecclesiam in huiuscemodi negotiis expediendis, ministris eligendis, controuersiis componendis, regere ac gubernare. In huiuscemodi rebus solebant hæc à Prophetis & Apostolis & Patribus fieri id quod exempla ipsorum docẽt. Actor.1. In electione Matthęi Apostoli, intercedunt publicæ preces Item, postquam ascendit Dominus in cœlum, cum Apostoli essent Ecclesiam prædicatione Euãgelij fundaturi, primùm ipsi, cum matre Iesu, & reliqua parte illius Ecclesiæ, persistunt in oratione. Actor. 13. Cùm Paulus & Barnabas mittendi essent ad Gentes, vt prædicarent Euangelium, primùm præcedunt publica ieiunia & preces, &c. Actor.14. In constituendis per singulas Ecclesias Presbyteris, idem seruatum à Paulo & Barnaba. Sexcenta alia exempla afferri possent, si opus esset, sed hæc satis sunto.

Secũdo, cùm ira Dei, propter scelera nostra imminet, pestis, bellum penuria, &c. tunc itidem tempus est opportunum, exhortandi populos ad solennia ieiunia, ad extraordinarias preces. Quorsum? vt Dominus spectata totius Ecclesiæ pœnitentia ac fide, quam iis publicis exercitiis testatur, dignetur pro sua misericordia & propter Christum Filium suum, iram suam nobis imminẽtem à nobis, atque à tota Ecclesia auertere. Hæc docẽt Prophetæ & Apostoli. Ioel. 2. Canite tuba in Sion, conuocate cœtum, sanctificate (seu indicite) ieiunium, &c. Inter vestibulum & altare plorent Sacerdotes ministri Iehouæ, & dicant, parce Iehoua populo tuo, & ne des hereditatem tuam inopprobrium &c. Quorsum exempla multa? Matt.9 & Luc.5 Cùm Christus excusat Apostolos, quod non ieiunent præsente Christo sponso: deinde ostendit tempus ieiunandi esse, cùm ira Dei & calamitates imminent dicendo: ***Auferetur ab eis sponsus, & tunc ieiunabunt.*** Ergo consuetudo, atque institutum ipsorum & Prophetarum & Apostolorum (omitto exempla Patrum) fuit, vt in calamitosis temporibus, ad publica ieiunia, & publicas preces, ad pœnitentiam in cinere & sacco, & ad luctum ac planctum, Ecclesiam adhortarentur, & Ecclesia pareret. Quî fit, vt nunc si quis verbum faciat de restituendis huiusmodi exercitiis, statim rideatur? aut Papista esse dicatur? Quasi hæc exercitia, à Papa, & non à Prophetis atque Apostolis instituta sint? Sed nunc locus non est, nisi explicandi breuiter locum de ipsa disciplina Ecclesiastica: Cæterùm officium est ministrorum adhortandi magistratum, vt reuocetur in Ecclesiam. Hæc igitur mihi satis dicta videntur circa hanc alteram partem disciplinæ Ecclesiasticæ, quæ extra clauium quidem potestatem posita est, sed in antiquissima & laudatissima Prophetarum & Apostolorum & veteris Ecclesiæ consuetudine fundata est. Atque ita habemus explicationem totius primæ Ecclesiasticæ disciplinæ, quæ scilicet ad vniuersam Ecclesiam spectat. Sequitur de disciplina Clericali.

Disciplina particularis Clericorum. Duplicem diximus esse Ecclesiasticam disciplinam, vnam, quæ vniuersam Ecclesiam spectat, & à qua nemo excipitur, ideóque propriè Ecclesiastica appellari potest: alteram, quæ ad ipsos particulariter clericos attinet, ideóque proprie clericalis nominari potest. De prima hactenus satis est dictum, quæ in duas partes fuit diuisa, quarum prima in potestate clauium, altera extra eam posita est: Nunc de altera, nempe de clericali dicendum est.

Vt autem

Vt autem rectè intelligatur hæc disciplina, hæc prius notanda sunt. 1. Totam Ecclesiam, in duas præcipuas partes diuisam esse, in Ecclesiæ Ministros, & in reliquã plebis multitudinem. Illam partem Patres appellant Clericos: hanc Laicos, id est, populares, id quod capita nostri temporis nimis fœdè corruperũt, illam primam partem, Ecclesiam & Ecclesiasticos viros, hanc verò Mundum & Mundanos, nimis insolenter appellantes: perinde ac si maior Ecclesiæ pars ad Ecclesiam non pertineat. Retineri tamen possunt nomina patrum, vt prima pars, appellentur Clerici, reliqua vero pars, vocentur Laici.

2. Notandum, tàm Clericos, quàm Laicos superiori disciplinæ, de quá hactenus verba fecimus obnoxios esse, atque ab ea neminem excipi posse: ratio, quoniam vniuersa potestas Ecclesiastica, nón est à Christo data Ecclesiæ, vt in plebem tantùm exerceatur, sed in omnia Ecclesiæ membra singulósque fideles. Cùm autem disciplina illa Ecclesiastica pars sit potestatis Ecclesiasticæ: ergo disciplina Ecclesiastica in omnes tam Clericos, quàm Laicos exercẽda est. & ab ea nemo excipi potest. Quare tam Clerici, quàm Laici, tam Principes & Magistratus, quàm priuati, illi superiori Ecclesiasticæ disciplinæ obnoxij sunt. Ideo Matth. 18. Vbi Christus iurisdictionem disciplinæ Ecclesiasticæ dedit Ecclesiæ, non ait, *si peccauerit in te frater tuus.* Laicus, sed *frater tuus,* quicunque ille sit, modò sit frater. id est, Christianus, siue sit Clericus, siue Laicus, siue princeps, siue priuatus, *vade,* &c. & quæ sequuntur ad hunc fratrẽ, quicunque ille sit referuntur, vt obiurgari ab Ecclesia possit, tandẽ etiam excommunicari. Idcirco nimis intolerabile est illud Papæ, qui se ab illa disciplina communi excipit, vt dicat, se neque a quopiam mortalium corrigi posse. Non erit abs re, si referam, quid ad hoc argumentum, quidam aulicus Paulum III. docuerit respondere, Cùm quidam Canonicus ex ordine Canonicorum regularium, libro in publicum edito probaret, Papam posse à singulis fidelibus corrigi. & ita ab Ecclesia tãdem, si pertinax esset, excommunicari, hoc argumentum adduxit: Papa vel est frater noster, vel non: si est, ergo potest corrigi. Ait enim Christus, si frater tuus, &c. Si non est, quomodo igitur nobiscum appellat eundem Patrẽ nostrum? dicendo. Pater noster, qui es, &c. Dicit autem & ipse Pater noster, &c. Ergo est frater. Si frater, sequitur quod supra, &c. Cùm Papa ægrè ferret editum hunc librum, quẽ etiam ob hunc articulum excõmunicauit, premeretúrque hoc argumẽto, quidam facetus aulicus. Sanctissime Pater, *inquit,* ne turbetur sanctitas vestra ob hoc argumentum: docebo solutionem: Nolite amplius dicere, Pater noster, & solutum est argumẽtũ. Non enim amplius probare poterit, vos esse fratrem nostrum. Non risus gratia, sed serio hoc retuli, vt altera ex parte videatis impudentiam Papæ, qui se ab hac disciplina eximit: & altera ex parte intelligatis, argumentum illius Canonici non fuisse insulsum. Omnes igitur tam Clerici & Episcopi, quàm Laici, illi primæ disciplinæ subditi sunt.

3. Notandum est, quòd Clerici præter illam primam omnibus communem disciplinam Ecclesiasticam, soliti etiam sunt in veteri Ecclesiá aliam habere propriam & particularem disciplinam, illámque illa communi rigidiorem, qua ipsi singulariter regerentur & corrigerentur: atque ita Clerici rigidiores erant in se ipsos, quàm in plebem: & sanè ita & æquum & operę pretiũ est, vt plebs humaniori & laxiori, Clerici verò seueriori & arctiori disciplina regantur, & minùs sibi, quàm aliis indulgeant. Sic enim & maiorem verbo, quod prædicant, autoritatem conciliant, & ampliorem sibi ad alios corrigendos, admonendos, obiurgandos, & si opus sit, excõmunicandos aditum patefaciunt. Is finis est, cur Patres illi hanc grauiorem sibi disciplinam imposuerunt, & omnes Clericos hac erudiri & corrigi voluerunt. Quis enim Minister audebit e suggestu in ebriosos inuehi, si ipse, non dico, sit ebriosus, sed si nihilo sobriùs, quàm reliqua plebs bibat? Quam disciplinam exercere audebit in pompaticè indutos, si ipse nihilo modestius, quàm reliqui induatur? Decet ergo, vt arctiori disciplinæ subiiciantur Clerici, quàm reliqua plebis multitudo.

Iam vt iis peractis subdamus explicationem huius Clericalis disciplinæ, eam per collationem cum superiori, sic breuiter explico.

1. Illa est vniuersalis potestas à Christo Ecclesiæ in verbo Dei cõcessa, qua fideles omnes, & publicè & priuatim, tam in vero Dei cultu, quàm in obedientia legis instituuntur, & instituti retinentur, idque doctrina. Hæc altera est particularis facultas Ecclesiastica, non repugnans verbo Dei, qua ipsi particulariter Ecclesiæ Ministri ac Clerici, tam priuatim, quàm publicè, & in vero Dei cultu diligentiùs, & in legis obedientia seueriùs, & præter hoc, in Ecclesiasticis canonibus instituuntur, & instituti retinentur, idque frequentiori doctrina, acrioribus admonitionibus, correctionibus, obiurgationibus, pœnis, excommunicationibus.

2. Illa habet verbum Euangelij, & legem Dei, prætereáque nihil, in quibus fideles instituuntur: Hæc præter verbum Euangelij, & præter legem Dei, habet proprios canones, in quibus Clerici particulariter instituuntur, & instituti, in eorum obedientia retinentur. Hic igitur sciendum, Clericalem disciplinam canonibus quibusdam contineri, quos Episcopi in synodis, vel generalibus, vel prouincialibus editos, tam sibi, quàm vniuerso Clericorum ordini imponunt, quales sunt illi, quos Patres illi veteris Ecclesiæ, & sibi & reliquis Clericis imposuisse leguntur, quorum quidem canonum plena sunt & Conciliorum volumina, & totum ius Canonicum, inter quos canones numerantur & quidam, qui canones Apostolorum nominantur, editi & Græcè & Latinè in primo Tomo Conciliorum, & in fine voluminis Decretorum habentur Latinè. Quoniam igitur iis canonibus propriè continetur hæc Clericalis disciplina, idcircò circa hos canones hæc notanda sunt.

Primo, tales debent esse, qui non aduersentur verbo Dei, alioqui disciplina erit Diabolica, non Christiana, cuius generis multi reperiuntur in Decretis Pontificum, & Decretalibus: vt canon, nec Clerici ducant vxores: multi tamen etiam apud illos leguntur optimi & Christiani, præsertim in Conciliis antiquioribus, & apud vetustissimos Patres. Colligendi igitur omnes essent, & optimi quique colligendi, qui scilicet non aduersantur verbo Dei, sed potiùs conformes sunt verbo Dei, & faciunt ad ædificationem.

Secundò, huiuscemodi canones non debent Clericorum conscientias vincire, seu (vt loquuntur) imponi sub pœna peccati mortalis, alioqui impij essent. Nulla enim lex est, quæ conscientias attingat, aut attingere possit, nisi lex Domini, qui solus potest saluare & perdere. Iacob. 4. Vnus est legislator, qui potest seruare & perdere: quemadmodum fecère multis abhinc annis Pontifices Romani, qui omnes canones sub pœna peccati mortalis imposuerunt: sed sub censuris & pœnis temporalibus imponendi sunt. Sic vetusti Patres fecerunt, vt patet in conciliis antiquissimis. Iis enim pœnis temporalibus adiectis, autoritatem suorum canonum sanciebant.

Tertio, non debent esse admodùm multi, sed quoad eius fieri potest paucissimi, ne nimia eorum multitudo ita Clericos obruat, vt legis Domini obliuiscantur: neque ita graues, vt ferri non possint: neque de rebus leuiculis, sed de grauioribus editi, ne sui contemptũ pariant, sed debitam sibi concilient autoritatem. Augustinus ad Ianuar. epist. 119. conqueritur de multis traditionibus iam in Ecclesia tunc receptis, quòd nimis multę, & quòd de rebus leuissimis essent, quales sunt nunc in Papatu.

Quartò, debent esse de iis rebus, quæ maximè & ad primam de cultu Dei, & ad secundam de moribus tabulam faciunt, seu tales esse debent, qui valeant ad instituendos Clericos, & in iis, quæ ad cultum Dei, & in iis, quæ ad mores attinent tam domi quàm foris. Canones Patrum plerique sunt de rebus leuissimis & nullius momenti: sed canones præcipui & non contemnendi circa hæc capita versantur.

1. Circa templum, cultúmque diuinum: vt Canon de sarciendis tectis, reparandis templi ædificiis, & id genus aliis, ad templum pertinentibus.

2. Circa facultates Ecclesiasticas & beneficia, Abbatias, præposituras, &c quomodo & in quos vsus dispẽsandæ facultates Ecclesiæ: vt canon de beneficiis & pręposituris conferendis.

3. Circa synodos, & visitationes Ecclesiasticas: vt leges de synodis & visitationibus quotannis bis aut semel in vnoquoque Episcopatu habendis. Item leges de prouincialibus synodis, vt singulis quibúsque vel 3. vel

4.vel.5. annis fiant: vel si opus sit, quotannis, & vbi, & quando,&c.

4. Alij circa officia, studia & exercitia Clericorum: vt leges de officio concionandi, quid & quomodo concionari debeant: leges de studiis, quibus literarum studiis vacandum,& quibus non: leges de non exercendis mercaturis, & aliis, quæ ad quæstum faciunt, artibus.

5. Alij circa iudiciales: vt leges de arbitris & iudicibus Ecclesiasticis, de testibus, quot testes ad accusationem Episcopi requirantur: item leges de pœnis, quibus pœnis singula peccatorum genera afficienda sint.

6. Alij circa ædes Clericorum: vt leges de non habitandis insanis & sumtuosis ædificiis, & leges de non habitando cum mulieribus nulla sibi affinitate coniunctis: Item leges, de regenda & instituenda familia in fide, & de aliis ad domus & familiæ regimen facientibus.

7. Alij circa mores Clericorum, quales tam domi, quàm foris esse debeāt: vt leges, ne quis Clericus aleæ, ne quis Venationi, ne quis comessationibus & ebrietatibus vacet: ne quis lasciuis choreis ac saltationibus intersit: leges de vestimentis, quibusnam vestimentis indui debeant Clerici. Alia enim vestimenta decent Laicos, quæ non decent Clericos, &c.

Hæc de canonibus Ecclesiasticis, quibus disciplina Clericorum continetur. Iam ad collationem cum superiori disciplina redeamus.

3. Illa habet publicam & priuatam doctrinam, publicas & priuatas admonitiones, correctiones, obiurgationes, iurisdictionem, qua in scelera, ex verbo Domini animaduertit. Hæc, præter doctrinam verbi Dei publicam & priuatam, habet etiam alias doctrinas humaniores, Dialecticam, Rhetoricam & reliquas, quæ aliquid faciunt ad intellectum scripturarum. Debent enim Clerici in iis etiam artibus institui. In hunc finem institutæ sunt scholæ, & collegia publica in Ecclesiis semper fuerunt, vt ibi Clerici instituerentur in bonis literis: habet suas correctiones, obiurgationes, suas pœnas & censuras,& denique iurisdictionem, quibus quidem corrigerentur, & castigarentur Clerici & Episcopi, qui non solùm legem Domini, sed etiam Canones illos violarent. Multa autem pœnarum & censurarum Ecclesiasticarum genera leguntur in Conciliis,& in Patribus, sed summa erat, cùm quis suo vel Episcopatu, vel alio Ecclesiastico officio abdicabatur, & à communione ad tempus separabatur.

4. Illa in ædificationem, non in destructionem Ecclesiæ fuit instituta, id est, vt fideles, cùm in veritate Euāgelij orthodoxáque doctrina, tum in obediētia legis instituantur & contineantur: Hæc primò in hunc generalem finem, nempe in ædificationem Ecclesiæ: Secūdò, in hunc particularem, vt clerici non solùm in vera & orthodoxa doctrina, & in obedientia legis Domini, sed etiam in obseruatione Canonum contineantur. Hic particularis fuit finis. Ideò additæ pœnæ transgressoribus, ne impunè quis eos violaret. In hunc finem vnicuique Episcopo sui Cleri gubernatio committebatur, vt secundùm Canones, suos Clericos constitueret & in officio contineret. In hunc finem quotannis semel aut bis, suas Ecclesias visitabant cum aliquot Presbyteris, vt qui in officio fuisset negligentior, admoneretur & corrigeretur, qui vel contra legem Dei peccasset, vel Canones violasset, puniretur. In hunc finem prouinciales synodi quotannis à Metropolitano cogebantur, vt etiam Episcopi, qui suum officium non fecissent,& Canones violassent, aut aliud contra legem Dei, cum scandalo Ecclesiæ peccassent, corrigerentur, punirentur, &c. In hunc finem vniuersalia etiam Concilia sæpius iussu Imperatorum indicebantur, vt ibi etiam ipsi Metropolitani, si quid dignum animaduersione fecissent, castigarentur. Summa: ad hunc finem tota illa disciplina Clericalis dirigebatur, vt Clerici & Episcopi omnes in suo legitimo officio continerentur, quod illis tum in verbo Dei, tum in Canonibus illis sacris erat præscriptum, atque in Ecclesia Dei benè & rectè esset gubernata.

5. Illa, alia ratione corrigit peccata priuata, & alia publica: aliis pœnis leuiora, aliis grauiora punit in singulis fidelibus: Hæc idem facit in Clericis. Ideò diuersæ erant censurarum & pœnarum species. Seuerissima Episcoporum animaduersio erat, vt deponerentur ab officio, qui peccauerant, & à communione ad tempus separarentur.

Denique hæc est summa: Disciplina illa Clericalis cōstat propriis legibus, qui Canones appellantur: & propriis pœnis ac correctionibus, quæ censuræ dicebantur.

Hæc est disciplina illa Ecclesiastica, quā Christus per Apostolos & viros Apostolicos suam regebat Ecclesiam, quā seu freno fideles aduersus Dominum ferocientes, coercebat: quā ceu stimulo, ad verbum Domini audiendum,& ad legem implendam parùm voluntarios & pigros excitabat: quā seu ferula fraterna, legem Domini transgredientes, castigabat: quā extra ordinem euagantes in ordinem reducebat: quā ad publica ieiunia, solennes preces, & alia pœnitentiæ exercitia pro necessitate extimulabat: quā denique omnes in vera & orthodoxa Euangelij doctrina & in veræ legis obedientia cōtinebat. Ad hæc enim omnia facit & instituta est Ecclesiastica hæc disciplina. Quis igitur ex iis omnibus, quæ hactenus diximus, non videat, quàm sancta, quàm vtilis, quàm necessaria res sit in Ecclesia, hęc disciplina? ideóque quanto thesauro destitutę sint nostrę Ecclesię. Hæc de ipsa disciplina dicta sunto. Conclusio totius huius tractatus.

Porrò cùm hæc ita se habeant, videant igitur principes & magistratus, qui hanc disciplinam in Ecclesiam restitutam nolunt, quid agant. Hæc instituta est à Christo, vt perpetuò in Ecclesia tanquam singularis thesaurus conseruetur: Ergo qui eam exulare volunt, sciant se velle Christum exulare. Hæc pars est Euangelij Iesu Christi: Ergo qui hanc restitutam nolunt, sciant se nolle Euangelium Christi, sicut debet, restitutum. Quomodo igitur gloriamur restitutum esse Euangelium in Ecclesiis nostris si hanc, eámque non postremam partem Euangelij, restitutam nolumus? Hac vitia corriguntur, virtutes promouentur: ergo qui hanc disciplinam restitutam nolunt, quomodo audent dicere, se vitia odisse, virtutum verò amantes esse? pietatis promotores, impietatis osores? Hac conseruatur & regitur Ecclesia, singuláque Ecclesiæ membra suo quæque loco cohærent: ergo quomodo qui hanc expulsam volunt, dicent, se velle Christi Ecclesiam benè rectam? quando sine hac benè regi non potest? Si nulla domus, nullum oppidum, nulla vrbs, nulla respublica, nullum regnū, ne exiguus quidem ludus literarius, sine disciplina regi potest, quomodo poterit Ecclesia?

Ac profectò nescio, cur principes nostri, qui Christiani & Euangelij reformatores appellari volunt, hanc Euangelij partem, hanc Christi institutionem, hanc tam vtilem & necessariam disciplinam, postliminio reuocare in Ecclesiam nolint: An fortasse putant, rem esse ab hominibus inuentam, imò ab Antichristo in Ecclesiam Christi introductam? At toto aberrant cœlo. Longè antè, quàm nomen Papæ auditum esset in orbe terrarum, disciplina hæc in Ecclesia fuit a Christo instituta, ab Apostolis vsitata,& a sanctis Patribus custodita, Tyrannicam quidem, qualis est in Papatu, disciplinam introduci in Ecclesiam nolo, sed eat cum toto Papatu ἐς κόρακας: Christianam vero & liberam, hortor principes vt reuocent disciplinam. Non est ab hominib.

Fortasse dicunt, non esse necessariam, quoniam adest ciuilis disciplina, qua vitia corriguntur. At hæc in Ecclesia non sufficit, cùm aliud sit munus ciuilis, aliud Ecclesiasticæ disciplinæ. Plectit quidem, verbi gratia, eum, qui inebriatus est, ciuilis disciplina: vel carcere, vel pecunia, atque ita satisfactum est ciuili disciplinæ: sed an ideò Magistratus eum arcebit à cœna Domini, si nulla pœnitentiæ signa dederit? Hoc non faciet ciuilis. ergo opus est Ecclesiastica, cuius est hoc munus,&c. Pastor ergo, si huiuscemodi hominem ebriosum punitum quidem à ciuili disciplina, viderit adhuc suæ pœnitentię fidem non fecisse, arcebit à cœna: secundùm potestatem Ecclesiasticæ disciplinæ. Deinde, si Magistratus errat, quis eum puniet? Ambrosius Theodosium Imperatorē, quem nullus punire poterat: puniuit gladio disciplinæ Ecclesiasticæ, cum è templo Dei expellens. 2. Necessaria est.

Ne igitur dicant aliqui, disciplinam à Christo institutam esse ad tempus, quia Ecclesia non habebat Magistratum ciuilem, dico, etiamsi habuisset, Christum tamē eam instituturum fuisse: Longè enim diuersum est munus vtriusque. Quid ergo est, cur eam restitutam nolint?

At (inquiunt) periculum est, ne vertatur in tyrannidem Ministrorum, sicut etiam Papa fecit.

Resp. Primò, si à re necessaria, & per Christum instituta

stituta & iussa, abstinendum est, quia periculum est, ne vertatur in malum. Ergo neque libertas Christiana, quam prædicat Euangelium, permittenda est populo, quoniam periculum est ne eam vertat in licentiam carnis: imò quoniam multi eam vertunt in libertatē carnis, ideo interdicenda est populis. Simpliciter parendum est Christo, in iis quæ mandat, & nihil est timendum. Secundo, ergo imprudēs Christus, cùm hoc instituit, quia non præuidit periculum hoc. Hi sunt carnis prætextus, quæ freno non vult coherceri, sed lasciuire & ferocire contra Dominum impunè.

At timetur seditio est tumultus.

Resp. Ergo neque Euangeliū est prædicandum, quoniam ad prædicationem Euangelij impij seditionem mouent. Nihil est, ad cuius aduentum, maiores orti sunt tumultus, quàm ad prædicationem Euangelij, vt patet in Actis & Euangeliis. Dexterè omnia tractentur & reliquum permittatur Deo. Scio quod omnis disciplina in præsens quidem nō videtur esse gaudij, sed mœroris: At postea fructum tranquillum iustitiæ reddit iis, qui per illum fuerint exercitati. Furit quoque equus, cùm in os frenum iniicere vis: sed coniecto freno, sinit se regi, &c.

Quid? Annon vident Principes & Magistratus nostri, quantum malum in Ecclesia oriatur, & intus & foris ex neglectu contemtúve huius disciplinæ: Foris nulla res est, quæ magis Papistas & alios arceat, vel saltem retrudet, ab amplectēdo Euāgelio, atq; hæc disciplinæ Ecclesiasticæ destitutio, quæ est in Ecclesiis nostris. Intus nihil quod magis alat vitia, hæreses, &c. An non vident Ecclesias suas principes plenas sectis hæreticorum, & impurorum hominum? Ad has confluit omne genus hominum fanaticorum, impurorum, &c. tanquam ad asylum. Quare? quia ibi nulla disciplina.

Sciant ergo principes, & quicunque illi sint, qui disciplinam Ecclesiasticam in Ecclesiis restitutā nolunt, sed ei aduersantur, eámque proscribunt, se Christo aduersari: sciant, qui Ministros impediunt, ne eam exerceant, se Christum & Deum impedire, ne sua fungantur potestate. Quid enim agunt Ministri, cùm excommunicāt? Pronunciāt sententiā Domini. Ait enim Christus, *Quicquid ligaueritis in terris, &c.* Quid igitur agunt, qui impediunt Ecclesiam, ne sententiam Domini pronunciet? Peccant contra Christum, & rei sunt læsæ diuinæ Maiestatis. An nō reus esset læsæ Maiestatis Cæsareæ, si quis eius iudicem ne sententiam Cæsaris pronunciet impediat? Videant igitur, quid agant. Hactenus Christus rexit Ecclesiam suam hac disciplina, & ipsi principes, imò & ministri aliquot, nolunt eam sic regi? Viderint ipsi. Pronuncio, proclamo, protestor, eos peccare, qui cùm possint & debeant eam restituere, non restituunt. Hæc de ipsa disciplina Ecclesiastica de principibus & Magistratibus, quorum interest eam restituere, dicta sunto.

Nunc ad fideles priuatos sermonem meum conuerto, ac sic dico: Etiamsi Principes ac Magistratus Ecclesiasticam disciplinam restitutam nolunt: ob hanc tamē rationem, ab Ecclesiis discedendum non est, quemadmodum nunc faciunt Anabaptistæ, & aliàs Donatistæ, tempore Augustini, homines nō solùm impij, atque indocti sed etiam impuri, quandam tamen nescio quam Angelicam perfectionem profitētes vel simulantes potius. Ecclesiam igitur Christi nullam esse agnoscunt, in qua non videant Angelicam hanc perfectionem lucere. Quare cùm in Ecclesiis nostris, vt semper fuit & erit in finem vsque seculi, videant aliquot vitia, non in populo tantùm, sed etiam maximè in Ministris, defectionem à nostris Ecclesiis faciunt, atque ita sub prætextu cuiusdam sancti Zeli, Ecclesiam Christi scindunt. Donatistæ idem quoque fecerunt: cùm viderent in Ecclesiis vitia aliquot, quæ verbis quidem ab Episcopis reprehēderentur, sed excommunicatione non punirentur: in Episcopos tanquam disciplinæ proditores atrocissimè inuecti, ab Ecclesia Christi Catholica, impio schismate se separarunt. Aduersus quos multa scripsit Augustinus, quæ habentur in septimo Tomo. Est autem regula generalis: Ab Ecclesiis illis, in quibus purè prædicatur verbum, ac sincerè, secundùm Christi institutionem, administrantur sacramenta, minimè faciendam esse discessionem. Hæc ad priuatos dicta sunto.

Iam Ecclesiæ Ministros alloquor. Ministri Ecclesiæ quantum per consensum & pacem Ecclesiæ licet, hanc disciplinā exercere debetis. Hanc enim potestatē vobis dedit Dominus, neque quispiam auferre eam potest: nec contenti esse debetis, vt doceatis quid agēdum, quid fugiendum sit, vt vt quisque pro sua libidine viuat, nihil curantes, sed vrgenda disciplina. Vide August. To. 4. de fide & operib. c. 4.

At impedimur per Magistratum?

Resp. Tunc illi significatē, quàm malè agat dum Ecclesiasticam disciplinam in Ecclesia locum habere non sinit, atque illum hortamini, vt restitutam velit. Quod si prorsus nolit, atque ita ex voto animi vestri non possitis corrigere in Ecclesia, quæ correctione opus habent, aut animaduertere in ea, quæ animaduersione indigēt, quid agendum? Deserendúmne est Ministerium? Minimè. Prophetæ etsi per Magistratus impediebantur, ne sicut optabant, vitia ab Ecclesia extirpare possent, & omnem penitus superstitionem delere, atque ita Ecclesiasticam disciplinam exercere: non tamen vnquam suum deseruerunt Ministerium. Hanc rationem adfert Augustin. de verbis Domini, & citantur in Decret. c. 23. quæst. 4. c. 1. Tolerandi: *Tolerandi sunt,* inquit, *quidem mali pro pace, nec corporaliter ab eis recedatur sed spiritualiter &c.* Deinde. *Non enim Propheta,* inquit, *qui hoc dicebant, populum suum dimiserunt, sed inter eos habitabant, quos increpabant.* Quid igitur agendum? Nunquid inusitatā rigidáque asperitate tota Ecclesia est perturbanda? Minimè. Quid igitur agendum est? Persistendum est in Ministerio, & quanta potest fieri diligentia, illud perficiendum: quod potestis præstare, præstate: quod non potestis, lugete, & Dominum rogate, vt ipse, quod vos non potestis, suppleat. Hoc docent exempla Prophetarum, Apostolorum, & sanctorum Episcoporum veteris Ecclesiæ. Non erit abs re recitare hic quæ Augustinus hac de re scribit. Augustinus Tomo 7. contra Parmenium, libro 2. c. 1. column. 25. A. & recitatur in Decretis c. 23. quæst. 4. c. quisquis. Item lib. 3 cap. 2. multa de hac Ecclesiastica disciplina scribit. Summa ad hæc capita redigitur.

Primò, tanti facienda est Ecclesiæ vnitas & pax, vt non solùm mali, sed multa etiam mala in Ecclesia propter hanc vnitatem Ecclesiæ conseruandam, sint nobis ferenda: præsertim autem non esse faciendam corporalem separationem ab Ecclesia docet. Vnde illud Galat. sexto. *Sufferentes inuicem in dilectione:* & illud Ephesior. quarto. *studentes seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis.* Item exemplum Christi, pedes lauantis discipulis.

Secundò, non ita tamen sufferre debemus, vt negligamus corrigere peccata vnde ait, col. 56. *Sed ne perniciosè relinquantur, & quasi dissimulanter negligantur aliena peccata, quod non est minoris crudelitatis, quàm illud,* scilicet, arroganter corripere, aut ab Ecclesia discedere, *superbia, siquidem Apostolus dicit. Scripsi vobis in Epistola non commisceri fornicarios,* &c. Interpretatur autem Augustinus, hanc separationem faciendam esse, animo, corde, moribus, non corpore, nempe vbi periculum est schismatis, vel ne eradicetur triticum.

Tertiò, vbi aliquis reperiatur in Ecclesia dignus anathemate & excommunicatione, si periculum non sit schismatis, & turbationis totius Ecclesiæ, excommunicandum esse. Ergo colligo, vbi periculum est schismatis, & ne tota Ecclesia perturbetur, abstinendum esse ab excommunicatione disciplinæ Ecclesiasticæ, id est, iurisdictionis.

Quartò, vbi malum aliquod, vel morbus omnes occupauerit, id est, vniuersam, vel magnam partem corporis Ecclesiæ, tunc (inquit) nihil aliud bonis restat, quàm dolor & gemitus, clamandúmque ad Dominum, dicendo: Ne perdas cum impiis Deus, animam meam, & cum viris sanguinariis vitam meam, &c. & citat visionem Ezech. 9. & testimonium Pauli in 2. Cor. 12. Qui vbi vidit, non vnum & alterum, sed multos, & ferè vniuersam vrbem infectam morbo lasciuiæ, vt non præcipit cum eis boni cibum non sumant (nam ita scinderetur Ecclesia) sed luget, & ait, Ne iterum, cùm venero ad vos, humiliet me Deus, & lugeam multos ex vobis, qui non egerunt pœnitentiam. Per luctum suum, ait Augustinus, potius eos diuino flagello coercendos minans, &c. Et subdit, Et reuera si contagio peccandi multitudinem inuaserit, diuinæ disciplinæ seuera misericordia necessaria est. Nam consilia separationis & inania sunt, & perniciosa, atque sacrilega: quia & impia & superba fiunt, & plus perturbant infirmos bonos, quàm corrigant animosos malos.

Quintò, Et conclusio est: Misericordia ergo corripiat

homo quod potest, quod autem non potest patienter ferat, & cum dilectione gemat atque lugeat, donec aut ille desuper emendet & corrigat, aut vsque ad messem differat eradicare Zizania, & paleas ventilare: vt tamen securi de salute sua bonæ spei Christiani, inter desperatos, quos corripere non valent, in vnitate versentur, auferant malum à seipsis, id est, vt in ipsis non inueniatur, quod in moribus aliorum eis displicet. *Deinde addit*: Hoc qui diligenter cogitat: nec in conseruatione vnitatis negligit disciplinæ seueritatem, nec immoderatione coercionis diripit vinculum societatis. *Item ait: col.63.* A. Turba autem iniquorum, cùm facultas est in populis promendi sermonem, generali obiurgatione ferienda est, & maxime, si occasionem atque opportunitatem præbuerit: aliquod Domini flagellum desuper, quò eos appareat pro suis meritis vapulare.

Idem. Tom. 2. epist. 64, ad Aurelium Carthag. Episcopum, conqueritur ac luget, quòd in Africa impunè grassetur ebrietas, quæ vsque adeo in scripturis damnatur, & suadet, vt coacto concilio Episcoporum, remedium adhibeatur huic tanto morbo. Sed tanta, *inquit*, pestilentia est huius mali, vt sanari prorsus, quantum mihi videtur, nisi concilij autoritate non possit. Subiungit tamen, & ait: Sed quod erat tunc dolendum, nunc auferendum est, non asperè, sed, sicut scriptū est, in spiritu lenitatis & mansuetudinis. *Item subdit col.315.* Non ergo asperè quantum existimo, non duriter, non imperioso modo, ista tolluntur: magis docendo, quam iubendo: magis monendo quam minando. Sic enim agendū est cum multitudine peccantium. Seueritas autem exercenda est in peccata paucorum.

Satis, quantum præsens locus Iesaiæ exigit, de disciplina Ecclesiastica quâ regit Christus suam Ecclesiam dixisse mihi videor. Ratio enim quâ Christus regit Ecclesiam, quatuor partibus (vt supra dixi) constat: primò, prædicatione verbi: secundo, sacramentorum administratione: tertiò, disciplina Ecclesiastica: & hæc tria externa remedia sunt, & per se sola inefficacia: quartò vero interna Spiritus sancti actione, qua aguntur & reguntur filij Dei. Hæc ratio docetur iis verbis Iesaiæ: *Et ipse arguet populos multos*, quæ quidem vox, arguet, corriget, indicat rationem, qua Christus regit Ecclesiam: & præterea innuit in Ecclesia fore semper peccata, quæ opus habent, vt corrigantur.

CONIVNGI CVM HOC CAPITE de regimine Ecclesiæ nō incōmodè potest, explicatio quatuor sequētium quæstionū, ante annos triginta septem ab eodē D. Zanchio scripta, & Illustrißimo Principi ac Electori, FRIDERICO III. sanctißimæ memoriæ, ad petitionē eius Celsitudinis, exhibita, in qua, quæ iam de disciplina Ecclesiastica paulò fusiùs dicta sūt, breuiùs & magis perspicuè tractantur. Sunt autem quæstiones hæ:

1. Per quos debeant fieri admonitiones priuatæ.
2. In quibus casibus, necessaria sit excommunicatio.
3. An & qui casus excommunicationis, in sacris literis extent.
4. Qua ratione alia, ædificatio & propagatio Ecclesiæ iuuari possit, cum omnibus necessariis circumstantiis.

Sic enim mihi, qui Germanicè parum admodum intelligo, explicata fuit literarum tuarum, quas ex Cancellaria nomine tuæ Celsitudinis, Illustrissime Princeps, accepi summa.

Ego verò primū tibi gratulor, istud tuū studiū piúmq. conatū. Facis enim officiū nō tā boni Christiani, quàm verè pij & optimi Principis. Nā tenemur quidē omnes, per sua quisq. virili, & rata parte, regnū Christi promouere, quū omnes simus eius ciues: Sed hoc cū primis officiū est principū, & magistratuū, quemadmodū multis, & autoritatibus Scripturarū, & exemplis piorū Regum Dauidis, Asæ, Ezechiæ, Iosiæ, & aliorum, abundè demōstrari potest. Quò etiam spectat illa adhortatio: *Nūc ergo sapite ò Reges, erudimini iudices terræ, seruite Deo in timore, & exultate ei cum tremore. Osculamini filium, ne irascatur, & pereatis è via, cùm exarserit ira eius.* Psal. 2. Minatur certè omnibus iram Dei: sed in primis Regibus ac Principibus, qui non se totos subiiciunt Christo, & illius regnum instaurare, tueri, conseruare, & propagare negligunt.

Illud autē, quo regnum hoc Christi instauratur, cōseruatur, propagatur, est sacrum, seu, vt vocant, Ecclesiasticū ministerium, cuius ministerij, & quidem totius nō functio, sed cura penes principes esse debet, vt in exemplis piorum regum Iudæ, imò ante hos, in ipso Mose, videre est. Is vt princeps & dux totius populi, curā in primis, ex mandato Dei, suscepit religionis, & totius sacri ministerij: ipsam verò Ministerij sacri functionem à Politica separauit, & vnam sibi retinuit, alteram Aaroni Pontifici, eiúsque liberis, ac Leuitis iniunxit.

Porrò sacri Ministerij tres sunt partes. Christi tum doctrinæ tum sacramentorum dispensatio: tum etiam disciplinę administratio. Has tres partes simul coniunctas, hoc est totum sacrum Ministerium Christus Apostolis, eorúmque successoribus, iniunxit ad Ecclesiam conseruandam, amplificandam, regendam. Ministerij Ecclesiastici partes. Matth. 28. 16.18. Quàm necessaria sit ad salutem electorum promouendam doctrinę & sacramentorum dispensatio satis notum est. Quàm verò disciplinæ etiam administratio sit non tam vtilis, quàm necessaria, non fuerit opus multis rationibus, si persuasi simus, nihil à Christo, qui omnia egit & docuit propter nostram salutem institutum fuisse in sua Ecclesia, quod non faciat ad nostram salutem promouendam. Tota enim Christi doctrina doctrina est salutis æternę: sed pręter hoc fundamētum, an non luculenter apparet, quàm necessaria sit disciplina, ab ipsius officio, & fine?

Officium est, præter alia corrigere fratres peccantes: Officium eorum qui præsunt disciplinæ Ecclesiasticæ. Et si ad solam correctionem non resipiscunt, pœnitentiæ vinculis instar ferarum, quæ alia ratione nō possunt domari, ligare: Et postquam resipuerint, soluere, inque Ecclesiæ corpus denuò recipere.

Finis verò est salus fratrum, ædificatio Ecclesię, gloria Dei. Finis eorundem. Illud certum est, ministerium ipsum verbi & sacramentorum, diu purum custodiri, sine disciplina, nō posse. Sunt enim omnes hę ministerij partes ita inter se cōnexæ, vt vna sine altera conseruari minime queat. Ita fit, vt qui promotum velit regnum Christi, necessario illi danda sit opera, vt totum ministerium, locum habeat in Ecclesia: & hic seruetur illud Dei mandatum: *Ne addas, neque imminuas.* Ergo quod tu, piissime, Princeps, post restitutum puræ doctrinæ Euangelicæ ministeriū, & post repurgatam sacramentorum dispensationē, nunc etiam serio animum, adieceris ad tertiam sacri ministerij partem, in tuas Ecclesias introducendam, non possum non vehementer istud sanctissimum, T.C. propositum, & studium laudare, & tibi tuisque Ecclesiis omnibus gratulari. Facis enim rem, non tantum te, & tuo officio dignam: Verùm etiam Deo gratissimam, nobis salutarem, toti tuo populo necessariam.

Atque vt nullo modo sinas te à suscepta cogitatione, & firmata sententia, vllis humanis rationibus dimoueri, ego vt seruus Christi, & fidus T.C. famulus, supplex oro, atque obtestor. Nam quod nonnulli boni alioqui & docti viri, dicunt non expedire, hoc tempore, disciplinam introducere, & esse nunc alia tempora quàm fuerint, quum hęc disciplina vigeret in primitiuis Ecclesiis: miror horum fratrum consilia: Quasi verò Christus aliquid instituerit in Ecclesia, quod non sit vbique, & omnibus temporibus, ad æternam salutem vtile: ne dicam necessarium. Certè qui amat Christū, & cui curę est Electorum salus: is curabit, vt totum ministerium, sicut ab ipso Christo institutum fuit, sic etiam in Ecclesiam restituatur. *Hunc hunc filium audite*, dixit Pater, nempe non in vno & altero, sed in omnibus. Nam si maledictum pronunciauit illum Deus, qui non mansisset in omnibus verbis legis, per Mosen datæ, quantò magis maledictus fuerit, qui non hæserit in verbis Filij Dei omnibus?

Disciplina igitur est ipsa quoque postliminio reuocanda. Sunt autem partes eius tres. Disciplinæ Ecclesiasticæ partes tres. Vna pertinet ad vitam, & ad mores, & hæc consistit in priuatis admonitionibus & correctionibus, de qua Christus Matth. 18. Si peccauerit in te frater? Altera pertinet ad excommunicationem & ad publicam pœnitentiam, & ea consistit in ligandis ad agendam pœnitentiam iis, qui in grauiora peccata lapsi, sunt etiam in Ecclesiam cōtumaces: Et iisdem, posteaquam egerint pœnitentiam, soluendis: de qua

de qua parte Christus ibidem: *Si non audierit Ecclesiā, sit tibi vt Ethnicus, &c. Et quæcunque ligaueritis in terra.* Tertia verò, pertinet ad sacras Ceremonias, de quibus passim in scripturis, præsertim in epistolis Pauli, ad Corinthios, ad Timotheum, & alibi De iis omnibus, maturè erit deliberandum, illustrissime Princeps, si velis, vt Deus, erga te, tuámque familiam, aulam, totúmque populum, suas continuet benedictiones, & si cupis, antequam hinc ad Dominum migres, tuas videre Ecclesias verè ex Euangelio reformatas.

Cæterùm, quia de duabus tantum prioribus partibus, quædam à me petiisti: idcircò, aliis omissis, ad quatuor tantum propositas quæstiones breuiter mihi nunc respondendum est.

Ad primam, per quos debeāt fieri admonitiones priuatæ: Illud imprimis retinendum est discrimen esse inter politicum magistratum, & Ecclesiasticum ministerium. Disciplinam autem ostendimus partem esse sacri ministerij. De Magistratibus igitur, eorúmque officiis, hic nihil mihi est differendum: Sed tantum de sacro Ministerio. Ad quæstionem igitur, vt respondeam hæc prima esto propositio.

Propositio prima. Cuiusuis Christiani hominis est, si fratrem viderit peccantē, illum ex charitate, & in spiritu lenitatis, monere, corrigere, dque vt resipiscat, & seruetur. Docet hoc Christus *Matth.* 18. Si peccauerit in te frater tuus: Vade, & argue eum inter te, &c.

Et huc pertinet illud. *Leuit.* 19. *v.* 17. Ne oderis fratrem tuum, sed corripiendo corripe eum, &c. Item, etiā locus Gal. 6. & 1. Thes. 5 Sed longius progreditur Christus cùm ait, *Adhibe duos vel tres testes*: Item, *Si hos non audierit dic Ecclesiæ.*

Secunda propositio. Etsi cuiusuis Christiani hominis est, fratrem siue in doctrina ac fide, siue in moribus & vita peccantem corrigere, & in viam salutis reuocare: hoc tamen speciatim est presbyterorum, qui Ecclesiæ præsunt gubernandæ: de quibus Actor. 14. Rom. 12. 1. Cor. 12. 1. Tim. 5. ad Titū 1. Hebr. 13. Quia enim priuati Christiani in hac disciplina exercenda, plerumque non parum cessant: idcircò instituti fuerant presbyteri, qui hoc cum primis facerēt officium, vt invigilarent gregi, obseruarent cuiusque mores, & eos corrigerent. Hi sunt illi Episcopi & speculatores, de quibus passim in scripturis apud Prophetas, & de quibus etiam dixit Apostolus. *Actor.* 20. Attendite vobis, & vniuerso gregi, &c. de horum officio, *Ezech.* 3. Fili hominis, speculatorem dedi te populo Israel, &c.

Presbyterorū duo genera. Horum omnium erat, ita esse in sacris literis institutos & exercitatos, vt possent vnumquemque monere, docere, hortari, consolari ex verbo Dei, tametsi non omnes in Ecclesia publicè, & ordinariè docerent.

Horum igitur duo erant genera: vnum eorum, qui tantùm præerant cum aliis Ecclesiæ gubernandæ: sed ministerium verbi, in templis ordinariè non exercebāt. Alterum eorum, qui præter hoc, laborabant etiam in verbo ac doctrina, vt loquitur Apostolus: De vtroque genere. 1. Timoth. 5.

Illi enim ex sancta plebe, iis verbi & sacramentorum ministris, ad regendam Ecclesiam addebantur. De his diuus Ambrosius in 1. *Tim.* 5. Vnde & Synagoga, & postea Ecclesia, seniores habuit, quorum sine consilio nihil agebatur in Ecclesia, quod qua negligētia, obsoleuerit, nescio: Nisi fortè doctorum desidia, aut magis superbia, dum soli volunt aliquid videri. De iis ante Ambrosium Tertullianus, in Apologetico. Cap. 39. Vt de reliquis Patribus taceam. Horum omnium senatum Presbyterium appellauit Apostolus. 1. Tim. 4.

Ac certè quàm vtiles & necessarij sint huiuscemodi seniores, qui ministris verbi & sacramentorum tanquā coadiutores, & consiliarij adiiciuntur non solùm inde apparet, quòd Spiritus sanctus nihil frustrà nec inutiliter in Ecclesia instituit, sed indè etiam. Primùm, quòd pastores verbi, non soli possunt toti Ecclesiæ inuigilare, & quomodo quisque viuat obseruare, monere, consolari. Tu ipse, Princeps illustrissime, in rebus politicis non agis solus, nec tuo solius iudicio: sed sapientissimos quosque, idque prudentissimè facis, deligis, qui te consilio, & opera iuuent: Imò in singulis etiam pagis, adhibentur prætoribus, in administratione ciuili, consiliatij, & assessores, quantò magis id fieri debet, in gubernatione regni Christi, in quo agitur salus animarum?

Deinde ipsi quoque pastores opus habent correctione: ac plerumque ij solutioris sunt vitæ, quàm reliqui: idque quia non habent, à quibus ex officio corrigantur. Postremo, plerumque fit, vt pastores, vel propter iuuenilem ætatem, vel aliis de causis, parum valeant apud suum populum autoritate: ac proinde illorum admonitiones, non tanti sint ponderis, quanti senioris fortassis alicuius.

Propter has & alias causas, solita semper fuit Ecclesia pastoribus verbi adhibere seniores, viros scilicet graues, & dono gubernandi præditos, qui pastoribus adsint in cura singulorum gerenda, & regenda Christi disciplina. Horum igitur est, vt dixi, ex officio ab Ecclesia sibi imposito, cùm primis obseruare cuiusque mores, & domatim, ac singulatim fratres monere sui officij, & si peccent, corrigere.

Quòd si fratres non resipiscant priuatis horum admonitionibus, ad extremum, officium fuerit totius Presbyterij nomine Ecclesiæ significati, tales accersere fratres, & coram toto cœtu Presbyterorum obiurgare, corrigere, monere. Tertia propositio.

Docet hoc Christus, cùm ait *Quòd si non audierit Ecclesiam &c.* Indicat igitur officium Ecclesiæ esse, tales fratres, qui priuatis vel aliorum fratrum, vel vnius aut alterius Presbyteri admonitionibus emendari non potuerint, monere & corrigere.

In hoc autem cœtu vtile fuerit, si vnus aut alter fuerit, nomine ipsius Magistratus, seu principis Christiani.

Verùm cuius est verbum in templo prædicare: eiusdem etiam est in primis, in ipso Presbyterio, ex verbo Dei monere, & corrigere: vt in rebus omnibus, ordo (vt præcipit Apostolus) seruetur. *Ad alteram quæstionem.*

In quibus casibus necessaria sit excommunicatio. Quæstio secunda & tertia.

Cum hac secunda coniungo, & tertiam, an & qui casus excommunicationis in sacris literis extent.

Resp. Ex iis quæ dicta sunt, ex Matth. 18 De disciplina à Christo instituta liquet principio, vnum esse casum, in quo solo, & propter quem solum meritò quis debeat excommunicari nempe, cùm aliquis, qui in grauia peccata prolapsus, admonitus ab Ecclesia, non vult resipiscere sed in eam, eoque in Christum, cuius nomine, & in eius verbum, ex quo fuit admonitus, est contumax. Sic enim ait Christus: *Si Ecclesiam nō audierit, sit tibi vt Ethnicus & publicanus.* Dico, *Solùm ob hanc causam:* quia nunquam dixit Christus esto tibi vt Ethnicus, etiā si à multis monitus noluit resipiscere, nisi postquā dixit, si non audierit Ecclesiam: Dico meritò: quia, qui contumax est in Ecclesiam, eoque in caput Ecclesiæ, Christū, eiúsque doctrinam: non amplius pertinet ad Christum, & ad corpus Ecclesiæ. Conculcauit enim filium Dei, & eius iugum a se abiecit, & pietatem abnegauit.

Deinde liquet de qua contumacia loquatur Christus, & propter quam aliquis sit excommunicandus: non de illa tantùm, qua quis in falsa duntaxat doctrina, sed qua in quouis scelere pertinax est, & contumax. Non enim dixit, si frater tuus peccauerit in te, in falsa tantùm doctrina: sed generatim, si peccauerit in te: nempe quouis peccati genere te offenderit, & scandalizauerit. Ac proinde luculenter apparet, non tantùm propter pertinaciam in falsa doctrina: sed etiam propter petulaciam, in aliis quoque sceleribus, qui fratres appellantur, esse excommunicandos: Eadem doctrina traditur ab Apostolo 1. Cor. 5. versu 9. vsque ad finem capitis. Extant etiam huiusce rei exempla in scripturis. 1. Cor. 5. De incesto homine. Neque est cur hoc exemplum quis reiiciat, quasi ad excommunicationem non pertineat. Nam & ex contextu euincitur, Apostolum de excommunicatione locutum esse: Et confirmatur interpretatione omnium tam veterum, quàm recentiorum interpretum, tam Helueticorum, quàm Saxonicorum, & Gallicanorum. Item 2. Thess. 3. de illis, qui ἀτάκτως versabantur inter fratres, hoc est, de otiosis, & malè feriatis hominibus: Item ibidem, de illis, qui non obtemperant sermoni Apostolico. Quid etiam aliud est illud, fieri seu eiici extra synagogas, de quo sæpe apud Euangelistas, quàm excommunicari? Sic enim Patres, & inter nos doctissimi quique, inter quos & Musculus, interpretati sunt.

Numer. 12. Maria Mosis soror, quia contra Mosen obloquuta est, Deus eam duplici affecit pœna, lepra, & eiectione extra castra. Hæc fuit excommunicatio. Nec est, vt quis dicat, propter lepram duntaxat, eam fuisse iussam manere extra castra. Ex contextu enim apparet, Deum voluisse peccatū Mariæ, toti populo patefieri hac

ratione,& eam pudefieri, ad resipiscentiam, excommunicatione scilicet ab Ecclesia.

Deinde, si propter lepræ immunditiem, non poterat quis esse in castris: quantò minùs, propter apertam spiritualem,hoc est,peccatorũ immunditiem, in Ecclesia Christi ferendus est?nimirum nisi resipiscat.Huc spectat præceptum.*Deut.23. v.10.* Vbi pollutus pollutione nocturna,iubetur exire extra castra.

Summa: omnes illæ leges de legaliter immundis à populi consortio arcendis,concludũt argumento à comparatis ducto, multò magis è cœtu fidelium, spiritualiter,hoc est, sceleribus, & apertis iniquitatibus immundos,esse arcendos. Si enim immundi erãt,exempli causa,qui nocturno semine contaminabãtur inscij & inuiti,annon igitur fuerit immundus, qui sciens, ac volens scortatur, & in adulterio perseuerat? Illi autem arcebantur extra castra. Habet igitur doctrina hæc de excommunicatione propter pertinaciam in quouis scelere,& aperta scripturarum testimonia, & illustria exempla in vtroque testamento. De patribus non est cur adferam ex illis testimonia, aut ex Ecclesiasticis historiis exempla,quia nemo est, qui hoc inficietur.

Hæretici & scelerati,si accedat pertinacia, à cœna Domini sunt arcendi.

3. Hinc verò necessariò consequitur, non solùm qui sunt malæ,& hæreticæ doctrinæ homines: sed etiã qui sunt sceleratæ vitæ, inque illa pertinaces, à cœna Domini esse arcendos. Si enim hi sunt excommunicandi: sunt igitur à communione fidelium,in omnibus,quę ad cultum Dei pertinent, separandi. cùm nullam ampliùs partem habeant in regno Christi.

Hoc verò infinitis rationibus confirmari abundè potest: sed in præsentia contentus fuero illis, quæ apertè deducuntur,partim ex loco Matth.18. Vbi de disciplina & excommunicatione disseritur: partim ex duobus Apostoli locis,vbi de cœna agitur,nempè 1.Cor.10. & 11.

1. Primum igitur argumentum Matt.18. Contumaces in Ecclesia, habendi sunt pro Ethnicis & publicanis.Vt igitur Ethnici aut publicani ad mensam Domini admitti non possunt:sic neque etiam in manifestis peccatis pertinaces.

2. Secundum.1.*Cor.*10.Vnum corpus, inquit multi sumus: omnes enim de vno pane, & de vno calice participamus. Docet apertè, ad illos tantum pertinere, participare de vno pane,& de vno calice Domini, qui de corpore sunt Ecclesiæ, eóque vera Christi membra. At tales de quibus quæstio est,non sunt amplius de corpore Ecclesiæ & vera Christi membra.

3. Tertium. *Non potestis bibere calicem Domini, & calicem dæmoniorum.* Argumentum est à repugnantibus, Qui communionem habent cum Dæmoniis: κοινωνίαν cum Christo vero Deo habere non possunt. *quæ enim conuentio Christo,cum Belial?* 2.Cor.6.Qui autem participant mensæ dæmoniorum κοινωνίαν habent & colunt cum dæmoniis: sicut qui cœnam Domini dignè percipiunt, κοινωνίαν habent cum Christo. Ergò non potestis bibere poculum Domini: & poculum demoniorum.

Hinc verò efficitur,ad Cœnam Domini admittẽdos non esse,qui communionem habent cum dæmoniis, & eorum sunt mancipia: quales sunt omnes impœnitentes Sic autem ex hoc loco argumentatus est Cyprianus, non esse admittendos ad Cœnam Domini, qui sacrificarunt idolis, nisi resipiscentiæ signa edant: quia non possit quis esse particeps mensæ Domini, & mensæ Dæmoniorum.

Sermone de lapsis: 5.

4. Quartum,*An prouocamus ad iram Dominum.* Docet primum, Non esse prouocandum ad iram Dominũ. Deinde docet eum prouocari, cùm accedunt ad mensam Domini, illi qui communionem habent cum Dæmoniis,vti habent omnes impœnitentes,& præfracti in sceleribus. Hoc est quod etiam ait infrà, eos sibi iudicium manducare,qui indignè manducant.

5. Quintũ,1.Cor.11. Quum reprehẽdisset Corinthios, quod Cœnam Domini suis odiis & schismatis profanarent, mox intulit:*Itaque cum conuenitis in vnum*(nempe hoc modo,vt facitis, eum odiis & schismatis ad Cœnam Domini) *non est,* (alij non licet) *Cœnam Dominicam manducare.* Vt vt quis legat,docet apertè,rem esse pessimam, quòd illi ad mensam Domini admittantur, qui alũt inter se dissidia,& odia,ac sectas. Rationes autem subdit,ab institutione Cœnæ Dominicæ,ductas:Ac primùm quidem ab illis, quibus Christus Cœnã ministrauit,hoc est,à discipulis Christi. Dominus Iesus, suos tantùm discipulos cœnã illa sua sacra excepit, illisque solis panem dedit,dicẽs: Edite, hoc est corpus meũ.Atqui illi non sunt discipuli Christi, qui non colunt inter se charitatem,sed schismata,vt vos ô Corinthij.Nã charitas viuum est testimonium, quòd quis sit discipulus Christi. Ioh.13. In hoc cognoscent homines, quod mei sitis discipuli,si habueritis dilectionem ad inuicem.Ergo,quum conuenitis in vnum (nempe istis odiis dissecti:)non licet Dominicam cœnam edere. Notandus est diligenter scopus Apostoli in hac obiurgatione, & perpendendum quò spectent hæ rationes à cœnæ institutione deductæ: & tum apparebit, nihil minùs voluisse Apostolum, quàm vt permittantur homines malæ vitæ, & mali exempli, ad mensam Domini accedere. Sequuntur igitur alia argumenta.

6. Sextum argumentum, *Accipite, & edite: hoc est, corpus meum,quod pro vobis datur.* Docet apertè,non esse dandam Cœnam, nisi illis, pro quibus mortuus est Christus. Atqui non est mortuus pro perseuerantibus in peccatis Ij enim qui ita perseuerant, dant signum,se esse è reprobis. Est autem mortuus pro electis duntaxat.

7. Septimum, *Bibite. Hic est sanguis,&c.qui effunditur in remissionem peccatorum.&c.* Quibus condonata sunt peccata,vi sanguinis Christi, iis etiam duntaxat est poculum Domini bibendum. Proinde non nisi baptizati admittuntur,quòd iis confidamus cõdonata esse peccata, nisi manifesta impietatis & infidelitatis signa præbeant. Atqui non sunt condonata iis,qui in peccatis scientes & volentes perseuerant. Nam sine pœnitentia non habetur remissio peccatorum.

8. Octauum, *Hoc facite in mei commemorationem:* quòd scilicet pro vobis dederim corpus in mortem, atque ita vos redemerim à peccatis & à morte, & reconciliauerim patri. Illis igitur duntaxat præbenda est cœna qui huic præcepto velint obtemperare, atque vera fide recordari Christi,& credere se per Christum esse redemptos.Scelerati & impœnitentes, non credunt. Fides enim non est sine pœnitentia, & efficax est per charitatem.Subdit Apostolus.

9. Nonum, *Quoties enim ederitis panem hunc, & calicem biberitis: mortem Domini annuntiabitis,donec veniat:* mortem scilicet per quam reconciliati sumus Deo. Docet:cœnam,quia in ea prædicatur & repręsentatur mors Christi, esse mysterium reconciliationis per Christum factæ: ac proinde non pertinere ad illos,qui huius reconciliationis participes non sunt. Quomodo autem reconciliati sunt Deo per Christum, qui contumaces sunt in Ecclesiam, & cum illa nondum reconciliati? Certè Christus apertè dixit: Quæcunque ligaueritis in terra, erunt ligata etiam in cœlo. Nemo igitur putet se reconciliatum esse Deo, qui contumax est in Ecclesiam,& doctrinam ac præcepta Christi,ac proinde, qui ligatus est in terris. Quare hoc genus hominum arcendum est à Cœna, vtpote ad quos illa non pertinet.

10. Decimum, *Itaque quisquis ederit panem hunc, & biberit Calicem Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini.* Primò concludit Corinthios,si in illis peccatis perseuerent,de quibus antè,& ita accedant ad Cœnã,indignè mãducare.Secũdò inde refert,eos hac ratione grauissimè in Christũ peccare: perinde ac si eũ crucifigerent. Apostoli igitur doctrina hæc est: iis tantùm esse dandam cœnam,qui dignè accedunt: non autem iis, qui indignè. Hi enim crucifigunt Christum, quantum in ipsis est.Quis autem verus Christi discipulus,sciens ac volens,det Christum crucifigendum.

11. Vndecimum: *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat,* &c. Requirit resipiscentiam ab iis, qui volunt accedere, A quibusnam peccatis resipiscentiam? ab omnibus,etiam ab illis,quæ sunt contra charitatem, qualia erant peccata Corinthiorum, de quibus suprà. Docet igitur,Cœnam non esse edendam ab illis, qui non se probant,hoc est,qui non se emendant,& resipiscunt. Si autem tales non debent accedere ad mensam Domini, qui se non probant: Ergo quos nouit Ecclesia,non se probasse, hoc est, resipuisse, his non debet cœnam exhibere. Eadem enim est causa,cur hæc non debeat dare,propter quam & illi non debent accedere, nempe horum impœnitentia.Si enim peccat grauissime qui edit indignè,hoc est, sine resipiscentia, quia reus fit corporis & sanguinis Domini:Ergo & qui dat sciens ac volẽs ei,quem nouit indignè accedere,cõmunicat illius iniquitati, sicut etiam qui Aue dicit homini hæretico, communicat operibus eius malis, vt ait D.Ioha.epist.2. Deinde quod dico,confirmatur ex iis quæ sequuntur.

12. Duo-

Duodecimum, *Qui enim manducat indignè, iudicium sibi manducat:* Hinc licet arguere: Charitas postulat, vt si quem videas velle sibi iudicium edere, & ita seipsum perdere; eum arceas à tali actione. Vt si quis velit se pugione transfodere, & possis impedire, si non impedias, an non contra charitatem grauissimè peccaueris. Certè aliter docet Iudas in epistola: versu. 23. Iubet enim nos dare operam, vt fratres ex flammis eripiamus. Atqui illi edunt iudicium, & in flammas iræ Dei sese coniiciunt, qui edunt indignè, hoc est, perseuerantes in peccatis. Egregiam igitur charitatem, quam obtendunt illi, qui sentiunt neminem esse arcendum, vt non priuetur tanto bono. At Apostolus docet hoc, quod ex se bonum est, illis, qui indignè accedunt, esse malum, & perniciosum, quia iudicium sibi edunt. Huc spectāt omnia quæ in contextu Apostoli, ad finem vsque sequuntur. Hanc autem indignitatem, de qua loquitur, & propter quam dicit Corinthios iudicium sibi edere, consistere non tam in infidelitate, quàm etiam in peccatis contra proximum, liquet ex conclusione Apostoli: Vers. 33. *Itaque fratres quum conuenitis ad vescendum, alius alium exspectate.*

I. Exceptio. Quod si quis excipiat. At Apostolus ait, *probet seipsum homo:* non autem, probent eum alij.

Resp. Primò de secretis conscientiæ loquitur Apostolus. Quis autem nostrûm dicit, alterius conscientiam nobis esse probandam? De manifesta indignitate, impœnitentia, peruicacia loquimur. Secundò, Imò ex hac particula optimè sequitur, esse arcendos palam impœnitentes. Vult enim vt examinemus nos, ac resipiscamus. & sic tum de pane edamus. Ergò quos constat palam esse impœnitentes, vult eos non admitti ad edendum, ne si edant, sibi iudicium edant.

II. Exceptio. At accedendo, dant signum resipiscentiæ?

Responsio. Quasi verò non accedant etiam hypocritæ.

Cur igitur Apostolus reprehendit Corinthios, quòd accederent indignè: potuissent & ipsi ita excipere: imò, ô Paule, ex eo quòd accedimus ad cœnam Domini, debes colligere nos accedere cum resipiscētia. Cur etiam Deus per Iesaiam Cap. 1. arcet à se hypocritas, & iubet ne offerant sibi sacrificia, esse illa sibi abominationi, propterea quòd manus ipsorum plenæ sint sanguine? potuissent & illi sic excipere Prophetæ: imò ex eo, quod accedimus & offerimus sacrificia intelligere & prędicare deberes, nostras manus non esse amplius plenas sanguine. Quis enim audeat sacrificia Deo offerre sine resipiscentia?

III. Exceptio. At Christus Iudæ dedit cœnam.

Resp. Primum hoc non possum dare licet magni viri aliter sentiant. Nam constat, Dominum Iesum nō priùs suam instituisse cœnam, quàm legalē de paschate absoluisset. Ioan. autem c. 13. ait Iudam, postea quam à Domino Iesu offulam, intinctam (in catino, vbi agnus assus erat) accepisset: εὐθέως, hoc est, Statim exiuisse, Si statim exiuit, nondum absoluta legali cœna: quomodo interfuit cœnæ Dominicæ, quæ illam consecuta est?

Deinde, etiamsi darem, Christum dedisse Iudæ de pane & vino nouæ cœnæ: non inde tamen sequeretur, huiuscemodi scelerosos, & palàm pertinaces in suis sceleribus homines, ad cœnam Domini, nobis esse admittēdos. Peccatum enim Iudæ, ipsi duntaxat soli Christo perspectum erat, vtpote cordium scrutatori. Nos quoque huiuscemodi homines arcendos nos esse docemus. At quorum peccata sunt omnibus nota, & quorum etiam pertinacia nemini est ignota: hos ex verbo Dei, cum tota vetustate, & doctissimis quibusque nostri seculi, contendimus, ad cœnam Domini minimè esse admittendos.

Postremò, si ab exemplo Domini nostri, qui non homo tantùm vt nos sumus, sed verus erat & est Deus, licet argumentari, ideo admittendos esse ad cœnam Domini sceleratos quosque, quia etiam Dominus admisit Iudam: sic etiam licebit concludere, ideò etiam improbos, & perfidos, & auaros ad ministerium admitti posse, quia Christus ipsum Iudam, reprobum, filium diaboli, perfidum, auarum, & quem præuidebat futurum proditorem, ad Apostolatum elegit, vocauit, assumpsit.

Summa, de arcendis à cœna, impiis. Summa: Non est benè factum, quod palàm facinorosi, & impœnitentes, contumaces in Ecclesiam homines, accedere permittantur ad cœnam Domini.

1. Primò, quia Deo displicet, & contra eius fit volun-

tatem Ies. 1. 1. Cor. 11. Item 10.

2. Secundò, quia contaminant, seu profanant sacramenta Aggæi 2. Ideò inde vers. 12. Vocantur maculę τῶν ἀγάπων fidelium seu Cœnæ Dominicæ.

3. Tertiò, quia Ecclesiæ adfert damnum, & infamię notam inurit. Damnum, quia multi, dum vident admitti etiam scelerosos, & palàm impœnitentes: non metuunt etiam ipsi peccare, & in peccatis perseuerare. Contrà iubet Apostolus primò ad Corinthios quinto: Iubet enim vnum separari ab Ecclesia, ne modicum fermentum totam massam corrumpat. & 1. Timoth. 5. Seniores publicè peccantes iubet acerrimè omnium argui. *Vt cæteri quoque* (inquit) *timorem habeant.* Infamiam verò: quia inter gentes & idololatras, malè audit Ecclesia, hac de causa, & blasphematur nomen Dei nostri, quasi verò ipse Deus & Ecclesia, pro suis agnoscant, publicos scortatores, blasphemos, ganeones. Huc illud. 1 Cor. 5. Auditur talis fornicatio inter vos, qualis nec inter gentes. Huiusce scandali euitandi causa, insistit Apostolus incestum tolli è medio Ecclesiæ, per excommunicationem.

4. Quartò, quia est illi, qui ad cœnam accedit, perniciosum, & animæ & corpori. Animæ, quia hoc pacto fit securior, & securè peccat, cùm non metuat excommunicationem. Contrà, vult Paulus hosce excommunicari vt non discant non blasphemare, item, vt Spiritus saluus fiat. Item, Christus ostendit finem excommunicationis esse salutem fratris. Corpori etiam, quia multis solet Deus afficere calamitatibus eos, qui indignè sumunt cœnam Domini. 1. Cor. 11. 1. Cor. 5.

Hæc omnia è scripturis, multò plura alia adituri, si hæc non fuerint satis. Hanc eandem fuisse totius vetustatis doctrinam, etsi nemo est, qui neget, vsque adeò perspecta est veritas: tamen liceat vnum aut alterum adferre testimonium. De patribus.

Iustinus Martyr. qui floruit in Ecclesia post Iesum Christum anno circiter 150. ac proinde cui benè perspecta erat Apostolica doctrina & consuetudo, sic in Apologia, quam habuit ad Antonium Imperatorem pro Christianis, scribit etiam de hac re, in hæc verba: Hoc autem alimentum (*de Cœna loquitur*) apud nos vocatur Eucharistia, ad quod nemo admittitur, nisi qui credit veram esse nostram doctrinam: ablutus regenerationis lauacro, in remissionem peccatorum: Et sic viuens, vt Christus docuit. Ecce, illustrissime princeps, quę fuerit Apostolica in Ecclesiis circa hanc Cœnæ Dominicæ participationem, consuetudo. Testis 1.

Cyprianus sermone de lapsis quinto: pag. 221. in eos inuehitur, qui temerè cœnam Domini præbent lapsis, qui nondum resipiscentiæ significationem dederunt Ecclesiæ. Item epistolarum libro quarto, epistola secunda: Docet non facilè cœnam cuique esse communicandam. Testis 2.

Sed ne sim nimis prolixus, vnum audiamus Chrysostomum, Tomo secundo in commentariis in Matthæum in capite vigesimo sexto, Homilia 83. columna 670. D.

Summa, primò monet Symmistas, ne Eucharistiam præbeant indignis: posteà concludit in hæc verba: *Si dux igitur quispiam, si consul ipse, si quis diademate ornatur, indignè adeat: cohibe ac coerce, maiorem tu illo habes potestatem.* mox subdit simile egregium. *Si limpidissimus aqua fons vt intactum gregi seruares, tibi commissus esset, cùm pedulcos sues, ac sordidissimos venire aspiceres, non patereris in fluenta illos insilere, nec fontem ab iis perturbari: Nunc verò cùm non aqua, sed sanguinis & Spiritus, sacratissimus fons commissus tibi sit: si peccatis inquinatissimos videbis accedere homines, non indignaberis, neque contristaberis? Et quam veniam huius contemptus consequeris?*

Secundò dubitationem proponit: *sed vnde* (inquit) *ego illum atque illum, qualis sit, cognoscere possum?* Ad hāc respondet: *Non de ignotis, sed de notis ego hæc dispute.* Et statim subdit: *Multò peius esse, si peccator sordibus pollutus ad mēsam Domini accedat, quā si dæmoniacus. Nihil enim esse peius, quàm Christū conculcare, & sanguinē testamēti ducere cōmunem, & spiritus gratiā contēnere.* Posteā concludit adhortationē in hæc verba: *Omnes igitur simpliciter pellamus, quos indignè accedere videmus:* nullus cōmunicet, nisi ex discipulis sit: nullus impuro animo, sicut *Iudas panem assumat, ne similia patiatur.* Et paulò post dicit, *illos qui panē præbent indignis gladium acutū*

(quo scilicet se iugulent: quia iudicium sibi edunt *propane prabere*.

Tertio de se sic protestatur: *Ego nō permittam ista fieri, animam prius tradam meam, quam Dominicum alicui corpus indigno: sanguinémque meum effundi potius patiar, quàm sacratissimum illum sanguinem, præterquā digno concedam*: hæc ille.

Similia reperiuntur & apud alios patres. Hinc fiebat, vt illis temporibus, Diaconi deambulantes per templū, diligenter obseruarent, ne quis indignus ad mensam Domini accederet, vt idem Chrysostomus testatur. Ita apparet, quæ fuit doctrina veteris Ecclesiæ, de officio ministrorum, erga illos, qui indignè accedunt ad mensam Domini, sordibus polluti. Omnes esse eiiciendos, ac ne regibus quidem ipsis, parcendum esse. Quare qui flagellant D. Ambrosium, quia Theodosium expulit: flagellent, etiam Chrysostomum, & reliquos patres omnes, imò etiam plerosque omnes nostri temporis doctores: Lutherum, Bucerum, & reliquos. Quid hos dico? Crucifigant etiam Azariam Pontificem cum omnibus, qui cum eo erant, sacerdotibus, propterea quod Oziam Regem è sanctuario exire iusserant, quòd sibi Pontificis officium vsurparet. 2. Par. 26.

Vsus excommunicationis. Etsi verò omninò reuocandus est in Ecclesiam vsus excommunicationis: nunquam tamen temerè & vnius aut quorundam arbitrio exerceri illa potest aut debet: sed vt & graues sint causæ, propter quas aliquis sit excommunicandus: & vt hæc diligenter cognoscantur, & vt omnia alia mitiora remedia tententur, antequam ad excommunicationem veniatur: & cum etiam cogimur vti extremo excommunicationis remedio: vt consensus accedat Ecclesiæ atque in primis Magistratus Christiani, necessè est. 1. Cor. 5. Hunc autem totius Ecclesiæ requiri cōsensum, præter ea quæ scripsit Apostolus ad Corinth. hinc etiam manifestum fit, quoniam omnis potestas, quæ à Christo in Ecclesia relicta est, tradita est non vni aut alteri, vel etiam multis hominibus, sed toti Ecclesiæ. Pij autem Magistratus est curare, vt illa seruetur, & ad ædificationem non ad destructionem exerceatur.

A disciplina neminem eximi. Ab hac autem disciplina nemo eximitur, quicunque ille sit, siue senior, siue pastor, siue supremus Magistratus, nisi velint e numero fratrum eóque filiorum Dei eximi. Proindè meri adulatores fuerunt, qui Pontificem Romanum contenderunt, non posse vlla de causa excōmunicari. Aduersus quos memini quendam in Italia acutè simul & falsè sic argumentatum fuisse, ex Matth. cap. 18. Papa aut frater noster est, aut non est. Si est, potest igitur corrigi cùm peccat, &, si non audiat Ecclesiam se corrigentem, excommunicari, iuxta illud Christi, *Si frater peccauerit, &c.* Si vero non est frater noster: non est igitur filius Dei, ac proinde nec Vicarius Christi: neque potest eundem patrem nobiscum inuocare. Nemo igitur se potest à Disciplina Christi eximere, qui velit esse Christianus & Christo subiectus. Christus enim præest disciplinæ. Proinde nullum vnquam legi Principem, quamuis potentissimū, quin sese Christianæ Disciplinæ subiiceret, detrectasse: quoniam hoc nihil aliud foret, quàm detrectare sese Christo subiicere.

Exemplo igitur omnibus principibus sunto Theodosius ille Imperator & Valentinianus primus. De quorum altero Theodoretus in Ecclesiastica historia lib. 5. cap. 18. De altero autem idem lib. 4. cap. 5. cuius Valetiniani hæc etiam sunt verba, in oratione quam ad Episcopos habuit de eligēdo nouo Episcopo Ecclesiæ Mediolanensis. *Proindè, inquit, & hoc tempore eum collocate in Pontificali solio, cui nos quoque imperij moderatores nostra subdamus sincerè capita: cuiusque reprehensiones (cùm enim homines simus, & offendere necessè est) tanquam medicinæ curam libenter admittamus.*

Propter quæ peccata quis possit excommunicari. De quouis etiam peccato, siue in primam, siue in secundam tabulam admisso, posse fratres corrigi, & nisi resipiscāt excommunicari, ex eodem liquet loco Matt. 18. In genere enim dixit Christus. Si peccauerit in te frater tuus, &c. Hoc autem totum & solum in se peccati, ducunt Christiani, quod in legem Dei peccatur.

Ad quartam petitionem.

Quia verò T. C. etiam in genere petiit, vt si qua alia ratione promoueri possit ædificatio Ecclesiæ, illam explicem: dicam hic breuiter, quid mihi operæpretium videatur, & dicam non de omnibus, sed tantùm de præcipuis quibusdam capitibus: neque enim omnia in præsentia dici possunt.

Curandum est primo loco, vt in tuis Ecclesiis, Princeps Illustrissime, non iam doctos, quàm pios, honestos & prudentes habeas verbi ministros, quibus cordi sit & curæ Ecclesiarum salus & gloria Dei. Canon de pastoribus extat apud Apostolum 1. ad Timoth. 3. & ad Titum 1. 1. Cap.

Danda est etiam opera, vt in singulis oppidis & pagis adhibeantur pastoribus Ecclesiarum, coadiutores aliquot, viri pij, honesti, graues, amantes Dei, & studiosi vitæ Christianæ, qui in regenda Ecclesia adsint pastoribus. 2. Cap.

Horum alij censores sint morum & vitæ, tàm suorum pastorum eorúmque familiarium, quàm aliorum omnium. Vigilent ne lupi & malæ doctrinæ homines corrumpant Ecclesiam. Corripiant peccantes, sed in Spiritu lenitatis: Singulos stimulent ad honestè viuendum: componant dissidia: concilient fratres, tollant offendicula: Denique instar patrum familiâs, procurationem suscipiant Ecclesiæ.

Alij curam habeant cum primis pauperum: Eleemosynas colligant, seruent, dispensent. Adsint pastori in administratione sacramentorum, & in inuisendis ac consolandis ægrotis: Curent templa, & alia quæ sui sunt muneris perficiant. Horum officium describitur Act. 6. Rom. 12. Illos Scriptura & tota antiquitas solita fuit appellare presbyteros seu seniores & gubernatores: hos verò Diaconos.

Quales eligendi sint abundè docetur in Epistolis Pauli præsertim in epistolis ad Tim. & Tit.

De modo autem qui seruandus sit in horum electione & ordinatione non est quod multa dicam, præsertim cùm rerum & consuetudinum regionis imperitus sim: illud certo scio ex Scripturis, solitos fuisse eligi tum pastores tum seniores & diaconos ab Ecclesia, confirmantibus deinde electionem Apostolis, vt in actis Apostolorum videre est. Nunc confirmatio ad pios Magistratus pertinet. Scio etiam in horum ordinatione vsurpatam fuisse ab Apostolis manuum impositionem, quam certè ceremoniam optarim in Ecclesiam reuocari. Quod reliqua attinet, quæ in horum electione & ordinatione seruanda sunt, deliberandum fuerit inter viros pios, ac doctos & prudentes, quid fuerit operæpretium, & magis commodum.

Synodi restituantur iuxta antiquam & Apostolicam 3. Cap. consuetudinem, vt saltem semel in anno, si non sæpius, habeantur: vt in iis ex communi pastorum, & aliorum consensu, de rebus ad salutem & conseruationem Ecclesiarum pertinentibus, deliberetur.

Visitatio quoque Ecclesiarum minimè est negligenda. Debes igitur, Illustrissime princeps, si non ipse per 4. Cap. te, saltem per alios tuo nomine, adhibitis theologis & aliis prudentibus ac peritis viris, Ecclesias quotannis inuisere: & quomodo se gerant tam pastores, quàm reliquus populus, in doctrina & in moribus diligenter cognoscere, & prudenter corrigere.

Hæc capita sunt generalia, & cumprimis necessaria. Atque hæc sunt quæ habui in præsentia dicere ad propositas mihi à Tua Celsitudine quæstiones: plura dicturus cùm Tua Celsitudo iusserit.

Quòd si quispiam mihi obiiciat, quæ dixi de excommunicatione seu de disciplina Ecclesiastica, ea me ferè ex locis nempe Matt. capite decimo octauo, & 1. ad Corinthios capite quinto, perperam hactenus intellectis, & explicatis deduxisse: huic ego respondeo, me neque habere tantùm ingenij, vt possim meliorem illorum locorum interpretationem videre: neque etiam tantùm animi, vt audeam, me tot tantorúmque patrum, tam veterum quàm recentiorum, opponere interpretationi: & doctrinæ iam inde ab initio receptæ, pérque omnia secula hucusque in Ecclesiis continuatæ, contradicere, doctrinæ, inquam, quæ ad corrigenda scelera, tollenda mala, sanandos fratres, conseruandam Ecclesiam, retinendos omnes in officio, tradita est, quæ denique ad nihil aliud spectat, quàm ad finem Euangelij Domini nostri Iesu Christi in hoc mundo consequendum. Is autem est, vt abnegata impietate & secularibus desideriis sobriè, iustè & piè viuamus in hoc seculo: exspectantes beatam spem & aduentum gloriæ magni Dei & Seruatoris nostri Iesu Christi. Fruantur ergò alij, vt voluerint nouis, & acutè excogitatis interpretationibus atque

doctri-

doctrinis: Ego in veteri crassáque doctrina, quæ ad salutem faciat, & ad gloriam Dei, acquiescam & immoriar, vt confido, Dei beneficio & gratia Domini mei Iesu Christi, & sic omnibus vt faciant consulo. Nam quod quidam abutantur disciplina, non ego propterea illam damnauero.

Dominus Iesus Christus te, Illustrissime princeps, diu nobis incolumem seruet: & in regendis suis populis reformandísque ad perfectum Euangelij canonem Ecclesiis, suo spiritu sapientiæ, fortitudinis, & consilij regat. Amen. Octobris die vlt. Anno, 1569.

DE REFORMATIONE Ecclesiarum.

in ea verba Ies. cap. 1.
Et expurgabo ad liquidum scorias tuas, &c.

QVIS *reformat Ecclesiam?* Deus ipse. Nullus est, qui tam possit reformare, nisi Deus conuertat manum. Ideo ait, *Ego conuertam manum. Ego expurgabo.* Non ergo Papa est ille, qui reformat Ecclesias.

II. *Quando reformabitur Ecclesia?* Tempore oportuno, quod quidem à nobis ignoratur, Deus solus nouit hoc. Actorum capite primo. *Non est vestrûm nosse tempora.* Ideo ait in futuro, *Expurgabo,* cùm scilicet erit tēpus. Vnicuique rei statuta & decreta est sua hora. Non ergo Papæ licet certum constituere tempus ad reformationem Ecclesiarum.

III. *Qualis est reformatio Ecclesiæ,* quam facit Deus, purissima & sincerissima, quæ fit non in oculis hominū duntaxat, sed intus in animis ipsis. Ideo ait, *ad liquidum & purissimè.* Reformationes igitur Ecclesiæ, quas facit Papa, cùm sint tantùm in ceremoniis, reipsa declarant non esse à Deo, sed ab hypocritis.

IV. *Quomodo reformatur Ecclesia?* dum auferuntur scoriæ, & stanna, id est primùm impij. deinde falsæ doctrinæ, praui mores, falsi cultus: denique quicquid non est secundum verbum Dei. Ideo ait, *Purgabo scorias,* id est, argentum à scoriis, auferam omnia stanna tua. Omnia autem illa: quæ non sunt secundùm verbum Dei, sunt stanna.

V. *Vnde primùm inchoanda est reformatio Ecclesiæ?* à Principibus, ab illis, qui primas tenent in Ecclesia. Ideo ait primò, Restituam iudices tuos, vt erant in principio, *Deinde,* Tunc dicetur tibi ciuitas iustitiæ, ciuitas fidelis. Et iure: Quia enim nihil peius malo principe, ideo ab eis primùm reformatio fieri debet. Ideo Papa, qui primum in Ecclesia Romana tenet locum, imprimis reformandus est. Hinc patet ratio, cur Ecclesia illa Romana non possit reformari, quia caput, vnde tota pestis in plebem fluit non reformatur, nec vult reformari. Adde, neque vnquam poterit reformari nisi accendatur ignis iræ Dei contra Ecclesiam suam, & Pontificem illum. Nam igne fit hæc reformatio. Et certè, quotiescunque Deus voluit reformare Ecclesias: primùm misit bonos principes & malos abstulit. Patet id in Ecclesia Israelitica. Contrà cùm voluit perdere vrbem & Ecclesiam, misit malos principes. Obseruandum ergo, cùm mittit bonos principes, signum esse, quòd velit reformare Ecclesiam, cùm dat malos, velit eam punire.

VI. In reformatione Ecclesiæ necesse est, vt non solùm principes restituantur, sicut erant ab initio, sed etiam omnia alia, sicut erant ab initio, quando scilicet instituta fuit Ecclesia. Ideò ait, *Restituam principes, sicut erant ab initio, & consiliarios, vt erant initiò.* Obseruanda est hæc particula, *sicut ante, sicut ab initio.* Ergo restituantur oportet sacramenta, sicut erant ab initio. Ab initio autem erant tantùm duo, Baptismus & Cœna. Item restituantur ceremoniæ, sicut erant ab initio. Atqui ab initio non erant statuæ in templis. Item Episcopi & Presbyteri vxores habebant. Ergo restituantur omnia, sicut erant ab initio. Tunc vbi restituta fuerint omnia, sicut erant ab initio, poterit dici Ecclesia, ciuitas iustitiæ.

VII. *Quibus in reb. cōsistit reformatio Ecclesiæ?* Primùm in religione. in cultu: deinde in morib. In ambob. op⁹ est reformatione. Ideò ait, *Tūc dicetur ciuitas iustitiæ,* quoad mores, quibus versamur cū proximo: *& vrbs fidelis,* quoad fidem & religionem cum Deo Atq. ita est reformanda in vtroque, vt omnib perspicuū esse possit, quòd sit reformata, i. ita debet religio perspicue in pristinum statū esse restituta, & mores ita perspicuè reformari, vt ab omnibus agnoscatur hæc reformatio. Ideò ait, Tunc dicetur, non solum erit. Ideò mentiuntur illæ Ecclesiæ, quæ se dicunt esse reformatas, cùm adhuc retineant aliquid Papismi, ita vt non possint verè dici ciuitas fidelis.

VIII. *Qua ratione fieri debet hac reformatio? In iudicio & iustitia,* id est, ita vt puniantur scelerati, abdicentur Episcopatibus Episcopi indocti ac scelerati. hoc est iudiciū: substituantur viri docti & pij hæc est iustitia: Ideò ait, Redimetur in iudicio & iustitia. Interim opus est igne. Ideo vtitur verbo excoctionis, quā argentum igne excoquitur, & purgatur à scoriis Vsque adeo enim tenaciter superstitiones & abusus, & voluptates inhærent Ecclesiæ. vt ab ea auelli nequeant, nisi igne. Ob hanc causam Deus reformaturus Ecclesias, solitus est accendere ignem in fornace, & ibi Ecclesiam excoquere, vt ex sequentibus exemplis patet.

Cùm vniuersa Ecclesia esset corrupta tempore Noë, omnis quippe caro corruperat viam suam, accendit fornacem, missis aquis diluuij, atque ita purgauit Ecclesiam, combustis scoriis, id est, impiis & purificato auro, Noha iusto, cum sua familia.

Cùm iterum vniuersa Ecclesia Iudaica, argentum nimirum illud versum esset in scoriam, tempore Abrahæ & Lothi, iterum accendit fornacem, & misso igne de cœlo super Sodomæ vrbes, combussit scorias & aurum Lothum cum suis purificauit.

Cùm argentum hoc rursus esset obductum scoriis tempore Iosephi, accendit Deus iterum ignem multarum tribulationum in Ægypti fornace, & ibi per annos 430. concoxit argentum. Item in deserto sæpiùs.

Quoties accendit hanc fornacem sub iudicibus, cū populus à iudicibus regeretur? Deinde, quoties sub regibus? Maximè verò fornacem hanc accendit in Babylone, cùm eo captiuum populum duxit, ibíque per annos 70. excoxit. Ita Ecclesia à scoriis purgata fuit, & reddit aurum & argentum purum in Hierusalem.

Iam venio ad Christum. Purgaturus Ecclesiam ait, *veni mittere ignem & quid volo, nisi vt ardeat?* Cùm tota Ecclesia iterum in scoriam versa esset, & vellet eā purgare Deus, accendit fornacem per Romanos, & excocto auro, scorias combussit.

Postremò hanc fornacem maximè accendet in fine seculi, quando veniet in igne Dominus iudicatū viuos & mortuos. Tunc perfectissime excoquet aurum & argentum ab omnibus scoriis, mittet Angelos qui separabunt malos de medio iustorum. Item, ipsi iusti purgabuntur à scoriis suis, à corruptione carnis, & remanebunt purissimum aurum. Item, *oportet corruptibile hoc induere incorruptionem.* Item *seminatur in ignominia, surget in gloria.* Maximus campus hic patet exspaciandi sed hæc exempla satis sunto. Manet ergo firmum, quòd cùm Deus vult Ecclesiam purgare, accendit fornacem & ignem tribulationum, & hac ratione eam purgat à scoriis. Neque enim aliā ratione videtur purgari posse ab iis scoriis, quæ tam tenaciter illi inhærent, nisi igne.

Ita nos singuli videmûr ab impietate nostra purgari non posse, nisi igne tribulationum. In rebus enim secundis obliuiscimur Dei, accenditur ignis concupiscentiæ, & ignis amoris Dei extinguitur: in aduersis verò cogimur meminisse Dei, ad eúmque confugere, deferuet ignis concupiscentiæ, accenditur ignis amoris Dei. Vnde alibi Esaias ait: *Vexatio dat intellectum.* Deus igitur nos purgaturus, cogitur fornacem accendere, in eā nos proiicere, nos ibi excoquere igne exilij, inopiæ, ægritudinum, & diuersarum calamitatum. Huc accedit, quòd scoriæ nostræ, iniquitates, amor mundi, tenacissimè inhærent carni nostræ, ita vt auelli à nobis nequeant nisi igne. Ergo iure Deus nos excoquit igne tribulationum.

Quare, quotiescunque videmus Deum Ecclesiæ suæ calamitates immittere, dicamus Deum accēdere fornacem & ignem, vt Ecclesiam suam excoquat & purget à scoriis, anteuertamus nos iudicium Dei, & corrigamus nos ipsos, ne igne à Deo excoquamur.

DE PROMISSIONIBVS DIVINIS,

in 1. vers. cap. 2. Ies. *Verbum quod vidit &c.*

IN more hoc semper habuit Deus, vt suas præsertim de æterna, cùm singulorum, tùm Ecclesiæ totius, salute

promissiones, additis vel visionibus (vt hîc) vel miraculis, vel signis, vel sacramentis, vel aliquâ aliâ re, ceu proprio sigillo obsignarit.

Gen. 3. salutem promittit Adæ, dicendo, *Semen mulieris conteret caput serpentis*, quæ quidem promissio, fons omnium promissionum fuit. Addit sigillum, quo eam obsignet, dum iubet serpenti, vt semper in vētre ambulet, atque humi serpat: & dum facit, vt mulier, licet cum dolore, pariat tamen filios, vocetúrque mater viuentiū: vbi certè hominum resurrectio præfigurata fuit, & figuratum, quòd, etsi cum cruce, vitam tamen habiturū esset genus humanum. & dum iubet, vt terra, etsi non sine hominis sudore, culta tamen, fructus homini ad vitam sustentandam perpetuò pariat. Dum enim hæc omnia videmus serpentem super pectus gradientem: fœminā filios in dolore parientem: terram hominis labore cultam fructus proferētem: recordari debemus promissionis illius, quâ salutem nobis promisit Deus in Christo, abolitionem peccati & mortis, resurrectionem, & vitam æternam: En promissionem multis sigillis obsignatam!

Gen. 9. Promittit Nohæ minimè se posthac aquis diluuij perditurum genus humanum: addit sigillum Iridis, quo promissionem obsignat, dum ait, *Hoc erit signū fœderis, Arcum meum ponam in nubibus.*

Gen. 15. Promittit Abrahæ, se daturum numerosam prolem, quæ sit eius hæres: addit visionem, dum ei foras educto, cœlorum stellas ostendit, dicendo: Numera, si potes, &c. Sic erit semen tuum, id est, proles tua erit numerosissima. Item promissionem illam, quòd esset ei daturus post 430. annos, terram Chanaam, obsignat signo animalium illorum, quæ ibi recensentur.

Gen. 17. apertiùs promissionem benedictionis per semen suum, addito circumcisionis sigillo obsignat, quæ fuit σφραγὶς τῆς δικαιοσύνης τῆς πίστεως.

Genes. 28. eandem promissionem factam Iacobo obsignat.

In Exod. quot sigillis promissionem factam per Mosen populo, quòd ex Ægypto esset eum certò liberaturus, obsignauit? Infinitis penè miraculis: sed præsertim sanguine agni supra postes illito quo inspecto, Angelus Domini Hebræos seruabat, Ægyptios occidebat. Quid singula commemoro? Legatur caput 2. Ios. & promissio facta de populi in terram Chanaam introductione per Iosuam, multis signis & miraculis confirmata videbitur.

In libris Iudicum & Regum, promissiones subinde repetitæ de salute populi, & ab hostibus liberatione, variis sigillis obsignatæ leguntur. Idem in Prophetis subinde videre licet.

De nouo verò Testamento quid dicam? si cuipiam Christus salutem æternam promittat, remittat peccata: aliquo miraculo, seu sigillo promissionem obsignat. Symbolo aquæ, promissionē de ablutione nostri à peccatis, per suum sanguinem, in baptismo: Et symbolo panis & vini, promissionem de nostra cum Christo per fidē vnione, in cœna sacra obsignat. Quid? Christus ipse cruci affixus, sigillū est, quo omnes antea factæ promissiones de salute nostra, obsignatæ fuerūt: ita vt ampliùs de illis dubitare nemo possit. En igitur qualis sit mos Dei, nempe vt promissiones de salute nostra, præsertim totius Ecclesiæ, additis visionibus, miraculis, sacramentis, sanguine, ceu sigillis obsignet. Sunt enim promissiones Dei, ceu literæ alicuius Regis manu conscriptę: Visiones verò, miracula & sacramenta, ceu sigilla propria talis regis, quibus literæ obsignantur. Sic fecit hîc Dominus: promissionem de restitutione Ecclesiæ superius factam, hac præsenti Prophetæ visione confirmat. In quem finem? vt populus licet in media morte constitutus, visurus esset breui montem Zion desolatum, dirutum templum, ablata sacra, incensam vrbem, dissipatam Ecclesiam, abolitum Dei cultum: certior tamen fieret. Ecclesiam Dei nunquam penitùs à Deo derelictum iri: sed contra fore, vt in extremis temporibus: maiori cum gloria Ecclesia Christi restitueretur, confirmaretur, & supra vniuersa mundi regna, ceu altissimus mons supra reliquos montes, constituta attolleretur. Hic ergo est finis & vsus non solùm visionū, sed etiā sacramentorum, miraculorum, & rerum omniū à Deo factarum, vt confirmatis per hæc sigilla promissionibus, certiores nos reddamur de salute nostra per Christum, quódque Deus nunquam Ecclesiam suam periturę sinet. Huc certè reliqua omnia referuntur, signa, visiones, sacramenta, beneficia, Christi sanguis, mors, resurrectio, ascensio, Spiritus sancti missio, dona spiritus, regeneratio, omnia denique tam facta, quàm verba Dei, vt scilicet iis Dei sigillis, vnica de salute nostra per Christum promissio, in cordibus nostris obsignetur, & ita certiores nos fiamus salutis nostræ. Ratio. Nihil est enim homini difficilius, quàm vt possit certò sibi persuadere, se nunquam à Deo derelictum iri, se fore saluum, Ecclesiam Christi nunquam perituram. Proinde vt huius rei certiores nos reddat Deus, fecit & facit omnia, quæcunque fecit & facit. Ergo etsi videamus Ecclesiam Christi etiamnum vexari à tyrannis & à Satana, esséque pusillum gregem inter lupos, quasi iamiam vniuersam penitus deuorandam & extinguendam: consolemur tamen nos hac certâ promissione & visione, quam vidit Propheta de restitutione & firmitate Ecclesiæ Christi, & singulorum eius membrorum salute. Ob hanc causam, Propheta vocauit hanc visionē verbum (scilicet Dei irreuocabile) decretum firmúmque oraculum. Vnde verò hæc promissionum Dei firmitas & constantia? Inde quoniam Deus, non ex vlla nostrorum operum inspectione, sed ex sua in ea liberalitate, & firma voluntate, ac decreto suas nobis de gratuita salute fecit promissiones. Hinc fit, vt propter nulla hominum merita, ipse Deus certis suis promissis non stare non possit. Hinc certitudo salutis. Rom. 4. *Ideo ex fide, vt firma sit promissio.* Itē Ro. 9. *Nondum enim natis pueris, cùm neque boni quippiam fecissent, neque mali, vt propositum Dei, quod est secundum ipsius electionē, id est, non ex operibus, sed ex voluntate firmum maneret, &c.* Quæ cùm ita sint, sicut Deus, cùm de salute nostra cogitauit, suas fecit promissiones, ex mera sua voluntate, bonitate, decreto, sine vllo nostrorum operum respectu, idque vt suæ promissiones certæ & inmobiles permanerent. Ergo & nos ex aduerso, cùm de salute nostra cogitamus, oculos nostros ambos, à nostris operibus & peccatis denique à nobis ipsis penitùs auersos, in solam gratuitā Dei promissionem, in Christo factā conuertamus, vt fides nostra firma stet, nec vacillet. Hęc est enim perfecta harmonia & musica, quâ nil in mūdo suauiùs audiri, aut sentiri potest, cùm scilicet Deo, certo nobis salutem promittenti fide nos ex aduerso respondemus, vt fiat tanquā suauissimus quidā Echo vocis Dei in cordibus nostris. Exemplum. De cœlo ait Deus. Psal. 105. *Quærite faciem meam*: Quid nos? fide respondeamus cum Dauide, Faciem tuam Domine requiram. Ait, Remittuntur vobis peccata vestra: Respondeamus, fide promissionem hanc apprehendente, Credo remissionem peccatorum. Et iure debemus hoc facere, quandoquidem promissiones Dei certissimæ sunt. Nam initium promissionum Dei, est cor Dei: inde enim proficiscuntur quia gratis decreuit dare salutem electis. Hoc initium est firmissimum. Medium promissionum, est Christus. In hoc enim, & per hunc fiunt promissiones, & implentur: quoniam in ipso habent Etiam & Amen. Et hoc medium est firmissimum. Finis, siue alterum extremum, vbi terminantur, est cor Electi. Ibi enim effectum suum consequuntur, cùm in illo implentur. Hoc igitur extremum debet esse firmissimum. Firmatur autem per Spiritum sanctum fide. Ita omnia ipse Deus præstat. Promittit primùm pro sua bona voluntate: confirmatur promissio in Christo per sanguinem ipsius: impletur in electo, operâ Spiritus sancti. Quare fieri nō potest, quin promissiones Dei firmæ sint. Iure ergo hac particulâ, Et, visione hac præsenti, superiorem gratuitam promissionem confirmat: Et hæc est constantia Dei in promissis, quæ hîc obseruanda est. Eodem refertur particula, Erit, nempè certò, & procul dubio. Necesse est enim vt tandē fiat quicquid Deus decreuit. Est igitur obseruandum inprimis quòd promissiones Dei, factæ Ecclesiæ Christi, firmæ sunt & stabiles, & irreuocabiles, suúmq. effectum habeant necesse est. Ratio 1. quoniam gratis factę à Deo immutabili. 2. In Christo habent Etiam & Amen, qui est caput Ecclesiæ. 3. obsignantur per Spiritum sanctum in cordibus fidelium.

DE COMMINATIONIBVS DIuinis. In 7. versum, cap. 1. Ies. *Terra vestra desolatio, &c.*

EX toto hoc contextu, vbi Deus, antequam flagella inferat populo suo, cum priùs præmonet per Iesaiam

saiam, quòd sit grauiter eum puniturus, obseruanda est hæc doctrina: hunc esse morem & consuetudinem Dei, vt pœnas aliquibus immissurus, præmittat semper aliquem nuncium, qui illos harum pœnarum præmoneant, ac iram Dei significent. Exempla.

Inundaturus aquis diluuij vniuersum terrarum orbem, propter peccata hominum, qui omnes corruperat vias suas, priùs eos præmonet per Noë, idque fabricandam arcam annis 120. continenter, vt patet Gen. 6. Heb. 11. Per fidem admonitus oraculo Noë, ea quæ nondum videbantur veritus, apparauit arcam ad salutem domus suæ, per quam (arcam) damnauit mundum, &c. Item 2. Pet. 2. v. 5. Et prisco mundo non pepercit, sed octauum Noë, iustitiæ præconem seruauit, diluuio in mundum impiorum inducto.

Igne succēsurus Sodomā atque Gomorrham propter infanda illa scelera, prius Sodomitas præmonuit per Lothū, iræ Dei, vt patet Gen. 19. & 2. Pet. 2 v. 6. Et ciuitates Sodomorum ac Gomorrhæ in cinerē redactas, subuersione damnauit, fecitque vt essent exemplar eorum, qui impiè sunt victuri: Et iustum Loth, libidinosa nefariorum conuersatione fatigatum eripuit, &c.

Pœnas sumpturus de Pharaone, & omnibus Ægyptiis, cum prius admonet iræ suæ per Mosen, vt patet in Exodo.

Subuersurus Israelem: prius Hoseam ad eum iræ suæ admonendum misit.

Abducturus Iudæos de Iudæa captiuos in Babylonem, prius eos admonuit iræ suæ per Iesaiam & Ieremiam.

Destructurus Hierosolymam & Iudæos per Titum, priùs eos admonet per Christum & Apostolos. Sic denique semper pœnas immissurus, per Prophetas priùs, homines sui temporis admonuit, & iram suam præsignificauit. Ita vniuersum orbem iudicaturus, & condemnaturus impios in die iudicij prius omnes homines, illius iudicij præmonuit sæpius.

Quorsum vero hunc morem seruat?

Resp. Ob duas potissimùm causas, quarum altera spectat ad reprobos & impœnitentes: altera ad electos. Prima igitur est, vt reprobis omnem occasionem conquerendi de Deo cùm de iis pœnas sumit, eripiat, nec possint dicere: Nesciebamus te irasci peccatis. Ideo priùs admonet eos iræ suæ, vel per Prophetas, vel saltem per synteresin conscientiæ. Rom 2. Habent Gentes opus legis scriptū in cordib. suis, vnà testimoniū reddēte ipsorū cōscientia, & cogitationib. sese mutuò accusantibus, aut etiā excusantibus. Vel etiam somniis. Sic in somnio admonuit Nebucadnezarū de futuris pœnis, Dan. 4. Secūda causa est, vt electi ita admoniti, corrigātur, emēdentur, atq. ita effugiāt flagellū Dei. Sic Gen. 6. Inundaturus mundū cataclysmo, priùs præmonet Noam. Cur? vt ipse ita admonitus, caueat à peccatis, quibus reliqui omnes obruti erant, & ita euitet iram Dei. Sic Gen. 19. Consumpturus igne Sodomam & Gomorrham, præmonet Lothū. Cur? vt ita admonitus, eò magis detestetur vitia Sodomitarum, & ita euitet imminēs flagellum Dei. Sic Match. 23. Euersurus vrbem Hierosolymæ propter suam infidelitatem & impœnitentiam a peccatis, præmonet Apostolos & multos alios, dicendo: Luc. 19. O si vel tu nosses, vel hoc saltem tuo die, quæ ad pacem tua pertinent: sed ea nunc abscondita sunt oculis tuis. Nam veniet tempus in te constitutum, quo circumiicient tibi inimici tui vallum, & circumcingent te & coarctabunt te vndique, &c. vt electi eò magis perseuerarent in fide Euangelij, peccatorésque emendarentur. Ita hic per Iesaiam vastaturus Iudæam, propter suam ipsorum contra Deum rebellionem, præmonet eos dicendo: *Væ genti peccatrici populo graui iniquitate &c.* Primò, vt reprobi impœnitentes inexcusabiles reddantur, nec vnquam prætexere possint ignorantiam, se nescire Deum irasci peccatis. Secundò, vt electi emendentur, atque ita eripiantur ab incendio.

Cognitio iræ Dei ad tria cōfert. Est autem triplex vtilitas, quam electis affert hæc cognitio iræ Dei contra peccata, de qua Rom. 1. Primò, adfert timorem Dei, ad fugienda peccata, & manēdum in vocatione Domini. Dum enim seriò cogitamus Deum irasci peccatis, timorem nobis incutit hæc cogitatio, ne peccemus, néve peccatis nostris Dei iram contra nos concitemus: excitat verò nos, vt in Dei vocatione continenter & diligenter ambulemus. Sic Apostolus 1. Corinth. 10. ostensa Dei ira contra populum Israeliticum, suam infidelitatem & inobedientiam, incutit timorem Corinthiis, ad cauendum sibi à peccatis, & ad ambulandum in vocatione Dei, dicēdo: *Proinde, qui sibi videtur stare, videat ne cadat.*

Secundo, adfert nobis fortitudinem ad æquo animo perferendas impiorum contra nos iniurias, & dat fiduciam, ad exspectandum Dei auxilium. Dum enim cogitamus, quòd Deus grauissimè irascatur peccatis impiorum pios persequentium: & quòd licet lento gradu ad pœnas de impiis sumendas procedat, tamen colligat interim iram, vt eo grauius in ipsos animaduertat: nos excitamur alterâ ex parte ad miserandum potius impiorum miseriam, quàm ad indignandum de eorum contra nos iniuriis, scientes, maiores illos pœnas daturos, qua nobis iniurias inferant: altera ex parte excitamur, ad exspectandum certò Dei auxilium, atque ita iniurias & calamitates omnes æquo perferendas. Hæc iræ Dei contra impios cognitio excitauit & Christum, & Stephanum, & alios, & ad commiserationem impiorum próque ipsis orationem; & ad mortem, quam ab illis patiebantur, æquo animo ferendam, vt dicerent, *Domine ignosce illis &c.* & adhuc excitat pios, vt dicant, Nouit Dominus pios è tentatione eripere: impios autem in diem iudicij puniendos seruare. 2. Pet. 2.

Tertiò, hæc iræ Dei agnitio excitat nos ad quærendum thronum gratiæ Dei, qui thronus est ipse Christus. Cùm enim videmus vna ex parte, Deum irasci peccatis nostris; altera ex parte, nos non posse eius iram effugere nisi per fidem adhæreamus Christo, super quem non potest ampliùs cadere ira Dei: nos excitamur ad adhærendum Christo per fidem, atque in Christo misericordiam & gratiam Dei amplexendam. Hæc cognitio iræ Dei excitauit inter alia Paulum, ad se totum in manum Christi committendum. Vbi enim sensit iram Dei, sese totum submittens Christo, ait, Domine, quid me vis facere? Actor. 9. Hac cognitione excitare alios studebat ad idem præstandum, quod & ipse præstitit, præsertim cum ait *Rom. 2.* Existimas autem, ô homo, qui damnas eos, qui talia faciunt, & facis eadem fore vt effugias iudicium Dei? Ita hic Iesaias hac denunciatione iræ Dei contra populum Iudaicum, studet præstare electis in populo has tres vtilitates. Primò studet adferre timorem Dei, quo fugiant peccata, & ab iis desistant. Secundò studet dare animum piis, quo æquo animo perferant iniurias impiorum, & illorum potius miseriam deplorent quàm contra eorum iniurias indignentur. Tertio, studet hac iræ Dei denunciatione illos reuocare ad veram pœnitentiam, qua reuertantur ad Deū, ad amplectendam eius misericordiam in Christo.

Cum autem nobis quoque hæc eadem minetur, nisi resipiscamus e nostris peccatis. cupit has easdem tres vtilitates nobis adferre. Quare hæc audientes, fugiamus peccata. timentes iram Dei: feramus æquo animo aduersa, fidentes Deo: amplectamur denique misericordiam Dei in Christo.

Atque hinc sequitur alia obseruatio, quæ hæc est, quod Deus cùm aliquid certò minatur. verbi gratia vltimum exitium alicui, non adimit illi pœnitentiam, sed potius ad hanc eum inuitat hac comminatione: etiamsi ibi non exprimatur conditio, nempe, nisi pœnitentiam egeritis. Duo enim modi sunt, quibus minæ proferuntur in scripturis, aliquando proferuntur cum aperta & expressa conditione, nisi scilicet pœnitentiam egeritis. Exempla. Cōminatio certa pœnarum, nō adimit pœnitentiam, sed statuit.

Deut. 28 Vbi continetur summa comminationum diuinarum Moses multa mala cōminatur populo, sed omnia cum expressa conditione. dicendo: Quòd si audire nolueris vocem Domini Dei tui, &c. Venient in te omnes maledictiones istæ, & apprehendent te, &c.

Prophetæ sæpenumero & ipsi proferunt comminationes, expressâ conditione, nisi pœnitentiam agat populus, vt in hoc ipso cap. 1. Iesa. patet, vers. 20. *Quòd si nolueritis* (audite Dominum) *& rebelles fueritis, gladio consumemini.* Ita alij Prophetæ. Ita Christus Luc. 13. expressit conditionem: Nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis. Ita Apostoli sæpius. Ex quibus patet, quod comminatio non solum non adimat pœnitentiam, sed potius ad eam populos excitet.

Secundò, aliquando proferuntur absolutè, absque conditione pœnitentiæ. *Ion. 3.* Adhuc quadraginta dies, & Niniue subuertetur. *Sic hic Ies. 1.* Vrbes vestræ succensæ erunt igni, &c. In iis & aliis huiusmodi locis. videtur quidem, quòd adimatur pœnitentia hominibus, quia proferuntur absolutè hæ comminationes: sed tamen reuerâ etiam hæ comminationes conditionales sunt, si

cut & superiores, licet non exprimatur conditio pœnitentiæ: ideóque non adimunt pœnitentiam, sed potius ad eam populos inuitant. Nam subintelligitur semper in huiusmodi minis conditio pœnitentiæ, quæ in aliis exprimitur, vt Ier.18. Vbi Deus per Prophetam ait: *Repente loquor aduersus populum aliquem & regnum, quòd illud euellam, &c. Si conuersus fuerit populus ille à malitia sua, contra quem loquor, pœnitebit & me mali, quod cogitâram.*

Atque rem ita sese habere, hisce rationibus confirmatur.

A proprietate legis. 1. Quicquid pertinet ad legem in scripturis, conditionale est. Inter alias enim differentias, quæ sunt inter legem & Euangelium, hæc etiam vna est, quod Euangelium propriè, quod annunciat, id absolutè citra conditionem annũciat, nempe, Christum morte sua deleuisse electorum peccata, eos reconciliasse Deo, &c. Lex verò, quæ profert conditionaliter profert: verbi gratia. Quod si seruaueris præcepta, ipsa seruabũt te. Nisi seruaueris, gladius occidet te. Ideò Paulus Rom.4. ostendit, salutem esse per Euangelium, quia certum, absque conditione: non autem per legem, quia incerta, vtpote cum conditione.

Atqui omnes comminationes pertinent ad legẽ, patet. Quicquid minarum sicut etiam promissionum, in scriptura continetur, vel ad Euangelium, vel ad legem pertinet. Non pertinent autem ad Euangelium, vt patet ex definitione Euangelij & ex eius Etymologia, quæ est bonum, felix, faustũmque nuncium. Ergo ad legem. Sic ergo concludo.

Quicquid pertinet ad legem, conditionale est, cum conditione pœnitentiæ. Comminationes pertinent ad legem. Ergo conditionales sunt, cum conditione pœnitentiæ.

At quædam proferuntur cum conditione, quædam non. Ergo videtur discrimen inter eas esse?

Resp. Non sequitur, quod inter illas discrimen hoc sit. Illæ enim quæ conditionaliter proferuntur, declarant alias quoque intelligi debere cum conditione. Ratio, quia sunt eiusdem generis, id est, omnes legales sunt, ideóque conditionales. Patet.

A natura absoluti. 2. Quicquid conditionale non est, sed sicut absolutè pronunciatur à Deo, ita absolutè est intelligendum, illud impleatur necesse est. Ratio. Quia Deus est verax, & quod absolutè promittit, vel minatur, seruat. Atqui multa minatus est Deus absque expressa conditione pœnitentiæ quæ tamen impleta non sunt, nec implebuntur *Ion.* Adhuc 40. dies & Niniue subuertetur. Ergo illa, & similes aliæ comminationes, non potuerunt esse absolutæ, sed conditionales fuerunt, scilicet, nisi pœnitentiam agerent homines peccatores.

Ab exemplo. 3. Dan.4. ex visione, quam in somnis vidit Nebucadnezar de arbore alta, quæ excisa est, certo absque conditione, prædicit ei ablatũ iri regnũ ad tẽpus, & addit, hoc esse decretum Dei, dicendo: *Hæc est interpretatio, ô rex, & decretum altissimi est, quod venit super Dominum meum Regem, & te eijcient ab hominibus &c.* Hęc certè comminatio videtur absolutissima esse: & tamen postea cõsulit ei, quomodo auertere à se possit hãc plagam Dei & hoc, quod appellauerat decretum Dei, dicendo: *Quapropter ô Rex peccata tua in iustitia redimantur, & iniquitates tuæ in misericordia pauperũ ecce erit longitudo pacis tuæ.* Quibus verbis ostendit, quod decretum illud Dei mutari possit, si pœnitentiam agat. Ergo conditionalis fuit, licet videretur absolutissima: id quod patet à testimonio Chrysost.

4. Is enim exponens locum illum, ait: Quid dicis ô Daniel, sententia prolata est à Deo. & calculus confirmatus est: & tu precibus illam mutabis? *Etiam inquit,* Non enim vt res Ethnicorum habent, ita & nostrę. Propter hoc enim prolata est sententia, vt non fiat, non vt Rex discat solùm futura, sed etiam vt caueat, alioqui quænam esset ex præcogitatione vtilitas, si nulla inde sequeretur consolatio? Vnde Daniel obediens Deo, orauit, & nunc consilium hoc præbuit. *Hæc ille.*

Hinc docemur, quoniam pacto intelligendę sint omnes aliæ comminationes, nempe conditionaliter, nisi resipiscamus. Item in quem finem Deus comminetur, nempe vt præmoniti pœnarum, quas minatur Dominus, resipiscamus, & pœnitentia nostra efficiamus, vt & ipsum pœniteat, (vt ait per Ioelem) mali, i. flagelli, quod immissurus erat nobis. Sunt ergo omnes cõminationes Dei conditionales, nempe, nisi resipiscant homines à viis suis malis: & in hunc finem minatur Dominus, vt ad resipiscentiam inuitet. Quare comminationes etiam absolutè prolatę cum fini & ipsę reuerâ conditionales, non solum non adimunt hominibus pœnitentiam, sed etiam ad eam inuitant & hortantur. Ita hic cum Iesaias ait: *Omne caput ad languorem dispositũ est, &c.* intelligit, nisi pœniteat vos vestræ rebellionis, & redeatis ad Deum.

Nunc ad argumenta quædam, quę pro contraria afferuntur sententia respondebimus.

I. Quicquid Deus statuit & decreuit, absolutum est, non autem conditionale. Atqui statuit aliquos, quibus minatur perdere. Ergo, &c.

Resp. Ad maiorem, Decretum Dei duplex est. Primũ est, quo Deus & finem, & media omnia ad finẽ necessaria, alicui dare decreuit, pro sua bona voluntate: verbi gratia, cum statuit ab æterno, pro sua εὐδοκίᾳ, quibusdã ex nobis donare vitam æternã, & media etiam omnia, quæ ad illam consequendam necessaria sunt vt pœnitentiam, fidem, perseuerantiam &c. Hoc decretum absolutum est simpliciter, & necesse est, vt impleatur. Ratio, qui in hac re nihil pendet à nobis, quo possit decretum impediri, sed totum à Deo, qui quod statuit, omnino præstare vult: & cum voluntas eius sit immutabilis & efficacissima ideo quicquid statuit pro sua voluntate, necesse est vt fiat. Sub hoc decretum, cadunt omnes promissiones Euangelicæ, quia absolutæ sunt.

Secundum decretum est, quo Deus decernit dare alicui finem, seu propter media, quæ à se non sunt sed ab illo, cui statuit dare finem, ita vt decretum Dei de hoc fine, respectum & relationẽ habeat ad media alterius, quæ si statuantur, statuitur & finis: si auferantur, auferuntur & finis, verbi gratiâ statuit Deus pœnas æternas infligere Iudæ: sed propter quid? propter eius peccata, quæ non à Deo sed à Iuda sunt: quæ peccata si non fuissent certo futura, neque decretum illud Dei de sumendis pœnis de Iuda fuisset: sed quia certò futura erant, ideò certum etiam fuit decretum Dei de infligendis illi pœnis. Idem dico de aliis. Hoc decretum igitur sumendi pœnas de aliquo impio, verbi gratia, de Iuda & conditionale dici potest & absolutum. Conditionale quatenus decretum illud relationem habet ad impietatem Iudæ, quâ ablata aufertur & decretum illum puniendi sic: si Iudas non perseuerasset in impietate, Deus nõ decreuisset illum punire, & morti æternæ addicere. Absolutum, quatenus vidit Deus certo, Iudam in impietate perseueraturum sic: Atqui Iudas certò in impietate perseueraturus erat: Ergo & Deus certum atque absolutum statuit decretum de puniendo Iuda. Sic ergo formaliter respondeo ad maiorem. Quicquid Deus statuit gratuito, pro sua voluntate, absolutum est simpliciter, sicut est decretum de saluandis electis. Quidquid certo statuit propter opera aliorum, absolutum est secundum quid, vt est decretum de damnandis impiis propter ipsorum scelera. Sub hoc decretum cadunt minæ. Ergo minæ non sunt absolutæ simpliciter, sed secundum quid, id est, conditionaliter.

Sicut se habent promissiones in scripturis, ita etiam minæ. Atqui promissionum aliquæ sunt conditionales, vt legales: aliæ absolutæ, vt Euangelicæ. Ergo ita & minæ.

Resp. Negatur maior. Neque enim est par ratio, sed dispar inter promissiones & comminationes. Nam ideo promissionum aliquæ sunt conditionales, aliquæ absolutæ: quia aliquæ pertinent ad legem, vt conditionales, aliquæ ad Euangelium, vt Euangelicæ. Comminationes autem omnes (vt suprà ostendimus) pertinent ad legem. Ideo magnum discrimen est inter promissiones & comminationes. Fons autem huius discriminis est, quia comminationes semper respectum habent, & relationem ad peccata nostra, ita vt si mutemur à peccatis, & minæ mutentur: si cessent peccata cessent & pœnæ peccatorum. Cùm autem mutari (sed per gratiam Dei) à peccatis possimus: Ergo & comminationes mutari possunt, & pœnæ. Quare sunt cõditionales. Promissiones verò, nempe Euangelicæ de salute æterna, relationem habent ad voluntatem Dei, & decretum eius gratuitum, quo prædestinauit per gratiam nos saluare, & omnia etiam media ad salutem assequendam, grãtis præbere. Cùm autem decretum illud absolutum sit, absque vlla conditione, quàm à nobis requirat, citra quam non sit daturus, quod dare decreuit: (Nã etiamsi requirat fidem, ipse tamen etiam illam dat, & dare decre-

decreuit) ideò absolutæ sunt illæ promissiones. Secus est de minis. Ergo Iesaias hic non adimit pœnitentiam, sed potius ad illam hortatur. Atque hæc de comminationibus diuinis.

Cæterùm, quoniam in hac comminatione Iesaias regionem Iudææ comparat Sodomæ & Gomorrhæ, videndum etiam est, in quibus conueniant Iudæi cum hominibus Sodomæ & Gomorrhæ.

1. Regio Sodomorum & Gomorrhæorum erat fertilissima, & delicatissima, vt patet Gen. 13. ob quam causam Lothus, cùm data ei esset optio ab Abrahamo, vt vtram partem vellet, eligeret, vel eam quæ vergebat ad orientem, nempe Chananæam, vel eam, in qua erat Sodoma & Gomorrha: Lothus elegit sibi regionem Sod. & Gomor. tanquam fertiliorem & delicatiorem. Ita regio Iudaica erat delicatissima aliarum regionum atque fertilissima.

2. Sodomis vigebant maxima & nefandissima vitia, quæ leguntur Gen. 19. quorũ fœtor ad nares Dei ascenderat, ita vt illius iram maximè concitarit: Ita in Iudæa, maxima vitia, vt iure Sodomitæ vocati sint, non quidẽ propter infandos illos concubitus, quos nõ legimus de Israelitis, sed propter alia scelera multa. & præsertim propter ingratitudinem. Neque enim minora scelera designabant tunc Iudæi Hierosolymis, quàm quondam Sodomitæ Sodomæ & Gomorrhæ, vt postea 3. capite dicet, & alij Prophetæ testantur, vt Ierem. 23. Thren. 4. Ezech. 16.

3. Ibi aderant adeo pauci viri, vt si saltem reperti fuissent decem viri probi in illis ciuitatibus, pepercisset illis Deus. Ita in Iudæa fuisse, conuincitur à tam diro flagello, quo Deus eam percussit & exterminauit.

4. Illas vrbes igne consumsit, ita vt ne vestigiũ quidem vllum superfuerit: Iudæam igne consumsit per Titum, post Christum occisum, ita vt ferè ne vestigia quidem remanserint.

5. Ex illarum incendio tum Lothum, cum eius familia eripuit, tanquam reliquias Sodomæ & Gomorrhæ, ita ex incendio & vastatione Iudææ & Iudæorum, quosdam sibi Deus, tanquam reliquias, quanquam paucas reseruauit. Apparet ergo, quàm iure dicat Nisi reliquisset nobis semen, &c. quasi dicat. Quemadmodum similes sumus Sodomæ & Gomorrhæ in fertilitate regionis, & in vitiis, præsertim in ingratitudine erga Deum: Ita similes essemus in vastatione & destructione, nisi Dominus pro sua misericordia aliquot reliquias nobis reliquisset.

DE IMPRECATIONIBVS,

In 9. vers. cap. 2.

Et non parcet eis, &c.

HVnc locum sumus bifariam interpretati: vel, vt sit vox imprecantis populo iustam vindictam, ob sua scelera, & præsertim ob idololatriam, quâ cultus Dei erat profanatus, & tunc vertendum erit, *ne parcas*: vel vt sit vox prædicentis Prophetæ, quid populo sit euenturum ob tam grauissima scelera, nempe quod Deus nil sit illi cõdonaturus, nec quippiã de sua irã remissurus. Si secundam interpretationem amplectamur, nulla hic oritur quæstio, sed res est plana & perspicua. Si priorem, vt plerique faciunt, oritur hic non contemnenda quæstio: Cùm Deus iusserit, vt diligamus inimicos nostros, & illis benè precemur, nec tantũ vt oremus pro inimicis nostris, sed etiam pro inimicis Dei, id est, peccatoribus, vt Deus illorum misereatur, & ad se conuertat, id quod & Christus suo exemplo docuit dicendo: *Pater ignosce illis, quia nesciunt quid agant.* Item Stephanus, *ne imputet ipsis peccatũ hoc*: Et Paulus 2. Tim. 4. *In prima meâ defensione nemo mihi adfuit, sed omnes me deseruerũt: nõ imputetur illis, &c.* Qui igitur fit, vt Propheta Iesaias cõtra (vt videtur) legẽ charitatis, populo suo tantũ mali imprecetur à Deo, vt dicat, *ne remittas.* Nec solus ipse Iesaias hoc facit, sed etiã alij Prophetæ, & præsertim Dauid subinde in Psalmis dirissimis vtitur imprecationib. cõtra & suos & Dei hostes, vt Ps. 5. & 68. *fiat mensa eorũ in laqueũ, &c.* Imò & Paulus ipse Act. 23. Percutiat te Deus. 2. Tim. 4. *Alexander faber ærarius multa mihi malefecit, reddat illi Deus secundùm opera ipsius.* Apoc. 6. sancti sub altari clamãt cõtra impios, *Vindica sanguinem nostrum, &c.* Quomodo hi loci cohærent cum aliis locis in quibus iubemur orare pro inimicis? Et vt ait Augustinus in *Psal. 78.* Si malum pro malo non est cuiquam reddendum: non solùm factum malum, pro facto malo: sed nec votum malum, pro voto malo est reddendum. Reddidit autem votum malum, qui, etiãsi non se ipsum vindicat, tamen vt eius inimicum Deus puniat exspectat atque optat.

Resp. Hîc duo videnda sunt: primò quomodo Prophetæ & alij pij viri, citra tamen violationẽ legis Dei, & charitatis, sæpe tam dira suis & Dei hostibus sint imprecati: Alterum hinc consequitur, nempe, an liceat & nobis imprecari mala impiis: & si licet, quæ regulæ seruandæ sint in iis imprecationibus.

Quod ad Prophetarum imprecationes attinet, summatim & paucis sic respondeo. Primò, Prophetæ præuidentes mala, quæ alicui ob sua scelera à Deo sunt infligenda etsi ea imprecari aliquando videantur, non tamen propriè imprecantur, sed prædicunt in forma imprecationis. Responsio hæc Augustini est, Tomo quarto libro primo, de sermone Domini in monte, vbi hanc quæstionem tractat, colum. 1133. Respondens enim ad quæstionem propositam, ait: *sed hæc facilè soluuntur, quia & Propheta per imprecationem quod esset futurum, cecinit, non optantis voto sed spiritus prauidẽtis: ita etiã Dominus, ita etiam Apostolus.* Eandem responsionẽ adfert Tomo octauo, in Psalmo septuagesimo octauo, exponẽs verba illa. Et innotescat in nationibus, coram oculis nostris vindicta sanguinis seruorũ tuorũ, qui effusus est. *Hæc prophetatio est*, inquit, *non optatio.* Eadem ferè est in quæstione ex nouo Testamento. quæstione 68.

Mihi tamen responsio hæc vsquequaque non satisfacit, sicut neque Augustino. ideo cogitur alias adferre responsiones. Sæpe .n. Prophetæ Zelo quodã gloriæ Dei accẽsi, quam vident ab impiis & perditis hominibus, suis sceleribus profanari, conculcari, & quantum in ipsis est, funditus perdi verè & ex animo illis imprecantur interitum, vt gloria Dei salua consistat. Ita etiam inflammati amore Ecclesiæ sibi concreditæ, cùm vident perditos quosdam nebulones & filios Diaboli nunquã cessare, quin variis modis illam vexent, & opprimant: sæpe illis mala imprecantur, vt Ecclesia salua permaneat non quidẽ propriè cupiant aliquem perditum, sed quòd cupiant saluam Ecclesiam, Sic Paulus ad Gal cõtra pseudo-Apostolos, *vtinam*, inquit, *abscindantur*, &c. Quare prima responsio Augustini, etsi aliquando vera sit, non tamen semper est.

II Secunda igitur responsio est, quòd Prophetæ & alij viri Dei aliquando imprecantur peccatoribus mala, nõ æterna, seu æternam damnationem sed temporalia, idque in hunc finẽ, vt per ea ipsi corrigantur, & in æternũ saluẽtur: deinde, vt ipsis castigatis, & emendatis, Ecclesia quoque, & alij pij, qui ab impiis vexabantur, respirent & in pace viuant. Hoc autem non pugnat cũ charitate, sed potius est secundùm charitatem. Sicut enim Deus ex charitate filiis suis inobedientibus flagella immittit, vt illis corrigantur: ita ex charitate, Prophetæ, aliique viri pij, temporalia hæc, sed salutaria flagella peccatoribus imprecantur. Sic itaque locum præsentem Iesaiæ interpretari possemus, quasi dicat: Domine, populus iste non nisi virgis, iisque duris emendari potest & à suis idololatriis, aliisque scelerib. multis coerceri: ergóne dimittas illi, quin iustis flagellis illum cædas, donec resipiscat. Ita solent Patres rogare præceptores & ludi-magistros, vt ferulâ egregiâ cædant suos filios immorigeros, nec illis parcant hoc tamen à quanta charitate proficiscatur, nemo est, qui nesciat. Hæc est secunda responsio quam non Augustinus loco supra citato sed ego ex aliis locis Augustini colligo. Tomo enim 8. in Psalmo septuagesimo octauo, in summa docet, non repugnare charitati, quòd quis lætetur, cum videt impiũ puniri: tum quoniam si emendatur, gaudet de illius salute: tum quoniam si non emendatur, saltem placet ei iustitia Dei: & ait, [quòd cùm iussit, vt diligamus inimicos nostros, exemplum attulit patris cœlestis, qui pluit super iustos & iniustos, &c. Deum ergo imitari debemus in hac dilectione. Iam Deus, etsi super omnes pluat, & omnes diligat: numquid emendat, vel pertinaciter duros in fine non damnat?] Ergo iuxta hoc exemplum Dei, sicut ipse temporalibus pœnis punit peccata, vt corrigantur, & hoc ex charitate: ita nos possumus precari à Deo pœnas has tẽporales impiis, vt corrigãtur,

& hoc erit ex charitate. Et sicut Deus æternùm damnat impios, & tamen hoc non repugnat charitati Dei, quâ omnes diligit: ita iustus cùm viderit hanc vindictã, poterit lætari, nec tamen repugnat charitati.

III. Tertia responsio, quod si aliquando Prophetæ æternum exitium, & extremam ruinam imprecari videntur impiis: illæ imprecationes non propriè contra homines ipsos, sed contra regnum peccati, quod euersum tandem omninò vellent, diriguntur, vt scilicet sublatis è medio membris Diaboli, & Angelis eius, regnum ipsũ peccati destruatur. Hæc responsio Augustini est in eod. lib.1. de sermone Domini in monte, Col.11,6.lit.A.& ita intelligi vult illud Apoc.6. Vindica sanguinem sanctorum tuorum,&c. *Quis enim audeat affirmare*(ait Augustinus)*cum illi sancti candidati se vindicari petierint, vtrum contra ipsos homines, an contra regnum peccati petierint? Nam ipsa est sincera & plena iustitia & misericordia vindicta martyrum, vt euertatur regnum peccati. Non enim contra ipsos homines, sed contra regnum peccati petierunt, quo regnante, perpessi sunt, ad cuius euersionem nititur Apostolus, dicendo, Non igitur regnet peccatum in corpore vestro mortali.* Et sensus Augustini est quod petant destrui regnum peccati, vt homines salui fiant. Eadem est responsio Primasij Vticensis Episcopi, in locum Apoc. 6. Eius verba vide apud Bulling in 6. capite Apoc. Non dissimilis etiam est responsio Aretæ, quam in Apoc.6. ex commentariis Andreæ Cæsar. Episcopi recitat, quæ hæc est: *Etiam per hæc apparent sancti, mundi consummationem petere. Quare patienter ferre iubentur, iisque ad fratrum suorum complementum, ne absque illis compleantur.* Sed quid si dicamus, petere etiam vt homines ipsi, in quibus regnat peccatum, id est, reprobi perdantur? non directè quidem, sed quatenus regnum peccati alia ratione destrui non posse videtur, nisi & ipsi perdantur. Exemplo hanc responsionem illustrabo: Tyrannus aliquis occupat regnum aliquod vel vrbem Cæsaris. Cæsar cum numerosissimo exercitu & tormentis bellicis venit aduersus regnum hoc vel vrbem, & quoniam alia ratione Tyrannum capere nõ potest & occidere, nisi destruatur & ciuitas, mœniaque diruantur, & qui etiam sunt in vrbe, omnes interficiantur, mœnia diruit, ciuitatem incendit, omnes qui intus sunt, perdit. Hic quæro, quò animus Cæsaris, & totum eius studium tendit? Non quidem directè in ciuitatis euersionẽ, & ciuiũ alioqui Cæsaris amicorum internecionem, sed in necem & exterminium tyranni illius, & omnium eius satellitum. Ita animus Prophetarum in iis imprecationibus contra impios, quo tendit? quò dirigitur? in euersionem regni peccati, quod quoniã euerti alia ratione non potest nisi & homines, ipsi in quibus regnat peccatũ, i. reprobi penitus perdantur: ideo contra illos etiam, sed indirectè imprecantur. Ita intelligi vult Augustinus illud Apoc.6. vindica sanguinem,&c.

4. Quarta responsio: Discrimẽ est inter inimicos nostros, & inimicos Dei. Aliquis erit inimicus noster, quatenus nos læsit, erit etiam inimicus Dei, quatenus iniustè nos vel alios læsit, seu quatenus impius est. Iam Prophetæ & viri pij, quã pij sunt, nunquam mala imprecãtur inimicis suis, quatenus inimici sui sunt, aut quatenus homines: hoc enim repugnat dilectioni, quã debemus diligere proximum & inimicos: sed contra eos imprecantur, quatenus sunt inimici Dei, & quatenus tales, etiam odio prosequuntur, vt *Psalm.* 18. Iniquos odio habui,&c. Atque hoc non repugnat charitati & dilectioni inimicorum. Odium enim hoc & hæ imprecationes non in homines ipsos, sed propriè in peccatum, quod in eis regnat, & in Satanã, cuius sunt mancipia tendunt. Ideo Augustinus Tom.8. in Psalmum.30. exponens verba illa, *Erue me de manibus inimicorum meorum*, ait: Intelligendi sunt inimici, pro quibus orandum sit, & contra quos orandum sit: Inimici homines qualescunque fuerint, non sunt odio habendi, ne cùm malus, quẽ patitur malũ, sint duo mali: diligat bonus & quẽ patitur malum, vt vel vnus sit bonus. Illi inimici sunt, cõtra quos orandũ est, Diabolus & angeli eius. Adde ideòque consequenter & peccatum Neque enim ob aliam causam odimus Satanam, nisi propter peccatum, quia peccati autor. Hæc quarta responsio non est absimilis tertiæ.

Quinta responsio, quæ & genuina est circa imprecationes, certos quosdam gradus continet, qui memoriæ causa obseruandi sunt. Primus gradus: Quãdoquidẽ vera oratio est opus animi, cogitationibus cum Deo colloquentis. Ideò cùm Prophetæ, & alij viri pij Deum sunt oraturi, vehiculo Spiritus sancti illorum spiritus in cœlum vsque ad Deum vehuntur. Hic est primus gradus. Secundus, Huc verò attracti, cogitationibus ita cum Deo familiariter colloquuntur, perinde ac cum amantissimo Patre, vel carissimo amico, facie ad faciem. Tertius, Dum sunt in isto colloquio, eorum mẽtes magis ac magis illustrantur diuino lumine, sicut & Moses ex colloquio cũ Deo, ita vt sæpenumero mira & multa Dei mysteria, iudicia & decreta, alioqui hominibus abdita, videant: atque inter alia, quæ vident, inde ceu è quadam alta specula, duo hæc sæpenumero vident, primũ aliquos peccasse ad mortẽ, & ita deploratos esse coram oculis Dei, vt nulla amplius de eis sit pœnitentiæ spes, alterum, inde consequenter vident extremam illorum ruinam, quæve mala, tum in hoc seculo, tum in altero, ex certo Dei decreto illos maneant. Hic est tertius. Quartus, sanctis nihil est optatius, nihil gratiùs, nihil carius, quam vt fiat Dei voluntas, quippe qui plus Deum & eius voluntatem diligant, quam neque se ipsos, neque totius mundi salutem. Pereat enim potiùs totus mundus, quam vt Deus & eius determinata voluntas suis decretis frustretur. Hic est quartus. Hinc sequitur quintus, cùm hæc ita se habeant, & voluntas sanctorum se libenter & iure quidem conformet ad voluntatem Dei: igitur hinc fit, vt quæcunque certò agnouerunt decreuisse Deum aduersus aliquem impiũ, & deploratum populum, vel hominem, ipsi etiam quodammodo subscribant voluntati Dei, & decretis illius, & exoptent & precentur, vt ita fiat, sicut à Deo est decretum. Sextus, Cùm verò digressi ab illo Dei colloquio, vel ad populum concionantur, vel composito aliquo Psalmo, Dei iudicia prædicandi occasio est illis oblata, solent spiritu Dei afflati, & Zelo gloriæ Dei accensi, illa diuinitùs decreta mala, & æternum exitium, quod in illo colloquio diuino certissimè viderant, ipsis impiis imprecando, denunciare, & Deum publice precari, vt ea mala, & iram suam contra populum illum citò reuelet. Hinc voces illæ, [Effunde iram tuam super gentes quæ te non nouerunt: obscurentur oculi eorum ne videant: dorsum eorum semper incurua.] Hinc fortasse & vox ista Iesaiæ, *Domine ne remittas.* Hinc illa sanctorum vox sub altari Dei, [Vindica sanguinem sanctorum tuorum,&c.] Psa.79.6. Psal.69. 24.

Ex iis manifestum fit, an huiuscemodi imprecationes Prophetarum aduersentur charitati & dilectioni, qua inimicos quoque diligere iubemur, & illis bene precari nec ne. Dico nequaquam. Ratio sumitur ab ordine charitatis. Deus inprimis, & eius voluntas diligenda est, idque propter se ipsam: deinde proximus, ideòque inimici diligendi sunt, sed non nisi propter Deum & in Deo, ita vt horum dilectio non præeat, sed sequatur dilectionem Dei. Hic est ordo charitatis. Iam si ita diligeremus inimicos, vt horum mallemus salutem, quàm certam voluntatem Dei fieri, inuersus esset ordo charitatis, & esset præpostera charitas: Dilectio enim inimicorum præcederet, ideòque dilectio inimicorũ, non esset secundùm illam charitatem, quã Deus vult illos diligi, nempe post Deum, & propter Deum. Imprecari ergo illis ea mala, quæ certo scimus Deum velle illi infligere, non aduersatur veræ dilectioni inimicorum. Imò nunc addo, sanctos non posse aliter precari, nec posse in hac causa dicere, Domine ignosce illis, condona eis peccata, ne illos damnes. Quare non possunt hoc petere? quia oratio debet fieri ex fide id est, nihil debemus à Deo petere absolutè, nisi persuasi simus, nos exoraturos esse Deum illud, quod oramus: alioqui si audeamus petere id quod vel certò scimus, vel dubitamus, Deum nobis non concessurum, oratio illa ingratissima est Déo, & peccatum est, quia non est ex fide. Fides autem nititur vel verbo Dei in scripturis, vel spiritu Dei (qui tamen scripturis nunquam aduersatur) qui intus nobis persuadeat, decretum esse à Deo, vt quod petituri sumus, nobis largiatur. Ergo cùm sancti persuasi sint à Spiritu sancto & edocti in illo cum Deo colloquio, decretum esse Deo, vt ipsorum peccata non condonet, quippe qui omninò futuri sunt impœnitentes, sed potius decretum esse, vt illos tum hic excruciet, tum denique in æternum mittat exitium: quomodo possunt orare, contra id quod sunt persuasi: quomodo possunt dicere Deo, remitte illis, quibus omninò sciunt, eum non esse remissurum? Exemplum vnum adferam è scripturis.

1.Ioh.5.

1.Iohan.5. Apostolus discrimen facit inter peccata. & quædam dicit esse non ad mortem: pro iis ergo iubet, vt qui ita peccant, oremus, vt Deus condonet peccata. Quædam verò dicit esse ad mortem, vt est peccatum in Spiritum sanctum, pro istis ait, ne rogemus. Vnde tanta inclementia? Cur non est pro iis orandum? quoniam illa prima, Deus promisit se condonaturum: Ergo possumus orare veniam illorum, ex fide: Hæc vero posteriora in Spiritum sanctum, omninò dixit se non condonaturum, neque in præsenti seculo, neque in futuro. Ergo non possumus sperare, vt Deus hæc condonet. Quod si non possumus condonationem sperare: ergo neque eam rogare. Hæc est igitur præcipua & potissima causa, cur sancti præsertim Prophetæ, spiritu Dei afflati sępe imprecari soleant impiis extremam illorum perditionem: quoniam, inquam, certi sunt, eam esse Dei voluntatem.

6. Posset etiam sic paucis ad hanc quæstionem respōderi: imprecationes has omnes, sicut & comminationes Dei, cū conditione esse intelligendas, & sic etiam conditionaliter à sanctis factas. Quæ est conditio subintelligenda? Hæc, si non potest aliter vel gloria Dei suum habere locum, vel Ecclesia Dei conseruari, vel pius aliquis defendi, nisi iis inimicis extinctis, tā æternum quàm temporaliter perdantur ergo omnes potius, quàm vt vel gloria Dei obscuretur, vel Ecclesia Christi pereat. Hoc autem exigit ipsa charitas. quia plus Deus, quàm totus mundus: & plus totum corpus id est, Ecclesia, quàm aliquis priuatus amandus est: imò plus etiam vnus pius amandus est, quàm mille impij. Hæc simplex erit responsio: hæc etiam faciet ad explicationem alterius quæstionis nempe, an licitum sit nobis orare cōtra inimicos, vtique, modo id fiat ex Zelo gloriæ Dei. & amore Ecclesiæ & piorum, & conditionaliter intelligamus nostras imprecationes, nempe si aliter seruari nequit gloria tua, vel Ecclesia tua. ô Deus, quàm iis inimicis perditis & damnatis. Perde igitur, &c. ita habemus, quid respondendum sit ad petitionem de imprecationibus Prophetarum.

Iam (vt ad secundum veniamus) licét-ne nobis idem facere?

II. Quęstio an nobis idem facere liceat.

Resp. Simplex & absoluta responsio dari non potest, quoniā & diuersa sunt mala. quæ imprecari quis potest, & diuersis rationibus, & diuersis personis, ea imprecari quis potest. Conditionaliter ergo respondeo. Primum, æternum exitium nemini possumus imprecari, nisi ab eodem Spiritu Dei, à quo & Prophetæ, specialiter edoceamur, & eum ad mortem peccasse, atque ideo decretum esse à Deo, vt illum certissimè perdat, nobis constet. Cùm igitur hoc quod Prophetis, non ita omnibus aliis concedatur, & ferè nos lateat, qui ad mortem peccent: idcircò absolutè non licet cuipiam aut peccati tentationem, aut mortem æternam imprecari, nisi fortè conditionaliter hoc modo; Domine, si alia ratione gloria tua consistere nequit, quàm horum inimicorum æterna perditione, perde potiùs, quàm vt gloria tua obscuretur.

Secundò, extremam ruinam & perditionem possumus imprecari contra regnum peccati, & etiam in genere contra omnes illos quos Dominus nouit esse vera Satanæ membra, & deploratos filios iræ. Exemplum, vt cùm precamur Deum, vt regnum Antichristi destruat, & omnes illos, quos vere Dominus nouit esse Antichristos & filios perditionis, & hoc in genere, sicut etiam Dauid, *Exurgat Deus & dissipentur omnes inimici eius.*

Tertio, de aliis vero malis, scilicet temporalibus aliter sentio. Nam in inimicis nostris, quatenus inimici nostri sunt, id est, quatenus nos læserunt, non licet quippiam mali precari. Hæc enim oratio, ab animo vindictę cupido proficiscitur; sed tunc locum habet præceptum Christi, *orate pro persequentibus vos, &c.*

Quartò, quatenus verò sunt inimici Dei, id est, impij, & in peccatis perseuerant, nec alia ratione videmus corrigi & emendari posse, possumus aliquod flagellum temporale illis imprecari, nempe ad correctionem & salutem, non ad condemnationem: salutem, inquam vel suam ipsorum vel saltem aliorum, vt horum exemplo discant non peccare, nec Deū blasphemare. Et hoc non pugnabit cū charitate, sed potius erit ex charitate, modo quis seipsum, non fallat. Patet hoc ex iis, quæ supra de imprecationibus Prophetarum dicta sunt. Huc faciunt quæ Augustinus scribit Tomo 8. in Psalmum 78. Is columna 883. mouet hanc quæstionem, quam

hic tractamus, idque propter dictum Apoc. 6. *Vindica sanguinem, &c.* & propter illud, *lætabitur iustus cùm viderit vindictam, &c.* quatuor adfert causas honestissimas cur lætetur iustus, cùm videt vindictam inimicorū & suorum & Dei, id est, impiorum: prima est, quoniam Deū diligat ideò, lætatur iustitiâ diuinâ. *Iustus* (inquit) *cùm in eum* (scilicet inimicum) *videt à Domino vindicari, non eius delectatur pœna, quia non eum odit, sed diuina iustitia, quia Deum diligit.*

Secunda quoniam inimicum diligit. Ideò si videat diuina vindicta eum corrigi, lætatur.

Tertia, quoniam proximum diligit: ideò vindictâ diuinâ in impios lætatur. quoniam illâ saltem alij discunt impios non imitari & timere Deum. [Denique (*inquit*) si in hoc seculo in eum vindicatur, vel pro illo etiam lætatur, si corrigitur, vel certè pro aliis, vt eum timeant imitari.]

Quarta, quoniam ipse quoq. pius aliorum exemplo fit melior. Ideo subdit: [Ipse quoque fit melior, nō supplicio illius odia sua pascendo, sed errata emendando, *Concludit*, Ac per hoc, de beneuolentia est, non de malitia. quòd lætatur iustus, cùm videt vindictam.]

Quæ igitur regulę seruādę sunt in iis imprecationib.?

Prima, quoad Deum, vt illius prædestinationi nihil præiudicemus, nihil petamus, nisi quod ille prædestinauerit. Si ergo ex speciali spiritus reuelatione nobis non constat, quid Deus de impio aliquo decreuerit, contineamus nos in verbo, & nihil contra quempiam particulariter precemur, præsertim æternum exitium, nisi conditionaliter, si ita decreuit Deus.

Secunda quoad proximum: Nullius hominis, quâ homo, perditionem appetamus, sed omnium potius salutem in genere desideremus. Si igitur contingat, vt accensi Zelo vel gloriæ Dei, quam conculcari videamus ab impiis, vel Ecclesiæ Christi, quam videamus aut ab hæreticis prauis doctrinis infici, aut à sceleratis & carnalibus hominibus prauis moribus contaminari, aut à tyrannis opprimi: si inquam tali Zelo affecti, quasi extra nos rapti, excitemur ad mala imprecanda iis hostibus Christi, auertamus oculos ab hominibus ipsis, & toti extra hominum considerationem rapti, atq. in solam Dei gloriam. & regnum Christi, quod est Ecclesia. promouendum intenti, nihil contra homines, sed tantum contra regnum peccati imprecemur.

Tertia, quoad nos: Nullis nostris affectibus, nullâ φιλαυτίᾳ ducamur ad imprecandum, sed tantum spiritu Dei. Si ergo spiritus aliquis obrepat, quo excitemur ad imprecandum, diligenter illum examinemus, an ex nobis & nostris affectibus oriatur, an aliunde. Si senserimus nos nullo affectu affici, nisi amoris, tum in Deū, & gloriam eius, tum in regnum Christi. & Ecclesiæ eius salutem, spiritus erit bonus & è cœlo. Si verò alio affectu, vt amore nostri, vel nostrorum, spiritus carnis est & è nobis. Est igitur hoc perpetuò circa has imprecationes memoriâ tenendum, quòd sancti in iis imprecationibus, neque vllo proprio affectu ducebantur, neque cuiuspiam hominis, quā homo est, perditionem optabāt; sed toti auersi à cogitatione tum suimet, tum aliorum omnium hominum, atque in solum Deum defixi, intentique tum ad gloriam Dei, tum ad regnum Christi promouendum, agebantur à spiritu Dei, ad optandum, vt potiùs totus mundus pereat, quàm vt vel tantillum decedat gloriæ Dei, & potiùs damnentur & citò quidem omnes impij, & Antichristi, quàm vt regnum Christi, & eius Ecclesia, vlla in parte violetur aut subuertatur. Atque hoc maximum est veræ charitatis testimonium. Quid enim, si fidelis, & zelantissimus Ecclesię pastor, videns ab vna parte gregem Christi periclitari, & ab altera videat lupum hæreticum, Satanæ instinctu grassantem, quem videat non posse suis, scilicet pastoris, viribus arceri, statim ad Dominum confugiat, dicendo; Domine hunc tu lupum arce & hunc potiùs perde, quàm vt sinas Ecclesiam tuam perdi: hánene imprecationem damnabimus? Minimè. Testimonium enim est, quòd sit verus pastor. Amor enim Ecclesiæ cū ita abripit extra se, vt nihil aliud cogitet, quàm Ecclesiæ salutem. Hinc quidam vir Doctus, Aepinus in Ps. 5. Zelus diuini amoris, & sincera proximi dilectio, nullis modis permittit, vt pro impiis, Deo pertinaciter resistentibus, preces fiant.

Cæterùm, melior regula præscribi non potest, illâ quā tradit Iohannes, nēpe, quòd ipsa vnctio docebit nos: & Paulus inquit, *quid oremus nescimus: ipse autem Spiritus*

HHhh

Rom. 8. *interpellat pro nobis.* Sinamus igitur regi nos à spiritu sancto, cùm in aliis omnibus, tum in hac actione.

DE REPROBATIONE POP. *Iudaici*, in ea verba Ies. vers. 6. *Certè deseruisti populum.*

PRONVNCIAT hîc Propheta, populum Iuda, à Deo ex omnibus populis electum, fuisse tamen à Deo reprobatum: nec ipse tantum hîc & alibi hoc asserit: sed alij quoque Prophetæ sæpius vaticinati sunt de hac Iudæorum reprobatione: Et Paulus Rom. 11. ait sub metaphora oliuæ, *fractos esse ramos, abscissos de oliua*, id est, Iudæos reprobatos à Christo, abscissos à corpore populi Dei: & Christus Matt. 21. & alibi sæpius testatur, reprobandum hunc esse populum, multis parabolis.

I. Circa hanc populi Iudaici reprobationem, hæ mihi quæstiones se offerunt. Quomodo potuit populus ille, ex omnibus gentibus à Deo in peculiarem sibi populū, in peculium, in filium denique primogenitum electus, reprobari? ergo Deus non sibi constat in sua electione? Rom. 11. Sine pœnitentia sunt dona Dei & vocatio? Resp. Duplex est electio, & reprobatio Dei. Vna electio est æterna, & ad vitam æternam attinens, & hæc est, qua quis electus ab æterno fuit in Christo à Deo, ad vitam æternam, vt sit particeps salutis, quæ est in Christo, ideóq; sit sanctus & immaculatus denique vt vitam æternam habeat: de qua Eph. 1. Elegit nos in Christo, &c.

Contrarium huius electionis æternæ, est æterna reprobatio, qua quis iudicio Dei etsi occulto, tamen, iusto, reprobatur à Deo, ne sit salutis in Christo particeps, sed destituatur ad æternam damnationem. De hac Ro. 9. Vasa iræ aptata in interitum. Quod igitur ad hanc primam electionem attinet & reprobationem, dico, neminem qui electus fuit semel in Christo à Deo, reprobatum ni, aut reprobari posse, Ioh. 6. Omne quod dedit mihi Pater, ad me veniet & eum qui venit ad me, nō eiicio foràs. Ioh. 10. Nemo potest oues meas rapere de manu mea: Pater meus, qui eas dedit mihi, maior omnibus est. Ratio est, quia cum illa electio facta fuerit à Deo, ex mera gratia, & ad æternam vitam nihil est, quod eam impedire possit, ne impleatur. De hac nō loquitur hic Propheta, neque alibi alij Prophetæ, cùm de reprobatione Iudæorum loquuntur.

Altera electio temporalis est, quâ quis etiam ab æterno reprobatus, ne sit particeps vitæ æternæ, temporaliter tamen eligitur, non quidem ad æternam salutem in Christo, sed ad aliquod externū munus seu officium, vel donum, v. g. ad munus Apostolatus, sicut Iudas, ad regiam dignitatem vt Saul: ad regimen Ecclesiæ, vt Episcopi septem Ecclesiarum in Apocalypsi, & in veteri Testamento plures sacerdotes: denique ad externam Ecclesiæ Dei faciē id est, vt sit visibilis Ecclesia Dei, vel in hac Ecclesia externa & visibili censeatur, vt populus Iudaicus. De hac secunda electione. Ioh. 6. Nonne duodecim ego vos elegi, sed vnus ex vobis est Diabolus? de electione ad Apostolatum loquitur.

Reprobatio huic contraria est, cùm quis ab officio, vel dignitate, & id genus aliis externis & temporalibus donis, ad quæ antè electus fuerat, reiicitur. Exempla huius reprobationis multa sunt in sacris literis. Hos. 4. Quoniam tu repulisti scientiam, reprobaui & ego te, ne sacerdotio fungaris mihi. Mat. 21. Auferetur à vobis regnum (id est,) regimen Ecclesiæ) & dabitur genti fructum ferenti.

Ex hac allata à me duplici electione & reprobatione differentia, satis perspicuè respōsio patet ad quæstionem. Dico igitur primò, quòd illi, qui in populo Iudaico fuerunt electi ab æterno, vt essent participes vitæ æternæ in Christo non fuerunt vnquam reprobi. Secundo, cùm totus ille & solus quidem populus Iudaicus, electus fuisset temporali externáque electione, vt esset visibilis Dei populus & Ecclesia totus etiam fuit reprobatus & destitutus hoc priuilegio, quo ante erat donatus, nempe vt solus esset populus Dei, & Ecclesia Dei visibilis. Nam electus fuit populus Gentilis, in populum Dei, in quo tamen reliquiæ, aliquot Israel seruatę sunt, atque ita ex duobus, vnus factus est populus Dei. Hos. 2. Vocabo non plebē meā, plebē meā. De hac reprobatione loquitur pręcipuè hîc Iesaias, dicendo, *Certè deseruisti populū.* Huic addo tertio, quòd ipsi etiam electi, adde & vocati ad gratiam in Christo, aliquando partim, licet non penitus, deseruntur à Deo, & eius gratiâ destituuntur, sicut Petrus, quando negauit Christum: Dauid, cùm adulterium commisit: sicut etiam populus Iudaicus, cùm hanc concionem haberet Iesaias.

Quartò, deseruntur etiam electi atque pij à Deo in cruce, & destituuntur auxilio Dei, sed ad tempus: tandem verò iterum à Deo assumuntur. Sic Christus Psal. 22. *Deus meus, quare dereliquisti me.* Sic populus Iudaicus sæpè desertus & destitutus fuit auxilio Dei externo, quando propter sua scelera traditus est in manus hostium. De hac etiam loquitur Ies. Destitutus enim à manu Dei, captiuus ductus fuit in Babyloniam, sed ad tempus. Deinde postremò à Romanis perpetuo iugo seruitutis subiugatus.

II. Sed hinc oritur secunda quæstio, si Iesaias loquitur de reprobatione, ne populus ille esset populus Dei, & quidem propter scelera sua: quomodo igitur Deus steterit suis promissis, quæ fecit illi populo, se fore illi patrem & illum sibi in filium, & populum peculiarem perpetuo & æternum, cuius generis promissionum plenæ sunt scripturæ.

Resp. Facilis est: promissiones illæ bifariā considerari possunt: primò quatenus ad solos electos propriè pertinent: ita sunt Euangelicæ, & ita nunquā irritæ possunt fieri. Continet enim Deus electos suos in gratia, facitque vt sint sibi in filios, & ipse æternus illis est Pater. Secundò, considerari possunt, quatenus factæ sunt toti populo: ita legales sunt, & ex conditione intelligendæ, nempe si seruarent legem, & parerent Deo. Exod. 19. Si ergo audieritis vocem meam, & custodieritis pactum meum, eritis mihi in peculium de cunctis populis, &c. & vos eritis mihi regnum, Sacerdotium, & gens sancta. Quandoquidem igitur non seruarunt legem Dei, nec paruerunt Deo, non est accusandus Deus, quasi promissis non steterit, quia populum reiecit, ne esset sibi populus: imò vere stetit promissis, quæ erant ex conditione, dum populum reiecit: Ideò Paulus, cum Iudæi altera ex parte viderentes se reiici ab Euangelio, & altera ex parte Gentiles assumi, admirarentur, multis ex veteri Testamento allatis testimoniis, ostendit talem & Gentium vocationem, & Iudæorum reprobationem prædictam fuisse. Moses præsertim Deut. 32. Hanc Iudæorum reprobationem prædixit, nempè quòd Deus populum hunc esset reiecturus ob suas iniquitates. Inde Prophetæ sumserunt, quod de hac reprobatione vaticinati sunt.

III. At hinc oritur tertia quæstio: Si propter scelera sua reiecti sunt Iudæi, vt Iesaias ait: quid est igitur, quod Paulus docet ad Rom. Infidelitatem Iudæorum, non potuisse καταργεῖν fidem Dei, & promissiones ipsius abolitas facere? dicendo: *Quid enim si fuerunt increduli? Numquid infidelitas illorum fidem Dei euacuauit*, id est, irritam & inanem fecit?

Resp. Promissiones illi populo factæ, duplicis sunt generis, aliæ legales, aliæ Euangelicæ. Legales conditionem operum exigebant: Euangelicæ, minimè. Legales etiam duplices: aliæ terrena bona promittebant, pacem, abundantiam rerum omnium, &c. si legem seruarent, sicut est Deut. 28. vt quòd futurus esset populus Dei omnium felicissimus. Istæ sæpiùs factæ fuerunt irritæ, propterea quòd populus conditionem, quam requirebat Deus, nempe legis obedientiam, non præstitit. Idcirco loco benedictionum, venerunt super eum maledictiones: sæpius traditi in manus hostium suorum, & tandem reiecti ne essent sibi visibilis & peculiaris Dei populus. Et de hac reiectione propriè loquitur hic Propheta, *Reiecisti populum tuum &c.* Aliæ legales promissiones æterna & spiritualia bona promittebant, nempe iustitiam & vitam æternam, si legem præstarent, vt Paulus interpretatur ad Rom. 10. Loquens enim de vera iustitia & vita æterna, inquit, hanc propositam fuisse in lege, sub operum conditione: *Qui fecerit hæc* scilicet iudicia & præcepta legis *homo, viuet per ea*, nempe vitam æternam. De ea enim loquebatur Moses Leuit. 18. vnde hæc verba sumta sunt: In Euangelio verò eandem proponi sub conditione fidei dicendo: *Quæ autem ex fide est iustitia, sic loquitur, ne dixeris, quis ascendit, &c.* Istæ legales promissiones, quæ vitā æternā sub cōditione perfectæ obedientiæ legis promittebant, partim irritæ, partim non irritæ sunt factæ. Irritæ prorsus, quatenus populus conditionē legis nō seruans (Neq. enim poterat: sed tamen impotentiæ vitium ex seipso erat) illarum complementum seu effe-

effectum in seipso impediuit, ac potiùs mortem sibi accersiuit. Ideo *Gal.*3. Quicunque sub lege sunt, sub maledictione sunt. Partim etiam non sunt irritæ factæ, tum quoniam non solùm populi illius, sed ne totius quidem generis humani incredulitas obstare potuit aut potest veritati promissionum Dei, quin semper veræ sint, quod qui legem seruant, viuent per eam: tum quia in Christo complementum habuerunt, quippe qui perfectissimè legem impleuit. De his promissionibus legalibus tã primis, quàm secundis, Paulus non loquitur Rom.3. Est enim res manifestissima, quod Iudæi sua incredulitate impediuerunt, ne hæ promissiones Dei suum in se complementum ac fructum haberent: nisi velimus etiam ita interpretari locum Pauli, quòd Iudæi, imò vniuersum humanum genus, sua incredulitate obstare non potuerit Dei veritati, quin firma semper & stabilis maneat, quã promisit Deus, *si quis fecerit hæc homo, viuet per illa*: sed hæc aliena est à mente Pauli in illo loco interpretatio. De toto Euangelio Paulus loquitur, quoniam ibi nõ operum, sed fidei mentionem facit, dicendo, *quid si quidam ex illorum non crediderint?* Veniamus igitur ad promissiones Euangelicas.

Euangelicæ promissiones etiam duplicis sunt generis: aliæ erant de Christo ipso mittendo in Mundũ pro salute mundi, & de rebus, quæ ad hoc necessariæ erant, v.g. promissiones, quibus promittebat, se effecturum: vt ex hoc vnico populo Iudaico, ex tribu Iuda, ex domo Dauidis, carnem sumeret: inter populum illum se contineret, ibi Euangelium prædicaret, minister esset circumcisionis, non autem præputij, denique mortem subiret pro peccatis mundi: Deinde, quòd post eius in cœlum ascensionem missurus esset Apostolos ad prædicãdum Gentibus. Hæ primæ promissiones Euangelicæ, irritæ fieri nullis vel populi illius, vel totius mundi peccatis potuerunt. Ratio: Pendebant enim a mero Dei beneplacito & voluntate, nec quippiam à populo Iudaico vel à toto mundo requirebatur ad hoc, vt hę promissiones suum complementum obtinerent. Ideóque vbi venit plenitudo temporis constituti, impletæ sunt eiusmodi promissiones, nullis vel totius mundi sceleribus reclamantibus. Et de iis loquitur Paulus ad Rom. 3. Cùm enim sermonem haberet de prærogatiua Iudæorum, eam potissimùm in hoc constituit, quòd illi factæ essent promissiones de Christo, & concredita illis eloquia Dei. Non obstat autem huic dignitati, quòd quidam illorum (id est, maxima pars) non crediderunt. Nã mansit tamen hæc prærogatiua in populo, & fides non fuit impedita, quin missus sit Christus, & ita impletæ hę promissiones.

Aliæ erant promissiones Euangelicæ de fructu, seu de salute, quæ ex Christo erat deriuanda ad homines, quibus se promittebat remissionem peccatorum, iustitiam & vitam æternam in Christo, idque non ex operum conditione, sed ex gratia.

Cæterùm hæ etiam bifariam considerari possunt: primò, quatenus omnibus promiscuè offeruntur & prædicantur hæ promissiones, hoc pacto non habent quidem operum conditionem: sed tamen veræ fidei, quæ cũ vera pœnitentia sit coniuncta, conditionem requirunt, Qui crediderit, saluus erit. *Roman.*10. Si credis in corde tuo, &c. Sic fiunt in multis irritæ, videlicet in reprobis omnibus, qui fidem non adhibent. Secundò considerari possunt, quatenus ad electos tantùm, id est, filios promissionis pertinent, vt est ad Rom. Hæ promissiones Euangelij sic acceptæ, etsi conditionem fidei exigant, sine qua salus haberi non potest: fidem tamen etiam ipsam gratuito promittunt, ideóque & effectum suum consequuntur in electis. Deus enim dat ipsis fidem, quam promisit, idque gratuito: deinde, per fidem illam fit, vt iustitiam & reliqua beneficia omnia Euangelij assequamur. Promissiones Euangelicæ hoc pacto acceptæ, nunquam irritæ fieri possunt, quia in electis, ad quos propriè pertinent, suum complementũ consequuntur. Sic etiam possumus illud Rom.3. interpretari. Quærit Paulus, cùm plurimi Iudæorũ fuerint fœdifragi, numquid illorum perfidia efficere potuit, vt fœdus Dei de salute æterna, cum populo illo initum, factum sit irritum? Respondet, nequaquam: quoniam vtcunque in maiori populi parte, id est, in reprobis omnibus, fœdus illud sui complementum habere non potuit, propter ipsorum incredulitatem: in electis tamen, qui erant in illa Gente, sui complementum obtinuit, Donati enim sunt fide, & fide salutem acceperunt æternam in Christo. Apparet igitur, quã reprobatione Iudaicus populus fuerit reprobatus: & quòd propter scelera sua reprobatus sit: quódque locus iste Iesaiæ, non aduersetur dicto Pauli Rom.3.

IV. Quare Iesaias, cùm videat se verba in cassum ad populum illum peruicacem profundere, pergit tamen in sua concione, & reprobationem illi suam denunciat causásque reprobationis assignat, & hortatur ad pœnitentiam?

Resp. Etsi populi, ad quos habemus conciones, videãtur omnes Euangelio vel parum credere, vel etiam aduersari, ideóque vix vllum ex nostra concione proficere videamus: non debemus tamen ab officio nostro faciendo cessare, tum quia electi, qui ibi sunt, tandẽ conuertentur: tum quia reprobi inexcusabiles redduntur, ne vllam excusationem suis impietatibus prætexere possint. Hinc enim etiam gloria Dei vindicatur. Ideo Ies. 55. Verbum meum nũquam reuertetur ad me vacuum, ait Dominus. Ita etiam facit Iesaias.

At cur præcipuè reprobationem ipsorum illis annunciat Iesaias? quorsum? quæ inde vtilitas? potius dandus est animus populis, & spes facienda salutis in Christo: quàm illis denuncianda certa ipsorum damnatio, quã in desperationem coniiciuntur, & ita pereunt.

V. Resp. Non superuacanea aut inutilis fuit hæc annunciatio, sed vtilissima: vtilis fuit & illis Iudæis, & nobis Gentibus. Primò Iudæis illis, ad falsam fiduciam, quam in carne, id est, in templo, in ceremoniis, in carnali Abrahæ semine collocarant, deponendam. Cùm enim Iudæi illi plurimum carnali suã nobilitate, nempe quia semen Abrahæ, quia Messias ex ipsis nasciturus, quia illis factæ promissiones, data terra Chanaan, ædificatum Dei templum, populus Dei dicerentur, cõfidentes, putarent fieri nunquam posse, vt propter sua scelera reprobarentur à Deo, in sceleribus securè viuebant, Deum nil timebant &c. Iesaias ergo docet, illos hallucinari: Deum enim illos reprobaturum. Vtilis igitur illis fuit. Nobis verò Gentibus duplicem adfert vtilitatem illud de Iudæorum reprobatione vaticinium: primam, quoniam certiores nos reddit, Christum iam aduenisse, nec vllum amplius seruatorem mũdi exspectandum esse. Iesaias enim vna ex parte concionatur, reprobandum esse populum Iudaicum, ne sit populus Dei, in extremitate dierum, id est post Christi aduentum: nos verò altera ex parte videmus hoc vaticinium impletum, populum Iudaicum penitus reiectũ, ne amplius sit Dei populus. Ergo inferimus necessariã & certissimã consecutione Christum aduenisse. Fides igitur nostra de Christo, illo vaticinio confirmatur.

Secunda vtilitas quam adfert est, quoniam hoc, reiecti illius dilecti populi ob suam infidelitatem, exemplo erudimur ad timorem Dei, ad perseuerantiam in fide, & obedientiã fidei. Si enim populo illi, ex omnibus Gentibus electo, cui factæ promissiones, &c. legem tamen Dei non custodienti, nec verbo Dei fidem veram adhibenti, nõ pepercit Deus, sed reiecit ne sit populus Dei: quatò minus ignoscet nobis, si non pareamus Euãgelio, quod non per Mosen, sed per Christum allatũ est? Hoc exemplo reprobatorũ Iudæorũ propter incredulitatẽ, Paulus vtitur Rom.11. ad incutiendũ timorẽ Gentibus, dicẽdo: [Si enim naturalibus ramis non pepercit Deus, vide ne qua fiat, vt nec tibi parcat. Dices itaque mihi, fracti sunt rami, vt ego inserar. Benè, propter incredulitatem fracti sunt. Tu autem fide stas, noli altum sapere, sed time, ne qua fiat, vt nec tibi parcat.] Heb.2. Si enim qui per Angelos dictus sermo, fuit firmus, omnisque transgressio & contumacia iustam mercedis retributionem retulit: quomodo nos effugiemus, si tãtam neglexerimus salutem, quæ initium accepit à Domino Iesu?

VI. Sexta quæstio est de tempore, quando habita fuerit hæc concio. Quando igitur habita fuit hæc concio à Iesaia, sub quo Rege?

Resp. Supra in prolegomenis nostris in Iesaiam, diximus, cõciones has à capite primo, vsque ad sextum caput, vbi mors Regis Oziæ commemoratur (quantum nobis cum aliis videtur) habitas fuisse sub Ozia Rege Iudæ, id quod vero simile omnino facit præsens contextus. Dicit enim Iesaias, terram populi plenã esse auro & argento, quadrigis & equis, &c. Hoc enim optimè respondet iis, quæ leguntur 4.Reg.15. & 2.Paral.26. Sub Ozia enim felicissimè vixit populus, victorias multas de suis hostib. reportauit, ideóq. & vero simile est, quadrigas & equos multos, auri & argẽti plurimũ à deuictis hostib.

4. vel 5. annis fiant: vel si opus sit, quotannis, & vbi, & quando, &c.

4. Alij circa officia, studia & exercitia Clericorum: vt leges de officio concionandi, quid & quomodo concionari debeant: leges de studiis, quibus literarum studiis vacandum, & quibus non: leges de non exercendis mercaturis, & aliis, quæ ad quæstum faciunt, artibus.

5. Alij circa iudiciales: vt leges de arbitris & iudicibus Ecclesiasticis, de testibus, quot testes ad accusationem Episcopi requirantur: item leges de pœnis, quibus pœnis singula peccatorum genera afficienda sint.

6. Alij circa ædes Clericorum: vt leges de non habitandis insanis & sumtuosis ædificiis, & leges de non habitando cum mulieribus nulla sibi affinitate coniunctis: Item leges, de regenda & instituenda familia in fide, & de aliis ad domus & familiæ regimen facientibus.

7. Alij circa mores Clericorum, quales tam domi, quàm foris esse debeãt: vt leges, ne quis Clericus aleę, ne quis Venationi, ne quis comessationibus & ebrietatibus vacet: ne quis lasciuis choreis ac saltationibus interfit: leges de vestimentis, quibusnam vestimentis indui debeant Clerici. Alia enim vestimenta decent Laicos, quæ non decent Clericos, &c.

Hæc de canonibus Ecclesiasticis, quibus disciplina Clericorum continetur. Iam ad collationem cum superiori disciplina redeamus.

3. Illa habet publicam & priuatam doctrinam, publicas & priuatas admonitiones, correctiones, obiurgationes, iurisdictionem, qua in scelera, ex verbo Domini animaduertit. Hæc, præter doctrinam verbi Dei publicam & priuatam, habet etiam alias doctrinas humaniores, Dialecticam, Rhetoricam & reliquas, quæ aliquid faciunt ad intellectum scripturarum. Debent enim Clerici in iis etiam artibus institui. In hunc finem institutæ sunt scholæ, & collegia publica in Ecclesiis semper fuerunt, vt ibi Clerici instituerentur in bonis literis: habet suas correctiones, obiurgationes, suas pœnas & censuras, & denique iurisdictionem, quibus quidem corrigerentur, & castigarentur Clerici & Episcopi, qui non solùm legem Domini, sed etiam Canones illos violarent. Multa autem pœnarum & censurarum Ecclesiasticarum genera leguntur in Conciliis, & in Patribus, sed summa erat, cùm quis suo vel Episcopatu, vel alio Ecclesiastico officio abdicabatur, & à communione ad tempus separabatur.

4. Illa in ædificationem, non in destructionem Ecclesiæ fuit instituta, id est, vt fideles, cùm in veritate Euãgelij orthodoxáque doctrina, tum in obedientia legis instituantur & contineantur: Hæc primò in hunc generalem finem, nempe in ædificationem Ecclesiæ: Secũdò, in hunc particularem, vt clerici non solùm in vera & orthodoxa doctrina, & in obedientia legis Domini, sed etiam in obseruatione Canonum contineantur. Hic particularis fuit finis. Ideò additæ pœnæ transgressoribus, ne impunè quis eos violaret. In hunc finem vnicuique Episcopo sui Cleri gubernatio committebatur, vt secundùm Canones, suos Clericos constitueret & in officio contineret. In hunc finem quotannis semel aut bis, suas Ecclesias visitabant cum aliquot Presbyteris, vt qui in officio fuisset negligentior, admoneretur & corrigeretur, qui vel contra legem Dei peccasset, vel Canones violasset, puniretur. In hunc finem prouinciales synodi quotannis à Metropolitano cogebantur, vt etiam Episcopi, qui suum officium non fecissent, & Canones violassent, aut aliud contra legem Dei, cum scandalo Ecclesiæ peccassent, corrigerentur, punirentur, &c. In hunc finem vniuersalia etiam Concilia sæpius iussu Imperatorum indicebantur, vt ibi etiam ipsi Metropolitani, si quid dignum animaduersione fecissent, castigarentur. Summa: ad hunc finem tota illa disciplina Clericalis dirigebatur, vt Clerici & Episcopi omnes in suo legitimo officio continerentur, quod illis tum in verbo Dei, tum in Canonibus illis sacris erat præscriptum, atque in Ecclesia Dei benè & rectè esset gubernata.

5. Illa, alia ratione corrigit peccata priuata, & alia publica: aliis pœnis leuiora, aliis grauiora punit in singulis fidelibus: Hæc idem facit in Clericis. Ideò diuersæ erant censurarum & pœnarum species. Seuerissima Episcoporum animaduersio erat, vt deponerentur ab officio, qui peccauerant, & à communione ad tempus separarentur.

Denique hæc est summa: Disciplina illa Clericalis cõstat propriis legibus, qui Canones appellantur: & propriis pœnis ac correctionibus, quæ censuræ dicebantur.

Hæc est disciplina illa Ecclesiastica, quã Christus per Apostolos & viros Apostolicos suam regebat Ecclesiam, quã seu freno fideles aduersus Dominum ferocientes, coercebat: quã ceu stimulo, ad verbum Domini audiendum, & ad legem implendam parùm voluntarios & pigros excitabat: quã seu ferula fraterna, legem Domini transgredientes, castigabat: quã extra ordinem euagantes in ordinem reducebat: quã ad publica ieiunia, solennes preces, & alia pœnitentiæ exercitia pro necessitate extimulabat: quã denique omnes in vera & orthodoxa Euangelij doctrina & in veræ legis obedientia cõtinebat. Ad hæc enim omnia facit & instituta est Ecclesiastica hæc disciplina. Quis igitur ex iis omnibus, quæ hactenus diximus, non videat, quàm sancta, quàm vtilis, quàm necessaria res sit in Ecclesia, hęc disciplina? ideóque quanto thesauro destitutę sint nostrę Ecclesię. Hæc de ipsa disciplina dicta sunto. *Conclusio totius huius tractatus.*

Porrò cùm hæc ita se habeant, videant igitur principes & magistratus, qui hanc disciplinam in Ecclesiam restitutam nolunt, quid agant. Hæc instituta est à Christo, vt perpetuò in Ecclesia tanquam singularis thesaurus conseruetur. Ergo qui eam exulare volunt, sciant se velle Christum exulare. Hæc pars est Euangelij Iesu Christi: Ergo qui hanc restitutam nolunt, sciant se nolle Euangelium Christi, sicut debet, restitutum. Quomodo igitur gloriamur restitutum esse Euangelium in Ecclesiis nostris si hanc, eámque non postremam partem Euangelij, restitutam nolumus? Hac vitia corriguntur, virtutes promouentur: ergo qui hanc disciplinam restitutam nolunt, quomodo audent dicere, se vitia odisse, virtutum verò amantes esse? pietatis promotores, impietatis osores? Hac conseruatur & regitur Ecclesia, singulaque Ecclesiæ membra suo quæque loco cohærent: ergo quomodo qui hanc expulsam volunt, dicent, se velle Christi Ecclesiam bene rectam? quando sine hac benè regi non potest. Si nulla domus, nullum oppidum, nulla vrbs, nulla respublica, nullum regnũ, ne exiguus quidem ludus literarius, sine disciplina regi potest, quomodo poterit Ecclesia?

Ac profectò nescio, cur principes nostri, qui Christiani & Euangelij reformatores appellari volunt, hanc Euangelij partem, hanc Christi institutionem, hanc tam vtilem & necessariam disciplinam, postliminio reuocare in Ecclesiam nolint: An forasse putant, rem esse ab hominibus inuentam, imò ab Antichristo in Ecclesiam Christi introductam? At toto aberrant cœlo. Longè antè quàm nomen Papæ auditum esset in orbe terrarum, disciplina hæc in Ecclesia fuit à Christo instituta, ab Apostolis vsitata, & à sanctis Patribus custodita, Tyrannicam quidem, qualis est in Papatu, disciplinam introduci in Ecclesiam nolo, sed eat cum toto Papatu ἐς κόρακας: Christianam vero & liberam, hortor principes vt reuocent disciplinam. *Non est ab hominib.*

Forasse dicunt, non esse necessariam, quoniam adest ciuilis disciplina, qua vitia corriguntur. At hæc in Ecclesia non sufficit, cùm aliud sit munus ciuilis, aliud Ecclesiasticæ disciplinæ. Plectit quidem, verbi gratia, eum, qui inebriatus est, ciuilis disciplina: vel carcere, vel pecunia, atque ita satisfactum est ciuili disciplinæ: sed an ideo Magistratus eum arcebit à cœna Domini, si nulla pœnitentiæ signa dederit? Hoc non faciet ciuilis. ergo opus est Ecclesiastica, cuius est hoc munus, &c. Pastor ergo, si huiuscemodi hominem ebriosum punitum quidem à ciuili disciplina, viderit adhuc suæ pœnitentię fidem non fecisse, arcebit à cœna: secundùm potestatem Ecclesiasticæ disciplinæ. Deinde, si Magistratus errat, quis eum puniet? Ambrosius Theodosium Imperatorẽ, quem nullus punire poterat: puniuit gladio disciplinæ Ecclesiasticæ, cum è templo Dei expellens. *1. Necessitas est.*

Ne igitur dicant aliqui, disciplinam à Christo institutam esse ad tempus, quia Ecclesia non habebat Magistratum ciuilem, dico, etiamsi habuisset, Christum tamẽ eam instituturum fuisse: Longè enim diuersum est munus vtriusque. Quid ergo est, cur eam restitutam nolint?

At (inquiunt) periculum est, ne vertatur in tyrannidem Ministrorum, sicut etiam Papa fecit.

Resp. Primò, si à re necessaria, & per Christum instituta

stituta & iussa, abstinendum est, quia periculum est, ne vertatur in malum. Ergo neque libertas Christiana, quam prædicat Euangelium, permittenda est populo, quoniam periculum est ne eam vertat in licentiam carnis: imò quoniam multi eam vertunt in libertatē carnis, ideo interdicenda est populis. Simpliciter parendum est Christo, in iis quæ mandat, & nihil est timendum. Secundò, ergo imprudēs Christus, cùm hoc instituit, quia non præuidit periculum hoc. Hi sunt carnis prætextus, quæ freno non vult cohereeri, sed lasciuire & ferocire contra Dominum impunè.

At timetur seditio et tumultus.

Resp. Ergo neque Euangeliū est prædicandum, quoniam ad prædicationem Euangelij impij seditionem mouent. Nihil est, ad cuius aduentum, maiores orti sint tumultus, quàm ad prædicationem Euangelij, vt patet in Actis & Euangeliis. Dexterè omnia tractentur & reliquum permittatur Deo. Scio quod omnis disciplina in præsens quidem nō videtur esse gaudij, sed mœroris: At postea fructum tranquillum iustitiæ reddit iis, qui per illum fuerint exercitati. Furit quoque equus, cùm in os frenum iniicere vis: sed coniecto freno, sinit se regi, &c.

Quid? Annon vident Principes & Magistratus nostri, quantum malum in Ecclesia oriatur, & intus & foris ex neglectu contemtúve huius disciplinæ: Foris nulla res est, quæ magis Papistas & alios arceat, vel saltem retardet, ab amplectēdo Euāgelio, atq; hæc disciplinæ Ecclesiasticæ destitutio, quæ est in Ecclesiis nostris. Intus nihil quod magis alat vitia, hæreses, &c. An non vident Ecclesias suas principes plenas sectis hæreticorum, & impurorum hominum? Ad has confluit omne genus hominum fanaticorum, impurorum, &c. tanquam ad asylum. Quare? quia ibi nulla disciplina.

Sciant ergo principes, & quicunque illi sint, qui disciplinam Ecclesiasticam in Ecclesiis restitutā nolunt, sed ei aduersantur, eámque proscribunt, se Christo aduersari: sciant, qui Ministros impediunt, ne eam exerceant, se Christum & Deum impedire, ne sua fungantur potestate. Quid enim agunt Ministri, cùm excommunicāt? Pronunciāt sententiam Domini. Ait enim Christus, *Quæcquid ligaueritis in terris, &c.* Quid igitur agunt, qui impediunt Ecclesiam, ne sententiam Domini pronunciet? Peccant contra Christum, & rei sunt læsæ diuinæ Maiestatis. An nō reus esset læsæ Maiestatis Cæsareæ, si quis eius iudicem ne sententiam Cæsaris pronunciet impediat? Videant igitur, quid agant. Hactenus Christus rexit Ecclesiam suam hac disciplina, & ipsi principes, imò & ministri aliquot, nolunt eam sic regi? Viderint ipsi. Pronuncio, proclamo, protestor, eos peccare, qui cùm possint & debeant eam restituere, non restituunt. Hæc de ipsa disciplina Ecclesiastica de principibus & Magistratibus, quorum interest eam restituere, dicta sunto.

Nunc ad fideles priuatos sermonem meum conuerto, ac sic dico: Etiamsi Principes ac Magistratus Ecclesiasticam disciplinam restitutam nolunt: ob hanc tamē rationem ab Ecclesiis discedendum non est, quemadmodum nunc faciunt Anabaptistæ, & aliàs Donatistæ, tempore Augustini, homines nō solùm impij, atque indocti sed etiam impuri, quandam tamen nescio quam Angelicam perfectionem profitētes vel simulantes potius. Ecclesiam igitur Christi nullam esse agnoscunt, in qua non videant Angelicam hanc perfectionem lucere. Quare cùm in Ecclesiis nostris, vt semper fuit & erit in finem vsque seculi, videant aliquot vitia, non in populo tantùm, sed etiam maximè in Ministris, defectionem à nostris Ecclesiis faciunt, atque ita sub prætextu cuiusdam sancti Zeli, Ecclesiam Christi scindunt. Donatistæ idem quoque fecerunt: cùm viderent in Ecclesiis vitia aliquot, quæ verbis quidem ab Episcopis reprehēderentur, sed excommunicatione non punirentur: in Episcopos tanquam disciplinæ proditores atrocissimè inuecti, ab Ecclesia Christi Catholica, impio schismate se separarunt. Aduersus quos multa scripsit Augustinus, quæ habentur in septimo Tomo. Est autem regula generalis: Ab Ecclesiis illis, in quibus purè prædicatur verbum, ac sincerè, secundùm Christi institutionem, administrantur sacramenta, minimè faciendam esse discessionem. Hæc ad priuatos dicta sunto.

Iam Ecclesiæ Ministros alloquor. Ministri Ecclesiæ quantum per consensum & pacem Ecclesiæ licet, hanc disciplinā exercere debetis. Hanc enim potestatē vobis dedit Dominus, neque quispiam auferre eam potest: nec contenti esse debetis, vt doceatis quid agēdum, quid fugiendum sit, vt vt quisque pro sua libidine viuat, nihil curantes, sed vrgenda disciplina. Vide August. To. 4. de fide & operib. c. 4.

At impedimur per Magistratum?

Resp. Tunc illi significatè, quàm malè agat dum Ecclesiasticam disciplinam in Ecclesia locum habere non sinit, atque illum hortamini, vt restitutam velit. Quod si prorsus nolit, atque ita ex voto animi vestri non possitis corrigere in Ecclesia, quæ correctione opus habent, aut animaduertere in ea, quæ animaduersione indigēt, quid agendum? Deserendúmne est Ministerium? Minimè. Prophetæ etsi per Magistratus impediebantur, ne sicut optabant, vitia ab Ecclesia extirpare possent, & omnem penitus superstitionem delere, atque ita Ecclesiasticam disciplinam exercere: non tamen vnquam suum deseruerunt Ministerium. Hanc rationem adfert Augustin. de verbis Domini, & citantur in Decret. c. 23. quæst. 4. c. 1. Tolerandi: *Tolerandi sunt*, inquit, *quidem mali pro pace, nec corporaliter ab eis recedatur sed spiritualiter. &c.* Deinde *Non enim Propheta*, inquit, *qui hoc dicebant, populum suum dimiserunt, sed inter eos habitabant, quos increpabant.* Quid igitur agendum? Nunquid inusitata rigidaque asperitate tota Ecclesia est perturbanda? Minimè. Quid igitur agendum est? Persistendum est in Ministerio, & quanta potest fieri diligentia, illud perficiendum: quod potestis præstare, præstate: quod non potestis, lugete, & Dominum rogate, vt ipse, quod vos non potestis, suppleat. Hoc docent exempla Prophetarum, Apostolorum, & sanctorum Episcoporum veteris Ecclesiæ. Non erit abs re recitare hic quæ Augustinus hac de re scribit. Augustinus Tomo 7. contra Parmenianum, libro 2. c. 1. column. 25. A. & recitatur in Decretis c. 23. quæst. 4. c. quisquis. Item lib. 3 cap. 2. multa de hac Ecclesiastica disciplina scribit. Summa ad hæc capita redigitur.

Primò, tanti facienda est Ecclesiæ vnitas & pax, vt non solùm mali, sed multa etiam mala in Ecclesia propter hanc vnitatem Ecclesiæ conseruandam, sint nobis ferenda: præsertim autem non esse faciendam corporalem separationem ab Ecclesia docet. Vnde illud Galat sexto. *Sufferentes inuicem in dilectione*: & illud Ephesior. quarto. *studentes seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis.* Item exemplum Christi, pedes lauantis discipulis.

Secundò, non ita tamen sufferre debemus, vt negligamus corrigere peccata vnde ait, col. 56. *Sed ne perniciosè relinquantur, & quasi dissimulanter negligantur aliena peccata, quod non est minoris crudelitatis, quàm illud*, scilicet, arroganter corripere, aut ab Ecclesia discedere, *superbia, siquidem Apostolus dicit. Scripsi vobis in Epistola non commisceri fornicarios*, &c. Interpretatur autem Augustinus. hanc separationem faciendam esse, animo, corde, motibus, non corpore, nempe vbi periculum est schismatis, vel ne eradicetur triticum.

Tertiò, vbi aliquis reperiatur in Ecclesia dignus anathemate & excommunicatione, si periculum non sit schismatis, & turbationis totius Ecclesiæ, excommunicandum esse. Ergo colligo, vbi periculum est schismatis, & ne tota Ecclesia perturbetur, abstinendum esse ab excommunicatione disciplinæ Ecclesiasticæ, id est, iurisdictionis.

Quartò, vbi malum aliquod, vel morbus omnes occupauerit, id est, vniuersam, vel magnam partem corporis Ecclesiæ, tunc (inquit) nihil aliud bonis restat, quàm dolor & gemitus, clamandúmque ad Dominum, dicendo: Ne perdas cum impiis Deus, animam meam, & cum viris sanguinariis vitam meam, &c. & citat visionem Ezech. 9. & testimonium Pauli in 2. Cor. 12. Qui vbi vidit, non vnum & alterum, sed multos, & ferè vniuersam vrbem infectam morbo lasciuiæ, vt non præcipit cum eis boni cibum non sumant (nam ita scinderetur Ecclesia) sed luget, & ait, Ne iterum, cùm venero ad vos, humiliet me Deus, & lugeam multos ex vobis, qui non egerunt pœnitentiam. Per luctum suum, ait Augustinus, potius eos diuino flagello coercendos minans, &c. Et subdit, Et reuera si contagio peccandi multitudinem inuaserit, diuinæ disciplinæ seuera misericordia necessaria est. Nam consilia separationis & inania sunt, & perniciosa, atque sacrilega: quia & impia & superba fiunt, & plus perturbant infirmos bonos, quàm corrigant animosos malos.

Quintò, Et conclusio est: Misericordia ergo corripiat

homo quod potest, quod autem non potest patienter ferat, & cum dilectione gemat atque lugeat, donec aut ille desuper emendet & corrigat, aut vsque ad messem differat eradicare Zizania, & patientia ventilare: vt tamen securi de salute sua bonæ spei Christiani, inter desperatos, quos corripere non valent, in vnitate versentur, auferant malum à seipsis, id est, vt in ipsis non inueniatur, quod in moribus aliorum eis displicet. *Deinde addit*: Hoc qui diligenter cogitat: nec in conseruatione vnitatis negligit disciplinæ seueritatem, nec immoderatione coherctionis dirupit vinculum societatis. *Item att. col.63*.A. Turba autem iniquorum, cùm facultas est in populis promendi sermonem, generali obiurgatione ferienda est, & maxime, si occasionem atque opportunitatem præbuerit: aliquod Domini flagellum desuper, quò eos appareat pro suis meritis vapulare.

Idem. Tom. 2. epist. 64, ad Aurelium Carthag. Episcopum, conqueritur ac luget, quòd in Africa impunè grassetur ebrietas, quæ vsque adeo in scripturis damnatur, & suadet, vt coacto concilio Episcoporum, remedium adhibeatur huic tanto morbo. Sed tanta, *inquit*, pestilentia est huius mali, vt sanari prorsus, quantum mihi videtur, nisi concilij autoritate non possit. Subiungit tamen, & ait: Sed quod erat tunc dolendum, nunc auferendum est, non asperè, sed, sicut scriptū est, in spiritu lenitatis & mansuetudinis. *Item subdit col.315*. Non ergo asperè quantum existimo, non duriter, non imperioso modo, ista tolluntur: magis docendo, quam iubēdo: magis monendo quàm minando. Sic enim agendū est cum multitudine peccantium. Seueritas autem exercenda est in peccata paucorum.

Satis, quantum præsens locus Iesaiæ exigit, de disciplina Ecclesiastica quâ regit Christus suam Ecclesiam dixisse mihi videor. Ratio enim quâ Christus regit Ecclesiam, quatuor partibus (vt supra dixi) constat: primò, prædicatione verbi: secundo, sacramentorum administratione: tertiò, disciplina Ecclesiastica: & hæc tria externa remedia sunt, & per se sola inefficacia: quartò verò interna Spiritus sancti actione, qua aguntur & reguntur filij Dei Hæc ratio docetur iis verbis Iesaiæ: *Et ipse arguet populos multos*. quæ quidem vox, arguet, corriget, indicat rationem, qua Christus regit Ecclesiam: & præterea innuit in Ecclesia fore semper peccata, quæ opus habent, vt corrigantur.

CONIVNGI CVM HOC CAPIte de regimine Ecclesiæ nō incōmodè potest, explicatio quatuor sequētium quæstionū, ante annos triginta septem ab eodē D. Zanchio scripta, & Illustrissimo Principi ac Electori, FRIDERICO III. sanctissimæ memoriæ, ad petitionē eius Celsitudinis, exhibita, in qua, quæ iam de disciplina Ecclesiastica paulò fusiùs dicta sūt, breuiùs & magis perspicuè tractantur. Sunt autem quæstiones hæ:

1. PEr quos debeant fieri admonitiones priuatæ.
2. In quibus casibus, necessaria sit excommunicatio.
3. An & qui casus excommunicationis, in sacris literis extent.
4. Qua ratione alia, ædificatio & propagatio Ecclesiæ iuuari possit, cum omnibus necessariis circumstantiis.

Sic enim mihi, qui Germanicè parum admodum intelligo, explicata fuit literarum tuarum, quas ex Cancellaria nomine tuæ Celsitudinis, Illustrissime Princeps, accepi summa.

Ego verò primū tibi gratulor, istud tuū studiū piúmq. conatū. Facis enim officiū nō tā boni Christiani, quàm verè pij & optimi Principis. Nā tenemur quidē omnes, pro sua quisq. virili, & tata parte, regni Christi promouere, qui omnes sumus eius ciues: Sed hoc cū primis officiū est principū, & magistratuū, quemadmodū multis, & autoritatibus Scripturarū, & exemplis piorū Regum Dauidis, Asæ, Ezechiæ, Iosiæ, & aliorum, abundè demōstrari potest. Quò etiam spectat illa adhortatio: *Nūc ergo sapite ô Reges, erudimini iudices terræ, seruite Deo in timore, & exultate ei cum tremore. Osculamini filium, ne irascatur, & pereatis è via, cùm exarserit ira eius.* Minatur certè omnibus iram Dei: sed in primis Regibus ac Principibus, qui non se totos subiiciunt Christo, & illius regnum instaurare, tueri, conseruare, & propagare negligunt. Psal. 2.

Illud autē, quo regnum hoc Christi instauratur, cōseruatur, propagatur, est sacrum, seu, vt vocant, Ecclesiasticū ministerium, cuius ministerij, & quidem totius nō functio, sed cura penes principes esse debet, vt in exemplis piorum regum Iuda, imò ante hos, in ipso Mose, videre est. Is vt princeps & dux totius populi, curā in primis, ex mandato Dei, suscepit religionis, & totius sacri ministerij: ipsam verò Ministerij sacri functionem à Politica separauit, & vnam sibi retinuit, alteram Aaroni Pontifici, eiúsque liberis, ac Leuitis iniunxit.

Porrò sacri Ministerij tres sunt partes, Christi tum doctrinæ tum sacramentorum dispensatio: tum etiam disciplinę administratio. Has tres partes simul coniunctas, hoc est totum sacrum Ministerium Christus Apostolis, eorúmque successoribus, iniunxit, ad Ecclesiam conseruandam, amplificandam, regendam. Quàm necessaria sit ad salutem electorum promouendam doctrinę & sacramentorum dispensatio satis notum est. Quàm verò disciplinæ etiam administratio sit non tam vtilis, quàm necessaria, non fuerit opus multis rationibus, si persuasi simus, nihil à Christo, qui omnia egit & docuit propter nostram salutem institutum fuisse in sua Ecclesia, quod non faciat ad nostram salutem promouendam. Tota enim Christi doctrina, doctrina est salutis æternę: sed pręter hoc fundamentum, an non luculenter apparet, quàm necessaria sit disciplina, ab ipsius officio, & fine? Ministerij Ecclesiastici partes. Matth. 28. 16. 18.

Officium est, præter alia corrigere fratres peccantes: Et si ad solam correctionem non resipiscunt, pœnitentiæ vinculis instar ferarum, quæ alia ratione nō possunt domari, ligare: Et postquam resipuerint, soluere, inque Ecclesiæ corpus denuò recipere. Officium eorum qui præsunt disciplinæ Ecclesiasticæ.

Finis verò est, salus fratrum, ędificatio Ecclesię, gloria Dei: Illud certum est, ministerium ipsum verbi & sacramentorum, diu purum custodiri, sine disciplina, nō posse. Sunt enim omnes hę ministerij partes ita inter se cōnexæ, vt vna sine altera conseruari minime queat. Ita fit, vt qui promotum velit regnum Christi, necessario illi danda sit opera, vt totum ministerium, locum habeat in Ecclesia: & hic seruetur illud Dei mandatum: *Ne addas, neque imminuas.* Ergo quod tu, piissime, Princeps, post restitutum puræ doctrinæ Euangelicæ ministeriū, & post repurgatam sacramentorum dispensationē, nunc etiam seriò animum, adieceris ad tertiam sacri ministerij partem, in tuas Ecclesias introducendam, non possum non vehementer istud sanctissimum, T. C. propositum, & studium laudare, & tibi tuisque Ecclesiis omnibus gratulari. Facis enim rem, non tantum te, & tuo officio dignam: Verùm etiam Deo gratissimam, nobis salutarem, toti tuo populo necessariam. Finis eorū dem.

Atque vt nullo modo sinas te à suscepta cogitatione, & firmata sententia, vllis humanis rationibus dimoueri, ego vt seruus Christi, & fidus T. C. famulus, supplex oro, atque obtestor. Nam quod nonnulli boni alioqui & docti viri, dicunt non expedire, hoc tempore, disciplinam introducere, & esse nunc alia tempora quàm fuerint, quum hęc disciplina vigeret in primitiuis Ecclesiis: miror horum fratrum consilia: Quasi verò Christus aliquid instituerit in Ecclesia, quod non sit vbique, & omnibus temporibus, ad æternam salutem vtile: ne dicam necessarium. Certè qui amat Christū, & cui curę est Electorum salus: is curabit, vt totum ministerium, sicut ab ipso Christo institutum fuit, sic etiam in Ecclesiam restituatur. *Hunc hunc filium audite*, dixit Pater, nempe non in vno & altero, sed in omnibus. Nam si maledictum pronunciauit illum Deus, qui non mansisset in omnibus verbis legis, per Mosen datæ, quantò magis maledictus fuerit, qui non hæserit in verbis Filij Dei omnibus?

Disciplina igitur est ipsa quoque postliminio reuocanda. Sunt autem partes eius tres. Vna pertinet ad vitam, & ad mores, & hæc consistit in priuatis admonitionibus & correctionibus, de qua Christus Matth. 18. Si peccauerit in te frater? Altera pertinet ad excommunicationem & ad publicam pœnitentiam, & ea consistit in ligandis ad agendam pœnitentiam iis, qui in grauiora peccata lapsi, sunt etiam in Ecclesiam cōtumaces: Et iisdem, posteaquam egerint pœnitentiam, soluendis: Disciplinę Ecclesiasticæ partes tres.

de qua

de qua parte Christus ibidem: *Si non audierit Ecclesiã, sit tibi vt Ethnicus,&c. Et quæcunque ligaueritis in terra.* Tertia verò, pertinet ad sacras Ceremonias, de quibus passim in scripturis, præsertim in epistolis Pauli, ad Corinthios, ad Timotheum, & alibi. De iis omnibus, maturè erit deliberandum, illustrissime Princeps, si velis, vt Deus, erga te, tuámque familiam, aulam, totúmque populum, suas continuet benedictiones, & si cupis, antequam hinc ad Dominum migres, tuas videre Ecclesias verè ex Euangelio reformatas.

Cæterùm, quia de duabus tantum prioribus partibus, quædam à me petiisti: idcircò, aliis omissis, ad quatuor tantum propositas quæstiones breuiter mihi nunc respondendum est.

Ad primam, per quos debeat fieri admonitiones priuatæ: Illud imprimis retinendum est discrimen esse inter politicum magistratum, & Ecclesiasticum ministerium Disciplinam autem ostendimus partem esse sacri ministerij. De Magistratibus igitur, eorúmque officiis, hic nihil mihi est differendum: Sed tantum de sacro Ministerio. Ad quæstionem igitur, vt respondeam hæc prima esto propositio.

Propositio prima. Cuiusuis Christiani hominis est, si fratrem viderit peccantē, illum ex charitate, & in spiritu lenitatis, monere, corrigere, dque vt resipiscat, & seruetur. Docet hoc Christus *Matth.* 18. Si peccauerit in te frater tuus: Vade, & argue eum inter te, &c.

Et huc pertinet illud. *Leuit.* 19. *v.* 17. Ne oderis fratrem tuum, sed corripiendo corripe eum, &c. Item, etiā locus Gal. 6. & 1. Thes. 5. Sed longius progreditur Christus cùm ait, *Adhibe duos vel tres testes*: Item, *Si hos non audierit dic Ecclesiæ.*

Secunda propositio. Etsi cuiusuis Christiani hominis est, fratrem siue in doctrina ac fide, siue in moribus & vita peccantem corrigere, & in viam salutis reuocare: hoc tamen speciatim est presbyterorum, qui Ecclesiæ præsunt gubernandæ: de quibus Actor. 14. Rom. 12. 1. Cor. 12. 1. Tim. 5. ad Titū 1. Hebr. 13. Quia enim priuati Christiani in hac disciplina exercenda, plerumque non parum cessant: idcircò instituti fuerant presbyteri, qui hoc cum primis facerēt officium, vt inuigilarent gregi, obseruarent cuiusque mores, & eos corrigerent. Hi sunt illi Episcopi & speculatores, de quibus passim in scripturis apud Prophetas, & de quibus etiam dixit Apostolus. *Actor.* 20. Attendite vobis, & vniuerso gregi, &c. de horum officio, *Ezech.* 3. Fili hominis, speculatorem dedi te populo Israel, &c.

Presbyterorū duo genera. Horum omnium erat, ita esse in sacris literis institutos & exercitatos, vt possent vnumquemque monere, docere, hortari, consolari ex verbo Dei, tametsi non omnes in Ecclesia publicè, & ordinarie docerent.

Horum igitur duo erant genera: vnum eorum, qui tantùm præerant cum aliis Ecclesiæ gubernandæ: sed ministerium verbi, in templis ordinariè non exercebãt. Alterum eorum, qui præter hoc, laborabant etiam in verbo ac doctrina, vt loquitur Apostolus: De vtroque genere. 1. Timoth. 5.

Illi enim ex sancta plebe, iis verbi & sacramentorum ministris, ad regendam Ecclesiam addebantur. De his diuus Ambrosius in 1. *Tim.* 5. Vnde & Synagoga, & postea Ecclesia, seniores habuit, quorum sine consilio nihil agebatur in Ecclesia, quod qua negligētia, obsoleuerit, nescio: Nisi fortè doctorum desidia, aut magis superbia, dum soli volunt aliquid videri. De iis ante Ambrosium Tertullianus, in Apologetico. Cap. 39. Vt de reliquis Patribus taceam. Horum omnium senatum Presbyterium appellauit Apostolus. 1. Tim. 4.

Ac certè quàm vtiles & necessarij sint huiuscemodi seniores, qui ministris verbi & sacramentorum tanquā coadiutores, & consiliarij adiiciuntur non solùm inde apparet, quòd Spiritus sanctus nihil frustrà nec inutiliter in Ecclesia instituit, sed indè etiam. Primùm, quòd pastores verbi, non soli possunt toti Ecclesiæ inuigilare, & quomodo quisque viuat obseruare, monere, consolari. Tu ipse, Princeps illustrissime, in rebus politicis non agis solus, nec tuo sidis iudicio: sed sapientissimos quosque, idque prudentissimè facis, deligis, qui te consilio & opera iuuent: Imò in singulis etiam pagis, adhibentur prætoribus, in administratione ciuili, consiliarij, & assessores, quantò magis id fieri debet, in gubernatione regni Christi, in quo agitur salus animarum?

Deinde ipsi quoque pastores opus habent correctione: ac plerumque ij solutioris sunt vitæ, quàm reliqui: idque quia non habent, à quibus ex officio corrigantur. Postremo, plerumque fit, vt pastores, vel propter iuuenilem ætatem, vel aliis de causis, parum valeant apud suum populum autoritate: ac proinde illorum admonitiones, non tanti sint ponderis, quanti senioris fortassis alicuius.

Propter has & alias causas, solita semper fuit Ecclesia pastoribus verbi adhibere seniores, viros scilicet graues, & dono gubernandi præditos, qui pastoribus adsint in cura singulorum gerenda, & regenda Christi disciplina. Horum igitur est, vt dixi, ex officio ab Ecclesia sibi imposito, cùm primis obseruare cuiusque mores, & domatim, ac singulatim fratres monere sui officij, & si peccent, corrigere.

Quòd si fratres non resipiscant priuatis horum admonitionibus ad extremum, officium fuerit totius Presbyterij nomine Ecclesiæ significati, tales accersere fratres, & coram toto cœtu Presbyterorum obiurgare, corrigere, monere. Tertia propositio.

Docet hoc Christus, cùm ait *Quòd si non audierit Ecclesiam,&c.* Indicat igitur officium Ecclesiæ esse, tales fratres, qui priuatis vel aliorum fratrum, vel vnius aut alterius Presbyteri admonitionibus emendari non potuerint, monere & corrigere.

In hoc autem cœtu vtile fuerit, si vnus aut alter fuerit, nomine ipsius Magistratus, seu principis Christiani.

Verùm cuius est verbum in templo prædicare: eiusdem etiam est in primis, in ipso Presbyterio, ex verbo Dei monere, & corrigere: vt in rebus omnibus, ordo (vt præcipit Apostolus) seruetur. *Ad alteram quæstionem.*

In quibus casibus necessaria sit excommunicatio. Quæstio secunda & tertia.

Cum hac secunda coniungo, & tertiam, an & qui casus excommunicationis in sacris literis extent.

Resp. Ex iis quæ dicta sunt, ex Matth. 18 De disciplina à Christo instituta si iuet principio, vnum esse casum, in quo solo, & propter quem solum merito quis debeat excommunicari nempe, cùm aliquis, qui in grauia peccata prolapsus, admonitus ab Ecclesia, non vult resipiscere sed in eam, eoque in Christum, cuius nomine, & in eius verbum, ex quo fuit admonitus, est contumax. Sic enim ait Christus: *Si Ecclesiam nō audierit sit tibi vt Ethnicus & publicanus.* Dico, *Solùm ob hanc causam:* quia nunquam dixit Christus esto tibi vt Ethnicus, etiāsi à multis monitus noluit resipiscere, nisi postquā dixit, si non audierit Ecclesiam: Dico meritò: quia, qui contumax est in Ecclesiam, eóque in caput Ecclesiæ, Christū, eiúsque doctrinam: non amplius pertinet ad Christum, & ad corpus Ecclesiæ. Conculcauit enim filium Dei, & eius iugum à se abiecit, & pietatem abnegauit.

Deinde liquet de qua contumacia loquatur Christus, & propter quam aliquis sit excommunicandus: non de illa tantùm, qua quis in falsa duntaxat doctrina, sed qua in quouis scelere pertinax est, & contumax. Non enim dixit, si frater tuus peccauerit in te, in falsa tantùm doctrina: sed generatim, si peccauerit in te: nempe quouis peccati genere te offenderit, & scandalizauerit. Ac proinde luculenter apparet, non tantùm propter pertinaciam in falsa doctrina: sed etiam propter peruicaciam, in aliis quoque sceleribus, qui fratres appellantur, esse excommunicandos: Eadem doctrina traditur ab Apostolo 1. Cor. 5. versu 9. vsque ad finem capitis. Extant etiam huiusce rei exempla in scripturis. 1. Cor. 5. De incesto homine. Neque est cur hoc exemplum quis reiiciat, quasi ad excommunicationem non pertineat. Nam & ex contextu cuincitur, Apostolum de excommunicatione locutum esse: Et confirmatur interpretatione omnium tam veterum, quàm recentiorum interpretum, tam Helueticorum, quàm Saxonicorum, & Gallicanorum. Item 2. Thess. 3. de illis, qui ἀτάκτως versabantur inter fratres, hoc est, de otiosis, & malè feriatis hominibus: Item ibidem, de illis, qui non obtemperant sermoni Apostolico. Quid etiam aliud est illud, fieri seu eiici extra synagogas, de quo sæpe apud Euangelistas, quàm excommunicari? Sic enim Patres, & inter nos doctissimi quique, inter quos & Musculus, interpretati sunt.

Numer. 12. Maria Mosis soror, quia contra Mosen obloquuta est, Deus eam duplici affecit pœna, lepra, & eiectione extra castra. Hæc fuit excommunicatio. Nec est, vt quis dicat, propter lepram duntaxat, eam fuisse iussam manere extra castra. Ex contextu enim apparet Deum voluisse peccatū Mariæ, toti populo patefieri hac

Duodecimum, *Qui enim manducat indignè, iudicium sibi manducat:* Hinc licet arguere: Charitas postulat, vt si quem videas velle sibi iudicium edere, & ita seipsum perdere ; eum arceas à tali actione. Vt si quis velit se pugione transfodere, & possis impedire, si non impedias, an non contra charitatem grauissimè peccaueris. Certè aliter docet Iudas in epistola: versu. 23. Iubet enim nos dare operam, vt fratres ex flammis eripiamus. Atqui illi edunt iudicium, & in flammas iræ Dei sese coniiciunt, qui edunt indignè, hoc est, perseuerantes in peccatis. Egregiam igitur charitatem, quam obtendunt illi, qui sentiunt neminem esse arcendum, vt non priuetur tanto bono. At Apostolus docet hoc, quod ex se bonum est, illis, qui indignè accedunt, esse malum, & perniciosum, quia iudicium sibi edunt. Huc spectât omnia quæ in contextu Apostoli, ad finem vsque sequuntur. Hanc autem indignitatem, de qua loquitur, & propter quam dicit Corinthios iudicium sibi edere, consistere non tam in infidelitate, quàm etiam in peccatis contra proximum, liquet ex conclusione Apostoli: Vers. 33. *Itaque fratres, quum conuenitis ad vescendum, alius alium exspectate.*

I. Exceptio. Quod si quis excipiat. At Apostolus ait: *probet seipsum homo:* non autem, probent eum alij.

Resp. Primò de secretis conscientiæ loquitur Apostolus. Quis autem nostrûm dicit, alterius conscientiam nobis esse probandam? De manifesta indignitate, impœnitentia, peruicacia loquimur. Secundò, Imò ex hac particula optimè sequitur, esse arcendos palam impœnitentes. Vult enim vt examinemus nos, ac resipiscamus. & sic tum de pane edamus. Ergò quos constat palam esse impœnitentes, vult eos non admitti ad edendum, ne si edant, sibi iudicium edant.

II. Exceptio. At accedendo, dant signum resipiscentiæ?

Responsio. Quasi verò non accedant etiam hypocritæ.

Cur igitur Apostolus reprehendit Corinthios, quòd accederent indignè: potuissent & ipsi ita excipere: imò, ô Paule, ex eo quòd accedimus ad cœnam Domini, debes colligere nos accedere cum resipiscêtia. Cur etiam Deus per Iesaiam Cap. 1. arcet à se hypocritas, & iubet ne offerant sibi sacrificia, esse illa sibi abominationi, propterea quòd manus ipsorum plenæ sint sanguine? potuissent & illi sic excipere Prophetæ: imò ex eo, quod accedimus & offerimus sacrificia intelligere & prędicare deberes, nostras manus non esse amplius plenas sanguine. Quis enim audeat sacrificia Deo offerre sine resipiscentia?

III. Exceptio. At Christus Iudæ dedit cœnam.

Resp. Primum hoc non possum dare licet magni viri aliter sentiant. Nam constat, Dominum Iesum nô priùs suam instituisse cœnam, quàm legalê de paschate absoluisset. Ioan. autem c. 13. ait Iudam, posteaquam à Domino Iesu offulam, intinctam (in catino, vbi agnus assus erat) accepisset: εὐθέως, hoc est, Statim exiuisse. Si statim exiuit, nondum absoluta legali cœna: quomodo interfuit cœnæ Dominicæ, quæ illam consecuta est?

Deinde, etiamsi darem, Christum dedisse Iudæ de pane & vino nouæ cœnæ: non inde tamen sequeretur, huiuscemodi sceleratos, & palàm pertinaces in suis sceleribus homines, ad cœnam Domini, nobis esse admittêdos. Peccatum enim Iudæ, ipsi duntaxat soli Christo perspectum erat, vtpote cordium scrutatori. Nos quoque huiuscemodi homines arcendos nos esse docemus. At quorum peccata sunt omnibus nota, & quorum etiam pertinacia nemini est ignota: hos ex verbo Dei, cum tota vetustate, & doctissimis quibusque nostri seculi, contendimus, ad cœnam Domini minimè esse admittendos.

Postremò, si ab exemplo Domini nostri, qui non homo tantùm vt nos sumus, sed verus erat & est Deus, licet argumentari, ideo admittendos esse ad cœnam Domini sceleratos quosque, quia etiam Dominus admisit Iudam: sic etiam licebit concludere, ideò etiam improbos, & perfidos, & auaros ad ministerium admitti posse, quia Christus ipsum Iudam, reprobum, filium diaboli, perfidum, auarum, & quem præuidebat futurum proditorem, ad Apostolatum elegit, vocauit, assumpsit.

Summa, de arcendis à cœna, impiis. Summa: Non est benè factum, quod palàm facinorosi, & impœnitentes, contumaces in Ecclesiam homines, accedere permittantur ad cœnam Domini.

1. Primo, quia Deo displicet, & contra eius fit voluntatem Ies. 1. 1. Cor. 11. Item 10.

2. Secundò, quia contaminant, seu profanant sacramenta Aggæi 2. Ideò inde vers. 12. Vocantur maculę τῶν ἀγάπων fidelium seu Cœnæ Dominicæ.

3. Tertiò, quia Ecclesiæ adfert damnum, & infamię notam inurit. Damnum, quia multi, dum vident admitti etiam sceleratos, & palàm impœnitentes: non metuunt etiam ipsi peccare, & in peccatis perseuerare. Contrà iubet Apostolus primò ad Corinthios quinto. Iubet enim vnum separari ab Ecclesia, ne modicum fermentum totam massam corrumpat. & 1. Timoth. 5. Seniores publicè peccantes iubet acerrimè omnium argui. *Vt cæteri quoque* (inquit) *timorem habeant.* Infamiam verò: quia inter gentes & idololatras, malè audit Ecclesia, hac de causa, & blasphematur nomen Dei nostri, quasi verò ipse Deus & Ecclesia, pro suis agnoscant, publicos scortatores, blasphemos, ganeones. Huc illud. 1 Cor. 5. Auditur talis fornicatio inter vos, qualis nec inter gentes. Huiusce scandali euitandi causa, iussit Apostolus incestum tolli è medio Ecclesiæ, per excommunicationem.

4. Quartò, quia est illi, qui ad cœnam accedit, perniciosum. & animæ & corpori. Animæ, quia hoc pacto fit securior, & securè peccat, cùm non metuat excommunicationem. Contrà, vult Paulus hosce excommunicari vt non discant non blasphemare, item, vt Spiritus saluus fiat. Item, Christus ostendit finem excommunicationis esse salutem fratris. Corpori etiam, quia multis solet Deus afficere calamitatibus eos, qui indignè sumunt cœnam Domini. 1. Cor. 11. 1. Cor. 5.

De patribus. Hæc omnia è scripturis, multò plura alia adituri, si hæc non fuerint satis. Hanc eandem fuisse totius vetustatis doctrinam, etsi nemo est, qui neget, vsque adeò perspecta est veritas: tamen liceat vnum aut alterum adferre testimonium.

Testis 1. Iustinus Martyr, qui floruit in Ecclesia post Iesum Christum anno circiter 150. ac proinde cui benè perspecta erat Apostolica doctrina & consuetudo, sic in Apologia, quam habuit ad Antonium Imperatorem pro Christianis, scribit etiam de hac re, in hæc verba: Hoc autem alimentum (*de Cœna loquitur*) apud nos vocatur Eucharistia, ad quod nemo admittitur, nisi qui credit, veram esse nostram doctrinam: ablutus regenerationis lauacro, in remissionem peccatorum: Et sic viuens, vt Christus docuit. Ecce, illustrissime princeps, quę fuerit Apostolica in Ecclesiis, circa hanc Cœnæ Dominicæ participationem, consuetudo.

Testis 2. Cyprianus sermone de lapsis quinto: pag. 221. in eos inuehitur, qui temerè cœnam Domini præbent lapsis, qui nondum resipiscentiæ significationem dederunt Ecclesiæ. Item epistolarum libro quarto, epistola secunda: Docet non facilè cœnam cuique esse communicandam.

Sed ne sim nimis prolixus, vnum audiamus Chrysostomum, Tomo secundo in commentariis in Matthæum in capite vigesimo sexto, Homilia 83. columna 670. D.

Summa, primò monet Symmistas, ne Eucharistiam præbeant indignis: postea concludit in hæc verba: *Si dux igitur quispiam, si consul ipse, si quis diademate ornatur, indignè adeat: cohibe ac coerce, maiorem tu illo habes potestatem.* mox subdit simile egregium. *Si limpidissimus aqua fons vt intactum gregi seruares, tibi commissus esset, cùm pedulcos sues, ac sordidissimos venire aspiceres, non patereris in fluenta illos insilere, nec fontem ab iis perturbari: Nunc verò cùm non aquæ, sed sanguinis & spiritus sacratissimus fons commissus tibi sit: si peccatis inquinatissimos videbis accedere homines, non indignaberis, neque contristaberis? Et quam veniam huius contemptus consequeris?*

Secundò dubitationem proponit: *sed vnde* (inquit) *ego illum, atque illum, qualis sit, cognoscere possum?* Ad hãc respondet: *Non de ignotis, sed de notis ego hæc disputo.* Et statim subdit: *Multò peius esse, si peccator sordibus pollutus ad mẽsam Domini accedat, quã si dæmoniacus. Nihil n. esse peius, quàm Christũ conculcare, & sanguinẽ testamẽti ducere cõmunem, & spiritus gratiã contẽnere.* Posteà concludit adhortatione in hæc verba: *Omnes igitur simpliciter pellamus, quos indignè accedere videmus:* nullus cõmunicet, nisi ex discipulis sit: nullus impuro animo, sicut *Iudas panem assumat, ne similia patiatur.* Et paulò pòst dicit, *illos qui panẽ præbent indignis gladium acutũ*

(quo scilicet se iugulent: quia iudicium sibi edunt *propant prabere*.

Tertio de se sic protestatur: *Ego nō permittam ista fieri, animam prius tradam meam, quàm Dominicum alicui corpus indigno: sanguinémque meum effundi potius patiar, quàm sacratissimum illum sanguinem, praterquā digno concedam*: hæc ille.

Similia reperiuntur & apud alios patres. Hinc fiebat, vt illis temporibus, Diaconi deambulantes per templū, diligenter obseruarent, ne quis indignus ad mensam Domini accederet vt idem Chrysostomus testatur. Ita apparet, quæ fuit doctrina veteris Ecclesiæ, de officio ministrorum, erga illos, qui indignè accedunt ad mensam Domini, sordibus polluti. Omnes esse eiiciendos, ac ne regibus quidem ipsis, parcendum esse. Quare qui flagellant D. Ambrosium, quia Theodosium expulit: flagellent, etiam Chrysostomum, & reliquos patres omnes, imò etiam plerosque omnes nostri temporis doctores: Lutherum, Bucerum, & reliquos. Quid hos dico? Crucifigant etiam Azariam Pontificem cum omnibus, qui cum eo erant, sacerdotibus, propterea quod Oziam Regem è sanctuario exire iusserant, quòd sibi Pontificis officium vsurparet. 2. Par. 26.

Vsus excommunicationis. Etsi verò omninò reuocandus est in Ecclesiam vsus excommunicationis: nunquam tamen temerè & vnius aut quorundam arbitrio exerceri illa potest aut debet: sed vt & graues sint causæ, propter quas aliquis sit excommunicandus: & vt hæc diligenter cognoscantur, & vt omnia alia mitiora remedia tententur, antequam ad excommunicationem veniatur: & cum etiam cogimur vti extremo excommunicationis remedio: vt consensus accedat Ecclesiæ atque in primis Magistratus Christiani, necessè est. 1. Cor. 5. Hunc autem totius Ecclesiæ requiri cōsensum, præter ea quæ scripsit Apostolus ad Corinth. hinc etiam manifestum fit, quoniam omnis potestas, quæ à Christo in Ecclesia relicta est, tradita est non vni aut alteri, vel etiam multis hominibus, sed toti Ecclesiæ. Pij autem Magistratus est curare, vt illa seruetur, & ad ædificationem non ad destructionem exerceatur.

A disciplina neminem eximi. Ab hac autem disciplina nemo eximitur, quicunque ille sit, siue senior, siue pastor, siue supremus Magistratus, nisi velint e numero fratrum eóque filiorum Dei eximi. Proindè meri adulatores fuerunt, qui Pontificem Romanum contenderunt, non posse vlla de causa excōmunicari. Aduersus quos nemini quendam in Italia acutè simul & falsè sic argumentatum fuisse, ex Matth. cap. 18. Papa aut frater noster est, aut, non est. Si est, potest igitur corrigi cùm peccat, &, si non audiat Ecclesiam se corrigentem, excommunicari, iuxta illud Christi, *Si frater peccauerit, &c.* Si vero non est frater noster: non est igitur filius Dei, ac proinde nec Vicarius Christi: neque potest eundem patrem nobiscum inuocare. Nemo igitur se potest à Disciplina Christi eximere, qui velit esse Christianus & Christo subiectus. Christus enim præest disciplinæ. Proinde nullum vnquam legi Principem, quamuis potentissimū, quin sese Christianæ Disciplinæ subiiceret, detrectasse: quoniam hoc nihil aliud foret, quàm detrectare sese Christo subiicere.

Exemplo igitur omnibus principibus sunto Theodosius ille Imperator & Valentiniamus primus. De quorum altero Theodoretus in Ecclesiastica historia lib. 5. cap. 18. De altero autem idem lib. 4. cap. 5. cuius Valentiniani hæc etiam sunt verba, in oratione quam ad Episcopos habuit de eligēdo nouo Episcopo Ecclesiæ Mediolanensis. *Proindè*, inquit, *& hec tempore eum collocate in Pontificali solio, cui nos quoque imperij moderatores nostra subdamus sincerè capita: cuiusque reprehensiones (cùm enim homines simus, & offendere necessè est) tanquam medicina curam libenter admittamus.*

Propter quæ peccata quis possit excommunicari. De quouis etiam peccato, siue in primam, siue in secundam tabulam admisso, posse fratres corrigi, & nisi resipiscāt excommunicari, ex eodem liquet loco Matt. 18. In genere enim dixit Christus. Si peccauerit in te frater tuus, &c. Hoc autem totum & solum in se peccati, ducunt Christiani, quod in legem Dei peccatur.

Ad quartam petitionem.

Quia verò T. C. etiam in genere petiit, vt si qua alia ratione promoueri possit ædificatio Ecclesiæ, illam explicem: dicam hîc breuiter, quid mihi operæpretium videatur, & dicam non de omnibus, sed tantùm de præcipuis quibusdam capitibus: neque enim omnia in præsentia dici possunt.

Curandum est primo loco, vt in tuis Ecclesiis, Princeps Illustrissime, non iam doctos, quàm pios, honestos & prudentes habeas verbi ministros, quibus cordi sit & curæ Ecclesiarum salus & gloria Dei. Canon de pastoribus extat apud Apostolum 1. ad Timoth. 3. & ad Titum 1. 1. Cap.

Danda est etiam opera, vt in singulis oppidis & pagis adhibeantur pastoribus Ecclesiarum, coadiutores aliquot, viri pij, honesti, graues, amantes Dei, & studiosi vitæ Christianæ, qui in regenda Ecclesia adsint pastoribus. 2. Caput.

Horum alij censores sint morum & vitæ, tàm suorum pastorum eorúmque familiarium, quàm aliorum omnium. Vigilent ne lupi & malæ doctrinæ homines corrumpant Ecclesiam. Corripiant peccantes, sed in Spiritu lenitatis: Singulos stimulent ad honeste viuendum: componant dissidia: concilient fratres, tollant offendicula: Denique instar patrum familiàs, procurationem suscipiant Ecclesiæ.

Alij curam habeant cum primis pauperum: Eleemosynas colligant, seruent, dispensent. Adsint pastori in administratione sacramentorum, & in inuisendis ac consolandis ægrotis: Curent templa, & alia quæ sui sunt muneris perficiant. Horum officium describitur Act. 6. Rom 12. Illos Scriptura & tota antiquitas solita fuit appellare presbyteros seu seniores & gubernatores: hos verò Diaconos.

Quales eligendi sint abundè docetur in Epistolis Pauli præsertim in epistolis ad Tim. & Tit.

De modo autem qui seruandus sit in horum electione & ordinatione non est quod multa dicam, præsertim cùm rerum & consuetudinum regionis imperitus sim: illud certo scio ex Scripturis, solitos fuisse eligi tum pastores tum seniores & diaconos ab Ecclesia, confirmantibus deinde electionem Apostolis, vt in actis Apostolorum videre est. Nunc confirmatio ad pios Magistratus pertinet. Scio etiam in horum ordinatione vsurpatam fuisse ab Apostolis manuum impositionem, quam certè ceremoniam optarim in Ecclesiam reuocari. Quod reliqua attinet, quæ in horum electione & ordinatione seruanda sunt, deliberandum fuerit inter viros pios, ac doctos & prudentes, quid fuerit operæpretium, & magis commodum.

Synodi restituantur iuxta antiquam & Apostolicam consuetudinem, vt saltem semel in anno, si non sæpius, habeantur: vt in iis ex communi pastorum, & aliorum consensu, de rebus ad salutem & conseruationem Ecclesiarum pertinentibus, deliberetur. 3. Cap.

Visitatio quoque Ecclesiarum minimè est negligenda. Debes igitur, Illustrissime princeps, si non ipse per te, saltem per alios tuo nomine, adhibitis theologis & aliis prudentibus ac peritis viris, Ecclesias quotannis inuisere: & quomodo se gerant tam pastores, quàm reliquus populus, in doctrina & in moribus diligenter cognoscere, & prudenter corrigere. 4. Cap.

Hæc capita sunt generalia, & cumprimis necessaria. Atque hæc sunt quæ habui in præsentia dicere ad propositas mihi a Tua Celsitudine quæstiones: plura dicturus cùm Tua Celsitudo iusserit.

Quòd si quispiam mihi obiiciat, quæ dixi de excommunicatione seu de disciplina Ecclesiastica, ea me ferè ex locis nempe Matt. capite decimo octauo, & 1. ad Corinthios capite quinto, perperam hactenus intellectis, & explicatis deduxisse: huic ego respondeo, me neque habere tantùm ingenij, vt possim meliorem illorum locorum interpretationem videre: neque etiam tantùm animi, vt audeam, me tot tantorúmque patrum, tam veterum quàm recentiorum, opponere interpretationi: & doctrinæ iam inde ab initio receptæ, pérque omnia secula hucusque in Ecclesiis continuatæ, contradicere, doctrinæ, inquam, quæ ad corrigenda scelera, tollenda mala, sanandos fratres, conseruandam Ecclesiam, retinendos omnes in officio, tradita est, quæ denique ad nihil aliud spectat, quàm ad finem Euangelij Domini nostri Iesu Christi in hoc mundo consequendum. Is autem est, vt abnegata impietate & secularibus desideriis sobriè, iustè & piè viuamus in hoc seculo: exspectantes beatam spem & aduentum gloriæ magni Dei & Seruatoris nostri Iesu Christi. Fruantur ergò alij, vt voluerint nouis, & acutè excogitatis interpretationibus atque doct-

doctrinis: Ego in veteri crassâque doctrina, quæ ad salutem faciat, & ad gloriam Dei, acquiescam & immoriar, vt confido, Dei beneficio & gratia Domini mei Iesu Christi, & sic omnibus vt faciant consulo. Nam quod quidam abutantur disciplina, non ego propterea illam damnauero.

Dominus Iesus Christus te, Illustrissime princeps, diu nobis incolumem seruet: & in regendis tuis populis reformandisque ad perfectum Euangelij canonem Ecclesiis, suo spiritu sapientiæ, fortitudinis, & consilij regat. Amen. Octobris die vlt. Anno 1569.

DE REFORMATIONE *Ecclesiarum.*

in ea verba Ies. cap. 1.
Et expurgabo ad liquidum scorias tuas, &c.

QVIS *reformat Ecclesiam?* Deus ipse. Nullus est, qui iram possit reformare, nisi Deus conuertat manum. Ideo ait, *Ego conuertam manum, Ego expurgabo.* Non ergo Papa est ille, qui reformat Ecclesias.

II. *Quando reformabitur Ecclesia?* Tempore oportuno, quod quidem à nobis ignoratur, Deus solus nouit hoc. Actorum capite primo. *Non est vestrûm nosse tempora.* Ideo ait in futuro, *Expurgabo*, cùm scilicet erit tépus. Vnicuique rei statuta & decreta est sua hora. Non ergo Papæ licet certum constituere tempus ad reformationem Ecclesiarum.

III. *Qualis est reformatio Ecclesia*, quam facit Deus, purissima & sincerissima, quæ fit non in oculis hominũ duntaxat, sed intus in animis ipsis. Ideo ait, *ad liquidum & purissimè.* Reformationes igitur Ecclesiæ, quas facit Papa, cùm sint tantùm in ceremoniis, reipsa declarant non esse à Deo, sed ab hypocritis.

IV. *Quomodo reformatur Ecclesia?* dum auferuntur scoriæ, & stanna, id est primùm impij, deinde falsæ doctrinæ, praui mores, falsi cultus: denique quicquid non est secundùm verbum Dei. Ideo ait, *Purgabo scorias*, id est, argentum à scoriis, auferam omnia stanna tua. Omnia autem illa, quæ non sunt secundùm verbum Dei, sunt stanna.

V. *Vnde primùm inchoanda est reformatio Ecclesia?* à Principibus, ab illis, qui primas tenent in Ecclesia. Ideo ait primò, Restituam iudices tuos, vt erant in principio, *Deinde*, Tunc dicetur tibi ciuitas iustitiæ, ciui as fidelis. Et iure: Quia enim nihil peius malo principe, ideò ab eis primùm reformatio fieri debet. Ideò Papa, qui primum in Ecclesia Romana tenet locum, imprimis reformandus est. Hinc patet ratio, cur Ecclesia illa Romana non possit reformari, quia caput, vnde to.a pestis in plebem fluit non reformatur, nec vult reformari. Adde, neque vnq am poterit reformari nisi accendatur ignis irę Dei contra Ecclesiam suam, & Pontificem illum. Nam igne fit hæc reformatio. Et certè, quotiescunque Deus voluit reformare Ecclesias: primùm misit bonos principes & malos abstulit. Patet id in Ecclesia Israelitica. Contrà cùm voluit perdere vrbem & Ecclesiam, misit malos principes. Obseruandum ergo, cùm mittit bonos principes, signum esse, quòd velit reformare Ecclesiam, cùm dat malos, velit eam punire.

VI. In reformatione Ecclesiæ necesse est, vt non solùm principes restituantur, sicut erant ab initio, sed etiam omnia alia, sicut erant ab initio, quando scilicet instituta fuit Ecclesia. Ideò ait, *Restituam principes, sicut erant ab initio, & consiliarios, vt erant initiò:* Obseruanda est hæc particula, *sicut ante, sicut ab initio.* Ergo restituantur oportet sacramenta, sicut erant ab initio. Ab initio autem erant tantùm duo, Baptismus & Cœna. Item restituantur ceremoniæ, sicut erant ab initio. Atqui ab initio non erant statuæ in templis. Item Episcopi & Presbyteri vxores habebant. Ergo restituantur omnia, sicut erant ab initio. Tunc vbi restituta fuerint omnia, sicut erant ab initio, poterit dici Ecclesia, ciuitas iustitiæ.

VII. *Quibus in reb. cõsistit reformatio, Ecclesia?* Primùm in religione, in cultu: deinde in moribus. In ambob. op'est reformatione. Ideò ait, *Tũc dicetur ciuitas iustitia*, quoad mores, quibus versamur cũ proximo: *& vrbs fidelis*, quoad fidem & religionem cum Deo Atq. ita est reformanda in vtroque, vt omnib perspicuũ esse possit, quòd sit reformata, i. ita debet religio perspicue in pristinum statũ esse restituta, & mores ita perspicuè reformati, vt ab omnibus agnoscatur hæc reformatio. Ideò ait, Tunc dicetur, non solùm erit. Ideò mentiuntur illæ Ecclesiæ, quæ se dicunt esse reformatas, cùm adhuc retineant aliquid Papismi, ita vt non possint verè dici ciuitas fidelis.

VIII. *Qua ratione fieri debet hac reformatio? In iudicio & iustitia*, id est, ita vt puniantur scelerati, abdicentur Episcopatibus Episcopi indocti ac scelerati. hoc est iudiciũ: substituantur viri docti & pij hæc est iustitia: Ideò ait, Redimetur in iudicio & iustitia. Interim opus est igne. Ideo vtitur verbo excoctionis, quâ argentum igne excoquitur, & purgatur à scoriis. Vsque adeo enim tenaciter superstitiones & abusus, & voluptates inhærent Ecclesiæ. vt ab ea auelli nequeant, nisi igne. Ob hanc causam Deus reformaturus Ecclesias, solitus est accendere ignem in fornace, & ibi Ecclesiam excoquere, vt ex sequentibus exemplis patet.

Cùm vniuersa Ecclesia esset corrupta tempore Noë, omnis quippe caro corruperat viam suam, accendit fornacem, missis aquis diluuij, atque ita purgauit Ecclesiam, combustis scoriis, id est, impiis & purificato auro, Noha iusto, cum sua familia.

Cùm iterum vniuersa Ecclesia Iudaica, argentum nimirum illud versum esset in scoriam, tempore Abrahæ & Lothi, iterum accendit fornacem, & misso igne de cœlo super Sodomæ vrbes, combussit scorias & aurum Lothum cum suis purificauit.

Cùm argentum hoc rursus esset obductum scoriis tempore Iosephi, accendit Deus iterum ignem multarum tribulationum in Ægypti fornace, & ibi per annos 430. concoxit argentum. Item in deserto sæpius.

Quoties accendit hanc fornacem sub iudicibus, cũ populus à iudicibus regeretur? Deinde, quoties sub regibus? Maximè vero fornacem hanc accendit in Babylone, cùm eo captiuum populum duxit, ibique per annos 70. excoxit. Ita Ecclesia à scoriis purgata fuit, & reddit aurum & argentum purum in Hierusalem.

Iam venio ad Christum. Purgaturus Ecclesiam ait, *veni mittere ignem & quid volo, nisi vt ardeat?* Cùm tota Ecclesia iterum in scoriam versa esset, & vellet eã purgare Deus, accendit fornacem per Romanos, & excocto auro, scorias combussit.

Postremò hanc fornacem maximè accendet in fine seculi, quando veniet in igne Dominus iudicatũ viuos & mortuos. Tunc perfectissime excoquet aurum & argentum ab omnibus scoriis, mittet Angel s qui separabunt malos de medio iu torum. Item, ipsi iusti purgabuntur à scoriis suis, à corruptione carnis, & remanebunt purissimum aurum. Item, *oportet corruptibile hoc induere in corruptionem.* Item *seminatur in ignominia, surget in gloria.* Maximus campus hic patet expaciandi sed hæc exempla satis sunto. Manet ergo firmum, quòd cùm Deus vult Ecclesiam purgare, accendit fornacem & ignem tribulationum, & hac ratione eam purgat à scoriis. Neque enim aliâ ratione videtur purgari posse ab iis scoriis, quæ tam tenaciter illi inhærent, nisi igne.

Ita nos singuli videmur ab impietate nostra purgari non posse, nisi igne tribulationum. In rebus enim secundis obliuiscimur Dei, accenditur ignis concupiscentiæ, & ignis amoris Dei extinguitur: in aduersis verò cogimur meminisse Dei, ad eúmque confugere, deficiet ignis concupiscentiæ, accenditur ignis amoris Dei. Vnde alibi Esaias ait: *Vexatio dat intellectum.* Deus igitur nos purgaturus, cogitur fornacem accendere, in eã nos proiicere, nos ibi excoquere igne exilij, inopiæ, ægritudinum, & di uersarum calamitatum. Huc accedit, quòd scoriæ nostræ, iniquitates, amor mundi, tenacissimè inhærent carni nostræ, ita vt auelli à nobis nequeant, nisi igne. Ergo iure Deus nos excoquit igne tribulationum.

Quare, quotiescunque videmus Deum Ecclesiæ suæ calamitates immittere, dicamus Deum accẽdere fornacem & ignem, vt Ecclesiam suam excoquat & purget à scoriis, anteuertamus nos iudicium Dei, & corrigamus nos ipsos, ne igne à Deo excoquamur.

DE PROMISSIONIBVS DIVINIS,
in 1. vers. cap 2. Ies. *Verbum quod vidit &c.*

IN more hoc semper habuit Deus, vt suas presertim de æterna, cùm singulorum, tùm Ecclesiæ totius, salute,

saiam, quòd sit grauiter eum puniturus, obseruanda est hæc doctrina: hunc esse morem & consuetudinem Dei, vt pœnas aliquibus immissurus, præmittat semper aliquem nuncium, qui illos harum pœnarum præmoneant, ac iram Dei significent. Exempla.

Inundaturus aquis diluuii vniuersum terrarum orbem, propter peccata hominum, qui omnes corruperat vias suas, priùs eos præmonet per Noë, idque fabricandam arcam annis 120. continenter, vt patet Gen. 6. Heb. 11. Per fidem admonitus oraculo Noë, ea quæ nondum videbantur veritus, apparauit arcam ad salutem domus suæ, per quam (arcam) damnauit mundum, &c. Item 2. Pet. 2. v. 5. Et prisco mundo non pepercit, sed octauum Noë, iustitiæ præconem seruauit, diluuio in mundum impiorum inducto.

Igne succensurus Sodomā atque Gomorrham propter infanda illa scelera, priùs Sodomitas præmonuit per Lothū, iræ Dei, vt patet Gen. 19. & 2. Pet. 2. v. 6. Et ciuitates Sodomorum ac Gomorrhæ in cinerē redactas, subuersione damnauit, fecitque vt essent exemplar eorum, qui impiè sunt victuri: Et iustum Loth, libidinosa nefariorum conuersatione fatigatum eripuit, &c.

Pœnas sumpturus de Pharaone, & omnibus Ægyptiis, cum prius admonet iræ suæ per Mosen, vt patet in Exodo.

Subuersurus Israelem: prius Hoseam ad eum iræ suæ admonendum misit.

Abducturus Iudæos de Iudæa captiuos in Babylonem, prius eos admonuit iræ suæ per Iesaiam & Ieremiam.

Destructurus Hierosolymam & Iudæos per Titum, priùs eos admonet per Christum & Apostolos. Sic denique semper pœnas immissurus, per Prophetas priùs, homines sui temporis admonuit, & iram suam præsignificauit. Ita vniuersum orbem iudicaturus, & condemnaturus impios in die iudicij prius omnes homines, illius iudicij præmonuit sæpius.

Quorsum vero hunc morem seruat?

Resp. Ob duas potissimùm causas, quarum altera spectat ad reprobos & impœnitentes: altera ad electos. Prima igitur est, vt reprobis omnem occasionem conquerendi de Deo cùm de iis pœnas sumit, eripiat, nec possint dicere: Nesciebamus te irasci peccatis. Ideo priùs admonet eos iræ suæ, vel per Prophetas, vel saltem per synteresin conscientiæ. Rom 2. Habent Gentes opus legis scriptū in cordib. suis, vnà testimoniū reddēte ipsorū cōscientia, & cogitationib. sese mutuò accusantibus, aut etiā excusantibus. Vel etiam somniis. Sic in somnio admonuit Nebucadnezarū de futuris pœnis, Dan. 4. Secūda causa est, vt electi ita admoniti, corrigātur, emēdentur, atq. ita effugiāt flagellū Dei. Sic Gen. 6. Inundaturus mundū cataclysmo, priùs præmonet Noam. Cur? vt ipse ita admonitus, caueat à peccatis, quibus reliqui omnes obruti erant, & ita euitet iram Dei. Sic Gen. 19. Consumpturus igne Sodomam & Gomorrham, præmonet Lothū. Cur? vt ita admonitus, eò magis detestetur vitia Sodomitarum, & ita euitet imminēs flagellum Dei. Sic Matth. 23. Euersurus vrbem Hierosolymæ propter suam infidelitatem & impœnitentiam a peccatis, præmonet Apostolos & multos alios, dicendo: Luc. 19. O si vel tu nosses, vel hoc saltem tuo die, quæ ad pacem tua pertinent: sed ea nunc abscondita sunt oculis tuis. Nam veniet tempus in te constitutum, quo circumiicient tibi inimici tui vallum, & circumcingent te & coarctabunt te vndique, &c. vt electi eò magis perseuerarent in fide Euangelij, peccatorésque emendarentur. Ita hic per Iesaiam vastaturus Iudæam, propter suam ipsorum contra Deum rebellionem, præmonet eos dicendo: *Væ genti peccatrici populo graui iniquitate &c.* Primò, vt reprobi impœnitentes inexcusabiles reddantur, nec vnquam prætexere possint ignorantiam, se nescire Deum irasci peccatis. Secundò, vt electi emendentur, atque ita eripiantur ab incendio.

Cognitio iræ Dei ad tria cōfert. Est autem triplex vtilitas, quam electis affert hæc cognitio iræ Dei contra peccata, de qua Rom. 1. Primò, affert timorem Dei, ad fugienda peccata, & manēdum in vocatione Domini. Dum enim seriò cogitamus Deum irasci peccatis, timorem nobis incutit hæc cogitatio, ne peccemus, néve peccatis nostris Dei iram contra nos concitemus: excitat verò nos, vt in Dei vocatione continenter & diligenter ambulemus. Sic Apostolus 1. Corinth. 10. ostensa Dei ira contra populum Israeliticum, suam infidelitatem & inobedientiam, incutit timorem Corinthiis, ad cauendum sibi à peccatis, & ad ambulandum in vocatione Dei, dicēdo: *Proinde, qui sibi videtur stare, videat ne cadat.*

Secundò, adfert nobis fortitudinem ad æquo animo perferendas impiorum contra nos iniurias, & dat fiduciam, ad exspectandum Dei auxilium. Dum enim cogitamus, quòd Deus grauissimè irascatur peccatis impiorum pios persequentium: & quòd licet lento gradu ad pœnas de impiis sumendas procedat, tamen colligat interim iram, vt eò grauius in ipsos animaduertat: nos excitamur alterā ex parte ad miserandum potius impiorum miseriam, quàm ad indignandum de eorum contra nos iniuriis, scientes, maiores illos pœnas daturos, qua nobis iniurias inferant: altera ex parte excitamur, ad exspectandum certo Dei auxilium, atque ità iniurias & calamitates omnes æquo perferendas. Hæc iræ Dei contra impios cognitio excitauit & Christum, & Stephanum, & alios, & ad commiserationem impiorum próque ipsis orationem; & ad mortem, quam ab illis patiebantur, æquo animo ferendam, vt dicerent, *Domine ignosce illis &c.* & adhuc excitat pios, vt dicant, Nouit Dominus pios è tentatione eripere: impios autem in diem iudicij puniendos seruare. 2. Pet. 2.

Tertiò, hæc iræ Dei agnitio excitat nos ad quærendum thronum gratiæ Dei, qui thronus est ipse Christus. Cùm enim videmus vna ex parte, Deum irasci peccatis nostris; altera ex parte, nos non posse eius iram effugere nisi per fidem adhæreamus Christo, super quem non potest amplius cadere ira Dei: nos excitamur ad adhærendum Christo per fidem, atque in Christo misericordiam & gratiam Dei amplexendam. Hæc cognitio iræ Dei excitauit inter alia Paulum, ad se totum in manum Christi committendum. Vbi enim sensit iram Dei, sese totum submittens Christo, ait, Domine, quid me vis facere? Actor. 9. Hac cognitione excitare alios studebat ad idem præstandum, quod & ipse præstitit, præsertim cum ait *Rom.* 2. Existimas autem, ô homo, qui damnas eos, qui talia faciunt, & facis eadem fore vt effugias iudicium Dei? Ita hic Iesaias hac denunciatione iræ Dei contra populum Iudaicum, studet præstare electis in populo has tres vtilitates. Primò studet adferre timorem Dei, quo fugiant peccata, & ab iis desistant. Secundò studet dare animum piis, quo æquo animo perferant iniurias impiorum, & illorum potius miseriam deplorent quàm contra eorum iniurias indignentur. Tertio, studet hac iræ Dei denunciatione illos reuocare ad veram pœnitentiam, qua reuertantur ad Deū, ad amplectendam eius misericordiam in Christo.

Cum autem nobis quoque hæc eadem minetur, nisi resipiscamus è nostris peccatis cupit has easdem tres vtilitates nobis adferre. Quare hæc audientes, fugiamus peccata, timentes iram Dei: feramus æquo animo aduersa, fidentes Deo: amplectamur denique misericordiam Dei in Christo.

Atque hinc sequitur alia obseruatio, quæ hæc est, quod Deus cùm aliquid certo minatur, verbi gratia vltimum exitium alicui, non adimit illi pœnitentiam, sed potius ad hanc eum inuitat hac comminatione: etiamsi ibi non exprimatur conditio, nempe, nisi pœnitentiam egeritis. Duo enim modi sunt, quibus minæ proferuntur in scripturis, aliquando proferuntur cum aperta & expressa conditione, nisi scilicet pœnitentiam egeritis. Exempla. Comminatio certa pœnarum, nō adimit pœnitentiam, sed statuit.

Deut. 28 Vbi continetur summa comminationum diuinarum Moses multa mala cōminatur populo, sed omnia cum expressa conditione, dicendo: Quòd si audire nolueris vocem Domini Dei tui, &c. Venient in te omnes maledictiones istæ, & apprehendent te, &c.

Prophetæ sæpenumero & ipsi proferunt comminationes, expressā conditione, nisi pœnitentiam agat populus, vt in hoc ipso cap. 1. Iesa. patet, vers. 20. *Quòd si nolueritis* (audire Dominum) *& rebelles fueritis, gladio consumemini.* Ita alij Prophetæ. Ita Christus Luc. 13. expressit conditionem: Nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis. Ita Apostoli sæpius. Ex quibus patet, quod comminatio non solum non adimat pœnitentiam, sed potius ad eam populos excitet.

Secundò, aliquando proferuntur absolutè, absque conditione pœnitentiæ. *Ion.* 3. Adhuc quadraginta dies, & Niniue subuertetur. *Sic hic Ies.* 1. Vrbes vestræ succensæ erunt igni, &c. In iis & aliis huiusmodi locis, videtur quidem, quòd adimatur pœnitentia hominibus, quia proferuntur absolutè hæ comminationes: sed tamen reuerâ etiam hæ comminationes conditionales sunt, sic

cut & superiores, licet non exprimatur conditio pœnitentiæ: ideóque non adimunt pœnitentiam, sed potius ad eam populos inuitant. Nam subintelligitur semper in huiusmodi minis conditio pœnitentiæ, quæ in aliis exprimitur, vt Ier.18. Vbi Deus per Prophetam ait: *Repente loquor aduersus populum aliquem & regnum, quòd illud euellam, &c. Si conuersus fuerit populus ille à malitia sua, contra quem loquor, pœnitebit & me mali, quod cogitáram.*

Atque rem ita sese habere, hisce rationibus confirmatur.

A proprietate legis. 1. Quicquid pertinet ad legem in scripturis, conditionale est. Inter alias enim differentias, quæ sunt inter legem & Euangelium, hæc etiam vna est, quod Euangelium propriè, quod annunciat, id absolutè citra conditionem annũciat, nempe, Christum morte sua deleuisse electorum peccata, eos reconciliasse Deo, &c. Lex verò, quæ profert, conditionaliter profert: verbi gratia. Quod si seruaueris præcepta, ipsa seruabũt te. Nisi seruaueris, gladius occidet te. Ideò Paulus Rom.4. ostendit, salutem esse per Euangelium, quia certum, absque conditione: non autem per legem, quia incerta, vtpote cum conditione.

Atqui omnes comminationes pertinent ad legẽ, patet. Quicquid minarum sicut etiam promissionum, in scriptura continetur, vel ad Euangelium, vel ad legem pertinet. Non pertinent autem ad Euangelium, vt patet ex definitione Euangelij & ex eius Etymologia, quæ est bonum, felix, faustúmque nuncium. Ergo ad legem. Sic ergo concludo.

Quicquid pertinet ad legem, conditionale est, cum conditione pœnitentiæ. Comminationes pertinent ad legem. Ergo conditionales sunt, cum conditione pœnitentiæ.

At quædam proferuntur cum conditione, quædam non. Ergo videtur discrimen inter eas esse?

Resp. Non sequitur, quod inter illas discrimen hoc sit. Illæ enim quæ conditionaliter proferuntur, declarant alias quoque intelligi debere cum conditione. Ratio, quia sunt eiusdem generis, id est, omnes legales sunt, ideóque conditionales. Patet.

A natura absoluti. 2. Quicquid conditionale non est, sed sicut absolutè pronunciatur à Deo, ita absolutè est intelligendum, illud impleatur necesse est. Ratio Quia Deus est verax, & quod absolutè promittit, vel minatur seruat. Atqui multa minatus est Deus absque expressa conditione pœnitentiæ, quæ tamen impleta non sunt, nec implebuntur *Ion.3.* Adhuc 40. dies & Niniue subuertetur. Ergo illa, & similes aliæ comminationes, non potuerunt esse absolutæ, sed conditionales fuerunt, scilicet, nisi pœnitentiam agerent homines peccatores.

Ab exemplo. 3. Dan.4. ex visione, quam in somnis vidit Nebucadnezar de arbore alta, quæ excisa est, certo absque conditione, prædicit ei ablatũ iri regnũ ad tẽpus, & addit, hoc esse decretum Dei, dicendo: *Hæc est interpretatio, ô rex, & decretum altissimi est, quod venit super Dominum meum Regem, & te eiicient ab hominibus &c.* Hęc certè comminatio videtur absolutissima esse: & tamen postea cõsulit ei, quomodo auertere à se possit hãc plagam Dei & hoc, quod appellauerat decretum Dei dicendo: *Quapropter ô Rex peccata tua in iustitia redimantur, & iniquitates tuæ in misericordia pauperũ ecce erit longitudo pacis tuæ.* Quibus verbis ostendit, quod decretum illud Dei mutari possit, si pœnitentiam agat. Ergo conditionalis fuit, licet videretur absolutissima: id quod patet à testimonio Chrysost.

4. Is enim exponens locum illum, ait: Quid dicis ô Daniel, sententia prolata est à Deo, & calculus confirmatus est: & tu precibus illam mutabis? *Etiam inquit,* Non enim vt res Ethnicorum habent, ita & nostrę. Propter hoc enim prolata est sententia, vt non fiat, non vt Rex discat solùm futura, sed etiam vt caueat, alioqui quænam esset ex præcogitatione vtilitas, si nulla inde sequeretur consolatio? Vnde Daniel obediens Deo, orauit, & nunc consilium hoc præbuit. *Hæc ille.*

Hinc docemur, quoniam pacto intelligendę sint omnes aliæ comminationes, nempe conditionaliter, nisi resipiscamus. Item in quem finem Deus comminetur, nempe vt præmoniti pœnarum, quas minatur Dominus, resipiscamus, & pœnitentia nostra efficiamus, vt & ipsum pœniteat, (vt ait per Ioelem) mali, i. flagelli, quod immissurus erat nobis. Sunt ergo omnes cõminationes Dei conditionales, nempe, nisi resipiscant homines à viis suis malis: & in hunc finem minatur Dominus, vt ad resipiscentiam inuitet. Quare comminationes etiam absolutè prolatę cum sint & ipsę reuerá conditionales, non solum non adimunt hominibus pœnitentiam, sed etiam ad eam inuitant & hortantur. Ita hic cum Iesaias ait *Omne caput ad languorem dispositũ est, &c.* intelligit, nisi pœniteat vos vestræ rebellionis, & redeatis ad Deum.

Nunc ad argumenta quædam, quę pro contraria adferuntur sententia respondebimus.

I. Quicquid Deus statuit & decreuit, absolutum est, non autem conditionale. Atqui statuit aliquos, quibus minatur perdere. Ergo, &c.

Resp. Ad maiorem, Decretum Dei duplex est. Primũ est, quo Deus & finem, & media omnia ad finẽ necessaria, alicui dare decreuit, pro sua bona voluntate: verbi gratia, cum statuit ab æterno, pro sua εὐδοκίᾳ, quibusdã ex nobis donare vitam æternã, & media etiam omnia, quæ ad illam consequendam necessaria sunt vt pœnitentiam, fidem perseuerantiam &c. Hoc decretum absolutum est simpliciter, & necesse est, vt impleatur. Ratio, qui in hac re nihil pendet à nobis, quo possit decretum impediri, sed totum à Deo, qui quod statuit, omnino præstare vult: & cum voluntas eius sit immutabilis & efficacissima ideo quicquid statuit pro sua voluntate, necesse est vt fiat. Sub hoc decretum, cadunt omnes promissiones Euangelicæ, quia absolutæ sunt.

Secundum decretum est, quo Deus decernit dare alicui finẽ, sed propter media quæ à se non sunt sed ab illo, cui statuit dare finem, ita vt decretum Dei de hoc fine, respectum & relationẽ habeat ad media alterius, quæ si statuantur, statuitur & finis: si auferantur, aufertur & finis, verbi gratiá statuit Deus pœnas æternas infligere Iudæ, sed propter quid? propter eius peccata, quæ non à Deo sed à Iuda sunt: quæ peccata si non fuissent certo futura, neque decretum illud Dei de sumendis pœnis de Iuda fuisset: sed quia certò futura erant, ideò certum etiam fuit decretum Dei de infligendis illi pœnis. Idem dico de aliis. Hoc decretum igitur sumendi pœnas de aliquo impio, verbi gratiá, de Iuda & conditionale dici potest & absolutum. Conditionale quatenus decretum illud relationem habet ad impietatem Iudæ, quâ ablatâ aufertur & decretum illum puniendi sic: si Iudas non perseuerasset in impietate, Deus nõ decreuisset illum punire, & morti æternæ addicere. Absolutum, quatenus vidit Deus certò, Iudam in impietate perseueraturum sic: Atqui Iudas certò in impietate perseueraturus erat: Ergo & Deus certum atque absolutum statuit decretum de puniendo Iuda. Sic ergo formaliter respondeo ad maiorem. Quicquid Deus statuit gratuito, pro sua voluntate, absolutum est simpliciter, sicut est decretum de saluandis electis. Quidquid certo statuit propter opera aliorum, absolutum est secundum quid, vt est decretum de damnandis impiis propter ipsorum scelera. Sub hoc decretum cadunt minæ. Ergo minæ non sunt absolutæ simpliciter, sed secundum quid, id est, conditionaliter.

Sicut se habent promissiones in scripturis, ita etiam minæ. Atqui promissionum aliquæ sunt conditionales, vt legales: aliæ absolutæ, vt Euangelicæ. Ergo ita & minæ.

Resp. Negatur maior. Neque enim est par ratio, sed dispar inter promissiones & comminationes. Nam ideo promissionum aliquæ sunt conditionales, aliquæ absolutæ: quia aliquæ pertinent ad legem, vt conditionales, aliquæ ad Euangelium, vt Euangelicæ. Comminationes autem omnes (vt suprà ostendimus) pertinent ad legem. Ideo magnum discrimen est inter promissiones & comminationes. Fons autem huius discriminis est, quia comminationes semper respectum habent, & relationem ad peccata nostra, ita vt si mutemur à peccatis, & minæ mutentur: si cessent peccata cessent & pœnæ peccatorum. Cùm autem mutari (sed per gratiam Dei) à peccatis possimus: Ergo & comminationes mutari possunt, & pœnæ. Quare sunt cõditionales. Promissiones verò, nempe Euangelicæ de salute æterna, relationem habent ad voluntatem Dei, & decretum eius gratuitum, quo prædestinauit per gratiam nos saluare, & omnia etiam media ad salutem assequendam, gratis præbere. Cùm autem decretum illud absolutum sit, absque vlla conditione, quam à nobis requirat, citra quam non sit daturus, quod dare decreuit: (Nã etiamsi requirat fidem, ipse tamen etiam illam dat, & dare decre-

decreuit) ideò absolutæ sunt illæ promissiones. Secus est de minis. Ergo Iesaias hic non adimit pœnitentiam, sed potius ad illam hortatur. Atque hæc de comminationibus diuinis.

Cæterum, quoniam in hac comminatione Iesaias regionem Iudææ comparat Sodomæ & Gomorrhæ, videndum etiam est, in quibus conueniant Iudæi cum hominibus Sodomæ & Gomorrhæ.

1. Regio Sodomorum & Gomorrhæorum erat fertilissima, & delicatissima, vt patet Gen. 13. ob quam causam Lothus, cùm data ei esset optio ab Abrahamo, vt vtram partem vellet, eligeret, vel eam quæ vergebat ad orientem, nempe Chananæam, vel eam, in qua erat Sodoma & Gomorrha: Lothus elegit sibi regionem Sod. & Gomor. tanquam fertiliorem & delicatiorem. Ita regio Iudaica erat delicatissima aliarum regionum atque fertilissima.

2. Sodomis vigebant maxima & nefandissima vitia, quæ leguntur Gen. 19. quorũ fœtor ad nares Dei ascendebat, ita vt illius iram maximè concitarit: Ita in Iudæa, maxima vitia, vt iure Sodomitæ vocati sint, non quidẽ propter infandos illos concubitus, quos nõ legimus de Israelitis, sed propter alia scelera multa. & præsertim propter ingratitudinem. Neque enim minora scelera designabant tunc Iudæi Hierosolymis, quàm quondam Sodomitæ Sodomæ & Gomorrhæ, vt postea 3. capite dicet, & alij Prophetæ testantur, vt Ierem. 23. Thren. 4. Ezech. 16.

3. Ibi aderant adeo pauci viri, vt si saltem reperti fuissent decem viri probi in illis ciuitatibus, pepercisset illis Deus: Ita in Iudæa fuisse, conuincitur à tam diro flagello, quo Deus eam percussit & exterminauit.

4. Illas vrbes igne consumsit, ita vt ne vestigiũ quidem vllum superfuerit: Iudæam igne consumsit per Titum, post Christum occisum, ita vt ferè ne vestigia quidem remanserint.

5. Ex illarum incendio tum Lothum, cum eius familia eripuit, tanquam reliquias Sodomæ & Gomorrhæ, ita ex incendio & vastatione Iudææ & Iudæorum, quosdam sibi Deus, tanquam reliquias, quanquam paucas reseruauit. Apparet ergo, quàm iure dicat Nisi reliquisset nobis semen, &c. quasi dicat. Quemadmodum similes sumus Sodomæ & Gomorrhæ in fertilitate regionis, & in vitiis, præsertim in ingratitudine erga Deum: Ita similes essemus in vastatione & destructione, nisi Dominus pro sua misericordia aliquot reliquias nobis reliquisset.

DE IMPRECATIONIBVS,
In 9. vers. cap. 2.
Et non parces eis, &c.

HVnc locum sumus bifariam interpretati: vel, vt sit vox imprecantis populo iustam vindictam, ob sua scelera, & præsertim ob idololatriam, quâ cultus Dei erat profanatus, & tunc vertendum erit, *ne parcas*. vel vt sit vox prædicentis Prophetæ, quid populo sit eventurum ob tam grauissima scelera, nempe quod Deus nil sit illi cõdonaturus, nec quippiã de sua irã remissurus. Si secundam interpretationem amplectamur, nulla hic oritur quæstio, sed res est plana & perspicua. Si priorem, vt plerique faciunt, oritur hîc non contemnenda quæstio. Cùm Deus iusserit, vt diligamus inimicos nostros, & illis benè precemur, nec tantũ vt oremus pro inimicis nostris, sed etiam pro inimicis Dei, id est, peccatoribus, vt Deus illorum misereatur, & ad se conuertat, id quod & Christus suo exemplo docuit dicendo: *Pater ignosce illis, quia nesciunt quid agant.* Item Stephanus, *ne imputes ipsis peccatũ hoc:* Et Paulus 2. Tim. 4. *In prima mea defensione nemo mihi adfuit, sed omnes me deserue rũt: nõ imputetur illis, &c.* Qui igitur fit, vt Propheta Iesaias cõtra (vt videtur) legẽ charitatis, populo suo tantũ mali imprecetur à Deo, vt dicat, *ne remittas.* Nec solus ipse Iesaias hoc facit, sed etiã alij Prophetæ, & præsertim Dauid subinde in Psalmis dirissimis vtitur imprecationib. cõtra & suos & Dei hostes, vt Ps. 1. & 68. *fiat mensa eorũ in laqueũ, &c.* Imò & Paulus ipse Act. 23. Percutiat te Deus. 2. Tim. 4. *Alexander faber ærarius multa mihi malefecit, reddat illi Deus secundùm opera ipsius.* Apoc. 6. sancti sub altari clamãt cõtra impios, *Vindica sanguinem nostrum, &c.* Quomodo hi loci cohærent cum aliis locis in quibus iubemur orare pro inimicis? Et vt ait Augustinus in *Psal. 78.* Si malum pro malo non est cuiquam reddendum: non solùm factum malum, pro facto malo: sed nec votum malum, pro voto malo est reddendum. Reddidit autem votum malum, qui, etiãsi non se ipsum vindicat, tamen vt eius inimicum Deus puniat exspectat atque optat.

Resp. Hîc duo videnda sunt: primò quomodo Prophetæ & alij pij viri, citra tamen violationẽ legis Dei, & charitatis, sæpe tam dira suis & Dei hostibus sint imprecati: Alterum hinc consequitur, nempe, an liceat & nobis imprecari mala impiis: & si licet, quæ regulæ seruandæ sint in iis imprecationibus.

Quod ad Prophetarum imprecationes attinet, summatim & paucis sic respondeo. Primò, Prophetæ prævidentes mala, quæ alicui ob sua scelera à Deo sunt infligenda etsi ea imprecari aliquando videantur, non tamen propriè imprecantur, sed prædicunt in forma imprecationis. Responsio hæc Augustini est, Tomo quarto libro primo, de sermone Domini in monte, vbi hanc quæstionem tractat, colum. 1133. Respondens enim ad quæstionem propositam, ait: *sed hæc facilè soluuntur, quia & Propheta per imprecationem, quod esset futurum, cecinit, non optantis voto, sed spiritus prauidẽtis: ita etiã Dominus, ita etiam Apostolus.* Eandem responsionẽ adfert Tomo octauo, in Psalmo septuagesimo octauo, exponẽs verba illa, Et innotescat in nationibus, coram oculis nostris vindicta sanguinis seruorũ tuorũ, qui effusus est *Hæc prophetatio est*, inquit, *non optatio.* Eadem ferè est in quæstione ex nouo Testamento, quæstione 68.

Mihi tamen responsio hæc vsquequaque non satisfacit, sicut neque Augustino. ideo cogitur alias adferre responsiones. Sæpe .n. Prophetæ Zelo quodã gloriæ Dei accẽsi, quam vident ab impiis & perditis hominibus, suis sceleribus profanari, conculcari, & quantum in ipsis est, funditus perdi verè & ex animo illis imprecantur interitum, vt gloria Dei salua consistat. ita etiam inflammati amore Ecclesiæ sibi concreditæ, cùm vident perditos quosdam nebulones & filios Diaboli nunquã cessare, quin variis modis illam vexent, & opprimant: sæpe illis mala imprecantur, vt Ecclesia salua permaneat non quòd propriè cupiant aliquem perditum, sed quod cupiant saluam Ecclesiam, Sic Paulus ad Gal cõtra pseudo-Apostolos, *vtinam*, inquit, *abscindantur*, &c. Quare prima responsio Augustini, etsi aliquando vera sit, non tamen semper est.

II Secunda igitur responsio est, quòd Prophetæ & alij viri Dei aliquando imprecantur peccatoribus mala, nõ æterna, seu æternam damnationem, sed temporalia, idque in hunc finẽ, vt per ea ipsi corrigantur, & in æternũ saluentur: deinde, vt ipsis castigatis, & emendatis, Ecclesia quoque, & alij pij, qui ab impiis vexabantur, respirent & in pace viuant. Hoc autem non pugnat cũ charitate, sed potius est secundùm charitatem. Sicut enim Deus ex charitate filiis suis inobedientibus flagella immittit, vt illi corrigantur: ita ex charitate, Prophetæ, aliique viri pij, temporalia hæc, sed salutaria flagella peccatoribus imprecantur. Sic itaque locum præsentem Iesaiæ interpretari possemus, quasi dicat: Domine, populus iste non nisi virgis, iisque duris emendari potest & à suis idololatriis, aliisque scelerib. multis coerceri: ergóne dimittas illi, quin iustis flagellis illum cædas, donec resipiscat. Ita solent Patres rogare præceptores & ludi-magistros, vt ferulâ egregiâ cædant suos filios immorigeros, nec illis parcant: hoc tamen à quanta charitate proficiscatur, nemo est, qui nesciat. Hæc est secunda responsio quam non Augustinus loco supra citato sed ego ex aliis locis Augustini colligo. Tomo enim 8. in Psalmo septuagesimo octauo, in summa docet, non repugnare charitati, quòd quis lætetur, cum videt impiũ puniri: tum quoniam si emendatur, gaudet de illius salute: tum quoniam si non emendatur, saltem placet ei iustitia Dei: & ait, [quòd cùm iussit, vt diligamus inimicos nostros, exemplum attulit patris cœlestis, qui pluit super iustos & iniustos, &c. Deum ergo imitari debemus in hac dilectione. Iam Deus, etsi super omnes pluat, & omnes diligat: numquid emendat, vel pertinaciter duros in fine non damnat?] Ergo iuxta hoc exemplum Dei, sicut ipse temporalibus pœnis punit peccata, vt corrigantur, & hoc ex charitate: ita nos possumus precari à Deo pœnas has tẽporales impiis, vt corrigãtur,

& hoc erit ex charitate. Et sicur Deus æternùm damnat impios, & tamen hoc non repugnat charitati Dei, quâ omnes diligit: ita iustus cùm viderit hanc vindictā, poterit lætari, nec tamen repugnat charitati.

III. Tertia responsio, quod si aliquando Prophetæ æternum exitium, & extremam ruinam imprecari vidētur impiis: illæ imprecationes non propriè contra homines ipsos, sed contra regnum peccati, quod euersum tandem omninò vellent, diriguntur, vt scilicet sublatis è medio membris Diaboli, & Angelis eius, regnum ipsū peccati destruatur. Hæc responsio Augustini est in eod. lib. 1. de sermone Domini in monte, Col. 11, 6. lit. A. & ita intelligi vult illud Apoc. 6. Vindica sanguinem sanctorum tuorum, &c. *Quis enim audeat affirmare* (ait Augustinus) *cum illi sancti candidati se vindicari petierint, vtrum contra ipsos homines, an contra regnum peccati petierint? Nam ipsa est sincera & plena iustitia & misericordia vindicta martyrum, vt euertatur regnum peccati. Non enim contra ipsos homines, sed contra regnum peccati petierunt, quo regnante, perpessi sunt, ad cuius euersionem nititur Apostolus, dicendo, Non igitur regnet peccatum in corpore vestro mortali.* Et sensus Augustini est quod petant destrui regnum peccati, vt homines salui fiant. Eadem est responsio Primasij Vticensis Episcopi, in locum Apoc. 6. Eius verba vide apud Bulling. in 6. capite Apoc. Non dissimilis etiam est responsio Aretæ, quam in Apoc. 6. ex commentariis Andreæ Cæsar. Episcopi recitat, quæ hæc est: *Etiam per hæc apparent sancti, mundi consummationem petere. Quare patienter ferre iubentur, iisque ad fratrum suorum completionem, ne absque illis compleantur.* Sed quid si dicamus, petere etiam vt homines ipsi, in quibus regnat peccatum, id est, reprobi perdantur? non directè quidem, sed quatenus regnum peccati alia ratione destrui non posse videtur, nisi & ipsi perdantur. Exemplo hanc responsionem illustrabo: Tyrannus aliquis occupat regnum aliquod vel vrbem Cæsaris. Cæsar cum numerosissimo exercitu & tormentis bellicis venit aduersus regnum hoc vel vrbem, & quoniam alia ratione Tyrannum capere nō potest & occidere, nisi destruatur & ciuitas, mœniaque diruantur, & qui etiam sunt in vrbe, omnes interficiantur, mœnia diruit, ciuitatem incendit, omnes qui intus sunt, perdit. Hic quæro, quo animus Cæsaris, & totum eius studium tendit? Non quidem directè in ciuitatis euersionē, & ciuiū alioqui Cæsaris amicorum internecionem, sed in necem & exterminium tyranni illius, & omnium eius satellitum. Ita animus Prophetarum in iis imprecationibus contra impios, quo tendit? quò dirigitur? in euersionem regni peccati, quod quoniā euerti alia ratione non potest nisi & homines, ipsi in quibus regnat peccatū, i. reprobi penitus perdantur: ideo contra illos etiam, sed indirectè imprecantur. Ita intelligi vult Augustinus illud Apoc. 6. vindica sanguinem, &c.

4. Quarta responsio: Discrimē est inter inimicos nostros, & inimicos Dei. Aliquis erit inimicus noster, quatenus nos læsit, erit etiam inimicus Dei, quatenus iniustè nos vel alios læsit, seu quatenus impius est. Iam Prophetæ & viri pij, quā pij sunt, nunquam mala imprecātur inimicis suis, quatenus inimici sui sunt, aut quatenus homines: hoc enim repugnat dilectioni, quā debemus diligere proximum & inimicos: sed contra eos imprecantur, quatenus sunt inimici Dei, & quatenus tales, etiam odio prosequuntur, vt *Psalm.* 18. Iniquos odio habui, &c. Atque hoc non repugnat charitati & dilectioni inimicorum. Odium enim hoc & hæ imprecationes non in homines ipsos, sed propriè in peccatum, quod in eis regnat, & in Satanā, cuius sunt mancipia tendunt. Ideo Augustinus Tom. 8. in Psalmum. 30. exponens verba illa, *Erue me de manibus inimicorum meorum*, ait: Intelligendi sunt inimici, pro quibus orandum sit, & contra quos orandum sit: Inimici homines qualescunque fuerint, non sunt odio habendi, ne cùm malus, quē patitur malū, sint duo mali: diligat bonus & quē patitur malum, vt vel vnus sit bonus. Illi inimici sunt, cōtra quos orandū est, Diabolus & Angeli eius. Adde ideóque consequenter & peccatum. Neque enim ob aliam causam odimus Satanam, nisi propter peccatum, quia peccati autor. Hæc quarta responsio non est absimilis tertiæ.

Quinta responsio, quæ & genuina est circa imprecationes, certos quosdam gradus continet, qui memoriæ causa obseruandi sunt. Primus gradus: Quādoquidē vera oratio est opus animi, cogitationibus cum Deo colloquentis. Ideò cùm Prophetæ, & alij viri pij Deum sunt oraturi, vehiculo Spiritus sancti illorum spiritus in cœlum vsque ad Deum vehuntur. Hic est primus gradus. Secundus, Huc verò attracti, cogitationibus ita cum Deo familiariter colloquuntur, perinde ac cum amantissimo Patre, vel carissimo amico, facie ad faciem. Tertius, Dum sunt in illo colloquio, eorum mētes magis ac magis illustrantur diuino lumine, sicut & Moses ex colloquio cū Deo, ita vt sæpenumero mira & multa Dei mysteria, iudicia & decreta, alioqui hominibus abdita, videant: atque inter alia, quæ vident, inde ceu è quadam alta specula, duo hæc sæpenumero vident, primū aliquos peccasse ad mortē, & ita deploratos esse coram oculis Dei, vt nulla amplius de eis sit pœnitentiæ spes, alterum, inde consequenter vident extremam illorum ruinam, quæve mala, tum in hoc seculo, tum in altero, ex certo Dei decreto illos maneant. Hic est tertius. Quartus, sanctis nihil est optatius, nihil gratius, nihil carius, quàm vt fiat Dei voluntas, quippe qui plus Deum & eius voluntatem diligant, quam neque se ipsos, neque totius mundi salutem. Pereat enim potiùs totus mundus, quam vt Deus & eius determinata voluntas suis decretis frustretur. Hic est quartus. Hinc sequitur quintus, cum hæc ita se habeant, & voluntas sanctorum se libenter & iure quidem conformet ad voluntatem Dei: igitur hinc fit, vt quæcunque certò agnouerint decreuisse Deum aduersus aliquem impiū, & deploratum populum, vel hominem, ipsi etiam quodammodo subscribant voluntati Dei, & decretis illius, & exoptent & precentur, vt ita fiat, sicut à Deo est decretum. Sextus, Cùm verò digressi ab illo Dei colloquio, vel ad populum concionantur, vel composito aliquo Psalmo, Dei iudicia prædicandi occasio est illis oblata, solent spiritu Dei afflati, & Zelo gloriæ Dei accensi, illa diuinitùs decreta mala, & æternum exitium, quod in illo colloquio diuino certissimè viderant, ipsis impiis imprecando, denunciare, & Deum publicè precari vt ea mala, & iram suam contra populum illum citò reuelet. Hinc voces illæ, [Effunde iram tuam super gentes quæ te non nouerunt: obscurentur oculi eorum ne videant: dorsum eorum semper incurua.] Hinc fortasse & vox ista Iesaiæ, *Domine ne remittas.* Hinc illa Ps. 79. 6.
sanctorum vox sub altari Dei, [Vindica sanguinem sanctorum tuorum, &c.] Psal. 69. 24.

Ex iis manifestum fit, an huiuscemodi imprecationes Prophetarum aduersentur charitati & dilectioni, qua inimicos quoque diligere iubemur, & illis bene precari nec ne. Dico nequaquam. Ratio sumitur ab ordine charitatis. Deus inprimis, & eius voluntas diligenda est, idque propter se ipsam: deinde proximus, ideóque inimici diligendi sunt, sed non nisi propter Deum & in Deo, ita vt horum dilectio non præeat, sed sequatur dilectionem Dei. Hic est ordo charitatis. Iam si ita diligeremus inimicos, vt horum mallemus salutem, quàm certam voluntatem Dei fieri, inuersus esset ordo charitatis, & esset præpostera charitas: Dilectio enim inimicorum præcederet, ideóque dilectio inimicorū, non esset secundùm illam charitatem, quā Deus vult illos diligi, nempe post Deum, & propter Deum. Imprecari ergo illis ea mala, quæ certo scimus Deum velle illi infligere, non aduersatur veræ dilectioni inimicorum. Imò nunc addo, sanctos non posse aliter precari, nec posse in hac causa dicere, Domine ignosce illis, condona eis peccata, ne illos damnes. Quare non possunt hoc petere? quia oratio debet fieri ex fide, id est, nihil debemus à Deo petere absolutè, nisi persuasi simus nos exoraturos esse Deum illud, quod oramus: alioqui si audeamus petere id quod vel certò scimus, vel dubitamus, Deum nobis non concessurum, oratio illa ingratissima est Deo, & peccatum est, quia non est ex fide. Fides autem nititur vel verbo Dei in scripturis, vel spiritu Dei (qui tamen scripturis nunquam aduersatur) qui intus nobis persuadeat, decretum esse à Deo, vt quod petituri sumus, nobis largiatur. Ergo cùm sancti persuasi sint à Spiritu sancto & edocti in illo cum Deo colloquio, decretum esse Deo, vt ipsorum peccata non condonet, quippe qui omninò futuri sunt impœnitentes, sed potius decretum esse, vt illos tum hic excruciet, tum denique in æternum mittat exitium: quomodo possunt orare, contra id quod sunt persuasi: quomodo possunt dicere Deo, remitte illis, quibus omninò sciunt, eum non esse remissurum? Exemplum vnum adferam è scripturis.

1. Ioh. 5.

1.Iohan.5. Apostolus discrimen facit inter peccata,& quædam dicit esse non ad mortem: pro iis ergo iubet, vt qui ita peccant, oremus, vt Deus condonet peccata. Quædam verò dicit esse ad mortem,vt est peccatum in Spiritum sanctum,pro istis ait,ne rogemus. Vnde tanta inclementia? Cur non est pro iis orandum? quoniam illa prima, Deus promisit se condonaturum: Ergo possumus orare veniam illorum, ex fide: Hæc vero posteriora in Spiritum sanctum,omninò dixit se non condonaturum,neque in præsenti seculo,neque in futuro. Ergo non possumus sperare,vt Deus hæc condonet. Quod si non possumus condonationem sperare: ergo neque eam rogare. Hæc est igitur præcipua & potissima causa,cur sancti præsertim Prophetæ,spiritu Dei afflati sæpe imprecari soleant impiis extremam illorum perditionem:quoniam,inquam, certi sunt,eam esse Dei voluntatem.

6. Posset etiam sic paucis ad hanc quæstionem respondeti: imprecationes has omnes, sicut & comminationes Dei, cũ conditione esse intelligendas, & sic etiam conditionaliter à sanctis factas. Quæ est conditio subintelligenda? Hæc, si non potest aliter vel gloria Dei suum habere locum, vel Ecclesia Dei conseruari, vel pius aliquis defendi, nisi iis inimicis extinctis, tã æternum quàm temporaliter perdantur ergo omnes potius, quàm vt vel gloria Dei obscuretur,vel Ecclesia Christi pereat. Hoc autem exigit ipsa charitas.quia plus Deus, quàm totus mundus &plus totum corpus id est,Ecclesia,quàm aliquis priuatus amandus est: imo plus etiam vnus pius amandus est,quàm mille impij. Hæc simplex erit responsio: hæc etiam faciet ad explicationem alterius quæstionis nempe,an licitum sit nobis orare cõtra inimicos,vtique, modo id fiat ex Zelo gloriæ Dei, & amore Ecclesiæ & piorum, & conditionaliter intelligamus nostras imprecationes, nempe si aliter seruari nequit gloria tua,vel Ecclesia tua.ô Deus,quàm iis inimicis perditis & damnatis.Perde igitur,&c. ita habemus, quid respondendum sit ad petitionem de imprecationibus Prophetarum.

Iam(vt ad secundum veniamus)licét-ne nobis idem facere?

II.Quæstio an nobis idem facere liceat.

Resp. Simplex & absoluta responsio dari non potest, quoniã & diuersa sunt mala.quæ imprecari quis potest, & diuersis rationibus, & diuersis personis, ea imprecari quis potest. Conditionaliter ergo respondeo. Primum, æternum exitium nemini possumus imprecari, nisi ab eodem Spiritu Dei, à quo & Prophetæ, specialiter edoceamur,& cum ad mortem peccasse,atque ideo decretum esse à Deo, vt illum certissimè perdat, nobis constet. Cùm igitur hoc quod Prophetis, non ita omnibus aliis concedatur, & ferè nos lateat,qui ad mortem peccent: idcirco absolutè non licet cuipiam aut peccati retentionem, aut mortem æternam imprecari, nisi fortè conditionaliter hoc modo; Domine,si alia ratione gloria tua consistere nequit, quàm horum inimicorum æterna perditione, perde potiùs, quàm vt gloria tua obscuretur.

Secundò,extremam ruinam &perditionem possumus imprecari contra regnum peccati, & etiam in genere contra omnes illos quos Dominus nouit esse vera Satanæ membra,& deploratos filios iræ.Exemplum,vt cùm precamur Deum, vt regnum Antichristi destruat, & omnes illos, quos vere Dominus nouit esse Antichristos &filios perditionis,& hoc in genere,sicut etiam Dauid, *Exurgat Deus & dissipentur omnes inimici eius.*

Tertio, de aliis vero malis, scilicet temporalibus aliter sentio.Nam in inimicis nostris,quatenus inimici nostri sunt, id est, quatenus nos læserunt, non licet quippiam mali precari. Hæc enim oratio,ab animo vindictæ cupido proficiscitur; sed tunc locum habet præceptum Christi,*orate pro persequentibus vos &c.*

Quartò quatenus verò sunt inimici Dei,id est,impij, & in peccatis perseuerant, nec alia ratione videmus corrigi & emendari posse, possumus aliquod flagellum temporale illis imprecari, nempe ad correctionem & salutem,non ad condemnationem: salutem, inquam vel suam ipsorum vel saltem aliorum,vt horum exemplo discant non peccare,nec Deũ blasphemare. Et hoc non pugnabit cũ charitate, sed potius erit ex charitate, modo quis seipsum, non fallat. Patet hoc ex iis, quæ supra de imprecationibus Prophetarum dicta sunt. Huc faciunt quæ Augustinus scribit Tomo 8.in Psalmum 78. Is columna 883. mouet hanc quæstionem, quam

hîc tractamus, idque propter dictum Apoc. 6. *Vindica sanguinem.&c.*& propter illud,*Lætabitur iustus cùm viderit vindictam, &c.* quatuor adfert causas honestissimas cur lætetur iustus,cùm videt vindictam inimicorũ & suorum & Dei, id est,impiorum:prima est, quoniam Deũ diligat ideò,lætatur iustitiâ diuinâ. *Iustus* (inquit) *cùm in eum* (scilicet inimicum) *videt à Domino vindicari,non eius delectatur pœna quia non eum odit,sed diuina iustitia,quia Deum diligit.*

Secunda quoniam inimicum diligit. Ideò si videat diuina vindicta eum corrigi,lætatur.

Tertia, quoniam proximum diligit: ideò vindictâ diuinâ in impios lætatur.quoniam illâ saltem alij discunt impios non imitari & timere Deum.[Denique(*inquit*) si in hoc seculo in eum vindicatur, vel pro illo etiam lætatur, si corrigitur, vel certè pro aliis,vt eum timeant imitari.]

Quarta, quoniam ipse quoq. pius aliorum exemplo fit melior. Ideò subdit:[Ipse quoque fit melior,nõ supplicio illius odia sua pascendo, sed errata emendando. *Concludit,* Ac per hoc,de beneuolentia est,non de malitia.quod lætatur iustus,cùm videt vindictam.]

Quæ igitur regulę seruãdę sunt in iis imprecationib.?

Prima, quoad Deum, vt illius prædestinationi nihil præiudicemus,nihil petamus,nisi quod ille prædestinauerit. Si ergo ex speciali spiritus reuelatione nobis non constat, quid Deus de impio aliquo decreuerit, contineamus nos in verbo, & nihil contra quempiam particulariter precemur, præsertim æternum exitium, nisi conditionaliter,si ita decreuit Deus.

Secunda.quoad proximum: Nullius hominis,quà homo, perditionem appetamus, sed omnium potius salutem in genere desideremus. Si igitur contingat, vt accensi Zelo vel gloriæ Dei, quam conculcari videamus ab impiis, vel Ecclesiæ Christi, quam videamus aut ab hæreticis prauis doctrinis infici, aut à sceleratis & carnalibus hominibus prauis moribus contaminari, aut à tyrannis opprimi: si inquam tali Zelo affecti,quasi extra nos rapti, excitemur ad mala imprecanda iis hostibus Christi,auertamus oculos ab hominibus ipsis,& toti extra hominum considerationem rapti, atq. in solam Dei gloriam. & regnum Christi, quod est Ecclesia. promouendum intenti,nihil contra homines,sed tantum contra regnum peccati imprecemur.

Tertiâ,quoad nos: Nullis nostris affectibus, nullâ φιλαυτίᾳ ducamur ad imprecandum, sed tantum spiritu Dei. Si ergo spiritus aliquis obrepat, quo excitemur ad imprecandum, diligenter illum examinemus, an ex nobis & nostris affectibus oriatur, an aliunde. Si senserimus nos nullo affectu affici,nisi amoris,tum in Deũ, & gloriam eius tum in regnum Christi,& Ecclesiæ eius salutem,spiritus erit bonus & è cœlo. Si verò alio affectu,vt amore nostri,vel nostrorum, spiritus carnis est & è nobis. Est igitur hoc perpetuò circa has imprecationes memoriâ tenendum, quòd sancti in iis imprecationibus, neque vllo proprio affectu ducebantur, neque cuiuspiam hominis,quà homo est,perditionem optabãt: sed toti auersi à cogitatione tum suimet, tum aliorum omnium hominum, atque in solum Deum defixi, intentique tum ad gloriam Dei, tum ad regnum Christi promouendum,agebantur à spiritu Dei,ad optandum, vt potiùs totus mundus pereat, quàm vt vel tantillum decedat gloriæ Dei, & potiùs damnentur & citò quidem omnes impij,& Antichristi,quàm vt regnumChristi, & eius Ecclesia, vlla in parte violetur aut subuertatur. Atque hoc maximum est veræ charitatis testimonium. Quid enim, si fidelis, & zelantissimus Ecclesię pastor, videns ab vna parte gregem Christi periclitari, & ab altera videat lupum hæreticum, Satanæ instinctu grassantem, quem videat non posse suis, scilicet pastoris,viribus arceri,statim ad Dominum confugiat,dicendo; Domine hunc tu lupum arce & hunc potiùs perde, quàm vt sinas Ecclesiam tuam perdi: háncne imprecationem damnabimus? Minimè. Testimonium enim est, quòd sit verus pastor. Amor enim Ecclesiæ eũ ita abripit extra se, vt nihil aliud cogitet, quàm Ecclesiæ salutem. Hinc quidam vir Doctus, Aepinus in Ps.5. Zelus diuini amoris, & sincera proximi dilectio, nullis modis permittit,vt pro impiis, Deo pertinaciter resistentibus,preces fiant.

Cæterùm,melior regula præscribi non potest,illâ quã tradit Iohannes, nẽpe, quòd ipsa vnctio docebit nos: & Paulus inquit,*quid oremus nescimus:ipse autem Spiritus*

Rom. 8. *interpellat pro nobis.* Sinamus igitur regi nos à spiritu sancto, cùm in aliis omnibus, tum in hac actione.

DE REPROBATIONE POP. Iudaici, in ea verba Ies. vers. 6. *Certè deseruisti populum.*

PRONVNCIAT hîc Propheta, populum Iuda, à Deo ex omnibus populis electum, fuisse tamen à Deo reprobatum: nec ipse tantùm hîc & alibi hoc asserit: sed alij quoque Prophetæ sæpius vaticinati sunt de hac Iudæorum reprobatione: Et Paulus Rom. 11. ait sub metaphora oliuæ, *fractos esse ramos, abscissos de oliua*, id est, Iudæos reprobatos à Christo, abscissos à corpore populi Dei: & Christus Matt. 21. & alibi sæpius testatur, reprobandum hunc esse populum, multis parabolis.

1. Circa hanc populi Iudaici reprobationem, hæ mihi quæstiones se offerunt. Quomodo potuit populus ille, ex omnibus gentibus à Deo in peculiarem sibi populũ, in peculium, in filium denique primogenitum electus, reprobari? ergo Deus non sibi constat in sua electione? Rom. 11. Sine pœnitentia sunt dona Dei & vocatio? Resp. Duplex est electio, & reprobatio Dei. Vna electio est æterna, & ad vitam æternam attinens, & hæc est, qua quis electus ab æterno fuit in Christo à Deo, ad vitam æternam, vt sit particeps salutis, quæ est in Christo, ideóq; sit sanctus & immaculatus denique vt vitam æternam habeat: de qua Eph. 1. Elegit nos in Christo, &c.

Contrarium huius electionis æternæ, est æterna reprobatio, qua quis iudicio Dei etsi occulto, tamen, iusto, reprobatur à Deo, ne sit salutis in Christo particeps, sed destinatur ad æternam damnationem. De hac Ro. 9. Vasa iræ aptata in interitum. Quod igitur ad hanc primam electionem attinet & reprobationem: dico, neminem qui electus fuit semel in Christo a Deo, reprobatum ni, aut reprobari posse. Ioh. 6. Omne quod dedit mihi Pater, ad me veniet & eum qui venit ad me, nõ eiicio foràs. Ioh. 10. Nemo potest oues meas rapere de manu mea: Pater meus, qui eas dedit mihi, maior omnibus est. Ratio est: quia cum illa electio facta fuerit à Deo, ex mera gratia, & ad ęternam vitam nihil est, quod eam impedire possit, ne impleatur. De hac nõ loquitur hic Propheta, neque alibi alij Prophetæ, cùm de reprobatione Iudæorum loquuntur.

Altera electio temporalis est, quà quis etiam ab æterno reprobatus, ne sit particeps vitæ æternæ, temporaliter tamen eligitur, non quidem ad æternam salutem in Christo, sed ad aliquod externũ munus seu officium, vel donum, v. g. ad munus Apostolatus, sicut Iudas, ad regiam dignitatem vt Saul: ad regimen Ecclesiæ, vt Episcopi septem Ecclesiarum in Apocalypsi, & in veteri Testamento plures sacerdotes: denique ad externam Ecclesiæ Dei faciẽ id est, vt sit visibilis Ecclesia Dei, vel in hac Ecclesia externa & visibili censeatur, vt populus Iudaicus. De hac secunda electione, Ioh. 6. Nonne duodecim ego vos elegi, sed vnus ex vobis est Diabolus? de electione ad Apostolatum loquitur.

Reprobatio huic contraria est, cùm quis ab officio, vel dignitate, & id genus aliis externis & temporalibus donis, ad quæ ante electos fuerat, reiicitur. Exempla huius reprobationis multa sunt in sacris literis. Hos. 4. Quoniam tu repulisti scientiam, reprobaui & ego te, ne sacerdotio fungaris mihi. Mat. 2. Auferetur à vobis regnum (id est,) regimen Ecclesiæ) & dabitur genti fructum ferenti.

Ex hac allata à me duplici electione & reprobatione differentia, satis perspicuè respõsio patet ad quęstionem. Dico igitur primò, quòd illi, qui in populo Iudaico fuerunt electi ab ęterno, vt essent participes vitæ æternę in Christo non fuerunt vnquam reprobi. Secundo, cùm totus ille & solus quidem populus Iudaicus, electus fuisset temporali externáque electione, vt esset visibilis Dei populus & Ecclesia totus etiam fuit reprobatus & destitutus hoc priuilegio, quo ante erat donatus, nempe vt solus esset populus Dei, & Ecclesia Dei visibilis. Nam electus fuit populus Gentilis, in populum Dei, in quo tamen reliquiæ, aliquot Israel seruatę sunt, atque ita ex duobus, vnus factus est populus Dei. Hos. 2. Vocabo non plebẽ meã, plebẽ meã. De hac reprobatione loquitur pręcipuè hîc Iesaias, dicendo, *Certè deseruisti populũ*. Huic addo tertio, quòd ipsi etiam electi, adde & vocati ad gratiam in Christo, aliquando partim, licet non penitus, deseruntur à Deo, & eius gratiã destituuntur, sicut Petrus, quando negauit Christum: Dauid, cùm adulterium commisit: sicut etiam populus Iudaicus, cùm hanc concionem haberet Iesaias.

Quarto, deseruntur etiam electi atque pij à Deo in cruce, & destituuntur auxilio Dei, sed ad tempus: tandem verò iterum à Deo assumuntur. Sic Christus Psal. 22. *Deus mi, quare dereliquisti me.* Sic populus Iudaicus sæpè desertus & destitutus fuit auxilio Dei externo, quando propter sua scelera traditus est in manus hostium. De hac etiam loquitur Ies. Destitutus enim à manu Dei, captiuus ductus fuit in Babyloniam, sed ad tempus. Deinde postremò à Romanis perpetuo iugo seruitutis subiugatus.

II. Sed hinc oritur secunda quæstio, si Iesaias loquitur de reprobatione, ne populus ille esset populus Dei, & quidem propter scelera sua: quomodo igitur Deus steterit suis promissis, quæ fecit illi populo, se fore illi patrem & illum sibi in filium, & populum peculiarem perpetuo & æternum, cuius generis promissionum plenæ sunt scripturæ.

Resp. Facilis est: promissiones illæ bifariã considerari possunt: primò quatenus ad solos electos propriè pertinent: ita sunt Euangelicæ, & ita nunquã irritæ possunt fieri. Continet enim Deus electos suos in gratia, facitque vt sint sibi in filios, & ipse æternus illis est Pater. Secundò, considerari possunt, quatenus factæ sunt toti populo: ita legales sunt, & ex conditione intelligendæ, nempe si seruarent legem, & parerent Deo. Exod. 19. Si ergo audieritis vocem meam, & custodieritis pactum meum, eritis mihi in peculium de cunctis populis, &c. & vos eritis mihi regnum, Sacerdotium, & gens sancta. Quandoquidem igitur non seruarunt legem Dei, nec paruerunt Deo, non est accusandus Deus, quasi promissis non steterit, quia populum reiecit, ne esset sibi populus: imò verè stetit promissis, quæ erant ex conditione, dum populum reiecit: Ideò Paulus, cum Iudæi altera ex parte videntes se reiici ab Euangelio, & altera ex parte Gentiles assumi, admirarentur, multis ex veteri Testamento allatis testimoniis, ostendit talem & Gentium vocationem, & Iudæorum reprobationem prædictam fuisse. Moses præsertim Deut. 32. Hanc Iudæorum reprobationem prædixit, nempè quòd Deus populum hunc esset reiecturus ob suas iniquitates. Inde Prophetæ sumserunt, quod de hac reprobatione vaticinati sunt.

III. At hinc oritur tertia quæstio: Si propter scelera sua reiecti sunt Iudæi, vt Iesaias ait: quid est igitur, quod Paulus docet ad Rom. Infidelitatem Iudæorum, non potuisse καταργεῖν fidem Dei, & promissiones ipsius abolitas facere? dicendo: *Quid enim si fuerunt increduli? Numquid infidelitas illorum fidem Dei euacuauit*, id est, irritam & inanem fecit?

Resp. Promissiones illi populo factæ, duplicis sunt generis, aliæ legales, aliæ Euangelicæ. Legales conditionem operum exigebant: Euangelicæ, minimè. Legales etiam duplices: aliæ terrena bona promittebant, pacem, abundantiam rerum omnium, &c. si legem seruarent, sicut est Deut. 28. vt quòd futurus esset populus Dei omnium felicissimus. Istæ sæpiùs factæ fuerunt irritæ, propterea quòd populus conditionem, quam requirebat Deus, nempe legis obedientiam, non præstitit. Idcirco loco benedictionum, venerunt super eum maledictiones: sæpius traditi in manus hostium suorum, & tandem reiecti ne essent sibi visibilis & peculiaris Dei populus. Et de hac reiectione propriè loquitur hic Propheta, *Reiecisti populum tuum &c.* Aliæ legales promissiones æterna & spiritualia bona promittebant, nempe iustitiam & vitam æternam, si legem præstarent, vt Paulus interpretatur ad Rom. 10. Loquens enim de vera iustitia & vita æterna, inquit, hanc propositam fuisse in lege, sub operum conditione: *Qui fecerit hæc* scilicet iudicia & præcepta legis *homo, viuet per ea*, nempe vitam æternam. De ea enim loquebatur Moses Leuit. 18. vnde hæc verba sumta sunt: In Euangelio verò eandem proponi sub conditione fidei dicendo: *Quæ autem ex fide est iustitia, sic loquitur, ne dixeris, quis ascendit, &c.* Istæ legales promissiones, quæ vitã æternã sub cõditione perfectæ obedientiæ legis promittebant, partim irritæ, partim non irritæ sunt factæ. Irritæ prorsus, quatenus populus conditionẽ legis nõ seruans (Neq. enim poterat: sed tamen impotẽtiæ vitium ex seipso erat) illarum complementum seu

effe-

effectum in seipso impediuit, ac potius mortem sibi accersuit. Ideo *Gal.*3. Quicunque sub lege sunt, sub maledictione sunt. Partim etiam non sunt irritæ factæ, tum quoniam non solum populi illius, sed ne totius quidem generis humani incredulitas obstare potuit aut potest veritati promissionum Dei, quin semper verę sint, quod qui legem seruant, viuent per eam: tum quia in Christo complementum habuerunt, quippe qui perfectissimè legem impleuit. De his promissionibus legalibus tã primis quàm secundis, Paulus non loquitur Rom.3. Est enim res manifestissima, quod Iudæi sua incredulitate impediuerunt, ne hæ promissiones Dei suum in se complementum ac fructum habuerint: nisi velimus etiam ita interpretari locum Pauli, quòd Iudæi, imò vniuersum humanum genus, sua incredulitate obstare non potuerit Dei veritati, quin firma semper & stabilis maneat, quã promisit Deus, *si quis fecerit hæc homo, viuet per illa*: sed hæc aliena est à mente Pauli in illo loco interpretatio. De toto Euangelio Paulus loquitur, quoniam ibi nõ operum, sed fidei mentionem facit, dicendo, *Quid si quidam illorum non crediderint?* Veniamus igitur ad promissiones Euangelicas.

Euangelicæ promissiones etiam duplicis sunt generis: aliæ erant de Christo ipso mittendo in Mundũ pro salute mundi, & de rebus, quæ ad hoc necessariæ erant, v.g. promissiones, quibus promittebat, se effecturum: vt ex hoc vnico populo Iudaico, ex tribu Iuda, ex domo Dauidis carnem sumeret: inter populum illum se contineret, ibi Euangelium prædicaret, minister esset circumcisionis, non autem præputij, denique mortem subiret pro peccatis mundi: Deinde, quòd post eius in cœlum ascensionem missurus esset Apostolos ad prædicãdum Gentibus. Hæ primæ promissiones Euangelicę, irritæ fieri nullis vel populi illius, vel totius mundi peccatis potuerunt. Ratio: Pendebant enim à mero Dei beneplacito & voluntate, nec quippiam à populo Iudaico vel à toto mundo requirebatur ad hoc, vt hę promissiones suum complementum obtinerent. Ideòque vbi venit plenitudo temporis constituti, impletæ sunt eiusmodi promissiones, nullis vel totius mundi sceleribus reclamantibus. Et de iis loquitur Paulus ad Rom. 3. Cùm enim sermonem haberet de prærogatiua Iudæorum, eam potissimum in hoc constituit, quòd illi factæ essent promissiones de Christo, & concredita illis eloquia Dei. Non obstat autem huic dignitati, quòd quidam illorum (id est, maxima pars) non crediderunt. Nã mansit tamen hæc prærogatiua in populo, & fides non fuit impedita, quin missus sit Christus, & ita impletæ hę promissiones.

Aliæ erant promissiones Euangelicæ de fructu, seu de salute, quæ ex Christo erat deriuanda ad homines, quibus se promittebat remissionem peccatorum, iustitiam & vitam æternam in Christo, idque non ex operum conditione, sed ex gratia.

Cæterùm hæ etiam bifariam considerari possunt: primò, quatenus omnibus promiscuè offeruntur & prædicantur hæ promissiones, hoc pacto non habent quidem operum conditionem: sed tamen veræ fidei, quæ cũ vera pœnitentia sit coniuncta, conditionem requirunt, Qui crediderit, saluus erit. *Roman.*10. Si credis in corde tuo, &c. Sic fiunt in multis irritæ, videlicet in reprobis omnibus, qui fidem non adhibent. Secundò considerari possunt, quatenus ad electos tantùm, id est, filios promissionis pertinent, vt est ad Rom. Hæ promissiones Euangelij sic acceptæ, etsi conditionem fidei exigant, sine qua salus haberi non potest: fidem tamen etiam ipsam gratuitò promittunt, ideóque & effectum suum consequuntur in electis. Deus enim dat ipsis fidem, quam promisit, idque gratuito: deinde, per fidem illam fit, vt iustitiam & reliqua beneficia omnia Euangelij assequamur. Promissiones Euangelicæ hoc pacto acceptæ, nunquam irritæ fieri possunt, quia in electis, ad quos propriè pertinent, suum complementũ consequuntur. Sic etiam possumus illud Rom.3. interpretari. Quęrit Paulus, cùm plurimi Iudæorũ fuerint fœdifragi, numquid illorum perfidia efficere potuit, vt fœdus Dei de salute æterna, cum populo illo initum, factum sit irritum? Respondet, nequaquam: quoniam vtcunque in maiori populi parte, id est, in reprobis omnibus, fœdus illud sui complementum habere non potuit, propter ipsorum incredulitatem: in electis tamen, qui erant in illa Gente, sui complementum obtinuit, Donati enim sunt fide, & fide salutem acceperunt æternam in Christo. Apparet igitur, quã reprobatione Iudaicus populus fuerit reprobatus: & quòd propter scelera sua reprobatus sit: quódque locus iste Iesaiæ, non aduersetur dicto Pauli Rom.3.

IV. Quare Iesaias, cùm videat se verba in cassum ad populum illum pertinacem profundere, pergit tamen in sua concione, & reprobationem illi suam denunciat causásque reprobationis assignat, & hortatur ad pœnitentiam?

Resp. Etsi populi, ad quos habemus conciones, videãtur omnes Euangelio vel parum credere, vel etiam aduersari, ideóque vix vllum ex nostra concione proficerẽ videamus: non debemus tamen ab officio nostro faciendo cessare, tum quia electi, qui ibi sunt, tandẽ conuertuntur: tum quia reprobi inexcusabiles redduntur, ne vllam excusationem suis impietatibus prætexere possint. Hinc enim etiam gloria Dei vindicatur. Ideo Ies. 55. Verbum meum nũquam reuertetur ad me vacuum, ait Dominus. Ita etiam facit Iesaias.

At cur præcipuè reprobationem ipsorum illis annunciat Iesaias? quorsum? quæ inde vtilitas? potius dandus est animus populis, & spes facienda salutis in Christo: quàm illis denuncianda certa ipsorum damnatio, quã in desperationem coniiciuntur, & ita pereunt.

V. Resp. Non superuacanea aut inutilis fuit hæc annunciatio, sed vtilissima: vtilis fuit & illis Iudæis, & nobis Gentibus. Primò Iudæis illis, ad falsam fiduciam, quam in carne, id est, in templo, in ceremoniis, in carnali Abrahæ semine collocarant, deponendam. Cùm enim Iudæi illi plurimum carnali suã nobilitate, nempe quia semen Abrahæ, quia Messias ex ipsis nasciturus, quia illis factæ promissiones, data terra Chanaan, ædificatum Dei templum, populus Dei dicerentur, cõfidentes, putarent fieri nunquam posse, vt propter sua scelera reprobarentur à Deo, in sceleribus securè viuebant, Deum nil timebant &c. Iesaias ergo docet, illos hallucinari: Deum enim illos reprobaturum. Vtilis igitur illis fuit. Nobis verò Gentibus duplicem adfert vtilitatem illud de Iudæorum reprobatione vaticinium: primam, quoniam certiores nos reddit, Christum iam aduenisse, nec vllum amplius seruatorem mũdi exspectandum esse. Iesaias enim vna ex parte cõcionatur, reprobandum esse populum Iudaicum, ne sit populus Dei, in extremitate dierum, id est post Christi aduentum: nos verò altera ex parte videmus hoc vaticinium impletum, populum Iudaicum penitus reiectũ, ne amplius sit Dei populus. Ergo inferimus necessariò & certissimã consecutione Christum aduenisse. Fides igitur nostra de Christo, illo vaticinio confirmatur.

Secunda vtilitas quam adfert est, quoniam hoc, reiecti illius dilecti populi ob suam infidelitatem, exemplo erudimur ad timorem Dei, ad perseuerantiam in fide, & obedientiã fidei. Si enim populo illi, ex omnibus Gentibus electo, cui factæ promissiones, &c. legem tamen Dei non custodienti, nec verbo Dei fidem veram adhibenti, nõ pepercit Deus, sed reiecit ne sit populus Dei: quantò minus ignoscet nobis, si non pareamus Euãgelio, quod non per Mosen, sed per Christum allatũ est? Hoc exemplo reprobatorũ Iudæorũ propter incredulitatẽ, Paulus vtitur Rom.11. ad incutiendũ timorẽ Gentibus, dicẽdo: [Si enim naturalibus ramis non pepercit Deus, vide ne qua fiat, vt nec tibi parcat. Dices itaque mihi, fracti sunt rami, vt ego inserar. Benè, propter incredulitatem fracti sunt. Tu autem fide stas, noli altum sapere, sed time, ne qua fiat, vt nec tibi parcat.] Heb.2. Si enim qui per Angelos dictus sermo, fuit firmus, omnisque transgressio & contumacia iustam mercedis retributionem retulit: quomodo nos effugiemus, si tãtam neglexerimus salutem, quæ initium accepit à Domino Iesu?

VI. Sexta quæstio est de tempore, quando habita fuerit hæc concio. Quando igitur habita fuit hæc concio à Iesaia, sub quo Rege?

Resp. Supra in prolegomenis nostris in Iesaiam, diximus, cõciones has à capite primo, vsque ad sextum caput, vbi mors Regis Oziæ commemoratur (quantum nobis cum aliis videtur) habitas fuisse sub Ozia Rege Iudæ, id quod vero simile omnino facit præsens contextus. Dicit enim Iesaias, terram populi plenã esse auro & argento, quadrigis & equis, &c. Hoc enim optimè respondet iis, quæ leguntur 4.Reg.15. & 2.Paral.26. Sub Ozia enim felicissimè vixit populus, victorias multas de suis hostib. reportauit, ideóq. & vero simile est, quadrigas & equos multos, auri & argẽti plurimũ à deuictis hostib.

Hierosolymam tulisse. Idem confirmant illa, quæ dicit Iesaias de propugnaculis, de turribus altissimis, de mœniis munitis. Hæc enim leguntur maximè sub Ozia fuisse: ædificauit turres altissimas: muniuit mœnia: multum habuit militem, ita vt elatus maximè fuerit. Vnde 2. Paral.26. Exiit ergo nomen eius ad remota loca, eò quod mirificè sibi auxilia parauit, donec fortissimus fieret: At in fortitudine sua, inquit, eleuatum est cor eius, donec omnia perderet. Sub Ozia igitur habitam fuisse existimo.

At contra hoc sic obiici potest; Hic Iesaias accusat populũ, quod idola coleret facta manibus suis, &c. Atqui manifestum est ex historia Oziæ, idola non fuisse à populo culta seu adorata: tantùm legitur, quod populus suffitum fecerit in sacellis: sed Deo vero, licet non legitima ratione. Item, in prima concione Iesaiæ, ait Deus, quorsum mihi multitudo victimarum?

Resp. Primò, Propheta non recenset ibi peccata sola, quæ tunc populus sub Ozia perpetrabat: sed ea, ob quæ præcipuè Deus populum illum reiecturus erat. Hæc autem fuerunt inter alia idololatriæ, & abominationes Gentium, quas tum ante Iesaiam tum post, populus est persecutus. Quis autem non videat, quàm repleta fuerit terra Israel idolis paulò post Oziam Regem, nempe sub Achazo, sicut patet 4. Reg.16 2. Par.28. Deinde multò magis sub Manasse, de quo legitur 4. Reg.21. & 2. Par. 33. Sicut etiam si quis concionator, minans huic Ciuitati iram Dei, pronunciet eam à Deo grau ter puniendam, ob idololatriam, non solùm quæ nunc est in vrbe, sed etiam quæ fuit, & quam futuram videt. Secundo, Idololatria est omnis cultus illegitimus, extra vel contra verbum Dei institutus. Cum igitur etiam sub Ozia populus impurum cultum præstaret Deo, suffitúmque ei faceret in sacellis à Deo vetitis: perinde fuit, ac si idola adorarit. Sed reuera Propheta tum præteritas, tum breui futuras idololatrias populi sub Achazo & sub Manasse, & deinceps sub aliquot aliis regibus respexit, quando hanc protulit causam reprobationis populi.

VII. Quando impleta fuit hæc Prophetia? seu in quod tempus præcipuè dirigebatur?

Resp. Cœpit quidem impleri quando populus tum per Assyrios, tum per Babylonios, captiuus fuit abductus, incenso templo, dirutis vrbis mœniis, aliis malis Hierosolymæ illatis, vt est 4. Reg.24. In extremitate verò dierum id est, post aduentum Christi in carne ascensúmque eius in cœlum, perfectè fuit impleta, quando populus Iudaicus reiectus, & Gentilis assumptus ad gratiam Euangelij, quando, inquam, populus Iudaicus per Romanos, ceu per extremam manum, fuit in perpetuã seruitutem redactus: tunc fuit Iudicium Dei, dies Domini super hunc populum, &c.

At quomodo conuenit hoc cum eo, quod ait Ies. hic, quod tũc, quando veniet dies Domini super populum, populus abiiciet idola, quæ sibi fecerat, ad colenda ea, &c. Tempore enim Christi non legimus Iudæos idola coluisse, quanquam impurum cultum Deo præstarent. Ergo videtur, quòd hæc Prophetia ad tempus tantùm, quo populus ductus fuit in Babylonem, referenda sit: sicut & Hebræi, & Lyranus ob hanc causam sentiunt.

Resp. Verba Domini nostri Iesu Christi Matt.23. Implete mensuram patrum vestrorum, &c. Item, vt veniat super vos sanguis iustorum, qui effusus est, &c. soluunt nodum hunc. Vnus erat ceu aceruus, aut vna mensura peccatorum omnium illius populi, ita vt peccata patrum, quodam modo filiorum etiam, & posterorũ dicerentur esse peccata. Quod patet primò à pœnis. Fuerũt enim Patrum peccata idololatria & alia scelera in filiis, extremo tempore punita, quando reprobatus fuit populus Huc facit illud Christi, *Vt veniat super vos omnis sanguis, &c.* Secundò idem patet, si spectemus vnam atque eandem radicem peccatorum, tam Patrum, quàm filiorum: incredulitas seu *ἀπιστία*, causa assignatur reprobationis Iudæorum, Rom.11. Defracti sunt rami, propter incredulitatem defracti sunt. Incredulitas autem hæc, vna atque eadem fuit in filiis, qui erant tẽpore Christi, quæ etiam in Patribus fuerat. Huc spectat illud Christi: *Implete mensuram Patrum vestrorum, &c.* Ergo, licet radix hæc incredulitatis in Patrib. foras etiã fructũ protulerit externæ idololatriæ: in filiis verò, qui erant tempore Christi, non ita: quia tamẽ eadẽ radix erat in istis, quæ etiam in illis: idcirco mirandum nõ est, quòd peccatũ patrum, externus nempe idolorũ cultus, filiis etiam obiiciatur, ac exprobretur, perinde ac si ipsi quoque Iudæi tempore Christi, suam haberent idololatriam. Tertiò, confirmatur hoc ex eo, quòd sancti veniam precantes, vnà cum suis, peccata quoque patrum ceu sua agnoscunt & confitentur, vt in orationibus apud Danielem cap.9. & apud alios Prophetas patet.

DE MAGISTRATV.

In 4. vers. cap. 2. Ies.

Et conflabunt gladios suos, in ligones, &c.

QVoniam Anabaptistæ, qui negant gladium Magistratui Christiano, potissimùm ex hoc loco arguũt, Magistratui Christiano non licere vti gladio in quempiam, idcóque neque in hæreticos, & multo minus bella gerere, quandoquidem dicat Propheta de Ecclesia Christi, fore, vt tempore aduentus Christi, gladios conflent in ligones, & lanceas suas in falces, & non discant vltra bellum: ideo ex hoc loco oriuntur tres hæ quæstiones de Magistratu Christiano.

I. An liceat Magistratui Christiano vti gladio in sontes seu nocentes, & legis transgressores.

II. An eidem liceat hæreticos occidere.

III. An ei etiam liceat bella aduersus hostes gerere.

DE I.

Negant Anabaptistæ aliquot, Christianum posse Magistratum gerere. Inter illos verò, qui admittunt Magistratum, negant tamen posse ius gladij habere in quempiam, seu capitaliter in quempiam animaduertere, & adferunt quædam è scripturis loca, sed perperam intellecta. Matth.5. *Ne resistatis malo.* Matth.26. *Conuerte gladium tuum in vaginam. Omnes enim qui acceperint gladium gladio peribunt.* Ies.2. *Conflabunt gladios suos in ligones:* & addunt etiam rationem, crudelitatẽ esse & sequitiam indignam Christiano, hominem prætertim Christianum occidere, & præceptum Christi esse, vt proximum diligamus, sicut nos ipsos.

Resp. Vt quæstio hęc breuiter, & rectè tamen explicetur, hoc vnum ceu axioma manifestum præsuppono, nempe, in Ecclesia Christi licere hominibus Christianis Magistratum gerere. Magistratus enim est ordinatio seu potestas à Deo, hominibus ad hoc munus selectis data, qua coherceant malos, & tueantur bonos, idque in hunc finem, vt religio inprimis, ac pietas, doctrinaque Dei sincera: deinde, iustitia, pax, & tranquillitas tam publica, quam priuata, in mundo conseruetur. Res autem & à Deo optimo, & in bonum finem institutæ, quemadmodum & legitimus Magistratus, optimæ sint necesse est. Atqui res bonæ & honestæ, atque à Deo institutæ, licent homini Christiano. Quî fieri igitur potest, vt ei non liceat Magistratum gerere, sibi à Deo oblatum & impositum? Exemplis res est perspicua. Reges enim, & Magistratus ac principes, qui ad Christum conuertebantur, tempore Apostolorum, non fuerunt iussi Magistratum deponere, tanquam res Christiano indignam, sed Reges & Principes manserunt tales, ita vt essent etiam Ecclesiæ nutritores, vt prædixerat Iesaias, & res est apertissima.

Iacto igitur hoc fundamento, respondeo: Magistratui Christiano licere gladio in sontes animaduertere.

Vnicuique Magistratui licet suo proprio fungi officio, ad quod à Deo est destinatus, imo & debet, tantùm abest, vt non liceat. Debet enim parere Deo, & illa exequi, quæ mandat Deus.

Magistratus Christianus est Magistratus, isque legitimus, & à Deo institutus: Ergo licet ei, & debet proprio Magistratus officio fungi. Quod est hoc officium? Inter alia cuiusuis Magistratus officia hoc vnum est potissimum, vt gladio sibi à Deo dato, in sontes animaduertat, puniat, occidat. Sunt enim tria Magistratus officia: primum, ordinate tam illa, quæ ad religionem & cultum Dei attinent, quàm quæ ad publicam pacem, honestatem & iustitiam. Secundum est iudicare, seu ius ex æquo omnibus dicere, vel (vt Prophetæ loquuntur) facere iudicium & iustitiam. Tertium est, gladio nocentes punire, vindicare, & occidere. Quod hoc tertium sit eius officium, patet. 1. Rom.13. loquens Apostolus de Magi-

Magiſtratu, déque eius officio, ait, *Dei miniſter eſt, ideò non ſine cauſa gladium portat.* Cuius eſt iſte gladius, quē gerit Magiſtratus? Dei eſt, datus à Deo ipſi Magiſtratui. Vnde & per Ezech. 21. ait Deus, *Dabo gladium meum in manus Regis Babyloniæ.* In quem vſum? Vt vindicet iniquitates contra Deum & proximum factas, puniat ſontes. Hîc eſt enim vſus gladij. Ideò Paulus explicat, dicendo: *Vindex in iram ei, qui malum agit. Non enim ſine cauſa gladium portat.* 1. Pet. 2. *Subiecti eſtote cuiuis humanæ ordinationi propter Dominum, ſiue Regi, vt qui præſit, ſiue præſidibus, vt qui ab eo mittantur, tum ad vltionem maleficorum, tum ad laudem rectè agentium.* Quis hîc non videat officium Magiſtratus eſſe, qui gladium à Deo acceptum geſtat, idque non ſine cauſa, officium inquam eſſe, vti hoc gladio ad coercendos, occidēdóſque ſontes, & defendendos inſontes? Quòd ſi hoc eſt Magiſtratus cuiuſlibet, tam Chriſtiani quàm non Chriſtiani officium: quis igitur neget, Magiſtratui Chriſtiano, licere gladio capitaliter in ſontes animaduertere? Et hæc eſto prima ratio, ab officio Magiſtratus ducta.

2. Exempla veteris & noui Teſtamenti hoc confirmant. Iuſſit Deus Magiſtratui Iudaico per Moſen, vt legis tranſgreſſores, blaſphemos, homicidas, aliósque complures ſceleratos, & innocentum oppreſſores occideret, & qui id fecerunt, laudati fuerunt: qui verò contemſerunt, vt Saul, à Deo puniti fuerunt. Et prophetæ ſubinde conqueruntur, quòd Iudices & Magiſtratus non animaduertant in ſceleratos, non faciant iudicium & iuſtitiam.

In nouo Teſtamento Chriſtus, qui venit, vt omnium peccata argueret, nunquam reprehendit Magiſtratum, quòd in ſontes capitaliter animaduerteret, quod procul dubio feciſſet, ſi hoc non licuiſſet. Neque Iohannes Baptiſta, neque Apoſtoli vnquam, negarunt non licere Magiſtratui in ſontes animaduertere. Stat igitur hoc æternum & certiſſimum axioma ſumptum à definitione & officio Magiſtratus, & confirmatum exemplis veteris & Noui Teſtamenti: Magiſtratui omni, tam Chriſtiano, quàm non Chriſtiano, licere vti, & ex officio vtendum eſſe gladio etiam capitaliter, pro grauitate peccati, in ſontes omnes. Poſſem hoc idem comprobare tum Patrum, tum etiam verè doctorum & piorum virorum noſtri temporis teſtimoniis, experientia & vſu ipſo in omnibus etiam reformatis Eccleſiis retento & comprobato: ſed quid opus eſt in re tam clara diutius immorari?

Nunc tantùm ſupereſt, vt reſpondeam ad argumenta Anabaptiſtarum.

1. Ad omnes autoritates, quas è ſcripturis adferunt, vno verbo reſpondemus, eos peccare paralogiſmo à dicto ſecundùm quid, ad dictū ſimpliciter. Illis enim locis non ſimpliciter prohibet vindictā omnē, & omnibus, ſed priuatam duntaxat, & ſingulis priuatis hominibus, vt patet locos illos omnes diligenter conſideranti. Et ratio eſt, quoniam Chriſtus non venit, vt mutaret politias & Magiſtratus, ſed tantùm vt doctrinam afferret, quâ vnuſquiſque, ſi vellet, ſeruari in vitam æternam poſſet: & homines, qui à Deo defecerant, reuocaret ad Deum, alioqui ſuſpicionem in ſe dediſſet affectati regni. Et ita etiam hic Ieſaias prædicit, quid vnuſquiſque Chriſtianus, membrum Eccleſię Chriſti, quid ſinguli illi populi, qui ad montem Zion confluent, facturi ſint, quatenus priuati erant, vbi redacti fuerint ſub imperium Chriſti: Nempe tanto amore erga proximum afficientur vt cum omnibus, quantum in illis erit, quæſituri ſint pacem, vt proximi ſalutem & commoda, propriis commodis ſint prælaturi, adeò vt etiam læſi, vindictam nullo pacto propriam & priuatam ſint facturi: quanquam alius etiam ſit ſenſus illius loci. Sola igitur priuata vindicta prohibetur in ſcripturis, ſingulis hominibus. Si quis autem Magiſtratus prohibeat edicto, ne quis geſtet arma: ſequiturne ideò etiam non licere ſuis lictoribus ea geſtare? Non ita. At publicam vindictam, Magiſtratui iubet *Deut.* 19. Non parcet oculus tuus, animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede. Vel ſic vindictam hominum prohibet, vt ſuam ipſius Magiſtratui mandet: *Mihi* (inquit) *vindictam.* Sed hanc per Magiſtratum exercet, qui eſt vindex in iram. Vnde cùm Magiſtratus quempiam punit, Deus eſt, qui per Magiſtratus manū punit, occidit, &c.

Iam verò ſunt multi etiam ex Anabaptiſtis, qui hoc quod nunc probauimus, non ita grauantur admittere: idque faciunt, non veritatis ſed ſui ipſorum amore adducti. Timent enim, ne ſi omninò vel totum funditùs tollant Magiſtratum, vel ius gladij in quoſuis ſontes in totum illi adimant, verentur (inquam) ne gladium Magiſtratuum illorum, in quorum vrbibus degunt, in ſe primùm, tanquam in ſeditioſos experiantur. Quare, etſi non amore veritatis, timore ſaltem pœnæ, concedunt magiſtratui licere, in quædam ſceleratorum hominum genera, vt in fures, homicidas, & huiuſcemodi ſecundæ tabulæ tranſgreſſores, capitaliter animaduertere.

DE II.

Cæterùm, quia hæreticos ſe eſſe ſentiunt, impunéq. vellent hæreſibus ſuis vniuerſam Chriſti Eccleſiam inficere, & ita ſuam Diabolicam ſectam amplificare: idcircò ad rauim vſque clamant, non licere Magiſtratib. hæreticos vllos occidere. Quas verò adferant rationes, poſtea videbimus. Inter alios locos, vtuntur hoc teſtimonio Ieſaiæ, *conflabunt gladios ſuos, &c.* II. Quæſtio.

Quæſtio igitur eſt an Magiſtratui Chriſtiano liceat capitales pœnas de hæreticis ſumere.

Antequam ad quæſtionem reſpondeam, primùm hoc præfationis loco notandum, non hæc ideo à me tractari, quaſi aliquid noui ſim docturus. Nam multo antea, cùm ab Auguſtino multis in locis tum ab aliis Patribus fuit hæc quęſtio tractata, tum à doctiſſimis & piis noſtri ſeculi hominibus ferè omnibus, & imprimis verò à doctiſſimo ſingularique Euangelicæ doctrinæ promotore, illuſtratore, & acerrimo defenſore, Iohanne Caluino, libro contra Saranicam Serueti doctrinam foras miſſo doctiſſimè ſimul & perſpicuè fuit explicata. Sed ideò hanc quæſtionem ab aliis explicatam referre decreui, tum quia locus Ieſaiæ præſens id poſtulat, tum vt etiam ſententiam meam, quid de hac re ſentiam, omnibus patefaciam.

Vt verò hæc quæſtio melius explicetur, notandæ ſunt ſecundo loco hæ diſtinctiones.

Prima Errorum tria ſunt genera. Alij ſunt leues, qui facilè in Eccleſia tolerari poſſunt. Iis erroribus qui implicit ſunt, iis danda eſt venia. Alij ſunt grauiores, ſed fundamentum religionis integrum ſinunt. Qui iis erroribus tenentur, ſi admoniti perſeuerent, debent aliquâ, ſed tamen mediocri caſtigatione puniri: idque ne indulgentiâ alatur eorum improbitas & contumacia, qui fidei vnitatem ſcindere nituntur. Alij verò ſunt grauiſſimi, qui à ſuis fundamentis conuellunt religionem: Deum deteſtandis blaſphemiis proſcindunt: animas in exitium rapiunt: denique defectionem à vero cultu, & vero Deo, puráque eius doctrina tentant. Qui in iis erroribus pertinaciter perſeuerant, tolerandi non ſunt, ſed potius è medio tollendi. Has propriè hæreſes vocare poſſumus: Superiores verò potiùs errores, quàm hæreſes.

Secunda: Hæreticorum alij ſeducti ſunt, non pertinaces, errant non malitiâ, ſed ſimplici ignorantiâ, ita vt ſi erudiantur, etiam tandem reſipiſcant. Ij certè ſuſtinendi, erudiendi, corrigendi, pro eis rogandus eſt Deus, nec ſunt vlla ratione capitaliter plectendi. Alij ſunt pertinaces, & ſcripturis conuicti, cedere tamen nolunt, ſed obſtinati in ſua hæreſi perſiſtere volunt: ſuo tamen proprio iudicio, in ſua conſcientia condemnati. Ij certè grauiori pœnâ ſunt afficiendi. Item horum quidam pertinaces quidem ſunt in ſua hæreſi: ſed tamen iuſſui magiſtratuum, vt taceant, parent, non alios inficiunt. Hos certè non iudicarim occidendos, cùm alios non inficiant, ſed omninò fugiendi ſunt. Alij verò non ſolùm ſunt in ſua hæreſi pertinaces: ſed etiam ſunt ſeductores, alios in ſuam hæreſim pertrahere nitentes. Ij certè nullo modo ſinendi ſunt viuere, cùm illorum temporalis vita, aliis ſit æterna mors. Et de iis proponitur quæſtio.

Tertia: Eorum etiam qui errant, & hæreſes ſequuntur, quidam ſunt & ſemper fuerunt extra Eccleſiam Chriſti, vt ſunt Iudæi, Turcæ, & quicunque veritatem Euangelij nunquam agnouerunt, vt ſunt Papiſtę multi. De iis ait Apoſtolus, quid mihi cum iis, qui foris ſunt? 1. Cor. 5. Magiſtratus Chriſtianus non ita debet de iis, eſſe ſolicitus, vt occidantur, cùm omnibus ſit manifeſtū quales ſint. Ideo nec Deus iuſſit quoſcúque idololatras

lapidari vt Gentes:sed eos, qui erant ex suo populo. Alij verò sunt, qui cùm à veritate cognita defecerint, & ab Ecclesia Christi egregarint, alios etiam ab ea separare nituntur, de quibus Iohannes: *Exierunt à nobis sed non erant ex nobis. Si enim fuissent ex nobis, mansissent vtique nobiscum*: quales fuerunt Hymenæus & Alexander, 1. Tim. 1. In hos omninò animaduertere debet Magistratus Christianus. De iis igitur qui primò errores pestiferos & hæreses grauissimas sequuntur: & qui secũdo conuicti pertinaciter tamen in eis perseuerant: & qui tertio non solum perseuerant ipsi, sed alios etiam inficere pergunt: & qui quarto cùm priùs essent in luce veritatis & in Ecclesia Christi ab illa tamen ad hæreses & sectas defecerunt, quæstio proponitur, An Christianus Magistratus iure possit & debeat in hosce hæreticos capitaliter animaduertere.

b Ioh. 2.

Responsio. Omninò potest & debet: idque iis rationibus.

1. Ab officio Magistratus sumitur. Magistratus omnis tam Christianus, quàm non Christianus, & potest & debet in sontes animaduertere, & quò perniciosiores sunt sontes, eò grauiores de illis debet pœnas sumere. Hæc propositio apertissima est, & necessaria, vt supra ostensum est, & est desumpta à definitione Magistratus. Est enim Magistratus diuina ordinatio & potestas, à Deo in hunc finem instituta, diuino gladio in eius manu posito, vt coherceitis malis, & defensis bonis, integra religio & pietas, deinde publica iustitia & pax in mundo seruetur. Huiusmodi autem propositiones à definitionibus desumptæ, imo quæ nihil sunt nisi definitiones, sunt necessariæ & per se, ex quibus constat demonstratio. Est enim definitio ipsa demonstratio, positione tantùm differens. Atqui huiusmodi hæretici sunt sontes, & grauissimi quidem omnium, qui non solùm contra secundam tabulam in proximum peccant, sed etiam contra primam, contra gloriam Dei: nec solùm publicam pacem & iustitiam perturbant, sed etiam religionem & pietatem euertunt, idque pertinacissimè: & qui ita de suis hæresibus sunt conuicti, & suo etiam proprio iudicio condemnati, vt de eorum conuersione & resipiscentia nulla amplius spes sit reliqua. Hæc etiam minor manifesta est & à definitione hæreticorum sumitur. Hæreticus enim perditissimus & perniciosissimus est ille, qui à veritate catholica deficit ad hæreticus, seu peculiarem & sibi electum errorem, cúmque grauissimum: & qui conuictus per scripturas, pertinaciter tamen in hæresi sua perseuerat: & qui ea Ecclesiam inficere, pietatem & religionem euertere, pacémque Ecclesiarũ & vrbium conturbare nititur. Ergo quis non videat necessariam hinc sequi conclusionem, nempe magistratum Christianum ex officio suo iure & posse & debere, de huiuscemodi hæreticis, capitales pœnas sumere. Hoc certe argumentum, vel hanc demonstrationem potiùs, nunquã Anabaptistæ & fanatici spiritus diluent, nisi, vt faciunt, negent, Christianis licere Magistratum gerere, quod quidem inficiari, quàm impium sit, superius est ostensum. Sed cõcesso Magistratu Christianis, fieri aliter non potest, quin Magistratus Christianus & possit & debeat ex officio gladio in sontes omnes (variè tamen pro varietate peccatorum) animaduertere, cum in hunc finem illi sit datus à Deo gladius, vt malos vindicet, & defendat bonos: & quò grauiores sunt sontes eo grauiùs in illos animaduertat: sicut etiã admisso hominem esse animal rationale, necessariò sequitur hominem mente esse præditum.

Ex hac verò propositione vniuersali: Magistratus Christianus potest & debet in omnes sontes animaduertere, & quo perniciosiores sunt, eò grauiores de illis pœnas sumere, ad necem vsque: sequitur necessario hæc, Ergo in hæreticos pertinaces, gloriæ nominis Dei blasphemos corruptores, religionis & diuini cultus euersores, animarum fidelium interfectores, & pacis Ecclesiarum perturbatores, debet capitaliter animaduertere, vt iis sublatis, gloria sua Deo vindicetur, pietas & vera religio integra conseruetur, fidelium salus prospiciatur, pax & tranquillitas in Ecclesiis custodiatur.

Nunc adferam testimonia, primò ex veteri, deinde ex Nouo Testamento: tertiò ex Imperatoribus, quartò, ex Patribus.

Et quoniam ad omnia tam exempla, quàm præcepta, quæ ex Vet. Testam. adducuntur, respondent Anabaptistæ, illis nihil concludi, quandoquidem abrogata est lex illa & ceremonialis & iudicialis: idcirco vt occurramus huic Anabaptistarum responsioni, hæc pauca de abrogatione legis iudicialis notanda sunt, quantum ad causam præsentem attinet. Christus aduentu suo minimè gentium abrogauit legem, quæ dilectionem Dei, gloriæ & honoris eius, & dilectionem proximi tradit: ideóque neque ea, quæ ad hanc Dei & proximi dilectionem necessariò spectant & faciunt. Hæc propositio manifesta est ex Euangelio, & Epistolis Pauli. Matthæi capite quinto, *Non veni soluere legem, sed implere.* Roman. capite tertio, *Legem igitur destruimus per fidem? absit: imò legem stabilimus.* Nunc igitur sic arguamus. Animaduertere in sontes, qui vel in Deum sunt blasphemi, vel in proximum iniurij & malefici, opus est charitatis quæ exigit, vt & Dei gloriam, & proximi salutem, qua fieri possit ratione, tueamur: vt cùm per Magistratum tolluntur è medio fures, latrones, homicidæ, ne ciuitas, & proximus noster lædatur, certè charitatis est opus. Atqui maximè omnium sunt & in Deum blasphemi, & in proximum iniurij ac malefici, hæretici illi pertinaces & suo ipsorum iudicio condemnati, qui nomen Dei blasphemare pergunt, qui religionem & pietatem euertunt, qui veram & salutarem Spiritus sancti doctrinam corrumpunt, qui pacem Ecclesiarum perturbant, qui proximis nostris, membris scilicet Ecclesię, non substantias aut rem furantur, neque corpora occidunt, sed animas perdere nituntur. Ergo in istos animaduertere, maximum charitatis est opus, charitatis (inquam) & Dei & proximi. Quid hinc sequitur? Ergo præcepta illa, quæ tradidit Deus de occidendis sontibus, hæreticis & religionis euersoribus, aduentu Christi abrogata non sunt, ita vt Magistratus non possit & debeat tales sontes & hæreticos è medio tollere, quoniam inde seruatur gloria Dei, & salus proximi. Abrogata quidem sunt genera pœnarum, quas liberas omnibus Magistratibus esse voluit Christus, neque omnes Magistratus gentiles, ad easdem de generibus pœnarum leges, adstringere voluit, quæ Iudaico Magistratui fuerãt traditæ: sed tamen pœnæ in genere non sunt sublatæ, sed mandatæ neque genera pœnarum ita sunt ablata, quin illis possit omnis Magistratus vti. Exemplum, Lex est Deut. cap. vigesimo secundo, vt si quis puellam virginem desponsatam, in vrbe inuentam compresserit, ambo lapidentur. Item, lex est, vt fures puniantur, modo ad restitutionem in duplum, modò in trecuplum, &c. adigantur, modò noxæ tradantur. Item, lex est, vt mulier deprehensa in adulterio lapidibus obruatur, donec pereat. Item, vt blasphemus nominis diuini lapidibus ad necem vsque obruatur. Item, vt qui ferit gladio (scilicet priuato) gladio feriatur. Hîc duo sunt, primum est mors, secundum est genus mortis. Præceptum hoc, quatenus præcipit Magistratui, vt homicidam e medio tollat, pertinet ad charitatem, quæ iubet Magistratui, vt salutem proximi, Reipublicæ, Ecclesiæ, curet: quæ quidem curatur, cùm huiusmodi scelerati, pauperum oppressores, è medio tolluntur, vt vel ipsi non amplius eis noceant, vel alij, ne idem faciant, timore cohibeantur. Quæ enim charitas esset Magistratui Christiano erga proximos, si cùm possit, & ex officio sibi diuinitus iniuncto debeat tueri bonos à malis, & malos à consortio bonorum tollere, permittat innocẽtes & bonos libidini malorum, & malos grassari in bonos sinat? Hoc igitur præceptũ, quatenus præcipit, vt è medio tollãtur homicidæ, ad charitatis legem pertinet, ideóque non est abrogatum, sed adhuc integrum stat. Alterum quod est in hoc præcepto, est genus mortis, vt v.g. quod debeat lapidibus obrui, donec pereat. Hoc præceptum quatenus cõtinet tale genus mortis, pertinebat ad Israeliticam politiam duntaxat, ideóque est abrogatum, ita vt alio mortis genere vti in occidendis homicidis Magistratus possit: neque tamen ita abrogatum est, quin eodem mortis genere vti liceat, si libeat. Cæterùm (vt dixi) quatenus præcipit, vt de talibus manifestè sceleratis pœnæ sumãtur, ne innocentes ab eis opprimantur, non est abrogatum, quia ad charitatis legem pertinent. Debet enim vnusquisque Magistratus quærere salutem proximi, Ecclesiæ, & Reipubl suæ, ex lege charitatis, ideóque tollere è medio bonorum oppressores.

Vide Bucerum in Euangeliũ Matt. c.5. super illud: oculũ pro oculo, &c.

Hæc esto tanquã antidotus prima cõtra Anabaptistarũ antipophoran circa testimonia ex veteri Testamento,

Secunda hæc esto: Magistratus non solùm non peccat, sed

sed etiam optimè facit, si Magistratus illius Iudaici formam à Deo præscriptam imitetur. Nō solùm enim bona & honesta: Deóque placens fuit illius Reipubl. & Magistratus Israelitici forma ac institutio, sed etiam omnium optima, ita vt nulla melior ea inueniri ab vllo homine possit. Atqui illa præcipit tolli è medio sontes & hæreticos, vt iamiam demonstrabo. Ergo si Magistratus Christianus, secundùm illas Dei leges, quibus Magistratus Israeliticus erat institutus, de sontibus & hæreticis pœnas capitales sumat, non solùm non malè, sed etiam optimè facit. Tria autem genera pœnarum capitaliū statuerat Deus in illa politia Iudaica, ita vt alio genere vti non licuerit, nisi speciali reuelatione iussi sint. Primum erat lapidatio: secundum, igni combustio, tertium erat suspensio in crucem: aliquando gladio, sed non ordinariè. Hæc genera pœnarum sunt ablata, ita vt liceat Magistratibus Christianis, vt quibuslibet, sed non ita, vt non liceat etiam vti illis tribus. Hoc argumentum tractat Bucerus in Matt. cap. quint. sect. 9. super illud, oculum pro oculo, pag. 141.

Iam ad testimonia ex veteri Testamento.

1. Deut. 13. Mandat Deus Magistratui, ne Pseudoprophetis parcat, sed de iis tanquam rebellibus & Deo & legibus, capitales & atroces pœnas sine misericordia sumat: & ait tandem, *Vates autē seu Propheta ille moriatur, qui à Iehoua Deo vero defectionē suaserit: Auferto te igitur malū de medio vestri* Istud, auferte malum est opus charitatis, id est connexionem habet necessariam cum fide & charitate. Quid? addit etiam grauiora verba *Si te etiam frater tuus, eâde tecū matre natus, aut filius aut filia, aut vxor, quæ est in sinu tuo,* id est, charissima *aut amicus tibi æquè charus, atque anima tua, te secretò hortatus fuerit ad cultū alienum, dicendo, Eamus & seruiamus dijs alienis, &c. quos neque tu, neque patres tui nouerunt: non acquiesces ei, nec audies eum, non parcet ei oculus tuus, nec ei propitius erit, vt occultes eum, quin potiùs occidendo occides eum, & manus tua prima sit, vt illum interficiat, deinde manus totius populi tui, &c.* Hactenus præceptum est ad charitatem pertinens, & ideo etiamnum stat, & in perpetuum est mandatum Ecclesiæ à Deo, sic etiam Caluinus contra Seruetum, pag. 30. Item, à fine patet, etiamnum illud præceptum Deut. 13. valere. Ait enim, *Vt omnes Israelitæ videant & timeāt, & ne deinceps rem adeo nefandam designent.* Ergo etiānum, vt populus Dei timeat eum, hæretici capitaliter plectendi sunt, iuxta legem Dei.

Addit verò genus mortis, dicendo: Opprimes eū lapidibus, donec moriatur. Hoc postremum abrogatum est, vt sit liberum Magistratui, talē hæreticum & Pseudoprophetam alio mortis genere vlcisci, vt igne, vel gladio.

Ex hoc præcepto, primò, quatenus opus charitatis præcipit, nempe vt occidendo hæreticum, malum de medio Ecclesiæ auferatur, dico, Magistratum Christianum, ex officio suo, & lege charitatis erga proximum, & vniuersam Ecclesiam, debere hæreticos pertinaces & pestilentes gladio è medio tollere. Eo verò mortis genere vtatur, quo libuerit vti. Secundò, sic arguo: institutio illius Reipubl. Israeliticæ, fuit omnium optima, quâ melior inueniri nullo modo potest: Ergo si magistratus iuxta leges illius Reipubl. Israeliticæ per Mosen à Deo traditas, hæreticos è medio Ecclesiæ tollat, optimè facit.

2. Deut. 17. præcipit Dominus, vt si quis conuictus fuerit à duobus, vel tribus testibus, quòd Deos alienos adoret, morte moriatur. Exod. 22. Qui immolat diis, præterquam Domino soli, exterminetur. Quanto igitur magis ille, qui nō solùm immolat ipse, sed etiam autor est, vt alij immolent, sicut sunt hæretici. Leuit. 24. lex capitalis est in blasphemos, vt scilicet lapidētur, donec moriantur. Exemplis verò plena sunt Biblia, eorum qui occisi sunt, vel quia immolarunt Diis alienis, & Deum blasphemarunt, vel quia alios à defectione Dei, ad idola incitarunt. Videatur hac de re Beza, pag. 234.

3. Exod. 32. Moses, qui in propriis iniuriis ferendis patientissimus fuit, & in aliis etiam criminibus puniendis humaniter se gessit: in vindicando tamen Dei cultu ardentissimus fuit. Ideo vbi vidit Dei cultum profanari, & idola coli à populo, videte, quid iusserit: ait Leuitis, *Consecrate manus vestras Domino, nemo fratri suo, vel propinquo ignoscat, vt quisque obuius fuerit, siue veniat occidite.* De veteri Testamento igitur hæc esto conclusio: Christi aduentu, primò, nil quod ad charitatem pertinet abrogatum fuisse. Secundò, præcepta de puniendis sontibus, ideóque & hæreticis, quatenus ita tollitur malum de medio Ecclesiæ, & cōsulitur saluti proximi pertinere ad charitatem, redigíque ad Decalogum; quatenus verò statuunt certum pœnæ genus, fuisse iudicialia, propriáque illi populo, ideóque abrogata esse ita, vt liberum tamen sit Magistratibus, illis vti & non vti. Tertiò, nil detractum Christi aduentu de officio Magistratuum, quicunque illi sint, ideóque semper licere Magistratibus vti gladio in sontes omnes, cùm sit illorum officium. Quartò, nullam Reipublicæ formam meliorem vnquam fuisse, aut esse posse, atque fuit illa Israelitica, per Mosen à Deo instituta: ideóque Magistratus, qui iuxta leges politiæ Iudaicæ se gerunt, non solùm non malè facere, sed etiam optimè.

Ex Prophetis etiam aliquot testimonia adferamus.

Asa capitale edictum constituit aduersus eos, qui Deū Israelis non quærunt. 2. Par. 15. Et notandum, quod textus ait, *Fecit Asa quod bonum & rectū erat coram Deo.* Iosias vniuersos excelsorum sacerdotes mactauit 4. Reg. 23. Psal. 2. cùm Dauid hortatur Reges, vt Christum osculentur, vt ei se subdant, quid ab eis requirit? non solùm, vt ipsi pareant Christo, quod faciunt, quatenus priuati homines sunt, sed etiam vt eius regnum, religionem, doctrinam, cultum, quatenus Reges sunt, tueantur. Hoc est enim officium Regum in Ecclesia, in Regno Christi, vt & quatenus singulares personæ sunt, ac membra Ecclesiæ, Christo ex animo seruiant, eum vt regem suū, recognoscant: quatenus verò Reges sunt, & personę publicæ, debent regnum hoc Christi, cultum Dei, religionem Christianam, atque eius doctrinam, gladio contra omnes hostes tueri, sicut August. Tom. 2. epist. 50. ad Bonifacium optimè declarat.

Si ergo insurgāt hæretici præfracti, perditi, perniciosi contra Ecclesiam, & cultum Christi, eiúsque Euangelium corrumpere, gloriam Dei fœdis blasphemiis conculcare, animas fidelium in exitium trahere conentur: annon debet Magistratus, & reges, huius regni Christi defensores & protectores gladio tales lupos ab Ecclesia arcere? Arceant (inquiunt isti) non occidant. Sed si expulsi ab vna vrbe, in aliam vadant, ibique aliam Ecclesiam Christi, itidem vt antea perdere tentent, & ita semper pergant, vt non possit Ecclesiæ Christi prospici, nisi ij è medio tollantur: an non debet Magistratus tollere eos è medio? Omninò dicimus esse tollendos: alioqui quomodo erunt Reges & Principes Ecclesiæ Christi protectores, defensores, nutritores? Debent autem esse tales. Sic Ies. 49 antea prædixit fore, vt principes ac Reges qui Ecclesiam Christi persequebantur, ad Christum ita conuertantur, vt sint eius Ecclesiæ nutritores, & reginæ nutrices.

Si in causa religionis non licet Regibus capitales de hominibus pœnas sumere, vt de blasphemis & perditissimis hæreticis, cur ergo Nebucadnezarus Rex, conuersus ad verum Deum Israel, donatus Spiritu sancto, edicto sancit, ne quis posthac Deum Danielis blasphemet, quicunque verò blasphemauerit, in frusta fiat, & domus eius in latrinam ponatur? Sicut antea impiè iusserat, vt omnes adorarent statuam auream sub pœna capitis: ita postea piissimè cauit, ne quis Deum viuentem blasphemet, sub pœna itidem capitis, & domus publicandæ. Dan. 3. Certè si non liceret Magistratibus Christianis & fidelibus in blasphemos nominis Dei, & multò magis in pertinaces hæreticos capitaliter animaduertere, Rex ille, Spiritu resipiscentiæ & fidei donatus, tale edictum non promulgasset, & Daniel Regem, qui iam profitebatur veram Religionem, & se velle iuxta legē Dei Israel viuere admonuisset, nō licere ipsi in blasphemos capitaliter animaduertere. Quin Daniel retulit in historiam suæ Prophetiæ edictum hoc regis, ceu symbolum, quod ille verè resipuerit, & vt decretum verè bonum & laude dignum. Hoc exemplum adducit Augustinus in hanc sententiam nostram epistola 48. ad Vincentium: dicítque in hoc exemplo Regis ad Deum conuersi, de-

ceri omnes Reges Christianos, quid agere debent. Apollinarius hæreticus dixit, Nebucadnezarum fastu quodam legem hanc cõtra impios condidisse, cùm nesciret, omnem pœnam, quam homo intẽtare potest, minorem esse, quàm impietas exigat: Magnam enim vltionem requirit peccatum eorum, qui Deum blasphemãt. Sed respondet Apollinario Oecolampadius, religiosi principis esse, ne ferat blasphemias, quibus alij offendantur: Deus autem internam prauitatem sibi puniendam reseruat: cæterum princeps externa offendicula debet auferre. Ideò Deus in lege iussit Regibus & Magistratibus, vt in blasphemos & seductores animaduerterent.

Non absimile certè exemplum legitur de Cyro Persarum Rege, cui præclarum testimonium perhibet Spiritus sanctus. Is (vt refert etiam Iosephus antiquit. Iud. Tit.2. libro 11. cap.1. in fine) postquàm iussit populis suis, vt opem ferrent Iudæis ad templum reædificãdum, sic inobsequentibus minatur: *Eos, qui hæc contẽserint, vel infirmauerint, crucifigi iubeo, substantiásque eorum esse regales.*

Ex nouo Testamento.

II. Si in causa religionis non liceret Magistratui in quempiam animaduertere, Christus de religione accusatus, & à Pilato condemnatus, vtique Pilatum admonuisset, non licere Magistratui in quẽpiam animaduertere, præsertim capitaliter, in causa religionis, sicut etiam eum iactãtem se habere potestatem ipsum crucifigendi, vel dimittendi, modestè correxit, dicendo, *Non haberes potestatem aduersus me vllam nisi tibi datũ esset supernè.* Item, nunquam legitur, quod vel ipse, vel Apostoli reprehenderint Magistratus, quia in se aut alios, religionis causa animaduerterent. Idem quoque dico de Prophetis.

Act.25. Paulus accusatus de religione, appellauit Cæsarem, vt ibi ante Cæsarẽ causa sua agnosceretur. Certò hoc docet, Paulũ certò sensisse, licere Magistratibus, causas religionis agnoscere, & si quis in ea erret pertinaciter, de eo pœnas sumere. Ita in Actis sæpe legimus Apostolos ante Magistratũ constitutos, & de religione accusatos, tanquam nouas sectas facerent, non eò cõfugisse, vt dicerent, nõ licere quempiam religionis causa punire, aut occidere: sed suas causas tutatos fuisse, & se defendisse, quòd nihil docuerint contra verbum Dei & legem Mosis: ita vt maiorem quidem propositionem concederent, nempe, licere Magistratibus capitaliter animaduertere in hæreticos, qui docent contra verbum Dei: sed minorem negarent, nempe, atqui vos estis hæretici. Ostẽdebant autem ex verbo Dei, se non esse hæreticos, eò quod nihil docerent contra verbum Dei, imò nihil, quod non haberet testimonium in verbo Dei.

Act.5. Petrus Ananiam, & eius vxorem Saphiram, in causa religionis, propter hypocrisin, & simulatam religionem, strauit atque interfecit. Item Act.13. Paulus Elymam Magum, in causa religionis, cæcum reddidit, & tamen erant sub Euangelij gratia. Cur igitur non liceat Magistratibus Christianis in causa religionis, capitales pœnas de sontibus sumere.

At (inquiunt) gladio, non occiderunt, sed verbo? Responsio. Quæstio non est, quo instrumento occidendi sint, gladio, an igne, an verbo, si nũc, sicut tunc Apostolis, concederetur Magistratibus: sed an sint occidendi. Occidere, semper est occidere, quocunque illud fiat instrumento.

At (inquiunt) iussu Dei, qui illud tũc ita edocuit faciendum, fecerunt? Resp. Fateor, sed hinc arguere licet, si licuit Petro & Paulo extraordinaria potestate, occultum mẽdacium, religionis contemptum, capitaliter punire: cur non idem Magistratui ordinaria sua potestate liceat ob manifestam hæresim? Præterea alia tũc fuit ratio temporis, quàm nunc. Tunc enim quia non habebat Ecclesia Magistratum Christianum, ad quem posset confugere in causa religionis, idcirco autoritate Spiritus sancti facere soliti fuerunt Apostoli, quod alioqui Magistratui, si adfuisset, reliquissent faciendum. 1.Cor.5. & 1.Tim.1. cùm aliquẽ tradebat Paulus Satanæ in interitum carnis, ait Chrysostomus, tunc grauissimis malis afficiebantur tales, idque faciebant in causa etiã religionis.

3. 1.Timoth.2. Volo primùm fieri obsecrationes pro Regibus & Principibus, &c. Quorsum? vt quietã & trãquillam vitam agamus in omni pietate & temperantia seu honestate, aut sanctimonia: quasi dicat, nisi Reges & Magistratus tueantur & bonos mores, & religionem ac pietatem, tranquillam vitam agere nunquam poterimus, neque in sanctimonia, propter tot sceleratos homines qui vbique grassarentur: neque in pietate & vero cultu Dei, propter tot hæreticos ac seductores qui veram doctrinam ac pietatem suis hæresibus perturbarent. Dat ergo hîc Paulus duplex officium Magistratibus: primùm, vt pietatem defendant, religionem, doctrinam Dei, & Deum ritè colendum procurent, id quod fit etiam animaduertendo in transgressores primæ tabulæ, vt in hæreticos, idque vt Ecclesia tranquillam vitam agat in pietate. Alterum, vt curent honestatem, bonos mores seruari in ciuitate, id quod fit sumendo pœnas de transgressoribus secundæ tabulæ, de latronibus, de homicidis, & id genus sceleratis hominibus. Quis hîc non videat, ab Apostolo constitui Principum munus in iis duabus rebus? in fouenda pietate, & in tuendo cuiusque iure: cùm ait, vt quietam & tranquillam vitam agamus, &c. Quid ergo sequitur? gladium in eorum manum depositum esse à Deo, vt illo & sanam doctrinam in pertinaces hæreticos: & publicam iustitiam defendendo in illius transgressores animaduertant.

4. Rom.13 Magistratus Dei minister est, &c. Quæro, quánam in re?

Resp. Vt curet seruari legem Dei. Docet hoc scriptura sacra, Deut.17. quem locum declarat optimè August. epist.50. ad Bonifacium. Vide etiam B.190. Lex verò quot habet partes? Duas: primam tabulam, in qua de cultu & religione Dei: & secundam, in qua de reliquis bonis moribus qui ad nos & proximum attinent. Ergo Magistratus curare debet, primò, vt pietas & cultus, ac religio pura seruetur: secundò, vt iustitia & honesti mores custodiantur. Contrà curare debet, vt falsa religio, hæreticáque doctrina aboleatur: & reliqua scelera contra proximum extirpentur. At neutrum fieri potest, nisi è medio tollantur tam illi qui in seminanda praua doctrina, & corrũpenda vera religione pertinaces sunt, quàm illi, qui publicam iustitiam & pacem perturbare, bonos mores corrumpere, & proximum lædere nõ cessant. Patet. Neque enim vlla est ratio, qua in ordinem redigi possint huiuscemodi pertinaces, scelerati, & hæretici, quando conuicti iam verbo Dei, & aliqua pœna affecti, resipiscere tamen nolunt. Contra hos enim datus est gladius in manum Magistratui: *Vindex in iram ei, qui malè agit*, vel malè contra primam, vel malè cõtra secundam tabulam. Concludo. Si Magistratui licet, (vt isti, contra quos nunc disputo, contendunt) capitales pœnas de secundæ tabulæ transgressoribus, de homicidis, furibus, &c. sumere, idque in hunc finem, vt sublatis bonorum morum corruptoribus, boni mores in vrbibus seruentur. Ergo multò magis licet capitales pœnas de primæ tabulæ transgressoribus, de blasphemis, hæreticis sumere, vt sublatis religionis & pietatis corruptoribus, pura religio, & pietas conseruetur. Valet autem consequentia à minori ad maius. Primum enim & præcipuum officium Magistratus est, curare vt prima tabula: deinde, vt secunda seruetur: sicut etiam Christus ait, *primum & maximum mandatum est hoc, Diliges Deum tuum*, &c. Ideò in vtrosque pœnas statuit Deus in lege, nempe tam in blasphemos atque hæreticos, quàm in homicidas & adulteros, & alios secundæ tabulæ transgressores.

At abrogatæ sunt leges iudiciales?

Resp. Si sunt ita abrogatæ, vt non amplius liceat illis vti. Ergo tam non licebit Magistratui Christiano animaduertere in latrones, homicidas, quàm in hæreticos & seductores & blasphemos. Nam etiam contra illos latæ sunt leges iudiciales à Mose. Licet autem per hos bellos viros punire homicidas. Ergo, &c.

5. Licet Magistratui occidere monetarum falsificos corruptores: & non licebit occidere Euãgelij corruptores & euersores? Licet occidere latrones, fures & homicidas: & non licebit occidere hæreticos, qui gloriam Deo furantur? qui animas in exitium trahere conantur? Licet occidere proditores principis alicuius, aut vrbis, & non licebit occidere proditores Christi & Ecclesiæ, hæreticos? Maleficos (inquit Dominus) non patieris viuere. Non video, quæ ratio possit adferri, cur homicidæ, seditiosi, impostores, & omnes blasphemi iure dicantur, occidi:

occidi: & tamen non liceat occidere hæreticos, qui & ipsi sunt eò peiores illis homicidis, seditiosis, impostoribus, blasphemis, quòd petunt non corpora, sed animas, non vnam vrbem, sed vniuersam Ecclesiam.

6. Hoc argumento à charitate ducto, mihi videtur res apertissima. Diligendus est Deus supra omnia: & proximus, vniuersa præsertim Ecclesia: & huc dirigitur tota lex Dei. Matth. cap. vigesimo secundo. *In ijs duobus mandatis consistit lex & Prophetæ.* Ergo quærenda Dei gloria inprimis, & vindicanda omninò eius blasphemia. Deinde proximi quærenda est salus, & eius impedienda, quoad eius fieri potest, perditio. Atqui ex occisione pertinacium hæreticorum, vindicatur sua gloria Deo, conseruatur in Ecclesia verus eius cultus & doctrina: & proximi salus promouetur cauetur ne seducantur populi, contra verò contingit, nisi occidantur. Ergo charitas exigit, & vniuersa lex Dei, vt hæretici pertinaces occidantur.

Cõstantinus pœnã capitis statuit in eos, qui Arij libros vellent, & eius partes sequerentur Nicephor li. 8. c. 18 & 5. prope fi. & p. 341. Iustinianus capitali pœna eos inuoluit, qui Seueri Antiochæni hæretici scripta nõ cremassent. Nicephor. lib. 17. c. 9. p. 873. & subditidem. quoque ab Ormisda cõstitutum fuisse.

III. Extant etiam leges ab Imperatoribus sanctissimis latæ de occidendis hæreticis. Constantinus Imperator, vir sanctissimus, legem tulit qua mandauit, vt hæretici, idololatræ, apostatæ (nempe pertinaces in sua hæresi, apostasia, & idololatria) occidantur. Patet in epistola ad Taurum Papam dicẽdo. *Placuit omnibus locis atque vrbibus vniuersis claudi protinus tẽpla, & accessu vetito omnibus licentiam delinquendi perditis abnegari: volumus etiã cũctos sacrificijs abstinere. Quod si aliquid fortè huiusmodi perpetrauerint, gladio vltore sternatur: facultates etiã perẽpti fisco decernimus vindicari, & similiter puniri rectores prouinciarum si facinora vindicare neglexerint.*

Theodosius, Valentinianus & Martinus Imperatores eadem mandarunt, vt patet in Codice Theodosiano, Tit. 2. Item in Codice Iustiniano. tit. 11. lib. 1.

Si Magistratus Christiani alias horum Imperatorum leges seruant, cur non & hanc seruare possunt & debẽt? Patres etiam huic rei subscribunt.

Augustinus fuit aliquando in ea sententia, vt crederet, nulla alia ratione agendũ esse cùm hæreticis quàm verbo Domini: sed deinde multis rationibus victus, contrarium fateri coactus fuit, & docuit. Tomo secundo, epist. 48. ad Vincentium: multis ibi rationibus & exemplis scripturarum docet, cum hæreticis gladio etiam, non solùm verbo, esse agendum: & reuocat errorẽ suum Augustinus apertè in quo antea fuerat. Item ad Bonifacium Comitem, epist 50 Item contra epistolam Parmeniani, lib. 1 c. 7. refert eius verba pag. 19. A. Item Tomo septimo, contra literas Petiliani, Episcopi Donatistæ. lib. 2. cap. 83. vbi & hoc argumentum habet & alibi vrget. *Stat sententia Apostoli: qui non sine causa gladiũ Dei portat, sit Dei Minister, vindex in irã omnibus, qui malũ agunt, quicunque illi sint.* Non ait, Vindex in ira latronibus, homicidis, &c. sed in genere, omnibus qui malè agunt. Licet ergo illi in omnes malè agentes vti gladio. *Nũc tota quæstio in hoc vertitur, an vos* (alloquitur Petilianũ & suos) *malè agatis, vel non.* Nos inferamus: Atqui hæretici, præsertim pertinaces pessime agunt, dum non resipiscunt, & Ecclesiam Christi conturbant. Ergo, &c.

Hieronymus Tom. 3. ad Fabiolam de 42. mãsionibus, mansione 29. ait, omninò interficiendos esse hæreticos, præsertim verò hæresiarchas, & hæreticorum præceptores.

Bernardus in Cantica serm. 66. vituperat, quòd populus priuatus hæreticos quosdam occiderit: sed postea dicit, debere per Magistratum occidi. Verba eius hæc sunt: *Quanquam melius procul dubio gladio coercerentur, illius videlicet, qui non sine causa gladium portat, quàm in suum errorem multos traijcere permittatur. Dei enim Minister ille est, vindex in irã ei, qui malè agit.*

Ex nostratibus omnes ferè huius sententiæ sunt, & Ecclesia Tigurina: vnde & D. Bullingerus in suis decadibus apertè hanc doctrinam tradit. Item in Dialogis, contra Anabapt. lib. 3.

Ecclesia Geneuensis, Lausannensis, Bernensis, omnes ferè denique Ecclesiæ Helueticæ & Rheticæ. Matth. Bucerus in Matth. cap. 5 Vide etiam Melanchthon, in libro de officio Principum. Vide etiam Thomam. 2. p. q. 11. art. 3.

Responsio ad argumenta Anabaptistarum.

Respondeo primò ad quendam Ciceronianũ, præ se ferentem quidem zelum aliquem pietatis, sed certè nõ secundùm scientiam. Is in sua quadam epistola, vires omnes suæ eloquentiæ adhibet, vt persuadeat religionis causa occidendum esse neminem: admitti verò occidendos esse facinorosos homines, vt sicarios, homicidas, adulteros, &c.

Vt verò primum huiusce sententiæ suæ membrum, nempe, religionis causa occidendum esse neminem, persuadeat, affert multas e scripturis Propheticis authoritates, quæ cùm loquantur de regno Christi, maximã pacem promittunt Ecclesiæ Christi: & fore, vt in regno Christi enses conflentur in ligones, & lanceæ in falces, sicut etiam hic Esaias ait cap. 2. Recitabo illas summatim.

Mich. 4. *Cudent ex ensibus suis vomeres, & ex spiculis falces: nec gentes alia aliis arma inferent, nec amplius bella discent, degentque sub suis quisque vitibus ac ficubus, exterrente nullo.*

Ies. 11. *Versabitur cum agno lupus &c.* Item 60. *Ad te* (scilicet ô Ierusalem, ô Ecclesia Christi) *sese recipient humiliter omnes, qui te afflixerint, &c.* Item, *pro are inducam aurum pro ferro argentum, &c.*

Ezech. 36. *Accersam vos ex gentibus, &c.* Apocalyps. 20.

In iis atque aliis locis, maximã, dicit, promitti Christianis felicitatem, Dei cognitionem, & obedientiam. Existimat autem hic bonus vir, promitti in istis locis externam pacem, & felicitatem Ecclesiæ Christi in hoc mundo, ideóque carnaliter interpretatur omnes hos locos, vbi promittitur, quod in falces vertuntur enses. Quod patet ex iis, quæ sequuntur. Equidem aut hęc futura, fatendum est, aut iam fuisse aut Deus accusandus mendacij. Postea negat impletam tempore Apostolorũ fuisse, eo quod non vndiquaque perfecta fuerit, &c. Tũ negat, esse etiam hoc nostro tempore, dicendo: sin dicet, nostro tempore, mirabimur (inquit) hanc pacem, quæ ex vomeribus falcibúsque nostris cudat enses, & supellectilem domósque conuertat in bombardas, & propugnacula, &c.

Respon. Primò ad omnes has autoritates, esse hîc fallaciam figuræ dictionis. Non enim Prophetæ hisce locutionibus promittunt pacem externam Ecclesiæ, sed de pace, quam adfert Euangelium, loquũtur. Hæc autẽ est pax conscientiæ cum Deo, ex condonatione peccatorum: & pax vnicuique priuato Christiano, cum proximo suo, quoad eius fieri potest, quæ ex regeneratione per Spiritum sanctum habetur. Omnes enim Christiani veri & pacem cum Deo habent in conscientia, & cum proximo, quantum in ipsis est, vt docet Paulus ad Rom. Neque gestant gladium, vt proximo noceant, nec amant bella & iurgia, &c. quamuis etiam hanc pacem vtramque hic perfectè habeant, non plenè. Cæterùm, non loquuntur Prophetæ de pace terrena in Ecclesia, cùm Christus aliter promiserit: *in mundo semper pressuram habebitis:* Neque de Magistratibus loquũtur, quin possint gladium gestare ad vindicandas iniquitates. Non enim ipsi debent conuertere gladios in vomeres: ratio, quoniam gladius ille non est ipsorum, sed Dei ipsis a Deo datus. Gladios suos (id est priuatos) omnes Christiani viri conuertunt in vomeres. Et notandum est in ista locutione: Iesaias ait, Et cudent gladios suos (priuatos.) At gladius Magistratus, non est suus ipsorum, sed Dei, sibi datus ad vlciscenda scelera in mundo, &c. Ioh. 16.

Deinde ad id, quod ait: Aut hęc futura fatendum est, aut fuisse, &c.

Resp. Fuerunt, sunt, & erunt: sed imperfectè, donec perfectè fiant in cœlo. Tunc perfectam habebimus pacem & Dei cognitionem.

Rhetoricã quadam carpens omnes Magistratus, qui hæreticos occidunt, ait, scilicet Christi studio sanguinarij erimus, qui ne aliorum sanguis effundẽdus esset, ipse suum effudit: Christi studio zizania extirpabimus: qui ne frumentum extirparetur, iussit vsque ad messem relinqui zizania, &c. Liceat & nobis rhetoricari: scilicet permittemus vniuersam Ecclesiam Christi, pro quã, ne illa periret, mortuus est Christus, venenatis hæreticorũ dogmatibus, æternùm trucidari, vt perditissimis hæreticis corporalem vitam incolumẽ seruemus? Sinemus Ecclesiam Christi, quam vt mundaret, sanguinem suũ fudit Christus, fœdissimis Serueti & sui similium hęresibus contaminari: verùm ne terra sanguine hęreticorũ maculetur? Sinemus frumentum suffocari, imo extirpari ab hæreticis, vt zizania, loco frumenti, in agro Dominico reponantur & seruentur? Sinemus inferri ab hæreticis

spiritualem & æternam mortem Christi fidelibus,& eius Ecclesię,ne temporalis & corporalis mors inferatur hæreticis.

Ille infert, vbi ergo erit illa nobis tantopere commendata charitas,sine qua, licet & hominum teneas,& geniorum linguas, &c.nihil es.&c. Ego dico: Vbi ergo erit illa tantopere nobis commendata & præcepta charitas,in Deum, & in proximum,nempe,vt & Dei nostri gloriam,cultum,religionem,doctrinam integram seruari curemus,& totius Ecclesiæ salutem quæramus?& auferamus de medio nostri malum? abscindamus vnum potius,aut alterum membrum,quàm vt totum sinamus corpus interire? & expurgemus modicum vetus fermētum ne tota massa corrumpatur?

3. Docet,cùm controuersiæ in religionis negotio oriuntur,nec de iis adhuc definitum est,quid sit sentiendum,non esse quempiam,quia aliter sentiat, atque nos sentiamus,damnandum, sed expectandum,donec quid sentiendum sit,per genium aliquem,aut vatem indicetur, quasi non satis sufficiat verbum Dei reuelatum in scripturis.

Sed esto:quid cùm res iam sunt perspicuæ, & semper ab Ecclesia approbatæ?tu verò,vel alius, illis contrariū doceas pertinaciter?quid? an fortasse nihil adhuc in Ecclesia est certum è scripturis?nunquid adhuc reuocabis in dubium Christum esse Deum,secundum naturam diuinam,vnum esse cum Patre, & alium esse Patrem, alium Filium, alium Spiritum sanctum,cùm tamen sint omnes vna atque eadem substantia atque essentia?

Ait,Tu quis es,qui iudicas alienum seruum,quasi nō liceat Ecclesiæ,& Ecclesiæ ministris,iudicare de alicuius doctrina an sit bona, vel mala,iuxta verbumDomini apertum?Quorsum detorques scripturas?

Ibi Paulus de ἀδιαφόροις agit,tu verò ad ea quæ certissime tradita, & aperta sunt in Scripturis transfers. Verius in te retorquetur hoc dictum: Tu quis es,qui iudicas alienum seruum , ac illius cor ac mentem damnas, quòd quæ fecerit, odio & non amore, & Zelo gloriæ Christi fecerit?An non videt miser,hæc omnia in se retorqueri iure posse?

Ait.Obediamus iusto iudici,& Zizania vsque ad messem sinamus,ne forte frumentum(dum supra Magistrū sapere volumus)extirpemus.Ego dico, Obediamus iusto iudici , & pertinaces hæreticos, blasphemos, falsósque Prophetas suo ipsorum iudicio iam cōdemnatos è medio tollamus,vt iubet Deus Deut.13.ne fortè dum supra Magistrum sapere volumus,vniuersa Ecclesia contaminetur,& in exitium trahatur.

Postremò ait: Atque hæc de religione duntaxat à me dici volo. Nam quod ad facinora attinet, homicidia,adulteria,&c.quæ Deus & puniri iussit,& quo pacto punienda forent,pręcepit,ea in controuersiā non vocātur.

Resp At cur tu in controuersiam vocas,blasphemias, hæreses,quas itidem puniri idē Devs apertissime iussit, perinde atque alia scelera?

Quoniam(inquit) periculum non est,ne si Magistratus,à Deo ad bonos defendendos constitutus, aliquem homicidij conuictum tollat in crucem, virum bonum interficiat.Sed religionis longè alia est ratio.Cur?Quoniam hæc,(quæ scilicet ad religionem attinent)& sæpe per ænigmata tradita sunt,& iam per mille amplius annos disputata,componi hactenus non potuerunt,&c.

Resp. Quid ais? Est-ne aliquid apertè traditum , an omnia per ænigmata?Deinde,nihil ne adhuc in EcclesiaChristi,circa negotium religionis determinatum est? an omnia adhuc sunt in suspenso & pendent?Si nihil: quid ergo tu audes damnare eos , qui non tecum sentiunt?quid audes,tu tanquam iudex pronunciare?ita se res habet: sic agendum est:Si aliqua de iis contēdimus, an qui pertinaciter res in scripturis apertas,&ab Ecclesia semper receptas,inficiatur, & contrarium docere nō cessat,sit è medio tollendus, vel ne , vt saluti Ecclesiæ prospiciatur?

Dicit,debemus communem hunc aërem,&Spiritum iis concedere,qui idem Christi nomen nobiscum profitentur,& nemini nocent. Sed quid de iis agendum est, qui Christum ipsum negāt,eius doctrinam inficiunt, & Ecclesiæ Christi vniuersæ nocēt, animas in exitium æternum trahere conantur?

Ait,Concludimus:Quod si quis contradicere his audebit,necesse erit,vt fateatur,sanguinem à se oppugnari, à nobis defendi.O egregium Dialecticum. Ego audeo contradicere : neque tamen sequitur,à me sanguinem oppugnari (scilicet innocentum, de quo loquitur Salomon loco à te citato)neque à te defendi sanguinem innocentum, sed perditissimorum Ecclesiæ Christi hostium. Benè sequitur, cùm nos dicamus occidendos esse pertinaces , & pestilentissimos hæreticos : si quis iis contradicere audeat, vt tu audes, necesse erit, vt fateatur,hæreticos à se defendi,à nobis oppugnari. Vtrius autem facilior futura sit causæ dictio apud iudicem Deū, si quis ignorat,audiat Deum.Deut.13.dicentem: Nō acquiesces illi,neque obedies illi, nec parcet oculus tuus illi,neque indulgebis,neque occultabis illum:sed occidendo occides eum:manus tua erit in eum prius,vt interficias ipsum,& manus vniuersi populi post ea, &c. Item,1.Sam.2.Glorificantes me,glorificabo : & contemnentes me,reddam contemtos.

Ait,illud perspectum habeo clementiæ,patiētiæ,benignitatis,obedientiæ, non posse pœnitere quenquam: crudelitatis,& temerarij iudicij, non posse non pœnitere. Quòd si illa tutissima via est, hæc periculorum plena,insanum esse oportet, qui se sciens volénsque in pericula præcipitet.Ego quoque illud perspectum habeo, non posse quempiam pœnitere , si apertum Dei verbū sequatur,& iuxta illud pronunciet: illum verò non posse non pœnitere, qui aliter doceat & pronunciet,quàm verbum Dei doceat. Atqui verbum Dei aperte docet, occidendos esse hæreticos , pertinaces, blasphemos, vt supra ostensum est:& iisdem quidem legibus,quibus tu fateris,iussum esse à Deo,vt adulteria & homicidia,&c. puniantur. Nullibi autem verbum Dei dicit , non esse occidendos hæreticos Tu ergo vide & tui similes,an sitis insani, ne dicam quid grauius , qui contra apertum Dei verbum,contra legem naturæ,contra Patres contra vniuersam Christi Ecclesiam,docetis,non esse occidendos hæreticos.

Iam ad argumenta Anabaptistarum.

1 A charitate sic arguunt. Charitas exigit,vt diligamus proximum,sicut nos ipsos, eiúsque salutem quæramus,non damnationem.Atqui occidere eum,non est opus charitatis,&c.

Resp. Negatur minor : quia nisi occidantur illi,qui nomen Dei blasphemare non cessant , & Ecclesiam in Christi exitium æternum, suis impiis doctrinis pertinaciter trahere tentant,contra charitatem peccatur.Charitas enim exigit, vt Dei gloriam, & doctrinam eius,& synceram cultum tueamur,& vt vnum membrum putidum & desperatum,è corpore abscindatur potiùs,quàm vt sinatur totum corpus Ecclesiæ putrefieri & perdi.Salus inprimis totius corporis spectanda est : deinde singulorum membrorum,si fieri possit. Quòd si periclitetur salus totius corporis , ex eo, quòd membrum vnum aut alterum inde non abscinditur , abscindendum est membrum,vt corpus seruetur. Ideò Paulus 1. Cor.5.iubet segregari à corpore Ecclesiæ putidum illud membrum,quod cum nouerca rem habuit,dicendo: *Auferte malum de medio vestri.* Cur? vt totum corpus seruetur. *Expurgate vetus fermentum.* Cur? *Quia modicum fermentum totam massam corrumpit.*

At (inquiunt) etiam hæreticus est proximus noster, quia homo : Ergo etiam illius rationem habere debemus,eúmque diligere.

Resp.Primò,si quia hæreticus homo est,& ita hac ratione proximus noster , eum ita diligere debemus , vt eum non occidamus : sequetur pari ratione , neminem vel latronem, vel homicidam à Magistratu occidēdum esse.Secūdò,dicimus omnes esse diligendos, sed secundum Deum,id est,ita vt eos diligendo,nil contra Deum agamus. Exemplum. Diligendus est pater,mater,& ideò sustentandi à nobis,sed secundum Deum. Si illi me ad idololatriam cogere velint, & impedimento sint, ne sequar Christum,derelinquendi sunt, & vt Christus ait, odio habendi. Si ita eos diligas vt contra Christum aliquid agas,iam non diliges secundùm Deum. Primò diligendus estDeus,Christus:secundò proximus:Atqui nisi occidas hæreticos, facis contra Deum, qui iussit eos tolli è medio. Oportet ergo legitimè diligere,& secundùm Deum,non illegitimè,& contra Deum.

Exempla.Saul plus dilexit Agag Regem Amalechitarum,cùm eum seruaret,quàm Deum,qui iusserat eū & omnia eius occidi & perdi.Ideò reprobatur à Deo,quia non dilexit proximum secundùm Deum.Exod.32.Quādo Moses mandauit Leuitis , vt obuiam quemque fratrem & proximum occiderent, propter idololatriam à populo commissam:iussitne violari præceptum charitatis?

tis:nil minus, Imò nisi illi paruissent Mosi, peccassent: quia contra mandatum Domini fecissent. Esto ergo hęc regula de hac dilectione: Illa non est legitima proximi dilectio, quæ contra mandatum Dei exhibetur: & illa non est legitimæ dilectionis trāsgressio, cùm iuxta verbum Domini aliquem odio habemus, & secundùm verbum Domini occidimus.

Secundum argumentum eorum sumtum est à fide. Ad fidem nemo est cogendus.

Resp. Primò: Hæc erant verba Petiliani, vt refert Augustinus, Tomo septimo, contra literas Petiliani, libro secundo, cap. 83. Absit, absit (dicebat) à conscientia nostra, vt ad fidem nostram aliquem compellamus. Augustinus respondet, & ibi, & Tom 2 epist. 48. ad Vincentium, & epist. 50. ad Bonifacium: & summa est: neminē quidem cogi posse ad fidem, cùm solius Dei sit, illam donare. sed tamē vtiliter flagellis trahi & cogi posse homines ipsos ad sinum Ecclesiæ vt ipsi postea ita edomiti, vltrò Euangelio assentiantur, & fide sese Ecclesiæ iungant.

Secundò. Si ad fidem nemo cogēdus est, ergo vituperandi sunt multi Reges Iuda, qui subinde populum ad verum Dei cultum adigebant, ablatis idolis Et expresse de Iosia legitur. 2. Paralip. 34. quòd fecerit Israelitas & alios, qui ibi erant, seruire Domino Deo suo. Et Christus vt Paulum ad fidem coëgit, Vide textum cap. 23 quæst. quart. can. 9. Quis.

Tertiò, Cùm docemus, occidendos esse hæreticos nō dicimus, ideo occidendos esse, quòd non credant, aut credere nolint, quasi in illorum arbitrio collocata sit facultas credendi, vel non credendi: sed ideo esse occidendos, quòd pertinaces in sua hæresi, conuicti per verbum Domini ab Episcopis, & suo ipsorum iudicio condemnati, Ecclesiam Christi suis pestilentissimis doctrinis inficere pergunt. Hoc autem non est cogere ad fidem: sed in fidei Catholicæ blasphemos, & corruptores animaduertere, vt lex iubet. Quare non sequitur: Nemo ad fidem cogi potest aut debet: Ergo nullus hæreticus, fidei impugnator & euersor, puniri potest aut debet.

Tertium argumentum ab exemplo Apostolorum: Nulla (inquiunt) subsidia Apostoli petierūt à Regibus, ad puniēdos hostes religionis blasphemos, hæreticósve occidendos: neque vnquam hortati sunt Magistratus ad occidendos hæreticos. Videtur ergo, quòd non licuerit Magistratibus occidere hæreticos. Item, cur ergo nunc Episcopi, & verbi Ministri instant apud Magistratus, vt in hæreticos animaduertant.

Resp. Hæc obiectio fuit etiam Augustino facta, & ipse ad hanc respondet epist. ad Bonifacium. 50. summa est: Tunc Ecclesia Christi nō habebat reges aut principes & Magistratus Christianos, ideo non poterant petere auxilij à regibus Apostoli sed tamen ipsi exemplis aliquot docuerunt, quid facere debuisset Magistratus, si adfuisset Christianus: cum scilicet Petrus Ananiā & Saphiram strauit mortuos: & Paulus Elymam magū oculis priuauit: si adfuisset Magistratus Christianus, ad iissent eum, vt in tales Christi hostes animaduerteret Non petebant igitur à Regibus & Magistratibus, vt animaduerterent in hæreticos, quia adhuc nullus erat Magistratus Christianus. Vbi verò cœperunt Reges Christum amplecti, etiā ipsi, vt Reges, seruire debent Deo, defendendo pietatem, religionem Christianam, & hostes puniendo. Tunc adhuc complebatur illud Dauidis. *Psal. 2.* Quare fremuerunt gentes? & populi meditantur inane? Astant reges terræ, & principes consilium capiunt pariter aduersus Iehouam, & aduersus Christum eius. *Postea impletum est illud:* Et nunc Reges intelligite: erudimini Iudices terræ: seruite Iehouæ in timore, & exultate in tremore. Quomodo Reges seruiunt Deo in timore, *ait August.* nisi ea, quæ cōtra iussa Domini fiūt, religiosa seueritate prohibendo atque plectendo? & adfert multa exempla piorum regum, qui sic seruierūt Domino. Sic Ezechias seruiuit, lucos & tēpla idolorū, & excelsa destruendo. Sic seruiuit Iosias, talia & ipse faciendo. Sic Rex Niniuitarum, vniuersam ciuitatem ad placandum Deum compellendo. Sic Darius idolum frāgēdum in potestatem Danieli dādo, & inimicos eius leonibus ingerendo Deo seruiuit: Sic Nabuchdonosor, omnes in regno suo positos, à blasphemando Deo, lege, terribili prohibendo. In hoc igitur seruiūt Domino Reges, in quantum sunt Reges cùm ea faciunt ad seruiēdū illi, quæ non possunt facere, nisi Reges. Postea dicit *postea quàm cœpit impleri, quod scriptum est: Et adorabunt eum Reges terræ, quis mente sobrius Regibus dicat, Nolite curare in regno vestro, à quo tueatur, vel oppugnetur Ecclesia Domini vestri: non ad vos pertinet in regno vestro, qui velit pudicus esse, quis impudicus? Cur enim furta legibus puniantur, & sacrilegia permittātur?* Potest igitur & debet Magistratus Christianus in hæreticos animaduertere, & sicut adulteria. sic etiam sacrilegia punire. Et Ministri verbi ex officio debent Magistratus admonere sui muneris, quid in hæreticos agere illos oporteat. Adfert exemplum Maximiani Episcopi Catholici Ecclesiæ Vagiensis, qui malè affectus ab hæreticis, subsidia quæsiuit ab Imperatore aduersus hæreticos, non sui vlciscendi causa. sed tuendæ suæ Ecclesiæ gratia, & laudat factum. Est enim sciendum, quòd Christus non solùm Apostolos, sed etiam Reges in sua Ecclesia esse voluit, vt omnes pro suo officio tuerentur Ecclesiam, illi verbo, isti gladio. Ideò Esaias ait 49. *Erunt Reges nutritij tui, & Reginæ eorum nutrices tuæ.*

Quartò, obiiciunt quidam id, quod etiam Augustino quondam fuit obiectum, nempe, proprium Ecclesiæ Christi esse, persecutionem pati ab aliis, & occidi, non autem persecutionem facere. Galat. capite quarto. Sed sicut tunc, qui erat secundùm carnem, persequebatur eum, qui erat secundùm Spiritum: ita & nunc. VI. A persecutione.

Respondet Augustinus epist. 50. ad Bonifacium: *si Ecclesia vera ipsa est, quæ persecutionem patitur, non quæ facit, quærant ab Apostolo, quam Ecclesiam significarit Sara, quando persecutionem faciebat ancillæ, liberam quippe matrem nostram, cœlestem Hierusalem, id est, veram Dei Ecclesiam, in illa muliere dicit fuisse figuratam, quæ affligebat ancillam. Si autem meliùs discutiamus, magis illa persequebatur Saram superbiendo, quàm illam Sara cohercendo. Illa enim dominæ faciebat iniuriam: ista imponebat superbiæ disciplinam. Deinde si boni & sancti nemini faciunt persecutionem si tantùm patiuntur: cuius putant esse in Psalmis vocem, persequar inimicos meos, comprehendam eos, & non conuertar, donec deficiant? Est ergo persecutio iusta, quam faciunt iusti impijs hostibus Ecclesiæ Christi: & est persecutio iniusta, quam faciunt impij Ecclesiæ Christi.* Hactenus Augustinus.

Sic igitur respondemus: primò hic esse fallaciam à secundùm quid, ad dictum simpliciter. Non enim simpliciter facere omnem persecutionem, signum est falsæ Ecclesiæ. sed tantùm persecutionem iniustam facere, sicut faciebat Ismael contra Isaac Ne omnem simpliciter pati persecutionem est signum veræ Ecclesiæ, sed tantùm pati iniustam persecutionem, scilicet propter iustitiam, qualem patiebatur Isaac ab Ismaele & Sara ab Agar.

Secundò, Hæretici illi verè persequuntur Ecclesiam Christi, vt perdant suis hęresibus. & perunt animas, non corpora solùm. Ecclesia autem Christi, propriè neminem persequitur, scilicet vt perdat, sed vt saluet: & occidit hæreticos, suo priùs iudicio condemnatos, vt seruet filios. Quis dicitur facere persecutionem? lupus, qui quærit oues occidere, vt deuoret: an pastor, qui persequitur lupum, vt oues seruet? Ille persequitur oues iniuste. hic persequitur lupum iustissimè. Ita, &c. Non est igitur signum bonæ Ecclesię, aut veri Christiani, quamlibet persecutionem pati: sed tantùm pati iniustam persecutionem, propter iustitiam.

Quintum à Regni Christi ratione. Christus nunquam mandauit Apostolis, vt armis, igne, & gladio Euangeliū & Regnum Christi, vel erigerent, vel defenderent: sed prædicatione, & gladio Spiritus: neque iussit, vt alienum sanguinem, vt hæreticorum, funderent, sed potiùs suum fundere parati essent. Ergo non licet occidere hæreticos, neque hac ratione tueri Ecclesiam Christi.

Resp. Fatemur totum Antecedens: & ratio, cur Christus regnum suum armis erigere per Apostolos voluit, est, primò, vt regnum suum non esse de hoc mundo demonstraret. Secundò, vt magis Euangelij & Spiritus patefieret. Sicut etiam neque eloquentia hominum vti voluit, ne euacuaretur crux Christi, ait Paulus 1. Cor. 1. Sed illationem negamus. Ergo non licet occidendo hæreticos Ecclesiam Christi defendere. Et est fallacia consequentis. Non enim sequitur, Christus non præcipit Apostolis, vt Ecclesiam defenderent armis, aut occidendo hæreticos. Ergo non licet idem Magistratibus facere, eam armis tueri & conseruare. Sicut etiā non sequi-

tur, Christus non iussit Apostolis occidere homicidas: Ergo idem non licet Magistratui: Alia enim ratio est Apostolorum,& alia Magistratuum. Item non iussit,vt studeamus linguis,& aliis bonis artibus,quæ nõ parum faciunt ad Euangelium promouendum. Ergo non licet iis rebus incumbere, & ita Christi regnum promouere. Item non iussit, vt scriptis, sed voce regnum propagarent: Ergo non licuit Apostolis scribere: neque nunc licet Biblia commentariis editis interpretari.

Sextum. Alenda est mansuetudo Christianis,sicut dicit Christus de se, *Matt.11.* Discite à me quia mitis sum, &c. Ergo non licet gladij seueritate vti in hęreticos,imo in nullum.

Resp. Primò, si hæc illatio valet: Ergo neque licebit Magistratui seueritate iustitiæ vti in latrones, homicidas, &c. Secundo, Nulla virtus Christiana est alteri virtuti contraria. Mansuetudo virtus est, & iustitia seu seueritas iustitiæ, virtus est. Non est ergo illi contraria. Est autem iustitiæ opus occidere per manum Magistratus sontes omnes,tam hæreticos,quàm homicidas. Ergo occidere hæreticos,non aduersatur mansuetudini Christianæ. Si non aduersatur, est ergo hic fallacia cõsequẽtis. Non enim sequitur,colenda est Christiano Christiana mansuetudo: Ergo non est exercenda iustitia Magistratui, quæ certè exercetur, dum in sontes omnes animaduertitur. Tertiò, mansuetudo & clemẽtia, quæ charitatem adiunctam non habeat, qua salutem Ecclesiæ curet, non est clementia Christiana,sed diabolica. Charitas benigna est, & patiens & clemens. Eadem etiam quærit non quæ sua sunt, sed quæ Iesu Christi. Ergo quærenda gloriæ & doctrinæ Christi conseruatio,& salus ecclesiæ. Et illi certè crudelissimi carnifices sunt ouium Christi, qui eas à lupis laniari sinunt, vt in ipsos lupos hæreticos sint clementes. Tantùm igitur abest, vt qui hæreticos puniunt, sint crudeles, vt potius, qui non puniunt, sint crudelissimi. Quid vero illi erunt, qui eos fouent? Ipsa crudelitas.

Septimum *Tit.3.* Hæreticum hominem vita. Non ait occide. Ergo non sunt occidendi.

Resp. Non alloquitur ibi Magistratum Apostolus,sed Episcopum Titum. Fatemur autem, non esse Episcopi gladio vti in quempiam nisi gladio Spiritus, quod est verbum Dei. Sed hinc non consequitur: Ergo neque Magistratui licet gladio capitaliter in hęreticos vti. Imò potiùs à simili contrarium consequitur. Sicut Episcopus debet ex officio vti gladio suo, qui est verbum Dei, & eo conuincere hæreticum: ita deinde Magistratus ex officio debet suo gladio vti, & eo in hæreticum iam per gladium Spiritus confossum & condemnatum, animaduertere, vt si primo gladio non potuit ipse resipiscere & saluari: saltem secundo gladio feriatur, ne alios perdat.

Octauum Matth.13. ex parabola Zizaniorũ dixit paterfamilias seruis qui volebant Zizania colligere ex agro Dominico: sinite Zizania crescere, ne dũ colligitis Zizania, simul eradicetis & triticum.

Resp. Primò, si hinc consequitur, non esse occidendos hæreticos: Ergo sequetur etiam, nõ esse homicidas, &c. occidẽdos, cùm sint iam isti, quàm illi Zizania in agro. Sicut enim per triticum intelliguntur filij Dei & electi: ita per Zizania omnes impij & reprobi, non autem soli hæretici: quod certè Christus expressa parabola docet. Secundò sequetur, excommunicationem nullũ habere posse locum in Ecclesia. Ratio, quoniã hac expurgatur Ecclesia à Zizaniis. 1. Cor. 5. Expurgate vetus fermentũ, contrarium ait Augustinus de fide & operibus, capite 1. & 2. Tertiò, sequetur, nulla vitia, nullas corruptelas auferendas esse ab Ecclesia: quoniam Zizania sunt & istę. Hæc autem omnia absurdissima sunt. Non ergo ex parabola sequitur illud, quod Anabaptistę inferunt, sed ex falsa loci intelligentia. Quartò dicit D. Bullingerus, hęretici non sunt propriè Zizania, sed potius seminatores Zizaniorum. Vnde ipsi non sunt Ecclesia mixti, sed ab Ecclesia separati. Quintò, dicere etiam possumus, consideranda esse verba, & rationem, cur paterfamiliàs prohibeat extirpari Zizania tũc: nempe ait, *ne dum colligitis Zizania, eradicetis simul & triticũ.* Quando periculũ hoc erat? quãdo Zizania erant adhuc ita recentia, & herba vt vix discerni possent à tritico. Ideo dicit, sinite igitur crescere vtraque vsque ad messem, id est donec benè discerni possint Zizania, à tritico, quod fiet, vbi maturuerint vtraque. Hæc est ratio, cur noluerit colligi tunc zizania, ne scilicet eradicarent etiam triticum. Ratio, quoniam, (vt etiam Hieronymus testatur) non facilè discerni potest alterum ab altero, quàm diu herba sunt. Si ergo non sit hoc periculum, & verè discernuntur zizania à tritico: tunc certè prohibitio hæc non habet locum, & tunc eradicanda non sunt zizania. Esto ergo, vt per zizania intelligant hæreticos, tũc sic arguo. Tunc solum prohibemur colligere zizania, id est, tollere è medio Ecclesiæ hæreticos, quando periculum est, dum volumus eradicare zizania, eradicemus triticum, id est, dum volumus occidere hæreticos, occidamus catholicos, idque quia non benè sint nobis perspecti, esse zizania. Atqui non est hoc periculum, cùm hæreticos pertinaces, per verbum Dei conuictos, suo ipsorum iudicio condemnatos, tollimus è medio. Declararunt enim se verè esse zizania, & quidem maturissima. Ergo tunc non prohibemur eos occidere, sed iubemur. Tunc debent Ministri colligere zizania quando matura sunt, ita vt discernantur à tritico. Tales sunt ij hæretici. Ergo Magistratus Ministri Dei debent eos è medio tollere. Deinde, si zizania suffocarent triticum, & impedirent, ne maturesceret: paterfamiliàs vtique curaret inde colligi: sed cùm non impediunt frumentum, non curat, vt patet in parabola. Ait enim, *finite crescere vtraque.* Signum igitur est, quod zizania non impediebant triticum, quin cresceret, & maturesceret. Si hæreticus non impediat frumentum, id est, bonos à suis fructibus: non suffocet Ecclesiam suis hæresibus, facilè ferri potest, donec Dominus eum tollat, &c. Sed cùm hæc zizania suffocant frumentum, ne crescat, certè colligenda sunt. Sexto, ibi nullum verbum de ciuili Magistratu à Christo fit. Alloquitur priuatos Apostolos, non Magistratum. Fateor autem, non esse priuati hominis, præsertim Ecclesiastici Ministri, tollere hæc zizania gladio. Cęterũ, officium est Magistratus, quod nunquam abrogauit CHRISTVS. Septimò, Christus non loquitur ibi, de iurisdictione ciuili Magistratus. Nunquam enim solitus est aliquid de hac præcipere, tantùm populos hortari, vt parcant, dent quæ Cæsaris, Cæsari. Deinde, si loquitur de iurisdictione ciuili, non minùs loquitur, de iurisdictione in hæreticos, quam in alios, & non minùs in alios, quàm in hæreticos.

At loquitur de ciuili in hæreticos, scilicet, ne eos occidant quia periculum, ne eradicent triticum?

Responsio. Idem periculum est, si eos, qui accusantur adulterij, furti, &c. occidant. Fit enim, vt aliquando quis testibus falsis conuincatur homicidij. Hic iudex eradicat triticum, cùm punit eradicando zizania.

Octauò dicimus, ex parabola nil vnquam concludi contra apertum Dei verbum. Est autem apertum verbum Rom.13. *Vindex in iram ei, qui malè facit.* Iam igitur sic dico: Hæretici cùm suis doctrinis seducunt alios, & in exitium trahere conantur, vel malè agunt, vel benè. Non benè: sed malè. Tunc concludo ego. Ergo Magistratus debet esse vindex in iram hæreticis, cùm malè agant, ergo gladio ferire, quem non sine causa acceptum à Domino gestat.

Omnes ferè hæretici parabolam hanc allegarunt in hanc sententiam. Sic Donatistæ contra Catholicos, vt refert Augustinus Tomo secundo epistola quadragesima octaua ad Vincentium, ad quam etiam respondisse refert Cyprianum. *Significare voluit Dominus, in Ecclesia à seminato Euangelij semine futuros semper reprobos ac impios, vnà cum Ecclesia & piis permixtos, ita vt ante diem iudicij, Ecclesia ab omnibus prorsus hypocritis purgari nequeat, sed purgationem hanc futuram per Angelos in die iudicij.* Quare studium nostrum non debere esse, vt omninò Ecclesiam purgemus, cùm fieri hoc non possit, sed vt patienter vsque ad diem illum impios feramus. De vniuersali igitur repurgatione Ecclesiæ, non solùm ab hæreticis, sed ab omnibus reprobis & impiis ac sceleratis hominibus, loquebatur Dominus, vt ipse interpretatur. Zizania enim sunt, omnes reprobi: frumentum, electi. Messores sunt Angeli. Tempus messis, dies iudicij. Conclusio, semper ad diem iudicij vsque mixtos fore reprobos cum electis in agro Dominico. Non esse ergo perfectam totius Ecclesiæ repurgationem in hoc mundo exspectandam, vel tentandam, quandoquidem electos à reprobis perfectè discernere nesciamus.

Atqui

At nũquid hinc sequitur particulares Ecclesiæ purgationes prohiberi? vel fieri non posse?verbi gratia,nõ licere Magistratibus ciuilibus ab Ecclesia latrones tollere,vrbes suas ab homicidis,&c.repurgare?Minimè.Ergo neque prohibentur,quin repurgẽt Ecclesias ab hæreticis.Sicut enim Magistratus ciuilis nõ ideo cessat ab officio suo faciendo cõtra latrones etsi semper in mundo futuri sint latrones:ita nec cessare debet ab occidendis hæreticis, licet sẽper futuri aliquot sint in Ecclesia.Loquitur enim ibi Christus de integra totius Ecclesiæ repurgatione,quæ futura est in fine seculi, non autem de particularibus repurgationibus.

Nonum,Matt.26.Repone gladium tuum invaginam. Ergo non licet in causa Religionis quempiam cædere.

Resp.Primò,negatur illatio.Non enim volebat cędere Petrum,quia illi milites essent hæretici sed vt tueretur Christum. Secundò, priuata vindicta prohibetur, non publica, quæ Magistratui est commissa. Ideo ait: Repone gladium tuum, scilicet priuatum,in vaginam. Tertiò,imò potiùs inde colligitur, licere Magistratui, manus in homines causa religionis cõnicere nec illi esse resistendũ.Cùm enim eò venissent milites Magistratus vt caperent Iesum idque propter religionem, cuius accusatus fuerat,sed falso,& Petrus resistere vellet Magistratui, Christus eum cohibet. Quare? quia licet hæc agere Magistratui,cui resistere nemini licet. Quare reponant omnes gladiũ suum scilicet priuatum in vaginam,quando Magistratus è vagina educit gladiumDei. Ergo ô Anabaptistæ cur audetis gladios vestros,linguas vestras acutas & maledicas, euaginare contra Magistratum? dicentes, non ei licere gladio in hæreticos vti?

Decimum, Act.5.Gamaliel consulit,vt quiescant scribæ,quoniam si ex Deo erit doctrina non poterit neque per illos dissolui: si ab hominibus per sese dissoluetur.

Respondet Caluinus id imperitè dictum fuit,vt patet.Si enim hoc consilium bonum est:Ergo quotiescũque Magistratus consultabit de capiendis latronibus grassantibus in agro poterit illi dari hoc consilium Gamalielis,sinatis latrones grassari,Nã si à Deo missi sunt, non poteritis resistere,& illos perdere. Si autem non à Deo missi,sed à seipsis venerunt in agrum,per sese perdentur,& hoc negotium per sese dissoluetur.Hoc consilium certè tollit omnem politicum ordinem & omnẽ prouidentiam ab hominibus. Imò si hoc cõsilium probant Anabaptistæ,vtar illo contra eos:Ne turbemini,si Magistratus occidat hæreticos.Nam si hoc factum est à Deo,vos vestris clamoribus non poteritis impedire.Sin minus per sese dissoluetur.

Vndecimum, Act.23.Claudius Lysias de Paulo scripsit ad Felicem prætorem, quod cùm accusaretur à Iudæis, de quibusdã legis quæstionibus,nullius criminis accusabatur,quod esset morte aut vinculis dignũ. En quod accusari de religione,nõ sit crimen morte dignum.Ergo hæretici accusati, vel etiam conuicti de peccato in religionem,non sunt digni morte.

Resp Negatur illatio.Homo impius talem sentẽtiam tulit, reos scilicet non esse mortis, qui in religionem Mosis peccarint, & religionis accusati sint. Ergo hæc sententia vera est.Notandum igitur,cur ita pronunciarit homo ille profanus. Non hoc dixit,quia sentirent Romani, non esse dignos morte,qui in religionem veram peccarent:imò &ipsi hoc nobiscum sentiebãt,non minus dignum esse morte,qui veram religionem,& verum Deorum cultum violaret, ideóque sacrilegium facerer,quàm qui furaretur,vt patet in hist.Rom.Item in orat.Cic contra Verrem. Vnde non passi fuissent conuelli suam ipsorum religionem, suos Deorum cultus. Consentiebant nobiscum in Maiore propositione. Sic etiam Græci pœnas capitales sumserunt de Socrate,religionis causa,nempe quia(vt Laërtius refert in Socrate)Deos negabat. Item,capitis damnatus Theodorus ἄθεος cognomine,teste Laërtio ἐν τῷ θεοδωρίῳ. Item, Protagoras Abderites teste Cic.libro de natura Deorũ. 1.pag. 32. At controuersia erat in minore propositione quænam esset vera religio. Sentiebant suam esse veram religionem, ideo contra eam peccantes puniebant. Iudaicam iudicabant esse falsam, ideo contra eam peccantes,non iudicabant esse reos mortis.Ratio. quia falsò condemnarentur, cùm & religio falsa sit. Hæc fuit ratio, cur apud Lysiam, & Romanos omnes, criminosum non fuerit, fidem Mosi & Prophetis abrogasse, vel turbasse Ecclesiam falsis doctrinis. Imo quia cupiebant legem illam extinctam,ideo lata fuit lex præsidibus ne de huiuscemodi causas religionis iudaicæ curarent, aut de iis soliciti essent, sed sinerent eos in sua religione.

Negatur igitur prima illatio:Sic pronunciauit Lysias, non esse crimen dignum morte, id quod Paulo de religione Iudaica obiiciebatur:Ergo sentiebat,nullum crimen contra religionem, etiam veram, admissum, esse dignum morte.Est fallacia à non causa ad causam.Non enim ideo hæc protulit, quia sentiret, nullum crimen, contra quamuis religionem, dignum esse morte: sed ideo,quia sentiebat crimen contra religionem falsam, qualem putabant esse Iudaicam, non esse dignum morte.Sed esto.Deinde negatur alia illatio Lysias ita sensit, nullum pro religione esse morte afficiendum,ergo nullus est pro religione capitis pœna puniendus. Nã longè aliter Dominus pronunciat in lege sua, quàm Lysias, nempe seueriùs animaduertendum esse in diuini cultus corruptores,& primæ tabulæ transgressores,quam in vllum aliud sceleratorum hominum genus.

Duodecimum:Luc 9.cùm discipuli vidissent à Samaritanis non receptum fuisse Christum, & se ipsos,ira quadam perciti,primo quod non recepeꝛint se homines bonos.Secundo, neque Christum Seruatorem. Tertio, recordari, quod essent hæretici. Quartò quod etiam Elias ignem iussit descendere super quinquagenarios missos ab Achazia: cogitarunt illos perdere, igne iusso de cœlo descendere, & dixerunt Christo. *Vis vt iubeamus ignem descendere de cœlo?* Christus respondit, *Nescitis, cuius spiritus vos sitis:*quasi dicat,spiritusChristianus nõ hoc quærit,vt quispiam occidatur. Ergo non est spiritus Christiani,quempiam occidere.

Respon Nego interpretationem & illationem. Si ita esset, ergo neque Eliæ spiritus fuisset bonus. Secundo, tantùm ait, appetere propriam & priuatam vindictam,non esse spiritus Christiani, sed spiritus carnis. nõ autem loquitur de publica vindicta per Magistratum, quasi dicat spiritus vester,quo hãc vindictam priuatam appetitis, spiritus est carnis. malus Si liceret omnibus ex æquo mortem inferre,qui peccant, vt spiritus vester malus suadet, certè toti generi humano, & vobis etiam afferret.

Ex is omnibus apparet, quid sentiendum sit secundũ verbum Dei, secundùm charitatem, secundùm leges Imperatorum secundum Patres, tam antiquos, quàm nostri temporis,de hac quæstione.

Quid vero sentiendum sit de illis hæreticis,qui etsi neque defecerunt à veritate cognita,& Ecclesia Christi, neque alios seducũt, neque malitia peccant, sed ignorantia, tamen iussi à magistratu, vt vel cessent à suis sacris,vel veniant ad sacra veræ Ecclesiæ, vel subscribant decretis Regis & Magistratu, non parent, apertum nempe,quod Magistratus potest in illos animaduertere, vel è patria expellere, vel in carceres coniicere, vel etiam è medio tollere non tanquam simpliciter hæreticos,sed tanquam inobedientes Magistratui, & rebelles.

An verò Magistratus possit eos cogere ad sacra, &c. patet.Ratio, primò, quia debet curare inprimis, vt gloria Dei,& eius cultus promoueatur, etiàm si periret vniuersus orbis.Secundo quia debet curare, vt vera Ecclesia Dei propagetur,& deleatur Ecclesia Satanæ.Exẽplo Nebucadnezaris Dan. 3. Item, Regis Niniuitarum Ion.3

An verò debent subditi obedire contra conscientiam? Resp. Debent obedire Deo & Magistratui: primùm Deo deinde Magistratui.

At si vtrumque facere non possunt?Responsio.Si sunt pij qui per verbum Domini apertum persuasi sunt,quid iubeat Deus in religione:habent regulam,quid agendũ sit, nempe obediendum esse Deo & Magistratibus,sed secundùm Deũ.Si ergo Magistratus iubeat contra verbum Dei apertum,nõ est illi parendum,sed potiùs moriendum.SiMagistratus sit pius,non præcipiet,nisi secũdũ Deum. Si sunt impij,nec habent certum verbũ,quocunque se vertãt peccant. Ita omnia sunt illis peccata: istis tamen satius est,si magistratui pareant. Cùm enim tantùm in religione pendeant ab hominibus, quia vident alios multos, Reges, &c. eam sequi, iisque nititur illorum conscientia:ideo pari ratione possunt facilè parere Magistratui,& debent.

III. QVAESTIO.

An liceat Christianis bella gerere.

Anabaptistę itidem negāt licere Christianis vllo modo bellum gerere: idque potissimum hoc testimonio, Ies.c.2.probant,conflabunt gladios suos in ligones,&c. & non discent vltra bellum, &c. Nos paucis dicemus, licere Christianis bella gerere,nempe &Magistratibus ipsis arma ad bellum suis populis præbere, & populis arma à suis Magistratibus data,ad bellādum accipere. Patet hoc ex iis locis ferè ex quibus etiam secūda quæstio probata est.

1. Ab officio Magistratus. Officium Magistratus est, gladio cohibere atque arcere malos à bonis, & bonos tueri à malis,1.Pet.2. ad vindictā malorum,laudem vero bonorū.Item supra ostensum est,licere ei vti gladio, imò & vtendū ex officio esse,in latrones & alios. Ergo eodē iure diuino, licet eodē vti gladio in magnā multitudinem sontium vt ciuium rebelliū, seditiosorū, vt in multitudinem militū, latronum,qui prætextu iustæ militiæ idem tentant,quod priuati latrones clam perficere solent.Item,licet in hæreticum vnum aut alterum animaduertere gladio. Hoc autem fit bello,dum bello illos persequitur,arcet,repellit,conterit, Ergo Christianis licet bella gerere,idque in defensionem &religionis Christianæ, & populorum sibi à Deo concreditorum.

2. Ex veteri Testamento. Licuit patribus in veteri Testamento,bella gerere imò iussit illis Deus, vt bella gererent contra hostes pro conseruāda religione & populo. Hoc patet,cùm scriptura sit apertissima.Ergo & Christianis licet bella gerere. Patet cōsequētia. Erant enim illi æquè Christiani,atque nos.

Hebr.ca.vndecimo.refert Apostolus illorum Patrum exempla, quomodo sese gesserint in bellis,& quantum fide potuerint in bellis *Sancti per fidem vicerunt regna, castra verterunt exterorū fortes facti sunt in bello, &c.* Bella enim suscipiebant pro defensione religionis, patriæ & populi.

3. Ex nouo Test Luc 3.Interrogantibus militibus Iohannem,quid sibi pro acquirenda salute faciendum sit, non prohibet militiam, sed tātùm docet rationē, quomodo sese gerere debeāt in bello dicēdo:*Contenti estote stipendiis vestris,neminem* scilicet priuatū extra causam belli *concusseritis.*Ergo licet bella gerere Christianis, alioquin Iohānes prohibuisset militibus salutis viā petentibus posthac militare.

4. Ex Patribus.August.Tom.6.contra Faustū Manichæum l.22.c.74.75.76.multis tum rationibus,tū exēplis demonstrat, licitū esse bellum Christianis, contra hostes.Itē,Tom.2.epist.5.ad Marcellinum,idem docet: & probat ex testimonio Ioh.Baptistæ,qui militibus dixit,contenti estote stipendiis vestris &c. Vnde August. ait,*Si Christiana disciplina omnia bella culparet,hoc potius militibus, consiliū salutis petētibus in Euāgelio diceretur,vt abijcerēt arma, séque militia omnino subtraherē.Dictū est autē eis.Nemini concusseritis, nulli calūniā feceritis,sufficiat vobis stipendiū vestrū.Quibus propositū stipendiū sufficere debere præcipit,militare vtique non prohibuit.*

Item Tom.2.epist.205.ad Bonifacium, vbi etiam docet, quando gerendum sit bellum Christiano, nempe, quando vrget necessitas,dicendo,pacem habere debet voluntas, bellum necessitas,vt liberet Deus à necessitate,conseruet in pace.

Itē Tom.5.de ciuitate Dei,lib.1.c.21.ait:*Et ideo nequaquā contra hoc præceptū fecerunt, quo dictū est:Non occides:qui Deo autore bella gesserunt, aut personā gerentes publicæ potestatis secundùm eius leges,hoc est,iustissimæ rationis imperium sceleratos morte punierunt.*

Licet igitur(in genere loquendo) Christianis bellum gerere.

Non grauabor tamen dicere,bellum rem esse periculosissimam,& quæ secum multa mala ferat,non solùm corporalia, verbi gratia,vt quòd fames & charitas inde oriuntur, qua etiam boni affliguntur,quòd boni etiam cùm impiis occiduntur,quòd vrbes deuastātur, &c.sed etiam spiritualia,quoniam inde sæpe fit,vt pereat religio, regnent impij reges,occisis bonis,studia literarum corruant boni mores pessundentur, puellæ & virgines stuprentur,milites suo iure abutantur,& sexcenta mala inde nascantur,ob quæ satius fuisset,nunquam bellum gessisse.Ob hanc causam bellum deberet(si fieri posset) alienum esse à Christianis. Ideò August.Tom.1.in principiis Dialecticæ, cap. 6. vult bellum ideò dictum per antiphrasin, eò quòd res bella non sit, sicut lucus dicitur eò quod minime luceat,quod accepit à Seruio. Festus verò dictum vult à belluis, eò quòd res sit homine indigna, & potiùs belluarum furor: imò res peior belluarum furore,quoniam neque belluæ gerunt vnquam bellum contra suum genus. Ideò (vt Augustinus docet epist.205.ad Bonifacium) voluntas Christiani, pacem habere debet,& aliena esse à bello: necessitas sola bellum habeat. Absolutè tamen dicimus,licere Christianis bella gerere.

Sed hæc semper sunt obseruanda.

I. Contra quos suscipiatur bellum, ne vnquam suscipiatur contra bonos & innocentes Christianos: neq; aduersus infideles nobiscum fœdere iunctos. Est enim fides etiam hostibus seruanda, nisi illi fœdifragi, aduersus nos priùs aliquid tentent.Contrà hostes solùm sceleratissimos,incurabiles, legibúsque iustis resistentes homines,à Christianis bonis suscipiēdum est bellum. Ideò Aug.Tom.6. contra Faust.Manich. lib.22.c.74. Aduersus violentiam resistentium,siue Deo,siue aliquo legitimo imperio iubente, gerenda ipsa bella suscipiantur à bonis,cùm in eo rerum humanarum ordine inueniuntur,vbi eos vel iubere tale aliquid,vel in talibus obedire,iustè ordo ipse constringit.

II. Quas ob causas suscipiendum sit bellum: neque ob iniustas,neque ob quaslibet iustas.Primò non ex affectione vel odii, vel iræ, vel libidine amplíandi regni, quæ sunt iniustæ causæ. Secundò neque ob causas legitimas omnes,sed leues. Cùm enim causæ leues sunt, etiam si iustæ,non est tibi bellum gerendum contra hostes:potiùs aliquid concedendum est de tuo iure, quàm vt ob leuem causam,tantum malum,quod ex bello oriri solet,tua causa sequatur. Ob causas igitur primo iustas deinde grauissimas, suscipienda sunt bella,quas hic non explico omnes, quoniam non est mihi animus hunc locum exactè pertractare: nunc tantùm præcipuas aliquot indicabo.

Prima est, religionis diuinę doctrinæ Euangelii,cultus Christiani conseruatio Si hostes impii & tyranni, quærant religionem Christianam perdere,verū cultum corrumpere, puram doctrinam profanare,neque vlla alia ratione, quàm armis resistendo, conseruari religio possit,tunc iustissima causa est & grauissima omniū cur arma suscipere debeat Magistratus Christianus, & bello hostes Euangelii à suis finibus propulsare. Item, si aliquod oppidum in ditione alicuius principis,vel reipub. à vera religione ad falsam defecerit,pertinaciterque in falsa religione perseuerare velit: licebit principi, bello oppidum illud domare, & ad veram religionis formam cogere:Patet hoc in scripturis.

Deut.13.iubet Deus ciuitatem,quæ à Dei cultu defecerit,bello adoriri, & pertinacem funditus euertere. Ratio, Debet enim Magistratus Christianus imprimis curare, vt vera religio seruetur, & falsa funditùs deleatur. Hinc patet etiam,si legitima est,& iusta causa suscipiendi belli, cū quis deficit à vera religione ad falsam: Ergo etiam iustissima & grauissima est,cùm quis illum euertere tentat,bello eam cōseruā li. Licet igitur Christiano Magistratui, religionē in sua Ecclesia, quā velit aliquis impius delere,bello defendere. Exempla & testimonia huius primæ causæ plurima extāt in scripturis & Patribus: Iosuæ cap. 22. qui Rubenitas, Gadinos, dimidiámque Manassis tribum, bello adoriri & expugnare voluit, propter corruptū ab eis cultū Dei. Macchabæus pugnat pro populo Dei,contra gentes & Antiochum, ob hanc causam quod vellet ipse religionem Iudaicam,quæ erat vera Dei religio, delere & gētilitiā superstitionē obtrudere. Hebr.11. laudantur duces, qui castra euerterunt exterorum, cùm scilicet religionem Dei illi vellent euertere. Item,si licet de hæreticis priuatis capitales pœnas sumere,quando Ecclesiam Christi inficiunt: Ergo licet & infideles hostes,qui religionem Christi conantur perdere, bello adoriri, à finibus propulsare,& ita religionem Dei defendere.

Euseb. Cæsar.Eccles. hist.lib.9.cap.8.exemplū adfert Armeniorum, qui etsi alioqui amicissimi essent populo Romano, vbi tamen viderunt, à Cæsare Maximino, Imperatore Romano,se cogi adcōmutādū verū Christi cultum,in cultū idolorū,inimici ex amicis effecti,bello aduersus Maximinū suscepto,suam religionē tutari cœperunt,& vehementer Imperatorem armis vrserunt.

Secunda

Secunda causa, est defensio Ecclesiæ Christi, idq. nõ solùm pro rebus ad religionem, & æternam salutẽ Ecclesiæ attinẽtibus, sed etiam pro defensione corporum, & externorum bonorum conseruatione. Exemplum. Si Turca inuadere vellet Ecclesiam Christi, nõ eam quidem à religione Christiana perturbaturus, sed sub suũ imperium redacturus, & de libera seruam facturus, ac propriis externis bonis priuaturus: tunc iustissima esset causa belli suscipiẽdi. Exempla huius rei sunt multa in Scripturis. Sic Moses ob hanc causam pugnat cõtra Reges Amorrœorum, Aradium, Sionem, & Ogem. Sic Iosaphat contra Ammonitas & incolas montis Seir. Sic Dauid contra Syros, bellum sibi ab eis illatum bello propellens. Quod vero dico de vniuersa Ecclesia, idem dico de patria, vrbe, & populo nobis cõcredito, cùm scilicet alia ratione defendi non possunt. Est enim officium Magistratus, Patriã suam, aut vrbem & ciues suos, sibi à Deo cõcreditos tueri: sicut & pastores oues suas, alioqui crimen esset parricidale, si cùm possit patriam suósque ciues tueri, ne sub exterorum imperium redigantur, non defendit, non tuetur. Hæ sunt præcipuæ causę, ob quas suscipiendum est bellum.

III. Sed quandonam suscipiendum est? Primò, quando vrget necessitas harum causarum. Vnde Augustinus *Pacem habere debet voluntas, bellum necessitas.* Secũdò, non præcipitanter, & iniusto modo suscipiendum est bellum: sed prius tentanda sunt omnia, antequã arma capiantur, si res possunt componi, quauis mitiori ratione, modò compositio non sit contra verbũ Domini.

IV. Quomodo gerendum bellum? Leges seruandæ in ipso bello, quas Dominus Deut. 20. de̲ït seruandas populo suo in prælhis. Sed inprimis hæ. Religio & cultus Dei, locum primum habeat in castris. Ideo semper adhibebat Dominus sacerdotes, ministros religionis, in prælio.

Secundum locum habeat iustitia pax, honestas, Christiani mores: ideóque leges ad honestatẽ spectantes. Ex Diabolo profectũ est illud. Silent inter arma leges. Hęc ita obiter. Nũc tantùm concludimus bellum per se non esse rem malam, sed bonam & iustam, ideóque licere Christianis illud suscipere, cùm scilicet est iustũ & bonum, iustis grauissimísque de causis, iusto modo, in iustum finem, & contra commeritos illud homines susceptum.

Ad autoritates è Scripturis, vbi legitur de Christianis. Non discent vltra præliari, conflabunt gladios suos in vomeres. &c.

Resp. 1. Prophetas loqui de priuatis præliis. Ideo ait, conflabunt gladios suos, non Dei: de publicis vero non quæ iubente Magistratu suscipiuntur. Secundo, docent illi, quo animo affecti sint, vel esse debeant veri Christiani, nempe hoc, vt pacem cum omnibus habere studeant, quãtum in ipsis est: quoniam arma aliena esse debẽt ab animis Christianorum. Cæterùm, quia non omnes sunt verè Christiani, sed multi scelerati homines, latrones, turbatores religionis & pacis publicę, versantur inter pios Christianos, tanquam lupi & feræ bellue inter animantia innoxia: idcirco Deus gladiũ porrexit è cœlo in manus Magistratuum & Regum, vt illo vlciscantur malos, & tueantur bonos, defendántque religionem, contra lupos & hostes, id quod fit etiam prælio. Responderi etiam potest sic. Describere Prophetas illis locis qualitatem regni Christi, nempe, quod sit pacificum, adferens pacem conscientiis, & piis inter se, ita vt fideles iam Deo reconciliatos mutua etiam beneuolẽtia inter se conciliet. Significarunt enim Prophetæ iis locutionibus, per metonymiam intellectis, fore magnã in Christi regno pacem piis omnibus, primam cũ Deo in conscientia, secundam cum proximo, id est, inter sese mutuam pacem & beneuolentiam.

Sed notandum hîc, quòd sicut se habet regnum Christi, ita se habet pax in hoc regno, cùm regnũ Christi, & pax, mutuam inter se habeant cognationem & proportionem. Si regnum Christi imperfectum sit, imperfecta est pax in eo regno: si perfectum, perfecta & pax. Atqui regnum Christi in hoc mundo imperfectum est, cùm sit tãtummodò inchoatum. Ideo & pax hæc imperfecta est in Ecclesia. Si solidè in nobis regnaret Christus, pax quoque solidam vim in vobis haberet. In cœlo perfectum erit regnum Christi, ideo ibi absoluta pax.

Vbi autem consistit hæc imperfectio regni Christi in terris?

Resp. In duabus rebus, primùm in hoc, quòd in Ecclesia, quæ est regnum Christi, semper mali admixti sunt bonis. Secundò, in hoc, quòd etiam boni longè absunt ab ea pacifici huius regni perfectione, quæ in iis desideratur. Hinc fit, vt sæpe cogitandum sit nobis de profectu, vt proficiãmus in hoc regno. Cùm igitur regnum Christi hic sit tantùm inchoatum, non perfectum: inde fit, vt & pax imperfecti se habeat in hoc regno. Cùm autem hæc sit imperfecta, tum propter malos, qui sunt in Ecclesia bonis admixti: tum propter bonos, qui longè absunt à perfectione: hinc fit, vt duplex bellum sit nobis necessarium. Primum, contra nos ipsos, contra vitia, & Satanam & peccatum in nobis inhabitãs, de quo *Eph. 6.* Non est nobis lucta aduersus carnem, &c. Alterum, contra malos sæpe, qui vel sunt in Ecclesia admixti, vel cùm sint extra Ecclesiam, contra Ecclesiam sæpe insurgunt. Quare non est quærendum complemẽtum huius Prophetiæ, de pace in regno Christi, hic in terris, sed illud exspectandum est in cœlo. Hic satis est, si initia gustemus illius pacis: & reconciliati Deo per Christum, mutuam amicitiam colamus, & abstineamus ab omni noxa.

DE CONVENIENTIA ET discrepantia piorum & impiorum sub cruce.

In 5. vers. c. 1. Ies.

Quorsum percutiemini adhuc, addetis iniquitatem?

CVm Dominus de impio populo dicat, frustra percussum iri, eò quòd peior in dies fiat, & addituros esse iniquitates iniquitatibus: alibì verò de piis dicatur, quod castigati reuertantur ad Dominum, vt *Psal. 119.* Bonum est mihi, quod humiliasti me, vt discam iustificationes tuas. Item, *Ies. 26.* Domine, in tribulatione visitant te, & in angustia clamãt ad te: operæpretium est, vt consideremus quasdam & conuenientias & discrepantias, quibus inter pios & impios cõuenit & discõuenit in cruce.

Similes sunt primò in hoc, quod tam pij, quàm impij à Deo cæduntur & percutiuntur. De piis dicitur, *Hebr.* 12. Quos Deus diligit, corrigit & castigat. De impiis, *Ies.* 1. Heu consolationem capiam de hostibus meis, & vindicabo me de inimicis meis. Exempla. Abel occiditur à Caino: Cainus maledictus à Deo proscribitur in exilium, & semper perterritus non reperit, vbi tutò habitare & quiescere queat. Cõuenientia prima in [illegible] flagellorum.

Iosephus venditur à fratribus, proiicitur in cisternam, defertur in Ægyptum. Fratres percutiuntur fame: & coguntur venire in Ægyptũ cõparandi frumenti causa & multa interim cõuitia & mala pati. Populus Israël affligitur ab Ægyptiis: etiã ipsi Ægyptij multis plagis à Deo percutiuntur, & tandem in mari rubro plerique submerguntur. Dauid affligitur à Saule, etiam Saul percutitur à Deo, vexatur à Spiritu malo, abdicatur regno, confossus gladio suo incũbit. Apostoli extra synagogas fugiũt à Iudæis persecutionem patiuntur, flagellantur, occiduntur: etiam Iudæi impij percutiuntur à Deo fame, peste bello, destruitur vrbs, regnum, &c. Ecclesia Christi multa patitur ab illis Tyrannis decẽ, qui fuerunt ante Cõstantinum Imperatoribus: etiam ipsi impij Tyranni variis & maximis quidem flagellis à Deo percutiuntur, vt illorum historiæ testantur. Manifestum est ergo, quòd tam impij, quàm pij in hoc seculo, sæpiùs à Deo percutiuntur: & in hoc similes sunt magna ex parte pij & impij. II. in causa, propter quam.

Secundò, sunt etiã similes in causa sæpissimè propter quàm tam pij quàm impij percutiuntur, videlicet propter peccata & sua & aliena. De piis, propter peccata sua: Psal. 89. Quòd si filij eius (Dauidis) non custodiuerint præcepta mea, &c. tunc visitabo virga præuaricationem eorum, & plagis iniquitatem eorum. De impiis propter peccata sua. Ies. 1. Omne caput languidum est, & omne cor infirmum: ciuitates vestræ succensæ igni, &c. Propter peccata aliena tam pij quàm impij. Exod. 20. Ego Deus Zelotes, vindicans iniquitatem patrum in filiis, vsque in tertiam & quartam generationem.

Tertiò, sunt etiam similes in sensu & dolore ex flagellis percepto, id est, tam pij, quàm impii sentiunt dolorẽ & afflictionem, quàm flagella incutiunt, idque propterea, quòd tam illi, quàm isti carne dolori obnoxia, circumdati sunt. Vnde non solùm impii, sed etiam pii dolent, lugent, &c. Stoici negabant quidem in sapientem III. In dolore.

cadere dolorem posse: sed quàm falsa fuerit Stoica illa sententia, sacra Scriptura & verbis & exemplis satis superque demonstrat. Christus sapientia Patris fuit: tamē doluit, tristatus est: *Tristis* inquiens, *est anima mea vsq; ad mortē*. Apostoli omnes, omnes denique sancti & pij viri dolorem ex flagellis senserunt, perinde atque impij. Quinam fuerunt sapientiores Dauide, Iobo, Ieremia, Paulo, Christo, & tamen omnes isti percussi à Domino dolorem maximū senserunt? Psal. 6. Anima mea turbata est valde. Iob. 3. Maledictus dies, in qua natus sum. Ier. 20. Maledictus dies, qua nunciatum est patri meo, &c. Phil. 2. Doleo de ægritudine Epaphroditi. Christus Matth. 26. Tristis est anima mea, &c.

Verùm pluribus in rebus dissimiles sunt pij & impij, quàm sint similes, dum in cruce cæduntur.

1. Dissimilitudo in cognitione causæ efficientis. Primò, pij dum percutiuntur, agnoscunt Dominum Deum patrem illum esse, qui se percutiat, sciúntque nihil sibi posse aduersi accidere, neque à Satana, neq. ab hominibus, neq. ab vlla creatura, absque certa & verò etiam salutari Patris sui Dei voluntate.

Ies. 45. Ego Dominus, & non est alius, formās lucē, & creans tenebras, faciens pacem & creans malum, id est, aduersa flagella &c.

Thren. 3. Quis est ille, qui dixit, vt fieret Domino non iubente? Ex ore Domini non egredietur nec bona, nec mala, i. aduersa. Quid murmurat homo aduersus Deū?

Sophon. 1. Et erit in tempore illo, scrutabor Hierusalē lucernis, & visitabo viros defixos in fecibus suis, qui dicunt in cordibus suis: Non faciet benè Dominus, & nō faciet malè: & erit domus eorū deserta. 1. Reg. 2. Dominus mortificat & viuificat.

Matt. 10. Non cadit capillus de capite vestro sine voluntate patris vestri. Quare cùm hęc sciant quas patiuntur iniurias, calamitates, mala denique omnia, non fortunæ, aut fato non Satanę, aut hominibus, non denique vlli alij rei: sed soli Deo accepta ferunt: atque ita non indignantur contra Satanam, nec contra fortunam, nec contra homines: sed humiliantur coram Deo.

Impij vero nō agnoscunt plerumque se à Deo flagellari: sed accusant alij cœlorum motum, & stellarum occursiones. Vnde illud apud Manil.

Omniáque ad numen cœli faciémque moueri,
Syderibus variis mutantibus ordine fata:

Alij Satanam, alij homines: ideóque contra ipsos indignantur, nec cogitanr, Deum esse illū, qui se percutiat. Vnde Dominus sæpè de ipsis ait se maiores pœnas de ipsis sumturum, & effecturum, vt sciāt, quod ipse est Iehoua, qui eos percutit.

2. In causa impulsiua. Secūdo, dissimiles sunt in cognitione causæ impulsiuæ, propter quam veniunt flagella à Deo. Pij agnoscūt causam primam propter quam tot aduersa contingunt, esse peccatum originis, quod ab Adamo traxerunt: deinde peccata alia, illi primo superaddita. Sciunt enim scriptum esse Rom. 5. Peccatum per vnum hominē intrauit in mundum & per peccatum mors. Item, Rom. 7. Corpus morti destinatum est propter peccatum. Item, Psal. 89. Visitabo in virga iniquitates eorum. Quare lugent peccata mundi, & veniam petunt.

Impij verò non agnoscunt vel non cogitāt, hanc esse causam, nempe sua ipsorū peccata: sed accusant Naturam, vel Deum ipsum, quod fecerit corpus corruptioni & tot doloribus obnoxium. Quare neque resipiscunt, neque veniam petunt.

3. In altera causa impulsiua. Tertiò, dissimiles etiam sunt in cognitione alterius causæ impulsiuæ, à qua mouetur Deus ad nos percutiēdos. Pij certò agnoscunt Deum nō moueri nisi à misericordia & beneuolentia, qua nos prosequitur, ad infligandas nobis pœnas cùm peccamus: Nam sciunt, illum esse patrem, & scriptū esse: *Quòd si filij mei derelinquerint, legē meā*, &c. *Visitabo in virga iniquitates eorū*. &c Heb. 12. Quos Deus diligit, corripit, & castigat. Ezech. 18 Viuo Ego dicit Dominus, Nolo mortē peccatoris. Quare nō indignantur contra Dominū: sed æquo animo ferunt & amplectuntur, quæcunque ab illo optimo & nostri amantissimo patre contingunt & offeruntur flagella, dicentes Act. 21. Parati sumus non solùm alligari, sed etiam mori pro nomine Iesu.

Impij verò etsi aliquando agnoscant, Deum esse eū, qui se flagellet, non credunt tamen se amari à Deo: sed sentiunt se exosos esse Deo, ideóque contra eum fremunt, cum blasphemant, &c.

4 In flagellorum qualitate. Quartò, dissimiles etiā sæpiùs sūt in qualitate flagellorū. Nam pios cædit Deus carnē flagellis corporalibus, peste, gladio, fame, ægritudinibus: nunquam verò tradit in potestatem Satanæ, vt eos in anima affligat, in peccata ruere faciat, sicut patet in Iobo: permisit Deus Satanæ, vt Iobum affligeret in fortunæ bonis, in filiis, in honore, in corpore etiam ipso: sed nunquam, vt in animam eius sæuire posset. Quare cedunt flagella piis in interitum quidem carnis, sed in spiritus salutē. Rom. 8. *Diligentibus Deum, omnia cooperantur in bonum.*

Impios verò percutit non solum externis & corporalibus flagellis: verùm etiam internis & spiritualibus, puniens peccata peccatis, dum scilicet dat eos in manum Satanæ tanquā carnificis, qui etiam in animas eorum sæuiat. Ille vero Satan, suo, id est carnificis, fungēs officio, eos impellit in varia peccatorum genera, vt ita peccata peccatis puniantur. Sicut patet Roman c. 1. *Tradidit illos Deus in reprobum sensum.* Quare hæc flagella non possunt illis cedere nisi ad maiorem perditionem.

V. In quantitate. Quinto, dissimiles etiam sunt in quantitate flagellorum. Nam pios non flagellat supra modum, ita vt cùm ferre nequeant, succumbant flagellis: sed tantùm illis pœnarum infligit, quantum satis esse cernit ægritudinis ipsorum sanandæ: sicut Paulus docet 1. Cor. 11. *Non sinet vos tentari suprà id quod potestis, sed faciet cum tentatione euasionem.* Quare licet aliquando admodum grauentur: nunquam tamen succumbunt. Impios vero aliquando larga manu flagellis ita cumulat, vt cùm ferre non possint, oneri succumbere & perire cogantur.

VI. In finali causa. Sexto, dissimiles etiam sunt in causis finalibus. Non enim Deus ad eosdem fines percutit impios, ad quos verberat pios. Multi sunt fines, in quos verberantur pij à Patre, quos recensere omnes nunc operæpretium nō est. Nunc tantùm eos commemorabo, qui discrimen statuant inter pios & impios, quatenus scilicet pij semper cæduntur in suam salutem: impii vero in suam ipsorum condemnationem.

Fides Primus finis, pios verberat Pater, vt inde experiantur re ipsa se curæ esse Deo, qui filios, vbi aliquantulum à via aberrant percutit vt in viam redeant, & dum in cruce sentiunt se corrigi, agnoscunt se esse filios Dei atque ita in fide filiationis confirmantur. Scriptum est enim Heb. 12. Quos Deus diligit corripit & castigat: flagellat autem omnem filium quem recipit.

Inuocatio & gratiarum actio Secundus. Ideo pios percutit Pater, idque aliquando supra modum, vt penè extincti, & omninò destituti omni auxilio videantur, idque primò, vt Deum Patrem inuocent. Psal. 107. Clamauerunt adDominum in angustia sua, & ab angustiis eorum seruauit eos. 2. Cor. 2. Datus est mihi stimulus, &c. super hoc ter Dominum rogaui, &c. & secundo, vt cùm postea viderint, se vel in ipsa cruce seruari, vel ea omninò liberari, agnoscant se non humano, sed diuino patris sui auxilio per Christum adiutos fuisse, & patefiat aliis etiam, in eis Christum viuere eos curæ Deo esse. 2. Cor. 4. Habemus thesaurum hunc in vasis fictilibus, vt virtutis eminentia sit Dei, & non ex nobis: dum in omnibus premimur, at non anxii reddimur: laboramus, at nō destituimur: persecutionem patimur, at non in ea deserimur: deiicimur, at non perimus: semper mortificationem Domini nostri Iesu Christi in corpore nostro circumferentes, vt & vita Iesu Christi manifestetur in nobis.

Spes Tertius, Ideo filios suos percutit pater, vt postea cùm viderint se patientia in cruce donari, atque ita periculum fecerint diuinæ erga se beneuolentiæ, confirmētur in spe assequendę beatitudinis, certi quòd ideo flagella nos Deus, & percutit malleo crucis, sicut aurifaber malleolo crateram cædit & dilatat, vt eo nos capaciora vasa reddat, qui nectare illo cœlesti impleamur. *Rom.* 8. Siquidem compatimur, vt & conglorificemur. *Rom* 5. Gloriamur in oppressionibus, scientes, quòd oppressio patientiam efficiat, patiētia verò probationem, probatio autem spem, &c.

Dilectio Dei. Quartus, Ideo filios percutit Pater, vt eò magis accendatur in eis dilectio Dei erga se. Quantò enim magis sentimus dilectionem Dei erga nos, tantò magis ad eum redamandum accendimur. Atqui in cruce miro modo sentiunt electi beneuolentiam Dei, dum vident, se ab illo protegi, se in suum bonū verberari, quia quos Pater diligit, corrigit. Vnde Paulus ait, se tum maximè singularemDei erga se beneuolentiam perspicere, cùm se in cruce collocatum, sed cum patientia & victoria, videt. *Rom.* 8. Propter te mortificamur tota die: sed in iis omnibus superamus.

Mortificatio carnis & Spiritus viuificatio. Quintus, Ideò percutit eos Pater, vt sicut aurum purgatur in igne: ita ipsi purgentur in cruce à multis sordibus, quæ in carne nostra oriuntur, & ita perfectiores in dies

in dies reddantur. *Psalm.16.* In igne me examinasti,&c. *Sap.3.* Tanquam aurum in fornace probauit illos (iustos) & vt solidum sacrificium excepit eos. *Iob 23.* Ipse verò scit viam meam, & probabit quasi aurum, quod per ignem transit. Sicut enim aurifex aurum in ignem proiicit,non vt illud perdat,sed vt purget & perficiat: ita Deus pios in ignem tribulationum proiicit, non vt perdat,sed vt perficiat. Et sicut agricolæ & vinitores non in altum [illegible]putant arbores, vineas luxuriantes, nisi vt meliores & vberiores fructus pariant: ita Deus pios alioqui nimium in carne luxuriantes putat falce crucis, vt meliores & abundantiores fructus Spiritus gignant. Ideo 1. *Pet.*4. Charissimi, ne miremini, dum per ignem exploramini, quæ res ad experimentum vestri facit.

Imaginis Dei restitutio. Sextus. ideo percutit eos Deus, vt reddantur similes Christo,filio eius primogenito, reddantur (inquam) similes in cruce, vt postea reddantur etiam similes in gloria resurrectionis *Rom.capite octauo.* Quos præsciuit, eosdem & prædestinauit conformes fieri imagini filij sui. *secund. ad Timoth.cap secundo.* Memento Dominum Iesum resurrexisse ex mortuis,&c. Certus sermo, quod si mortui sumus cum Christo, & conuiuemus: si compatimur & conregnabimus. 1. *Pet.*4. Ne miremini si per ignem exploremini (quæ res ad experimentum vestri facit) quasi noui aliquid vobis contingat, imò in hoc, quòd consortes estis afflictionum Christi,gaudete,vt in reuelatione quoque gloriæ eiusdem gaudeatis exultantes,&c.

Ereptio à morte. Septimus,Ideò percutit eos Deus,ne cum hoc mundo in delicijs damnentur. 1. *Cor.*11. Cùm autem iudicamur, à Domino corripimur, ne cum hoc mundo damnemur.

Pœnitentia. Octauus,Ideo percutit eos Deus præsertim cùm peccant,vt à peccatis auertantur,resipiscant reuertantur ad Deum,& ibi misericordiā consequantur Psal.89. Quod si filij mei dereliquerint legem meam,visitabo in virga iniquitates eorum, misericordiam autem meā non dispergam ab eis. In hunc finem Deus nos sæpius percutit varijs flagellis,peste,fame, alijsque morbis,vt resipiscamus,& non addamus iniquitates iniquitatibus. Sic Ecclesiam suam semper Deus flagellis cæcidit,vbi eam vidit corruptam fuisse vitijs,idololatrijs,alijsque peccatis, vt resipisceret, purgaretur, reuerteretur ad Dominum.Legatur Euseb.Cæsar.hist.Eccles.lib.8.

Nonus. Denique in hunc finem pios cædit Deus, vt huiuscemodi plagæ illis cedāt in salutem, non ad damnationem. E contra verò impios vlciscitur ferit,occidit ad damnationem cùm propter sua ipsorum scelera id mereantur:nō autem ad salutem & ideo ferit, vt hîc incipiant sentire iram Dei,quæ alio in seculo totam sese super illos effundet.Ideo ferit, vt præsentibus flagellis aperiatur illis ianua ad æternum ignem in orco. Tale fuit flagellum,quo percussit Pharaonem.Nam mare rubrum in quo submersus fuit, ceu ianua illi fuit, per quam in Orcum ingressus est. Tale fuit flagellum quo percussit Saulem. Nam gladius,quo se ipsum occidit, aperuit illi ianuam ad Orcum. Talia fuerunt flagella, quibus horribiliter percussit Iudam, Antiochum Epiphanem,vtrosque Herodes,Magnum &Agrippam,Tyrannos Cæsares,Galerium, Maximianum,aliósque innumeros impios & Antichristos.Flagellis enim illis primùm sic senserunt iram Dei contra se: secundò aperta illis fuit ianua ad æternas pœnas. Videtis ergo, quàm diuersi sint fines ad quos impij, & ad quos pij à Deo cæduntur: cùm illi,nempe impij, semper ad condemnationem, isti verò, scilicet pij, semper ad salutem cædantur. Sunt igitur admodum dissimiles pij & impij in cruce.

VII. in acceptione crucis. Septimò, dissimiles etiam sunt in subeunda cruce, cùm illis crux offertur,antequam illā subeant.Pij licet quantum ad carnem,oblatam crucem respuant,sicut etiam Christus eam horruit,dicendo: *transeat calix*, &c. tamen vbi agnoscunt, voluntate & beneplacito Patris sibi offerri,eam lubenti animo, quod ad Spiritum attinet,amplectuntur,subeunt, imò & gratulantur. Petrus quod ad carnem attinet,respuebat crucem,sicut ei prędixit Christus,dicendo Iohan.21. Cùm esses iunior cingebas te,&ambulabas quò volebas:Cùm autem senueris alius præcinget te, & ducet quò non vis, quò inquā non vis:tamen vbi agnouit, eam sibi offerri à Patre,voluntate Spiritus, eam lubentissimè est amplexus, sicut etiam alij Apostoli. Ita Paulus, Actor. 21. Non solum alligari,sed etiam mori paratus sum. 2. *Cor.*12. Libenter gloriabor in infirmitatibus meis. Vnde hoc? quia ipsorum voluntas conformis est voluntati Dei.Ideo semper dicunt, Fiat voluntas tua. Impij vero nullo modo vellent crucem, quia repugnat carni,nec quoad animum, quia ipsorum voluntas repugnat voluntati Dei, neque illi possunt esse subiecti. Quare semper volunt contrarium,quàm velit Deus.Hinc maior in ipsis afflictio oritur,propterea quòd quicquid patiuntur, contra voluntatem suam patiuntur,quo fit vt nōn solùm caro,sed etiam voluntas,& totus animus patiatur: ideóque miseriores sunt in ipsa cruce impij piis.

VIII. in latione crucis. Octauò dissimiles etiam sunt in perferenda ipsa cruce,postquam eam subierunt. Longè enim diuersa ratione afficiuntur pij,quàm impij in ipsa cruce. Pij, licet quantum ad carnem, aliquando sub ipsa cruce gemant & fremant propter magnitudinem doloris, quem inde sentiunt,sicut Iob, sicut Ieremias,cap.20.tamen quantū ad Spiritum, donati patientia, ita æquo animo eam ferunt, vt etiam subinde in ea lætentur & glorientur: & tantùm abest, vt conquerantur de Deo, vt etiam cum glorissent in media cruce.

Daniel.3. Tres pueri,Sadrach, Mesach,& Abednego, qui in fornacem coniecti fuerant, quòd nollent adorare statuam auream, in ipsa media fornace ignis ardentis laudant Deum, & benedicunt Domino. Actor.5. De Apostolis dicitur. *Ibant gaudentes à conspectu concilij.* Huc pertinet Exemplum *Stephani:* Item *Pauli & Barnabæ.* Hinc Rom.5. *Gloriamur in tribulationibus.* Hinc pij sunt vultu semper læto,oculis iucundis, ore ferè in formam risus composito,& Deum laudant, non franguntur animis,accidat quicquid velit. Quare? quia Spiritu Dei,qui est spiritus lætitiæ præditi sunt.

Impij verò tantùm abest,vt ipsam crucem æquo animo ferant,vt etiam præ impatientia Deum blasphemēt, tetro sint semper vultu, animis semper anguntur, franguntur concidunt:quo fit vt grauior illis crux,quo in animo affliguntur, quàm ea, quā in carne percutiuntur.

Nonò, dissimiles etiam sunt in effectis crucis, qui ex cruce sequuntur. Optimos fructus ex cruce hauriunt pij: pessimos, quæ sua est ipsorum prauitas, impij. 1. Pij ex cruce,cùm donati à Deo sint dono patiētiæ,quo eam libenter ferant,re ipsa experiuntur amorem erga se Dei, quo & magis certiores fiunt suæ εὐδοκίας, & ad æternam vitam electionis. *Rom.*5 Gloriamur in tribulationibus,scientes quòd tribulatio patientiam parit,patientia probationem, quā scilicet probamus & experimur in nobis ipsis Dei fauorem, auxilium, beneuolentiam. IX. In effectis crucis.

Impij verò ex cruce reipsa experiuntur,Deum sibi esse capitalem hostem, & seuerum iudicem & cōdemnatorem, propter sua ipsorum scelera, atque ita magis in infidelitate & impietate confirmatur.

2. Pij ex cruce assequuntur fructum spei, qua magis corroborantur & certiores fiunt,se assecuturos breui vitam æternam, postea quam ex cruce reipsa experiuntur Dei in se beneuolentiam. Ideo sequitur *Rom.* 5. Probatio verò,(scilicet operatur) spem:Spes autem non confundit, quare? quia diffusa est charitas in cordibus nostris. Ex certitudine & sensu charitatis Dei erga nos, spem certam concipimus,nos glorificatum iri,nos adepturos omnia, quæ & ille promisit & nos credidimus. Hæc autem spes in Deo,qui est, vt Psaltes ait, spes nostra, nunquam confundit eos, qui spe hac præditi sunt, etiamsi diu multúmque differantur ea, quæ promissa sunt. Deus enim tandem præstat ea,quæ promisit.Spem tamen nostram,cruce exerceri vult. Promittit Abrahæ & semini eius terram Chanaan,sed primò exercet eum sub cruce in Ægypto: ducit cum per desertum multo tempore & tandem post annos 430. dat illi semini terram. Promittit populo se illum liberaturum è Babylonia,sed continet illum prius in illa cruce 70.annis: tandem liberat. Promittit Filium suum Mundo, cunctatur circiter annos 3959. & exercet nostram fidem & spem in cruce. Tandem eum mittit.Ergo spes non confundit.

Sancti ergo agnoscentes in cruce,hunc esse morem & cursum Dei, vt sanctos suos priùs multis procellis in hoc mari exagitet,antequam ad portū eos deducat, sed tamen quòd certissimè tandem in possessionem rerum promissarum fideles adducat:sperant & confirmantur in spe, quando sunt sub cruce, dicuntq; cum *Iobo.*14.Etiā

me occiderit, in hoc Ego sperabo. Item, cum Paulo, *Philip.* 1. *v.* 19. & 20. Noui quod calamitas mea mihi cedet ad salutatem, secundùm exspectationem & spem meam, quod nulla in re pudefiă. Impij vero, qui extra crucem videbantur aliquando sperare in Domino, licet ex corde nunquam fiderent Deo, neque in eo sperarét, in cruce abiiciunt omnem spem, quam in Deum collocasse videbantur: Inde blasphemant Deum, & in desperatione confirmantur.

Denique pij ex cruce acquirunt pœnitentiam, dilectionem in Deum, virtutes omnes, & (vt vno verbo dicam) emergunt perfectiores, sanctiores, meliores, purgatiores, sicut aurum ex igne purius fit. *Psal.* 119. Bonum mihi quod humiliasti me, vt discă iustificationes tuas. Exemplum habemus in Iobo, qui ex tot calamitatibus, quibus tanquam igne probatus & purgatus fuit, perfectior euasit, vt Deus testatur eo in libro.

Impij verò ex cruce peiores fiunt, fremunt contra Deum, blasphemant eum, obdurantur: Et si sint hypocritæ, qui simulent cultum Dei, igne persecutionum exa minati, reuertuntur ad cultũ idolorũ, ineunt fœdus cũ mundo, sese accommodant carni, abnegant Euangelium: vt patet ex eorum vocibus quando calamitate aliqua tangũtur. *Malach.* 3. dicunt: Frustra seruitur Deo. Quæ enim vtilitas, quod mandata eius obseruamus? & quòd humiliati, vel tristes coram Deo exercituum ambulamus? Nunc ergo beatos & felices iudicamus arrogantes & contumaces. Etenim impietatem patrantes feliciter agunt. En quomodo peiores euadant impij ex cruce!

At etiam pij aliquando in huiusmodi voces prorumpunt, quando vident impios fortunari, se vero duriter à Deo percuti, vt patet in Iobo, Ieremia, Asapho, & aliis.

Resp. Verum quidem, tentantur huiusmodi tentationibus, sed tamen iis non succumbunt, non deficiunt Deum: imò vbi ita tentati fuerint, postea victores euadunt, & perfectiores euadunt, triumphántque de tentationibus. *Psal* 73. Audite Asaphum parum abfuit, quin mutarentur pedes mei & ferè effusi fuissent gressus mei, &c. videantur reliqua: Ecce tentationem magnam. Deinde concludit: Et cùm ita mecum reputarem, parum abfuit, quin defecissem à generatione filiorum Dei. En tentationem, sed cum victoria? Verùm impij succumbunt, & eo fiunt peiores, idcóque magis affliguntur.

Exod. 9. Pharao, quò magis percutitur, eò magis obduratur, & magis peccat, blasphemat Deum. Hoc est, quod hic ait Esaias, Quorsum percutimini? Additis iniquitatem. At vnde hoc discrimen, quod in eadem cruce impius peior fit, pius verò perfectior: sicut patet in latronibus, alter in cruce resipiscit, alter addit iniquitatem, vt ait Es. Vnde hoc discrimen?

Resp. Quia alter est pius, alter est impius: alter est electum aurũ pretiosum, quòd purificatur in igne: alter est palea, quæ comburitur ab eodem igne: alter est vnguẽtum pretiosum, alter est stercus fœtidum. Iohan. 10. Christus rationem affert, cur Mercenarius videns lupum aduenientem fugiat, verus autem pastor animam suam ponat pro ouibus, quia inquit, *Mercenarius est.* August. libro. 1. de ciuitate Dei, cap. 8. huius discriminis hanc rationem adfert, dicendo: Quicunque boni malique similiter afflicti sunt, non ideo distincti non sunt, quia distinctum non est, quod vtrique perpessi sunt. Manet enim dissimilitudo passorum, etiam in similitudine passionum: & licet sub eodem tormento, non est idem, virtus & vitium. Nam sicut in vno igne aurum rutilat, & palea fumat: & sub eadem tribula stipulæ comminuuntur, frumenta purgantur: nec ideo cum oleo amurca confunditur, quia eodem præli pondere exprimitur: Ita vna eadémque res irruens bonos probat, purificat, eliquat: malos vastat, damnat, & exterminat. Vnde in eadẽ afflictione mali Deum detestantur atque blasphemant, boni autem precantur atque laudant. Tantùm interest, non qualia, sed qualis quisque patiatur. Nam *pari motu exagitatum & exhalat horribiliter cœnum: & suauiter fragrat vnguentum.*

Cùm igitur Iesaias de populo illo dicat, quòd percussus addat iniquitatem & peior indies euadat: ostendit populum esse reprobatum, deploratum, cœnum & stercus Satanæ fœtidissimum. Nam de electis idem ait cap. 20. *Domine in tribulatione visitauerunt te, effuderunt precationem, dũ castigatio tua super illos fuit.* Apparet igitur ex hoc loco Iesaiæ, quibus in rebus conueniant, & dissimiles sint pij & impij, dum ambo à Deo percutiuntur.

Quæ omnia eò spectant, vt primùm discamus, Deum illum esse, qui nos percutit, qui nos penuria, peste, cædibus, aliisque calamitatibus cædit. Non asscribamus igitur hæc stellarum influxioni: fato, aëris infectioni: hominum malignitati: tẽporum infelicitati: sed accepta feramus Deo. Hic est enim qui sicut dixit populo Iudaico, ita nobis dicit, Quorsum percutemini? q. d. Ego percussi (inquam) percussi vos hactenus.

Secũdo, Discamus causam impulsiuam, qua Deus quasi compellitur ad nos percutiendos, esse peccata nostra, non solùm nostra, quæ vnusquisque facit, sed etiã aliena, quæ nõ prohibemus, nempe idololatrias, & alia scelera. Hæc enim causa fuit illa, quę Deũ impulit ad cædendum populum suum. Ait enim, Quorsum percutiam vos? Additis iniquitatem: q. d. percussi vos propter vestras iniquitates, tamen non cessatis adhuc. Hæc eadem est, qua quasi cogitur nos percutere. Ergo recognoscamus peccata nostra, & ea deploremus.

Tertiò, Discamus etiã causam finalem, propter quam nos percutit, esse non perditionem nostram. Neque enim nos odit pater, sed salutem, nempe vt resipiscamus, corrigamur, ne cum hoc mundo damnemur. Diligit enim nos pater. Sic enim ait. Quorsum vos percutimini? q. d. Ideo vos percussi, vt desisteretis à peccando, idcóque vt saluaremini, & tamen non cessatis, sed additis iniquitatem. Quare flagella Dei inferuntur nobis vt medicinæ, & vt remedia contra peccata, vt instrumenta, quibus ad resipiscentiam adducamur. Ne ergo abutamur iis salutaribus remediis, sicut impij faciunt ad internecionem, quibus illi fiunt deteriores: sed vtamur ad salutem, quibus resipiscamus, ne idem nobis possit dici, quod populo Iudaico, Quorsum percutimini? additis iniquitatem.

DE FVRTO, QVAESTIONES SEPTEM.

In 23. vers. cap. 1. Ies.

Principes tui facti sunt socij furum.

I. De Etymologia vocabuli.
II. Quid sit.
III. Quæ species furti.
IV. Qui modi furandi.
V. Quibus modis quis socius furum fieri possit.
VI. An quoduis furtum sit peccatum.
VII. Vnde hoc malum, videlicet furtum, & animus furandi proficiscatur.

De I.

Hebraica vox, qua furtum in scripturis appellatur est, Ganabh, significat autem propriè, aliquid vel moliri, vel auferre, vel subducere clanculum, ita vt conscientia eorum, quorum interest fallatur. Sic de Iacobo legitur Gen. 31. Et furatus est Iacob cor Labani. Item, infra ait ei Laban, Et furatus es me, & non indicasti mihi.

Accusatur Iacob furti ob id, quod clam Labano sese cum suis vxoribus, & filiis, & aliis rebus omnibus subduxerit ac discesserit. Furari enim cor alicuius nihil aliud est, quàm alicuius conscientiam fallere, illique vel se, vel aliquid aliud clanculum subtrahere. Propriè ergo apud Hebræos furari & Ganabh est, clam aliquid auferre.

Græcis etiam verbum κλέπτειν, idem significat nempe clàm auferre. Suidas κλέπτειν τὸ τὰ ἀλλότρια λάθρα ἀφαιρεῖν. Item, κλέπτης δὲ ἀπὸ τοῦ κελεύειν.

Latinis etiam furari est clam alienum auferre. Vnde Cic. 2. offic. vtrumque explicãdi causa coniungit, furari, & clam alicui eripere. Varro libro 14. rerum diuinarum, furem ex eo dictum ait, quod furuum atrum appellarint, & fures per obscuras noctes atque atras faciliùs furentur. Quidnam tamen à fero dictum volunt, quod ferat, id est, auferat res alienas. Furari igitur tam apud Hebræos & Græcos, quàm apud Latinos, propriè est res alienas clanculum auferre.

DE II.

DE II.

Furtum igitur propriè erit actio aduersans legi Dei, quâ res aliena inscio & inuito Domino clanculum aufertur. Vbi vox inscio Domino,& clanculum discriminat furtum à rapina. Rapina enim est actio,quâ res aliena,inuito Domino,aperta vi aufertur. Arist.lib.Eth.5. c.2.hoc idem confirmat. Furtû enim & rapinam in hoc similia esse docet, quòd tam illud, quàm ista, actiones sint non nostræ voluntatis, id est, quæ nobis inuitis ab aliis fiunt. Sed discrimen inter ea hoc esse dicit, quòd rapina sit manifesta vi,sicut etiam verbera & conuitia: furtum verò clanculum.

Cæterùm in Theologia,quanquam sæpius discrimen fiat inter furtum & rapinam:tamen sæpe etiam sub nomine furti, comprehenditur etiam rapina: & verbum Ganabh significat omnem furti speciem, furtum, rapinam,depopulationem,circumuentionem, omnem denique rationem, qua res aliena inuito domino aufertur.Ergo nomen hoc in scripturis sacris, & in lege Dei, est ceu generalis vox, ad omnes furti species attinens, & in genere sic definiri potest: Furtum est actio aduersans legi Dei, quâ res aliena inuito Domino aufertur. siue id fiat clanculum,siue manifestè. Vel sic: Furtum est actio aduersans legi Dei, quâ res aliena, aliquando inscio, semper autem inuito Domino aufertur, lucri præsertim causa.

DE III.

Hoc pacto acceptum vocabulum furti,in varias species diuidi potest. Possunt enim sumi vel à variis generibus rerum,quæ auferuntur:aut à variis modis, quibus auferuntur deduci.

Si à rebus, quatuor furtorum genera in summa constituo, iuxta quatuor rerum, quæ furto auferuntur species.

Nam primò, res quæ furto tolluntur, vel sunt priuatæ,verbi gratia,res hominis priuati, Antonij, Petri, &c. Furtum, quo huiusmodi res priuatæ auferuntur, simplex furtum vocatur.Ergo hæc esto prima species.

Secundò,vel sunt res publicæ,vt bona alicuius vrbis, regni,&c. Furtum, quo hæc auferuntur,appellatur peculatus.Et hæc est secunda species.

Tertiò,vel sunt res Deo cõsecratæ,vt bona Ecclesiastica,Ecclesiis & cultui diuino deputata. Furtum, quo hæc auferuntur, vocatur sacrilegium, & hæc est tertia species furti.

Quartò,vel sunt homines ipsi,qui auferuntur,seu furtim abripiuntur, siue ij sint liberi, siue serui. Furtum hoc, quo homines interuertuntur, vocatur plagium à Martiali,& plagiatus: & huiusmodi fures,qui homines furantur,plagiarij vocantur.

Hæc rerum partitio mihi videtur esse satis congrua. Nam omnes res,quæ furtim interuerti possunt,vel sunt ipsi homines,siue liberi,siue serui:sic est plagium. Vel sunt non homines ipsi,sed res hominum vsui deputatæ: &hæ vel sunt priuatæ,id est,priuati hominis:sic est simplex furtum; Vel sunt publicæ, id est, communi hominum multorum vsui assignatæ: sic est peculatus. Vel sunt res non hominum, sed Dei. (Nam Deum ipsum nemo furari potest) id est, Deo consecratæ, vt sunt bona,quæ Ecclesiastica vocantur:Sic est sacrilegium.Ita si quis gloriam Dei sibi ipsi vsurpet,sacrilegus est.Hæc ergo sunt quatuor species furtorum à rebus ipsis desumptæ.

DE IV.

Si verò à variis modis,quibus res alienæ auferuntur, species furtorum sumantur, cùm multi sint modi,multæ etiam inuenientur species furtorum. Sed tamen inter alios modos, qui ita multi sunt, vt numerari non possint ij præcipui sunt.

Primus, in aperta violentia consistit, vt cùm quis vi aperta, & prædatoria licentia, aliena bona diripit: & furtum illud vocatur vel rapina,vel deprædatio,ac depopulatio.

Secũdus,in dolosa & occulta vi consistit, vt cùm quis noctu clanculum aliena bona furatur, & furtum communi voce appellatur.

Tertius,in malitiosa impostura consistit, vt cùm quis res corruptas pro sinceris vendit, & quibusve rationibus vtitur,vt alicui imponat:& impostura vocatur.

Quartus, in tectiori calliditate, vt cùm quis per speciem iuris, aliena bona diripit: & hoc genus furti, tum passim, cum præsertim in iudiciis fit, quando vel iudices corrupti sunt, vel causarum patroni suâ eloquentiâ fucum faciunt iudici ne causæ veritatem cernere possit: & sicut fit in vsuris.

Quintus,in blanditiis consistit,vt cùm quis malitiosè alicui blanditur, adulatur, vt aliquod donum accipiat, & i.a sub donationis pretextu, bona illi callidè emũgit.

Sextus, in officio debiti neglectu consistit, cùm scilicet quis non obit munus suum,quod aliis debet: Verbi gratiâ, cùm Doctor non docet, cùm pastor non pascit, cùm paterfamiliâs non benè curat familiam, nõ vestit filios, cùm iudices & Magistratus non defendunt pios: Cum benè meritus de republica nõ debito honore afficitur.Fur.i omnes ij apud Deum tenentur,vtcũque apud homines pro furibus non habeantur. Alienum enim retinent & interuertunt, qui non exequuntur quæ suæ sunt vocationis munera,quæ aliis debent.Denique modi omnes quibus proximorum bona contrà ius charitatis vel ad nos deriuamus, vel retinemus, furta sunt apud Deum.Quot autem sunt genera furtorum, tot etiam sunt genera furum.

DE V.

Nunc videndum, quibus modis quis socius fiat furum.

Primus est consensus, & hic quoad voluntatem internè.Hic triplex est.Primus ante furtum,cum consensus,vt fiat:secundus in furto cùm tibi placet, quod fiat. Tertius post furtum, cùm tibi placet esse factũ. Ratio, Quisquis enim ad facinus consentit,facinoris est particeps & socius.Vnde illud Iuris: Agentes & Consentientes pari pœna puniuntur.

Secundus est quoad verba: & hic est vel consilium, vel mandatum,vel laudatio. Consilium,cùm consulis, vt fiat.Mandatum,cùm mandas,vt quis furetur.Laudatio, vt cùm furem vel ridendo, vel palpando laudas, quod magnâ industria furatus sit.

Tertius quoad facta,primùm negatiuè:& hoc est permissio:vt cum possis prohibere aliqua ratione,non prohibes tamen,sed conniues. Deinde affirmatiuè; & hoc est cooperatio,occultatio,defensio. Cooperatio,vt cum quis sciens & volens furi aliquâ ratione cooperatur ad furandum,vel bi gratiâ si eum ad furãdum ducas, si instrumenta ad furandum præbeas. Occultatio,cum furem ipsum occultas,vel domi,vel alia ratione. Defensio, cùm scilicet furem vel accusatum vel impetitum defendis.

Quartus modus,quoad ipsas res,quæ furto sunt ablatæ: & hic est furti participatio, cùm scilicet rei furtiuæ portionem aliquam capis: idque 4. modis fieri potest, Primò, si partem rei furto ablatæ à fure ipso oblatam recipias. Secundò,si violenter de manibus furis rapias atque in tuum vsum conuertas. Tertiò, si emas rem, quam furto oblatam certò scias. Quartò, si cùm sis iudex,accepto munere vel furi conniueas, vel furem absoluas. Sic solent principes & iudices fieri socij furum, Sic Iesaias conqueritur de iudicibus & principibus Iudæorum.

DE VI.

An verò quoduis furtum sit peccatum,à multis dubitatur.Nam vna ex parte non omne furtum videtur esse peccatum,vt ex iis locis patet.

1.Furtum fuit id,quod Israelitæ fecerunt,quando Ægyptiis insciis, & inuitis aliena bona fraudulenter abstulerunt. Acceperunt enim ab Ægyptiis mutuò multa vasa aurea & argentea, & vestes multas, hoc animo, vt nunquã tamen illa ampliùs redderet,Exod.12. Atqui illud non fuit peccatum.Iussu enim diuino id fecerunt, Exo.11.Moses ait,*Et fecerunt sicut præceperat Dominus*. Facere autem quod præcepit Dominus, tantùm abest vt sit peccatum,vt etiam sit vera obedientia.

2. 4 Reg.11.Cùm Athalia ob mortem filij sui Ochoziæ furore percita,occideret omne semen regium:Iosaba soror Ochoziæ furata est Ioam filium Ochoziæ, atque illum abdidit in templo apud Iojadam sacerdotẽ. & textus ait: Et accepit Iosaba soror Ochoziæ Ioas fi-

lium regis, & furata est eum. Non fuit autem illud factum peccatum, sed potius laude dignum.

3 Si quis tyrannis, Antichristo & aliis aufert pios, qui propter Euangelium periclitantur, non peccat. Nam sic fecit etiam Abdias Propheta, dispensator domus Achabi. Centum Prophetas clanculum à facie Iezabelis abscondit & pauit. 1.Reg.18.

4. Si furioso cuipiam aut ebrio gladium auferas ac furteris non vt tibi serues, sed ne ille ita ebrius aut furiosus, alios lædat, non solùm non peccas, sed opus laude dignum facis.

5. Si vxor marito prodigo & omnia dilapidanti clanculum aliquid surripiat, quod in futuram necessitatem & sibi & filiis reponat, certè non peccat, sed opus prudentiæ ac sanctæ industriæ facit. Videtur ergo ex iis locis & exemplis non omne furtum esse peccatum.

Altera ex parte videtur omne furtum verè esse peccatum.

1. Quicquid prohibet lex, & repugnat legi, peccatum est. Atqui lex prohibet absolutè furtum, & omnem furti speciem vt diximus, dicendo, *Non furaberis*. Et nos diximus, furtum in genere esse actionem legi Dei repugnantem quâ aliena res inuito Domino aufertur.

Resp. Furtum quod à lege prohibetur, quodcunque illud sit esse peccatum. Quicquid enim repugnat legi Dei, peccatum est: & nos tale furtum definiuimus, dicendo: esse actionem legi Dei repugnantem. Atqui lex non prohibet nisi furta illa, quæ contra proximi charitatem & iustitiam fiunt. Regula enim actionum nostrarum omnium cum proximo, est ipsa charitas proximi. *Rom.*14. Qui diligit proximum, legem impleuit. *Ro.* 13. Plenitudo legis est dilectio. Ergo illa duntaxat furta, peccata sunt, quæ contra charitatis regulam fiunt: & de iis intelligitur verbum Ganabh in decalogo Iam furta illa, quæ commemorauimus ex Exodo, ex 4.Reg. & alia non fuerunt nec sunt contra charitatem, sed potiùs iuxta regulam charitatis, quæ vnicuique dat quod suum est. Patet hoc exempla illa diligenter consideranti. Ergo non fuerunt peccata. Furtum Israelitarū iuxta charitatis & iustitiæ regulam fuit: 1.quia Dominus iussit illud fieri: Non iubet autem Deus, quod est contra charitatem aut iustitiam. Vnde Ecclesiastes ait *cap.*15. Nemini mandaui impiè agere. 2.charitas exigit, vt vnusquisque habeat, quod suū est. Atqui multa merces Israelitis ab Ægyptiis debebatur: idque iam propter multas afflictiones, quibus Israelitas Ægyptij iniustè affecerunt: tum propter multa officia ab Israelitis Ægyptiis præstita. Charitas ergo exigit, vt sua illis merces rependeretur. Iam cùm Ægyptij quippe impij & iniusti, nollent mercedem Israelitis debitam rependere, neque Israelitis apud Magistratum pateret locus, Deus Iudex iustus, iuxta regulam charitatis sententiam tulit pro Israelitis, & iussit vt auferrent vasa illa aurea, quia charitas id exigebat. Ergo non fuit contra charitatem, sed iuxta charitatis regulam, quod fecerunt Israelitæ. Quare non fuit propriè furtum: sed tantùm quoad nomen. Ideo de hoc facto ait Salomo *Sap.* 10. Iusti tulerunt spolia impiorum.

Furtum etiam illud, quod fecit Iosaba 4.Reg.11. non fuit contra charitatem, sed iuxta charitatem & iustitiā. Charitas enim exigebat, vt impiæ & iniustæ Reginæ, quæ contra omne ius vniuersum semen regiū interficere tentabat, puerum illum Ioas regis filium eriperet, ac in futurum regē Iudæ seruaret. Idē patet in furto, quo quis clam furioso aufert ensem, ne scilicet vel per se, vel alios occidat. Item, in furto, quo vxor clam seruat bona, quæ prodigus maritus deglutiret.

Hic igitur est regula obseruanda inter præcepta Decalogi, quantum ad ipsa facta attinet. Quædam quę ibi vel prohiberentur, vel iubentur, nunquam possunt vel fieri vel omitti, quin preces. Ratio, quoniam nō possunt vnquam vlla verè bona intentione vel omitti, vel fieri. Et hæc sunt primùm illa, quæ continentur primo, secundo, & tertio præcepto. Nunquam enim fieri potest, vt quis verè bona & recta intentione habeat Deos alienos, colat imagines, & nomen Dei in vanum vsurpet. Ideo semper peccatur. Deinde, sunt etiam præceptum septimum, Non mœchaberis: Nonum, Non falsum testimonium dices: & decimum, Nō concupisces. Nunquā enim fieri potest, vt quis iuxta charitatem mœchetur, falsum testimonium contra proximum ferat, aut concupiscat. Quare semper ista sunt peccata.

Quędā verò sunt, quæ ex vera fide seu recta intētione & charitate fieri aut omitti possunt, & non sunt peccata. Et hæc sunt primò quartum præceptum de Sabbatho. Potuit quis iusta & recta mente illud negligere, quātum ad externas actiones, quas prohibet lex in sabbatho, sicut patet in Apostolis, qui sabbatho ibant per sata.

Quintum de honorandis parentibus. Vbi maioris iustitiæ habenda est ratio, potest infringi, vt quod ait Luc. 14. Si quis venit ad me, & non odit patrem, &c. quatenus scilicet impediunt, ne Christum sequaris.

Sextum de non occidendo, aliquando necessariò faciendum est.

Ita etiam hoc octauum, Ne fureris. Potest quis iuxta charitatis regulam furari, id est, alicui rem aliquā clanculum eripere, vt supra in exemplis ostensum est, ideóque peccatum non erit. Sed tunc non est ex illo genere actionum, quas prohibet præceptum illud.

DE VII.

Nunc videndum, vndénam hoc malum, nempe furtum, & animus furandi proficiscatur.

Hic pessimus fructus, nempe furtum, habet malam terram, vnde surgit. deinde, in terra est mala arbor, vnde nascitur. denique arbor habet fomenta, tanquam fimum, quæ illam ad citò & facilè fructum hunc patiendum excitant.

1. Terra mala, vnde tanquam à prima origine hoc malum nascitur, est cor ipsum hominis corruptum ac prauum. De hac ait Christus Matt. 15. De corde exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, scortationes, furta, &c.

2. In hac pessima & corrupta terra, plantata est mala arbor, quæ malum hunc fructum parit. Hæc est infidelitas non solum in genere: sed maximè incredulitas erga prouidentiam Dei, quod homo non credit verè Deum cùm omnium rerum, tum præsertim hominum curam habere, & omnia quæ ad vitam hanc transigēndam necessaria sunt, subministraturum. Hæc incredulitas primò reddit animum inquietum, circa res mundi sollicitum & alienarum rerum appetentem: sicut contra fides erga prouidentiam Dei, reddit animum pacatum, rerum cœlestium studiosum, ac modico & sua forte contentum. Secundo, hæc incredulitas suggerit omnis generis imposturas, dolos, fraudes, quibus proximū circumueniat.

3. Fimus seu stercoramentum. quod fouet arborem hanc malam, vt citò & facilè fructum suum pariat, hæc duo sunt Otium, & occasio.

Otium seu pigritiès, præsertim luxui dedita, parit egestatem Sap.3. *Manus remissa parit egestatem*. Egestas verò compellit multos ad furandum. Prou.30. *Mendicitatem & diuitias ne dederis mihi, ne egestate compulsus, furer*. Occasio verò (vt in prouerbio est) facit furem. Inuitat enim animum furacem, vt mittat manum ad furandū. Ita hæc duo tanquam fimus excitant hominem ad furandum. Hinc.

4. Sequitur malus fructus furtum.

Quid igitur agendum? Primò abigatur otium, ne inde egestas oriatur, & fugiatur occasio, ne ad furtum alliciamur. Remedia.

Secundò, excidatur arbor incredulitatis de prouidentia Dei: & statuamus Deum non posse vlla in re nobis deesse.

Tertiò, rogemus Deum, vt hanc terram prauam cordis nostri purificet, igne spiritus sancti comburēs quicquid mali in eo latet.

DE SORTIBVS.

Toram de prouidentia Dei tractationem habitam in vlla visione Zachariæ, de quatuor quadrigis à conspectu Dominatoris terræ, per duos montes chalybeos in varias mundi partes egressis, quæ est in cap.6. in quatuor propositiones resoluimus.

Prima fuit: Omnia quæ fuerunt, sunt, & futura sunt, omnésque mundi & rerum omnium motiones ac reuolutiones, fuisse ab æterno in conspectu Dei ita præsentia, atque si iam reapse, & in rerum natura fuissent ac proinde nihil noui contingere in mundo respectu Dei, quia omnia fuerūt in eius conspectu, antequam essent.

Altera: Quæcūque in mundum venerunt, veniunt, & ventura sunt, quæ facta sunt, fiunt, & facienda sunt, omnia

nia transire per duos montes chalybeos, hoc est, per insuperabilem Dei omnipotentiam, & per immutabilem firmámque Dei voluntatẽ: & hoc confirmari aliis scripturarum locis, vt illo Psal.115. Omnia, quæcunque voluit, fecit. Ies.14. Dominus decreuit, & quis infirmabit? Dominus extendit manum suam, & quis eam retrahet?

Tertia: omnes creaturas, hominesque tam malos, quã bonos, qui in hunc mundum venerunt, & veniunt, gubernari à Deo, hoc est, & moueri ad suas quemque actiones, quatenus actiones sunt: & per eas ad suum finem perduci reprobos ad infernum, quo sunt destinati, vt scriptura tradit: & electos ad cœlum ad quod sunt præordinati. Actor. 7. In ipso enim viuimus, mouemur, & sumus. Act 1. A quo aberrauit Iudas, vt abiret in locum suum.

Quarta: Totam Dei prouidentiam omnia tandem dirigere ad gloriam suam, & ad salutem electorum, ac tũ demum quiescere spiritũ Dei, cùm videt impios damnari, & electos seruari, ex qua vtraque re Deus glorificetur, iuxta verba Angeli ad Zachariam, *Ecce, qui egrediuntur ad terram Aquilonis, quiescere fecerunt spiritum meum in terra Aquilonis.*

Ex iis autem quatuor propositionibus hanc vnam conflauimus, in qua fundatur tota de sortib. tractatio. Quicquid nobis contingit siue prosperi, siue aduersi, totum illud neque à fortuna, quæ nulla est neque à casu, neque sorte, propriè loquendo, contingere, sed à mera æterna Dei voluntate, & nihil aliud esse, quæ nobis cõtingunt, quàm ipsam æternam & immutabilem Dei voluntatem, vel vt purius loquar, certissima occultę volũtatis Dei effecta atque signa, testificantia Deum sic ab æterno voluisse ac decreuisse, sicuti nunc nobis contigit, siue nostra electione sine sorte, siue quocunque alio modo. Si enim excipias peccatum, quod nihil aliud est, quàm venenum quoddam contagiosum in nos ab Adamo astu Satanæ transfusum, quod omnes actiones Dei in nobis tam internas quàm externas inficit, reliquia omnia, quæcunque illa sint, à Deo sunt, diuinæque voluntatis effecta.

Hoc est primum fundamentum, quod nobis præiaciendum fuit tractationi de sortibus.

Secundum nunciatio, atque hoc est: Cùm omnia quæ nobis contingunt, tam sorte, quàm electione, nihil aliud sint, quàm aperta signa diuinæ & æternæ voluntatis, quibus declarat se ab æterno hoc voluisse atque statuisse, quod nobis per effecta reuelat: notandum est, duplicem esse (vt ita docendi gratia loquar) voluntatem Dei, reuelatam & occultam. Reuelatam vocamus eam, quam in scripturis patefecit, atque hæc est de rebus ad salutẽ nostrã pertinentib. ac proinde cognitu necessaria est ad salutem. Hanc non oportet inuestigare sortibus, aut alia ratione: neque exspectandum est, vt eam Angelus de cœlo nobis reuelet. Est enim iam tota semel reuelata, & sacris literis commissa & quotidie prædicatur. Summa autem eius est, vt si velimus saluari, credamus in Christum viua & per dilectionem operante fide. Ioh.6. Hæc est enim, inquit Christus, voluntas patris mei, vt omnis qui videt filium, & credit in eum, habeat vitam æternam. Item 1. Thess.4. Hæc est voluntas Dei, sanctificatio vestra.

Voluntas Dei duplex. Patefacta quæ.

Altera est, quam vocamus non reuelatam seu occultam & arcanam. Arcanam autem vocamus, non quod eam nunquam reuelet, sed quia eam ignoramus, nisi vel per effecta ipsa, postquam impleta est, vel nouis reuelationibus & signis patefaciat, antequam fiat. Est autem hæc primò de rebus, quas ipse facturus est, sed nos ignoramus, nisi (vt ante dixi) vel nouis signis, vel reuelationibus, in visione, aut in somno, ipse eas, antequam fiant, reuelet, vel rebus iam confectis, quid ante voluerit reapse demonstret. Secundò de rebus, quas vult à nobis fieri, sed quas nos ignoramus, nisi extraordinariis mediis vel nouis reuelationibus vel signis indicet.

Arcana & occulta voluntas quæ.

Tertium fundamentum. Hanc suam secretam volũtatem, circa quam versantur & sortes, tam de iis rebus, quas ipse facturus est sine nobis, quàm de iis, quas vult fieri à nobis, aliquando reuelat ipse sponte, nõ requisitus, aliquãdo vult à nobis inquiri, & ita nobis reuelari. Sponte, non requisitus, sicut cũ Abrahæ reuelauit quid vellet facere de suo semine: & quid vellet ab eo fieri de filio Isaac. Item, cùm reuelabat Mosi & Prophetis futura, quid scilicet facturus esset suo populo, quid gentibus, &c. Et hoc aliquando in somnis, aliquãdo in visione, vt Num.12. habemus: idque aliquãdo verbo tantùm, aliquando addito etiam spectro & signo aliquo. Et hoc de voluntate sua, antequam fiat. Postquàm vero facta est, declarat effectis ipsis. Vt postquàm contigit pestis, agnoscimus quæ fuerit ante voluntas Dei de nobis. Et hoc vltrò facit. Non enim quæsiuimus. Quando Dominus sponte reuelat, non opus est sortibus. Aliquando autem requiri vult à nobis hanc voluntatem arcanam. Vt cum volebat interrogari à Dauide, 2. Reg.5. an si iret contra Philistæos, vellet ipsi dare victoriam. Deinde, de iis quæ nescimus an velit a nobis fieri, nec ne: Exemplum, vt cum volebat interrogari à populo per Prophetas an vellet, vt hanc vel illam expeditionem susciperent, an vellet, vt iret Dauid aduersus Philistæos, vt cum filij Israel consuluerunt Deum, quo duce deberent ascendere contra Chananæos, & Dominus reuelauit, vt Iehuda ascendat dux.

Cum verò voluntas arcana sit de rebus, quas Deus facturus est ipse, aut quas vult fieri à nobis, vtram vult à nobis inuestigari?

Resp. Aliquando voluit, vt illam etiam priorem inuestigarent Prophetæ, id quod etiam fecerunt. verbi gratia 2. Reg. 5. cum Dauid petiit à Domino, significaret, an vellet non tantùm se ire contra Philistæos sed etiam an vellet sibi victoriam dare. Sed hanc tunc interrogabant Prophetæ, cum specialiter ad hoc faciendum à Spiritu sancto permouerentur. Ideo facta hæc specialia nõ sunt trahenda in generalem regulam. Nos illud retinere debemus Act.1. non esse nostrum inuestigare tempora, &c. & alia, quæ nostra scire nihil interest, sed in sua ternari vult Deus potestate. Circa hanc igitur neque sortes versantur. Hæc est illa diuinatoria sors, quæ ab omnibus piis damnatur, & in scripturis prohibetur, ne eamus ad sortilegos, qui futura profitentur se posse prædicere per sortes.

Alteram, de iis quæ vult à nobis fieri, tunc vult à nobis inuestigari, cum aliquid agendum est necessario, quod pertineat vel ad gloriam Dei, vel ad salutem & bonum proximi, & ignoramus quid agendum sit: Vt, an eundum sit ad prælium hoc vel illud: cui danda sit hæc pars hereditatis, quem velit ad Magistratum eligi.

Quartum fundamentũ. Quibus modis voluerit Deus inquiri & interrogari suam de aliqua re voluntatem, atque ita etiam solitus fuerit respondere, hancque occultam de particularibus actionibus vel per ipsum, vel per nos agendis, voluntatem reuelare. Modi præcipui hi fuerunt.

1. Per Prophetas qui precibus ad Deum fusis, peterent à Deo, vt reuelaret, quid in re dubia, & tamen magni momenti, vellet à nobis fieri, & quid ipse facturus esset ea in re, seu quem exitum daturus. Dominus autem illis respondit vel in somno, vel in visione: idque per verbum aliquando solum, aliquando cum signo aliquo & spectro coniunctum.

2. Per omnia Omen autẽ erat signum aliquod, quod aliquis a spiritu Dei permotus sibi proponebat, ex cuius euentu apertè cognosceret Deum illud vel illud, quod quærebat, velle. Sed hoc non fiebat, nisi precibus præmissis, & per Spiritus sancti afflatum: persuasi autem, Deum moderaturum hoc signum, cùm postea videbant ita euenire, concludebant, Deum velle id quod ipsi cupiebant. Erant enim illud signum consensionis voluntatis diuinæ, cum volũtate illius, qui aliquid quærebat. Exẽpla. Gen.24. In seruo Abrahæ Iud.6. de vellere, super quod solũ cecidit ros & quod solum mansit siccũ.

3. Per Vrim & Thumim in pectore sacerdotis: de qua responsione vide Exod.28. & Brentij cõmentariũ in illud c. Item Iosephum l.3 antiquitatum cap.12.

4. Per sortes vt Ios.7. sic. Iud.1 putant interpretes consultum fuisse Dominum à populo, quænam tribus præcedere deberet in pugna contra Chananæos, per sortes.

Notandum vero, semper cum iis signis coniunctas fuisse preces. Patet hoc in seruo Abrahæ Gen.24. Item in Gedeone, Iud.6. per sortes Iud.1. Ios.7. Act.1.

Nunc igitur de hoc signo per quod volebat Dominus interrogari suam voluntatem de re agenda, quæ ad bonum publicum spectaret.

Dignissimum autem est hoc argumentũ, quod diligenter explicetur: idque propter multiplicem sortium vsum & abusum, qui partim legitur apud antiquos tam Iudæos, quam Gentiles fuisse, partim etiam nunc apud omnes populos cernitur.

Quàm frequens fuerit apud ipsum etiam Dei popu-

rum Hebræum scilicet, sortium vsus, liquidò apparet cùm ex aliis, tum speciatim ex iis locis, quos mox subiiciam, è quibus perspicuum fiet, non omnem sortium vsum Deo improbari: imò certis in causis earum vsum non tantùm probari, sed etiam mandari. Leuit.16. cùm è duobus hircis vnus esset offerendus Deo pro peccato populi, & alter viuus in desertum amandandus, idque vt ex illius discessu & fuga, tanquam symbolo reconciliationis, populus fieret certior abacta fuisse procul sua peccata, Dominus iussit sortem mitti super vtrumque hircum, vt sorte declararetur, qui immolandus, & qui abigendus esset. Primus hircus, typus fuit apertus sacrificij Christi: alter, meo iudicio, effectus ipsius sacrificij, quòd scilicet nostra peccata, propter passionem Christi, abacta sint ab oculis Domini in desertum. Est enim hircus, animal lasciuum, & nostra significat peccata: Et Christus significatus fuit per hircum immolandum, quatenus in se nostra receperat peccata, per ipsum expianda. Sorte autem totum hoc est factum, id est, decreto & prædestinatione Dei, non nostris meritis: Et sorte nobis hoc contigit beneficium, cùm alij permulti exclusi sint. Habemus igitur, vsum sortis fuisse à Deo mandatum, & magnum in se continuisse mysterium, mysterium scilicet redemtionis nostræ per Christum, ex decreto Dei æterno: nobis autem sorte reuelato & communicato.

Diuisio terræ Chanaan per sortem. Num.26. Iussit Dominus totam terram Chanaan, sortibus distribui filiis Israel, id quod etiam factum fuisse à Iosua legimus Ios.15. & sequentibus. Ita Iohan.19. milites sorti ti sunt, cuius deberent esse vestes Christi.

Electio ad Ministeriũ Sacerdotale & ad Regnum. 1. Paralip.24. Sacerdotes ex Leuitis sorte eligebantur ad ministerium. Ita Actor. 1. sorte electus Matthias ad Apostolatum, vel potiùs declaratus Apostolus à Deo per sortes. Ita 1. Reg.10. Saul publicè electus in Regem sorte. Secretò tamen ante fuerat, ex mandato Domini à Samuele vnctus in Regem: sed euitandæ omnis inuidiæ gratia, & seditionis, voluit vt sorte eligeretur Rex à populo: & cecidit sors super Saulem filium Cis.

Peccati cognitio & detectio per sortem. Ios.7. Sorte inuentus fuit, qui de anathemate in Iericho sustulerat contra mandatum Domini, & ita prouocauerat iram Dei contra Israel, nempe Achan Filius Charmi, de tribu Iuda. 1. Reg.14. Sorte deprehensus fuit Ionathan ille fuisse, qui peccato suo Deum ita irritauerat, vt nollet amplius responsa dare populo. Ita Ionæ 1. sorte agnitum fuit, Ionam fuisse illum, qui peccauerat contra Dominum, & cuius causa orta fuerat tempestas.

Ad officium faciendum. Luc.1. Sorte exiit Zacharias, vt poneret incensum in templo Domini.

Prouerb.16. Sortes mittuntur in sinum, sed à Domino temperantur, vel, sed à Domino omne iudicium earum.

Prouerb.18 Sors comprimit contradictiones, & inter potentes quoque diiudicat.

Ex iis apparet, non omnem vsum sortium Deo improbari: sed multis in rebus præcipi, commendari, vtilem & necessariam esse, ad sedandas contentiones, & pacem inter ciues, atque in Ecclesia, inter fideles, conseruandam: modò legitimè, & cum debitis circumstantiis, vt postea docebimus, iaciantur sortes. *August. Tom.8. in Psal.30.* In manibus tuis sortes meæ: Sors nô est aliquid mali, sed res est in dubitatione humana, diuinam indicans voluntatem. Nunc de Etymo huius vocis.

Sors Hebręis est *Gural.* Ionæ cap.1. v.7. *Pur.* Hest.c.3. v.7. & cap.9. v.24. & *Cholesch* Ies. cap 14. v.12.

Gręcis sors dicitur κλῆρος: huius vocis Etymologiam variam adferunt interpretes; primò: quidam deducunt ἀπὸ τοῦ καλεῖν, & χελιδόνες, inde κλῆρ κλήσεω. & nomen verbale κλῆρος. Sic autem vocati volunt quidam, quòd de quibus sortes iaciebantur, ij vocarent in se ipsos τὰ λαχόντα. Esset igitur à verbo actiuo καλεῖν. Alij quod super quos cadebat sors, ij vocarentur, id est, eligerentur, ad id, de quo erat instituta sors. Hanc Etymologiæ rationem Fauorinus adfert.

Alij deducunt hanc vocem κλῆρος ἀπὸ τὸ κλάδος, quod significat lignum. Sic igitur appellari, quòd in ipsis lignis insculperentur seu inscriberentur nomina eorum, de quibus iaciebantur sortes.

Sors vnde & quæ eius significata. Latinis dicitur sors. Varro à serie, fortuito alicuius rei euentu. Est igitur sors, quasi fors, à fortuna, à qua putabãt Gẽtiles Romani sortes gubernari. Sed quod illi fortunam, nos Dei decretum vocamus. Ideo Augustinus ait, sortem pro Dei prædestinatione accipi.

Quatuor autem significat, primùm ipsa signa, quibus sortimur, vt sunt ipsæ chartulæ, in quibus sunt scripta nomina rerum & personarũ, de quibus sortimur, vt ipsa suffragia, seu pila, vel fabæ, vel paleæ. Ideo magnũ Etymologicũ ait κλῆ. ἐς σημεῖον ψῆφος παλ. ὅπερ ἢ λάχμεν λέγεται, ἐν ᾧ ἐσημειοῦντο, ἢ ἔγραφον τὰ ὀνόματα αὐτῶν. Sic Prouer. 16. *Sortes mittuntur* (seu proiiciuntur) *in sinũ*, (Hebraica vox significat etiã medium:) hoc est ψῆφοι proiiciuntur intrò in cistulã, in poculum, &c. sed iudicium illarum à Domino est. Ionæ 1. *Iaciamus sortẽ.* Secundò illum specialem κλῆρον, in quo signata est sors, vel à quo pendet sors. Sic, *Cecidit sors super Ionam* Tertio significat illud, quod sortibus nobis contingit, vnde & vulgo appellamus sortem. Huc illud, *Nemo est sua sorte contentus:* Et, *Sit sua quisque sorte contentus* hoc est portione, quæ sibi contigit. Psal.31. Sortes piorum sunt in manu Domini. Ies.17. Hæc est pars eorum, qui nos deprædantur: & sors eorum, qui nos diripiunt. Quarto, quia verò, quod sorte alicui contingit, Dei voluntate contingit, & sors legitima, nihil aliud est, quam diuinæ voluntatis reuelatio: ideo sortis nomine significatur etiam ipsa Dei voluntas, decretum prædestinatio, & iudiciũ patefactũ, quod nobis antea erat occultum. Cic. 2. Philip. *Qui sunt igitur reliqui, quos sors diuina delegit* Et apud profanos alios scriptores oracula diuina, sortes vocantur, vt, *apud Val. Max. lib.1.* cuius rei explorandæ gratia, legati ad Delphicum oraculũ missi, retulerunt, præcipi sortibus, vt aquam eius lacus emissam per agros diffunderent. *Augustinus in Psal.30.* Sors nihil aliud est, quàm in dubitatione humana, iudiciũ diuinæ voluntatis. *Et idem ait*, prædestinationem etiam posse appellari sortem. *Sic Virgil. 6. Æneid.* Hic exitus illum sorte tulit, id est, ineuitabili fatalique necessitate. Ac certum est legitimã sorte nihil aliud requiri, & etiam patefieri, nisi voluntatem diuinam, vt scilicet iis signis Deus, quæ sua sit voluntas ea de re, de qua nos dubitamus & hæremus, declaret. Hoc manifestum est in sortibus de duobus hircis: in sortibus cùm diuidenda esset terra Chanaan: in sortibus, cùm eligendi sacerdotes: cùm eligendus Rex: cùm eligẽdus esset Apostolus in locum Iudæ. Act.1. in eligendo sacerdote, qui deberet incensum ponere, Luc.1. in inuestigãdo peccatore, qui de Anathemate susceperat: sic in peccato Ionæ, &c. Quid enim aliud agebant, quàm quod orarent Deum, vt vellet aliquo illorum signorum propositorum, hoc est, sortium declarare quis peccatum admisisset, propter quod eam immisisset tempestatem? Et quid est, *Cecidit sors super Ionam*, nisi iudicium diuinum de eo, qui peccasset, & cuius causa orta esset tempestas, cecidit super Ionam?

Ergo nomine sortis significantur omnia hæc. I. Volũtas Dei, de re aliqua facienda, vt de eligendo aliquo, de diuidenda terra, de hæreditate tribuenda: & iudicium diuinum, de peccato hominibus occulto: Et sic capitur, cùm ait Ionas *Cecidit sors super Ionam.* II. Res ipsa, quæ iuxta Dei voluntatem patefactam conferenda distribuendáque est. Et sic capitur Ies.17. & Psal.31. III. Signa ipsa quæ proiiciuntur in conspectu Domini, & quibus voluntas & iudicium Dei patefit: Et sic accipitur Ionæ 1. cum aiunt nautæ, proiiciamus sortes. IV. Specialiter signum notatum, quo cadente super aliquem, super eundem dicitur cadere sors.

Sors quid sit. Quid est igitur sors in genere, quatenus & ad licitas, & ad illicitas referri potest, sic definiri potest: [Est actio humana, in hunc finem instituta, vt ex eius euentu, rem nobis incognitã diuinitus agnoscere possimus.] Hæc in omnibus sortibus reperiuntur. Exemplum in licitis: vt est sors de peccato agnoscendo: item de electione Matthiæ. Exempla in illicitis: vt erant illæ gentiles, in quibus inuocabant dæmones, & superstitionibus variis vtebantur: & quæ etiam nunc in mundo ab impiis & superstitiosis vsurpãtur: vt ludere chartis, aleis, micare etiam digitis. Nunc explicanda est illa definitio.

Primò diximus esse actionem humanam, vt ex eius euentu rem nobis incognitam cognoscamus. Hoc ad differentiam aliarum omnium specierum diuinationis dicitur, quæ fiunt non ex inspectione euentus actionis nostræ, sed ex inspectione aliarum rerum. Sunt enim tria diuinationum genera, vide Thom. 2. secundæ. q. 95. art.3.

Astrologi ex inspectione situs & motus syderum agnoscũt multa futura, quæ alioqui aliis occulta sunt, &

hæc

hæc aliquādo est certa scientia, vt de futura Eclipsi, de pluuia. Matth. 16. Cum peterent Pharisæi & Sadducæi signum de cœlo, respondit eis Dominus: *Facto vespere, dicitis serenum erit, rubicūdum est enim cœlum: Et manè, hodie tempestas erit: rubet enim Cœlum triste. Hypocrita, faciem quidem cœli nostis discernere, signa verò temporum non potestis.*

Augures verò profitebantur, se posse occulta & futura præoscere ex inspectione motus auium, aut etiam aliorum animalium, vel ex audito garritu auium.

Alij ex consideratione verbi alicuius præter intentionem ex ore alicuius elapsi: & propriè vocatur hæc diuinationis species, omen.

Chiromantici, ex inspectione lineamentorum in manu, profitentur se multa occulta prænoscere.

Alij, ex inspectione figurarum in igne apparentium, & hæc ars dicitur pyromantia.

Alij ex inspectione figurarum in aqua, & vocatur hydromantia.

Alij ex inspectione figurarum in aëre, & dicitur aëromantia.

Alij ex inspectione & consideratione figurarum in terra, in lapide, in ferro, & dicitur Geomantia.

Ergo vt discernatur diuinatio per sortes ab istis aliis, dixi, sortem esse actionem humanam, vt ex spectato eius euentu cognoscamus, &c. Nam illæ supradictæ non cognoscuntur ex spectato euētu nostræ actionis, sed ex inspectione figurarum, motuum, dispositionum in aliis rebus. Hac particula excluditur & omen, de quo supra, cum scilicet homines signum sibi proponebant, & rogabant Dominum, vt illo declararet suam occultam voluntatem. Ibi enim nulla est actio humana nostra, ex cuius euentu rem incognitam cognoscamus. Sic etiam excluditur Vrim & Thummim.

I. Quæstio. Additur deinde in definitione *diuinitùs cognoscamus*, primò, vt significemus, tunc de agnoscendis illis rebus sortes proiici, quæ humana ratione cognosci nequeunt: sicut fecerunt nautæ, Ion. 1. & sicut Apostoli Act. 1. Secundò, vt ostendamus, sortes regi à Domino, vt ait Salomon Prouerb. 16. & per eas, ab ipso moderatas, rem occultam indicari: ac proinde sortes signa esse diuinæ voluntatis, quæ alioqui occulta nobis erat.

Quare, si quis interroget, quomodo fieri potest, vt certa sit cognitio, quæ habetur per sortes? & hanc esse Dei voluntatem, quæ sortibus reuelatur? omnino videtur esse merus casus fortuit*, vnde iure dicitur sors, quasi fors, fortuna: Et Cicero ait, in sortibus esse casum & fortunā?

Resp. Si sortes spectes solas in se, & quatenus ab hominibus proiiciuntur possunt omnino fallere, imò fallent sua natura semper: sed Salomon ait Prouerb. c. decimo sexto, eas à Domino dirigi sua occulta manu. *Mittuntur* inquit, *ab hominibus, sed à Domino est iudicium earum.* Deus autem nec falli, nec fallere potest. Proinde certissima est cognitio, quæ per sortes à Domino temperatas habetur.

II. Quæstio. At fateor (inquies) hoc, quando sortes proiiciuntur à piis, sine fraude, cum inuocatione Dei, sicut in sorte Mathiæ, &c. Illas enim Deus moderatur, & de iis loquitur Salomon: Proinde certa est cognitio voluntatis diuinæ, quæ per illas sortes habetur. At de sortibus, quas impij proiiciunt, cum fraude, nunquid dicemus, eas quoque à Domino dirigi?

Responsio: Quasdam etiam impiorum à Domino temperatas fuisse, & earum iudicium fuisse à Domino, manifestum est ex capite primo Ionæ. Qui sortiebantur, certè idololatræ erant & impij; interim videmus, sortem cecidisse super eum, super quem debebat, nempe: super Ionam reum. Hic enim vnus erat ille, cuius causa venerat tempestas. Hoc autem quærebant scire nautæ per sortes: sciuerunt veritatem; fuerunt igitur à Domino directæ: & dictum Salomonis etiam in iis sortibus verum fuit: *sortes proiciuntur in sinum, at illarum iudicium à Domino est.*

Negari igitur non potest, quin Deus etiam aliquādo impiorum sortes moderetur. An verò semper, id posset verti in controuersiam. Quidam sentiunt, non eas temperari à Domino. Quare? Quia (inquiunt) non probat Deus actiones impiorum, neque tales sortes, quæ fiunt cum fraude, qualis fuit Temeni apud Pausaniam. Res ita habet. Non poterat conuenire de Messeniaca hæreditate inter Cresphontem & Aristodemi filios. Vocatus fuit Temenus, qui sorte litem dirimeret. Conuenerat autem inter eos, vt glebæ conficerentur è terra, & siccarentur, & proiicerentur in aquam: ac quorum glebas aqua colliquasset, ij cederent Messeniaca. Quid Temenus, qui fauebat Cresphonti? Fecit glebas. & Cresphontis siccauit ad ignem, ita vt non possent liquefieri facilè in aqua: at filiorum Aristodemi glebas siccabat ad solem, idque secretò & fraude. Coniectæ in aquam omnes: illæ Aristodemi filiorum mox liquefactæ fuerunt: ita coacti cedere Messeniaca. Hæ sortes cum fraude fuerunt.

Aliud exemplum. Quinque Principes Persidis occiderunt Magos, tanquam Tyrannos, postea pacti sunt de Regno, quis ipsorum quinque deberet esse Rex. Sorte egerunt hoc modo: vt certo die venirent in equis summo mane ad palatium Regis, cuius equus prior hinniret, is esset Rex. Famulus Darij Hystaspis pridie eius diei, quo venturi erant Principes ad Palatium Regis, eò duxit equam: deinde equum, in quo sessurus erat Dominus. Equus visâ equâ, exarsit amore eius. Manè cùm venit eo, memor equæ hinniit. Putant omnes hoc factum esse ex afflatu diuino. Pronunciatur igitur Rex. Nunquid dicemus, has & illas sortes Deum temperasse?

Resp. Ego non video, cur non possit dici Deus moderari etiam has impiorum sortes, ad eum finem, quē vult. Primò, sententia Salomonis est vniuersalis, Prouerb. 16. Secundò, si temperauit sortes nautarum impiorum: cur non etiam alias? Tertio, an non corda impiorum flectit quo vult, cur non etiam sortes? Quartò, conclusimus, Deum omnia regere, mouere, &c. cur non igitur etiam sortes?

At videretur probare impietates, & fraudes, quę in illis fiunt ab hominibus.

Responsio. Negatur illatio. Etiam corda impiorum flectit, quò vult: nec tamen sequitur, illum probare impietates illorum cordium. Facit etiam regnare hypocritam, propter peccata populi: nec tamen probat hypocrisin ipsius. Mittit Spiritum seductorem iis, qui non receperunt veritatem: nec tamen sequitur illum probare errores, mendacia, &c. Sua enim exercet iudicia iustissimè. Benè sequitur, Deum igitur probare & velle id, quod sorte contingit: & propter hūc effectum & finem moderari sortes, & vti fraude & impietate ipsorum. Proinde id etiam, quod succedit è sortibus impiorum, non possumus non dicere esse Dei voluntatem. Exemplum. Darius Hystaspes certè per fraudem factus est Rex: nū igitur non fuit Rex declaratus Dei voluntate? voluntate inquā illā occulta? Interim tamē fraudem non probauit, sed ea vsus est ad suam voluntatem perficiendam; Volebat enim vt Darius esset Rex. Stat igitur sententia, nihil certius quàm id quod alicui per sortem, illud ei contingere per Dei voluntatem: ac proinde omne iudiciū sortium, à Domino Deo esse. Semper distinguendum est malum. quod est in maligna actione, ab ipsa actione: & malum dandam est hominibus: Deus autem non est separandus ab actione.

Sequitur nunc partitio sortium.

Quidam sic, vt Thom. 2. 2. q. 95. art. 8. Aliæ sunt diuinatoriæ: aliæ diuisoriæ: aliæ consultoriæ.

Alij sic, vt Peucerus, de Diuinat. Aliæ sunt diuinæ: aliæ politicæ, seu humanæ, aliæ diuinatoriæ, seu Diabolicæ.

Ego sic partior. Aliæ illicitæ: aliç licitç.

Multas esse illicitas & damnatas, patet è scripturis in quibus damnantur sortilegia & diuinationes. Videatur etiam quę scribuntur in Decret. c. 26. q 5.

Non omnes verò damnari, sed quasdam esse licitas, & probari Deo, liquet ex locis, quos citaui supra. Leuit. 16. iubetur sacerdos sortem mittere super vtrumque hircum, vt inde liquescat, vter sacrificandus, & vter in desertum esset emittendus. Reliqua exempla vide supra. Vbi etiam consideretur dictum Augustini, suprà quoque citatum: [Sors non est aliquid mali: sed res est in dubitatione humana diuinam indicans voluntatem: imò est opus fidei, quia credimus illi Salomonis dicto, *Prouerb.* 16. Sortes mittuntur, &c.]

Quæ verò licitæ, & quæ illicitæ sint, à circumstantiis, quæ requiruntur in sortibus iaciendis liquescet.

I. Quis. A quo exspectatur euentus sortium? à solo Deo exspectandus est. Is enim est, qui eas moderatur: non Satan: non astra: non fortuna. *Prouerb.* 16. Sortes iaciuntur in sinum: à Domino autem iudicium earum. Ergo qui aliunde exspectat, quàm à Deo, peccat. Quarę

si à Diabolo: sortes illæ impiæ & Diabolicæ sunt. Si ab astris: quasi astra regant actiones humanas, quæ in sortibus iaciendis fiunt, etiam impiæ sunt & superstitiosæ. Si à fortuna vt Deo: impiæ quoque sunt. Item, Si à fortuna, vt à casu: vanæ & impiæ, quia contra verbum Dei. *Prouerb.16.* A Domino iudicium eius.

Et totum hoc est peccatum contra fidem de prouidentia Dei. Ergo si volumus, vt nostræ sortes sint gratæ Deo: semper earum euentum à Deo exspectemus: credamus id quod ait Salomon *Prou.16.* Sortes proiiciuntur in sinum, &c. & confirmemus nos in hac fide illo verbo: cecidit sors super Ionam. Sicut enim in electionibus ille ex alto mouet voluntates nostras, vt hoc vel illud eligamus: ita in sortibus ipse eas moderatur ex alto. Ideo vtrobique agnoscenda est voluntas Dei.

II. A rebus de quibus iaciuntur sortes. Dixi id cuius causa iaciuntur sortes esse voluntatem Dei, non illam reuelatam, sed arcanam: non de rebus quas ipse facturus est, sed quas vult à nobis fieri, non in futurum, sed iam. Deus autem non vult à nobis fieri, nisi quæ ad gloriam suam & ad salutem ac bonum iam proximi, quàm nostrum faciunt. Hinc propositio prima, sortes sunt iaciendæ de rebus à nobis in præsenti agendis, iisque consentaneis voluntati reuelatæ, ad gloriam Dei & bonũ nostrum ac proximi pertinentibus, à nobis autem, quomodo agendæ sint, ignoratis: & quæ etiam neque per verbum Dei, neque humana ratione sciri à nobis possunt.

Hæc propositio, tres qualitates rerum, de quibus iaciendæ sint sortes, continet.

Prima conditio est, vt sint de rebus agendis à nobis, non a Deo, vel aliis, idque in præsenti, non in futurum. Hoc patet in exemplis sortium in veteri & nouo Testamento. Leuit.16. Sors fuit proiecta super vtrumque hircum, vt scirent vtrum deberent offerre, & vtrum in desertum abigere Ita in omnibus aliis sortibus semper inuenies, fuisse de rebus agendis. Nam Iol.7. etiam in hunc finem voluerunt per sortes cognoscere, vt scirent, de quo sumi vellet Dominus supplicium. Ideo dixi, in sorte inuestigare nos voluntatem Dei, de rebus quas velit à nobis fieri.

Ergò illæ primò sunt illicitæ, quæ proiiciuntur, vt sciamus, quæ ad nullam actionem nostram pertinent, verbi gratia, quid factũ sit in Italia. Item illæ quę proiiciuntur, vt sciamus quæ facturus sit Deus, id est, futura Dei opera, verbi gratia, an daturus sit masculum, vel fœminam, idque faciunt multi proiecta pulli coxa in altum.

Item illæ, quæ proiiciuntur, vt sciamus quid facturus sit alias, v. g. Papa an moriturus sit intra annum, vel biennium.

Item quæ proiiciuntur, vt sciamus quid nos acturi aut passuri simus hic ad annum, &c. Omnes istæ sunt illicitæ, quia vanæ, imo contra verbum Dei. *Non est vestrum nosse tempora.* Act.1. Non debemus etiam nobis vsurpare quod est solius Dei, scire scilicet futura. Nam hoc est abuti sortibus in alium vsum, quàm Dominus eas instituerit.

Secunda conditio est, vt res illæ agendæ, de quibus sortimur, sint consentaneæ voluntati reuelatæ in scripturis, hoc est, vt directæ sint aut ad gloriam Dei, aut ad bonum & salutem nostram, vel proximi: sicut omnia, quæ præcipit agenda in scripturis, referuntur ad gloriam Dei vel ad salutem proximi. In omnibus enim actionibus nostris, semper fit syllogismus, cuius maior propositio sumẽda est ex volũtate reuelata in scripturis: altera ex re præsenti oblata. Exẽpla. Scriptura ait *Frange esurienti panẽ tuũ &c.* Hinc maiorem cõficimus. Esurienti frangendus est panis, & sic vult Deus, vt agã. Ait enim, Frãge esuriẽti, &c. Atqui hic homo mihi oblatus est esuriẽs: Et ego possum frangere panẽ. Ergo debeo huic frãgere panem. Sic in electione seniorum *Tit.1.* Constitue seniores, qui sint, &c. Illi semper eligendi sunt e multis ad Presbyteriũ, qui præ cæteris ornati sunt illis cõditionib. quas requirit Apostolus, Tit.1. Atqui isti quatuor aut sex sunt prę cæteris tales, &c. Ergo, &c. Ita videmus omnes res à nobis agendas, debere conformes esse verbo Dei.

Omnia autem quæ præcipit Deus, pertinere aut ad gloriam suam, aut ad salutem nostram & proximi patet. Oportet igitur, vt res, de quibus sortimur, faciant aut ad gloriam Dei, aut ad salutem nostram, vel proximi, eóque conformes sint scripturis. Exempla. Sic videmus, omnes sortes, quas legimus in scripturis, fuisse de rebus ad gloriam Dei, & ad salutem nostram, aut proximi attinentibus. Tales sunt sortes de Magistratibus eligendis.

Ergò primò, illæ sunt illicitæ & impiæ, quæ fiunt de rebus contra gloriam Dei, & contra proximi salutem, hoc est, contra verbum Dei. Exemplum. Ezech.21 Sortes Regis Babyloniæ, hoc est, Nebucadnezaris. Item, si qui latrones sortiantur, quinam debeant priùs aggredi viatorem.

Secundò, illæ vanæ sunt, quæ proiiciuntur de rebus vanis, nec ad gloriam Dei, nec ad salutem proximi facientibus, verbi gratiâ, vt qui micant digitis, vter debeat abstinere à cœna. Item, vter debeat soluere vinum. Nõ sunt quidem impiæ, quia nõ de rebus impiis: sed vanę, quia de vanis. Cùm enim scriptura dicat, Deum temperare sortes: quorsum in rebus vanis accersimus Deũ, vt sortes temperet? Nam etiamsi actu non inuoces, vt temperet: tamen reipsa sortibus cum inuocas, vt adsit. Hoc autem perinde est, atque si nomen Dei assumas in vanum. Ergo non debent proiici sortes, nisi de rebus ad gloriam Dei, & ad salutem, bonúmque vel nostrum, vel proximi pertinentibus.

Tertia conditio est, vt illæ res agendæ, quomodo agendæ sint, à nobis ignorentur, & quas aliâ ratione, quã per sortes nequimus agnoscere. Hic est enim finis sortium, vt sciamus diuinitus, quod humanã ratione sciri nequit. Ideo nautæ Ion.1. dicunt, Venite, iaciamus sortem, vt sciamus.

III. Vbi. Vbiuis locorum. Euangelium enim non statuit certa loca. In veteri Testamento soliti erant ante tabernaculum Domini, vel ante templum, cum precibus ad Dominum.

IV. Quibus auxiliis. Auxilio Dei, ideóque cum illius inuocatione. Nam is solus potest nostras sortes dirigere & felicem exitum illis dare. Sic omnes sancti in veteri Testamento, in omnibus suis sortibus fecerunt.

Ergo primò illæ impiæ, quæ fiunt cum inuocatione & auxilio Dæmonum. Secundo, illæ vero superstitiosæ, quæ cum sperato auxilio à stellis, fiunt. Tertiò, illæ vanæ, quæ sine vlla inuocatione nominis diuini fiunt, sed quæ in vanum, & casui committuntur, vt vulgo fit.

V. Cur? vt faciamus illa, quæ per sortes declarabantur, tanquam certam Dei voluntatem. Sic in omnibus sese gesserunt Patres, in hunc finem iecerunt, vt perficerent, quod sortibus Deus erat reuelaturus. Item, in gloriam Dei & pacem publicam, sicut in hæreditatum diuisione, & Magistratus electione.

Ergo primò illæ illicitæ sunt, quæ fiunt temerè & sine fine præfixo, qui sit obedientia voluntatis Dei, vt in multis ludis sortialibus fit.

Secundò, illæ quæ proiiciuntur, non vt obediamus, sed tantùm, vt sciamus.

Tertiò, quæ non diriguntur ad gloriam Dei, nec ad bonum publicum, ac pacem vrbis, vt qui ludunt tesseris in hunc finem, vt lucrum faciant, cum damno proximi.

VI. Quando: cùm necessitas vrget, & cogit nos vti sortibus. Quæ enim transigi & cognosci possunt sine sortibus, ibi abstinendum est ab illis. Est enim semper prius vtendum donis Dei verbóque eius. (Ies. 8. ad legem & testimonium) spiritu, ratione, antequam quærantur reuelationes à Deo per sortes. Ideo Magistratus in cognoscendis delictis occultis, vti debet testibus, quæstionibus, &c. Damnantur ergo, qui sine re, & sine necessitate sortiuntur.

At quomodo sciam, quando necesse sit sortiri?

Resp. Primò, quando illæ res cognitu sunt necessariæ: cognosci autem humanâ ratione non possunt. Exempla. In cognoscendo peccato Achan, & Ionathan, &c. oportebat punire peccatum, quo Dominus placaretur. Non poterat autem puniri, nisi cognosceretur: non poterat cognosci humanâ ratione, sed tantùm per reuelationem Dei. Tunc igitur licitum fuit, per sortes interrogare Deum, vt reuelaret. Aliud exemplum: In electione Matthiæ ignorabatur, vter illorum magis probaretur Deo. Deinde Apostoli erant immediatè eligendi, & mittendi à Deo. Exemplum Augustini de doctrina Christiana, de eleemosyna. Salus proximi poscit, vt detur eleemosyna: non potes vtrique: nescis vtri potiùs: ad sortes veniatur. Exemplum item ad

Hono-

Honoratum,epist.180.de Ministris,

Secundo, quando aliquid agendum est pro gloria Dei,& bono proximi,etiamsi scias, quomodo agendum sit, tamen non potes alia via declinare inuidiam & rixas,quàm si vtaris sortibus: tunc vtendum est sortibus. Exemplum:vt in diuisionibus hæreditatum.Huc illud Prouer.18. Vt in eligendis Magistratibus. Sic 1.Reg.10. Samuel in eligendo Rege.

VII. De modo,quomodo iaciendæ sunt sortes?Duo sunt modi, interne & externe. Interne, requiritur primò fides de prouidentia Dei, quòd scilicet nihil contingat nobis, quod non à prouidentia Dei proficiscatur, ac proinde, quod non faciat ad gloriam Dei. Quamobrem promtis animis accedere debemus ad sortes, vt quicquid contingit, illud de manu Domini accipiamus, & contenti simus illius voluntate. Secundò,fiducia in promissionibus, quibus promisit, se exauditurum nos in omnibus,quæ petamus iuxta eius voluntatem,id est, quæ faciant ad gloriam suã,salutẽ nostram & proximi, ac proinde certi,quod patefaciet per sortes voluntatem suam nobis occultam. Tertiò, hinc inuocatio nominis Dei,vt,quæ decreuit, velit per sortes istas reuelare. Vide orationem Apostolorum Act. 1. Absit igitur inuocatio vel dæmonum, vt gentes faciebant, vel demortuorum, vt Papistæ faciunt. Externe, primò cum reuerentia,&religiose.Nam ante conspectum Dei accedimus. Non igitur irreuerenter vt vulgus, quasi res sit casualis vel humana.Secundò,absit superstitio omnis,vt cruces, &c. Tertiò, ipsa etiam actio sit grauis,honesta, & signa honesta.Quartò,fiant cum sinceritate,sine fraude.



HISTORICA RELATIO

OMNIVM EORVM, QVÆ OLIM ARGENTINÆ ANTE ANNOS PLVS MINVS XLVI. PARTIM in Concilio Thomensi,partim in Senatu,partim etiam coram Arbitris, in controuersia illa, quæ fuit inter D Zanchium, & D.Ioh. Marbachium, ab vtraque parte vltrò citróque dicta,scripta,& agitata fuerunt, ex Actis fideliter collecta, & in certa distincta.

Quandoquidem dissidium illud,quod inter vtrũque Theologum fuit,in primo Miscellaneorũ D. Zanchij tomo,in Epistola dedicatoria ad Philippum Landgrauium Seniorem,beatæ memoriæ,paucis tantùm perstringitur: visum fuit filiis & hæredib.ipsius, de consilio amicorum, non paruæ autoritatis virorum, integram totius huius controuersiæ historiam,cum omnibus Actis,huic secundo Miscellaneorum tomo inserere,vt maior habeatur fides iis, quæ in primo tomo tantùm breuiter attinguntur.

CAPVT PRIMVM.

Summaria expositio totius huius controuersiæ,de ortu & progressu illius.

Anno 61. 3. Martij.



TERTIA die, Anni LXI. cùm propter certas causas frequentissimum erat capitulum , & iam confectis negotiis vellet discedere . Dominus Christianus Herlinus, in capitulo proposuit, se magno dolore percepisse, inter duas præcipuas capituli personas , grauem ortam esse controuersiam. Itaque se primùm ab illis petere, vt non grauentur causas suæ controuersiæ , capitulo exponere : deinde à capitulo , vt suam interponat autoritatem , & quantum fieri possit , hoc dissidium studeat componere. Nam & grauem , déque re grauissima , esse controuersiam , & iam etiam non amplius intra priuatos parietes agitari, sed etiam ad plurimos alios peruenisse.Præterea pertinere hoc non solùm ad capituli officium , eò quòd legem habeat , de eiusmodi controuersiis inter personas collegij obortis , cõponendis : sed etiam honestatem capituli hoc requirere, nimirum, vt non patiatur, inter suos simultates aliquas aut controuersias locum habere.

Ad hæc postulata D.Herlini primo loco respondit D. Marbachius vera quidem esse ea , quæ iam proposita sint: sed tamen, quia præter exspectationem acciderit, vt hæc proponerentur,& ipse propterea non præmeditatus venerit,ideò petere se, alio tempore ad ista postulata D.Herlini respondere sibi vt liceat,neque sibi graue esse affirmauit,capitulo totum negotium exponere.

Secundo loco D.Zanchius respõdit: ac primò, gratias egit D. Herlino propter officium illud pietatis ab eo præstitum : deinde paratum se esse dixit , quocunque tempore,capitulo negotiũ suum exponere. imò totũ illud eidem committere.Ad hæc volebat plura alia dicere : sed quia & tempus , & res ipsa non ferebat tùm ampliorem cognitionem: ideò D.Præpositus singulorũ sententias rogauit,quid in hac causa faciendũ esse iudicet.

Ibi omnes laudarunt D. Herlini studium , & singuli operam suam promiserunt in componendo isto dissidio:gratias etiam egerunt vtrique,quod in hac re se faciles præberent.

Sequenti die, qui fuit quartus Martij, D. Præpositus commemorauit dolorem suum , quem ex hoc dissidio perceperit,& quantum malum, nisi componatur, ex ea re & Ecclesiæ & Scholæ impendeat : Itaque rogare se vehementer,vt omnes sibi hoc negotium curæ esse velint, & in eo elaborare , vt quàm commodissimã ratione , tota controuersia possit componi. Postea singulorum sententiis rogatis,visum fuit capitulo,duos mittendos esse ad vtrumque,ad D.Decanum & ad D.Zanchium , & duo ista ipsis esse proponenda. I. Capitulum vtrumque rogare , vt non grauetur alter in alterius præsentia suam causam exponere capitulo : hanc enim & facilimam & breuissimam viam fore , nec posse esse meliorem. Deinde,vt vterque suam causam personis capituli componendam velit committere, non quidem vt iudicibus, sed tanquam arbitris. Rationes huius decreti tres fuerunt allatæ : Prima, quia est viri boni, & Christiani hominis omni postulanti rationem suæ fidei reddere , maximè verò hoc eorum est, 4. Martij.

qui & nomine & professione se vel ministros verbi Dei, vel Theologos nominari volunt. Altera, quia capitulum legem habet, in quam omnes iurarunt, quæ lex iubet, controuersias inter personas capituli exortas componere. Tertia, quia non est res noua. Nam hoc etiam anteà à summis viris factum est, & quidem in hoc ipso quoque loco. Notum enim esse exemplum D. Buceri Decani, & Velsij professoris.

5. Mart. Quinto die Martij, auditæ sunt responsiones D. Decani, & D. Zanchij, ad postulata præcedentis capituli.

D. Decanus respondit, se paratum esse capitulo totam controuersiam, quam cum D. Zanchio habet, exponere; Sed tria petere à capitulo. Primo, vt sibi liceat non in præsentia D. Zanchij suā causam exponere, ne ex mutuo conruitu animus dicentis aliorsum rapi possit. Secundo, vt secundo loco dicere possit. Tertiò, vt alteri parti solum præcipua capita narrationis indicentur, ea nimirum quæ ad ipsam causam sint necessaria: Reliqua verò si quæ fuerint πάρεργα, reticeantur, vtpote quæ ad pacificationem non sint futura vtilia.

D. Zanchius respondit, sibi vehementer placere studium capituli in componendo dissidio, & paratum se esse, omne negotium bona fide capitulo exponere: sed tamen se petere, vt neuter seorsim, sed alter in alterius præsentia causam suam capitulo exponat.

His auditis rogatæ sunt sententiæ: placuit capitulo quoniam D. Decanus cupiat, absente D. Zanchio, causam suam capitulo exponere, & quia ipsi capitulū promisit, quod dignitatis ipsius rationem habere vellet, & vt ne conqueri possit, & spectare aliò placuit, vt vterque seorsim audiatur. Sed quia D. Decanus sit actor, & D. Zanchium accuset, ideò ipse primo loco dicat. Hunc enim esse ordiné naturalem, qui in omnibus causis obseruetur, vt Actori primæ partes, secundæ autem Reo dentur. Hanc capituli sententiam duo delecti ad vtrumque retulerunt.

6. Mart. Sexto die Martij, D. Decanus sequentem habuit orationem, quam vbi absoluisset, ex scripto recitauit propositiones, quas dicebat, D. Zāchium de prædestinatione auditoribus suis proposuisse. Prætereà quinque postulata recitauit quæ dicebat se D. Zanchio coram Dominis Scholarchis proposuisse, ad quæ si velit affirmatiuè respondere, iam omnem controuersiam inter ipsos fore sublatam.

Pertinet huc oratio D. Decani. & vtrumque scriptū: quorum alterum continet propositiones D. Zanchij, alterum D. Decani postulata.

His peractis D. Decanus discessit. Posteà rogatæ fuerunt sententiæ: Placuit capitulo vt quemadmodum auditus iam sit D. Decanus, ita etiam audiendum esse D. Zanchium. Deinde postulata illa quinque D. Decani exhibenda esse D. Zanchio vnà cum propositionibus, eique dicendum, vt ad ea, scripto respondeat.

7. Mart. Septimo die Martii D. Præpositus in præsentia D. Zāchii breuiter repetiit ea quæ prolixè D. Decanus in oratione sua præcedenti die narrauerat. Posteà hortatus est D. Zanchium, vt similiter capitulo suam causam bona fide exponere velit.

Cœpit ergo illo die narrare D. Zanchius, & quidem memoriter, non ex scripto, quam narrationem posteà 8.
8. Mart. die Martii, absoluit. Absoluta narratione, ex scripto recitauit epilogum suæ orationis.

Pertinet huc oratio D. Zanchii.

Recitato Epilogo, subiecit D. Zanchius, Clariss. viri, Reuerendi collegæ, audiuistis me hactenus causam meam narrantem. Peto igitur iam, vt mihi postulata illa quinque D. Decani, vna cū propositionibus, quas vobis recitauit, dare velitis. Deinde vt statuatis quid de tribus illis quæstionibus, quas initio proposui, sentiendum sit, quarum prima est de pace violata, quæ iam diu inter nos fuit, vter autor illius violationis fuerit: altera, vtrum nouam doctrinam in hanc Scholam inuexerim: tertia, vtrum impia docuerim, & an omnia, quæ mihi obiiciuntur, quod in Schola dixerim, ita à me sint dicta. Duæ hæ postremæ quæstiones ex collatione meæ doctrinæ facilè poterunt cognosci. Ego libenter velim, vt de ea re haberetur disputatio in Schola. Ibi enim medicamentum admouendum est, vbi factum est vulnus. Est autem in Schola vulnus factum. Ergo in Schola quoque esset medicamentum hoc adhibendum.

Egresso D. Zanchio, D. Præpositus dixit: Carissimi fratres & collegæ, Ego existimo rē, quæ inter duos collegas nostros agitatur, esse grauissimam, & propterea nobis diligenter & serio esse agendam. Prætereà existimo, vtrumque debere hic coram capitulo, sua explicare, & demonstrare argumentis: probare sua, aduersarij refutare. Hæc enim requiruntur in omni vera & perfecta disquisitione. Neque enim sumus adeò imperiti, & ignari rerum, qui non possimus de his rebus iudicare, & videre, vter habeat meliora argumenta, distinguere vera à falsis, probabilia à necessariis, dicta Patrum à dictis Euangelij. Neque volumus esse iudices in hac causa, sed domestici arbitri & quantum fieri potest compositores. Consultissimum esset, si voce agerent: attamen si nolint hoc facere, agant scriptis: alter alterius argumenta refutet.

Rogatæ sunt sententiæ: Placuit capitulo I. D. Zanchio exhibenda esse postulata D. Decani, vnà cum propositionibus quas ex lectionibus D. Zanchij collegerat. II. Petendum esse à D. Zanchio epilogum suæ narrationis. III. Petenda esse à D. Decano quæ habet aduersus D. Zanchium de fine sæculi. IIII. Indicandum esse D. Decano, vt ipse, vel alius, quicunque lectionem Theologicam ex parte altera sit habiturus, moderatè id faciat, sine vlla insectatione alterius, vt hac ratione non maiores turbę exoriantur. Hæc indicata sunt D. Decano.

Decimo Martij, allatum est responsum D. Decani ad 10 Mart.
decreta superioris capituli, quod tale fuit. Sibi placere, D. Zanchio exhibita esse postulata & propositiones: sed mirari se, quare D. Zanchius in prolixa sua narratione non respōderit ad quinque illa postulata, præsertim cùm eadem ei antea non semel fuerint proposita. Deinde se non habere conscripta ordine, ea quæ de fine sæculi in lectione dixerit: posse tamen ipsum D. Zanchium facile scire, quæ præcipua capita sint, quæ ipse improbet, videlicet hæc tria. I. Quòd dixit, Turcam debere adhuc ante finem mundi, totum occidentem occupare. II. Venturum ante finem mundi adhuc alium & pessimum Antichristum, qui etiam in propria persona miracula sit editurus. III. Insignem adhuc ante finem mundi & generalem fore Iudæorum ad Christum conuersionem. Quòd vero Capitulum moderationem in docendo ab ipso postulet, promisit se eâ modestiâ vsurum in docendo, vt neminem sit offensurus, & nemo de ipso iurè conqueri possit. Postremò, se vehementer petere à capitulo narrationem illā, quam D. Zanchius habuit: omninò enim sibi necesse esse, ad illam respondere.

Cùm auditum esset responsum D. Decani, D. Prępositus subiecit: quoniam D. Decanus dicit, se non habere conscriptas lectiones D. Zanchij de fine sæculi, non existimo, nimiū illas ab eo esse vrgendas. Indicauit enim præcipua capita, quæ sibi in illis displiceant. poterit D. Zanchius ex iis facilè colligere, quid in controuersiam veniat. Quòd vero D. Decanus petit D. Zanchij narrationem, diligenter hic deliberandum est, quid sit faciendum. Ego iudico, capitulum nihil certi adhuc in ea re posse statuere. Consultius certè esset, ad euitandam moram, & ad controuersiæ compositionem, neutri alterius orationem dare, vt hac ratione tādem ad ipsam rem perueniretur. Si D. Decano demus orationem D. Zanchij, certè etiam D. Zanchio danda erit D. Decani oratio. Vtriusque oratio fuit prolixa. Si refutare voluerint, orietur noua prolixitas: & sic tarde ad causam ipsam veniemus. Antequam tamen capitulum hac in re aliquid statuat, ego existimo, vtriusque orationem esse describendam, & vtrique exhibendam, vt eam recognoscat, & videat, vtrum omnia illa sic à se dicta esse, velit agnoscere. Neutrum enim volumus in suis verbis captum esse: poterunt illis addere vel demere, quod ipsis visum fuerit.

Hæc & similia, vbi D. Præpositus dixisset, vocatus fuit D. Zanchius. Dixit ei, vbi ingressus fuisset, D. Præpositus: D. Zanchi, postulasti superioribus diebus à capitulo, vt à D. Decano peteremus lectiones illas de fine sæculi, quas illius conuictores, te dictante, collegerunt: factum est hoc: sed respondit D. Decanus, se illas lectiones non habere exscriptas: indicauit tamen præcipua capita, quæ ipsi displicuerunt, quorum hæc tria sunt. Primum, Quòd dixisti, Turcam, ante finem mundi, occupaturum totum occidentē. Secundū, Alium venturum Antichristum, qui etiam in propria persona

editu-

editurus sit miracula. Tertium, Ante finem mundi fore adhuc insignem Iudæorum conuersionem.

Ad hæc respondit D. Zanchius: verum esse, se illa in lectionibus suis partim dixisse, & petere, vt D. Decanus rogetur, vtrum illa omnia improbet, aut alia quædam habeat quæ improbet, vt illa quoque adiiciat. Deinde dixit, se paratam responsionem ad postulata D. Decani & breui allaturum. Tertio dixit se legisse propositiones exhibitas sibi à D. Decano, agnoscere se, quod in Schola illas tradiderit: sed tamen quædam esse in illis omissa. Petiit ergo, vt liceat sibi illas corrigere, & deinde sic correctas capitulo exhibere.

Rogatæ sunt sententiæ. Concessum ei fuit, propositiones corrigere. Deinde decretum fuit, D. Decanũ quoque debere suas lectiones, quas aduersus D. Zanchium habuit, descriptas & correctas capitulo offerre. Hoc decretum duo de capitulo, D. Decano indicarunt.

11. Mart. Vndecima Martij, primo auditum est responsum D. Decani ad decretum superioris Capituli. Valde aiebat sibi placere, sua postulata D. Zanchio à capitulo fuisse exhibita. Deinde se curaturum suas lectiones, quas postremo in Schola habuit, exscribi, & deinde capitulo offerri.

Hanc responsionem D. Præpositus D. Zanchio indicauit, & rogauit ex eo, num velit aliquid his adiicere. D. Zanchius rursus petiit lectiones D. Decani de fine sæculi. Postea exhibuit propositiones suas emendatas capitulo. In prima propositione, vbi est vocabulum Præscientiæ, adiecit: Ego verò hanc etiam voco prædestinationem. Ita enim *inquit*, etiam loquitur Augustinus, Bucerus & alij. *In quarta propositione, vbi dicitur Spiritum sanctum amittere, adiecit*: Etsi locutio sic indefinita, vera est: tamen maioris explicationis gratia, ego solitus sum addere protsus penitus, vel omnino aut in totum amittere, excutere, perdere: & exēplo à me allato de igne sub cineribus latente, tē solitus sum perspicuã reddere. Etsi forte non fuit factum in iis proximis lectionibus, iã fecisse. si tractationẽ meã absoluere mihi licuisset. In quinta propositione, vbi dicitur, Fidem iis excutere non possunt: inquit, addendum est Prorsus ac Penitus, *deinde* propter promissionem diuinam & Christi precationem Deo in illis eam conseruante Nam quantum in ipsis est, eam excutiunt. In sexta propositione, vbi dicitur, interpretatur particulariter: adiecit, *hoc non est particulariter, sed vniuersaliter, quod ad omnes electos pertineant.*

Cum ergo D. Zanchius propositiones sic emendatas capitulo exhibuisset, dixit, Ego iam cupio scire à D. Decano, vtrum ista omnia improbet, an verò partem aliquam. & vt hoc mihi indicetur, vt ad ea possim respõdere. Deinde Capitulo dedit capita suæ orationis quam primò habuerat. Præterea Capitulo dedit doctrinam suam de Eucharistia, de Perseuerantia sanctorũ in fide, de fine sæculi: ac petiit, vt illa omnia D. Decano exhibeantur, & vt ad ea respondeat, quæ sibi placeant, quæ verò displiceant: & vt ad ea, quæ improbat, adferat rationes. Non enim satis esse aliquid improbare aut reiicere, si non simul etiam adferantur argumenta seu rationes. Dixit quoque D. Zanchius se parasse etiam responsionem ad alia postulata D. Decani, sed tamen se promisisse, quod velit Dominis Scholarchis illam dare: nihilominus si Capitulo placeat & dominis Scholarchis nihil fit inde de autoritate illorum detractum, se quoque Capitulo illã responsionem libenter daturum.

Respondit D. Præpositus: Nos ab initio, cum causa hæc in Capitulo proponeretur, protestati sumus, nos in hac causa nihil velle statuere, non velle esse iudices, sed arbitros: suscipimus causam cognoscendam, dominis Scholarchis non ignorantibus: peruenimus huc vsque, illis non prohibentibus aut impedientibus. Itaque existimare Capitulum, dominos Scholarchas non ægrè laturos, si D. Zanchius suam responsionem ad capita *D. Decani* etiam Capitulo offerat.

Postea D. Zanchius petiit à Capitulo, vt cum D. Decano agat, ne ordinem causæ inuertat, se esse reum, ergo secundas partes sibi deberi: D. Decanum esse actorem, debere ergo primo loco refutare sua, & rationes, cur improbet, afferre: deinde sibi illa omnia esse danda, vt ad ea possit respondere.

His peractis, Capitulum à D. Zanchio accepit scripta illa, de Eucharistia, de Perseuerantia Sanctorum, de fine sæculi. Deinde rogatis sententiis, placuit Capitulo. Primùm, ordine esse agendum, ne ex reo, cui secundæ partes debentur, fiat Actor: hoc est, ne D. Zanchius cogatur priore loco agere. Alterum propositiones D. Zanchij correctas exhibendas esse D. Decano, & ab eo petendũ, vt indicet, vtrũ omnes improbet, an verò partẽ aliquam, simul etiam rationes adferat, cur hoc probet, illud verò non probet. Hoc decretum Capituli per duos ad D. Decanum fuit relatum, qui duo D. Decano etiam dederunt capita orationis D. Zanchij, scriptum de Eucharistia, & fine sæculi, eiusdem, & propositiones D. Zanchij correctas.

Decimatertia Martij responsum *D. Decani* ad superioris Capituli decretum fuit allatum, nimirum, Placere sibi ea quæ Capitulum decreuerit. Deinde, postulare se prolixam D. Zanchij narrationem, & quidem vehementer & serio hoc à Capitulo petere. Nam necesse esse, vt ad eam prius respondeat. Tertio, se non multum curare ea, quæ D. Zanchius de fine sæculi dixerit. Non enim esse illa præcipuum caput, de quo iam inter ipsos agatur. 13. Mart.

Auditã istã D. Decani responsione, D. Præpositus primò laudauit vtriusque egregiam voluntatem, quod vterque paratus esset ad respondendum & reddendam rationem. Deinde duo ait sibi displicere: Primùm, controuersiam illam quotidie magis atque magis diuulgari: vtrumque admonendũ esse sui officij, suæ fidei, suæ existimationis. Alterum, quòd D. Decanus adeo vehementer cupiat habere D. Zãchij orationem. Hoc enim nõ fore ad causæ vtilitatem, aut celeriorem expeditionem. Etenim si velit D. Decanus ad totam orationem respondere, fore illam respõsionem prolixam, propterea quod oratio sit prolixa. Deinde, si hoc fiat, necesse etiam esse, vt D. Zanchio detur D. Decani oratio, & ei etiam concedatur ad eam respondere: & hac ratione nũquam aut serò tandem ad ipsam causam fore accessum. Atque istud Capitulum eo honestiori ratione posse postulare à D. Decano, quod ipsemet de principio postularit, capita tantùm alterius orationis esse communicanda non autem orationem totam, compositionis & concordiæ causa.

Rogatæ sunt sententiæ, decretum fuit: Etsi propter multas causas non vtile sit ad præsens negotium, orationes illas alterutri parti communicare: tamen quoniam D. Decanus ita vrgeat, & à Capitulo adeò vehementer flagitet D. Zanchii orationem, ideò vtramque esse describendam, & priùs antequam quicquid aliud in ea re decernatur, vtrique suam oratiõe esse dandã, quo eam relegere possit, & deinceps eam pro sua agnoscere. Deinde placuit Capitulo, vtrumque admonendũ esse ne ea, quæ vtrinque aguntur velint diuulgare. Tertiò, D. Decano exhibenda esse tria illa capita de fine sæculi à D. Zanchio in lectionibus suis proposita: & ab eo rogandum, vtrùm hæc omnia sint quæ improbet, quod ad locum illum de fine sæculi attinet: an vero plura habeat, quæ sibi in ista materia in D. Zanchio displiceant. Hoc decretum Capituli, duo ad D. Decanum retulerunt.

Decimaoctaua Martii, D. Præpositus breuiter repetiit omnia quæ à Capitulo inter vtrũque acta essent: hortatus est etiam omnes, vt diligenter velint negotiũ hoc agere, ita vt neutra pars possit conqueri, factam sibi esse iniuriam, & vt Acta illa possint cuilibet petenti ostendi: Hoc enim pertinere ad honorẽ & existimationẽ capituli. Postea indicauit vtriusq. D. Decani & D. Zanchij petitiones: & D. Decani petere omnia ea quæ Zanchius exhibuerit Capitulo, item eius orationẽ, vt eò commodius ad singula possit respondere D. Zanchium verò petere vt ordine agatur, vt D. Decanus ad argumenta eius respõdeat, eaq. refutet: deinde, vt sibi liceat ad illas refutationes respondere. Tertiò, vt Capitulũ vtriusque respõsiones & refutationes cognoscat, & sic de iis iudicet. 18. Mart.

Rogatæ sunt sententiæ: placuit Capitulo, ordinẽ non esse inuertendum: causam non posse meliùs cognosci, nisi vtrinq. audiantur responsiones ac refutationes: D. Decanum debere ad propositiones & argumenta D. Zãchii respõdere, & cur hoc probet, illud improbet, rationes adferre: ad quas deinde D. Zanchio sit respondendum.

Hic tandem D. Gloccerus & D. Flinnerus rogati, dixerunt se in hac causa esse partiales: doctrinam D. Zanchii scatere erroribus: ideò se nihil velle amplius in hac causa Capitulo præscribere, aut aliquid in posterũ statuere: D. Decanum hanc causam cum consensu omnium ministrorũ aduersus D. Zanchiũ suscepisse, ideóq;

nihil velle se ampliùs sine communi illorum consilio in hac causa agere.

D.Præpositus respondit: Verũ quidem esse, D.Decanũ ab initio dixisse, se omnia communi reliquorum ministrorum consilio in hac causa agere: sed tamen non solùm D.Decanum, sed ipsos quoque D. Flinnerum & D. Gloccerum, Capitulo esse coniunctos, & iurasse leges Capituli, quas domini Scholarchæ comprobarunt, inter quas etiam lex est de componendis controuersiis inter personas Capituli obortis. Præterea, esse etiam causam hanc non solùm publicam, vt ipsi dicunt: sed etiam priuatam & personalem: Agi enim de honore & existimatione collegæ, viri docti, qui accusetur grauissimè. Itaque causam hanc ad ipsos quoque tãquam ad collegas pertinere. Etenim si D. Zanchius sit hæreticus & talis, qualem D. Decanus accuset, non eum ferendum esse in ista societate: imò si sit hæreticus, nõ dignũ eum esse, vt quisquã cibũ cũ eo capiat. Nec minus etiã agi de existimatione & honore D.Decani qui cũ grauissime accuset, ac propterea etiã teneatur ista probare. Itaque hanc causam non minùs ad ipsos, quàm ad cæteras personas Capituli pertinere. Decretum hoc, nimirum D.Decanum non debere ordinem inuertere, fuit eidẽ D.Decano indicatum. Decretum etiam fuit, vt vtrique sua narratio detur legenda, & vbi vterque legerit, & pro sua agnouerit, ab eodẽ repetatur, & vtrinque cõmunicetur.

21. & 22. Martij. Vigesima prima Martij & vigesima secunda eiusdem mensis: D.Decanus ex scripto recitauit suam respõsionem ad XVIII capita epilogi orationis D.Zanchij: præterea lectiones suas, quas habuit de prædestinatione.

Huc pertinet responsio D. Decani ad Epilogum orationis D Zanchij: item lectiones, quas huic responsioni D. Decanus inseruit.

Quibus omnibus recitatis, subiecit D. Decanus. Audiuistis clariss. viri, reuerendi collegæ, responsionem meam ad capita orationis D. Zanchij. Sed quia mihi eius tota oratio nondum ad manus fuit, sed primùm mihi est data, non potui ad eam totam respondere; quoniã autem in ea deprehendo adhuc multiplicia alia mendacia, ideò non possum præterire, quin ad ea omnia Capitulo respondeam.

His absolutis, D. Decanus discessit. Digresso D. Decano, dixit D. Præpositus videtis cariss. collegæ, id iam accidisse quod semper metuimus. Primò placuerat capitulo, neutri alterius dare orationem ad vitandam moram & mutuas criminationes Quia verò ita D. Decanus flagitauit, & quasi extorsit à Capitulo D Zanchii orationem, ideò Capitulum morem ei gessit: & primũ capita Epilogi narrationis D. Zanchii ei communicauit, ad quam iam respondit D. Decanus. Audiuistis in ea multas criminationes & grauiss. accusationes. Quæro ergo iam ex vobis quid putetis agendum esse.

Rogatæ sunt sententiæ: Placuit Capitulo, I. Hanc responsionem D. Decani ab eo esse postulandam, vt referatur inter Acta Capituli eandem autem D. Zanchio propter plurimas criminationes non dandam esse. II. Capitulum D. Decano etiam concedere, quoniam ita velit, vt ad totam orationem D. Zanchii respondeat. III. D. Decano etiam scriptum D. Zanchii de perseuerantia sanctorum, offerendum esse, vt ad illud respondeat, & argumenta D. Zanchii refutet. IIII. Petendum esse à D. Zanchio vt si aliquid ad orationem D. Decani respondere velit, illud faciat.

28. Martij. Vigesima octaua Martii, D. Zanchius ex scripto recitauit suam responsionem ad orationem D. Decani, dixitque se exemplo D. Decani id facere: alioqui se non scriptis constituisse agere.

Pertinet huc D. Zanchii responsio ad orationem D. Decani. Recitata responsione, subiecit D. Zanchius: Clariss. viri, reuerendi collegæ, audiuistis meam responsionem, quam rogo boni consulatis: Si liberiùs respõdi, rogo, ne ægrè feratis. Causa enim ita postulare videbatur: quia grauissimè non solùm apud Dominos Scholarchas, sed etiam passim apud alios in vrbe traducor, quasi impia doceam, ac nolim consentienter cum ministris huius Ecclesiæ docere. Itaque ego postulo, primùm, vt mihi D. Marbachius præscribat certam aliquam formam doctrinæ, cui debeam consentienter docere. Deinde vt meæ propositiones, quas vobis hic offero, D. Decano dentur, vt eas perlegat: & tantùm mihi indicet, quid in iis probet vel improbet: ea quæ improbauerit, vt eum postea erit probare. Tertiò, vt mihi restituat lectiones illas, quas contra perseuerantiam ipse in Schola habuit, & ego describẽdas curaui, eique obtuli legendas, vtrum pro suis velit agnoscere. Quartò, vt omnia argumenta, quæ in Schola & hoc capitulo aduersum me protulit, mihi communicet, vt ad ea possim respondere. Propositiones autem quas D Zanchius obtulit, fuerunt sequentes.

Pertinent huc 14. illæ propositiones D. Zanchij.

Cùm D. Zanchius [illegible] modum auditus esset, D. Præpositus subiecit: Cariss. collegæ, Audiuistis iam D. Zanchij responsionem ad narrationem D. Decani. Certè ego velim tandem finem fieri harum narrationum. Multa in illis sunt, quæ ad nostram compositionem nõ pertinent. Nos enim tantùm de doctrina quæsiuimus. Proxima D Decani responsio, fuit valde acris, continet multas & grauiss. accusationes: quod si ea detur D.Zanchio, necesse erit, vt ad omnia ista respondeat, & se purget: ita res tandem extrahetur ad infinitum, & nũquam ad ipsam causam peruenietur. Audiuistis præterea D. Zanchij postulata: cupio ergo à vobis audire, quid vobis videatur faciendum esse.

Rogatis sententiis responsum fuit D.Zanchio: Capitulum iudicare, pro hoc tempore non esse necessarium, petere à D.Decano, vt certam ei formam doctrinæ præscribat, iuxta quam debeat docere: esse quidem hoc D. Decano indicandum: sed tamen capitulum hoc iam non exigere, ne mora longior incidat. Deinde capitulũ velle D.Decano propositiones, quas exhibuit dare, & ab eo petere, vt tantùm notet quid in iis improbet. Tertiò, capitulum velle lectiones illas à D.Decano repetere, & si reddiderit, ei quamprimùm restituere. Postremò capitulum non velle ei omnia iam dare, quæ D.Decano coram capitulo dicta & recitata sunt, sed tantùm ea, quæ videbuntur ad præsentem causam esse necessaria, hoc est, lectiones duas, quas D.Decanus suis responsionibus quoque inseruit.

Respondit D. Zanchius, se capituli decreto contentum esse, & adiecit: Quoniam ego ignoro, quid D. Decanus in sua responsione dixerit: & placet capitulo, pro hoc tempore ista retinere & mihi non dare vt ad ea respondere possim: ideò si D.Decanus aliquid contra me, aut meam doctrinam dixit, protestor illa omnia esse falsissima.

His peractis, duo de capitulo missi sunt ad D. Decanum, qui tria apud ipsum agerent. Primò, offerrent ei D. Zanchij propositiones, & peterent nomine capituli, quid in iis improbet, vt tantùm annotaret. Deinde, vt indicent, D Zanchium petere certam ab eo formulam doctrinæ, iuxta quam ipsum oporteat docere: sed tamen capitulum pro hoc tempore illam formam non exigere Tertiò, vt peterent lectiones, quas D.Zanchius ei relegendas exhibuerat.

Trigesima prima Martij, audita est responsio D. Decani ad tria superioris capituli postulata, quæ talis fuit. 31. Martij.
Ad primum dixerat, se non agnoscere D.Zanchium suũ Dominum aut superiorem, qui ei quidquam debeat præscribere aut imperare. Itaque se, quod ad hoc postularum attinet, nihil neque affirmare, neque recusare. Quod ad alterum attinet, dixit non opus esse, vt noua forma doctrinæ D. Zanchio præscribatur, iuxta quam debeat docere: habere ipsum confessionem Augustanam, cui ipse se suo chirographo corã Dominis Scholarchis adstrinxerit. Quod verò ad tertium attinet: respondit, se lectiones suas, quas in Schola habuit, in capitulo bona fide recitasse, & postea capitulo communicasse, vt eas à capitulo accipiat, nolle se etiam eas relegere, quas ipsemet curauerit describi. Nihil enim se in iis, quas capitulo recitauit, immutasse.

Auditã hac D.Decani responsione, D.Præpositus cõquestus est, nudas propositiones D. Zanchij diuulgari, ideòque sibi placere, vt moneatur D.Decanus, ne alicui temerè propositiones D. Zanchij communicet legendas, nondum enim esse ab ipso explicatas.

Rogatis singulorum sententiis, capitulo visum fuit, D.Decanum de tribus rebus esse admonendum. I. Ne diuulget illas propositiones, quas capitulum proximè ei dederit. II. Vt, si velit ad reliquam partem orationis D. Zanchij respondere, illud quamprimùm faciat, quo tandem narrationibus finitis, ad causam ipsam possit perueniri. III. Vt argumenta D. Zanchij refutet.

Missi sunt duo de capitulo, qui hanc mentem capituli, D. Decano referrent.

Respondit D. Decanus ad primum, se propositiones illas

illas dedisse D. Melchiori Speccero legendas & examinandas: vtrum verò ipse alij dederit, sibi non constare. Ad alterum respondit, se iam parare responsiones ad reliquam partem orationis D. Zanchij. Ad tertium dixit, se manere in priori sententia, non velle, vt à D. Zanchio amplius ei quicquam præscribatur. Non enim se illum amplius habere pro amico, aut collega.

2. & 3. April. Secunda die Aprilis & sequenti die, D. Decanus ex scripto recitauit responsionem alteram ad orationem D. Zanchij.

Huc pertinet responsio D. Decani ad orationem D. Zanchij.

Cùm hæc D. Decanus ita recitasset, dixit: Clarif. viri, reuerendi collegæ: Quoniam propositum est à D. Herlino, & deinde a capitulo à me peritum, audire quæ sit inter me D. Zanchium dissensio, volui ista hactenus in gratiam capituli vobis meis collegis recensere. Quia autem, sicut ab initio dixi, non agitur priuata inter nos, sed publica causa, quæ non solùm ad meos quoque Cōsymmistas pertinet, sed etiam ad Magistratum: ideò cōstitui, nihil ampliùs cum D. Zanchio coram capitulo agere, sed negotium hoc totum, primùm ad Ecclesiasticum conuētum referre: deinde ad Magistratum, ad quē etiam præcipuè totum hoc negotiū pertinet. Hoc autem cur faciam, quatuor habeo causas, quæ me monēt.

Prima causa est, quia proximis diebus à Magistratu nostro accepimus responsum, vt doceamus consentienter iuxta Augustanā confessionem, quam Principes in proximo cōuentu Naūburgensi, denuo sua subscriptione approbarunt, & nostro Senatui quoque illius cōfessionis Præfationem miserunt. Itaque non licet mihi, quicquam in hac causa contra Magistratus voluntatem D. Zanchio concedere, præsertim cum eius doctrina in multis locis cum confessione illa pugnet.

Altera causa est, quia video personas huius capituli, tùm in Schola, tùm in Ecclesia aliis negotiis magis seriis occupatas esse, vt ipsis non sit otium diutiùs in hac causa esse occupatis. Præterea metuendum est, ne per hanc causam, nouæ & grauiores simultates aut discordiæ etiam inter reliquas personas capituli exoriantur.

Tertia causa est, quia collegium hoc habet etiam multa alia negotia pertinentia ad administrationem huius collegij & pagi nostri, quæ per hanc causam impediuntur.

Quarta causa pertinet ad mea negotia Ecclesiastica & Scholastica: maximè verò impedior visitatione Ecclesiarum, quæ sunt extra vrbem quò minùs possim in hac causa coram capitulo cum D. Zanchio pergere.

Attamen nihilominùs paratus sum D. Zanchio alio in loco & alio tempore, quandocumque & vbicumque Magistratui visum fuerit respondere: pro hoc verò tempore, in hoc loco non amplius cum D. Zanchio pergam. Cùm has causas D. Decanus exposuisset, discessit è Capitulo.

Posteà rogatæ sunt sententiæ. Placuit capitulo, Etiam causæ à D. Decano allatæ non sint sufficientes, vt propterea capitulo præsentem causam eripiat: tamen pro hoc tempore illas in suo genere esse relinquendas, ac rogandum esse D. Decanum, vt aliquantisper exspectet, & hanc causam non ad alios transferat, priusquàm capitulum ampliùs deliberarit quid sit faciendum.

Duo itaque missi sunt ad Decanum, qui hoc ab ipso, nomine capituli petierunt.

Respondit, se in gratiam capituli adhuc octo aut plures dies exspectaturum, donec fortasse capitulum aliquod consilium inueniat. quo D. Zanchius persuaderi possit, vt errorem deponat, & cum reliquis huius Ecclesiæ ministris consentienter doceat.

5. April. Quinta Aprilis D. Præpositus breuiter repetiit, quid tùm priuatim, tùm publicè in capitulo in hac causa actū sit, quo studio à D. Herlino fuerit proposita: qua etiā ratione & in quē finē à capitulo fuerit suscepta, nimirùm non vt mutuę audirētur criminationes, sicut hactenus factū sit, sed potiùs vt quantū fieri posset tota cōtrouersia cōponeretur. Præterea, omnia ista facta esse à capitulo, Dominis Scholarchis non solùm non ignorantibus, sed etiam cohortantibus. Iam autē absolutis vtrinque narrationibus, accedendum esse ad causæ cognitionem, & eiusdē, si fieri possit, cōpositionem, quæ nulla commodiori ratione fieri possit, quàm si argumenta vtrinque allata examinarentur, & ab altera parte refutentur, quod vel per mutuam collocutionem, vel per scripta fieri debeat. Quoniā autē D. Decanus superiori capitulo affirmarit, se nihil ampliùs cum D. Zanchio coram capitulo acturum, sed rem primùm ad Ecclesiasticum conuentum, deinde ad Magistratum translaturum, ideo capitulum debere diligenter videre, quid sibi in hac rē sit faciendum: vtrū pati debeat, sibi hanc causam è manibus eripi, præsertim cùm nulla argumenta adhuc à D. Decano sint refutata, & D. Zanchius meritò de iniuria conqueri possit, si Capitulum aduersariam partem non ad responsionem cogeret.

His ita commemoratis, singulorum sententias rogauit: Visum fuit, D. Decanum monendum & rogandum esse, vt in hac causa cum D. Zanchio, coram Capitulo pergat: idque primùm propter legem, quam ipse quoque iurarit, atque ideo non minùs eā lege hoc facere teneatur, quàm alij. Deinde, propter singulorum, qui in Capitulo sunt conscientias, quibus nondum satisfactum sit. Nam D. Zanchium grauissime accusari à D. Decano, & tanquam hæreticum, & hominem vanum, mendacem, & bonorum virorum amicitiā indignū notari. Contrà verò D. Zanchium, negare se talem esse, imò affirmare, se vera docuisse. Itaque necesse esse, vt D. Decanus demonstret, D. Zanchium talem esse: & argumenta eius, quibus doctrinam suam probat, refutet. Præterea indicandum esse D. Decano, vt cogitet, si pareat Capitulo & D. Zanchio respondeat, eiusque argumenta refutet, fore hoc non solùm huic causæ vtile, quæ agitatur: sed etiam de ipsius agi proprio honore, existimatione & officio. Cùm enim D. Zanchium multarum hæreseon accusarit, necesse esse, vt eum conuincat, & palàm faciat Capitulo, ipsum talem esse; alioqui Capitulum non posse eum eiicere, cùmque officium gerat Superintendentis, & professione sit theologus, requiri ab eo ratione officij, vt argumenta aduersariorum refutet. Postremò cùm idem sæpe a suis antecessoribus, vt à D. Bucero, & D. Capitone, & similibus vtiliter factum sit, honestum ipsi fore, si illorum vestigiis insistat, eandémque, quā ipsi aliquando in eiusmodi controuersiis vsi sunt, rationem ipse quòque vsurpet. Quæ cum ita sint, Capitulum decreuisse vt argumenta D. Zanchij, quæ de certitudine fidei attulit, diligenter inspiciat & reputet. Decretum etiam fuit, vt D. Zanchio nomine Capituli indicetur, vt etiam ad argumenta D. Decani respondeat.

In hoc Capitulo, cùm D. Flinnerus, D. Buceri scripta quæ ante pacificationem cum Luthero factā ediderat, quodammodo videretur eleuare & in dubium vocare, eò quod multa retractasset, hoc est, vt ipse interpretabatur, reuocasset aut recantasset: D. Præpositus prolixè ostendit, D. Bucerum nihil reuocasse, sed illā retractationem nihil aliud esse, quàm ampliorem & clariorem explicationem seu tractationem. Item quomodo & quatenus D. Luthero ab initio restiterit: quatenus etiam Zvvinglio adhæserit.

Octaua Aprilis, auditæ sunt responsiones D. Marbachij, & D. Zanchii. D. Decanus respondit, negotium hoc nō esse priuatum, sed publicum, pertinere ad Ecclesiasticum conuentum, & ad Magistratum. Idcóque se propter quatuor causas superioribus diebus expositas, adhuc in ea sententia persistere, quod sine Magistratus mandato, nihil in posterum amplius cū D. Zanchio coram Capitulo velit agere. Deinde se existimare, quod Capitulo satisfecerit ad postulatū D. Herlini ab initio propositum: imò quod doctrinam D. Zanchii satis refutarit, suam verò comprobarit. Postremò, se non recusare, alio tēpore vbi plus otii nactus fuerit, Capitulo pleniorem suæ doctrinæ probationem adferre, sed hoc non in gratiam D. Zanchii se facturum, cum quo nihil ampliùs sibi velit esse negotii: sed tantùm in gratiam Capituli: hoc verò tempore se id facere non posse, propter visitationem Ecclesiarum. 8. April.

D. Zanchii responsio fuit, se paratum esse omni tempore ad respōnsionē: sed tamen se tria à Capitulo petere. I. Vt Capitulum à D. Decano repetat lectiones, quas ipse ei inspiciendas & relegendas tradiderat.

II. Se cupere cum D. Decano in Capitulo coram collegis colloqui, de quibusdam vocabulis, vt ex eo intelligat, quomodo & in qua significatione velit illa accipi, ne frustrà inter se litigent: cum hic in hac, alius verò in alia significatione vocabulum accipiat.

III. Orare se, vt Capitulum operam det ac videat, ne ordo inuertatur. Debere D. Decanum argumenta eius refutare: se velle deinde ad illius refutationes respondere: Alioqui enim suas propositiones tamdiu veras

persistere, quamdiu argumenta illa, quibus eas probauit non fuerint omnia refutata.

Audita responsione vtriusque, D. Præpositus primùm significauit quantum ista causa ipsum affligat, & quantum mali inde tùm ad Ecclesiam, tùm ad Scholá peruenire possit. Ideò omnes admonuit, vt diligenter cogitent, quo pacto ista controuersia possit cōponi. Etenim sibi vehementer displicere, primo quod D. Decanus dicat, hanc causam non pertinere ad Capitulū, cùm tamē vterque sit persona Capituli, & agatur de alterius fama & existimatione. Deinde, quod videat omnia ista diuulgari: nudas etiam propositiones D. Zāchij aliis communicari, antequam à D. Zanchio sint explicatæ: imò publicè in concionibus D. Zanchium grauissimè notari. Tertio, quod D. Decanus recuset respondere ad argumenta D. Zanchij de Perseuerantia Sanctorum cùm tamen Capitulum sæpius hoc ab ipso postulauerit, & ipse meritò hoc facere debeat, cùm sit Theologiæ professor & Ecclesiæ huius superintendens, itaque ratione officij ipsum teneri vt hoc faciat. Postremo, quòd si D. Decanus causam hanc Capitulo iam eripiat & aliò transferat, futurum sit, vt D. Zanchius meritò conqueri possit de iniuria, cùm D. Decanus sæpiùs hactenus sit auditus, ipse verò tantum bis, nulla autem argumenta adhuc sint refutata & tamen accusetur non solùm apud Capitulum sed etiam apud alios, plurimarum hæreseon.

Hæc & alia cùm D. Præpositus dixisset, rogauit singulorum sententias. Placuit Capitulo, Tria indicanda esse D. Decano. I. Vt postremam suam responsionem ad D. Zanchij narrationē, Capitulo det. II. Vt denuò rogetur vtrum ad argumenta D. Zanchii, quæ de certitudine fidei attulit, velit respondere coram Capitulo, & ea confutare. III. Vt diligenter cogitet hîc quoque agi suā existimationem. Cùm enim D. Zāchium grauissimè accusarit: necessariò etiam requiri, vt probet, ipsum talem esse. Quod si non fecerit, turpe hoc sibi fore apud omnes, ad quos ista peruenerint. Nam Capitulū decreuisse, si ipse causam hanc aliò transferat, omnia acta diligenter conscribere & XIII. Viris offerre, vt videant quomodo Capitulum hactenus egerit. Hoc decretum tres de Capitulo D. Decano retulerunt.

12. April. Duodecima Aprilis, D. Decanus cum reliquis suis Pastoribus, exceptis duobus D. Neglino, & D. Kellero fuit coram Capitulo, & sequentem habuit orationem.

Clariss. viri, reuerendi D. collegæ: cum nuper ad integram D. Zanchii orationē respondissem, quatuor causas attuli, quare non cogitem vlteriùs cum D. Zanchio coram Capitulo in hac causa progredi, sed totum hoc negotium primùm ad conuentum Ecclesiasticum deinde verò ad Magistratum transferre. Rogatus posteà sum nomine Capituli, vt aliquamdiu exspectarem, donec Capitulum rationem aliquam componendi huius dissidii inueniat. Libenter huic petitioni vestræ acquieui, & dixi, mihi vehementer placere, si Capitulum posset aliquam viam excogitare, qua D. Zanchius depositis suis erroribus, consentienter in Schola mecum doceat. Cùm ad hunc modum octo dies exspectassem, rursum à me nomine Capituli postulatum est, vt ad propositiones & argumenta D. Zanchii respondeam. Respondi iis qui ad me missi erant, me adhuc in mea sententia persistere, neque posse videre quo fructu, hoc à me coram Capitulo fieri possit. Negotium enim hoc non meum esse, neque priuatum, sed publicum; ideóque ad totam Ecclesiam atque adeò ad Magistratum pertinere. Idem etiam sequenti die, Dominis Scholarchis, cùm propter eandem causam mihi loquerentur, & suaderent, vt cū D. Zanchio coram Capitulo pergerem, respondi, & addidi, omninò me ratione officii mei cogi, vt cum reliquis meis Symmystis, negotium hoc communicem, non solùm parochis, sed etiam Diaconis, ne possent cōqueri, se in eiusmodi negotiis negligi, aut excludi. Hæc & alia cùm Dominis Scholarchis respondissem, videbantur mea responsione fuisse contenti: Et sperabam, neminem ampliùs mihi fore impedimento, quo minùs, sicut proposueram, omnia quæ inter me & D. Zanchium gesta essent, in conuentu fratribus meis exponerem. Sed proxima die Martis, fuerunt apud me tres, qui nomine Capituli, primò petierunt postremam meam responsionem ad orationem D. Zanchii. Deinde, vt ad argumenta D. Zanchii de certitudine fidei respondeam. Postremò dixerunt, Capitulum decreuisse, omnia consignare & iis adferre ad quos ego causam hanc essem translaturus. Ad primum respondi, me libenter Capitulo meam responsionem daturum: sed vicissim me petere, vt Capitulum mihi det D. Zanchij responsionem, quam ad meam orationem in Capitulo habuit. Ad alterum dixi, me velle cum meis Symmystis deliberare, & vobis coram respōdere, quid facere velimus. Ad tertium vero dixi, mihi vehementer placere, vt omnia diligenter consignentur. Me enim nihil subterfugere eorum, quæ in hac causa egi. Hæc cùm illis respondissem, ego diligenter & in vero timore Dei totum negotium mecum perpendi, omnia nostra statuta perlegi, ac diligenter quæsiui, vtrum Capitulum iurè me ad responsionem cogere possit: nihil tamen inueni, præter duas has leges: quarum prima est: *Si quid maiori parti visum fuerit, &c.* altera verò: *Si controuersia inter personas Capituli oborta fuerit*, &c. Has duas leges cùm diligenter perpenderem, animaduerti, eas nequaquam ad præsens negotium pertinere. Non enim iam personam Decani aut collegæ ago: Sed quidquid facio, hoc tanquā minister Ecclesiæ & Superintendens, cui cura huius Ecclesiæ commissa est ago. Hæc cùm apud me ita essent deliberata, conuocaui meos Symmystas, & in omnem partem totum negotium inter nos communicauimus, & eò spectauimus, vt, quantum fieri posset, Capitulo per nos satisfieret, etiamsi iure nullo id facere cogeremur: & amicitia, quæ inter Ecclesiasticas & Scholasticas personas hactenus fuit, firmiter adhuc persisteret. Re vtrinque inter nos deliberata, hoc vobis responsum dare iusserunt: Omnibus nobis constat, singulari Dei consilio & beneficio, personas huius collegij, partim Ecclesiæ, partim etiam Scholæ addictos esse: & hactenus non solùm magnam vtrinque fuisse cōiunctionem: sed etiam ex mutua ista beneuolentia, Ecclesiæ & Scholæ plurimum vtilitatis accessisse. Quæ cùm ita sint, Domini Pastores ægrè vellent aliquam causam dissensionis dare: & quantum quidem in nobis est, omnem daturi sumus operam, ne aliqua huius rei culpa in nobis fuisse conspiciatur: imò offerimus omnibus vobis & singulis professoribus & præceptoribus, præcipuè verò D. Præposito, Ioh. Sturmio quem patrem nostrum esse libenter fatemur, omnem nostram beneuolentiam, studium & amorem. Quoniam autem notum est, triplicia esse negotia, nimirùm Ecclesiastica, Scholastica, & huius Collegij propria: ideò vos ipsi, quā estis prudentiā, facilè potestis intelligere, ista negotia non esse confundenda: sed quælibet peragenda esse apud eos, ad quos propriè pertinent. Ecclesiastica enim negotia, pertinent ad conuentum Ecclesiasticum: sic Scholastica, ad suum conuentum: & Thomensia, ad hoc Capitulum. Vnde facilè videre est, nos nullo iure cogi posse, vt præsentem causam cum D. Zanchio in hoc Capitulo agamus: imò optimo iure totum hoc negotium ad conuentum Ecclesiasticum pertinere. Attamen vt Capitulum videat, dominos Pastores non fugere lucem, & paratos esse Capitulo morem gerere: ideò in gratiam Capituli, & bonā suā voluntate, & saluis priuilegiis Ecclesiastici conuentus, constituerunt, iuxta vestram petitionem, vltra coràm vobis in hac causa ad hunc modum progredi. Quoniam D. Zanchius nudas dedit propositiones, ideò petimus, vt illas declaret, & confirmet sacræ scripturæ & Patrum testimoniis, sed ita, vt cogitet, sibi non amplius esse replicandum. Eodem modo etiam nos nostram doctrinam ita vobis confirmabimus: vt nulla ampliùs opus sit replicatione. Hoc si fecerit, nos illius propositiones ita probatas & confirmatas, accipiemus, legemus, & examinabimus: si quid boni in illis fuerit, quod sacræ scripturæ & Confessioni Augustanæ consentiat, libenter agnoscemus: reliqua verò quæ in illis fuerint pugnantia nostræ doctrinæ, confutabimus absque vlla vlteriori replicatione. Hæc si vtrinque facta fuerint, rogatos vos volumus, vt vestrā autoritate & vestris admonitionibus apud illū efficiatis, vt cōsentienter nobiscum doceat. Hoc enim si non faciat, non possumus illum amplius pro collega & professore sanctæ Theologiæ agnoscere. Postremò, quoniam D. Zanchius, in sua ad meam orationem responsione multa dixit, quæ ad nos & nostrum ministerium pertinent: ideò vehementer rogamus vos, vt nobis illam eius responsionem dare velitis quò ad omnia respondere & nos purgare apud vos possimus.

Hæc

Hæc sunt, clarissimi viri, quæ ad v... ...tionem, nomine Pastorum meorum, iustus sum respondere.

Audita hac D. Decani oratione, visum fuit Capitulo, pro hoc tempore ipsis nihil respondere, sed prius diligenter, quid ad singula ipsis respondendum sit, esse deliberandum.

18. April. Decimaoctaua Aprilis, delecti fuerunt quatuor ex senioribus in Capitulo, qui priuatim deliberent, quid dominis Pastoribus ad proximam orationem sit respondendum.

2. Maij. Secunda Maij, ante meridiem, deputati recitarunt reliquis Canonicis ex scripto, quid dominis Parochis sit respondendum: fuit illud ab omnibus probatum, ideóque à meridie, conuocatis omnibus parochis, recitatum illis fuit ex scripto responsum Capituli ad ipsorum orationem.

Huc pertinet responsum Capituli ad Dominorum Pastorum orationem.

Recitato hoc responso, D. Decanus subiecit: Reuerendi & doctissimi viri & collegæ: superioribus diebus nostram voluntatem prolixiùs hic exposuimus, & ostendimus, qua ratione cum D. Zanchio pergere velimus coram Capitulo, cùm tamen illud nullo iure facere teneamur: ac sperauimus quidem, vos nostra declaratione contentos fore. Iam autem ex vestro responso, magno dolore intelleximus, non tantùm nobis cum D. Zanchio in posterum, sed etiam vobiscum negotium fore: quod equidem propter Ecclesiam & Scholā valdè dolemus.

Ac vehementer optandum esse, vos aliud responsum nobis dedisse ad maiores offensiones & controuersias euitandas. Quoniam autem hoc factum non est, & in vestro hoc scripto, quod nobis recitastis, multa continentur, quæ maiorem requirūt declarationem quædam etiam aliter se habent, quàm à nobis dicta sunt: ideò petimus, vt velitis nobis hoc vestrum scriptum communicare, quò ad illud respondere possimus ea quæ necessaria videbuntur. Hæc cùm D. Decanus dixisset, cum suis pastoribus egressus est.

Rogauit postea D. Præpositus singulorum sententias, cúmque omnes sententiam suam dixissent, reuocati sūt domini pastores, ad quos D. Præpositus sequentia dixit, Reuerendi viri: quòd Capitulum prolixiùs respondit ad proximā vestram orationem, factum est primò, propter collegas vestros, qui nostris actionibus hactenus nunquam interfuerunt, vt etiam illi intelligerent, quid actum inter nos sit. Deinde, quia hactenus tantùm vtriusque D. Decani & D. Zanchij narrationes & responsiones audiuimus, ex quibus pleraque non ad nostram compositionem pertinent: (nondum enim ad ipsam causam, hoc est, ad doctrinam peruentum est) Quoniam igitur Capitulum nihil adhuc pronunciauit, sed tantùm vtrunque per aliquot menses audiuit, necesse fuit: hoc vobis responsum dare, vt inde omnibus notum esset, Capituli nullam culpam esse, quò minùs controuersia ista iamdudùm, sicut ab initio sperabamus sit composita. Et quoniam vos hanc causam aliò transferre cupitis, necesse fuit, vt Capitulum etiam tandem aliquid interloquatur, ne accusari possimus vel stultitiæ vel ignorantiæ. Vehementer autem miramur, quod vos hoc responsum aliter accipitis, quàm Capitulum deliberauerit, scripserit & vobis recitarit. Non enim cupimus in hac causa esse iudices, sicut iam sæpè dictū est volumus esse cognitores, arbitri, & quantum in nobis est, compositores. Dolet nobis, quòd D. Decanus dixit, fore iam vobis maius negotiū vobiscum quàm cum D. Zanchio. Nam si dicatis, nos defendere D. Zanchiū, aut illas hæreses, de quibus accusatur, facitis nobis iniuriā. Nos indicauimus causas huius moræ non in Capitulo, sed in D. Decano fuisse. Præterea ostendimus, quare existimemus, nobis nondum satisfactū esse: & quid iudicemus, ad causæ cōpositionem vtilissimum fore. Quòd autem D. Decanus dicit, hanc causam ad Capitulum non pertinere: malimus hoc ab alio dici, quàm ab eo, qui & collega noster est & Decanus, iisdémque nobiscum legibus tenetur. Quòd verò scriptum hoc nostrum postulatis, de eo deliberauimus. Capitulum non cupit sibi ad hoc scriptum responderi, sed vt accedatis ad ipsam causam, & respondeatis ad argumenta D. Zanchij, & conuincatis illum esse hæreticum. Quòd dicitis, esse publicum negotium, & propterea vos sine Magistratus mandato nihil posse in hac causa cōcedere, scitote, nos hactenus nihil contra volūtatem Magistratus in hac causa egisse, omnia quę hactenus fecimus, ea fecimus, dominis Scholarchis, & propterea etiam dominis Tredecim Viris, nō ignorantibus neque impedientibus: & quamdiu patiuntur nos in hac causa progredi, tamdiu iudicamus nos recte facere. Cùm hæc à Domino Præposito dicta essent, subiecit dominus Decanus: nescio certè domine Præposite, vtrum vos peculiare mandatum habeatis à Magistratu aut Tredecim Viris, quod ad hanc causam attinet: Ego sanè nihil tale intellexi.

Respondit dominus Præpositus: Non dixi, quòd iussi simus à Magistratu aut Tredecim Viris, hanc causam suscipere: sed dixi nos scientibus, & permittentibus dominis Scholarchis, qui partim ex Tredecim Virorum numero sunt, nec permitterent nobis aliquid contra Tredecim Virorum voluntatem agere, hactenus egisse: & quod ipsi cupiant causam hāc à nobis cognosci, inde patet, quod adhuc nihil nobis interdixerunt imò interrogarūt, quousque peruentum sit. Quòd autem vos putatis, nos debere apud D. Zanchium efficere vt consentienter vobiscum doceat: hoc nōdum facere possumus; quia illius argumēta nondum sunt à vobis refutata: neque adhuc Capitulo ostensum satis est, quod sit hæreticus, Anabaptista, Catharus, Suenckfeldianus, Nouatianus, Chiliastes, &c.

Cùm hæc vtrinque sic dicta essent, D. Decanus dixit, Dominos pastores de his omnibus velle deliberare: sed ante omnia velle respondere ad scriptum, quod ipsis iam sit recitatum.

Sexta Maij, D. Præpositus rogauit sententias singulorum, vtrum dominis Pastoribus dandum sit Capituli responsum in scripto. 6. Maij.

Visum fuit, indicandum eis esse, Capitulum quidem malle, vt ad euitandam moram longiorem, domini Pastores parent se ad responsionem ad argumenta D. Zanchij. Ita enim tandem posse perueniri ad rem ipsam. Si enim ipsi ad Capituli responsum iterum velint respondere: necessarium deinde fore, vt Capitulū quoque respondeat, & ostendat, omnia ita se habere, sicut in scripto continentur. Nihilominus tamen, quoniam adeò vehementer scriptum postulauerint, Capitulum illis ea in re morem velle gerere, ita tamen, vt cogitent, quid ad causæ vtilitatem maximè pertineat, neque longiorem moram amplius iniiciant.

Decima tertia Iunij, adfuit D. Decanus cum reliquis suis pastoribus: recitatum fuit à D. Melchiore Germanicum scriptum, quod ad superius Capituli responsum pastores composuerant. 13. Iunij.

Huc pertinet responsio Duorum Pastorum ad scriptū Capituli, ipsis recitatum & oblatum.

Postquam recitatum esset hoc scriptum, D. Decanus dixit: Reuerendi viri domini Collegæ, hæc nostra responsio à nobis non eo consilio instituta est, quod velimus occasionē dare maioris offensionis & alicuius moræ. sed vt nos purgaremus in quibusdam capitibus: quæ nobis in illo scripto obiiciuntur, vt ita firmior in posterum inter nos conseruari possit concordia & amicitia. Quod verò ad præsentem causam attinet, parauimus & conscripsimus responsionem ad propositiones & lectiones D. Zanchij, eam cupimus vobis recitare. Quoniam autem prolixior est, consultum nobis videtur, vt singulis diebus vnam atque alteram horam huic recitationi impenderemus, qua in re libenter vestris parebimus consiliis, vt vos ipsi statuatis, quo tempore commodissimum vobis videbitur. Hæc vbi dixisset D. Decanus, cum suis pastoribus abiit.

Digresso D. Decano, D. Præpositus monuit singulos, vt diligenter cogitent de aliqua ratione agendi, quæ commodissima esse possit ad totius causæ celeriorem expeditionem.

Decima quarta Iunij, rogatis singulorum sententiis, de postrema pastorum responsione & de modo agendi, placuit Capitulo, primò pro hoc tēpore, ad ipsorum responsionem nihil esse respondendum: sed relinquendā eam esse in suo genere, ne dicere possint, Capitulum occasionem aliquā moræ dedisse, omnia iam esse dissimulanda, & partim tempori, partim illorum stomacho concedenda. Deinde, quod ad modum agendi attinet, ipsis indicandum esse, Capitulo videri commodissimam rationem esse, si ad mutuam collocutionem cū D. Zanchio veniant. Sic enim fore, vt se mutuò meliùs possint intelligere, & non opus sit, tantum temporis in lectione & recitatione eorum, quæ iam longo tempore conscripserunt, insumere. Etenim si ipsi hæc omnia, quæ iam per aliquot menses collegerunt, velint absente D. Zan- 14. Iunij.

chio in Capitulo recitare, necesse esse, vt eadem postea D. Zanchio exhibeantur, eique etiam tantum temporis, aut etiam plus concedatur, vt ad ea respōdere possit: præsertim cùm ipse non habeat tot scriptores, quorum opera perinde vti possit, sicut ipsi ex duobus collegiis, & priuatis conuictoribus habere potuerunt: atque sic fore, vt quæ hactenus in quintum ferè mensem acta sunt, rursum in alium quintum aut sextum mensem protrahantur. Quòd si verò ad mutuum colloquium descendant, fore hoc non solùm caussæ vtile & necessarium, sed ipsis honestum: Alioqui enim videbuntur disputationem detrectasse, quam anteà visi sunt expetere. Placuit ergo, ipsis dicendum esse hanc rationem Capitulo videri commodiorem. Nihilominus ne possint de nobis conqueri, addendum esse, si omninò constituerint scripto agere, & cum D. Zanchio sermonem conferre detrectent: Capitulum velle ipsis morem gerere, a. petere, vt omnia quæ collegerunt, Capitulo dent, vt singuli priuatim possint legere, ne opus sit singulis diebus cōuenire: præsertim cùm alioqui illa recitatio superuacanea sit futura, & personæ collegij aliis negotiis quoque sint implicatæ, vt non ipsis vacet quotidiè conuenire.

17. Iunij. Decima septima Iunij, D. Herlinus, qui in superiori Capitulo delectus erat vnus ex iis, qui D Decano & Dominis Pastoribus Capituli decretum referrent, caussas exposuit, quare superioris Capituli decretum non ad pastores retulerit. Deinde ostendit, Capitulo inutilem fore recitationem illam, quam Domini Pastores supra promiserunt: ac propterea omninò vrgendum esse & postulandum ab iis vt cum D. Zanchio disputent. Etiam si enim omnia recitauerint: tamen necesse fore, vt tandem veniant ad mutuam disputationem.

Dominus Præpositus, de hac re rogauit sententias: Placuit Capitulo, Dominis Pastoribus hanc offerendā esse optionem, vt vel coram Capitulo nemine alio qui de Capitulo non sit, adhibito, disputent cum D. Zanchio: vel adiunctis aliis ex Senatu doctis viris, qui ipsos intelligere possint: vel disputent in conuentu Ecclesiastico, adhibitis primùm omnibus ministris & diaconis: deinde presbyteris & aliis doctis viris ex nostra republ. postremò professoribus & classicis præceptoribus, qui hactenus huic causæ interfuerunt. Prætereà indicandum ipsis esse si cupiant habere vel ex Senatu, vel ex aliis ordinibus doctos viros, qui disputationi eorum intersint, vt vel ipsi priuatim à Magistratu hos petant: vel vnà cum Capitulo. Delecti sunt tres ex Capitulo, qui hoc decretum ad Pastores referrent.

18. Iunij. Decima octaua Iunij, audita fuit responsio Dominorum Pastorum ad decretum superius Capituli quæ talis fuit. Dixerunt: se mirari, cur Capitulum non velit, vt scripto agant, cùm tamen antea ipsis fuerit concessum, & ipsi iam sint parati. Itaque se rursus petere, vt ipsis liceat scripta sua, quæ collegerunt, recitare: Quòd verò ad disputationem attinet, aut ad arbitros à Magistratu postulandos, se nihil velle affirmare, esse hoc Capitulo liberum, à Magistratu petere, vel non petere facturos se hac in re, quidquid à Magistratu iussi fuerint. Præterea adiecerunt, se omnia ista quæcunque faciunt, in gratiam Capituli facere, cum D. verò Zanchio, nihil ipsis amplius esse negotij.

Audita eorum responsione, D. Præpositus subiecit, Miror, cur Domini Pastores dicant, à Magistratu primū petendum esse, vt liceat disputare, cùm tamen disputationes nostræ Scholæ ab initio fuerint concessæ, & ante hæc tempora, frequentissimæ semper fuerint disputationes, neque quisquam adhuc prohibuit. Quæro igitur ex vobis, quid faciendum esse putetis.

Rogatis singulorum sententiis placuit Capitulo, rursus eos esse adeundos, & rogandos esse, vtrum velint ista re iudicio Magistratus, nimirum si Capitulum à Magistratu disputationem & arbitros impetret, vtrum ipsi

27. Iunij. velint cum D. Zanchio tum disputare.

Vigesima tertia Iunij Domini Pastores responderūt, se neque disputationem, neque arbitros à Magistratu postulaturos, sed permittere illud Capitulo, deinde se facturos, quidquid à Magistratu iussi fuerint.

Audita hac responsione, D. Præpositus singulorum rogauit sententias, Placuit Capitulo, tres mittendos esse ad Dominos Tredecim Viros, qui breuiter indicent, quid hactenus actum sit, & ab iis disputationem postulent. Id quod eadem die à deputatis est factum.

His omnibus ita vltrò citróque inter D. Decanum & D. Zanchium in Capitulo peractis, totáq. causa ad Dominos Tredecim Viros delata, visum fuit, Magistratus sententiam quid in hac causa fieri velit, exspectare: & propterea neutrum ampliùs, quod ad præsentem causam attinet, audire.

Tamen D. Zanchius postulauit à Præposito, conuocari Capitulum, cupiens Capitulo offerre ea, quæ ex mandato Capituli ad argumenta D. Decani responsionis loco collegit, vt quoniam Capitulum constituerit omnia Acta Dominis Tredecim Viris exhibere, simul etiam istas suas responsiones eisdem Dominis Tredecim Viris offerat.

Decima igitur Iulij: D. Zanchius attulit responsiones suas ad argumenta D. Decani, quas dicebat se in tres classes seu partes diuisisse: ex quibus duas partes se iam afferre dicebat, tertiam verò partem, se sibi ad tempus reseruaturum, in qua aiebat contineri apertissima testimonia tam veterum, quàm recentiorum Doctorum, quibus doctrina de Perseuerantia sanctorum confirmatur. Sed tamen addebat, Dominis XIII. Viris indicandum esse, si etiam illam partem suarum responsionum velint, se libenter eis daturum. 10. Iul.

In eodem Capitulo, postulabat, etiam sibi dari D. Decani duas responsiones, ad quas aiebat necesse sibi esse respondere, non solum quantum ad doctrinam attinet, propter quam grauissimè à D. Decano sit accusatus: sed etiam vt famam suam & existimationem, contra tot conuitia & criminationes, quæ in illis D. Decani responsionibus continentur, purget ac defendat.

Ad hæc D. Zanchij postulata, responsum fuit, Capitulum velle ista eius scripta accipere, ac Tredecim Viris vnà cum reliquis scriptis exhibere. Quòd verò ad D. Decani responsiones attinet, debere illum adhuc aliquantisper exspectare, donec in ista causa certi aliquid à Dominis XIII. Viris pronunciatum fuerit: posteà Capitulum ei velle cōcedere, vt honorem suum, famam & existimationem, quacunque ratione possit, defendat.

CAPVT II.

NARRATIO D. DOCT. Ioannis Marbachii Decani, coram Capitulo 16. Martij recitata.

1. *Doctissimi viri, reuerendi collegæ, non dubito, pios vos studio expetere, cognitam habere dissensionē, quæ de doctrina Christiana inter D.D. Zanchium, & inter me & fratres ac consymmistas meos, pastores nostræ Ecclesiæ, suborta fuit, & quia ego natura à discordijs abhorreo, & à nemine, præsertim in religionis articulis, nisi summis & grauissimis de causis dissentire soleo, libenter pareo vestræ petitioni, vt hic coram vobis historiam exponam illius controuersiæ, quæ de religione mihi & fratribus meis pastoribus est cum D. D. Zanchio. Etsi autem hac ipsa dissentio quibusdam ex vobis, videlicet D. Preposito, D. Conrado, & D. Quæstori, non ignota sit, vt qui tanquam mediatores interfuerunt: tamen spero, illos non agrè laturos, si propter historiæ seriem, etiam ea interseram, quæ in ipsorum præsentia acta sunt. Peto solùm, ne prolixitate offendamini: paucis enim totum hoc negotium expediri non potest, nisi velim ea omittere, quæ ad cognitionē totius controuersiæ, omninò necessaria videtur. Faciam autem hæc omnia sinceriter & ingenuè, vt hominē Germanum decet. Inuitus enim pertrahor ad hoc certamen, & nisi grauissima causa me impellerent, antequā cum collega dissidium aliquod inciperem, potiùs vellem meum officium resignare & loco cedere. Ita autem se res habet.*

2. *Hodie agitur quinta hebdomada, cùm vices legendi essent penes D. Zanchium, Conuictores mei die Veneris reuersi ex illius lectione, in mensa proponebant, D. Zanchium duabus lectionibus tractasse locum, quem ipsi non satis assequerentur: quantum autem iudicio valerent, & legissent scripta D. Lutheri ac aliorum, audiuissent etiam nos publicè concionantes, existimare se, sententiam Zāchij de quæstione, quam tractet, pugnare cum scriptis D. Lutheri & aliorum, qui his temporibus in Ecclesiis nostris docent.*

Quærebam

Quærebàm ex iis, quænam esset ista quæstio? Respondebãt, ipsum proposuisse duas. I. An aliquis finis huius Mũdi sit futurus. II. An iste finis certò possit sciri. De priori quæstione, aiebant, eum ipsis satisfecisse. Refutasse enim philosophorum opinionem, qui affirmarunt, mundum perpetuò esse duraturum. De altera verò quæstione dicebãt se dubitare. Adduxisse enim D. Zanchium VII. argumẽta, quibus doctores nostrorum temporũ, probare solent, instare vltima tempora: quorum I. Sumptum est ex Daniele ca. 7. de Monarchijs. II. ex dicto quod Eliæ ascribitur de sex millibus annorum. III. ex Epistola Petri, vbi dicitur, mille annos apud Deum esse instar vnius diei. IV. ex Epistola ad Thess. de Antichristo reuelando sub finẽ mũdi. V. ex Apocal. VI. ex Epist. 1. Tim. 4. & 2. Tim. 3. vbi describit Paulus vltima tempora. VII. de signis, quæ Christus Matt. 24. dicit præcessura vltimum diẽ. Hæc septẽ argumenta, aiebant, ab eo ordine fuisse recitata, quibus dixerat nostros probare velle, diem illum Domini certò sciri posse: eadẽ verò argumẽta postea refutesse, adductis tribus alijs argumentis, quæ istis opposuerat. I. Quia cornu illud, de quo est apud Danielẽ, quodque pro Turca exponi solet, nondum præualuerit aduersus omnes Sanctos. Esse enim adhuc multas in Oriente Ecclesias, quæ à Turca nondum sint vastatæ. II. Etiamsi existimet, Pontificem Romanum suo modo esse Antichristum, sicut Ioannes dicit, Multos esse Antichristos: tamen non esse illum Antichristum, de quo 2. Thessal. 2. scribit: sed venturam adhuc certã aliquã personam, quæ se Mundo patefaciet, & pro Christo seu Messia proponet.

III. ex Epistola ad Roman. capite secundo, vbi dicit Apostolus. Mysterium hoc nolo vos ignorare fratres, ne sitis apud vosmetipsos animo elati, quod excæcatio ex parte Israeli accidit, donec plenitudo gentium aduenerit, & ita totus Israel salus fiet. Inde referebant eum collegisse, ante finem mundi magnam adhuc fore Iudæorũ ad Christianam fidem accessionem. Quò d verò ad illam obiectionẽ attinet, cùm Christus dicit, Cùm venerit filius hominis, putásne, quod inuenturus sit fidem? sic respondisse D. Zanchium: Verum quidem esse, fore talem hominum statum ante reuelatum Antichristum: eo verò reuelato & abolito, tunc fore hanc Iudæorum conuersionem, & cũ rursus multum fidei repertum iri ante finem mundi.

Hæc cum ex meis discipulis intellexissem, meritò quidẽ animo turbabar. Etsi enim sciam, septem illa argumenta, quibus dictũ est à nostris theologis & concionatoribus non propterea adduci, vt aliquid certi de die extremo statuãt, sed vt hominibus ostendant, nos in vltimis temporibus iã versari, & propterea eos ad temperantiam, vigilantiam & precationem hortentur: tamen videbantur mihi istius opiniones absurdæ.

1. Turcam debere adhuc occupare ante finem mundi, occidentem. 2. Pontificem Romanum non esse illum Antichristum, de quo Paulus loquatur: sed alium adhuc in certa persona esse expectandum. 3. Quòd somniat, ante finem mundi, fore adhuc statum tranquillum Ecclesiæ & plenã Iudæorum conuersionem, in qua opinione etiam Chiliastæ, olim fuerunt.

Mandaui ergo meis discipulis, à cæteris studiosis, ea quæ in lectione dicta essent, diligenter colligerent, vt certò possẽ videre, vtrum hæc ita à D. Zanchio tradita essent: quod quidem ab ipsis factum est diligenter.

3. Postero die Sabbathi, in mensa iterum interrogabam, quid iam legeret D. Zanchius. respondebant, ipsum tractare locum de Prædestinatione, & in ea lectione duas tradidisse propositiones: quarum prima erat, Eos qui ab æterno electi essent ad salutem, necessariò non posse perire: sicut contrà, Reprobos necessariò non posse saluari. In altera statuit duplicia vincula, quibus homines colligantur Christo & Ecclesiæ: duo interna, & duo externa, interna & inuisibilia, atque adeò substantialia, dicit esse. I. æternam Dei electionem: II. fidem quæ datur per Spiritum sanctum. Externa verò & visibilia: I. professionem doctrinæ. II. vsum sacramentorum. Hæc latiùs se explicaturum promiserat, si vices legendi ad ipsum redirent. Iussi mei discipuli, easdem quoque lectiones diligenter mihi conscripserunt.

Interea ego anxius cogitabam, quid mihi esset faciendum. Sciebam, illum nuper grauiter à dominis Scholarchis admonitum fuisse: propterea mirabar, eum iam denuò noua dogmata in Schola proponere. metuebam vehementer, ne nostri auditores illius doctrina turbarentur.

Itaque mecum deliberabam, an mihi propterea domini Scholarchæ essent adeundi, aut ipse conueniendus. Adire dominos Scholarchas, videbatur mihi pro eo tempore durius esse. Ipsum verò conuenire, existimabam inutile fore, præsertim si hoc priuatim fieret.

Itaque videbatur mihi commodissimum, si vterer consilio D. Rectoris, vt is sua autoritate apud ipsum efficeret, vt Scholæ nostræ parceret, & in lectionibus moderatius loqueretur.

4. Accessi ergo D. Rectorem, & exposui ei totum negotium, meum quoque dolorem quem ex supra dictis percepissem, quod scilicet metuam, ne in nostra Schola & Ecclesia magnas turbas habituri simus, nisi in tempore huic malo prospectum fuerit.

D. Rector aliquo modo offensus, satis duriter mihi in hæc verba respondit: Si quærerem D. Zanchium quoque eiicere è Schola, sicut factum esset cum D. D. Petro Martyre debere me cogitare, quod simul etiam ipse esset eiiciendus. Addebat præterea, D. Zanchium habere iustissimas inimicitiæ aduersus me causas: fuisse enim grauissimè à me læsum.

Respondi ergo D. Rectori ad hunc modum: Ego sanè D. Petrum Martyrem è Schola nõ eieci, & huius rei possunt mihi esse testes domini Scholarchæ. Cùm enim ab ipsis dominis Scholarchis vocatus essem in Cancellariam, & rogatus, quid de D. Petro sentirem, vtrum putarem, eum vtilem fore Scholæ nostræ: dedi eidem testimonium eruditionis, pietatis, & multarum virtutum, præcipuè verò cõcordiæ: dixi quoque, me illis autorem esse, vt tantum virum hîc retineant, si modò velit nobiscum manere in ea concordia, quæ hactenus fuerit, hoc est, vt in doctrina nihil cupiat mutare vel innouare. Postea cõmissum fuit negotium D. Rectori, vt de medio aliquo cogitaret, quo pacto de articulo Eucharistiæ inter nos posset conuenire. Iussi ergo sumus vtrique scribere confessionem de Eucharistia: quod & D. Petrus & nos quoque fecimus, sine vlla aliqua insectatione aut criminatione. Verùm cùm D. Petrus propter suam conscientiam in re sacramentaria nobis assentiri non posset, haberétque aliam satis amplam vocationẽ, eam sua sponte non à nobis coactus, amplexus est, & sic discessit. Hæc respondi D. Rectori de iis, quæ de D. Petro mihi obiecerat.

De D. Zanchio verò quod mihi obijceret, me cupere eũ eijcere: respondi, me istud nullo modo velle, cuius mihi testis sit Deus: sed de doctrina esse inter nos contentionem & dissensionem. Pollicitus enim est D. Zanchius cùm reciperetur, nihil se innouaturum. Si hoc fecerit, ego facilè, imò libenter ipsum ferã. Quod verò ad reliqua attinet, dicebam, me nulla in re mihi conscium esse, quod à me sit læsus, vt iure de me conqueri possit. Nam quod tertiò obijciebat D. Rector, me accusasse eum apud Tredecim Viros propter epistolam illam quam Heidelbergam mittere cõstituerat: sed mihi priùs, vt subscriberem, legendam exhibuerat, id quod D. Rector autoritate D. Botzheimij, qui id sibi dixisset, confirmare volebat: illud itidem negaui & dixi, fieri mihi in ea re iniuriam. Facta quidem est huius Epistolæ mentio inter nos, quando communi consensu constitueramus hic edere Confessionẽ Heshusii de Eucharistia. Erat enim ad nos perlatum, Heidelbergenses partim ex literis D. Zanchij, partim ex nostro silentio colligere, nos quoque in alteram partem in re sacramentaria inclinare. Itaque vt palàm fieret quæ esset nostra confessio & doctrina in hoc articulo, constitueramus Heshusii librum imprimere. Hæc respondi ad primas obiectiones D. Rectoris. Quantum verò ad doctrinam attinet, dixi, me habere illas lectiones D. Zanchij descriptas, in quibus ea continerentur, quæ existimarem cum doctrina nostrà pugnare.

His auditis, D. Rector acquieuit, & omnem operam suã mihi in eo negotio promisit, séque acturum cum D. Zanchio, vt desisteret, & in docendo moderatiùs loqueretur.

Eo ipso die, à prandio, Doctor Zanchius venit ad ædes domini Rectoris, qui in præsentia domini Quæstoris ei obiecit, quæ ergo de ipso essem conquestus.

Vesperi venit ad me D. Quæstor, & significat, D. Zanchium offerre priuatum ea de re colloquium: cui ego respondi, me nullam habere cum ipso priuatam simultatem, semper patuisse ei ædes meas. si petat amicè mecum agere, me sequenti die expectaturum eum domi meæ, nec putare opus esse in prima actione arbitris.

Sequenti die, qui erat dies Sabbathi, expectaui eum ante meridiem domi meæ: item post meridiem, habito Capitulo: sed nemo ad me illius causa venit.

Die Lunæ verò, Iterum conuenit me D. Quæstor, renunțians, D. Zanchium constituisse de toto negotio loqui: sed quia non de priuata re, verùm de doctrina ageretur, cupere se, vt ad eam collocutionem publicus locus nempe Capituli deligeretur.

Ad hanc Zanchij petitionem annuo D. Quæstori & vt ipse quoque tamquam testis, huic Colloquio interesse velit rogo.

Cùm verò id D. Zanchio indicasset, reuertitur ad me, rogans, vt quoniam ego D. Quæstorem mihi adiunxissem, sibi quoque liceret aliquem adiungere: proponit mihi duos, D. Herlinum & D. Conradum.

Ego in eam rem libenter consentio: Quoniam esset materia theologica, vt D. Conradum acciperet, qui & ipse esset theologus suadeo.

5. Conuenimus ergo à meridie hora tertia in loco Capituli præsentibus duobus ad eam rem delectis D. Conrado & D. Quæstore. Et cùm ipse vellet, vt ego prius dicerem, cœpi sic loqui. D. Zanchi, cùm proximis diebus de te & tuis lectionibus loquerer cum D. Rectore statim mihi obiecit, te habere iustissimas inimicitiæ aduersus me causas. Esse enim te grauissimè à me læsum. Cum itaque adeò nunc conuenerimus in præsentia horum duorum ad communicationem sermonum & faciendam concordiam, rogo te, vt primùm mihi expenas, in quibus rebus existimet, te à me læsum esse. Nullius enim rei, mihi conscius sum. Si autem mihi exposueris, & ego tibi è vestigio satisfacere non potero, nõ grauabor illud fateri: & si quid peccatum à me sit, etiam deprecari. Posteà quid ego in te desiderem, vicissim tibi exponam ingenuè. Hoc fuit exordium nostræ actionis.

Ad hæc ille prolixè recēset omnia, in quibus putaret, se à me læsum esse: capita autem hæc fuerunt. 1. Quòd in publica disputatione, quam habuit de Imaginibus, ei restiterim, & ipse propter eá delatus sit apud Dominos Scholarchas. 2. Quòd cùm fuissem in Colloquio VVormatiensi, ego quædam de illius prælectionibus scripserim ad XIII. Viros sed hic tamen addebat, eam offensionem fuisse rursus sublatam inter nos in itinere, quo ipse me vsque in Liechtenauū cū D. Rectore esset comitatus: se quoq. interea temporis, toto isto quadriennio, nihil habere, quod posset de me conqueri, vsque ad proximum tempus, quo factum sit per ipsum, ne liber Hesbvsij imprimeretur. Ex ea re me ita fuisse offensum, vt apertè dixerim, nolle me eum in posterum hic ferre. 3. Quòd accusarim eum apud XIII. Viros & Dominos Scholarchas. 4. Quòd intelligat suam doctrinam rursus mihi non probari.

Ad primum caput de disputatione dixi, me inuitū opposuisse: sed coactum officij mei ratione fuisse, propter peregrinos, qui tùm ex Saxonia & Misnia fortè aderant, in quorum Ecclesiis adhuc tolerentur imagines. Ne igitur nostra Ecclesia & Schola nostra apud ipsos diffamaretur, voluisse me tantum interpretationem & explicationem propositionis proposita adijcere. Quis verò eam rem Dominis Scholarchis indicarit, dixi, me ignorare.

Ad secundum caput respondi, me quidem breuiter, cùm VVormatiæ essem, quædam ad Dominos XIII. Viros scripsisse de illius prælectionibus: sed fecisse me hoc propter grauissimas causas, quas non opus sit iam recensere: præsertim cùm posteà redijssemus in gratiam, & ego hac de re coram Capitulo me purgauerim.

Quoniam verò hic inter cætera dixerat me in familiari colloquio illo quod in oppido Liechtenavv habuimus, in re sacramentaria ei cessisse, respondi me hoc non fateri: sed concordia solùm causa, iis quæ tùm dixerat cõtentum fuisse, nimirùm cum pane & vino verum corpus & verum sanguinem Christi à fidelibus percipi, de modo verò, quoniam ille solùm statueret spiritualem manducationem, nos verò etiam corporalem, eatenùs ei cessisse, quatenùs de ea re vellet tacere.

Cur autem tùm me humaniorem ei præbuerim, dico hanc esse caussam, quòd cùm D. Beza VVormatiæ exhibuisset confessionem Ecclesiarum Gallicarum quæ in omnibus propemodùm Articulis cum nostrarum Ecclesiarum doctrina conueniebat, & in negotio Eucharistiæ, parùm quoque à nobis dissentiebat: simul mihi idem Beza dixit, si ad disputationem & mutuam collocutionem veniretur, non fore istius confessionis socios difficiles, vnde benè sperare cœperam fore inter nos aliquando stabilem concordiam, qua de causa etiam nolui in condemnationem Zvvinglianorum consentire, antequàm audirentur, cùm tamen id Ienenses VVormatiæ peterent.

Quod verò obiecit, me dixisse, quod nolim ipsū in posterū ferre, negaui hoc, & dixi, ipsum nunquam hoc posse probare.

Interea tamen incidebat mihi, quod in domo Rectoris ex dolore cordis mei dixeram, cùm mihi indicatum esset à D. Botsheimio, literas allatas esse, quibus per principem Palatinum, institutum nostrum de libello Hesbusij imprimendo, Senatui nostro indicaretur, & simul intelligerē, per literas à Zanchio ad Erastum scriptas, hoc Palatino principi indicatum esse: ibi inquam recordabar, me dixisse Si D. Zanchius istud fecit, non egit mecum amicè, non vt decet virum bonum & meum compatrem, me in posterum ipsum missum facturum.

De illius Epistola, item de accusatione apud XIII. Viros Dominos Scholarchas, respondi ei similiter, sicut anteà D. Rectori responderam, cum mihi eadem obijceret.

Postremum, quod de doctrina dixerat, respondi: me illud vsque ad extremum reseruaturum. Atque ita dixi, me ei ad singula capita respondisse. 6. Posteà oraui eum, vt me quoque velit audire, quod in ipso desiderarem. Incepi ergo hoc modo.

Primùm, offendisti me in eo, quòd, cum intellexisses Hesbusij librum hic primi, abusus es opera D. Rectoris, & per illum effecisti, vt res ad XIII. Viros deferretur: qui postea impressionem libri impediuerunt, debuisses me conuenire, fortassis satisfactum tibi à me fuisset. Sin minus, indentum fuisset aliud remedium: ita vt non opus fuisset me & meos Symmistas apud XIII. Viros deferri.

Deinde, Non solùm per te factum est, vt impressio illa per nostrum Magistratum impediretur, sed vt etiam res Electori Palatino indicaretur, qui posteà propria manu scriptis ad me & D. Flinnerum literis, ea de re nobiscum expostulauit.

Tertiò, Quia in tua epistola, quam mihi legendam & subscribendam dedisti, gratulatus es amico, quod princeps Palatinus eos, qui in eandem nobiscum doctrinam profitebantur, eiecisset, imò vocasti eos turbatores.

Quartò obieci ei, quæ in lectionibus superioribus de fine sæculi & de prædestinatione docuisset, quibus dicebam me Symmistas offensos esse: petere ergo, vt id vellet deinceps emendare & moderatiùs loqui.

His ita recensitis, ille intelligere se respondebat, quod reprehenderem ipsius doctrinam, cupere itaque ex me audire, quænam improbarem.

At ego non disputandi gratia nos iam adesse, respondeo: debere ipsum ordine ad ea respondere, quæ à me essent obiecta.

Hic ille, ad primum, quod scilicet curauerit impressionē libri impediri, dixit se non solum esse Theologum & Christianum, sed etiam huius Reip. ciuem: fecisse se hoc ex officio & fide, quam Magistratui nostro debeat. Me igitur, quod ad hoc caput attinet, nihil prorsus habere, quod iure in ipso possim reprehendere.

Ego verò, ipsum alia via vti potuisse, dicebam, neque me & meos symmistas sinistra suspicione apud Magistratū grauare.

Quòd verò ea de re nonnulla ad Erastum scripserat, dixit nõ alio animo se hoc fecisse, quàm sicut solet aliquādo amicus amico noua scribere.

Quod autem ad Electorem negotium hoc delatum fuerit, id non sua culpa factum esse.

Posteà dixit, meritò se gratulatum esse in sua epistola Heidelbergensibus: Principem enim expulisse eos, qui statū Ecclesiæ anteà tranquillum & pacatum perturbassent suis contentionibus ac disputationibus.

Deinde progressi sumus ad eius prælectiones. Quæsitus ab eo quid tandem improbarem, incepi de prædestinatione, & dixi: non iam esse quæstionem, vtrum sit prædestinatio, nécne: sed vnde incipiendum sit si conscientiæ angantur de ipsarum salute: vtrum à priori, hoc est, ab arcana Dei prædestinatione, an verò à reuelata eius voluntate in verbo.

Volebat hic disputare. Sed quia audiebatur hora sexta, dicebam, non esse iam disputandi locum & tempus. Et proposui ei quinque postulata mea. I. vt consentienter de Sacramento Eucharistiæ, nobiscum doceat, iuxta Augustanæ confessionis formulam. II. Vt in prædestinatione auditores suos deducat ad verbum Dei & reuelatam voluntatem. III. Vt suas opiniones & cogitationes non temerè auditoribus proponat. IV. Vt non tam diu immoretur in locorum communium tractatione. Postulata D. Marbachij.

V. Vt sæpius in posterum disputet, quam hactenus ab eo factum sit.

Posteà addidi: si hæc quinque præstare posset, me ex animo & libenter ei omnia, quæ aduersus ipsum habere possem, condonaturum: & simul omnia ei mea officia obtuli. Atque sic discessimus.

7. Sequenti die, conueni D. Rectorem in suis ædibus, aderat tum casu etiam D. Zanchius. Vbi aliquandiu obambulantes in hypocausto, D. Rector, qui erat medius, nos ita alloquitur. Heri facti estis noui amici: debetis ergo amicè inter vos colloqui.

Respondi ego. Ita D. Rector. Ego me puto me D. Zanchio in omnibus satisfecisse.

At D. Zanchius, non quidem in omnibus, inquit. Ego peperci tibi & collegis: neque possum tibi amicus esse, quia impugnas meam doctrinam quam scio esse Christi. Adhæc cupis me tua autoritate, Decanus cùm sis, opprimere. Ego tibi inquit, si vis, coram Magistratu de mea doctrina respondebo.

Cui ego respondeo, me non defugere Magistratus iudicium, neque cupere illum mea autoritate opprimere.

Quin, inquit, se propter religionem, & vt haberet conscientiam liberam, reliquisse patriam suam Italiam: itaque ne amitteret hanc libertatem, se potius etiam Argentinam relicturum esse.

Posteà inuectus in Hesbusium illius & D. Lutheri doctrinam vocat diabolicam, vt quæ tranquillum & pacatum statum nostræ Ecclesiæ perturbaret, qui tamen antea toto quadriennio in summa concordia vixerimus, atque hoc tãta vocis contentione faciebat, vt cùm fortè vxor D. Rectoris ingrederetur, moneret nos D. Rector, vt submissiùs & moderatiùs loqueremur, ne & ipsa quoque suspicaretur, inter nos aliquas esse simultates. Itaque ego missum eum faciens, & D. Rectoris vxorem allocutus ita discessi.

Postero die, qui erat dies Mercurij, iterum accessi D. Rectorem, cum quo erat quoque D. Quæstor. Ibi expositis ijs, quæ in priuato colloquio præcedenti die fuissent gesta, D. Rector suam mihi operam ea in re benignè promisit.

8. Die Iouis sequenti, habito conuentu. detinent me pastores, & obijciunt, cur ego & D. Rector negligamus officium, & patiamur nobis conniuentibus nouam doctrinam auditoribus nostris obtrudi: & quanquam nos velimus tacere, non tamen se tacere posse, sed ex officio cogi, vt rem ad Magistratum deferant. Etenim eum tribus lectionibus de prædestinatione ea dixisse quæ apertè pugnent cum doctrina nostrarum Ecclesiarum.

Quibus ego, quoniam omninò ita velint & à me postulent, promitto, me facturum quod iussus fuero: commodum tamen mihi videri, vt priùs D. Rectorem adeam, & ei ipsorum voluntatem exponam.

Ea nocte cùm in cœna interrogarem meos discipulos, quid tandem D. Zanchius legeret quod ita auditores offenderet: & cur mihi rem non significarent: responderũt, noluisse se id facere, ne in ipsos posteà culpa conferretur, alioqui enim se suspectos esse auditoribus: imò quamprimùm D. Zanchius tale quid diceret, quod cũ nostrarũ Ecclesiarum doctrina pugnet, statim omnium oculos in ipsos conijci.

Cùm verò vrgerem, vt mihi saltem exponerent præcipua capita, quæ de prædestinatione tradidisset, recitant mihi quatuor. I. Electis tantum semel dari fidem in hac vita, eámque sentiri, sicut ipse aliquando sibi datam senserit. II. Hanc semel acceptam fidem electos nunquã posse peccatis amittere, neque Spiritum sanctum excutere. III. Eum facere duplicem hominem: ac renatos non peccare secundum interiorem: sed tantum secundum exteriorem hominem: Itdque Petri confessionem defecisse solùm in ore, non item fidem in corde. IIII. Eum interpretari vniuersales propositiones particulariter, vt cum inquit Paulus, Deus vult omnes homines saluos fieri, eum ita exponere: Omnes, id est, ex omnibus ordinibus aliquos, scilicet electos.

Hæc cum audiuissem, indicaui sequenti die D. Rectori. qui respondit sibi displicere ista, ideóque se grauiter D. Zanchium obiurgaturum, & effecturum ad ipsum, vt finem faceret huic materiæ.

Die verò sabbathi, eadem quæ antea docuerat, repetijt: & insuper quinque argumenta, quibus nos in nostris Ecclesiis vtimur, attulit ac promisit, vbi vices legendi ad ipsum redierint, se publicè ista refutaturum.

Consului ergo in hac re dominos Pastores, & placuit illis, rem proponendam esse Senatui. Ego verò eis restiti, & dixi, non prætereundos esse dominos Scholarchas.

Sequenti igitur hebdomada, dominis Scholarchis negotium exposuimus, qui responderunt, se magna animi tristitiâ hanc nostram querimoniam percepisse, & mirari se, quare Doctor Zanchius talia in Schola publicè tradat, cum sciat, quæ sit Senatus sententia. Itaque iusserunt, vt bono animo simus: velle enim se cum Doctore Zanchio agere, vt ab eiusmodi dogmatibus abstineat neque perturbet nostram Ecclesiam. Petierunt quoque à me, vt mea postulata ipsis scripto exhiberem: quod ego postea feci. Hæc egimus cum dominis Scholarchis.

10. Proximo autem die Lunæ, tractaui argumentum Pauli 1. ad Corinth. capite decimo. Si Deus suo populo, quẽ tantis miraculis ex Ægypto eduxit, &c. non pepercit: neque parcet nobis gentibus si iisdem peccatis, quibus Israelitæ polluti fuerimus. In hoc loco, dicebam, multas vtiles doctrinas contineri, inter quas etiam hãc attuli, quæ erat in ordine tertia: Renatos, si non persistant in vita sanctimonia, retinentes fidem & bonam conscientiam, sed contra conscientiam ruant in peccata, amittere fidem & excutere Spiritum sanctum.

In ea lectione famulus D. Zanchij hæc audiens, murmurabat: & subitò, conuolutis chartis, cũ quadam indignatione arreptâ & magno sonitu rursus occlusâ ianuâ, proripit se foràs, & è lectione discedit.

Alterâ die, eadem repetij, & testimoniis Scripturæ atque exemplis confirmaui.

Finitâ lectione, conuictor quidam D. Conradi coniungit se meis discipulis vnà cum D. Zanchij famulo, & interrogat. Quidnam cogitat vester Doctor, quod conatur nouam doctrinam in hanc Scholam inuehere? num ipse est verus huius Scholæ doctor, an Doctor Bucerus qui contrarium docet?

Huic quæstioni statim subiicit famulus D. Zanchij: Scilicet egregiè sibi placet, putat se doctiorem esse Augustino, sed breui habebit aliquem, qui ei respondeat.

Præterea est hac tertia hebdomada, accepi argumenta à stipendiatis nostræ Reipublicæ, qui sunt in Collegio. Inter cætera, accepi etiam argumentum cuiusdam adolescentis Ioannis Braunij, in quo dehortatur alterum, ne Theologiæ det operam: Et inter cæteras rationes, etiam hanc adfert, quia variæ theologorum sint contentiones: & multi etiam docti theologi repugnent Augustino in doctrinam de Prædestinatione.

Idem ille Iohannes Braunius heri in lectione mea, sedens in primo subsellio, ne verbum quidem eorum quæ dicebam, notare voluit: tantùm videbatur me deridere & contemnere, & nauseam quasi ex mea lectione concipere.

Ad hæc, auditores D. Zanchij, iam vndique spargunt in nostra Schola, me esse innouatorem, me non retinere eã doctrinam quam ab initio D. Bucerus & D. Petrus Martyr hic sunt professi: D. Zanchij doctrinam consentire cum doctrina D. Buceri.

Hæc omnia quantùm me excrucient, & quantum dolorem mihi pariant, non puto vos posse ignorare. Ego sanè, reuerendi collegæ, scio, quæ doctrina Buceri fuerit: Et ego ipse (quod nulli ante me factum est,) publicè in templo, cũ reciperer, de omnibus articulis nostræ religionis fui interrogatus: & ei ita respondi, vt ipsi Bucero fuerit satisfactum. Postea ipse D. Bucerus lectionem theologicam mihi commendauit: cúmque hinc discedere vellet, præsentibus vltra ducentis viris, curam Ecclesiæ mihi commendauit: & dum in Anglia esset, sæpenumerò literas ab eodem accepi, in quibus amicissimè mihi scribit &c. ita vt sciam, ipsum nihil tale vnquam de me suspicatum esse. Fuit per multos annos, meus præceptor, eúmque semper ita amaui & colui, vt parentis loco mihi fuerit. Acerbius ergo morte mihi esset, si posset verè de me dici, quòd à tanti viri doctrina deficerem.

Quod igitur mihi obiicitur, me nouam doctrinam in hanc Scholam inuehere, aut à Buceri doctrina discedere: ostendam ego, Deo volente, illud esse mendacium & calumniam.

Quæ autẽ mea & nostrorũ sit confessio, nemini opinor, potest esse obscurũ. Ea enim est, quã in summis angustiis, propter Tridentinũ cõcilium hic professi sumus, & cui omnes subscripsimus: cuius causa, ante cõciliũ, Ego Vitebergã missus sũ: deinde Saltzungã, vbi cõuentus erat, profectus

in quo conuentu cùm recitaretur confessio, quam D. Philippus conscripserat, petij eius exemplum: cúmque id mihi denegaretur, rursus Vitebergam ad D. Philippum redij, & ab eodem exemplum illius confessionis impetraui: quod mecum postea huc allatum, lectum est in conuentu nostro: & cùm omnes approbarent, placuit illi subscribere.

Cùm deinde D. Sleidanus à Senatu nostro Tridentum mitteretur, mandatum ei fuit, vt Reipub. nostræ nomine, Saxonicæ & Vitembergicæ Confessioni subscriberet, nam huius etiam Confessionis gratia Doctor Caspar Hedio, & Doctor Lenglinus missi fuerunt in oppidum Dornstat, vt eam agnoscerent, &c.

Vtrasque illas Confessiones, ego cõfirmo esse veras huius Argentinensis nostræ Ecclesiæ Confessiones: & præsertim id de Saxonica verum esse probant subscriptiones nostrorum doctorum ei adiunctæ.

Habetis ergo reuerendi viri, collegæ & fratres, integram historiam eorũ, quæ hactenus inter me & D. Zanchium contigerunt. Nihil hîc personaliter agitur. Quod ad me attinet, etiãsi grauissimè ab ipso fuerim offensus: tamen libenter & ex animo omnia ei condonarem, condono, & condonaui. Controuersia est, vt videtis, de doctrina: & quia doctrina non mea est, nec priuata: certè nescio, an ad Capitulum aut Scholam pertineat, an potius ad Ecclesiam & Magistratum, qui Ecclesiæ est custos. Seu tamen si Doctor Zanchius, vestra autoritate motus, consimiliter velit huic nostræ doctrinæ docere: Ego libenter ipsũ ferã. Quòd si nolit, certè sicut ipse ad Magistratũ appellauit, & quemadmodum nos quoque publicam disputationem expetimus: cogemur eò confugere, permittemus libenter iudicium Magistratui, & bonis ac doctis viris: si conuicerit nos, quod certè in æternum nõ poterit, dabimus libenter pœnas: sin minus, speramus Magistratum ita cum eo acturum, vt deinceps nobis non ampliùs molestus sit sua doctrina futurus.

CAPITA PETITIONIS D. Marbachi, proposita domino Doct. Hieronymo Zanchio.

I. VT de Eucharistiæ sacramento consentienter nobiscum doceat & profiteatur, iuxta Augustanæ Cõfessionis formulam: Cum pane & vino externis signis & symbolis, verum Christi Domini nostri corpus & verũ ipsius sanguinem, vescentibus in cœna, distribui. De modo verò præsentiæ, cùm inter nos non conueniat: nam ipsum spiritualem tantùm admittere præsentiam, quæ est fidei: nos verò cum hac spirituali, statuere & affirmare etiam sacramentalem, hoc est, corporalem, nimirùm substantiæ corporis & sanguinis Christi in cœna: & præterea Indignorum manducationem, quam ipse neget: Itaque concordiæ causa, & vt in doctrina cõsensus inter Scholæ & Ecclesiæ doctores & ministros cõseruetur, debere eum de modo præsentiæ nihil tradere, sed illius explicationẽ permittere nobis, qui de eo hactenus iuxta articulos concordiæ anno 1536. Vvitebergæ cum D. Luthero facta, docuimus.

II. Cùm ex sacris literis in confesso sit, esse prædestinationem electorum ad vitam æternam, & ita etiam, propter Dei præscientiam, certum numerum reproborum, id quod nos quoque vnà cum ipso libenter & recipimus & liberè profitemur: de nostra tamen æterna salute & volũtate Dei erga nos, eum non debere à priori, hoc est, ab ipsa Dei occulta æterna prædestinatione initium in suis prælectionibus facere, sed suos potiùs auditores deducere ad Dei volũtatem reuelatam, hoc est, ad verbum externum, siue Ecclesiæ ministerium à Christo institutum, seu, vt Paulus loquitur, ad ipsam vocationem. Nam quos præsciuit, eosdem & prædestinauit: quos verò prædestinauit, eos etiam vocauit: & quos vocauit, eos & iustificauit.

III. Etsi non dubito eum, vt virum doctum & multæ lectionis, de pluribus Scripturæ locis, suas habere cogitationes siue reuelationes: tamẽ cùm, vt Apostolus inquit: Spiritus prophetarum prophetis subiecti sint: non temerè ipsum debere quiduis in suis lectionibus proferre, quod nouum sit, aut doctrinæ nostrarum Ecclesiarum & præsertim nostrorum præceptorum repugnet, quorum opera æternus Deus immensa sua erga nos misericordia his vltimis temporibus lucem Euangelij sui iterum accendit, videlicet D. Lutheri, Buceri, Philippi, Brentij, & aliorum.

IV. Vt omissa locorum cõmunium tractatione, in qua propemodum toto nunc octennio immoratus sit in explicatione textus sacræ scripturæ pergat. Sicut enim offendendi minorem habiturus sit occasionem, si dextrè sacras literas interpretando progrediatur: ita etiam plus fructus & vtilitatis auditores ipsius inde percepturos esse.

V. Cùm ego Ecclesiæ & Scholæ laboribus impediar, vt publicis disputationibus præesse non possim, ipsi verò satis magnum sit otium, idcò Dominos Scholarchas isto labore me exemptum, ei stipendium mo amplificasse, vt frequentiores disputationes in Schola nostra habeat, quod cum hactenus ab eo neglectum fuerit, me humaniter rogare, ne hoc suum officium deinceps facere intermittat.

CAPVT III.

AD HANC IPSAM D. MARbachij Orationem Zanchij Responsio.

Ad. I. AD Orationem D. Marbachij, clariss. & obseruandi collegæ, paucis respondeo. Controuersia, inter Marbach. & me exorta, non fuit simpliciter de religione, sed etiam de violata pace, in qua anteà eramus: vter illius fuerit autor. D. etiam Herlinus sic proposuit in genere, cupere explicari coram toto Capitulo, quænam controuersia esset inter D Marbachium & Zanchium. Huc etiam spectauit maxima meæ Narrationis pars.

Quod igitur in genere propositum fuerat, illud ad vnam speciem restringi non debebat. Hoc autem non sine causa dico. Nam ipse omnibus modis quærit, vt initium totius controuersiæ, vel planè ignoretur, vel saltem dissimuletur. Illud autem fuit Heshusij liber, per me impeditus: Idque ideò facit, ne vllo modo aut ex odio mei, aut ex affectu vindictæ, tùm doctrinam meam improbasse, tùm me apud Dominos Scholarchas accusasse, atque in discrimen totius meæ existimationis & honoris adduxisse, sed tantùm ex zelo gloriæ Dei ac salutis Ecclesiæ & Scholæ, hæc omnia fecisse videatur.

Sed, vt initio meæ præfationis dixeram, ad veram totius controuersiæ cognitionem refert quàmplurimùm, principia ipsa, ac fontes, vnde reliqua omnia promanarunt, probè nouisse, ac firmiter retinere: & quo affectu aliquis aliquid egerit aut agat, cognoscere.

Quòd vero reliquos quoque pastores, Germanos scilicet, quos suos consymmistas vocat, in hac cõtrouersia, quam mihi cum ipso tantùm D. Marbachio esse putabam inuoluerit, & eos secum, tanquam partem contrariam, aduersus me statuerit, an hoc fecerit, vt multitudine & existimatione pastorum contra me sentientium, magis inuisum toti ciuitati redderet, necne, viderit ipse.

Ego certè, quòd ipsi pastores permiserint se ab hoc homine in hac controuersia inuolui, & huius vestigia sequantur, nimirùm, vt meam doctrinam, antequam mecum amicè sint locuti, & de mea sententia meæque sententiæ sensu ac veritate certiores facti, oppugnẽnt, vehementer doleo. Certè D. Bucerus nunquam sic egisset, aut vnquam egisse dicitur.

Sed hîc duo me consolantur. I. Quòd licet omnes pastores Germani sint contra me vnum: Veritas tamen, ideóque Christus, mecum est. Et hoc spero omnibus patefactum iri. II. Quòd non scribit, ipsos quoque Diaconos secum contra me sentire. Sunt igitur etiam aliqui qui puram doctrinam Christi, Augustini & Buceri, mecum ament & retineant.

Ait autem D. Doctor: se natura à discordiis abhorrere. Cur igitur illas excitauit, & me in illas inuitũ traxit? potuisset enim facillimè eas vitare, si, vt debebat, me priùs conuenisset, & ex me ipso explicationem meę doctrinæ accepisset.

Quod ait: Se sincerè & ingenuè, vt hominem Germanum decet omnia Capitulo narraturum, benè fecerit, si in omnibus negotiis candorem & sinceritatem verorũ Germanorum imitatus fuerit. Certè in me isto candore & sinceritate, in hac præsertim controuersia, vsus non est. Sed ego ero etiam contentus, si saltem cum suis Germanis, tã Dominis nostris quàm collegis, candidè semper & sincerè egerit in rebus omnibus. Etsi verò ego natione Italus sum, an tamen sim sincerus & candidus, norunt omnes collegæ.

Inuitus,

Inuitus, inquit, pertrahor ad hoc certamen scilicet à *Zanchio.* At grauissimæ me impulerunt causæ, vt dissidiũ cum collega inceperim: Quæ? Zelus doctrinæ? quia scilicet primò dixi, sub finem sæculi venturum magnum & perfectum Antichristum? Deinde, quia dixi, certum tempus de fine sæculi, sciri à nobis non posse? Grauissimæ profectò hæ causæ? An quia docui, sanctos in fide vsque in finem propter promissionem Dei perseueraturos? At hanc eandem doctrinam iam inde ab initio tradidi, & posteà sæpiùs repetij: nec tamen vllum propter hanc dissidium inter nos ortum vnquam, nisi nunc primùm fuit. Sunt igitur aliæ causæ tam impulsiuæ, quàm finales & ratiocinatiuæ. Eas certò quidem nouit Dominus, & ipsius D. Doctoris conscientia: sed aliis etiam non sunt penitus incognitæ.

De fine sæculi.

An Turca ante finem mundi occupaturus sit totum occidentem.

2. Quæ recitat argumenta de fine sæculi, ea non vsquequaque sic se habuerunt. Tractatio mea de fine sæculi apud vos est, clarissimi viri: ibi apparet quid docuerim. Illorum verò trium, quæ dicit à me fuisse dicta, & absurda vocat, duo, sunt calumniæ. In tertio verò, & se non intelligere Paulum indicat: & mortuum Bucerum grauiter criminatur. Primùm ait, me dixisse, *Quod Turca debeat adhuc occupare ante finẽ mundi occidẽtem.* Quis hoc dixit? Cùm refutarem coniecturam secundam ex Danielis capite secundo & septimo sumptam vbi volũt per cornu illud, quod inter decem ortum est, intelligi Turcam: Primò dixi, aliud Patres per cornu illud intelligere, quàm Turcam. Deinde etsi demus, per illud intelligẽdum esse Turcicum imperium, tamen non inde sequi, initare igitur diem Domini: quia præter alias rationes, nondum omnes Sãcti traditi sunt in eius manum, sicut ibi de cornu legitur, neque etiam videre me, cur tradendi sint breui in eius manum, fieri quidem posse, vt omnes propter nostram ingratitudinem, tradamur in eius manum (quod Deus auertat) sed an hoc futurum sit, & quandò futurum sit, prorsus non apparere. Hæc fuerunt mea verba. Affirmaui ne hic, occidentem occupatum iri à Turca? Sed voluit me perstringere, quasi agam Prophetam qui futura prædicam. Si nõ benè intellexerat, & mea doctrina videbatur ei absurda cur non quæsiuit ex me quid dixissem, & quomodo dicta mea intelligerem? Malus animus facit, vt omnia etiam benè dicta in malam partem interpretemur. Quid quòd hic testes sunt, qui dicant, se ex ore D. Philippi Melanchthonis publicè legentis audiuisse, totam Germaniam à Turca esse occupandam? Accuset igitur & damnet Philippum, non Zanchium.

De Antichristo.

Alterum est, quod docuerim Romanum Pontificem, nõ esse illum Antichristum, de quo in secũda ad Thessal. capite secundo, calumnia est. Tantùm dixi, reuelatum quidem esse regnum Antichristi, &, qui in illo præest, esse Antichristum: negari tamen non posse, quin futurus sit sub finem sæculi quidam insignis nebulo, omnium pessimus, qui postremò sedeat in throno huius regni, & illum fore vltimum Antichristum.

De statu tranquillo ante finem sæculi.

Sed de tertio, videamus quid dicat: Tertiũ est, *inquit,* quod somniat, ante finem mundi fore adhuc statũ tranquillum Ecclesiæ, & plenam Iudæorum conuersionem, in qua opinione etiam Chiliastæ olim fuerunt.

Quod dicit, me somniasse ante finem mundi fore adhuc statum tranquillum Ecclesiæ, & de tali tranquillo statu Ecclesiæ intelligit, qualem commenti sunt Chiliastæ, viderit, vter sit somniator ego, an ipse. Certè labores, vexationes, & molestiæ diurnæ, quas patior, talia mihi phantasmata in somnis non adferunt, vt statum Ecclesiæ in terris quietum somniare possim.

De Iudæorum conuersione.

Quod verò ait, *me etiam somniasse plenam Iudæorum conuersionem*: & quia hoc dixi, connumerat me inter Chiliastas: In hoc toti cõsilio apertè indicat, se primò, cũ legit Epistolam ad Romanos (legit autem sæpiùs) fuisse valdè studiosum commentariorum Buceri: & deinde, si cum legit, optimam se de eo cõcepisse opinionem: cum illius sententiam cum Chiliastarum sententia coniungat. Bucerus hunc locum *Rom.* 11. Nolo autem vos ignorare mysterium hoc, vt non apud vos ipsos insolescatis, quod cæcitas ex parte contigit in Israel, donec intret plenitudo Gentium, & sic omnis Israel saluus fiet: hunc (inquam) locum explicans, expositionem hanc, quam Dominus Marbachius somnium & Chiliastarum opinionem vocat, nimirum de Iudæorum conuersione in fine sæculi affert: & hunc Iudæorum ad Christum reditum, vocat magnam illam & insignem totius Israelis conuersionem. Nec aliter locum hunc posse intelligi, quàm de illa copiosa, quæ futura est sub finem sæculi Iudæorum conuersione, euincit ex dictione illa Mysterii: deinde ex locis Prophetarum à Paulo citatis. Indicat etiam D. Doctor, se non bene intelligere, quæ fuerit Chiliastarum sententia. Mihi enim attribuit, quod somniarim, magnam & copiosam Iudæorum sub finem sæculi conuersionem, & tunc Ecclesiam in terris sub finem sæculi, nempe ante aduentum Christi secundum, in tranquillo statu futuram, & in hac opinione fuisse scribit Chiliastas. At longè alia fuit Chiliastarum sententia. Illi enim senserunt, post, non ante finem sæculi, seu post non ante alterum Christi aduentum, Ecclesiam interfectis omnibus ferè impiis, & excitatis ad vitã piis demortuis, vnà cum reliquis piis, qui tum superstites reperientur beatam & tranquillam vitam in terris vnà cum Christo per annos mille victuram, in deliciis & voluptatibus, sed honestis. Deinde elapsis his mille annis, futuram resurrectionem secundam, in qua omnes impii resurgent: & tunc futurum iudicium, post quod iudicium, sicut etiam vniuersa Ecclesia confitetur, impii in perpetuo igne cum Satana cruciabuntur, pii verò non ampliùs terrenam, sed cælestem, eamque perpetuam vitam viuent. Hæc fuit opinio Chiliastarum, & multis scripturarum testimoniis ad hanc confirmandam abutebantur. Et primus huius opinionis autor fuit vir sanctus, Ioannis Apostoli auditor, Papias Hieropolitanus in Asia Episcopus. In hac fuerunt grauissimi viri: Irenæus, Tertullianus, Iustinus Martyr, Victorinus Pictauiensis, Lactantius Firmianus & alii. Augustinus quoque de ciuitate Dei, libro vigesimo, capite septimo testatur, se in hac fuisse aliquando sententia: Sed posteà eam refutauit, & meritò: & ante ipsum alii quoque eam refutarant, inter alios Dionysius Alexandrinus Episcopus, libello contra Millenarios edito, eam vocat fabulam. Si quis volet exactè videre, quæ fuerit sententia Chiliastarum, legat Lactantium Firmianum libro septimo qui est de diuino præmio, à capite decimo nono vsque ad vigesimumseptimum. Quantum differt hæc Millenariorum phantasia de felicitate Ecclesiæ in terris, ab ea opinione, quam D. Doctor dicit me somniasse futura scilicet Ecclesiam pacatam in terris ante aduentum Christi sub finem sæculi?

Chiliastarum opinio.

Sectatores huius opinionis.

3 De prædestinatione vel potius perseuerantia sanctorum.

Quòd posteà subdit, suos commensales retulisse, *me tractasse locum de prædestinatione*, condonatum est aliquid ignorantiæ ipsorum, qui locum de perseuerantia Sanctorum, quæ est effectus electionis, appellant locum de prædestinatione. Si vero malitia id faciunt, quia nomen hoc, hoc tempore hic est odiosum grauius peccant.

Quòd dicit, Me hanc propositionem docuisse. *Eos qui ab æterno electi sunt ad salutem, necessariò perire nõ posse. sicut contra, reprobos necessariò non posse saluari:* Hoc nõ fuit fideliter relatum. Etsi enim verissimum est, eos qui electi sunt, non posse perire, & ideò necessariò saluari: & contrà, reprobos non posse saluari, & ideò necessariò damnari, & sic tradit scriptura: sic etiam loquitur Augustinus, Bucerus, Martyr, & alii docti viri: sed discrimine tamen facto inter Necessitatem & Coactionem: Quis enim neget (vt vnum adferam exemplum certissimum:) pueros infidelium reprobos necessariò in peccato originali nasci, & sic, si moriatur in eo peccato, necessariò propter illud peccatũ damnari? possúntne hoc euitare? minimè: Etsi, inquam, hac doctrina verissima est, tamen scio, me non ita tùm locutum fuisse, Res ita se habet. Cùm loquerer de primo vinculo, scilicet electionis æternæ: dixi eam esse inuiolabilem, quia qui Electus est, non potest fieri reprobus.

Quæ subdit de vinculis, fideliter sunt recitata: sed nunquid & hanc de vinculis, & illam Electos non fieri posse reprobos, doctrinam negat dominus Doctor? Nũquid propter hanc doctrinam ita fuit anxius, vt nesciret, quid faciendum esset? Egóne primùm conueniendus, an verò domini Scholarchæ adeundi?

Ita, inquit, eram anxius, propter illa noua dogmata. Cui noua dogmata? Apostolis, Patribus, Bucero: an tibi domine doctor? Quòd si videbantur tibi noua: quare me non accersebas: & à me explicationem & probationem non petebas?

At ipsum, inquit, *conuenire*, *existimabam inutile fore: præsertim si hoc priuatim fieret.* Quamobrem domine Doctor ita existimabas? Nunquid antea solitus fueras me accersere, de doctrina & de dogmatibus mecum communicare, & deprehendisti, hoc fuisse semper inutile?

Deinde, ait, *sciebam, illum nuper grauiter à dominis Scholarchis admonitum fuisse: propterea mirabar eum iam denuo noua dogmata in Schola proponere.* Sciebas domine Doctor, me grauiter fuisse admonitum à dominis Scholarchis: Credo etiam, te optimè sciuisse, me fuisse admonendum: quia tu nunc apud bonos dominos Scholarchas potes, quidquid vis: sed nō ita erat in principio, sicut nunc. In principio, inquam, cùm viueret ille

Iac. Sturmij.

qui optimè sciebat discernere album à nigro, καὶ ὃν πάντες ... , ac proinde cùm aliquis in locum domini Doctoris Hedionis esset substituendus, non tecum, sed cum domino Rectore, domino Dasypodio, & domino Herlino, rem communicauit: & me, te vel inscio vel inuito, vocauit. Postquam etiam veni, magnus ille & singulari in rebus omnibus iudicio praeditus vir, facilè animaduertit, qualem ab initio animum in tuo pectore erga me gestares. Nam viris, qui haec audiût, dixit, *Omnes mihi laudant Zanchium, D. Marbachius non vult laudare.* Quantam iacturam passa sit nō solùm tota Ciuitas, sed inprimis nostra Schola, ex ipsius morte, ipsa etiam subsellia Scholae norunt & sentiunt. Mihi vero quantum detrimentum, quantas molestias & vexationes, illius mei perpetuò obseruandissimi Mecoenatis obitus attulerit, satis & antea saepè, & nûc maximè sentio. Etenim nunc, licet nihil de re Sacramentaria pacis causa doceā: subinde tamē accusor apud bonos dominos, quod de re sacramētaria aliter doceam, quam in confessione Augustana continetur: & perpetuò eadem cantilena repetitur, *Confessio Augustana, Confessio Augustana*: sicut in Papatu: *Sacri Canones Sacri Canones.* Licet etiam doceam puram & certam doctrinam, è Scripturis, Patribus, & Bucero acceptam: cùm tamen lubet, accusor, quòd noua & inaudita dogmata in Scholam inuehebam. Licet totum annum doceam & saepe etiam aliorum labores, sine tamen vlla saltem gratiarum actione, sustineam, & domi perpetuo studeam, & scribā: accusor tamen, quòd negligam officium meum. Licet cum omnibus semper studuerim pacem colere, imò pacis, amicitiaeque colendae gratia, nihil non fecerim: traducor tamen tāquam turbator, rixator, &c. Facilè autem credimus illis, de quorum sanctitate, iudicio, candore & veritate sumus persuasi. Credo itaque, te D. Doctor nō solum optimè sciuisse quòd grauiter fuerim admonitus: sed etiam praesciuisse, quod essem admonendus.

Sed ipsius D Doct. verba liceat mihi examinare. Sciebam, *inquit*, illum nuper grauiter à D. Scholarchis admonitum fuisse: propterea mirabar, eum iam denuo noua dogmata in Schola proponere. *Quid est illud*, Grauiter admonitum, *cum illo* propterea denuò, & noua dogmata, coniunctum? Sensus est: fuit grauiter Zanchius reprehensus à D. Scholarchis, quod noua dogmata docuerit, & simul etiam seueriter admonitus, ne deinceps noua dogmata doceret. Propterea igitur mirabar, cum denuò noua dogmata proponere. Duo igitur illis verbis voluit D. Doctor, apud dominos collegas concludere. I. Dominos quoque Scholarchas non latere, quod noua dogmata docere solitus sim, & hoc aegrè ferre, propterea me ab ipsis nuper etiam ea de re fuisse grauiter reprehēsum. II. Voluit me crimine contumaciae in dominos Scholarchas perstringere, vt pote qui ab illis nuper admonitus ne noua dogmata doceam, non cessem tamen denuò noua dogmata docere.

Sed aliter se res habet. Primùm in ea admonitione, de qua loquitur D. Doctor, D. Scholarchae de nulla re mentionem fecerunt, nisi de re sacramentaria Deinde cū ego cōquestus fuissem, quod ita apud dominos subinde, à nescio quibus cū vellēt me vexare, accusarer, id que iniustè, cum omnes sint merae calumniae, dixerūt, se non me reprehendisse, quasi aliquid docuerim vel scripserim contra Augustanam Confessionē, sed tantū amicè monuisse ne si fortè ad hoc stimularer, in tēpore isto turbulento, aliquid de tali materia scriberem. Hoc idē repetierunt altera vice cùm ibi esset D. Rector. Ergo neque fui ab ipsis reprehēsus, neque in ipsos fui cōtumax.

Iohan. Sturm.

4. Accessi igitur, *inquit*, D. Rectorem, & exposui ei totum negotium, meum quoque dolorem (*ô magnum dolorem!*) quem ex supra dictis, *id est, impedito libello*, percepissem, quod scilicet metuam, ne in nostra Schola & Ecclesia magnas turbas habituri simus, nisi in tempore huic malo prospectum fuerit. D. Rector aliquomodo offensus, &c. Et meritò offensus. Quotus enim quisque est, qui, si sit homo sincerus & iustus, perspectis & fonte à quo, & fine ad quem, omnia D. Doctoris verba sub praetextu zeli ipsius Scholae tendebant, non fuisset offensus?

Quae posteà dicit de P. Martyre, se illum non eiecisse, & hoc probat per ea, quae ait se dominis Scholarchis de D.D. Petro dixisse, ad ea ego nihil respondeo. D. Petrus non fuit coecus adeò, qui non potuerit perspicere, quibus esset gratus, & quibus ingratus: neque nos sumus tam stupidi, qui nesciamus, multas esse vias, quibus itur Romam, & multas esse artes in orbe terrarum Hoc certum est, cùm rediit ex Anglia, & boni ac docti viri curarent illum retinendum, nonnulli suam tristitiam celare: cùm verò discessit, iidem suam letitiam dissimulare non potuerunt.

P. Martyris abitus Argentina.

Quòd ait *me promisisse, cùm reciperer, me nihil innouaturū* & intelligit D. Doctor, eorum scilicet quae vel ipse, vel Rabus docuisset, fabulae sunt. Mea prima lectio, aliud indicat: & fuissem magna bestia, si id promisissem. Nihil vnquam promisi, nisi primùm, nihil me docturum, quod pugnet cum verbo Dei: deinde nihil in re sacramentaria docturum, quod cum Augustana Confessione, orthodoxè intellecta, pugnaret: & tertiò, me, quantum in me esset, & quoad eius per verbum Dei liceret, pacem & concordiam cum omnibus culturum.

Deinde etiamsi promisissem, me nihil innouaturum, intelligendum esset, eorum quae M. Bucerus ex verbo Dei hic docuisset. Viderit ipse, annon multa innouarit ex iis, quae hîc, cùm Argentinam venit, reperit, idque tam in Schola, quàm in Ecclesia. Hoc meliùs norunt illi, qui fuerunt hîc tempore Buceri, & nunc etiam sunt tempore Marbachij. Illud Catonis nondum oblitus sum: *Turpe est Doctori, cùm culpa redarguit ipsum*: Illud item Apostoli Rom. 2. Qui praedicas non furandū, furaris, &c.

Quòd ait de Heidelbergēsibus, illos scilicet ex meis literis collegisse, nostros quoque pastores Argentinenses in alteram partem in re sacramētaria inclinare: quomodo conuenit cum illis, quae fuerunt scripta à Petro Colonio ad nostrum pastorem, meo nomine aliquos ibi ad suam sententiam confirmandam (vt habetis in mea narratione & epistola) abusos fuisse? item cum illo, quod nuper D. etiam P. Martyr scripsit (literae sunt apud me) cum Heidelbergenses haberent in animo, me ad suam Academiam vocare, scripsisse ad se, *an essem sincerus in re sacramentaria?* Me enim fuisse illis suspectum consensionis in re sacramentaria cum D. Marbachio.

De Heidelbergēsibus.

Deinde quomodo illa excusatio domini Doctoris de edito libello Heshusij conuenit cum illo, quod dixit se non curasse hunc librum imprimendum, vt inuulgaretur, sed tantum vt inter nostros studiosos exemplaria distribuerentur loco strenae, vt haberent quo confirmarētur in sana doctrina, quomodo, inquam, cum hoc cōuenit, quod modò dixit domino Rectori, se ideo curasse imprimendum librum, vt palàm fieret, quae esset sua & aliorum pastorum in re sacramentaria confessio & doctrina? An non potuissent vnis literis ad Heidelbergenses suam sententiam explicare?

Illud verò est auribus meis & verè piorum virorum intolerabile, cùm damnans meam doctrinam, nunquam aliam affert causam, nisi quod repugnet cum doctrina *Sua*, quasi verò doctrina *Sua* debeat esse regula omniū doctrinarum de religione. Quare non ait: Quia repugnat doctrinae Christi & Apostolorum? Probet, probet, si potest. Dominus Doctor, doctrinam quam de religione docui, pugnare cum doctrina Christi & Apostolorum: adde etiam, cum doctrina, quam hic ante D. Marbachium docuit Bucerus, & loquor de dogmatibus ad pietatem pertinentibus.

5. Cùm recenset quaedam (sed non omnia) capita eorum in quibus dixeram in Capitulo, me fuisse à se laesum: primùm ait hoc fuisse, quod in publica disputatione de imaginibus, mihi restiterit. Quasi verò ego debuerim offendi, quod argumentatus fuerit contra meas theses: vel quasi ipse ibi me suis argumentis conuicerit, imò contrà ipse laesus à se ipso, ante absolutam disputationem iratus discessit. Res ita se habet. Ego praeter alia dixeram, ipsum quoque Bucerum cum reliquis omnibus Argentinensis Ecclesiae Pastoribus, imò totam hāc vrbem, damnasse imagines in tēplis, id quod apparet ex epistola, quam Bucerus & alij Pastores ad Marpurgēses scripserunt, & quā etiā ego habeo. D. Doctor igitur voluit probare, neque ciuitatem hanc dānare imagines in templis. Probauit autē hoc exēplo, *quia in tēplo quodam huius vrbis adhuc videre est imaginem mortis, quae reges, principes*

Imagines.

Argumentatio Marbachij pro imaginibus in templis.

principes & omnes mortales, si cum ducit. tum ego respondi, me de iis imaginibus loqui, quæ vel solæ sint adorari vel facilè possint adorari. Nihil autem esse hîc periculi, vt quispiā velit mortis imaginē adorare. Ibi multi riserunt, & D. Doctor discessit iratus. Huius rei possunt esse testes infiniti. Auditorium enim fuit frequentissimum. Quomodo igitur verisimile est, me ei dixisse, me fuisse offensum, quod mihi in ea disputatione restiterit? Tantum dixi, me fuisse læsum, quod propter illam disputationem accusarit me apud Dominos Scholarchas. Testes esse possunt illi duo nostri collegæ, D. Conradus, & D. Theobaldus procurator.

Illud etiam *Rursus* in quarto capite, si referat ad doctrinam quam nunc damnat, de perseuerantia sanctorum, falsò adiectum est. Nunquam enim ante Heshusij librum, ducttinam hanc, quod sciam, improbauit.

Quòd verò ait, Me ibi in Capitulo dixisse, se mihi in re sacramentaria, cùm essemus in Lechthenavv, cessisse, duo collegæ testes sunt, an sic locutus fuerim. Tantùm dixi, eum in colloquio priuato dixisse, se nolle ampliùs de ista vbiquitate corporis Christi mecum contendere. Ego certè in illo colloquio, quod habuimus in capitulo, non fui ita immodestus, vt voluerim vti hoc verbo tam arroganti, D. Doctorem mihi in re sacramentaria cessisse.

6. Ad illa, quæ dicit se in Capitulo mihi obiecisse, non respondeo: quia in mea narratione ego quoque ea & simul etiam meas responsiones recitaui. Tantùm tria sunt notanda. I. Cùm ait, me fuisse abusum opera D. Rectoris, dico fuisse legitimum vsum, non abusum.

II. Cùm exaggerat, me non fecisse officium boni compatris, quòd primùm nō cum illo communicaui deinde quod significarim negotiū Palatino: causas istorum duorum in mea narratione attuli: ad exaggerationem verò respondeo, si in hoc meo facto vllum concedi potest peccatum in suum compatrem. ipse D. Doctor & priùs & longè grauiùs peccauit, cùm curādo Heshusij librum imprimendum suum compatrem & collegam, vnà cum innumeris piis & Ecclesiis, hæreseos & atheismi damnauit.

Postremò, ad illud quod tertio loco dicit, se mihi obiecisse dicendo: *Quia in tua Epistola, quā mihi legendā & subscribendam dedisti gratulatus es amico, quòd princeps Palatinus eos qui eandē doctrinā nobiscum profitebantur, eiecisset: imò vocasti eos turbatores.* Ad hoc sic respōdeo: Epistola mea lecta fuit in consilio. Ibi simpliciter gratulatus sum, quod princeps Palatinus curarit turbatores vel eiiciendos vel cohercendos. Hæc autem vox, tam ad vnam partem, quàm ad alteram (ambæ enim fuerunt eiectæ) referenda est: & locutus sum sicut etiam D. Philippus in iudicio. Iniustè igitur eam vocem restringit D. Doctor ad *Suos*.

Erastus. Quòd ait de literis ad D. Erastum scriptis ego propriè sic respondi. Tu tantùm suspicionibus hîc agis: charitas autem non suspicatur malum. Cùm vero ille dixisset, esse in vrbe virum grauem qui hoc sibi dixisset: respondi in hæc verba: Bene, quid tum? annon mihi etiā licet ad amicos scribere, si quid noui contingat?

Sed id quod addit: Me dixisse, *Quod autem ad Electorem negotiū hoc delatū fuerit, id non mea culpa factū esse*: Testificentur duo Collegæ, an hoc à me audierint, nec ne: imò contrà in Capitulo sponte vobis narraui, me ad D. Erastum scripsisse, vt hoc significaretur Principi, & causas, cur id fecerim, disertè vobis explicui, nimirum vt quia audieram tentari rursus, vt absolueretur libri impressio, ipse Elector per literas ad Senatum impediret: & simul gratias ageret Senatui pro sua erga se obseruantia. Si verum esset quod dicit Dominus Doctor, quare voluissem vobis narrare quod narraui, & me ipsum mendacij coram collegis meis damnare, presertim non coactus, nec interrogatus, sed sponte?

7. Quæ refert de eo tempore, cùm in hypocaustum D. Rectoris, quo cum ego eram, ipse D. Doctor ingressus est. ipse D. Rector, qui non caret memoria, poterit optimè omnium recordari. Res ita se habet. Sedebamus ego & D. Rector. ad mensam, & legebamus in locis Philippi, superuenit D. Marbachius. Surrexit D. Sturmius, & cum eo cœpit deambulare. Ego mansi sibi ad mensam, sed stans. Cùm D. Doctor neque me salutasset, neque alloqueretur, & vicissim neque ego illum. D. Rector dixit in hanc sententiam. Putabam vos esse reconciliatos, quid sibi vult, quod non loquimini simul. & nō colitur amicitia? Tùm ego, antequam etiam D. Marbachius quidpiam respondisset, dixi: Quod ad me attinet, ego non possum colere amicitiam cum homine, qui doctrinam Christi improbat. Tum ille conuersus ad D. Rectorem, subridens dixit, Audis? Vides? &c. Et cùm ego pergerem quædam alia dicere in illum sicut ipse D. Doctor benè narrat &c. ipse relicto D. Rectore conuertit se ad fornacem, vbi erat vxor Domini Sturmij: paulo post discessit. Nam paucissimis verbis ipse vsus fuit, & prudenter sibi cauit à periculo alicuius verbi contumeliosi. Ego verè (fateor) sine freno, quæ in stomacho habui, expectoraui. Sed qđ ait, me dixisse *peperci tibi & collegis*, quid sibi velit, nescio. Quid est, ego peperci collegis? Ego tantùm dixi, quod ad priuatas & personales iniurias attinet, illi pepercisse. Cæterùm quia doctrinam, quam ego docui, & quam certò scio esse Christi, impugnat: non posse me amicitiam cum eo colere.

Quod verò subdit, *Me doctrinam Lutheri appellasse diabolicam*: Deum immortalem, qualis hæc calumnia! nam ne mentio quidem vlla facta fuit nominis D. Lutheri. Quorsum ista tua appendix D. Doctor? vt me toti Germaniæ, nedum toti ciuitati odibilem & execrabilem reddas? Hæccine est veritas & sinceritas Germanica, quam iactas? Librum Heshusij D. Doctor, appellaui diabolicum: idque dixi propter conuitia quibus plenus est, præsertim quia tot Ecclesias & pios viros damnat hæreseos & atheismi. Dixi, nullies, me nihil moratum fuisse illius doctrinam: sed illa conuitia in pios & Ecclesias Christi, me commouisse. Nunc D. Doctor, quod dixi in librum Heshusij, trahit ad doctrinam D. Lutheri. Ego, si vnquam precatus sum Deum pro D. Doctore, nunc maximè precor, vt eum Dominus Iesus conuertat, & vera pietate, sanctitate, ac sinceritate, puráque in omnibus doctrina, & aliis Spiritus sancti donis quotidiè magis ac magis exornet: Si non aliam ob causam, saltem propter salutem huius Christianæ ciuitatis; cuius, testor Dominum Iesum, ita me miseret, vt cuius maximè. Heshusij liber diabolicus.

8. Ait, *Ibi in conuentu se à pastoribus fuisse reprehensum, quod permitteret nouam doctrinam auribus nostrorum studiosorum obtrudi: & eam, quam docui de prædestinatione*, id est, de perseuerantia Sanctorum in fide, *pugnare cum doctrina nostrarum Ecclesiarum*.

Primùm in omnibus conuentibus interfuit etiam pastor nostræ Ecclesiæ Gallicanæ. Is tamen affirmat aliquid tale in conuentu nunquam propositum fuisse, nisi fortè, post dimissum conuentū iterum clam se, pastores tantùm Germanici conuenerint, cùm tamen noster pastor vir sit senex grauis, doctus, modestus, & qui multorum ex pastoribus posset esse Pater & præceptor dignissimus. Deinde nulli etiam ex iis, quos vocant Diaconos, interfuerunt pastorum conuentui: cùm tamen inter Diaconos, multi sint viri senes & graues, & docti, & pij, iudicio & rerum peritia præditi, quique optimè tenent mores & consuetudines huius Ecclesiæ Argentinensis, quales erant in hac ciuitate, cùm viueret Zellius, Capito, Bucerus, & alij graues & verè pij viri. Quid dicam de reuerendo & venerando Patre D. Theobaldo Nigri? Et si non ampliùs per imbecillitatem corporis, suum exercet officium in ministerio: annon tamen deberet in rebus omnibus ad religionem & Ecclesiam pertinentibus, tanquam omnium (saluo cuique suo honore) optimus, prudentissimus, doctissimus, rerum Ecclesiasticarum peritissimus, consuli? Cur tantus Pater negligitur ac contemnitur? Memineritis, reuerendi collegæ, causæ perditi regni Israelis, cùm defecerunt à Rhoboamo decem tribus: ea fuit, vt Scriptura testatur. 3. Reg. 12. quia Rhoboamus rex, stultus iuuenis, noluit senum consilia audire, sed stulta iuuenum consilia secutus est. Theobaldus Nigri.

Sed redeo ad istum conuentum. Rogo Dominos collegas, benignè audiant, quod dicturus sum. Nam etsi omnes sint amici, ipsa tamen veritas debet esse omnibus carior. φίλος μὲν Σωκράτης, φίλος δὲ Πλάτων, ἀλλὰ φιλτάτη ἡ ἀλήθεια. Primò, res de qua erat deliberandum, grauissima est, nempè de doctrina vnius ex suis collegis, & sacrarum literarum in Schola professoris: & de qua doctrina? de illa in qua maxima pars articuli de iustificatione consistit. Agitur hîc de salute non Scholæ tantùm, sed totius Ecclesiæ Argentinensis. Opus igitur erat, diligenti, matura & longa, multorúmque & grauissimorum virorum deliberatione. Deinde ille, cuius Iudicia Ecclesiastica qualia debeant esse.

Concil. Carthag. 4. in 1. Tom. concil. Can. 30 Caueāt iudices Ecclesiæ: ne absente eo cuius causa ventilatur: sententiam proferant, quia erit irrita. Imò & causam in Synodo pro facto dabant.

doctrinam damnare, & posteà tanquam à se damnatā, ad Senatum vel ad Dominos Scholarchas referre volebant, erat priùs accersendus & audiendus. Sic enim volunt omnes leges: præsertim cùm factus de conuentu ex mandato Dominorum nondum sim ex mandato eorundem Dominorum è conuentu eiectus. Quanta enim sit ista tyrannis, damnare aliquem, siue in doctrina, siue in alia causa, nisi priùs ipsemet audiatur, præter omnes omnium Gentium, quātumuis barbarum, leges, ipse Nicodemus in Euāgelio docet, cùm ad ipsos Pōtifices & Pharisæos, qui Christum & eius doctrinam dānabant, dixit: *Nunquid lex nostra iudicat hominem, nisi prius audierit ex ipso, & cognouerit quid faciat?* Hāc autem Nicodemi sententiam ex lege Dei desumtam, Euāgelista ideo recitauit vt eam approbaret, factúmque illorum Pontificum damnaret. Atque eò magis ego eram vocandus & audiēdus, quòd tractationem meam nondum absolueram, quomodo mea sententia esset intelligenda, nondum (loquor in ista tractatione) planè explicaram: id quod facturus eram, inter conciliandos scripturarum locos in speciem pugnantes. Adhæc doctrina ipsa, audita priùs illius explicatione, ex meo proprio ore, erat non ad id, quod ipsi sentiunt & docent, sed ad verbum Dei diligenter examinanda, additis etiam optimis quibusque Patribus, & præsertim scriptis Buceri, si cupiunt retinere veterem huius Ecclesiæ doctrinam. Postremò, iuxta regulam Spiritus sancti in scripturis, & Canones veteris Ecclesiæ, antequam me ad Dominos Scholarchas vel ad Senatum, tanquam hominem malæ doctrinæ, deferendum curassent, debuissent me prius per Scripturas conuincere erroris. Hic ordo seruandus erat Reuerendis dominis Pastoribus: sic docet Scriptura: sic docent leges: sic denique docent omnes vere pij & docti viri. Nec certè egisset aliter pius & nunc beatus Bucerus, si hîc, (ô vtinam) esset apud nos & Ecclesiam hanc gubernaret. Non aliter faciendum esse, respondisset, credo, bonus pater Theobaldus & alij senes symmystæ, quos Diaconos vocant, si in consilium adhibiti & suam sententiam singuli interrogati fuissent. quare? quia norunt, non tantùm vt docti: sed etiam vt senes, hunc esse legitimum ordinem & antiquam, tempore etiam Buceri, obseruatam custoditámque consuetudinē. Legantur, rogo, quæ D. Brentius scribit in illud consilium Pontificum, quod describitur Ioan. 11. Hom. 5. Dum enim declarat, quæ peccata fuerint admissa ab illis pontificibus in concilio: consequenter à contrario docet, quæ sint in vnoquoque concilio seruanda, inter alia docet: I. cognoscendam priùs semper esse causam. II. debere abesse omnes malos & prauos affectus. III. omnia iudicio recto, nimirum iuxta scripturas, esse iudicanda.

In vnoquoque concilio quæ sint seruanda.

Dixi simpliciter, quis ordo seruandus, antequam damnaretur doctrina vnius, qui 8. annos hic fideliter docuit: & antequam ad dominos Scholarchas iretur, & mihi illius meæ inchoatæ tractationis de perseuerantia Sanctorum in fide, continuatio interdiceretur.

Cæterum quomodo actum sit, partim D. Doctor narrauit, partim res ipsa docet. I. Ne vnus quidem, vel coram, vel per schedam, vel per internuntium, explicationem meæ doctrinæ à me petiit. II. Propositurí rem tam grauem, missos quoque faciūt reliquos symmistas, quos vocant Diaconos. Non dubito tamen, quin hæc sit mens Magistratus, vt cùm de aliqua re graui deliberandū est, omnes qui sunt de conuentu, pastores, Diaconi, & alij, vocentur, interrogentur, audiantur. Pontifices & Pharisæi deliberaturi de Christo vel occidendo, vel inter Gentes eiiciendo, vocant etiam Nicodemum & Iosephum, qui tamen non consensuri erant in consilium Pontificū: non excludunt eos, quos vel certò sciunt, vel saltem suspicantur sibi contradicturos. III. Neque etiam inter se priùs (quantū ex domini Doctoris Narratione colligere licet) doctrinam meam ad Scripturas examinant, sed absolutè eam damnant. IV. Et qua ratione? non dicunt, quia pugnat cum Scripturis, sed quia pugnat cum doctrina Ecclesiarum nostrarum. At scimus, inquient, doctrinam *Nostrarum Ecclesiarum* esse bonam, & conformem sacris literis. Etiam Papa ita ait, se scire, doctrinam Ecclesiæ Romanæ esse veram & Apostolicam. Nō satis est dicere fratres, oportet probare. Pij populi non sunt cōtenti, quod Papa dicat se scire, petunt, vt faciat alios quoque scire, quomodo? scripturis. V. Ego non vocor, non admoneor, non conuincor erroris: cogitant tamen nisi D. Marbachius ipse prospiciat, rem deferre ad Senatum, id est, me apud Senatum de noua doctrina, cum suarum Ecclesiarum doctrina pugnante, accusare: atque ita non multò pòst contigit. Verum fuit ad dominos Scholarchas, persuasum illis bonis dominis, me perniciosam doctrinam docere, & tandem effectum, vt mihi continuatio doctrinæ de Perseuerantia Sanctorum interdiceretur.

Hæc verò ideò dixi, non tàm, vt cùm dominis Pastoribus de hoc facto expostulem, quàm vt eos rogem, posthac meliorem seruent ordinem.

9. Quòd verò refert de voluntate Senatus, quasi ego illam sim transgressus contumaciter: Ego hanc semper fuisse intellexi, vt in genere docerem consentienter in Domino, id est, secundum Dei verbum & Buceri doctrinam, quatenus habet certa testimonia ex verbo Domini: speciatim verò, de re sacramentaria nihil docerem quod cum confessione Augustana orthodoxè intellecta, pugnaret. Quæ autem ipsi Domini Pastores proposuerunt dominis Scholarchis de Perseuerantia Sanctorum in fide, quam ipsi vocant Prædestinationem: etsi pugnāt cum iis, quę ipsi docent, ea tamen esse consentanea verbo Dei, & Buceri doctrinæ, scriptæ & consilio datæ meę prælectiones, planum facient, & breui etiā, vt spero, magis & magis planum ac perspicuum fiet.

10. Quod narrat de meo famulo, quod scilicet è schola discesserit, ea nihil ad causam nostram faciunt, nisi fortè D. Doctor velit illud factum ita interpretari, quasi me aliquo modo autore factum fuerit. Sed ita interpretetur, non Christianè agit, atque fecerit mihi summam iniuriam: imò verò cum domum ille rediisset, & totum factum mihi in mensa narrasset, ego illum corā vxore & tota familia acriter obiurgaui. Ille se ita excusare, & dicere, I. fuisse se nimis grauiter offensum lectione domini Doctoris, quod eam doctrinam, quam ego apertissimis Scripturæ, Augustini, & Buceri testimoniis comprobaueram & confirmaueram, ipse contraria doctrina ineptissimè improbasset, & absurdissima multa docuisset. Deinde cùm ego dicerem Debuisses tamen vsque ad finem ibi mansisse, nec ante horam, cum ipsius D. Doctoris & reliquorum auditorum admiratione discedere: tùm respondit discessisse se quidem ante absolutam lectionem, sed non nisi post auditam decimam, id quod etiam alios fecisse in meis lectionibus nonnunquam vidisset. De magno strepitu occlusæ ianuæ, nihil dixerat: imò falsissimum esse contendit. Tùm quieui, & iussi, ne ampliùs ita faceret: promisit, &, vt audio, præstitit.

Quod postea narrat de multis, qui partim obmurmurarunt de lectionibus D. Doctoris, partim rumorem sparserunt, D. Doctorem non retinere doctrinam Buceri, satis demonstrant, non igitur meis tantùm tractationibus aliquos, sed etiam D. Doctoris lectionibus alios, & quidem non paucos & indoctos, offendi.

Quæ verò subiicit de Bucero, quid scilicet ipse sciat quę fuerit doctrina Buceri: quod publicè fuerit ab eo de omnibus articulis fidei interrogatus: quod lectio theologica & totius Ecclesiæ cura, sibi ab eodē Bucero fuerit commendata, quod amicas ab eo ex Anglia acceperit sæpè literas, &c. quibus omnibus concludere vult, calumniam esse, quod ipse à doctrina Buceri recesserit, non opus habent mea responsione. Quę enim sit doctrina Buceri, libri eius testificantur. An autem ab eius doctrina, & quibus in rebus recesserit dominus Doctor, etsi ea, quæ mihi obiicit & damnat, collata cum iis quę ex Buceri scriptis fideliter recitaui, satis apertè demonstrant: tamen clatiùs etiam, Deo volente, breui patefit.

Buceri doctrina.

11. At reliqua, quæ subdit de Confessionibus & profectionibus VVitebergam, &c. nihil ego respondeo, quia ista mihi non sunt nota, nec scio, an ad causam nostram spectent, alij de iis rebus iudicent.

Tātùm ad duo, quæ in calce suæ narrationis habet, respondebo, & postea finem dicendi faciam. Vnum est quod ait: *Si Zanchius vestra autoritate motus, cōsimiliter huic nostra doctrinæ docere velit, ego libēter ipsū ferā.* Respondeo: Autoritatem consilij nostri maximi, vt debeo, & par est, facio: Et ea, salua priùs autoritate Senatus & dominorum nostrorum, tanti apud me est ponderis, tantúmque valet, vt facilè ea possim ad quiduis quod consilio placeat præstandum, promoueri, sed in rebus ciuilibus, humanis, honestísque. Ceterùm in rebus diuinis, nullius, nisi Dei & sui verbi autoritate moueri aut volo aut possum.

Sum etiam ita de Consilij nostri pietate persuasus, vt

nec ipsum velit me in iis,quæ ad doctrinam de religione pertinent vel sua,vel totius etiam mundi. præterquā illius, qui in cœlo regnat, atque in scripturis per Apostolos & Prophetas locutus est,Christi autoritate moueri. Quare iterum dico , proclamo, protestor, me nolle vllius vel hominis,vel ciuitatis, vel regni,vel etiam omnium angelorum,nedum D. Marbachij & suorum symmistarum doctrinæ assentiri, subscribere, conuenienter docere , nisi prius illam cum doctrina Christi consentire, apertis Scripturæ testimoniis demonstratum fuerit. Sic me docuit Dominus:sic Apostoli: sic Patres : sic Lutherus,Bucerus & alij docti & pij viri. Bucerus in reformatione Coloniensi cap.1 de doctrina , posteaquam ostendit, omnes homines facilè errare posse, ac proinde non hominum placitis , sed solo Dei verbo nitendum esse, posteà infert dicendo:[Vnde,vt D. Augustinus ita & cæteri patres & Doctores veteres, scripta omnia & sententias , eorum qui aut ante eos,aut ipsorum tempore docuerint,non ideò receperunt , quod à viris tanta tùm pietate, tùm doctrina præstantibus proficiscerentur: sed quatenus suam quisque doctrinam & sententiam ex verbo Dei & rationibus certis confirmaret: easque tantùm rationes certas habuerunt , quas ex verbo Dei deductas intelligebant. *Postea concludit.* Quamobrem omnis piæ doctrinæ confirmatio , solo scripturæ testimonio constat, cui quicquid de Deo & Christo nostro & credimus & docemus,inniti debet.Hæc enim sola,verbum Dei,cui soli in diuinis est credendū,sincerum & certum proponit,quippe non ab hominibus,sed à Spiritu sancto cælitùs dictata,quemadmodum testatur D. Petrus.cùm inquit: Illud primùm scitore , quod omnis prophetica Scriptura non sit priuatæ interpretationis : Non enim voluntate hominis allata est aliquando prophetia : sed à Spiritu sancto impulsi locuti sunt sancti Dei homines. 2. Petr. 1.Humanæ itaque doctrinæ omnes in Ecclesia, quæ non nituntur Dei verbo in Scripturis tradito , inutiles sunt & perniciosæ,teste Christo & Iesaia. At Scriptura sacra , certa & salutifera nobis doctrina est , sicut docet Paulus, cùm inquit : Omnis Scriptura diuinitùs inspirata, vtilis est ad doctrinam, ad redargutionem,ad institutionem,quæ est in iustitia , vt integer sit Dei homo ad omne opus bonum paratus.2. Tim.2.]

Cui subscribendum sit.

Matt.15. Iesa.29.

Hæc Bucerus ibi.

Hæc igitur quod ad hoc primum attinet,esto conclusio.D Doctor distinctè & perspicuè proponat totam istam doctrinam; cui vt subscribam & cōsentienter doceam, petit.Deinde illam claris & perspicuis Scripturæ testimoniis probet , esse doctrinam Christi. Tertio, illā mihi det,& sinat me quoque tùm ipsam,tùm probationes, ad lapidem lydium scripturarum examinare , sicut etiam Thessalonicenses in Actis doctrinam Pauli ad Scripturas propheticas examinarunt. Postremò coram piis viris & doctis, non solùm ex vrbe nostra, sed etiam aliunde,si visum fuerit,audiatur mea responsio. Tunc si quid recusauero,rationes cur id recusem , in mediū adferam. Iudicium erit penes illos viros pios & doctos. Ipsi enim si fuerint viri verè pij & docti, non iudicabūt, nisi allatis breuiter sui iudicij rationibus. Tùm demum etiamsi tu vel ego noluerimus illorum iudicio acquiescere, æquitas tamen postulabit , vt qui non potuerit illorum iudicium refutare:tantisper tamen conquiescat, dum vel ipse vel alij pro se meliora potuerit pro sua sententia defendenda proferre.

Alterum ad quod mihi respondendum est , est illud quod concludit dicendo: [Et si nolit nostræ scilicet doctrinæ consentienter docere : sicut ipse ad Magistratum appellauit , & quemadmodum nos quoque publicā disputationem expetimus , cogemur eò confugere. Permittemus libenter iudiciū Magistratui & bonis ac doctis viris:si conuicerit nos,quod certè,confido, in æternum non poterit, dabimus libenter pœnas: sin minùs, speramus Magistratum cum eo acturum , vt deinceps non amplius molestus sit sua doctrina futurus.]

Respondeo. D. Doctor memineris totius istiustuæ promissionis.Quid tibi vis,cùm ais: *Si conuicerit nos?* Ego non profiteor, me conuicturum vos, sed tantùm doctrinam meam,quam improbatis testimoniisScripturæ, Patrum, adde & Buceri comprobaturū: Si verò vos hāc poteritis refutare,me illam retractaturū.Tu verò inuertis adhuc ordinem.Neque enim ego susceperam vestrā refutandam,sed tu meam improbasti, & refutādam suscepisti. Tuum igitur est Domine Doctor , qui damnas meam , conuincere me. Et si non poteris,tuum erit,& retractare sententiam , & te meam doctrinam temerè improbasse , méque propter eam multe vexasse, ingenuè & candidè, vt non solùm virum Germanum,sed & omnem virum bonum decet,publicè fateri.

Nunc itaque mitto ad te omnia illa, quæ in mea doctrina partim in Schola , partim apud Dominos Scholarchas,partim in Schola, partim apud Dominos Scholarchas, partim in consilio,improbasti.

Tu illa vnà cum tuis reuerendis Dominis Pastoribus quandoquidem,ne solus esses , eos tecum in hanc controuersiam traxisse videris diligenter examinabis, & ad ea refutanda te parabis.

Est quidem mea sors miserabilior , quoniam multi, iique docti, contra vnum. Tamen quia non est mihi animus resistere veritati , sed defendere vel saltē discere veritatem, propterea mihi eò eritis gratiores , quò plures & doctiores.Nam edoctus à pluribus,pluribus etiam debebo.

Omnia amicè,Christianè,positis omnibus affectibus propriis , ad gloriam Dei , salutémque huius ciuitatis fiant:& Deum precor , & te D. Doctor cum tuis omnibus oro,atque obsecro.

THESES HAE SVNT.

De fine sæculi.

I. Quoto die,vel quoto mense , vel quoto anno , vel quo sæculo futurus finis mundi, & rediturus Dominus: neque vlla certa scientia, neque vllis coniecturis, agnosci ab vllo mortalium potest. Hæc enim fuit conclusio meæ prælectionis de tempore finis sæculi.

De Antichristo.

II. Etsi reuelatum est iam pridem regnum Antichristi, quisque in illo primatum tenet , & regnat, verus est Antichristus: dicere tamen sub finem seculi , insignem quendam , & omnium in iniquitate excellentissimum, verum & perfectum Antichristum , qui etiam miracula edat,venturum non pugnat cum sacris literis.

De signis finis sæculi.

III. Dicere pro conciliatione loci Lucæ 18. *Putas cum venerit filius hominis,inueniet fidē in terrā?* cū loco Pauli Rō.11.*Nolo vos ignorare mysterium hoc,quod cæcitas etiā ex parte contigit in Israel donec plenitudoGentiū aduenerit, & sic omnis Israel saluus fit* dicere, inquam, pro conciliatione horum duorum locorum, quod dum regnabit ille summus & vltimus Antichristus , propter ipsius tyrannidem parum fidei reperietur in terra : sed post illum occisū Spiritu oris Christi , copiosa Iudæorùm multitudo ad Christum conuertetur , id quod fit per fidem, & sic tunc erit multa fides in terra , non est contra verbum Dei.

De prædestinatione.

1.

IV. Certus est apud Deum , tùm electorum ad vitam æternam , tùm reprobatorum atque ad interitum prædestinatorum numerum.

2.

V. Sicut electi ad vitam perire non possunt, ideóque saluantur necessariò: ita quoque qui ad vitam æternam prædestinati non sunt,saluari non possunt, ideóque necessariò damnantur.

3.

VI. Qui semel electus est,non fit,nec fieri potest reprobus.

De vinculis quibus colligamur Christo & Ecclesiæ.

VIII. Duo sunt vincula,quæ ad hoc,vt Christo & Ecclesiæ verè colligemur , prorsus necessaria sunt : vinculum æternæ electionis in Christo : & vinculum Spiritus Christi , ideóque fidei in Christum. Atque hæc duo primò interna sunt & inuisibilia : deinde indissolubilia.

2.

VIII. Duo vincula sunt , quibus Ecclesiæ , quod ad externam eius faciem attinet , coniungimur : Professio doctrinæ Christi & participatio sacramentorum. Atque hæc primùm externa sunt & visibilia: deinde dissolubilia,quatenus potest quis & ipsam doctrinam reiicere & ipsa sacramenta respuere.

De fide.

1.

IX. Electis in hoc sæculo semel tantùm vera fides à Deo datur. Et qui ea donatus est, præsertim de adultis loquor, eam in se ipso sentit, id est, certè cognoscit, & sentit, se verè credere.

2.

X. Electi semel vera fide donati, Christóque per Spiritum sanctum verè insiti, fidem prorsus amittere, Spiritum sanctum omninò excutere & à Christo excidere penitùs non possunt: idque tùm propter promissionem Dei: tùm propter Christi precationem. Neque tamen hinc sequitur, vel pœnitentiam negari, vel licentiam concedi.

3.

XI. In electis regeneratis, duo sunt homines, interior & exterior. Ij cum peccant, secundùm tantùm hominem exteriorem, id est, ea tantum parte qua non sunt regeniti, peccant: secundùm verò interiorem hominem, nolunt peccatum, detestantur peccatum, & condelectātur lege Dei. Quare non toto animo aut plena voluntate peccant.

4.

XII. Petrum, cùm negauit Christum, defecit quidem fidei cōfessio in ore: sed non defecit fides in corde.

De promissionibus.

1.

XIII. Promissiones de gratuita Dei misericordia, déque certa & æterna salute, etsi vniuersaliter omnibus proponuntur & prædicandæ sunt: ad ipsos tamen tantùm electos reipsa pertinent.

2.

XIIII. Quare eum Paulus ait, *Deus vult omnes homines saluos fieri*: Si quis illam vocem *Omnes* restringat ad omnes electos, in quocunque hominum ordine sint, item si illud 1. Iohan. 2. Christus est propiciatio pro peccatis totius mundi, interpretetur pro electis vniuersis per totum orbem dispersis aut dispergendis, non deprauat Scripturas.

Hæc omnia nupér improbauit Dominus Doctor. Illius igitur erit etiam Scripturis eadem refutare. Quia tamē incepit refutare tùm in Schola, tum in Consilio, propositionem decimam quæ est de perseuerantia Sanctorum in fide, primo loco argumenta contra eam allata, atque hîc in Consilio recitata, mihi, vt ad ea respondere possim, dari postulo.

DIXI.

CAPVT IV.

NARRATIO D. HIERONYMI Zanchij, recitata ab ipso in Capitulo 7. Martij Anno 1561.

CLarissimi Domini collegæ, reuerēdique fratres, ego sanè non possum satis laudare vestrum pium & sanctum consilium, quo decreuistis, totam controuersiam, quæ hoc tempore inter me & D. Marbachium Decanū est orta, plenè cognoscere: idque in hunc finem, vt, si fieri possit, vos tanquam æqui arbitri & amici, eam cōponatis. Ago etiam vobis gratias pro vestro labore, quem suscipitis.

Exposuistis mihi ea quæ hesterno die D. Marbachius attulit. Antequam autem ad ea respondeam ego peto à vobis duo: Primum, vt præter illa quinque postulata capita, quæ vobis à D. Marbachio data esse dicitis etiam mihi reliqua, quæ coram vobis exposuit, scripto communicare velitis. Sic enim mihi faciliùs erit, ad singula ordine respondere. Alterum quod peto, est, vt mihi antequam ad illa, quæ D. Marbachius narrauit, respondeam, liceat quædam præfari, quæ faciunt ad totam hāc causam meliùs explicandam. Causa hæc, vt videtis, grauissima est. Sunt enim hîc tres grauissimæ quæstiones. Prima, est de pace communi, in qua eramus, turbata & violata, hîc igitur videndum erit, vter fuerit huius turbatæ pacis autor. Altera, est de infamia meæ personæ, & consequentet etiam mei officij. Traducor enim grauissimè & accusor, non tantùm hîc, sed etiam apud Dominos Scholarchas & alios, non alicuius leuis criminis in secundam tabulam decalogi admissi: sed grauissimi sceleris in primam tabulam perpetrati, nimirum quod nouam, inauditam, impiam, atque ideo perniciosam doctrinam in Scholam hanc inuexerim, quod scilicet Deus sit autor peccati: item quod homo Christianus non peccet voluntate. Hîc itaque, videndum erit, an vera illa sint, quæ mihi de tanto crimine obiiciūtur. Tertia quæstio, quæ hîc agitatur, est de qualitate doctrinæ quam ego in Schola hac me docuisse, profiteor. quædam enim ex iis sunt, quę mihi falsò obiiciuntur, vt illa duo superiora: quædam verò opus habebunt maiore explicatione. Hîc videndum erit, vtrum impia docuerim, & profectò status præcipuus totius causæ in hac tertia parte positus est. *Status cōtrouersiæ.*

Ad causam autem aliquam plenè cognoscēdam, plurimùm refert, scire initium causæ, progressum & finem, omniáque quæ ad illam causam faciunt. Ego vt meliùs totam controuersiam intelligaris, viri clarissimi: deinde vt meliùs de ea possitis iudicare, ego paulo altiùs exordiar quàm fecit D. Marbachius. Primùm narrabo à quibus, qua occasione, & quibus conditionibus, huc fuerim vocatus. Deinde commemorabo etiam ea, quæ primis annis contigerunt. Et sanè videbitis vos, hæc omnia non aliena esse à præsenti causa. *Ad causam aliquā plenè cognoscendam quæ requirantur.*

Quod si vero non potero hodierno die omnia explicare, rogo vos, liceat mihi cras, ea hora, qua vobis commodum videbitur, reliqua persequi, quò enim plus spatij mihi à vobis concessum fuerit, eò gratius illud mihi erit. Hoc vnum tantum vos rogo, vt patienter & bona cum venia me dicentem audiatis.

Decimoquinto huius Mensis Martij die, annus erit octauus, ex quo à clarissimo viro D. Iacobo Sturmio, pię memoriæ, & aliis duobus dominis Scholarchis in hanc Scholam vocatus veni. Quomodo autem interea temporis me gesserim, & quam vitam domino Deo ita concedente, hîc traduxerim, omnes vos nostis ex consuetudine, quam ego vobiscum & vos mecū habuistis. Qua verò occasione permoti domini Scholarchæ, me vocarint, ipsi in suis ad me datis literis indicarunt, nimirum recordatione D. P. Martyris, quod scilicet (vt ego interpretor) recordarentur adhuc, quàm Christiane, piè, diligenter & feliciter hîc docuerit D. P. Martyr: & quam modestè & pacificè cum reliquis vixerit. *Zanch. vocat' Argētinā. Anno. 1553. 15. Mart.*

Ex his quæ domini Scholarchæ mihi scripserant, colligebā duo: Primum, probari hîc eam doctrinam, quā anteà D. Bucerus, & cum illo D. Martyr in hac schola docuerat; & me vocari, vt eandem hîc doctrinam profiterer, alioqui me non à dominis Scholarchis fuisse vocandum. Alterum quod ex dominorum Scholarcharum literis colligebam, fuit Senatum cupere, illam doctrinam de qua modò dixi, in hac vrbe & Schola retineri.

Conditionibus verò iisdem vocatus fui, quibus ante me D. Petr. Martyr fuerat receptus. Præter alias autem illius conditiones, etiam hæc vna fuit, videlicet quod fuit ei liberum, sacras scripturas explicare pro suo iudicio: modò ne quid contra analogiam fidei & S. scripturam doceret.

Adiecerunt etiam D. Scholarchæ, curaturos se, vt nō minùs libenter hîc essem, quàm fuerit D. D. P. Martyr, qui sanè libēter hîc fuit, & à nemine vnquam vexatus. Colligebam præterea, hanc vocationem esse veram & legitimam, & doctrinam Buceri, quam ego in Italia diligentissimè cognoueram, fideliter hîc retineri. Ac fuit hæc præcipua causa, quare vocationi huic & literis D. Scholarcharum acquieuerim, cùm tamen eo tempore etiam in Angliam vocatus fuissem.

Veni ergo in hanc vrbem, 15. vt dixi Martij, exceptus fui ab omnibus humanissimè, à D. Scholarchis, à D. Rectore, & D. visitatoribus: pro qua ipsorum erga me humanitate ac beneuolentia, Ego semper, non hîc solùm, sed vbicunque fuero immensas habebo gratias. *Eodem tēpore vocatus fuit in Angliam.*

Deinde post progressiones, ego in frequentissimo auditorio, cui multi doctissimi viri interfuerunt, habui primam meam lectionem seu præfationem: huic etiam, ni fallor, interfuit D. Marbachius & D. Ludouicus Rabus.

Cū m

Cùm in illa mea præfatione dissererē de officio Doctoris Ecclesiastici, professus sum, me nihil alienum à verbo Dei allaturum in hanc Scholam. Deinde, nolle me adstrictum esse in explicanda sacra scriptura, vllius hominis verbis aut interpretationi: sed quia Spiritus S. vbique in sacris literis sibi cōsentiat, non posse me melius facere, quàm si scripturam per Scripturā explicarē. Sequendū etiam esse Spiritus sancti ductū, qui sępe paruulis & abiectis ea reuelat, & eiusmodi donat sacrarum scripturarum intellectum, vt nonnunquam ea intelligant, quæ à magnis viris non potuerunt intelligi.

Libertas in docendo.

Adieci tamen, omnia submittenda esse Ecclesiæ iudicio, quod idem Paulus monet, cùm inquit: *Duo aut tres loquantur, cæteri diiudicent.*

Memini etiam, me tùm dixisse, Si quid reuelatū fuerit Hieronymo, & non Augustino, taceat hic Augustinus, & loquatur Hieronymus: ita si quid reuelatum fuerit Luthero, & non Caluino, loquatur Lutherus: & vice versa, si quid reuelatum sit Caluino, & illud non Luthero, taceat Lutherus, loquatur Caluinus.

Quare autem sacrarum literarum interpres non debeat esse adstrictus vllius hominis interpretationi hanc attuli causam: quia aiebam, omnes nos homines esse, & propterea posse etiam errare: solum Spiritum sanctum errare non posse: eum igitur sequendum esse.

Hæc cùm ab initio statim protestatus essem, & indicassem, quā in meo officio vti vellem libertate: nemo tamen quidquam aduersus ista vnquam dixit, imò omnes perpetuo silentio suo hanc mihi libertatem concesserunt.

Posteaquā verò cœpi docere in hac Schola & disputare, apertè animaduerti, doctrinā D. Buceri quam hîc tradiderat, maxima ex parte ab hac Schola exsulare: maximè verò eā, quæ est de Prædestinatione seu salutis certitudine, item de Gratia & libero arbitrio. Videbam enim, à quibusdā plus æquo stabiliri liberū arbitrium.

Buceri doctrina exsulat.

Vt igitur doctrinam Buceri in hanc Scholam reuocarem, diutiùs versabar in tractatione locorum communium: præsertim cùm quidā ex auditoribus illud à me quoque flagitarent.

Et quidem hanc ipsam doctrinam, quā modò impugnat D. Marbachius, de Prædestinatione, seu potiùs de Perseuerantia electorum in Christo, statim ab initio cœpi tradere in primo Psalmo: vbi Iustus comparatur arbori ad riuos aquarum plantatæ, quæ semper humorem retinet in radice & viua manet, ita vt fructum suū reddat in tempore suo, & folia eius non inarescant.

Hanc meam doctrinam, quam ab initio tradebā, nemo tùm improbauit. Vnde patet me his diebus nullam nouam doctrinam in Scholam inuexisse: quia eandem statim in principio docueram.

Per id tempus venit ad me D. Marbachius (tunc autē ægrotabat D. Iacobus Sturmius) & me de duobus interrogauit, Primùm de re Sacramentaria: deinde de prędestinatione.

De Prædest. & Cœna.

Locuti sumus diu inter nos de Prædestinatione, & videbatur inter nos conuenire. quæstio solùm illa erat; vtrùm à priori, an à posteriori in ea tradenda esset incipiendum. Vterque suas protulit rationes: sed omnia pacificè inter nos fiebant.

De re sacramentaria, quia tū appropinquabat vespera, nihil potuimus inter nos colloqui. Itaque alio die me conuenit, & ea de re mecum locutus est. Tùm animaduerti, eum à me dissentire. Statuebat enim Vbiquitatem corporis Christi, quam sententiam ego videram in Italia etiam à Papistis fuisse confutatam.

Marbachius Vbiquitatem defendit.

Hæc cùm intelligerem, cœpi apud me cogitare, fore mihi de re sacramētaria, aliquando cum D. Marbachio & quibusdam aliis Ecclesiæ huius ministris, negotium. Nam cùm à me discederet, & esset adhuc in limine portæ, his verbis apud me vsus est: *Nos, inquit, decreuimus manere in nostra sententia.* Ego subieci, Benè, in nomine Domini. Sic igitur discessit.

Per id tempus cœpit vexari D. Garnerius: Et cùm anteà fuissem ad conuentum Theologicū vocatus postea non ampliùs vocabar. Itaque non veni ad conuentum, ignorabam enim, hanc esse consuetudinem, vt ministri Ecclesiarum singulis hebdomadibus etiam non vocati, venirent ad conuentum. Cùm ergo post aliquot menses emansissem neque vocarer: cogitabam, si ibi esses necessarius, etiam vocareris. Satius igitur fuerit, domi manere & studiis incumbere.

Post illa, constitui in Italiam proficisci, ducendæ vxoris gratia: accessi igitur D. Iacobum Sturmium, veniā petiturus: quem cùm accessissem, hilari vultu mihi dixit, [D. Zanchi, tu es nobis carus, & Schola amat te, cura vt quàmprimùm redeas: schola opus habet te, nos verò efficiemus, vt sentias nostram erga te beneuolentiam.] Hæc fuerunt postrema verba, quæ ex D. Iacobo Sturmio audiui.

Cùm autem rediissem ex Italia, moriebatur D. Iac. Sturmius. Venerat etiam ex Anglia, D. D. Petrus Martyr, qui D. Iac. Sturmium mortuum comitatus est, quem viuum non potuerat videre. Quàm difficulter autem D. P. Martyr hîc receptus fuerit resistentibus quibusdam ministris, norūt ex ipsis etiam professoribus multi, quorum iam aliqui mortui sunt.

P. Martyr ex Anglia Argētinam redit.

Sed redeo iam ad me. Primo anno quo huc venisē, concessum mihi fuerat, pro meo iudicio in Schola docere. Vt autem sciretur, quid docerem, solitus fui semper, ea quæ docuissem, ad disputandum proponere, vt hac ratione, omnia melliùs & prolixiùs explicarentur & examinarentur: numquam enim lucem fugi.

Quę primo āvocatione Zanchij non contigerint.

Elapso primo hoc anno, & mortuo D. Iacobo Sturmio, cùm domini Scholarchæ decreuissent, Canonicatum illum quem iam habeo mihi conferre, fui ab ipsis vocatus: detulerunt mihi confessionem Augustanam, & à me petierunt, vt subscriberem. Ego verò cùm in Italia anteà diligentissimè eam legissem, respondi dominis Scholarchis non posse me simpliciter sine aliqua explicatione subscribere: habere me certas causas, cur istud non faciam: neque me adeò curare Canonicatum: facturum me officium in Schola, quamdiu ipsis visum fuerit, modò dent mihi, vnde possim mediocriter viuere. Et quod ad istas præbendas attinet, non multum me laborare, alioquin enim me in Italia fuisse mansurum, si præbendas appeterem. Fuit itaque res dilata in alterum annum.

Quæ secundo.

Subscriptio August. Confess.

Interea ostendi D. Petro Sturmio quosdam locos ex Confessione Augustana, quos dicebam opus habere maiori explicatione.

Elapso igitur altero etiam anno, rursus vocatus sum ad dominos Scholarchas. Aderat tunc etiam D. Sleidanus, qui interpretem apud me illorum nomine egit in hanc sententiam: Dominos Scholarchas esse persuasos, quod sim homo bonæ & puræ doctrinæ: audiuisse se etiam quod in Schola officium diligenter faciam: itaque concedere mihi, vt sicut hactenus, ita etiam in posterum pro meo iudicio doceam, nolle se me ad confessionem Augustanam adstringere. quoniam exploratum iā habeant, me nihil docere, quod verbo Dei non sit consentaneum: tantùm pro hoc tempore esse quæstionem de re sacramentaria: cupere se ex me scire, vtrumne huic articulo velim subscribere, necne.

Respōdi Dominis Scholarchis, me verba Augustanæ Confessionis de re sacramentaria probare, & etiam non recusare illis subscribere, solummodo non mihi placere omnium interpretationes: itaque verbis quidem ipsis, non autem interpretationi me subscripturum. Adieci etiam, me non libenter de ista controuersia vel loqui vel disputare: tamen si fortè contingeret, vt de ea aliquid in Schola mihi esset dicendum, velle me coram explicare, quæ mea sit sententia, & quid de ista re in Schola sim dicturus.

Exposui igitur tria capita in præsentia Dominorum Scholarcharum. I. Conuenire mihi cum cæteris omnibus, quod in cœna ista, verum Christi corpus, & verus sanguis, imò totus Christus sumatur & manducetur. II. Sed me in iis duobus à multis dissentire: me enim sentire, Christi corpus & sanguinem, solā fide, eāque verā manducari ac percipi, non autem ore aut dentibus corporis: ac proinde, quod III. caput est: Christi corpus & sanguinem solùm à fidelibus sumi.

De cœna Zanchij confessio.

Hæc cùm ex me audiuissent Domini Scholarchæ arridentes dixerunt: Hæc est quoque nostra fides. Pro qua responsione, ego Deo egi gratias. Contulerunt ergo Domini Scholarchæ mihi canonicatum istum.

Cùm posteà essem in collegium vestrum cooptandus, & pro more interrogarer à D. Marbachio, etiam hanc meam fidem breuiter coram vobis, vt nostis, protestatus sum, additā breui confessione reliquorum capitum nostræ religionis. Tùm nemo ex vobis imò ne ipse quidem D. Marbachius improbauit ea quæ à me essent dicta.

Iuxta illa tria capita paulò antè exposita scio me hactenus de re sacramentariâ in hac Schola locutum esse & docuisse. Vnde patet, me nihil contra confessionem Augustanam docuisse.

Ex his omnibus quæ duobus primis annis mihi acciderunt, sicuti iam exposui, potestis quatuor intelligere. I. Vocationem meam, quâ in hanc Scholam iam vocatus fui, fuisse legitimam ac diuinam. Eam igitur turbare, est contra Dominum aliquid tentare. II. Libertatem docendi, quæ mihi ab initio per Dominos Scholarchas in officio meo concessa fuerat, & à vobis comprobata: non igitur æquum esse, vt ea mihi iam eripiatur, presertim cùm nihil contra verbū Dei hactenus docuerim. III. meam de re sacramentaria sententiam, ab ipsis Dominis Scholarchis non fuisse improbatam. IV. Doctrinā hanc, quam impugnat D. Marbachius, nimirum, eos qui semel verè insiti sunt Christo non posse penitùs ac prorsus ab eo excidere, neque ab eius spiritu prorsùs deseri, non esse nouam: sed à me statim ab eo propositam. Et profectò si qui nuper hac mea nuda conclusione offensi sunt: id non factum est meo vitio, sed eorū, per quos factum est, vt mihi silentium hac de re interponeretur, alioqui fuissem ista omnia clariùs explicaturus.

Quæ tertio à vocatione anno acciderint. Hæc duobus primis annis inter me & D. Marbachium acciderunt.

Zanchij de perseuerantia disputatio. Venio nunc ad ea, quæ anno tertio, vsque ad colloquium VVormatiense acciderunt. Duo tantùm per id tempus acciderunt, quæ ad præsentem causam pertineant. Vnum, fuit disputatio de eadem re præsente D. Marbachio & D. P. Martyre. Conclusio vna talis fuit: Eos qui reuerà regeniti essent, & Christo per fidem insiti, etiamsi nonnumquam peccent, & illorū fides quasi obscuretur: non tamen penitùs à Christo excidere, neque illorum fidem prorsus extingui.

In explicanda hac propositione mea, vsus eram similitudine sumta à corpore humano. Quemadmodum, dicebam, si homo aliquis sano corpore, vescatur malis cibis, inde contrahit sibi morbum, & fit ægrotus, non tamen penitùs moritur, sed adhibitis medicamentis rursus ad sanitatem reuocari potest: Ita, qui semel Christo insiti sunt habent iam vitam æternam intra se, vt ipse Christus dicit. Cæterùm quando nostris concupiscentiis frena laxamus, & sceleribus nos inquinamus, si vt grauissimè inde infirmemur: non tamen omninò morimur, id est, seruatur in nobis illa vita, etiamsi valde infirmetur.

Hæc cùm illo tempore dixerim, facilè potestis colligere, me nil noui iam attulisse, cùm superioribus diebus eadem repeterem.

Eiusdem de imaginibus. Alterum fuit disputatio, quam habui de imaginibus, in qua talis erat vna conclusio: Impiè & perniciosè facere eos, qui adhuc eiusmodi imagines in templis ferunt, quæ possunt aut solitæ fuerunt adorari, seu quibus aliquis cultus fuit exhibitus.

Ostendi, hanc meam propositionem probari posse ex sacra scriptura, item testimoniis sanctorum patrum, & multis locis D. Buceri: præsertim verò ex ea epistola, quam de hac re ad Marpurgenses scripsit, cui etiam omnes tùm ministri huius Ecclesiæ subscripserunt, in qua epistola rationem reddit Marpurgensibus, quare autor Senatui nostro fuerit, vt imagines è templis tollerentur.

Propter istam disputationem D. Marbachius mihi fuit iratus, & obiecit mihi, quod damnarem Ecclesias Saxonicas, quæ in suis templis imagines adhuc retinerent. Respondi, me non propterea Ecclesias istas damnare, etiamsi factum hoc improbem. Multos enim adhuc posse esse & varios næuos in Ecclesiis, propter quos tamen, non totæ Ecclesiæ sint dānandæ. Et profectò visus mihi fuit D. Marbachius plus æquo ceremonias & ritus Saxonicarum Ecclesiarum appetere. Discessit autem D. Marbachius ex ea disputatione ante me, quod alioqui non consueuerat facere.

Vocatus ergo sum paulò pòst ad ad Dominos Scholarchas, ad quos cùm venissem, ista quinque mihi obiecerunt. I. Quòd non doceam consentienter cum cæteris. II. Quòd de re sacramentaria, alia doceā, quàm ab initio promiserim. III. Quòd dixerim, perniciosum esse errorem eorum, qui dicunt corpus Domini esse vbique. IV. Quòd damnauerim Ecclesias Saxonicas propter imagines, quas adhuc in suis templis retinent. V. Fuit de Prædestinatione.

Dixi ad I. non simpliciter quærēdum esse consensum, sed consensum in Domino: videndum igitur esse, an doceam secundùm consensum sacræ scripturæ: quod si nō faciam, meritò me ad id esse cogendum.

Ad II. respondi falsum esse, quod aliter docuerim de re sacramentaria, quàm promiserim ab initio; imò me nunquam libenter ea de re docuisse aut disputasse, etiamsi aliquoties fuerim nescio quo consilio, à quibusdam ad eam materiam in disputatione prouocatus.

Ad III. quod attinet, fassus sum me id dixisse, & me illud multis testimoniis sacræ scripturæ, S. Patrum & D. Buceri scriptis probasse.

De IV. quod mihi obiectum fuit, dixi: me propterea non damnasse totas Ecclesias Saxonicas, etiamsi factū hoc non probarim.

Ad V. respondi, me de prædestinatione nihil docuisse, quod non pertineat ad ædificationem.

Postquam ad illa quinque Dominis Scholarchis respondissem, vicissim alia quinque ipsis proposui. I. Vt in posterum illud praecaueretur, ne subinde ita vexarer: & vtrum vellent stare promissis, mihique eam libertatem in docendo permittere, quam ab initio, cùm reciperer, promisissent. II. Vtrum velint, vt ego doctrinam Buceri retineam & defendam, quatenus esset consentanea sacræ scripturæ. III. Admonerent D. Marbachiū, vt ipse etiam delectaretur lectione scriptorum D. Buceri. Fore enim hac ratione inter me & ipsum magnum consensum. IIII. Vt si D. Marbachius audiret, me in Schola aliquid non rectè docuisse, vel quod ipse minùs probet, vt ipse me conueniat, aut me ad se vocet, priuatim mecum agat: me libenter eum auditurum, & eorum quæ docui, rationem redditurum: ac in posterū me non toties apud Dominos Scholarchas, quasi noua aut impia doceam accuset. V. Quòd si persuasus sit D. Marbachius, me habere aliqua noua aut impia dogmata: rogare me Dominos Scholarchas, cum illo agere velint, vt ea mihi proponat. Obtuli me tùm apud Dominos Scholarchas, ad disputationem, vel publicam, vel priuatam, aut aliam, quam ipse D. Marbachius vellet, amicam collationem. Horum testes sunt D. Rector, D. Herlinus, D. Dasypodius iam defunctus.

Ad hæc responderunt mihi Domini Scholarchæ, velle se hac de re deliberare, & mihi respondere.

Cùm verò iam aliquot hebdomadæ essent elapsæ, & ego nullum à Dominis Scholarchis responsum accepissem, accessi D. Rectorem & Dominos Visitatores, conquestus sum eis, me nihil responsi adhuc à Dominis Scholarchis accepisse: petij consilium, quid mihi esset faciendum, vtrum secundò deberem eos accedere, & ab eis responsionem postulare. Responderunt mihi Domini Visitatores, me debere esse bono & quieto animo, Dominos Scholarchas nihil respondendo tamen mihi respondere.

Sic ergo illorum dictis acquieui, & rursum inde collegi mihi libertatem meam in docendo adhuc concessam esse. Hęc, antequam D. Marbachius ad colloquium VVormatiense profectus esset, gesta sunt.

Postea cum esset VVormatiæ in colloquio, quidam Generosus Dominus Anglus, obtulit mihi quædam scripta D. Philippi in Epistolam Pauli ad Colossenses, in quibus apertè D. Philippus demonstrat, Christum, quà homo tantùm esse in cœlo. Voluit idem Generosus Dominus meum de his scriptis audire iudicium. Ego acceptis illis dictatis, cum ea legissem, probaui: deinde ea in Schola bonâ fide recitaui. Quæ cùm nonnullis suspecta viderentur, quasi non ita à Domino Philippo scripta fuissent, scriptum ea de re fuit à quibusdam ad D. Marbachium VVormatiam. Dolendum profectò est, tantam esse quorundam erga suos præceptores ingratitudinem, quod cupiunt, falsis suspicionibus eos apud alios grauare. Cum ergo, vt dixi, ista de re ad D. Marbachium, VVormatiam scriptum fuisset: ipse, vt ad me relatum fuerat, ad Senatum vel ad dominos Scholarchas ea de re scripsit. Quid verò scripserit, mihi non constat. Sed tamen cumprimùm cognoui, aliquid ad dominos Scholarchas scriptum esse, méque propterea nonnullis suspectum esse: scripsi ad D. Philippum literas, qui tunc etiam VVormatiæ erat. In illis literis, inter cætera hortabar & orabam D. Philippum, vt cùm breui migrandum sit ad Dominum, causam bonam strenuè defendat, nullam hominū offensionē metuat. Præterea exposui, me accepisse illius dictata in Epist. ad Colossenses, eáque mihi valde placere, & ex illis quædam in Schola nostra dictasse: eā re offensos

Anno 1557 Phil. Mel.

offensos quosdã esse, quasi à me ipso ista cõmētus essem: itaque me rogare, vt literis suis me certiorem facerer, vtrùm ista verè ab ipso sic scripta aut VVitebergæ dictata sint. Quod si verum sit, me quoque rogare, vt boni amici officium facere velit apud D. Marbachium, vt errorem illum de Vbiquitate corporis Christi, deponat. Me enim propter eam rem hic vexari. Deinde, vt cum D. Brentio eadem de re agat, vt sententiam suam de Vbiquitate meliùs explicet. Hæc inter cætera, ad D. Philippum VVormatiam scripsi. Et scio: illum diligenter in hac re officium fecisse. Quod non solùm ex quodam amico, qui præsens ibi fuit, intellexi: sed etia ex iis, quæ posteà sunt consecuta. Cùm enim D. Marbachius primò VVormatia ad nos rediisset, & deinde iterum eo esset profecturus: Ego & D. Rector comitati sumus illũ discedentem, vsque in oppidum Liechtenavv. In eo itinere, sumus inter nos de variis rebus admodum familiariter locuti, propter quod ego mihi tacitè gratulabar: imò cùm in oppidum venissemus, priuatim mecum in hospitio locutus est: & inter cætera duo mihi dicebat. I. nolle se in posterum ampliùs mecum de Vbiquitate corporis Christi contendere. II. de Prædestinatione aiebat, rogo, serues modum, ne aliquem offendas: simul etiam beneuolentiam suã mihi pollicebatur. Quę quidẽ omnia magnopere mihi placuerunt. Et ego vicissim, omnem ei animi promptitudinem, omnẽque studium promisi. Sic postero die amicè à nobis VVormatiam profectus est.

Finito colloquio, cùm D. Marbachius ad nos rediisset, maior mihi quàm antea, cum eo intercessit familiaritas: quamuis etiam anteà semper omnem illi honorem, & quam debui, reuerentiam exhibuerim: tamen visus est mihi post colloquium illud amicior & familiarior.

Explicauit mihi multa, quæ in colloquio dicta & gesta fuissent. Inter cætera narrauit mihi, Ienenses voluisse, vt Zuingliani damnarentur: se autem, in illorum condemnationem noluisse consentire. Videbatur mihi etiam improbare factum VVestphali, quod ignem illũ penè sopitum de re sacramentaria, in Germania rursus accenderit. Et præter alia, mihi quoque retulit consiliũ Principum de Synodo aliqua in Germania habenda: in qua de præcipuis partibus religionis inter Protestantes tractaretur: Simul etiam placere illis, vt ad eam quoq. Heluetij vocentur. Itaque sibi mandatum esse à Principibus vt voluntates Tigurinorum & sociorum in illa causa, hac in re exploraret, vtrum vocati, venire vellent. Quod cùm mihi admodum placere videret, mihi quoque commisit, vt literas ad eos, qui mihi in Heluetia noti essent, ea de re scriberem: quod etiam feci, & ferè omnes reperi promptissimos.

Hæc nostra concordia à colloquio VVormatiensi continuata est vsque ad præsens hoc tempus, quo ea inter nos rursus est violata.

Hæc dicta sunt à D. H. Zanchio in prima narratione: quem propter temporis spatium non potuit absoluere. Sequentia ergo, ab eo VIII. Martij, dicta sunt.

Viri Clarissimi, reuerendi collegæ, quandoquidem sic constituistis, patientissimis vestris auribus, omnia quæ contigerunt inter D. Marbachium & me, audire: pergam igitur hoc tempore in instituta mea narratione.

Narraui omnia vsque ferè ad initium proximæ controuersiæ. Necesse est autem, vt priùs narrem, quid contigerit, antequam liber Heshusij hic imprimeretur.

Scriptæ fuerant literæ Heidelberga à D. Petro Colonio ad ministrum nostrum Gallicanæ Ecclesiæ. In illis literis duo continebantur, quæ ad me pertinebãt. I Rumorem esse Heidelbergæ, me quoque idẽ in re sacramentaria sentire cũ Pastoribus huius Ecclesiæ, qui Lutheri sententiam sequuntur, nimirum (vt ego interpretabar:) de Manducatione Impiorum: & de Corporali seu Carnali Manducatione & Præsentia. II. erat quædam petitio, in qua petebat scire, quęnam esset inter D. Marbachium & me in re sacramentaria consensio. Causam verò suæ postulationis, cur hoc scire cuperet, hãc adferebat: Magnã videlicet esse Heidelbergę obortã contẽtionẽ inter Theologos de re sacramẽtaria: magnos quoque metuendos esse aliquãdo tumultus propter eandẽ rem, nisi in tempore huic malo occurratur. Itaque cùm audierit, inter me D. Marbachium factam esse consensionem: cupere se quoque scire, quænam illa sit, vt fortassis simili ratione etiã inter Heidelbergenses Theologos posset aliqua fieri compositio. Hæc duo, cùm ex ministro Gallicanæ huius Ecclesiæ audiuissem, & viderem, petitiones esse honestas & ęquas, easque posse Ecclesiæ prodesse: non aliter facere potui, quin conscriberem Epistolam quandam, quã Heidelbergensibus consensionem illam, quæ inter me & D. Marbachium esset, declararem.

Contentio de Cœna Heidelb. 1559.

Eius Epistolæ exemplum, cõmunicaui cum D. Marbachio, vt videret & examinaret omnia diligenter, mihique postea diceret suam sententiam, & indicaret, vtrùm vellet, eam communi nostrũm cõsensu à me Heidelbergam mitti. Habeo hic illud ipsum exemplum quod mittere Heidelbergam constituetam. Cupio, vt hic coram Capitulo legatur.

Lecta fuit ergo sequens Epistola.

EPISTOLA D. H. ZANCHII, quã Heidelbergã mittere cõstituerat, de consensione inter ipsum & D. Marbachium in re sacramentaria.

S. D.

VIDI quę ad D. Pastorem, frater cariss. tùm de negotio ἱερατείας, tùm de me scripsisti. Gratulor vestro Illustriss. Principi Friderico III. Pio, quod curet puram doctrinam in suis Scholis & Ecclesiis doceri: & Ecclesiarum turbatores vel inde amoueri, vel coherceri. Gratulor & vobis viris bonis & doctis, quoad ad istius Ecclesiæ & Scholæ reformationem à Domino delecti & vocati fueritis. Illud vero non tantùm doleo, sed etiam vehementer miror, quod quidam meo nomine, ad suam de re sacramentaria opinionem confirmandam, abutantur. Quæ sit ea de re sententia mea, nihil quidẽ adhuc scripsi. Est enim satis superque ab aliis scriptum: sæpenumero tamen & hic & alibi tam coràm quàm per literas explicui, ita vt qui eam non intelligat, sit nemo. Illud verum est, mihi summopere displicere λογομαχίας, & modo conueniat inter pietatis professores de summa rei, ita vt nihil dicatur, quod aut cum vlla parte verbi Dei, aut cum analogia fidei pugnet, aut alicui idololatriæ & superstitioni aditum in Ecclesiam patefaciat: & tamen interim nec veritas sacramenti negetur, nec debitus honos ipsis symbolis adimatur, nec legitimus cœnæ vsus tollatur, & si quid præterea sit, de quo nõ inter omnes conueniat: non ob id tamen censeo Ecclesias esse vexandas, infirmos turbandos, & συναλλαγὴν frangendam. Est enim illud Apostoli id quod subinde in hanc sententiam inculcatur ab Aug. retinendũ: [Quod si quid aliter sapitis, Deus id quoque reuelabit: modò in eo in quod peruenimus permaneamus.]

Epistola Zanchij ad D. Petrum Colonium.

Quod vero aues scire: quænam sit mea cũ D. Marbachio de Cœna Dn. consensio, paucis accipe. Primùm verba Confessionis Augustanæ vterque amplectimur, quippe quæ nihil habeant, quod pugnet cum verbis Christi. Deinde verba recessus Francofurtensis de Cœna Domini, tamquam ea quæ rem ipsam clariùs, quàm verba Augustanæ Confessionis, exprimant, vsque adeo nobis non improbantur, vt etiam subscribere & ille nõ dubitarit, & ego pro pace Ecclesiarũ minimè recusem. Verba autem hæc sunt: (Hic articulus doceatur, quemadmodũ in Augustana Confessione traditur: quod in hac Christi institutione cœnæ suæ, ipse verus, viuidus, essentialis præsens sit: & quod cum pane & vino tamquam ab illo institutis, nobis Christianis corpus suũ manducandum, & sanguis bibendus donetur, & testetur hac actione, nos esse membra ipsius, & applicet nobis seipsum, & misericordem suam promissionem, & operetur in nobis.) Postremò, iudicium hac de re beatę memoriæ Philippi Melanchthonis, ad Illustrissimum Principem vestrum missum, & nuper in lucem editum, non manibus tantum, vt aiunt, & pedibus: sed sincero & toto animo, tanquam verissimum & piissimum amplectimur.

Zanchij doctrina de Cœna.

Potes ex iis, in genere, quæ nostra sit consensio, percipere. Sed vt tibi gratificer, clariùs etiam & ὁμοιοτρόπως, in quibus consentiamus, explicabo.

Seco totum illud mysterium in quatuor partes: in Symbola: in rem per Symbola significatam & oblatam: in Modum recipiendi & manducandi: & in recipientes ac manducantes.

Partitio totius controuersiæ de Cœna.

I. Quod ad Symbola attinet, negamus ita nuda esse

Symbola, vt quod per illa significatur, non etiam per eadem, quod ad ipsa attinet, illud, omnibus qui sunt in cœna, offeratur: nempe verum corpus, verúsque sanguis Christi, id est, Christus ipse cum toto salutis mysterio, quod in ipsius corpore peractum est.

II. Quia verò nihil manducatur, nisi pręsens sit: iccircò quod ad præsentiam rei quæ offertur & à fidelibus recipitur, attinet, negamus primò præsentiam corporis Papisticam, id est, quam imaginātur per (vt vocāt) Trāssubstantiationem, seu per corporis in corpus mutationem: Deinde negamus illam præsentiam, quę fingitur per localem in pane inclusionem vel adhæsionem: denique omnem physicam præsentiam negamus: Damus verò præsentiam talem, quæ in pane sit sacramentalis: & in nobis manducantibus essentialis.

III. Quod autem admodum recipiendi & comedēdi attinet, negamus Christi corpus, seu Christum ipsum, recipi & comedi, aliorum ciborum instar, dentib. corporis: in stomachum traiici, &c. sed ore tantùm interioris hominis recipi, & eiusdem tantùm dentibus, id est, actuali, eáque viua fide manducari confitemur.

IIII. Quod deniq; attinet ipsos recipientes etsi omnes qui ad mensam Domini accedunt, panem Domini, ideóque αἰτίτυνται τὸ κυρίου σῶμα, & quidem multi in æternum iudicium ipsorum & condemnationem accipiũt: negamus ipsum Christi verũ corpus seu Christũ ipsum, panem Dominum primùm ab illis, qui prorsus omni fide destituti sunt, deinde ab illis, quorum fides omnino simulata & mortua est, recipi & manducari: sed confitemur manducari à duobus fidelium generibus, nimirùm & ab iis, qui fide imbeciliori, ac proinde pœnitentia non satis pura & firma: & ab iis, qui fide fortiori, ideóque pœnitentia puriore & firmiore prædìti sunt: & consequenter ab illis quidem ad aliquod temporale iudicium: ab istis vero ad omnimodam salutem manducari. Omnes igitur, cum mysterium cœnæ dominicæ agendum est, esse tùm ad veram fidem, tùm ad veram resipiscentiam, vt admonet Paulus: & ad corda sursum tollenda, vt vetus Ecclesia docuit, adhortandos.

In iis quatuor capitibus quæ certa habent in scripturis testimonia, putamus sitam esse summam totius rei quod ad mysterium cœnæ attinet. Ideóque iis contenti & aliis quæstionibus omnibus omissis, viuimus in pace, concordia, & caritate. Precamur omnibus eandem in hac re consensionem, vt omne tandem aliquādo de Ecclesia tollatur scandalum: & illius fructus, cuius causa sacramentum hoc institutum fuit, participes fiamus: nimirũ nō tantũ pacis cũ Deo: sed & caritatis & concordię cum fratribus. Vale.

Postquàm lecta fuisset à Domino Quæstore præcedens epistola, subiunxit D. Zanchius. Hanc, vt dixi, epistolam, dedi D. Marbachio legendam & examinādam. Retinuit eam apud se 15. dies circiter, ita vt isto tempore potuerit eam diligenter examinare. Elapsis his diebus, vocauit me, & manu sua apprehensum, duxit me in suum musæum. Fuimus ibi circiter horas duas. Exposuit ibi, quæ sibi in hac Epistola mea non admodum probarentur, quorum tantum duo fuerunt. Primum illud est, quod in ea mentionem facio iudicij D. Philippi

Marbachij de iudicio Phil. sententia.

de sacramento εὐχαριστίας. Dixit, se non improbare illud iudicium: sed tamen nolle se, vt in mea Epistola, illius fieret mentio: causam addidit, quia metuat, ne nō multi scripturi sint aduersus istud iudicium: forsasse D. Philippum non omnia benè intellexisse. Itaque malle se, vt mentionem istius iudicij expungerem. Nō enim se cupere istis turbis immisceri, quod fieri posset. si in mea epistola scriberem. nos quoque hic illam sententiam amplecti. Nam, inquit, non dubito, quin Epistola ista peruentura sit ad multorum manus.

Hoc consilium D. Marbachij, vehementer mihi placuit & vtinam in ista sententia perstitisset, neque se posteà vnà cum aliis huic negotio immiscuisset. Et sanè ego de D. Marbachio ita fui persuasus, esse ipsum hominem pacis studiosum, neque vnquam fuisse curaturum, vt liber iste Heshusij hîc imprimeretur, nisi habuisset instigatores.

Alterum verò, quod in ista Epistola improbauit, continetur in quarto articulo, qui est de Manducantibus, in quo articulo ego cōstituo quatuor genera mānducantium. In primo, tertio & quarto genere, idem vterque sentit. In secundo verò genere, quod est de hypocritis, non concedere mihi voluit, eos non percipere corpus & sanguinem Domini: sed contendebat, eos percipere: verùm sibi in iudicium. Ego verò dixi, mihi nullum discrimen esse, quod ad hoc negotium manducandi corporis Christi attinet, inter planè impium & inter hypocritam: neque hypocritas pertinere ad Ecclesiam, etiamsi simulent, se esse de Ecclesia. Ego meas protuli rationes: similiter D. Marbachius suas attulit: sed non conueniebat inter nos, quod ad istos attinet. Tandem sic concludit D. Marbachius: Tametsi non possit inter nos de isto articulo conuenire, tamē nolumus propterea scindere charitatē. Tu me feras: Ego te vt hactenus, amice feram. Placuit mihi hoc D. Doctoris responsum.

Quod verò ad Epistolam attinet, sic respondit: Tu D. Zanchi poteris pro tua prudentia eam corrigere, id est, vt ego interpretor, primò mentionem iudicij D. Philippi expungere: deinde alterum de hypocritis, mitigare. Posteà vbi sic emēdata fuerit: poteris eam, si voles, Heidelbergam mittere.

Hæc tum temporis ita à D. Marbachio ad me dicta esse Deum testē facio, qui nouit, vtrũ verum an falsum dicam. Imò ipse D. Marbachius, in hoc loco capitulari, præsentibus D. Conrado & D. Quæstore, hæc eadem à se dicta esse, fassus est. Et quamquam posteà, cum ei obiicerem quare me de illa Epistola apud XIII. Viros accusarit: & ipse diceret: non fuisse hanc eius sententiam, vt vtriusque nostrûm consensu communi eam mitterem Heidelbergam, sed si vellem mittere, debere me eam mittere tanquam meam: Tamen ea ita primò inter nos acta fuerant, quemadmodum iam narraui, vt audiuistis: deinde quia non dehortatus est me, quo minus eam mitterem: hæc omnia satis mihi, inquam, erāt argumento non illum refragari, quò minùs eam vtriusque nostrûm consensu mitterem. Illud enim postulaueram: & propter hanc causam ei legendam exhibueram. Ipse vero mihi nihil ea in re denegauit. solum dixit, posse me eam mittere, sed emendatam. Discessum ergo tunc est: sed valdè amicè.

Postquàm discessissem à D. Marbachio, valdè dubius eram de mittenda Epistola: Vna ex parte vrgebat me conscientia, vt mitterem. Nam Heidelbergenses cupiebant scire, quæ esset inter nos de re sacramentaria consensio & concordia: idque in eum finem, vt fortassis similis ratione inter ipsos fieri posset cōsensio, & sic sedari posset tumultus inter ipsos propter hanc rē excitatus. Deinde, quia à me exigebant cōfessionem fidei meam, quam non potui honeste illis denegare. Ergo & vtilitas Ecclesiæ & ratio mei officij, hortabantur me, vt epistolam illam mitterem. Ex altera verò parte cur non mitterem, hoc me retinuit. Cogitabam ita mecum, etiamsi expungam mētionem iudicii D. Philippi, sicut D. Marbachius postulauit: si tamen indices, nos in quarto articulo de Manducatione hypocritarum non consentire, tùm offendes etiam ipsos Heidelbergenses, qui statim dicturi sint, Ecce, neque ipsi Argentinenses Doctores prorsùs inter se conueniunt. Si verò prorsùs tollas mentionem de Manducatione impiorum hypocritarum: neque conscientiæ tuæ, neque Petri Colonii petitioni satisfeceris. Itaque re in vtramque partem deliberatâ, constitui eam non mittere, neque etiam misi. Nam hoc ipsum exemplum, quod iam vobis exhibui, est illud quod mittere volueram, si inter me & D. Marbachium conuenisset.

Hæc acciderunt, antequam liber Heshusii hic imprimeretur. Non multò pòst, venerunt ad me duo viri graues, & indicarunt mihi, in hac vrbe iam imprimi librum quendam de re sacramentaria, refertum plurimis cōuitiis in Principem Elect. Palatinũ & alios viros doctos, videlicet in D.D. Petrum Martyrem, Bullingerum, Caluinum, Zvvinglium, Oecolampadium, & multos alios: item in omnes Ecclesias Helueticas, Gallicanas, Polonicas, Rheticas & omnes alias, quæ in re sacramentaria non planè eadem cum doctore Luthero docent, hos viros omnes & ipsas quoque Ecclesias in eo libro damnari hæreseos & atheismi. Metuere ergo se, ne hic liber occasionem det magni incendii etiam in nostris Ecclesiis, quæ iam diu istâ controuersiâ sepositâ, in pace & tranquillitate fuerunt. Quæ cum ita sint, rogare se, vt si quâ ratione possem, curarem impressionem istius libri impediri. His auditis, cum interrogassem an hęc ita se haberent, affirmabant verissimũ esse: imò se aliquot paginas de illa impressione vidisse.

Heshusij liber.

Tum ego accessi ad eum, quem iudicabam esse ea

Ioh. Sturmius.

de re

de re conueniendum, qui pro suo officio deberet, & pro sua prudentia & eruditione posset rem intelligere, & efficere, vt hoc incendium auerteretur. (Hic D. Præpositus dixit, se fuisse ea de re à D. Zanchio appellatum.) Atque hac ratione, libellus iste impeditus fuit, quo minus in hac vrbe totus imprimeretur. Hic vt intelligatis, viri clarissimi, meliùs ea quę ad hũc librũ pertinẽt, sunt mihi quędã indicanda. Deberis sane hoc vobis de me persuadere. Quòd si liber iste nõ fuisset refertus tot calumniis & conuitiis tùm in ipsum principem Palatinum, tum in tot præclaras Ecclesias & earum doctores: Sed solùm habuisset simplicem doctrinæ expositionẽ, ego non curassem in eius impressionẽ impediri. Licet enim vnicuique suam sententiam scribere & explicare. Sed cũ audirem, tot Ecclesias in libro isto damnari hæreseos & Atheismi, idque non propter vnum aut alterum articulum fidei, qui impugnaretur, sed solummodo propter interpretationem aliquam verborum, in qua neque tota religio cõsistit, neq. salus periclitatur: duabus & quidem iustissimis ac grauissimis de causis, adductus fui, vt libri istius impressionem in hac vrbe impedirem. Non quidem mea hæc fuit sententia, vt cuperẽ librum istum prorsus aboleri & supprimi. Ego nihil moror, vbicunque imprimatur: sed illud tantũ spectaui, ne etiam huius Reipublicæ & Ecclesiæ pax, per eũdem librum turbetur. Prima autem causa quæ me mouit, fuit Iusiurandum quod præstiti nostro Magistratui, cùm ius ciuitatis mihi daretur: in quo illud quoque propositum mihi fuit, si vnquam aliquid audirem tentari aduersus honorem & existimationem huius Reipublicæ vel aduersus pacem & tranquillitatem eiusdem, vel aduersus salutem ciuium, vt illud indicarem. Hæc fuit mea maior propositio. Adieci minorem: Sed hic liber faciet contra publicam pacem nostræ Reipublicæ & contra honorem & existimationem nostri magistratus, nimirum quod patiatur hic imprimi quæ læderent honorem Illustrissimi Principis Electoris. Ergo propter iusiurandum, debere me rem indicare, & quantũ in me est impedire.

Altera ratio quã adductus sum, vt illud facerẽ, sumta est à pietate Christiana. Postulat Christiana pietas, vt quilibet pro sua virili curet propagari regnum Christi: ea vero quæ hanc propagationem possunt impedire, auerti ac remoueri. Atqui hic liber in multis locis impediet cursum Euangelij: maximè verò in Gallia, de quã tum maxima spes erat, fore, vt reciperetur doctrina Euangelij. Ergo debere me pro mea virili, libri istius impressionẽ impedire. Quòd vero liber iste impediet cursum Euangelij, inde patet. Etenim cùm in illo libro Caluinus & omnes Ecclesiæ Gallicanæ, quæ eius doctrinam sequuntur, damnentur hæreseos & Atheismi: certè aduersarij ex hoc ipso libro & nostrorum scriptis aduersus eos, qui doctrinam Euangelij profiteri cupiũt, laturi sunt sententiam, & hac ratione a nobis ipsis gladium, quo eos iugulent, accepturi sunt.

Itaque optimi collegæ & fratres carissimi, nullo priuato odio adductus sum, vt effecerim, per D. Præpositũ libri impressionem impediri: prĕsertim cùm nescierim, quo autore hic imprimeretur.

Hinc etiã iudicare potestis, an ego pacis turbatæ autor fuerim néene. Adiiciam etiã illud: Si ego curando, vt impressio impediretur, non feci opus bonũ, aut officium boni viri: certè neque Magistratus noster fecit opus bonum, qui impressionẽ istius libri impediuit, qui hoc ipso facto testatus est, eam rem sibi displicere. Imò, vt illud etiam dicam, audiui ex viro fide digno, qui mihi indicauit, etiam in iis ciuitatibus, in quibus doctrina Heshusij locum habet, vetitum fuisse, ne iste liber imprimeretur. Testis est mihi D. D. Montius vir grauis. Et hæc volui dicere de meo isto facto.

Postea cùm D. Marbachius esset apud Tredecim viros, séque purgaret, quod ad impressionem libri huius attinet: simul etiam mentionem meæ Epistolæ, quam paulo anteà legi audiuistis, fecit. Quid verò dixerit, mihi non constat.

Ego vocatus fui ad dominos Scholarchas, illi me admonuerunt, ne vllo modo de re sacramentaria vel doceam vel literas scribam, aliter quàm in Confessione Augustana contineatur; adiecerunt quoque, se hæc mihi ex sententia Senatus indicare voluisse. Fieri potest, vt domini Scholarchæ, quod ad meam Epistolam attinet, rem non benè à D. Marbachio intellexerint. Sed omitto iam ista.

Ego certè cùm primùm cognoui D. Marbachium etiam de mea Epistola Tredecim viris vel dominis Scholarchis aliquid locutum, méque propterea ab iis admonitum fuisse, ne literas scriberem de re sacramentaria aliter (quàm in Confessione Augustana contineatur: hæc, inquam) cùm animaduerterẽ, cogitaui D. Marbachium velle hoc meum factum, quo curaui librum impediri, vlcisci: maximè verò cùm idem Marbachius apud viros fide dignos visus fuerit quibusdam verbis, quibus videbatur mihi minari, *nimirùm se me hinc expulsurum*. Sed hæc de libro Heshusij sufficiant.

Venio nunc ad Scholam, & ad rem ipsam, de qua cõtrouersia est, propiùs accedo. Cùm in Schola superioribus diebus explicarem locum Ioannis, vbi dicitur, *Si fuissent ex nobis, mansissent vtique nobiscum*: Inter cętera, quæ ad loci illius explicationem pertinent, etiam hanc collegi propositionem: [Sanctos qui vinculo non solùm æternæ electionis, sed etiam spiritus Christi, veræque fidei, Christo copulati, idcóque in ipsum Christi corpus, quod est Ecclesia sanctorum insiti semel fuerũt, eos in perpetuum in Christo & in fide perseueraturos, nec posse ampliùs à fide prorsùs excidere: idq; nõ propter proprias vires: sed tùm propter promissionem diuinam, tùm propter Christi precationem & intercessionem, spiritu Christi fidem in illis perpetuò seruante.] De perseuerantia electorum.

Non ita multò pòst indicatum fuit, D. Marbachium, cùm interpretaretur locum Pauli 1. Cor. 9 [Castigo corpus meum, ne, cum aliis prædicauero, ipse reprobus efficiar:] dixisse in lectione: Hic est apertus locus aduersus illos qui dicunt, eos qui donati semel sunt verá fide, non posse ampliùs ab ipsa fide excidere.

Cùm hoc audiuissem & vidissem, eam doctrinam ab eo improbari, quam initio cùm huc venissem, professus eram, quámque sciebam certissimam esse: non potui aliter facere, quàm vt meam doctrinã, vel potiùs Christi, S. Patrum & D. Buceri, defenderem.

Ideóque cœpi rem paulò altiùs repetere & latiùs explicare. Confirmaui ergo meam propositionem variis testimoniis veteris testamenti: inter alia etiam locum Ierem. 32. quem Augustinus in hanc sententiam inculcat, citaui: Verba Prophetę sunt hæc, loquentis de fidelibus, præsertim sub nouo testamento: (Et dabo iis cor vnum & viam vnam, vt timeant me vniuersis diebus, & benè sit eis & filiis eorum post eos: & feriam cũ eis pactum sempiternum, & non desinam eis benefacere: Et timorem meum dabo in cor eorum, vt non recedant à me.) Probaui etiam testimoniis noui Testamenti, præsertim ex Euangelio Lucæ cap. 22. vbi Christus dicit Petro: *Rogaui pro te, Petre, vt non deficiat fides tua*. Hanc orationem, Augustinus cap. 12. de correptione & Gratia, dicit ad omnes fideles pertinere. Nam & Christũ anteà in plurali numero locutum esse cùm dixit, *Satanas expetiuit, vt cribraret vos*. Probaui etiã ex oratione Christi, quã orauit pro omnibus fidelibus, vt vnum sint sicut ipse cũ patre. Orauit certè Christus pro perseuerantia Sanctorum in fide, neque dubium est, cum à patre suo exauditum fuisse, quod etiam Epistola ad Hebræos testatur. Probaui eandem meam propositionem, variis argumentis & testimoniis Sanctorum Patrum, citaui loca, columnas, versus: vt ipsi auditores ea possent legere & videre, me non afferre nouam doctrinam. Probaui etiam è scriptis D. Buceri, citatis 21. testimoniis.

Itaque cùm audiuissem, vt ad propositum redeam, hanc meam doctrinam à D. Marbachio impugnari: valde miratus sum: suspicabar, illum ex affectu aliquo aut odio mei istud facere: nolui tamen hic de eo aliquid iudicare, iudicium enim Domini est solius: non ad me pertinet.

Cùm postea in hac mea materia & tractatione pergerem, rogauit me clariss. D. Rector, vt finem vellem facere huic tractationi, & in ea subsistere. Audire enim se, aliquos istã meã doctrinã offensos esse.

Promisi D. Rectori, me hoc facturum. Itaque quod non promissis steterim, nemo iure de me conqueri potest, nisi D. Rector. Nam domini Scholarchæ in hac re nihil mihi prohibuerant.

Per idem tempus D. Marbachius accusauit me apud dominos Scholarchas, quod refutarim cojecturas quasdam D. Lutheri & D. Philippi de extremo die. Deinde, quod Pontificem Rom. non iudicarẽ esse illũ Antichristum, de quo Paulus ad Thess. scribit. Accusauit me quoque de quibusdam aliis quæ iam breuitatis causã, omitto. Sed his de rebus posteà loquar.

in quo conuentu cùm recitaretur confessio, quam D. Philippus conscripserat, petij eius exemplum: cùmque id mihi denegaretur, rursus Vitebergam ad D. Philippum redij, & ab eodem exemplum illius confessionis impetraui: quod mecum postea huc allatum, lectum est in conuentu nostro: & cùm omnes approbarent, placuit illi subscribere.

Cùm deinde D. Sleidanus à Senatu nostro Tridentum mitteretur, mandatum ei fuit, vt Reipub. nostra nomine, Saxonica & Vitembergica Confessioni subscriberet, nam huius etiam Confessionis gratia Doctor Caspar Hedio, & Doctor Lenglinus missi fuerunt in oppidum Dornstat, vt eam agnoscerent. &c.

Vtrasque illas Confessiones, ego cõfirmo esse veras huius Argentinensis nostra Ecclesia Confessiones: & præsertim id de Saxonica verum esse probant subscriptiones nostrorum doctorum ei adiuncta.

Habetis ergo reuerendi viri, collega & fratres, integram historiam eorũ, qua hactenus inter me & D. Zanchium contigerunt. Nihil hîc personaliter agitur. Quod ad me attinet, etiãsi grauissimè ab ipso fuerim offensus: tamen libenter & ex animo omnia ei condonarem, condono, & condonaui. Controuersia est, vt videtis, de doctrina: & quia doctrina non mea est, nec priuata: certè nescio, an ad Capitulum aut Scholam pertineat, an potius ad Ecclesiam & Magistratum, qui Ecclesia est custos. Seu tamen si Doctor Zanchius, vestra autoritate motus, consimiliter velit huic nostra doctrina docere: Ego libenter ipsũ ferã. Quòd si nolit, certè sicut ipse ad Magistratũ appellauit, & quemadmodum nos quoque publicam disputationem expetimus: cogemur eò confugere permittimus libenter iudicium Magistratui, & bonis ac doctis viris: si conuicerit nos, quod certè in æternum no poterit, dabimus libenter pœnas: sin minus, speramus Magistratum ita cum eo acturum, vt deinceps nobis non ampliùs molestus sit sua doctrina futurus.

CAPITA PETITIONIS D. Marbachi, proposita domino Doct. Hieronymo Zanchio.

I. *VT de Eucharistia sacramento consentienter nobiscum doceat & profiteatur, iuxta Augustana Cõfessionis formulam: Cum pane & vino externis signis & symbolis, verum Christi Domini nostri corpus & verũ ipsius sanguinem, vescentibus in cœna, distribui. De modo verò præsentia, cùm inter nos non conueniat: nam ipsum spiritualem tantùm admittere præsentiam, qua est fidei: nos verò cum hac spirituali, statuere & affirmare etiam sacramentalem, hoc est, corporalem, nimirùm substantia corporis & sanguinis Christi in cœna: & præterea Indignorum manducationem, quam ipse negat: Itaque concordia causa, & vt in doctrina cõsensus inter Schola & Ecclesia doctores & ministros cõseruetur, debere eum de modo præsentia nihil tradere, sed illius explicationẽ permittere nobis, qui de eo hactenus iuxta articulos concordia anno 1536. Vviteberga cum D. Luthero facta, docuimus.*

II. *Cùm ex sacris literis in confesso sit, esse prædestinationem electorum ad vitam æternam, & ita etiam, propter Dei præscientiam, certum numerum reproborum, id quod nos quoque vnà cum ipso libenter & recipimus & liberè profitemur: de nostra tamen æterna salute & volũtate Dei erga nos, eum non debere à priori, hoc est, ab ipsa Dei occulta æterna prædestinatione initium in suis prælectionibus facere, sed suos potiùs auditores deducere ad Dei volũtatem reuelatam, hoc est, ad verbum externum, siue Ecclesia ministerium à Christo institutum, seu, vt Paulus loquitur, ad ipsam vocationem.* Nam quos præsciuit, eosdem & prædestinauit: quos verò prædestinauit, eos etiam vocauit: & quos vocauit, eos & iustificauit.

III. *Etsi non dubito eum, vt virum doctum & multa lectionis, de pluribus Scriptura locis, suas habere cogitationes siue reuelationes: tamẽ cùm, vt Apostolus inquit:* Spiritus prophetarum prophetis subiecti sint: *non temerè ipsum debere quiduis in suis lectionibus proferre, quod nouum sit, aut doctrina nostrarum Ecclesiarum & præsertim nostrorum præceptorum repugnet, quorum opera æternus Deus immensa sua erga nos misericordia his vltimis tẽporibus lucem Euangelij sui iterum accendit, videlicet* D. *Lutheri, Buceri, Philippi, Brentij, & aliorum.*

IV. *Vt omissa locorum cõmunium tractatione, in qua propemodum toto nunc decennio immoratus sit in explicatione textus sacra scriptura pergat. Sicut enim offendendi minorem habiturus sit occasionem, si dextrè sacras literas interpretando progrediatur: ita etiam plus fructus & vtilitatis auditores ipsius inde percepturos esse.*

V. *Cùm ego Ecclesia & Schola laboribus impediar, vt publicis disputationibus præesse non possim: ipsi verò satis magnum sit otium, ideò Dominos Scholarchas isto labore me exemptum, ei stipendium me amplificasse, vt frequentiores disputationes in Schola nostra habeat, quod cum hactenus ab eo neglectum fuerit, me humaniter rogare, ne hoc suum officium deinceps facere intermittat.*

CAPVT III.

AD HANC IPSAM D. MARbachij Orationem Zanchij Responsio.

AD Orationem D. Marbachij, clariss. & obseruandi collegæ, paucis respondeo. Controuersia, inter Marbach. & me exorta, non fuit simpliciter de religione, sed etiam de violata pace, in qua anteà eramus: vter illius fuerit autor. D. etiam Hetlinus sic proposuit in genere, cupere explicari coram toto Capitulo, quænam controuersia esset inter D. Marbachium & Zanchium. Huc etiam spectauit maxima meæ Narrationis pars. Ad. I.

Quod igitur in genere propositum fuerat, illud ad vnam speciem restringi non debebat. Hoc autem non sine causa dico. Nam ipse omnibus modis quærit, vt initium totius controuersiæ, vel planè ignoretur, vel saltem dissimuletur. Illud autem fuit Heshusij liber, per me impeditus: Idque ideò facit, ne vllo modo aut ex odio mei, aut ex affectu vindictæ, tùm doctrinam meam improbasse, tùm me apud Dominos Scholarchas accusasse, atque in discrimen totius meæ existimationis & honoris adduxisse, sed tantùm ex zelo gloriæ Dei ac salutis Ecclesiæ & Scholæ, hæc omnia fecisse videatur.

Sed, vt initio meæ præfationis dixeram, ad veram totius controuersiæ cognitionem refert quàmplurimùm, principia ipsa, ac fontes, vnde reliqua omnia promanarunt, probè nouisse, ac firmiter retinere: & quo affectu aliquis aliquid egerit aut agat, cognoscere.

Quòd vero reliquos quoque pastores, Germanos scilicet, quos suos consymmistas vocat, in hac cõtrouersia, quam mihi cum ipso tantùm D. Marbachio esse putabam inuoluerit, & eos secum, tanquam partem contrariam, aduersus me statuerit, an hoc fecerit, vt multitudine & existimatione pastorum contra me sentientium, magis inuisum toti ciuitati redderet, necne, viderit ipse.

Ego certè, quòd ipsi pastores permiserint se ab hoc homine in hac controuersia inuolui, & huius vestigia sequantur, nimirùm, vt meam doctrinam, antequam mecum amicè sint locuti, & de mea sententia meęque sententiæ sensu ac veritate certiores facti, oppugnẽnt, vehementer doleo. Certè D. Bucerus nunquam sic egisset, aut vnquam egisse dicitur.

Sed hic duo me consolantur. I. Quòd licet omnes pastores Germani sint contra me vnum: Veritas tamen, ideóque Christus, mecum est. Et hoc spero omnibus patefactum iri. II. Quòd non scribit, ipsos quoque Diaconos secum contra me sentire. Sunt igitur etiam aliqui qui puram doctrinam Christi, Augustini & Buceri, mecum ament & retineant.

Ait autem D. Doctor: *se natura à discordiis abhorrere.* Cur igitur illas excitauit, & me in illas inuitũ traxit? potuisset enim facillimè eas vitare, si, vt debebat, me priùs conuenisset, & ex me ipso explicationem meę doctrinæ accepisset.

Quod ait *Se sincerè & ingenuè, vt hominem Germanum decet omnia Capitulo narraturum*, benè fecerit, si in omnibus negotiis candorem & sinceritatem verorũ Germanorum imitatus fuerit. Certè in me isto candore & sinceritate, in hac præsertim controuersia, vsus non est. Sed ego ero etiam contentus, si saltem cum suis Germanis, tã Dominis nostris quàm collegis, candidè semper & sincerè egerit in rebus omnibus. Etsi verò ego natione Italus sum, an tamen sim sincerus & candidus, norunt omnes collegæ.

Inuitus,

Inuitus, inquit, pertrahor ad hoc certamen scilicet à Zanchio. At grauissimæ me impulerunt causæ, vt dissidiũ cum collega inceperim: Quæ? Zelus doctrinæ? quia scilicet primò dixi, sub finem sæculi venturum magnum & perfectum Antichristum? Deinde, quia dixi, certum tempus de fine sæculi, sciri à nobis non posse? Grauissimæ profectò hæ causæ? An quia docui, sanctos in fide vsque in finem propter promissionem Dei perseueraturos? At hanc eandem doctrinam iam inde ab initio tradidi, & posteà sæpius repetij: nec tamen vllum propter hanc dissidium inter nos ortum vnquam, nisi nunc primùm fuit. Sunt igitur aliæ causæ tam impulsiuæ, quàm finales & ratiocinatiuæ. Eas certò quidem nouit Dominus, & ipsius D. Doctoris conscientia: sed aliis etiam non sunt penitus incognitæ.

De fine sæculi.

2. Quæ recitat argumenta de fine sæculi, ea non vsquequaque sic se habuerunt. Tractatio mea de fine sæculi apud vos est, clarissimi viri, ibi apparet quid docuerim. Illorum verò trium, quæ dicit à me fuisse dicta, & absurda vocat, duo sunt calumniæ. In tertio verò, & se non intelligere Paulum indicat: & mortuum Bucerum grauiter criminatur. Primùm ait, me dixisse, *Quod Turca debeat adhuc occupare ante finẽ mundi occidetem.* Quis hoc dixit? Cùm refutarem coniecturam secundam ex Danielis capite secundo & septimo sumptam vbi volũt per cornu illud, quod inter decem ortum est, intelligi Turcam: Primò dixi, aliud Patres per cornu illud intelligere, quàm Turcam. Deinde etsi demus, per illud intelligẽdum esse Turcicum imperium, tamen non inde sequi, instare igitur diem Domini: quia præter alias rationes, nondum omnes Sãcti traditi sunt in eius manum, sicut ibi de cornu legitur, neque etiam videre me, cur tradendi sint breui in eius manum, fieri quidem posse, vt omnes propter nostram ingratitudinem, tradamur in eius manum (quod Deus auertat) sed an hoc futurum sit, & quandò futurum sit, prorsus non apparere. Hæc fuerunt mea verba. Affirmaui ne hic, occidentem occupatum iri à Turca? Sed voluit me perstringere, quasi agam Prophetam qui futura prædicam. Si nõ benè intellexerat, & mea doctrina videbatur ei absurda cur non quæsiuit ex me quid dixissem, & quomodo dicta mea intelligerem? Malus animus facit, vt omnia etiam benè dicta in malam partem interpretemur. Quid quòd hic testes sunt, qui dicant, se ex ore D. Philippi Melanchthonis publicè legentis audiuisse, totam Germaniam à Turca esse occupandam? Accuset igitur & damnet Philippum, non Zanchium.

An Turca ante finem mundi occupaturus sit totum occidentem.

De Antichristo.

Alterum est, quod docuerim Romanum Pontificem, nõ esse illum Antichristum, de quo in secũda ad Thessal. capite secundo, calumnia est. Tantùm dixi, reuelatum quidem esse regnum Antichristi, & qui in illo præest, esse Antichristum: negari tamen non posse, quin futurus sit sub finem sæculi quidam insignis nebulo, omnium pessimus, qui postremò sedeat in throno huius regni, & illum fore vltimum Antichristum.

De statu tranquillo ante finem sæculi.

Sed de tertio, videamus quid dicat: Tertiũ est, *inquit,* quod somniat, ante finem mundi fore adhuc statũ tranquillum Ecclesiæ, & plenam Iudæorum conuersionem, in qua opinione etiam Chiliastæ olim fuerunt.

Quod dicit, me somniasse ante finem mundi fore adhuc statum tranquillum Ecclesiæ, & de tali tranquillo statu Ecclesiæ intelligit, qualem commenti sunt Chiliastæ, viderit, vter sit somniator ego, an ipse. Certè labores, vexationes, & molestiæ diurnæ, quas patior, talia mihi phantasmata in somnis non adferunt, vt statum Ecclesiæ in terris quietum somniare possim.

De Iudæorum conuersione.

Quod verò ait, *me etiam somniasse plenam Iudæorum conuersionem*: & quia hoc dixi, connumerat me inter Chiliastas: In hoc toti cõsilio aperte indicat, se primò, cũ legit Epistolam ad Romanos (legit autem sæpiùs) fuisse valdè studiosum commentariorum Buceri: & deinde, si eum legit, optimam se de eo cõcepisse opinionem: cum illius sententiam cum Chiliastarum sententia coniungat. Bucerus hunc locum *Rom.* 11. Nolo autem vos ignorare mysterium hoc, vt non apud vos ipsos insolescatis, quod cæcitas ex parte contigit in Israel, donec intret plenitudo Gentium, & sic omnis Israel saluus fiet: hunc (inquam) locum explicans, expositionem hanc, quam Dominus Marbachius somnium & Chiliastarum opinionem vocat, nimirum de Iudæorum conuersione in fine sæculi affert: & hunc Iudæorum ad Christum reditum, vocat magnam illam & insignem totius Israelis conuersionem. Nec aliter locum hunc posse intelligi, quàm de illa copiosa, quæ futura est sub finem sæculi Iudæorum conuersione, euincit ex dictione illa Mysterii: deinde ex locis Prophetarum à Paulo citatis. Indicat etiam D. Doctor, se non bene intelligere, quæ fuerit Chiliastarum sententia. Mihi enim attribuit, quod somniarim, magnam & copiosam Iudæorum sub finem seculi conuersionem, & tunc Ecclesiam in terris sub finem sæculi, nempè ante aduentum Christi secundum, in tranquillo statu futuram, & in hac opinione fuisse scribit Chiliastas. At longè alia fuit Chiliastarum sententia. Illi enim senserunt, post, non ante finem sæculi, seu post non ante alterum Christi aduentum, Ecclesiam interfectis omnibus ferè impiis, & excitatis ad vitã piis demortuis, vnà cum reliquis piis, qui tum superstites reperientur beatam & tranquillam vitam in terris vnà cum Christo per annos mille victuram, in deliciis & voluptatibus, sed honestis. Deinde elapsis his mille annis, futuram resurrectionem secundam, in qua omnes impii resurgent: & tunc futurum iudicium, post quod iudicium, sicut etiam vniuersa Ecclesia confitetur, impii in perpetuo igne cum Satana cruciabuntur, pii verò non ampliùs terrenam, sed cælestem, eamque perpetuam vitam viuent. Hæc fuit opinio Chiliastarum, & multis scripturarum testimoniis ad hanc confirmandam abutebantur. Et primus huius opinionis autor fuit vir sanctus, Ioannis Apostoli auditor, Papius Hieropolitanus in Asia Episcopus. In hac fuerunt grauissimi viri: Irenæus, Tertullianus, Iustinus Martyr, Victorinus Pictauiensis. Lactantius Firmanus & alii. Augustinus quoque de ciuitate Dei, libro vigesimo, capite septimo testatur, se in hac fuisse aliquãdo sententia: Sed posteà eam refutauit, & meritò: & ante ipsum alii quoque eam refutarant, inter alios Dionysius Alexandrinus Episcopus, libello contra Millenarios edito, eam vocat fabulam. Si quis velet exactè videre, quæ fuerit sententia Chiliastarum, legat Lactantium Firmianum libro septimo qui est de diuino præmio, à capite decimo nono vsque ad vigesimumseptimum. Quantum differt hæc Millenariorum phantasia de felicitate Ecclesiæ in terris, ab ea opinione, quam D. Doctor dicit me somniasse futura scilicet Ecclesiam pacatam in terris ante aduentum Christi sub finem sæculi?

Chiliastarum opinio.

Sectatores huius opinionis.

3 Quòd posteà subdit, suos commensales retulisse, *me tractasse locum de prædestinatione*, condonatum est aliquid ignorantiæ ipsorum, qui locum de perseuerantia Sanctorum, quæ est effectus electionis, appellant locum de prædestinatione. Si vero malitia id faciunt, quia nomen hoc, hoc tempore hic est odiosum grauius peccant.

De prædestinatione vel potius perseuerantia sanctorum.

Quòd dicit, Me hanc propositionem docuisse. *Eos qui ab æterno electi sunt ad salutem, necessariò perire nõ posse. Sicut contra, reprobos necessariò non posse saluari:* Hoc nõ fuit fideliter relatum. Etsi enim verissimum est, eos qui electi sunt, non posse perire, & ideò necessariò saluari: & contrà, reprobos non posse saluari, & ideò necessariò damnari, & sic tradit scriptura: sic etiam loquitur Augustinus, Bucerus, Martyr, & alii docti viri: sed discrimine tamen facto inter Necessitatem & Coactionem: Quis enim neget (vt vnum adferam exemplum certissimum) pueros infidelium reprobos necessariò in peccato originali nasci, & sic, si moriatur in eo peccato, necessariò propter illud peccatũ damnari? possũntne hoc euitare? minimè: Etsi, inquam, hac doctrina verissima est, tamen scio, me non ita tùm locutum fuisse, Res ita se habet. Cùm loquerer de primo vinculo, scilicet electionis æternæ: dixi eam esse inuiolabilem, quia qui Electus est, non potest fieri reprobus.

Quæ subdit de vinculis, fideliter sunt recitata: sed nunquid & hanc de vinculis, & illam Electos non fieri posse reprobos, doctrinam negat dominus Doctor? Nũquid propter hanc doctrinam ita fuit anxius, vt nesciret, quid faciendum esset? Egóne primùm conueniendus, an verò domini Scholarchæ adeundi?

Ita, inquit, eram anxius, propter illa noua dogmata. Cui noua dogmata? Apostolis, Patribus, Bucero: an tibi domine doctor? Quod si videbantur tibi noua: quare me non accersebas: & à me explicationem & probationem non petebas?

At ipsum, inquit, conuenire, existimabam inutile fore: præsertim si hoc priuatim fieret. Quamobrem domine Doctor ita existimabas? Nunquid antea solitus fueras me accersere, de doctrina & de dogmatibus mecum communicare, & deprehendisti, hoc fuisse semper inutile?

Deinde, ait, *sciebam, illum nuper grauiter à dominis Scholarchis admonitum fuisse: propterea mirabar, cum iam denuo noua dogmata in Schola proponere.* Sciebas domine Doctor, me grauiter fuisse admonitum à dominis Scholarchis: Credo etiam, te optimè sciuisse, me fuisse admonendum: quia tu nunc apud bonos dominos Scholarchas potes, quidquid vis: sed nõ ita erat in principio, sicut nunc. In principio, inquam, cùm viueret ille qui optimè sciebat discernere album à nigro, καὶ δὺ πάντα δοκιμ' τῷ ἐν τοῖς πᾶσιν κεκριμένον, ac proinde cùm aliquis in locum domini Doctoris Hedionis esset substituendus, non tecum, sed cum domino Rectore, domino Dasypodio, & domino Herlino, rem communicauit: & me, te vel inscio vel inuito, vocauit. Postquam etiam veni, magnus ille & singulari in rebus omnibus iudicio præditus vir, facilè animaduertit, qualem ab initio animum in tuo pectore erga me gestares. Nam viris, qui hæc audiũt, dixit, *Omnes mihi laudant Zanchium, D. Marbachius non vult laudare.* Quantam iacturam passa sit nõ solùm tota Ciuitas, sed inprimis nostra Schola, ex ipsius morte, ipsa etiam subsellia Scholæ norunt & sentiunt. Mihi vero quantum detrimentum, quantas molestias & vexationes, illius mei perpetuò obseruandissimi Mecœnatis obitus attulerit, satis & antea sæpè, & nũc maximè sentio. Etenim nunc, licet nihil de re Sacramentaria pacis causa doceã: subinde tamẽ accusor apud bonos dominos, quod de re sacramẽtaria aliter doceam, quam in confessione Augustana contineatur: & perpetuò eadem cantilena repetitur, *Confessio Augustana, Confessio Augustana*: sicut in Papatu: *Sacri Canones Sacri Canones.* Licet etiam doceam puram & certam doctrinam, è Scripturis, Patribus, & Bucero acceptam: cùm tamen lubet, accusor, quòd noua & inaudita dogmata in Scholam inuehbam. Licet totum annum doceam & sæpe etiam aliorum labores, sine tamen vlla saltem gratiarum actione, sustineam, & domi perpetuò studeam, & scribã: accusor tamen, quòd negligam officium meum. Licet cum omnibus semper studuerim pacem colere, imò pacis, amicitiæque colendæ gratia, nihil non fecerim: traducor tamen tãquam turbator, rixator, &c. Facilè autem credimus illis, de quorum sanctitate, iudicio, candore & veritate sumus persuasi. Credo itaque, te D. Doctor nõ solum optimè sciuisse quòd grauiter fuerim admonitus: sed etiam præsciuisse, quod essem admonendus.

Sed ipsius D Doct. verba liceat mihi examinare. Sciebam, *inquit*, illum nuper grauiter à D. Scholarchis admonitum fuisse: propterea mirabar, eum iam denuo noua dogmata in Schola proponere. *Quid est illud*, Grauiter admonitum, *cum illo* propterea denuo, & noua dogmata, coniunctum? Sensus est: fuit grauiter Zanchius reprehensus à D. Scholarchis, quod noua dogmata docuerit, & simul etiam seueriter admonitus, ne deinceps noua dogmata doceret. Propterea igitur mirabar, eum denuò noua dogmata proponere Duo igitur illis verbis voluit D. Doctor, apud dominos collegas concludere. I. Dominos quoque Scholarchas non latere, quod noua dogmata docere solitus sim, & hoc ægrè ferre, propterea me ab ipsis nuper etiam ea de re fuisse grauiter reprehẽsum. II. Voluit me crimine contumaciæ in dominos Scholarchas perstringere, vt pote qui ab illis nuper admonitus ne noua dogmata doceam, non cessem tamen denuò noua dogmata docere.

Sed aliter se res habet. Primùm in ea admonitione, de qua loquitur D. Doctor, D. Scholarchæ de nulla re mentionem fecerunt, nisi de re sacramentaria Deinde cũ ego cõquestus fuissem, quod ita apud dominos subinde, à nescio quibus cũ vellẽt me vexare, accusarer, idque iniustè, cum omnes sint meræ calumniæ, dixerũt, se non me reprehendisse, quasi aliquid docuerim vel scripserim contra Augustanam Confessionẽ, sed tantũ amicè monuisse ne si fortè ad hoc stimularer, in tẽpore isto turbulento, aliquid de tali materia scriberem. Hoc idẽ repetierunt altera vice cùm ibi esset D. Rector. Ergo neque fui ab ipsis reprehẽsus, neque in ipsos fui cõtumax.

4. Accessi igitur, *inquit*, D. Rectorem, & exposui ei totum negotium, meum quoque dolorem (*ô magnum dolorem!*) quem ex supra dictis, *id est, impedito libello*, percepissem, quod scilicet metuam, ne in nostra Schola & Ecclesia magnas turbas habituri simus, nisi in tempore huic malo prospectum fuerit. D. Rector aliquomodo offensus, &c. Et meritò offensus. Quotus enim quisque est, qui, si sit homo sincerus & iustus, perspectis & fonte à quo, & fine ad quem, omnia D. Doctoris verba sub prætextu zeli ipsius Scholæ tendebant, non fuisset offensus?

Quæ posteà dicit de P. Martyre, se illum non eiecisse, & hoc probat per ea, quæ ait se dominis Scholarchis de D.D. Petro dixisse, ad ea ego nihil respondeo. D. Petrus non fuit cœcus adeò, qui non potuerit perspicere, quibus esset gratus, & quibus ingratus: neque nos sumus tam stupidi, qui nesciamus, multas esse vias, quibus itur Romam, & multas esse artes in orbe terrarum Hoc certum est, cùm rediit ex Anglia, & boni ac docti viri curarent illum retinendum, nonnulli suam tristitiam celare: cùm verò discessit, iidem suam letitiam dissimulare non potuerunt.

Quòd ait *me promisisse, cùm reciperer, me nihil innouaturũ*, & intelligit D. Doctor, eorum scilicet quæ vel ipse, vel Rabus docuisset, fabulæ sunt. Mea prima lectio, aliud indicat: & fuissem magna bestia, si id promisissem. Nihil vnquam promisi, nisi primùm, nihil me docturum, quod pugnet cum verbo Dei: deinde nihil in re sacramentaria docturum, quod cum Augustana Confessione, orthodoxè intellecta, pugnaret: & tertiò, me, quantum in me esset, & quoad eius per verbum Dei liceret, pacem & concordiam cum omnibus culturum.

Deinde etiamsi promisissem, me nihil innouaturum, intelligendum esset, eorum quæ M. Bucerus ex verbo Dei hic docuisset. Viderit ipse, annon multa innouarit ex iis, quæ hîc, cùm Argentinam venit, reperit, idque tam in Schola, quàm in Ecclesia. Hoc meliùs norunt illi, qui fuerunt hîc tempore Buceri, & nunc etiam sunt tempore Marbachij. Illud Catonis nondum oblitus sum: *Turpe est Doctori, cùm culpa redarguit ipsum*: Illud item Apostoli Rom. 2. Qui prædicas non furandũ, furaris, &c.

Quòd ait de Heidelbergẽsibus, illos scilicet ex meis literis collegisse, nostros quoque pastores Argentinenses in alteram partem in re sacramẽtaria inclinare: quomodo conuenit cum illis, quæ fuerunt scripta à Petro Colonio ad nostrum pastorem, meo nomine aliquos ibi ad suam sententiam confirmandam (vt habetis in mea narratione & epistola) abusos fuisse? item cum illo, quod nuper D. etiam P. Martyr scripsit (literæ sunt apud me) cum Heidelbergenses haberent in animo, me ad suam Academiam vocare, scripsisse ad se, *an essem sincerus in re sacramentaria?* Me enim fuisse illis suspectum consensionis in re sacramentaria cum D. Marbachio.

Deinde quomodo illa excusatio domini Doctoris de edito libello Heshusij conuenit cum illo, quod dixit se non curasse hunc librum imprimendum, vt inuulgaretur, sed tantum vt inter nostros studiosos exemplaria distribuerentur loco strenæ, vt haberent quo confirmarẽtur in sana doctrina, quomodo, inquam, cum hoc cõuenit, quod modò dixit domino Rectori, se ideo curasse imprimend m librum, vt palàm fieret, quæ esset sua & aliorum pastorum in re sacramentaria confessio & doctrina? An non potuissent vnis literis ad Heidelbergenses suam sententiam explicare?

Illud verò est auribus meis & verè piorum virorum intolerabile, cùm damnans meam doctrinam, nunquam aliam affert causam, nisi quod repugnet cum doctrina *Sua*, quasi verò doctrina *Sua*. debeat esse regula omniũ doctrinarum de religione. Quare non ait: Quia repugnat doctrinæ Christi & Apostolorum? Probet, probet, si potest. Dominus Doctor, doctrinam quam de religione docui, pugnare cum doctrina Christi & Apostolorum: adde etiam, cum doctrina, quam hîc ante D. Marbachium docuit Bucerus, & loquor de dogmatibus ad pietatem pertinentibus.

5. Cùm recenset quædam (sed non omnia) capita eorum in quibus dixeram in Capitulo, me fuisse à se læsum: primùm ait hoc fuisse, quod in publica disputatione de imaginibus, mihi restiterit. Quasi verò ego debuerim offendi, quod argumentatus fuerit contra meas theses: vel quasi ipse ibi me suis argumentis conuicerit. imò contrà ipse læsus à se ipso, ante absolutam disputationem iratus discessit. Res ita se habet. Ego præter alia dixeram, ipsum quoque Bucerum cum reliquis omnibus Argentinensis Ecclesiæ Pastoribus, imò totam hãc vrbem, damnasse imagines in tẽplis, id quod apparet ex epistola, quam Bucerus & alij Pastores ad Marpurgẽses scripserunt, & quã etiã ego habeo. D. Doctor igitur voluit probare, neque ciuitatem hanc dãnare imagines in templis. Probauit autẽ hoc exẽplo, *quia in tẽplo quodam huius vrbis adhuc videre est imaginem mortis, quæ reges,*

principes

Iac. Sturmij.

Iohan. Sturm.

P. Martyris abitus Argentina.

De Heidelbergẽsibus.

Imagines.

Argumentatio Marbachij pro imaginibus in templis.

principes & omnes mortales si cum ducit. tum ego respondi, me de iis imaginibus loqui, quæ vel solitæ sint adorari vel facilè possint adotari, Nihil autem esse hîc periculi, vt quispiã velit mortis imaginẽ adorare. Ibi multi riserunt, & D. Doctor discessit iratus. Huius rei possunt esse testes Infiniti. Auditorium enim fuit frequentissimum. Quomodo igitur verisimile est, me ei dixisse, me fuisse offensum, quod mihi in ea disputatione restiterit? Tantum dixi, me fuisse læsum, quod propter illam disputationem accusarit me apud Dominos Scholarchas. Testes esse possunt illi duo nostri collegæ, D. Conradus, & D. Theobaldus procurator.

Illud etiam *Rursus* in quarto capite, si referat ad doctrinam quam nunc damnat, de perseuerantia sanctorum, falsò adiectum est. Nunquam enim ante Heshusij librum, doctrinam hanc, quod sciam, improbauit.

Quòd verò ait, Me ibi in Capitulo dixisse, se mihi in re sacramentaria, cùm essemus in Lechthenavv, cessisse. duo collegæ testes sunt, an sic locutus fuerim. Tantùm dixi, eum in colloquio priuato dixisse, se nolle ampliùs de ista vbiquitate corporis Christi mecum contendere. Ego certè in illo colloquio, quod habuimus in capitulo, non fui ita immodestus, vt voluerim vti hoc verbo tam arroganti, D. Doctorem mihi in re sacramentaria cessisse.

6. Ad illa, quæ dicit se in Capitulo mihi obiecisse, non respondeo: quia in mea narratione ego quoque ea & simul etiam meas responsiones recitaui. Tantùm tria sunt notanda. I. Cùm ait, me fuisse abusum opera D. Rectoris, dico fuisse legitimum vsum, non abusum.

II. Cùm exaggerat, me non fecisse officium boni compatris, quòd primùm nõ cum illo communicaui deinde quod significarim negotiũ Palatino: causas istorum duorum in mea narratione attuli: ad exaggerationem verò respondeo, si in hoc meo facto vllum concedi potest peccatum in suum compatrem. ipse D. Doctor & priùs & longè grauius peccauit, cùm curãdo Heshusij librum imprimendum suum compatrem & collegam, vnà cùm innumeris piis & Ecclesiis, hæreseos & atheismi damnauit.

Postremò, ad illud quod tertio loco dicit, se mihi obiecisse dicendo: *Quia in tua Epistola quã mihi legendã & subscribendam dedisti gratulatus es amico, quòd princeps Palatinus eos qui eandẽ doctrinã nobiscum profitebantur, eiecisset: imò vocasti eos turbatores.* Ad hoc sic respõdeo: Epistola mea lecta fuit in consilio. Ibi simpliciter gratulatus sum, quod princeps Palatinus curarit turbatores vel eiiciendos vel cohercendos. Hæc autem vox, tam ad vnam partem, quàm ad alteram (ambæ enim fuerunt eiectæ) referenda est: & locutus sum sicut etiam D. Philippus in iudicio. Iniustè igitur eam vocem restringit D. Doctor ad *Suos*.

Erastus. Quòd ait de literis ad D. Erastum scriptis ego propriè sic respondi. Tu tantùm suspicionibus hîc agis: charitas autem non suspicatur malum. Cùm vero ille dixisset, esse in vrbe virum grauem qui hoc sibi dixisset: respondi in hæc verba: Benè, quid tum? annon mihi etiã licet ad amicos scribere, si quid noui contingat?

Sed id quod addit: Me dixisse, *Quod autem ad Electorem negotiũ hoc delatũ fuerit, id non mea culpa factũ esse:* Testificentur duo Collegæ, an hoc à me audierint, nec ne: imo contrà in Capitulo sponte vobis narraui, me ad D. Erastum scripsisse, vt hoc significaretur Principi, & causas, cur id fecerim, disertè vobis explicui, nimitum vt quia audieram tentari rursus, vt absolueretur libri impressio, ipse Elector per literas ad Senatum impediret: & simul gratias ageret Senatui pro sua erga se obseruantia. Si verum esset quod dicit Dominus Doctor, quare voluissem vobis narrare quod narraui, & me ipsum mendacij coram collegis meis damnare, præsertim non coactus, nec interrogatus, sed sponte?

7. Quæ refert de eo tempore, cùm in hypocaustum D. Rectoris, quo cum ego eram, ipse D. Doctor ingressus est. ipse D. Rector, qui non caret memoria, poterit optimè omnium recordari. Res ita se habet. Sedebamus ego & D. Rector. ad mensam, & legebamus in locis Philippi, superuenit D. Marbachius. Surrexit D. Sturmius, & cum eo cœpit deambulare. Ego mansi sibi ad mensam, sed stans. Cùm D. Doctor neque me salutasset, neque alloqueretur, & vicissim neque ego illum. D. Rector dixit in hanc sententiam. Putabam vos esse reconciliatos, quid sibi vult, quod non loquimini simul, & non colitur amicitia? Tùm ego, antequam etiam D. Marbachius quidpiam respondisset, dixi: Quod ad me attinet, ego non possum colere amicitiam cum homine, qui doctrinam Christi improbat. Tum ille conuersus ad D. Rectorem, subridens dixit, Audis? Vides? &c. Et cùm ego pergerem quædam alia dicere in illum sicut ipse D. Doctor benè narrat &c. ipse relicto D. Rectore conuertit se ad fornacem, vbi erat vxor Domini Sturmij: paulò post discessit. Nam paucissimis verbis ipse vsus fuit, & prudenter sibi cauit à periculo alicuius verbi contumeliosi Ego verè (fateor) sine freno, quæ in stomacho habui, expectoraui. Sed qđ ait, me dixisse *peperci tibi & collegis*, quid sibi velit, nescio. Quid est, ego peperci collegis? Ego tantùm dixi, quod ad priuatas & personales iniurias attinet, illi pepercisse. Cæterùm quia doctrinam, quam ego docui, & quam certò scio esse Christi, impugnat: non posse me amicitiam cum eo colere.

Quod verò subdit, *Me doctrinam Lutheri appellasse diabolicam*: Deum immortalem, qualis hæc calumnia! nam ne mentio quidem vlla facta fuit nominis D. Lutheri. Quorsum ista tua appendix D Doctor? vt me toti Germaniæ, nedum toti ciuitati odibilem & execrabilem reddas? Hæccine est veritas & sinceritas Germanica, quam iactas? Librum Heshusij D. Doctor, appellaui diabolicum: idque dixi propter conuitia quibus plenus est, præsertim quia tot Ecclesias & pios viros damnat hæreseos & atheismi. Dixi, nullies, me nihil motatum fuisse illius doctrinam: sed illa conuitia in pios & Ecclesias Christi, me commouisse. Nunc D Doctor, quod dixi in librum Heshusij, trahit ad doctrinam D. Lutheri. Ego, si vnquam precatus sum Deum pro D. Doctore, nunc maximè precor, vt eum Dominus Iesus conuertat, & vera pietate, sanctitate, ac sinceritate, puràque in omnibus doctrina, & aliis Spiritus sancti donis quotidiè magis ac magis exornet: Si non aliam ob causam, saltem propter salutem huius Christianæ ciuitatis; cuius, testor Dominum Iesum, ita me miseret, vt cuius maximè. Heshusij liber diabolicus.

8. Ait, *Ibi in conuentu se à pastoribus fuisse reprehensum, quod permitteret nouam doctrinam auribus nostrorum studiosorum obtrudi: & eam, quam docui de prædestinatione*, id est, de perseuerantia Sanctorum in fide, *pugnare cum doctrina nostrarum Ecclesiarum.*

Primùm in omnibus conuentibus interfuit etiam pastor nostræ Ecclesiæ Gallicanæ. Is tamen affirmat aliquid tale in conuentu nunquam propositum fuisse, nisi fortè, post dimissum conuentũ iterũm clam sc. pastores tantùm Germanici conuenerint, cùm tamen noster pastor vir sit senex grauis doctus, modestus, & qui multorum ex pastoribus posset esse Pater & præceptor dignissimus. Deinde nulli etiam ex iis, quos vocant Diaconos, interfuerunt pastorum conuentui: cùm tamen inter Diaconos multi sint viri senes & graues, & docti, & pij, iudicio & rerum peritia prædit[i], quique optime tenent mores & consuetudines huius Ecclesiæ Argentinensis, quales erant in hac ciuitate, cùm viueret Zellius, Capito, Bucerus, & alij graues & verè pij viri. Quid dicam de reuerendo & venerando Patre D. Theobaldo Nigri? Et si non ampliùs per imbecillitatem corporis, suum exercet officium in ministerio: annon tamẽ deberet in rebus omnibus ad religionem & Ecclesiam pertinentibus, tanquam omnium (saluo cuique suo honore) optimus, prudentissimus, doctissimus, rerum Ecclesiasticarum peritissimus consuli? Cur tantus Pater negligitur ac contemnitur? Meminer itis, reuerendi collegæ, causæ perditi regni Israelis, cùm defecerunt à Rhoboamo decem tribus: ea fuit, vt Scriptura testatur. 3. Reg. 12. quia Rhoboamus rex, stul us iuuenis, noluit senũm consilia audire, sed stulta iuuenum consilia secutus est. Theobaldus Nigri.

Sed redeo ad istum conuentum. Rogo Dominos collegas benignè audiant, quod dicturus sum. Nam etsi omnes sint amici, ipsa tamen veritas debet esse omnibus carior. φίλοι μὲν Σωκράτης, φίλος δὲ Πλάτων, ἀλλὰ φιλτάτη ἡ ἀλήθεια. Primò, res de qua erat deliberandum, grauissima est, nempè de doctrina vnius ex suis collegis, & sacrarum literarum in Schola professoris: & de qua doctrina? de illa in qua maxima pars articuli de iustificatione consistit. Agitur hîc de salute non Scholæ tantùm, sed totius Ecclesiæ Argentinensis. Opus igitur erat, diligenti, matura & longa, multorúmque & grauissimorum virorum deliberatione. Deinde ille, cuius Iudicia Ecclesiastica qualia debeant esse.

nec ipsum velit me in iis, quæ ad doctrinam de religione pertinent vel sua, vel totius etiam mundi, præterquã illius, qui in cœlo regnat, atque in scripturis per Apostolos & Prophetas locutus est, Christi autoritate moueri. Quare iterum dico, proclamo, protestor, me nolle vllius vel hominis, vel ciuitatis, vel regni, vel etiam omnium angelorum, nedum D. Marbachij & suorum symmistarum doctrinæ assentiri, subscribere, conuenienter docere, nisi priùs illam cum doctrina Christi consentire, apertis Scripturæ testimoniis demonstratum fuerit. Sic me docuit Dominus: sic Apostoli: sic Patres: sic Lutherus, Bucerus & alij docti & pij viri. Bucerus in reformatione Coloniensi cap. 1 de doctrina, posteaquàm ostendit, omnes homines facilè errare posse, ac proinde non hominum placitis, sed solo Dei verbo nitẽdum esse, posteà infert dicendo: [Vnde, vt D. Augustinus ita & cæteri patres & Doctores veteres, scripta omnia & sententias, eorum qui aut ante eos, aut ipsorum tempore docuerint, non ideò receperunt, quod à viris tanta tùm pietate, tùm doctrina præstantibus proficiscerentur: sed quatenus suam quisque doctrinam & sentẽtiam ex verbo Dei & rationibus certis confirmaret: eásque tantùm rationes certas habuerunt, quas ex verbo Dei deductas intelligebant. *Postea concludit.* Quamobrem omnis piæ doctrinæ confirmatio, solo scripturæ testimonio constat, cui quicquid de Deo & Christo nostro & credimus & docemus, inniti debet. Hæc enim sola, verbum Dei, cui soli in diuinis est credendũ, sincerum & certum proponit, quippe non ab hominibus, sed à Spiritu sancto cælitùs dictata, quemadmodum testatur D. Petrus, cùm inquit: Illud primùm scitote, quod omnis prophetica Scriptura non sit priuatæ interpretationis: Non enim voluntate hominis allata est aliquando prophetia: sed à Spiritu sancto impulsi locuti sunt sancti Dei homines. 2. Petr. 1. Humanæ itaque doctrinæ omnes in Ecclesia, quæ non nituntur Dei verbo in Scripturis tradito, inutiles sunt & perniciosæ, teste Christo & Iesaia. At Scriptura sacra, certa & salutifera nobis doctrina est, sicut docet Paulus, cùm inquit: Omnis Scriptura diuinitùs inspirata, vtilis est ad doctrinam, ad redargutionem, ad institutionem, quæ est in iustitia, vt integer sit Dei homo ad omne opus bonum paratus. 2. Tim. 2.]

Cui subscribendum sit.

Matt. 15. Iesa. 29.

Hæc Bucerus ibi.

Hæc igitur quod ad hoc primum attinet, esto conclusio. D. Doctor distinctè & perspicuè proponat totam istam doctrinam; cui vt subscribam & cõsentienter doceam, petit. Deinde illam claris & perspicuis Scripturæ testimoniis probet, esse doctrinam Christi. Tertio, illã mihi det, & sinat me quoque tùm ipsam, tùm probationes, ad lapidem lydium scripturarum examinare, sicut etiam Thessalonicenses in Actis doctrinam Pauli ad Scripturas propheticas examinarunt. Postremò coram piis viris & doctis, non solùm ex vrbe nostra, sed etiam aliunde, si visum fuerit, audiatur mea responsio. Tunc si quid recusauero, rationes cur id recusem, in mediũ adferam. Iudicium erit penes illos viros pios & doctos. Ipsi enim si fuerint viri verè pij & docti, non iudicabũt, nisi allatis breuiter sui iudicij rationibus. Tùm demum etiamsi tu vel ego noluerimus illorum iudicio acquiescere, æquitas tamen postulabit, vt qui non potuerit illorum iudicium refutare: tantisper tamen conquiescat, dum vel ipse vel alij pro se meliora potuerit pro sua sententia defendenda proferre.

Alterum ad quod mihi respondendum est, est illud quod concludit dicendo: [Et si nolit nostræ scilicet doctrinæ consentienter docere: sicut ipse ad Magistratum appellauit, & quemadmodum nos quoque publicã disputationem expetimus, cogemur eò confugere. Permittemus libenter iudiciũ Magistratui & bonis ac doctis viris: si conuicerit nos, quod certè, confido, in æternum non poterit, dabimus libenter pœnas: sin minus, speramus Magistratum cum eo acturum, vt deinceps non amplius molestus sit sua doctrina futurus.]

Respondeo. D. Doctor memineris totius istius tuæ promissionis. Quid tibi vis, cùm ais: *Si conuicerit nos?* Ego non profiteor, me conuictum vos, sed tantùm doctrinam meam, quam improbatis testimoniis Scripturæ, Patrum, adde & Buceri comprobaturũ: Si verò vos hãc poteritis refutare, me illam retractaturũ. Tu verò inuertis adhuc ordinem. Neque enim ego susceperam vestrã refutandam, sed tu meam improbasti, & refutãdam suscepisti. Tuum igitur est Domine Doctor, qui damnas meam, conuincere me. Et si non poteris, tuum erit, & retractare sententiam, & te meam doctrinam temerè improbasse, néque propter eam iniustè vexasse, ingenuè & candidè, vt non solùm virum Germanum, sed & omnem virum bonum decet, publicè fateri.

Nunc itaque mitto ad te omnia illa, quæ in mea doctrina partim in Schola, partim apud Dominos Scholarchas, partim in Schola, partim apud Dominos Scholarchas, partim in consilio, improbasti.

Tu illa vnà cam tuis reuerendis Dominis Pastoribus quandoquidem, ne solus esses, eos tecum in hanc controuersiam traxisse videris diligenter examinabis, & ad ea refutanda te parabis.

Est quidem mea sors miserabilior, quoniam multi, iique docti, contra vnum: Tamen quia non est mihi animus resistere veritati, sed defendere vel saltẽ discere veritatem, propterea mihi eò eritis gratiores, quò plures & doctiores. Nam edoctus à pluribus, pluribus etiam debebo.

Omnia amicè, Christianè, positis omnibus affectibus propriis, ad gloriam Dei, salutẽmque huius ciuitatis fiant: & Deum precor, & te D. Doctor cum tuis omnibus oro, atque obsecro.

THESES HAE SVNT.

De fine sæculi.

I. Quoto die, vel quoto mense, vel quoto anno, vel quo sæculo futurus finis mundi, & rediturus Dominus: neque vlla certa scientia, neque vllis coniecturis, agnosci ab vllo mortalium potest. Hæc enim fuit conclusio meæ prælectionis de tempore finis sæculi.

De Antichristo.

II. Etsi reuelatum est iam pridem regnum Antichristi, quisque in illo primatum tenet, & regnat, verus est Antichristus: dicere tamen sub finem seculi, insignem quendam, & omnium in iniquitate excellentissimum, verum & perfectum Antichristum, qui etiam miracula edat, venturum non pugnat cum sacris literis.

De signis finis sæculi.

III. Dicere pro conciliatione loci Lucæ 18. *Putas cum venerit filius hominis, inueniet fidẽ in terra?* cũ loco Pauli Rõ. 11. *Nolo vos ignorare mysterium hoc, quod cæcitas etiã ex parte contigit in Israel donec plenitudo Gentiũ aduenerit, & sic omnis Israel saluus fiet* dicere, inquam, pro conciliatione horum duorum locorum, quod dum regnabit ille summus & vltimus Antichristus, propter ipsius tyrannidem parum fidei reperietur in terra: sed post illum occisũ Spiritu oris Christi, copiosa Iudæorum multitudo ad Christum conuertetur, id quod fit per fidem, & sic tunc erit multa fides in terra, non est contra verbum Dei.

De prædestinatione.

1.

IV. Certus est apud Deum, tùm electorum ad vitam æternam, tùm reprobatorum atque ad interitum prædestinatorum numerum.

2.

V. Sicut electi ad vitam perire non possunt, ideóque saluantur necessariò: ita quoque qui ad vitam æternam prædestinati non sunt, saluari non possunt, ideóque necessariò damnantur.

3.

VI. Qui semel electus est, non fit, nec fieri potest reprobus.

De vinculis quibus colligamur Christo & Ecclesiæ.

VII. Duo sunt vincula, quæ ad hoc, vt Christo & Ecclesiæ verè colligemur, prorsus necessaria sunt: vinculum æternæ electionis in Christo: & vinculum Spiritus Christi, ideóque fidei in Christum. Atque hæc duo primo interna sunt & inuisibilia: deinde indissolubilia.

2.

VIII. Duo vincula sunt, quibus Ecclesiæ, quod ad externam eius faciem attinet, coniungimur: Professio doctrinæ Christi & participatio sacramentorum. Atque hæc primùm externa sunt & visibilia: deinde dissolubilia, quatenus potest quis & ipsam doctrinam reiicere & ipsa sacramenta respuere.

Cùm in illa mea præfatione dissererē de officio Doctoris Ecclesiastici, professus sum, me nihil alienum à verbo Dei allaturum in hanc Scholam. Deinde, nolle me adstrictum esse in explicanda sacra scriptura, vllius hominis verbis aut interpretationi: sed quia Spiritus S. vbique in sacris literis sibi cōsentiat, non posse me melius facere, quàm si scripturam per Scripturā explicarē. Sequendū etiam esse Spiritus sancti ductū, qui sæpe parvulis & abiectis ea reuelat, & eiusmodi donat sacrarum scripturarum intellectum, vt nonnunquam ea intelligant, quæ à magnis viris non potuerunt intelligi.

Libertas in docendo.

Adieci tamen, omnia submittenda esse Ecclesiæ iudicio, quod idem Paulus monet, cùm inquit: *Duo aut tres loquantur, cæteri diiudicent.*

Memini etiam, me tùm dixisse, Si quid reuelatū fuerit Hieronymo, & non Augustino, taceat hic Augustinus, & loquatur Hieronymus: ita si quid reuelatum fuerit Luthero, & non Caluino, loquatur Lutherus; & vice versa, si quid reuelatum sit Caluino, & illud non Luthero, taceat Lutherus, loquatur Caluinus.

Quare autem sacrarum literarum interpres non debeat esse adstrictus vllius hominis interpretationi hanc attuli causam: quia aiebam, omnes nos homines esse, & propterea posse etiam errare: solum Spiritum sanctum errare non posse: eum igitur sequendum esse.

Hæc cùm ab initio statim protestatus essem, & indicassem, quā in meo officio vti vellem libertate: nemo tamen quidquam aduersus ista vnquam dixit, imò omnes perpetuo silentio suo hanc mihi libertatem concesserunt.

Posteaquā verò cœpi docere in hac Schola & disputare, apertè animaduerti, doctrinā D. Buceri quam hîc tradiderat, maxima ex parte ab hac Schola exsulare: maximè verò eā, quæ est de Prædestinatione seu salutis certitudine, item de Gratia & libero arbitrio. Videbam enim, à quibusdā plus æquo stabiliri liberū arbitrium.

Buceri doctrina exsulat.

Vt igitur doctrinam Buceri in hanc Scholam reuocarem, diutius versabar in tractatione locorum communium: præsertim cùm quidā ex auditoribus illud à me quoque flagitarent.

Et quidem hanc ipsam doctrinam, quā modò impugnat D. Marbachius, de Prædestinatione, seu potiùs de Perseuerantiā electorum in Christo, statim ab initio cœpi tradere in primo Psalmo: vbi Iustus comparatur arbori ad riuos aquarum plantatæ, quæ semper humorem retinet in radice & viua manet, ita vt fructum suū reddat in tempore suo, & folia eius non inarescant.

Hanc meam doctrinam, quam ab initio tradebam, nemo tùm improbauit. Vnde patet me his diebus nullam nouam doctrinam in Scholam inuexisse: quia eandem statim in principio docueram.

Per id tempus venit ad me D. Marbachius (tunc autē ægrotabat D. Iacobus Sturmius) & me de duobus interrogauit, Primùm de re Sacramentaria: deinde de prædestinatione.

De Prædest. & Cœna.

Locuti sumus diu inter nos de Prædestinatione, & videbatur inter nos conuenire. quæstio solùm illa erat; vtrùm à priori, an à posteriori in ea tradenda esset incipiendum. Vterque suas protulit rationes: sed omnia pacificè inter nos fiebant.

De re sacramentaria, quia tū appropinquabat vespera, nihil potuimus inter nos colloqui. Itaque alio die me conuenit, & ea de re mecum locutus est. Tùm animaduerti, eum à me dissentire. Statuebat enim Vbiquitatem corporis Christi, quam sententiam ego videram in Italia etiam à Papistis fuisse confutatam.

Marbachius Vbiquitatem defendit.

Hæc cùm intelligerem, cœpi apud me cogitare, fore mihi de re sacramētaria, aliquando cum D. Marbachio & quibusdam aliis Ecclesiæ huius ministris, negotium. Nam cùm à me discederet, & esset adhuc in limine portæ, his verbis apud me vsus est: *Nos, inquit, decreuimus manere in nostra sententia.* Ego subieci, Benè, in nomine Domini. Sic igitur discessit.

Per id tempus cœpit vexari D. Garnerius: Et cùm anteà fuissem ad conuentum Theologicū vocatus postea non ampliùs vocabar. Itaque non veni ad conuentum, ignorabam enim, hanc esse consuetudinem, vt ministri Ecclesiarum singulis hebdomadibus etiam non vocati, venirent ad conuentum. Cùm ergo post aliquot menses emansissem neque vocaret: cogitabam, si ibi esses necessarius, etiam vocareris. Satius igitur fuerit, domi manere & studiis incumbere.

Post illa, constitui in Italiam proficisci, ducendæ vxoris gratia: accessi igitur D. Iacobum Sturmium, veniā petiturus: quem cùm accessissem, hilari vultu mihi dixit, [D. Zanchi, tu es nobis carus, & Schola amat te, cura vt quàmprimùm redeas: schola opus habet te, nos verò efficiemus, vt sentias nostram erga te beneuolentiam.] Hæc fuerunt postrema verba, quæ ex D. Iacobo Sturmio audiui.

Cùm autem rediissem ex Italia, moriebatur D. Iac. Sturmius. Venerat etiam ex Anglia, D. D. Petrus Martyr, qui D. Iac. Sturmium mortuum comitatus est, quem viuum non potuerat videre. Quàm difficulter autem D. P. Martyr hîc retentus fuerit resistentibus quibusdam ministris, norūt ex ipsis etiam professoribus multi, quorum iam aliqui mortui sunt.

P. Martyr ex Anglia Argētinam redit.

Sed redeo iam ad me. Primo anno quo huc venissē, concessum mihi fuerat, pro meo iudicio in Schola docere. Vt autem sciretur, quid docerem, solitus fui semper, ea quæ docuissem, ad disputandum proponere, vt hac ratione, omnia melius & prolixiùs explicarentur & examinarentur numquam enim lucem fugi.

Quæ primo āvocatione Zanchij an no contigerint.

Elapso primo hoc anno, & mortuo D. Iacobo Sturmio, cùm domini Scholarchæ decreuissent, Canonicatum istum quem iam habeo mihi conferre, fui ab ipsis vocatus: detulerunt mihi confessionem Augustanam, & à me petierunt, vt subscriberem. Ego verò cum in Italia anteà diligentissimè eam legissem, respondi dominis Scholarchis non posse me simpliciter sine aliqua explicatione subscribere: habere me certas causas, cur istud non faciam: neque me adeò curare Canonicatum: facturum me officium in Schola, quamdiu ipsis visum fuerit, modò dent mihi, vnde possim mediocriter viuere. Et quod ad istas præbendas attinet, non multum me laborare, alioquin enim me in Italia fuisse mansurum, si præbendas appeterem. Fuit itaque res dilata in alterum annum.

Quæ secundo.

Subscriptio August. Confess.

Interea ostendi D. Petro Sturmio quosdam locos ex Confessione Augustana, quos dicebam opus habere maiori explicatione.

Elapso igitur altero etiam anno, rursus vocatus sum ad dominos Scholarchas. Aderat tunc etiam D. Sleidanus, qui interpretem apud me illorum nomine egit in hanc sententiam: Dominos Scholarchas esse persuasos, quod sim homo bonæ & puræ doctrinæ: audiuisse se etiam quod in Schola officium diligenter faciam: itaque concedere mihi, vt sicut hactenus, ita etiam in posterum pro meo iudicio doceam, nolle se me ad confessionem Augustanam adstringere. quoniam exploratum iā habeant, me nihil docere, quod verbo Dei non sit consentaneum: tantùm pro hoc tempore esse quæstionem de re sacramentaria: cupere se ex me scire, vtrum huic articulo velim subscribere, necne.

Respōdi Dominis Scholarchis, me verba Augustanæ Confessionis de re sacramentaria probare, & etiam non recusare illis subscribere, solummodo non mihi placere omnium interpretationes: itaque verbis quidem ipsis, non autem interpretationi me subscripturum. Adieci etiam, me non libenter de ista controuersia vel loqui vel disputare: tamen si fortè contingeret, vt de ea aliquid in Schola mihi esset dicendum, velle me coram explicare, quæ mea sit sententia, & quid de ista re in Schola sim dicturus.

Exposui igitur tria capita in præsentia Dominorum Scholarcharum. I. Conuenire mihi cum cæteris omnibus, quod in cœna ista, verum Christi corpus, & verus sanguis, imò totus Christus sumatur & manducetur. II. Sed me in iis duobus à multis dissentire: me enim sentire, Christi corpus & sanguinem, solā fide, eáque verâ manducari ac percipi, non autem ore aut dentibus corporis: ac proinde, quod III. caput est: Christi corpus & sanguinem solùm à fidelibus sumi.

De cœna Zanchij confessio.

Hæc cùm ex me audiuissent Domini Scholarchæ arridentes dixerunt: Hæc est quoque nostra fides. Pro qua responsione, ego Deo egi gratias. Contulerunt ergo Domini Scholarchæ mihi canonicatum istum.

Cùm posteà essem in collegium vestrum cooptandus, & pro more interrogarer à D. Marbachio, etiam hanc meam fidem breuiter coram vobis, vt nostis, professus sum, additā breui confessione reliquorum capitum nostræ religionis. Tùm nemo ex vobis imò ne ipse quidem D. Marbachius improbauit ea quæ à me essent dicta.

Iuxta illa tria capita paulò antè exposita scio me hactenus de re sacramentariâ in hac Schola locutum esse & docuisse. Vnde patet, me nihil contra confessionem Augustanam docuisse.

Ex his omnibus quæ duobus primis annis mihi acciderunt, sicuti iam exposui, potestis quatuor intelligere. I. Vocationem meam, quâ in hanc Scholam iam vocatus fui, fuisse legitimam ac diuinam. Eam igitur turbare, est contra Dominum aliquid tentare. II. Libertatem docendi, quæ mihi ab initio per Dominos Scholarchas in officio meo concessa fuerat, & à vobis comprobata: non igitur æquum esse, vt ea mihi iam eripiatur, præsertim cùm nihil contra verbū Dei hactenus docuerim. III. meam de re sacramentaria sentētiam, ab ipsis Dominis Scholarchis non fuisse improbatam. IV. Doctrinā hanc, quam impugnat D. Marbachius, nimirum, eos qui semel verè insiti sunt Christo non posse penitùs ac prorsus ab eo excidere, neque ab eius spiritu prorsùs deseri, non esse nouam: sed à me statim ab eo propositam. Et profectò si qui nuper hac mea nuda conclusione offensi sunt: id non factum est meo vitio, sed eorū, per quos factum est, vt mihi silentium hac de re interponetur, alioqui fuissem ista omnia clariùs explicaturus.

Quæ tertio à vocatione anno acciderint. Hæc duobus primis annis inter me & D. Marbachium acciderunt.

Zanchij de perseuerantia disputatio. Venio nunc ad ea, quæ anno tertio, vsque ad colloquium VVormatiense acciderunt. Duo tantùm per id tempus acciderunt, quæ ad præsentem causam pertineant. Vnum, fuit disputatio de eadem re præsente D. Marbachio & D. P. Martyre. Conclusio vna talis fuit: Eos qui reuerà regeniti essent, & Christo per fidem insiti, etiamsi nonnumquam peccent, & illorū fides quasi obscuretur: non tamen penitùs à Christo excidere, neque illorum fidem prorsus extingui.

In explicanda hac propositione mea, vsus eram similitudine sumta à corpore humano. Quemadmodum, dicebam, si homo aliquis sano corpore, vescatur malis cibis, inde contrahit sibi morbum, & fit ægrotus, non tamen penitùs moritur, sed adhibitis medicamentis rursus ad sanitatem reuocari potest: Ita, qui semel Christo insiti sunt habent iam vitam æternam intra se, vt ipse Christus dicit. Cæterùm quando nostris concupiscentiis frena laxamus, & sceleribus nos inquinamus, fit vt grauissimè inde infirmemur: non tamen omninò morimur, id est, seruatur in nobis illa vita, etiamsi valde infirmetur.

Hæc cùm illo tempore dixerim, facilè potestis colligere, me nil noui iam attulisse, cùm superioribus diebus eadem repeterem.

Eiusdem de imaginibus. Alterum fuit disputatio, quam habui de imaginibus, in qua talis erat vna conclusio: Impiè & perniciosè facere eos, qui adhuc eiusmodi imagines in templis ferunt, quæ possunt aut solitæ fuerunt adorari, seu quibus aliquis cultus fuit exhibitus.

Ostendi, hanc meam propositionem probari posse ex sacra scriptura, item testimoniis sanctorum patrum, & multis locis D. Buceri: præsertim verò ex ea epistola, quam de hac re ad Marpurgenses scripsit, cui etiam omnes tùm ministri huius Ecclesiæ subscripserunt, in qua epistola rationem reddit Marpurgensibus, quare autor Senatui nostro fuerit, vt imagines è templis tollerentur.

Propter istam disputationem D. Marbachius mihi fuit iratus, & obiecit mihi, quod damnarem Ecclesias Saxonicas, quæ in suis templis imagines adhuc retinerent. Respondi, me non propterea Ecclesias istas damnare, etiamsi factum hoc improbem. Multos enim adhuc posse esse & varios næuos in Ecclesiis, propter quos tamen, non totæ Ecclesiæ sint dānandæ. Et profectò visus mihi fuit D. Marbachius plus æquo ceremonias & ritus Saxonicarum Ecclesiarum appetere. Discessit autem D. Marbachius ex ea disputatione ante me, quod alioqui non consueuerat facere.

Vocatus ergo sum paulò pòst ad ad Dominos Scholarchas, ad quos cùm venissem, ista quinque mihi obiecerunt. I. Quòd non doceam consentienter cum cæteris. II. Quòd de re sacramentaria, alia doceā, quàm ab initio promiserim. III. Quòd dixerim, perniciosum esse errorem eorum, qui dicunt corpus Domini esse vbique. IV. Quòd damnauerim Ecclesias Saxonicas propter imagines, quas adhuc in suis templis retinent. V. Fuit de Prædestinatione.

Dixi ad I. non simpliciter quærēdum esse consensum, sed consensum in Domino: videndum igitur esse, an doceam secundùm consensum sacræ scripturæ: quod si nō faciam, meritò me ad id esse cogendum.

Ad II. respondi falsum esse, quod aliter docuerim de re sacramentaria, quàm promiserim ab initio; imò me nunquam libenter ea de re docuisse aut disputasse, etiamsi aliquoties fuerim nescio quo consilio, à quibusdam ad eam materiam in disputatione prouocatus.

Ad III. quod attinet, fassus sum me, id dixisse, & me illud multis testimoniis sacræ scripturæ, S. Patrum & D. Buceri scriptis probasse.

De IV. quod mihi obiectum fuit, dixi: me propterea non damnasse totas Ecclesias Saxonicas, etiamsi factū hoc non probarim.

Ad V. respondi, me de prædestinatione nihil docuisse, quod non pertineat ad ædificationem.

Postquam ad illa quinque Dominis Scholarchis respondissem, vicissim alia quinque ipsis proposui. I. Vt in posterum illud præcaueretur, ne subinde ita vexarer: & vtrum vellent stare promissis, mihique eam libertatem in docendo permittere, quam ab initio, cùm reciperer, promisissent. II. Vtrum velint, vt ego doctrinam Buceri retineam & defendam, quatenus esset consentanea sacræ scripturæ. III. Admonerent D. Marbachiū, vt ipse etiam delectaretur lectione scriptorum D. Buceri. Fore enim hac ratione inter me & ipsum magnum consensum. IIII. Vt si D. Marbachius audiret, me in Schola aliquid non rectè docuisse, vel quod ipse minùs probet, vt ipse me conueniat, aut me ad se vocet, priuatim mecum agat: me libenter eum auditurum. & eorum quæ docui, rationem redditurum: ac in posterū me non toties apud Dominos Scholarchas, quasi noua aut impia doceam accuset. V. Quòd si persuasus sit D. Marbachius, me habere aliqua noua aut impia dogmata: rogare me Dominos Scholarchas, cum illo agere velint, vt ea mihi proponat. Obtuli me tùm apud Dominos Scholarchas, ad disputationem, vel publicam, vel priuatam, aut aliam, quam ipse D. Marbachius vellet, amicam collationem. Horum testes sunt D. Rector, D. Herlinus, D. Dasypodius iam defunctus.

Ad hæc responderunt mihi Domini Scholarchæ, velle se hac de re deliberare, & mihi respondere.

Cùm verò iam aliquot hebdomadæ essent elapsæ, & ego nullum à Dominis Scholarchis responsum accepissem, accessi D. Rectorem & Dominos Visitatores, conquestus sum eis, me nihil responsi adhuc à Dominis Scholarchis accepisse: petij consilium, quid mihi esset faciendum, vtrum secundò deberem eos accedere, & ab eis responsionem postulare. Responderunt mihi Domini Visitatores, me debere esse bono & quieto animo, Dominos Scholarchas nihil respondendo tamen mihi respondere.

Sic ergo illorum dictis acquieui, & rursum inde collegi mihi libertatem meam in docendo adhuc concessam esse. Hæc, antequam D. Marbachius ad colloquium VVormatiense profectus esset, gesta sunt.

Postea cum esset VVormatiæ in colloquio, quidam Generosus Dominus Anglus, obtulit mihi quædam scripta D. Philippi in Epistolam Pauli ad Colossenses, in quibus apertè D. Philippus demonstrat, Christum, quà homo tantùm esse in cœlo. Voluit idem Generosus Dominus meum de his scriptis audire iudicium. Ego acceptis illis dictatis, cum ea legissem, probaui: deinde ea in Schola bonâ fide recitaui. Quæ cùm nonnullis suspecta viderentur, quasi non ita à Domino Philippo scripta fuissent, scriptum ea de re fuit à quibusdam ad D. Marbachium VVormatiam. Dolendum profectò est, tantam esse quorundam erga suos præceptores ingratitudinem, quod cupiunt, falsis suspicionibus eos apud alios grauare. Cum ergo, vt dixi, ista de re ad D. Marbachium, VVormatiam scriptum fuisset: ipse, vt ad me relatum fuerat, ad Senatum vel ad dominos Scholarchas ea de re scripsit. Quid verò scripserit, mihi non constat. Sed tamen cumprimùm cognoui, aliquid ad dominos Scholarchas scriptum esse, méque propterea nonnullis suspectum esse: scripsi ad D. Philippum literas, qui tunc etiam VVormatiæ erat. In illis literis, inter cætera hortabar & orabam D. Philippum, vt cùm breui migrandum sit ad Dominum, causam bonam strenuè defendat, nullam hominū offensionē metuat. Præterea exposui, me accepisse illius dictata in Epist. ad Colossenses, eáque mihi valde placere, & ex illis quædam in Schola nostra dictasse: eā re offensos

Anno 1557 Phil. Mel.

offensos quosdā esse, quasi à me ipso ista cōmētus essem: itaque me rogare, vt literis suis me certiorem faceret, vtrùm ista verè ab ipso sic scripta aut VVitebergæ dictata sint. Quod si verum sit, me quoque rogare, vt boni amici officium facere velit apud D. Marbachium, vt errorem illum de Vbiquitate corporis Christi deponat. Me enim propter eam rem hic vexari. Deinde, vt cum D. Brentio eadem de re agat, vt sententiam suam de Vbiquitate meliùs explicet. Hæc inter cætera, ad D. Philippum VVormatiam scripsi. Et scio: illum diligenter in hac re officium fecisse. Quod non solùm ex quodam amico, qui præsens ibi fuit, intellexi: sed etiā ex iis, quæ posteà sunt consecuta. Cum enim D. Marbachius primò VVormatia ad nos rediisset, & deinde iterum eò esset profecturus: Ego & D. Rector comitati sumus illū discedentem, vsque in oppidum Liechthenavv. In eo itinere, sumus inter nos de variis rebus admodum familiariter locuti, propter quod ego mihi tacitè gratulabar: imò cùm in oppidum venissemus, priuatim mecum in hospitio locutus est: & inter cætera duo mihi dicebat. I. nolle se in posterum amplius mecum de Vbiquitate corporis Christi contendere. II. de Prædestinatione aiebat, rogo, serues modum, ne aliquem offendas: simul etiam beneuolentiam suā mihi pollicebatur. Quę quidē ōmbia magnopere mihi placuerunt. Et ego vicissim, omnem ei animi promptitudinem, omnéque studium promisi. Sic postero die amicè à nobis VVormatiam profectus est.

Finito colloquio, cùm D. Marbachius ad nos rediisset, maior mihi quàm antea, cum eo intercessit familiaritas: quamuis etiam anteà semper omnem illi honorem, & quam debui reuerentiam exhibuerim: tamen visus est mihi post colloquium illud amicior & familiarior.

Explicauit mihi multa, quæ in colloquio dicta & gesta fuissent. Inter cætera narrauit mihi, Ienenses voluisse, vt Zuingliani damnarentur: se autem, in illorum condemnationem noluisse consentire. Videbatur mihi etiam improbare factum VVestphali, quod ignem illū penè sopitum de re sacramentaria, in Germania rursus accenderit. Et præter alia, mihi quoque retulit consiliū Principum de Synodo aliqua in Germania habenda: in qua de præcipuis partibus religionis inter Protestantes tractaretur: Simul etiam placere illis, vt ad eam quoq. Heluetij vocentur. Itaque sibi mandatum esse à Principibus vt voluntates Tigurinorum & sociorum in illa causa, hac in re exploraret, vtrum vocati, venire vellent. Quod cùm mihi admodum placere videret, mihi quoque committit, vt literas ad eos, qui mihi in Heluetia noti essent, ea de re scriberem: quod etiam feci, & ferè omnes reperi promptissimos.

Hæc nostra concordia a colloquio VVormatiensi continuata est vsque ad præsens hoc tempus, quo ea inter nos rursus est violata.

Hæc dicta sunt à D. H. Zanchio in prima narratione: quem propter temporis spatium non potuit absoluere. Sequentia ergo, ab eo VIII. Martij, dicta sunt.

Viri Clarissimi, reuerendi collegæ, quandoquidem sic constituistis, patientissimis vestris auribus, omnia quæ contigerunt inter D. Marbachium & me, audire: pergam igitur hoc tempore in instituta mea narratione.

Narraui omnia vsque ferè ad initium proximæ controuersiæ. Necesse est autem, vt priùs narrem, quid contigerit, antequam liber Heshusij hîc imprimeretur.

Scriptæ fuerant literæ Heidelberga à D. Petro Colonio ad ministrum nostrum Gallicanæ Ecclesiæ. In illis literis duo continebantur, quæ ad me pertinebāt. I. Rumorem esse Heidelbergæ, me quoque idē in re sacramentaria sentire cū Pastoribus huius Ecclesiæ, qui Lutheri sententiam sequuntur, nimirum (vt ego interpretabar:) de Manducatione Impiorum: & de Corporali seu Carnali Manducatione & Præsentia. II. erat quædam petitio, in qua petebat scire, quęnam esset inter D. Marbachium & me in re sacramentaria consensio. Causam verò suæ postulationis, cur hoc scire cuperet, hanc adferebat: Magnā videlicet esse Heidelbergę obortā contētionē inter Theologos de re sacramētaria: magnos quoque metuendos esse aliquādo tumultus propter eandē rem, nisi in tempore huic malo occurratur. Itaque cùm audiuerit, inter me D. Marbachium factam esse con- *(Contentio de Cœna Heidelb. 1559.)*

sensionem: cupere se quoque scire, quænam illa sit, vt fortasse simili ratione etiā inter Heidelbergenses Theologos posset aliqua fieri compositio. Hæc duo, cùm ex ministro Gallicanæ huius Ecclesiæ audiuissem, & viderem, petitiones esse honestas & ęquas, easque posse Ecclesiæ prodesse: non aliter facere potui, quin conscriberem Epistolam quandam, quā Heidelbergensibus consensionem illam, quæ inter me & D. Marbachium esset, declararem.

Eius Epistolæ exemplum, cōmunicaui cum D. Marbachio, vt videret & examinaret omnia diligenter, mihique postea diceret suam sententiam, & indicaret, vtrùm vellet, eam communi nostrūm cōsensu à me Heidelbergam mitti. Habeo hîc illud ipsum exemplum quod mittere Heidelbergam constitueram. Cupio, vt hîc coram Capitulo legatur.

Lecta fuit ergo sequens Epistola.

EPISTOLA D. H. ZANCHII, quā Heidelbergā mittere cōstituerat, de consensione inter ipsum & D. Marbachium in re sacramentaria.

S. D.

VIDI quę ad D. Pastorem, frater cariss. tùm de negotio εὐχαριστίας, tùm de me scripsisti. Gratulor vestro Illustriss. Principi Friderico III. Pio, quod curet puram doctrinam in suis Scholis & Ecclesiis doceri: & Ecclesiarum turbatores vel inde amoueri, vel coherceri. Gratulor & vobis viris bonis & doctis, quoad ad istius Ecclesiæ & Scholæ reformationem à Domino delecti & vocati fueritis. Illud verò non tantùm doleo, sed etiam vehementer miror, quod quidam meo nomine, ad suam de re sacramentaria opinionem confirmandam, abutantur. Quæ sit ea de re sententia mea, nihil quidē adhuc scripsi. Est enim satis superque ab aliis scriptum: sæpenumero tamen & hîc & alibi tam coràm quàm per literas explicaui, ita vt qui eam non intelligat, sit nemo. Illud verum est, mihi summopere displicere λογομαχίας, & modo conueniat inter pietatis professores de summa rei, ita vt nihil dicatur, quod aut cum vlla parte verbi Dei, aut cum analogia fidei pugnet, aut alicui idololatriæ & superstitioni aditum in Ecclesiam patefaciat: & tamen interim nec veritas sacramenti negetur, nec debitus honos ipsis symbolis adimatur, nec legitimus cœnæ vsus tollatur, & si quid præterea sit, de quo nō inter omnes conueniat: non ob id tamen censeo Ecclesias esse vexandas, infirmos turbandos, & ἀγάπην frangendam. Est enim illud Apostoli id quod subinde in hanc sententiam inculcatur ab Aug. retinendū: [Quod si quid aliter sapitis, Deus id quoque reuelabit: modò in eo in quod peruenimus permaneamus.] *(Epistola Zanchij ad D. Petrum Colonium.)*

Quod vero aues scire, quænam sit mea cū D. Marbachio de Cœna Dn. consensio, paucis accipe. Primùm verba Confessionis Augustanæ vterque amplectimur, quippe quæ nihil habeant, quod pugnet cum verbis Christi. Deinde verba recessus Francofurtensis de Cœna Domini, tamquam ea quæ rem ipsam clariùs, quàm verba Augustanæ Confessionis, exprimant, vsque adeo nobis non improbantur, vt etiam subscribere & ille nō dubitarit, & ego pro pace Ecclesiarū minimè recusem. Verba autem hæc sunt: (Hic articulus doceatur, quemadmodū in Augustana Confessione traditur: quod in hac Christi institutione cœnæ suæ, ipse verus, viuidus, essentialis præsens sit: & quod cum pane & vino: tamquam ab illo institutis, nobis Christianis corpus suū manducandum, & sanguis bibendus donetur, & testetur hac actione, nos esse membra ipsius, & applicet nobis seipsum, & misericordem suam promissionem, & operetur in nobis.) Postremò, iudicium hac de re beatę memoriæ Philippi Melanchthonis, ad Illustrissimum Principem vestrum missum, & nuper in lucem editum, non manibus tantùm, vt aiunt, & pedibus: sed sincero & toto animo, tanquam verissimum & piissimum amplectimur. *(Zanchij doctrina de Cœna.)*

Potes ex iis, in genere, quæ nostra sit consensio, percipere. Sed vt tibi gratificer, clariùs etiam & ἐν μέρει, in quibus consentiamus, explicabo.

Seco totum illud mysterium in quatuor partes: in Symbola: in rem per Symbola significatam & oblatam: in Modum recipiendi & manducandi: & in recipientes ac manducantes. *(Partitio totius controuersiæ de Cœna.)*

I. Quod ad Symbola attinet, negamus ita nuda esse

Symbola, vt quod per illa significatur, non etiam per eadem, quod ad ipsa attinet, illud, omnibus qui sunt in cœna, offeratur: nempe verum corpus, verúsque sanguis Christi, id est, Christus ipse cum toto salutis mysterio, quod in ipsius corpore peractum est.

II. Quia verò nihil manducatur, nisi præsens sit: ic circò quod ad præsentiam rei quæ offertur & à fidelibus recipitur, attinet, negamus primò præsentiam corporis Papisticam, id est, quam imaginātur per (vt vocāt) Trāssubstantiationem, seu per corporis in corpus mutationem: Deinde negamus illam præsentiam, quę fingitur per localem in pane inclusionem vel adhæsionem: denique omnem physicam præsentiam negamus: Damus verò præsentiam talem, quæ in pane sit sacramentalis: & in nobis manducantibus essentialis.

III. Quod autem admodum recipiendi & comedēdi attinet, negamus Christi corpus, seu Christum ipsum, recipi & comedi, aliorum ciborum instar, dentib. corporis: in stomachum traiici, &c. sed ore tantùm interioris hominis recipi, & eiusdem tantùm dentibus, id est, actuali, eáque viua fide manducari confitemur.

IIII. Quod deniq; attinet ipsos recipientes etsi omnes qui ad mensam Domini accedunt, panem Domini, ideóque ἀρτίτυπον τοῦ κυρίου σῶμα, & quidem multi in æternum iudicium ipsorum & condemnationem accipiūt: negamus ipsum Christi verū corpus seu Christū ipsum, panem Dominum primùm ab illis, qui prorsus omni fide destituti sunt, deinde ab illis, quorum fides omnino simulata & mortua est, recipi & manducari: sed confitemur manducari à duobus fidelium generibus, nimirùm & ab iis, qui fide imbeciliori, ac proinde pœnitentia non satis pura & firma: & ab iis, qui fide fortiori, ideóque pœnitentia puriore & firmiore præditi sunt: & consequenter ab illis quidem ad aliquod temporale iudicium: ab istis verò ad omnimodam salutem manducari. Omnes igitur, cum mysterium cœnæ dominicæ agendum est, esse tùm ad veram fidem, tùm ad veram resipiscentiam, vt admonet Paulus: & ad corda sursum tollenda, vt vetus Ecclesia docuit, adhortandos.

In iis quatuor capitibus quæ certa habent in scripturis testimonia, putamus sitam esse summam totius rei quod ad mysterium cœnæ attinet. Ideóque iis contenti & aliis quæstionibus omnibus omissis, viuimus in pace, concordia, & caritate. Precamur omnibus eandem in hac re consensionem, vt omne tandem aliquādo de Ecclesia tollatur scandalum: & illius fructus, cuius causa sacramentum hoc institutum fuit, participes fiamus: nimirū nō tantū pacis cū Deo: sed & caritatis & concordię cum fratribus. Vale.

Postquàm lecta fuisset à Domino Quæstore præcedens epistola, subiunxit D. Zanchius. Hanc, vt dixi, epistolam, dedi D. Marbachio legendam & examinādam. Retinuit eam apud se 15. dies circiter, ita vt isto tempore potuerit eam diligenter examinare. Elapsis his diebus, vocauit me, & manu sua apprehensum, duxit me in suum musæum. Fuimus ibi circiter horas duas. Exposuit ibi, quæ sibi in hac Epistola mea non admodum probarentur, quorum tantum duo fuerunt. Primum illud est, quod in ea mentionem facio iudicij D. Philippi de sacramento ὑπαρξίας. Dixit, se non improbare illud iudicium: sed tamen nolle se, vt in mea Epistola, illius fieret mentio: causam addidit, quia metuat, ne nō multi scripturi sint aduersus istud iudicium: fortasse D. Philippum non omnia benè intellexisse. Itaque malle se, vt mentionem istius iudicij expungerem. Nō enim se cupere istis turbis immisceri, quod fieri posset, si in mea epistola scriberem, nos quoque hic illam sententiam amplecti. Nam, inquit, non dubito, quin Epistola ista peruentura sit ad multorum manus.

Marbachij de iudicio Phil. sententia.

Hoc consilium D. Marbachij, vehementer mihi placuit & vtinam in ista sententia perstitisset, neque se posteà vnà cum aliis huic negotio immiscuisset. Et sanè ego de D. Marbachio ita fui persuasus, esse ipsum hominem pacis studiosum, neque vnquam fuisse curaturum, vt liber iste Heshusij hîc imprimeretur, nisi habuisset instigatores.

Alterum verò, quod in ista Epistola improbauit, continetur in quarto articulo, qui est de Manducantibus, in quo articulo ego cōstituo quatuor genera mānducantium. In primo, tertio & quarto genere, idem vterque sentit. In secundo verò genere, quod est de hypocritis, non concedere mihi voluit, eos non percipere corpus & sanguinem Domini: sed contendebat, eos percipere: verùm sibi in iudicium. Ego verò dixi, mihi nullum discrimen esse, quod ad hoc negotium manducandi corporis Christi attinet, inter planè impium & inter hypocritam: neque hypocritas pertinere ad Ecclesiam, etiamsi simulent, se esse de Ecclesia. Ego meas protuli rationes: similiter D. Marbachius suas attulit: sed non conueniebat inter nos, quod ad istos attinet. Tandem sic concludit D. Marbachius: Tametsi non possit inter nos de isto articulo conuenire, tamē nolumus propterea scindere charitatē. Tu me feras: Ego te vt hactenus, amice feram. Placuit mihi hoc D. Doctoris responsum.

Quod verò ad Epistolam attinet, sic respondit: Tu D. Zanchi poteris pro tua prudentia eam corrigere, id est, vt ego interpretor, primò mentionem iudicij D. Philippi expungere: deinde alterum de hypocritis, mitigare. Posteà vbi sic emēdata fuerit: poteris eam, si voles, Heidelbergam mittere.

Hæc tum temporis ita à D. Marbachio ad me dicta esse Deum teste facio, qui nouit, verū verum an falsum dicam. Imò ipse D. Marbachius, in hoc loco capitulari, præsentibus D. Conrado & D. Quæstore, hæc eadem à se dicta esse, fassus est. Et quamquam posteà, cum ei obiicerem quare me de illa Epistola apud XIII. Viros accusarit: & ipse diceret: non fuisse hanc eius sententiam, vt vtriusque nostrûm consensu communi eam mitterem Heidelbergam, sed si vellem mittere, debere me eam mittere tanquam meam: Tamen ea ita primò inter nos acta fuerant, quemadmodum iam narraui, vt audiuistis: deinde quia non dehortatus est me, quo minus eam mitterem: hæc omnia satis mihi, inquam, erāt argumento non illum refragari, quò minùs eam vtriusque nostrûm consensu mitterem. Illud enim postulaueram: & propter hanc causam ei legendam exhibueram. Ipse verò mihi nihil ea in re denegauit: solum dixit, posse me eam mittere, sed emendatam. Discessum ergo tunc est: sed valdè amicè.

Postquam discessissem à D. Marbachio, valdè dubius eram de mittenda Epistola: Vna ex parte vrgebat me conscientia, vt mitterem. Nam Heidelbergenses cupiebant scire, quæ esset inter nos de re sacramentaria consensio & concordia: idque in eum finem, vt fortassis similis ratione inter ipsos fieri posset cōsensio, & sic sedari posset tumultus inter ipsos propter hanc rē excitatus. Deinde, quia à me exigebant cōfessionem fidei meam, quam non potui honeste illis denegare. Ergo & vtilitas Ecclesiæ & ratio mei officij, hortabantur me, vt epistolam illam mitterem. Ex altera verò parte cur non mitterem, hoc me retinuit. Cogitabam ita mecum, etiamsi expungam mētionem iudicii D. Philippi, sicut D. Marbachius postulauit: si tamen indices, nos in quarto articulo de Manducatione hypocritarum non consentire, tùm offendes etiam ipsos Heidelbergenses, qui statim dicturi sint, Ecce, neque ipsi Argentinenses Doctores prorsùs inter se conueniunt. Si verò prorsùs tollas mentionem de Manducatione impiorum hypocritarum: neque conscientiæ tuæ, neque Petri Colonii petitioni satisfeceris. Itaque re in vtramque partem deliberatā, constitui eam non mittere, neque etiam misi. Nam hoc ipsum exemplum, quod iam vobis exhibui, est illud quod mittere volueram, si inter me & D. Marbachium conuenisset.

Hæc acciderunt, antequam liber Heshusii hic imprimeretur. Non multò pòst, venerunt ad me duo viri graues, & indicarunt mihi, in hac vrbe iam imprimi librum quendam de re sacramentaria, refertum plurimis cōuitiis in Principem Elect. Palatinū & alios viros doctos, videlicet in D.D. Petrum Martyrem, Bullingerum, Caluinum, Zvvinglium, Oecolampadium, & multos alios: item in omnes Ecclesias Helueticas, Gallicanas, Polonicas, Rheticas & omnes alias, quæ in re sacramentaria non planè eadem cum Doctore Luthero docent, hos viros omnes & ipsas quoque Ecclesias in eo libro damnari hæreseos & atheismi. Metuere ergo se, ne hic liber occasionem det magni incendii etiam in nostris Ecclesiis, quæ iam diu istā controuersiā sepositā, in pace & tranquillitate fuerunt. Quæ cum ita sint, rogare se, vt si quā ratione possem, curarem impressionem istius libri impediri. His auditis, cum interrogassem an hęc ita se haberent, affirmabant verissimū esse: imò se aliquot paginas de illa impressione vidisse.

Heshusij liber.

Tum ego accessi ad eum, quem iudicabam esse ea de re

Ioh. Sturmius.

de re conueniendum,qui pro suo officio deberet,& pro sua prudentia & eruditione posset rem intelligere, & efficere,vt hoc incendium auerteretur. (Hic D.Præpositus dixit, se fuisse ea de re à D.Zanchio appellatum.) Atque hac ratione,libellus iste impeditus fuit,quo minus in hac vrbe totus imprimeretur.Hic vt intelligatis, viri clarissimi,meliùs ea quę ad hūc librū pertinēt,sunt mihi quædā indicanda. Debetis sane hoc vobis de me persuadere. Quod si liber iste nō fuisset refertus tot calumniis & conuitiis tùm in ipsum principem Palatinum,tum in tot præclaras Ecclesias &earum doctores: Sed solùm habuisset simplicem doctrinæ expositionē, ego non curassem in eius impressionē impediri. Licet enim vnicuique suam sententiam scribere & explicare. Sed cū audirem, tot Ecclesias in libro isto damnari hæreseos & Atheismi, idque non propter vnum aut alterum articulum fidei,qui impugnaretur,sed solummodo propter interpretationem aliquam verborum, in qua neque tota religio cōsistit, neq. salus periclitatur: duabus &quidem iustissimis ac grauissimis de causis,adductus fui, vt libri istius impressionem in hac vrbe impedirem. Non quidem mea hæc fuit sententia, vt cuperē librum istum prorsus aboleri & supprimi. Ego nihil moror,vbicunque imprimatur: sed illud tantū spectaui,ne etiam huius Reipublicæ & Ecclesiæ pax, per eūdem librum turbetur. Prima autem causa quæ me mouit, fuit Iusiurandum quod præstiti nostro Magistratui, cùm ius ciuitatis mihi daretur: in quo illud quoque propositum mihi fuit,si vnquam aliquid audirem tentari aduersus honorem & existimationem huius Reipublicæ vel aduersus pacem & tranquillitatem eiusdem, vel aduersus salutem ciuium, vt illud indicarem. Hæc fuit mea maior propositio. Adieci minorem: Sed hic liber faciet contra publicam pacem nostræ Reipublicæ & contra honorem & existimationem nostri magistratus,nimirum quod patiatur hic imprimi quæ læderent honorem Illustrissimi Principis Electoris.Ergo propter iusiurandum, debere me rem indicare,& quantū in me est impedire.

Altera ratio quā adductus sum,vt illud facerē,sumta est à pietate Christiana. Postulat Christiana pietas,vt quilibet pro sua virili curet propagari regnum Christi: ea vero quæ hanc propagationem possunt impedire, auerti ac remoueri. Atqui hic liber in multis locis impediet cursum Euangelij: maximè verò in Gallia, de quā tum maxima spes erat,fore,vt reciperetur doctrina Euangelij. Ergo debere me pro mea virili,libri istius impressionē impedire. Quòd vero liber iste impediet cursum Euangelij, inde patet. Etenim cùm in illo libro Caluinus & omnes Ecclesiæ Gallicanæ, quæ eius doctrinam sequuntur, damnentur hæreseos & Atheismi: certè aduersarij ex hoc ipso libro & nostrorum scriptis aduersus eos,qui doctrinam Euangelij profiteri cupiūt, laturi sunt sententiam, & hac ratione a nobis ipsis gladium,quo eos iugulent,accepturi sunt.

Itaque optimi collegæ & fratres carissimi,nullo priuato odio adductus sum, vt effecerim, per D.Præpositū libri impressionem impediri:præsertim cùm nescierim, quo autore hic imprimeretur.

Hinc etiā iudicare potestis,an ego pacis turbator autor fuerim nécne.Adiiciam etiā illud: Si ego curando, vt impressio impediretur, non feci opus bonū, aut officium boni viri: certè neque Magistratus noster fecit opus bonum, qui impressionē istius libri impediuit, qui hoc ipso facto testatus est,eam rem sibi displicere.Imò, vt illud etiam dicam,audiui ex viro fide digno, qui mihi indicauit etiam in iis ciuitatibus,in quibus doctrina Heshusij locum habet, vetitum fuisse, ne iste liber imprimeretur. Testis est mihi D.D.Montius vir grauis. Et hæc volui dicere de meo isto facto.

Postea cùm D. Marbachius esset apud Tredecim viros, séque purgaret, quod ad impressionem libri huius attinet: simul etiam mentionem meæ Epistolæ,quam paulo anteà legi audiuistis,fecit. Quid verò dixerit,mihi non constat.

Ego vocatus fui ad dominos Scholarchas,illi me admonuerunt, ne vllo modo de re sacramentaria vel doceam vel literas scribam, aliter quàm in Confessione Augustana contineatur;adiecerunt quoque,se hæc mihi ex sententia Senatus indicare voluisse. Fieri potest, vt domini Scholarchæ,quod ad meam Epistolam attinet,rem non benè à D.Marbachio intellexerint.Sed omitto iam ista.

Ego certè cùm primùm cognoui D.Marbachium etiam de mea Epistola Tredecim viris vel dominis Scholarchis aliquid locutum, néque propterea ab iis admonitum fuisse, ne literas scriberem de re sacramentaria aliter (quàm in Confessione Augustana contineatur:hæc,inquam)cùm animaduerterē, cogitaui D.Marbachium velle hoc meum factum, quo curaui librum impediri, vlcisci: maximè verò cùm idem Marbachius apud viros fide dignos visus fuerit quibusdam verbis, quibus videbatur mihi minari, *nimirùm se me hinc expulsurum*.Sed hæc de libro Heshusij sufficiant.

Venio nunc ad Scholam,& ad rem ipsam,de qua cōtrouersia est,propiùs accedo. Cùm in Schola superioribus diebus explicarem locum Ioannis, vbi dicitur, *Si fuissent ex nobis,mansissent vtique nobiscum*: Inter cetera, quæ ad loci illius explicationem pertinent, etiam hanc collegi propositionem: [Sanctos qui vinculo non solùm æternæ electionis, sed etiam spiritus Christi, veræque fidei, Christo copulati, idcóque in ipsum Christi corpus,quod est Ecclesia sanctorum insiti semel fuerūt, eos in perpetuum in Christo & in fide perseueraturos, nec posse ampliùs à fide prorsùs excidere: idq; nō propter proprias vires: sed tùm propter promissionem diuinam,tum propter Christi precationem & intercessionem,spiritu Christi fidem in illis perpetuò seruante.] De perseuerantia sanctorum.

Non ita multò pòst indicatum fuit, D. Marbachium, cum interpretaretur locum Pauli 1.Cor.9 [Castigo corpus meum,ne,cum aliis prædicauero,ipse reprobus efficiar:] dixisse in lectione: Hic est apertus locus aduersus illos qui dicunt,eos qui donati semel sunt verâ fide, non posse ampliùs ab ipsa fide excidere.

Cùm hoc audiuissem & vidissem,eam doctrinam ab eo improbari,quam initio cùm huc venissem, professus eram, quámque sciebam certissimam esse: non potui aliter facere,quàm vt meam doctrinā, vel potiùs Christi,S.Patrum & D.Buceri,defenderem.

Ideóque cœpi rem paulò altiùs repetere & latiùs explicare. Confirmaui ergo meam propositionem variis testimoniis veteris testamenti: inter alia etiam locum Ierem.32. quem Augustinus in hanc sententiam inculcat,citaui: Verba Prophetę sunt hæc, loquentis de fidelibus,præsertim sub nouo testamento: (Et dabo iis cor vnum & viam vnam,vt timeant me vniuersis diebus,& benè sit eis & filiis eorum post eos: & feriam cū eis pactum sempiternum, & non desinam eis benefacere: Et timorem meum dabo in cor eorum, vt non recedant à me.) Probaui etiam testimoniis noui Testamenti,præsertim ex Euangelio Lucæ cap.22.vbi Christus dicit Petro: *Rogaui pro te,Petre,vt non deficiat fides tua.* Hanc orationem,Augustinus cap.12.de correptione & Gratia, dicit ad omnes fideles pertinere. Nam & Christū anteà in plurali numero locutum esse cùm dixit, *Satanas expetiuit,vt cribraret vos*.Probaui etiā ex oratione Christi,quā orauit pro omnibus fidelibus, vt vnum sint sicut ipse cū patre. Orauit certè Christus pro perseuerantiā Sanctorum in fide, neque dubium est,eum à patre suo exauditum fuisse, quod etiam Epistola ad Hebræos testatur.Probaui eandem meam propositionem,variis argumentis & testimoniis Sanctorum Patrum, citaui loca,columnas, versus: vt ipsi auditores ea possent legere & videre,me non afferre nouam doctrinam.Probaui etiam è scriptis D.Buceri,citatis 21.testimoniis.

Itaque cùm audiuissem, vt ad propositum redeam, hanc meam doctrinam à D.Marbachio impugnari:valde miratus sum: suspicabar, illum ex affectu aliquo aut odio mei istud facere: nolui tamen hîc de eo aliquid iudicare, iudicium enim Domini est solius:non ad me pertinet.

Cùm postea in hac mea materia & tractatione pergerem,rogauit me clariss.D.Rector,vt finem vellem facere huic tractationi, & in ea subsistere. Audire enim se,aliquos istā meā doctrinā offensos esse.

Promisi D.Rectori, me hoc facturum. Itaque quod non promissis steterim, nemo iure de me conqueri potest,nisi D. Rector. Nam domini Scholarchæ in hac re nihil mihi prohibuerant.

Per idem tempus D.Marbachius accusauit me apud dominos Scholarchas,quod refutarim coniecturas quasdam D.Lutheri & D.Philippi de extremo die. Deinde, quod Pontificem Rom.non iudicarē esse illū Antichristum,de quo Paulus ad Thess. scribit.Accusauit me quoque de quibusdam aliis quæ iam breuitatis causā,omitto.Sed his de rebus posteà loquar.

Quòd verò non steterim promissis, causa fuit & quidem iusta. Cognoui enim, non solum in Senatu, sed etiam passim in vrbe de me sparsum esse rumorem, quòd docerem, Deum autorem esse peccati: quod quidem nemo vnquam neque hîc neque alibi ex me audiuit: imò in 6. Iesaię caput contrarium demonstraui, & ostêdi peccati causam, nullibi, nisi in ipso peccatore esse quærendam. Altera causa fuit, quia per vrbem traducebar, quod de Prædestinatione, impia docuissem, & multi inde offensi fuissent, & quod falsam attulissem de perseuerantia Sanctorum in fide propositionem. Vt ergo me hac suspicione liberarem, constitui rem ipsam dilucidiùs explicare vt si qui fortè mea doctrina offensi essent, rem meliùs intelligerent. Verû cùm incendium istud indies magis ac magis accenderetur, D. Præpositus cùm amans sit concordiæ, cúmque videret, hoc dissidium Scholæ non vtile fore: vocauit me cum D. Quæstore, qui duo mecum egerunt, vt rem inter nos paterer componi. Placuit mihi consilium vtriusque: scio enim me nunquam erga vllum hominem odium aluisse. Cùm sic meam promptam voluntatem audiuissent, curarunt, etiam D. Marbachium eius rei admoneri, cui etiam consilium ipsorum non displicuit.

Venimus ergo ambo ad hunc locum Capituli: aderant duo alij, D. Conradus, & D. Quæstor. Iussit D Marbachius, vt ego priùs exponerem ea in quibus me per ipsum offensum & læsum esse sentirem. Feci hoc. Ille ad singula respondit. Postea interrogauit, vtrum mihi esset satisfactum. Respondi, Christiani hominis non esse, nimis exactè iniurias sibi illatas velle persequi: me itaque quoque fateri, mihi iam ab ipso satisfactum esse, & omnia velle libenter ei condonare.

Postea ipse obiecit mihi ea in quibus ipse à me esset læsus. I. quod negotium istud de libro Heshusij detulerim ad D Præpositum, & per ipsum curauerim impediri. addidit me, quoniā sit res theologica: debuisse priùs ipsum conuenire. II. quòd Heidelbergensibus scripserim, ipsum & D. Hinnerum curasse vt liber ille imprimeretur, & impressionem per nostrum Magistratū fuisse impeditam. III. quod meis literis si non curauerim tamen existimulauerim amicos meos Heidelbergæ, vt quidam concionatores Heidelberga eijcerentur: idque se suspicari primùm ex mea Epistola, quam ei legendam & examinādam exhibueram: in qua ab initio me dicit gratulari amico, quod Princeps Palatinus turbatores Ecclesiarum eiecisset, deinde verò hinc se colligere, quod reiecti solùm sint ij qui vnà mecum impiorum manducationem nolunt admittere: reliqui verò, qui eam affirmant, omnes sint eiecti. Verisimile igitur esse, per me factum esse, vt eijcerentur. IV. obiecit mihi quædam in doctrinâ. I. quòd refutarim coniecturas D. Lutheri & D. Philippi de extrema die. II. quòd docuerim, Romanum Pontificem non esse illum Antichristū de quo Paulus ad Thess. loquitur. III. quòd constituerim duo vincula quibus homines colligantur Ecclesiæ. IV. quòd dixerim ante mundi generalem fore Iudeorum conuersionem, & tranquillum statum Ecclesiæ. V. Postulata illa quinque mihi exposuit, quæ ipse Capitulo & dominis Scholarchis proposuit.

Cùm hæc mihi essent à D. Marbachio obiecta, ego paucis ad singula respondi.

Quod ad primum attinet de literis, quas me Heidelbergam misisse ait: fassus sum me, & quidem iisdem de causis, quas suprà commemoraui, de impressione libri Heidelbergam scripsisse: Et quia metuebam, ne aliquis posset subesse fucus, ego in iisdem literis suasi, Principi Palatino eam rem indicandam esse, & cum eo agendum, vt Senatui nostro scriberet, vt operam daret, ne iste liber absolueretur. Quòd verò accessi D. Præpositum, & oraui, vt quā ratione posset, impediret libri impressionem, non potuisse aliter facere. Etsi enim materia sit theologica, tamen ad Scholam nostram mihi quoque pertinere videretur. Quòd autem colligit, meis literis factum esse, vt quidam eiicerentur: protestor coram Deo & vobis, hoc mihi in mentem nunquam venisse: Etsi tale quid cogitassem, aut mali alicuius conscius mihi fuissem, profectò ego Epistolam illam D. Marbachio legendam nunquam dedissem. Gratulatus sum tantùm in ea epistola amico, quòd princeps Palatinus turbatores Ecclesiarum eiecerit. Quantæ turbæ enim in toto Palatinatu per eos excitatæ fuerint, nemini dubium est. Neque ego solum Heshusium turbatorem vocaui. Est enim generalis vox, pertinens quoque ad eius aduersarium: nam nec ipse voluit parere mandato principis.

Quantum ad ea attinet, quæ obiicit mihi: primùm me superioribus lectionibus, cùm in Schola docerem de fine sæculi, refutasse coniecturas D. Lutheri, & D. Philippi de vltimis temporibus: dixi verum esse, me refutasse eorum curiositatem, qui certum volunt indagare annorum numerum, quamdiu mundus iste sit duraturus neminem tamen nominasse, imò cùm hæc tradidi, affirmo me non propriè Lutherum vel Philippum intellexisse: sed refutasse Doctoris Osiandri, & D. Cunmanni coniecturas, quas in libellis suis de vltimis temporibus tradiderunt. Neque temerè ista docui, sed ex Augustino omnia sunt desumta, qui in Epistola 80. ad Hesychium, paginâ 374. refutat eorum expositionem, qui existimant sciri posse, quâ annorum hebdomade vel decade, venturus sit Dominus. In quo loco apertè docet, neque centuriam eorum, neque millenarium numerum sciri posse. Si enim tale quid sciretur, iam etiam posset concludi certum aliquod tempus, vltra quod Dominus non sit mansurus. Probaui idem etiam ex scriptis D. Buceri in Euangelium Matthæi 24. pag. 458. vbi sic ait: *Insanum itaque est, de certo aduentus tempore eius diuinare. Vnde falsos quoque vidimus, quotquot id hactenus ausi sunt.* Neque propterea damnaui, si quis dicat, nos versari in vltimis temporibus. neque multum temporis adhuc superesse ad aduētum Domini: quia dies Domini veniet sicut fur, propterea esse vigilandum & orandum. Falso ergo mihi obiicitur, voluisse me hac doctrinâ, securitatem & torporem in hominibus stabilire. Denique dixi, quia non sit articulus fidei, non prohibitum esse vnicuique suas in hac re cogitationes, quæ non pugnant cum verbo Dei, adferre. De fine sæculi.

De altero verò, nempè de Antichristo, sic respondi: Me statim ab initio cùm huc venissem, apertè dixisse: Pontificem Romanum esse Antichristum, imò ea de re habui disputationem, & propositiones meæ forib. summi templi, nescio per quem, affixæ fuerunt, ita vt ipsi etiam Pfaffi legere potuerint. Sed ex Patribus tam Græcis quàm Latinis ostendi, sub finem mundi venturum summum & pessimum Antichristū in certa aliqua persona qui facturus sit ipse in sua propria persona miracula, sicut de eo in Apocalypsi legitur: [Faciet ignem de cœlo descendere, imo qui ipse dicturus est, se esse Christum.] Adieci quoque, cùm non sit articulus fidei, liberum fuisse mihi meam hîc sententiam dicere: neque pugnant ista cum verbo Dei, imò si quid contra verbū Dei docerem, deberem coërceri, & nisi abstinerem, remoueri ab officio. De Antichristo.

De duobus illis vinculis, quæ dixi necessaria esse, vt aliquis inseratur Ecclesiæ, nempe electionem Dei, & fidem: interrogaui D. Marbachium, vtrum improbaret ista. Primò dixit quædam, quæ non satis intelligebam. Deinde cum instarem, negauit sibi probari. Propter quam responsionem eius, vehementer admiratus sum. Deinde dixi, Quoniam D. Doctor, hanc meam doctrinam, quam scio esse certissimam improbas, respondebo tibi, si volueris, corā Dominis Scholarchis aut toto Senatu. Ita vtrinque discessum fuit re infectā. Quàm autē necessaria sint illa duo vincula, de quibus modo dixi, nemini potest obscurum esse. Ac ne viderer ista ex me ipso dixisse, postero die cùm mihi legendum esset, attuli mecum cōmentaria D. Buceri in Epistolā ad Romanos: causam cur hoc facerem, non exposui. Recitaui verò D. Buceri verba de Prædestinatione, vbi concludit, debere hominem Christianū credere, se esse prædestinatum: alioqui non posse credere, se esse iustificatum. Recitabo etiam vobis D. Buceri verba, quæ habentur in commentario in epistolā ad Romanos folio trecentesimo quinquagesimo nono. [Itaque primum quod Deo debes est, vt credas te esse ab eo prædestinatum. Nam id nī credas, facis cum tibi, cùm te ad salutem vocat per Euangelium, illudere. Vocat enim te Euangelio ad iustificationem, & gloriæ suæ communionē: hæc autem non possunt contingere, nisi prædestinatis, præscitis & electis in hoc. *Deinde sub finem addit:* Præsumēdum igitur vt principium fidei, nos omnes à Deo esse præscitos, præfinitos, separatos à reliquis, & selectos, in hoc, vt æternùm seruemur: hócque propositum Dei mutari non posse. Et inde omnis nostra cogitatio curáque

in hoc intendenda, vt prædestinationi huic Dei, & vocationi respondeamus.]

Hæc cum manè in Schola fuissent acta, à prandio accessi D. Rectorem, cumque ambo essemus in hypocausto, & legeremus in locis communibus D. Philippi de prædestinatione, ingressus est D. Marbachius. Qui cùm me ibi sedentem vidisset, vt verũ fatear, non hilari vultu me aspexit. Tũ D. Rector dixit: Quare vos duo, cùm sitis theologi non colitis amicitiam? Dixi, me non posse colere amicitiam cum homine qui veram doctrinam Christi improbat. Dixi hoc non ex odio aliquo aut malo affectu erga illius personam; sed tantùm propterea, quod impugnaret doctrinam eam, quam scio esse verissimam. Etiam quædam alia ibi fuerunt dicta, quæ non opus est repetere.

Non multò post vocatus fui ad Dominos Scholarchas. Illi primùm dixerunt mihi vt ad postulata D. Doctoris responderem. Deinde quoniam mihi iterum illa hebdomada in Schola erat legendũ, mãdarunt mihi, vt non ampliùs de materia mea, quæ ipsis sub titulo prædestinationis fuit proposita, loquerer: quamuis propriè non sit de prædestinatione, sed de perseuerãtia sanctorũ in fide, quæ est effectus prædestinationis. Causam verò, cur mihi prohiberẽt, esse hanc nimirũ audiuisse se, multos mea doctrina offensos esse maxime quod videret, hac ratione laxare frena cõcupiscẽtiis & sceleribus.

Respondi Dominis Scholarchis, me magna ex parte iam ad postulata D. Marbachij respondisse, nondum verò esse descripta. Attamen curaturum, vt quamprimũ describantur, tum me ipsis velle offerre. Ad secundum respondi cogitent quid agant, cum verbum Domini nec possit nec debeat ligari.

Responderunt, se non absolutè, sed ad tempus id prohibere, dum scilicet inter me & D. Marbachium de ea re conueniret.

Vbi hoc audiui acquieui, me pacis & concordiæ gratia ipsis obtemperaturum. Verùm certis de causis adductus, prorsùs nolui legere ea septimana. Itaque D. Gloccero scripsi, vt Scholæ per illud tempus vel ipse, vel D. Marbachius prospiceret.

Post illam hebdomadam, cùm vices legendi ad D. Marbachium rediissent, multis locis conatus est doctrinam de perseuerantia Sanctorum in fide, impugnare. Inter cætera etiam dixit, Iudam & Saulem habuisse veram fidem, suisque sceleribus Spiritum sanctum excussisse.

Iudas & Saul de sententia Marb. habuerunt veram fidem.

Postea de fine mundi, meam improbauit doctrinam, & dictum illud, quod Heliæ ascribitur, quódque ego refutaueram ex Augustino, ipse D. Doctor comprobauit tamquam verissimum cum tamen illud & [illegible] esse & falsum demonstrauerim, [illegible], quia in Scripturis non habetur. Falsum, quia si mundus 6000. annos duraturus esset: poterit ergo aliquis certum tempus aduentus Christi colligere. Sed consequens est falsum. Nemo enim scit: an 1000. adhuc sint anni aut 2000. vel vnus atque alter annus ad finem mũdi. Ergo falsum est etiam antecedens.

Verum cùm de his rebus multa verba fecisset D. Marbachius, tandem subiecit, *Hæc autem dico vt aliam* (scilicet quàm ego docueram) *opinionem de fine sæculi imbuatis.*

Hæc cùm essent ad me delata, vehementer mihi displicuerunt, vt nesciam, an mihi ampliùs in Scholam sit ingrediẽdum. Multi enim sunt à me abalienati, quasi ego nouam doctrinam cupiam in hac Scholam introducere. Ego sanè quotidie Deum oro: vt D. Doctori aliam mentem largiri velit: non possum satis mirari, cur ita mecum agat.

Quòd verò ad postulata D. Marbachij attinet, accepi ea a Dominis Scholarchis: sed non prorsus mihi placẽt. Sunt enim in iis quædam calumniæ Nam in prima petitione dicit, me negare præsentiam Christi in cœna sacramentalem. Vos verò contrarium ex mea Epistola, quæ vobis lecta est intellexistis. Deinde, me negare mãducationem indignorum: quod etiam non concedo. Et profectò existimo. D. Marbachium nescire, quod sit discrimen inter impios & indignos. Ego, vt in Epistola mea audiuistis, nego impiorum manducationem, non autem indignorum, quos affirmo in eadem Epistola sibi in iudicium sumere. Sed de his omnibus dabo responsiones meas Dominis Scholarchis.

Hæc sunt, viri clarissimi, quæ narrationis loco, quod ad meam causam attinet, exponere vobis volui. Ex quibus omnibus vt rem meliùs intelligatis: sequentia capita ego collegi, quæ vobis recitabo.

PRAECIPVAE
D. ZANCHII CONCLVSIOnes, quæ epilogi loco ex sua prædicta narratione colliguntur.

Ex tota verò hac narratione, hæc omnia quæ ad præsentem causam attineant, facilè colligere est.

I. Dominos Scholarchas, cùm me vocarunt, suã vocatione comprobasse doctrinã, quam hic D. D. P. Martyr cum D. M. Bucero tradiderat: ac proinde voluisse, vt eandem in Schola retinerẽ: vel si fuisset ablegata, postliminio reuocarem.

II. Eosdem D. Scholarchas tùm suis literis, tũ posteà disertis verbis facultatem mihi fecisse, scripturas pro meo iudicio interpretandi & dogmata explicandi: modo ne quidpiam contra verbum Domini, & contra confessionem Augustanam de re sacramentaria docerem.

III. Eosdem Dominos Scholarchas mihi hanc libertatẽ concessisse, vt scilicet de re sacramentaria possem & docere & scribere iuxta illa tria capita quę explicui: I. In cœna verum Christi corpus manducari, & verum Christi sanguinem bibi. II. Id verò non dentibus corporis, sed fide. III. ideóque à solis fidelibus manducari. Et hanc meam fidem ipsi quoque Capitulo, ideóque D. Marbachio, cùm in vestrum collegium cooptarer, tacitè (nemo enim cùm hanc meam fidem esse dicerem, contradixit.) comprobatam fuisse.

IV. Protestationem etiam illam meam, quã protestatus sum ab initio cũ huc veni, me in interpretandis sacris literis nõ semper secuturum vel patres, vel nostros: nisi quatenus videro, eos esse conformes verbo Dei, nec velle me ad cuiuspis hominis interpretationes adstringi: cùm nemo non solùm tunc: sed nec deinceps vnquam contradixerit comprobatam fuisse.

V. Doctrinam hanc, quam doceo: Eos qui semel donati sunt verâ fide & spiritu regenerationis seu adoptionis, Christóque verè insiti, non posse ampliùs à fide & Christo prorsus excidere aut Spiritu sancto penitùs destitui: non esse à me nuper in Scholam inuectam, cùm eam & M. Bucerus docuerit: & ego iam inde ab initio in primum etiam Psalmum tradiderim, & publica disputatione defenderim.

Atque hæc quidem quò ad ea, quæ ad me meũmque officium attinent, Quò vero ad ea, quæ à D. Marbachio contra me dicta, gestaque, præsertim in hac postrema controuersia, fuerunt: illorum hæc est summa.

I. Quod cùm ego meam illam de nostra in re sacramentaria consensione Epistolam, quam missurus eram Heidelbergam, candidè & amicè cum eo communicauerim, neque me ab ea mittẽda dehortatus ipse fuerit: nec vero etiam ego illam vnquam miserim: tamen vt ipsemet in Capitulo, corã D. Conrado & D. Theobaldo collegis, testificatus est, illius mentionẽ apud Dominos Tredecim Viros fecerit, quasi ego cum Heidelbergensibus contra se vel alios in re sacramentaria colludam atque ita me apud illos Dominos grauarit.

II. Quod cum vidisset, in libro Heshusij me vnà cũ aliis, qui cum illo non in omnibus quæ scribit, consentimus, hæreseos & atheismi damnari: curauerit tamen librum illum imprimendum, atque ita illo facto me quoque hæreticum esse & ἄθεον comprobarit.

III. Quod cum audiuit, aliquid à me fuisse dictum, quod sibi nõ probaretur, nunquam me priùs amicè accersiuit, neque mecum de eo contulit: tametsi & pietas Christiana & omnis æquitas hoc postulabat. Quin etiã Domini Scholarchæ, sicut ego tribus abhinc annis petieram: hoc vt faceret, eum admonuerunt. imò quod neque cum D. Rectore & Visitatoribus rem communicarit: sed immediatè semper me apud D. Scholarchas accusarit, & doctrinam meam damnarit.

IV. Quod, cum ipsius commensales dixerint se esse offensos meis lectionibus, non eos, vt debebat, ad me miserit, doctrinæ meliùs intelligendæ gratiã: atque ita offensio, quam ex me malè intellecto (si ita est) acceperant, per me etiam meliùs intellectum tolleretur: sed eos retinuit in ea offensa, & consequenter eorum animos à me abalienauit.

V. Quòd doctrinam, quam locis viginti & vno ex scriptis D. Buceri demonstraui apertè, esse non solùm

Christi & patrum, sed etiam Buceri: tamen eam damnarit: nec simpliciter damnarit, sed multis etiam contortis in eam Scripturæ locis, tanquam impiam, aliquot dies refutare conatus sit.

VI. Quòd in rebus, quæ non pertinent ad salutem nostram, vt de coniecturis finis sæculi: vt de vltimo Antichristo: me apud dominos Scholarchas grauarit, idque re non priùs probè ex me cognita: quasi magnum piaculum fuerit, quod refutarim quasdam de fine Mundi coniecturas, & dixerim, sub finem sæculi venturũ summum & magnum Antichristum.

VII. Quòd, cùm sciret (si tamen verum est) multos offensos fuisse mea nuda conclusione de Perseuerantia Sanctorũ: & audiuisset, me, cùm vices ad me rediissent ad argumenta, quę cõtra meã conclusionẽ fieri possunt, responsurũ, & locos Scripturarũ in speciem pugnantes conciliaturũ, atque doctrinam ipsam claram & perspicuam redditurũm fuisse: tamen nec illos, qui dicebant se esse offensos, ad me, tollendæ per me offensionis gratia, iussit venire: nec permisit, me meam (si tamen is est qui impediuit) absoluere tractationem: quam si absoluissem, omnem sustulissem, si qua fuisset ex nuda conclusione profecta offensionem.

VIII. Quod meam de Eucharistia sententiam, in illa tria prædicta capita distributam nunc damnet: cùm tamen neque Domini Scholarchæ, neque Capitulum, cùm fui factus Canonicus, improbarint.

IX. Quod cùm mihi eadem planè qua & ipse fruitur pro meo iudicio docendi libertas, non solùm iure debeatur, sed etiam reipsa à clarissimis dominis Scholarchis fuerit concessa: ipse tamen in suis ad dominos & Scholarchas missis petitionibus, mihi illam eripiendam curet.

X. Quòd in iisdem petitionibus scribat, me negare præsentiam Christi sacramentalem: cùm tamen in mea Epistola ipse quoque viderit, me illam disertis verbis statuisse. Item, quod in iisdem dicit, me negare manducationem indignorum, quasi ego negem, contra Paulum, Corpus Domini indignè manducari posse. Ab impiis quidem cum Mart. Bucero nego manducari; non autem simpliciter ab indignis.

XI. Quod, cũ primò essemus in summa pace & concordia & caritate: deinde etiã promisissemus alter alteri, nos φιλαδελφίαν & pacem propter aliquam in re sacramentaria dissensionem, minimè violaturos, neque nos mutuò condemnaturos: is tamen librum Heshusij, in quo, quicunque corporalem & impiorum manducationem non admittimus, non tantùm non agnoscimur vt fratres: sed etiam vt hæretici & ἄθεοι damnamur, cõtra fraternam & Christianam amicitiã caritatémque: contra etiam datam mutuò fidem, imprimendum curarit. Quo ex facto, quidquid nunc est dissidiorum, molestiarum & scandalorum profectum est.

XII. Quòd, quia ego opus & boni ciuis & boni Christiani feci, librum scilicet Heshusij, propter atrocissima illius, tum in Illustrissimum Palatinum, tùm in tot tantósque viros & Ecclesias Christi, conuitia, pro mea virili, ne imprimeretur, impediendo: ipse me variis modis vexare cœperit: præsertim verò sanam Christi doctrinam, quam secundùm Scripturas docueram, improbando & refutando cùm potuisset (si tantum, quod nõ probo, voluisset,) relicta doctrina, aliis me, factúmque meũ rationibus, vlcisci.

XIII. Postremò in genere conqueror, quòd quidã, Dominus nouit qui, grauissimis calumniis me affecerunt, falsum hunc de me rumorem spargendo: quod sc. doceam: I. Deum esse autorem peccati: cùm tamen & semper & proximis diebus docuerim, causam peccati, nunquam extra peccatorem, sed in ipso peccatore esse quærendam. II. quod doceam, hominem renatum, cùm peccat, non peccare ex animo & voluntate: cùm tamẽ nemo, vel mediocriter doctus, nesciat, maximum esse discrimen inter peccare animo & voluntate: id quod etiam est Sanctorum: & peccare toto animo & tota ac plena voluntate, quod proprium est impiorum. de Iusto enim ait Apostolus 1. Epist. cap. 3. *Qui natus est ex Deo, non peccat: & non potest peccare*, scilicet toto animo totáque voluntate; *Quia semen Dei manet in illo*. Vtrumque esse meram calumniam, coram Deo & Ecclesia Christi protestor.

Recitato isto Epilogo, subiecit D. Zãchius, Clariss. viri, reuerendi Collegæ, audiuistis me hactenus. Peto igitur iam à vobis, vt mihi postulata D. Marbachij cõmunicare velitis, Et rogo, vt statuatis, quid de tribus istis quæstionibus, quas ab initio proposui, sentiendum sit. Quarum prima est, Vter nostrũ fuerit pacis inter nos violatæ autor. Alterius quæstionis solutio inde patet, quod protestatus sum, ea esse falsa, quæ de me sparsa sunt, quod scilicet doceam, Deum esse autorem peccati: Et, pium non peccare voluntate, & alias impias doctrinas. Tertia ex collatione doctrinæ intelligetur. Ego verò peto, vt hac de re haberi disputationem curetis, & illam publicè in Schola. Ibi enim medicamentum adhibendum est, vbi factum est vulnus. Est autem in Schola vulnus factum. Ergo ibidem medicamentum est adhibendum. Quod ad reliqua attinet, in quibus à D. Marbachio offensus sum, Ego omnia illa libenter ei condono, idque ex animo, nec dubito, ipsum idem facere.

Hæc cùm dixisset Zanchius, permissum ei fuit discedere.

CAPVT V.

AD ORATIONES DVAS D. Marbachij aduersus vnam Zanchij, eiusdem Zanchij responsio.

TVæ illæ tandem duæ, Marbachi, orationes amarulentæ atque contumeliosæ, quæ nihil minus, quàm hominis Christiani atque Theologi animum redolent, à me & visæ & lectæ fuerunt: sed tanto cum stomacho, vt vix perlegere illas potuerim. Tu illis effutiuisti quæcunque voluisti nullâ habitâ vel meæ personæ, vel officij tui, vel etiam veritatis ipsius ratione. Ergo si audieris quæ non vis, ne mireris, cùm sapientissimorum virorum iudicio æquum sit, vt qui dicit quæ vult, audiat etiam quæ non vult. Neque tamen putes, me velle tuum in mea responsione ingenium imitari, vt scilicet vllum regeram conuitium in te, qui me prope infinitis conuitiis affecisti, atque ita affecisti, vt nihil ferè aliud illæ tuæ orationes, quàm plaustra conuitiorum atque calumniarum esse videantur. Neque enim permittam, vt vllius immodestia, feritas, atque agrestis immanitas, me ab innata mihi humanitate atque à modestia Christiana, in illum aduersus te pertrahat furorem, quem & tuę orationes postulant, & tu tuis conuitiis in me excitare voluisse videris, idque astutissimè, nimirũm, vt cùm non possis ratione causam vincere, saltem in aliquod absurdum me adduceres, ex quo occasio daretur & tibi accusandi & dominis damnandi mei. Constitui enim atque in animum induxi meum, illi sapientissimo Solomonis consilio, imò Spiritus sancti mandato obtemperare, quo in Prouerbiis mihi iis verbis præcipit: *Ne responde stulto secundùm stultitiam suam: ne similis ei fias*. Neque me hic accuses, quod te stultum vocem. Neque enim te stultum voco, hoc est, mente captũ, neq. appellare possum, cùm sciam, te hominem, esse astutissimum: sed dictum Solomonis simpliciter recito, Solomon autẽ hoc in loco intelligit nomine *Stulti*, ipsum conuitiatorem. Tibi igitur, D. Marbachi, polliceor, me ita orationibus tuis responsurum, vt nullum auditurus aut lecturus sis in mea responsione conuitium. Cęterùm ita rerum gestarum veritatẽ tractabo, & ad ea quę mihi falsò obiicis, quæque superbè in me iactas conuitia respondebo, vt non libenter sis multa auditurus. Si possem hac etiam in parte tibi parcere per conscientiã, pérque existimationem meam, libenter facerẽ: sed præceptũ Spiritus sancti habeo apud eundem Solomonem, qui ait: [Responde stulto iuxta stultitiam suam, ne sapiens in oculis suis sibi esse videatur. *Et idem Solomon alibi*: Maledictus, *inquit*, qui negligit famã suã. *Item*, Melius est nomen bonum, quam diuitiæ multæ.] Quare cùm cogar meam defendere existimationẽ: neque id fieri possit, nisi tuæ patefiãt calumniæ: idcircò si ex ista mea responsione senseris te pũgi, acceptũ ferto tuis iniquis in me iaculis. Præmittam autem semper tuas mearum conclusionũ meorumque verborum oppugnationes: deinde illis subiiciam meum ἀντιρρητικόν. Tua igitur oratio prior, hoc habet exordium.

EXORDIVM QVOD D. Ioan. Marbachius in Capitulo 21. Martij præmisit suis responsionibus ad Zanchij 18. conclusiones.

ORNA-

Marbachij oratio.

ORNATISSIMI viri, collegæ obseruandi: Heri primùm sub noctem exhibita mihi est à D. Theophilo Gollio Doct. Zanchij oratio, quã de causis nostræ dissensionis hoc vestro concessu habuit. Etsi autẽ propter illius prolixitatem & alias etiam meas occupationes, integrã mihi perlegere non licuerit: inspexi tamen obiter, & facilè deprehendi, refertam esse magnis & grauibus sicut calumniis, ita etiam mendaciis, id quod suo tempore euidẽter & perspicuè demonstrabo. Interim tamen ne tempus capitulo instituta cognitione huius nostræ controuersiæ extrahatur nimium, constitui in præsentiarum ad ipsius saltem conclusiones, quarum 18. sunt, respondere: quæ cùm absque dubio summam contineant eorũ, quæ ab ipso duobus diebus prolixè satis coram vobis dicta sunt, vtcumque omnia & singula adeò exactè non assecutus fuero: Spero tamen me allaturum esse, quæ propriè ad verã cognitionem huius causæ faciunt, & statum totius controuersiæ complectuntur. Seruabo autem planè eundem ordinem, quem ipse in conscribendis conclusionibus secutus est, videlicet vt priùs semper recitata Zanchij conclusione, mea deinde statim subsequatur responsio. Rogo autem & obtestor vos meos collegas obseruandissimos per miserationes Dei nostri, vt eadem animi beneuolentia & attentione, sicut proximè facere cœpistis, ita quoque nunc me audire non dedignemini. Causa de qua agitur, maxima est. Periclitatur enim Euangelij sincera doctrina quæ multis nunc annis constanter & magno omnium ministrorum consensu, huic Argentinensi Ecclesiæ tradita, & ad multorum hominum salutem explicata est. Eam Zãchius noua & erronea Anabaptistarũ opinione, quæ ante annos triginta in Augustana confessione coram Imperatore, & omnibus Imperij Romani Statibus publicè condemnata est: sub nomine tamen & titulo integerrimi & piissimi viri, patris & præceptoris mei carissimi D. M. Buceri, corrumpere conatur. Hæc verò quæ dico, non calumnias, sed ipsissimam veritatem esse clarè & perspicuè hæc sequentia testantur.

RESPONSIO ZANCHII ad hoc Marbachij Exordium.

IN hoc tuo Marbachi exordio, principio ais, orationẽ illam meã plenam esse calumniis atque mendaciis: & ais, te id demonstraturum. Si igitur hoc non demonstraueris, tu scis quo nomine sis appellãdus. Ais deinde *me corrumpere doctrinam confessionis Augustanæ.* Tu verò perpetuò iactas confessionem Augustanam, & te eam non intelligere, apertè declaras. Quæ enim ego de perseuerantia sanctorum docui: minimè pugnant cum confessione Augustana, quemadmodum in responsionibus ad tua argumenta demonstraui. Bucerus certè, qui de perseuerantia Sanctorum infinitis propè in locis scripta reliquit, contra confessionem Augustanã minimè scripsit aut docuit. Ego verò quæ de eadem docui, eadem planè sunt cum eis, quæ docuit Bucerus, quemadmodum loca è scriptis Buceri à me in Schola prolata, testificantur. Et vestrûm nonnulli iam postquàm à me excitati opera Buceri legere cœpistis, non ita, sicut anteà inficiari audetis: imò cum vobis obiicitur Bucerus in hac doctrina, illum ita reiicitis, vt dicatis, eũ fuisse hominem. Quo verbo tacitè innuitis, Bucerũ in hac de perseuerantia sanctorum doctrina, totum à me stare. Ergò cum doctrinam hanc, quam ego tradidi in Schola, & quam non potestis ampliùs quin doctrina sit Buceri, negare, tu dicas damnatam fuisse in confessione Augustana: necesse est, vt aut dicas Bucerum quoque contra confessionem Augustanam scripsisse: aut te, quid sibi velit confessio Augustana in illo articulo, nõ intelligere. Illud vt dicas, non feret hæc ciuitas. Consequitur igitur, cùm ais, hanc doctrinam damnatam fuisse in confessione Augustana, te nescire quid dicas. Mirarer verò, te appellare Bucerũ præceptorem, & patrem tuũ, cùm illius doctrinam impugnes apertè: nisi scriptura narraret, idem fecisse hypocritam quendam legis doctorem, cùm Christum appellauit Magistrum bonum, cuius tamen doctrinam amplecti nolebat.

Buceri doctrina de perseuerantia sanctorum.

Sed iam videamus quomodo Epilogum meæ orationis impugnes, & mendaciis refertũ esse demonstres.

Marbachij ad primam Zanchij conclusionem, quæ hæc est.

Dominos Scholarchas, cùm me vocarunt, comprobasse suâ vocatione doctrinam, quam hîc D. Petrus Martyr cùm D. Mart. Bucero docuerat: ac proinde voluisse, vt eandem in Schola retinerem, vel, si fuisset ablegata, postliminio reuocarem.

Zanchij prima conclusio.

RESPONSIO.

QVo consilio initio à clarissimis viris Dominis Scholarchis huc vocatus fuerit, testabuntur ipsorum literæ absque dubio, non vt simpliciter Martyris & Buceri doctrinam profiteretur, sed vt vna mecũ in Schola sacras literas fideliter nostræ iuuentuti traderet, iuxta formam doctrinæ, quæ de singulis Christianæ religionis articulis in August. confessione eiusque Apologia comprehensa est, quam D. Bucerus post factam cum Luthero & aliis Saxonicis Doctoribus concordiam non tantum constanter seruauit ipse, sed aliis quoque sedulus & diligens hortator fuit, vt eandem sectarentur: aut si in Dominorũ Scholarcharum literis quibus D. Zãchius vocabatur, D Buceri & Martyris aliqua facta est mentio, quorum doctrinam vel in Schola nostra retinere, vel si ablegata fuisset, postliminiò reuocare debebat: eam absque vlla dubitatione tantum intellexerunt & comprobarunt doctrinam, quam vterque vnà mecum & Paulo Fagio, antequam in Angliam profecti sunt publicè in hac nostra Schola & Ecclesia consentienter docuerunt: & nequaquam eam, quam Bucerus ante factam concordiam, hic professus est, & deinde suâ sponte retractauit: neque etiam eam quam primùm in Anglia Petrus Martyr, relictâ priori docendi forma, amplecti & spargere cœpit.

Marbachij ad hanc conclusionem responsio.

RESPONSIO ZANCHII ad hæc verba Marbachij.

IN hac tua responsione principiò ais, literas Dominorum Scholarcharum procul dubio testificari, me huc vocatum fuisse, vt vnà tecum sacras literas doceã, iuxta confessionem Augustanam. Tu falleris Marbachi. In literis Dominorum Scholarcharum ad me, nulla planè mentio facta fuit aut tui, aut cõfessionis Augustanæ: sed tantum Petri Martyris, & quod munus quod ipse hîc antea habuerat, mihi committeretur. Atque vt sciàs quid scripserint, ecce Exemplum illius Epistolæ.

Epistola Dominorum Scholarcharum ad Hieron. Zanchium.

Scripsit ad nos Cœlius Secundus, te animum à nostrâ Rep. Hier. Zanchi nõ alienum gerere: neque recusare nobiscum viuere ea, qua fuit nobiscum Petrus Martyr, conditione. Gratissimum id nobis fuit cognoscere: præsertim notatis istis virtutibus quas in te Cælius esse scribit & affirmat. Primũ igitur quod officij nostri est, gratiam habemus de hac tua voluntate. Deinde, idem tibi, quod Petro Martyri & quod felix faustúmque sit Ecclesiæ & Scholæ nostræ, munus eandémque disciplinæ functionem damus atque committimus: promittimus etiam eadem stipendia & laborum consimiles fructus: & quantum in nobis est, curabimus, vt non minus apud nos libenter futurus sit, quàm Petrus Martyr fuerat. Itaque rogamus, vt & libenter venias, & venias quamprimùm: viaticum, quantũ iter illud requiret, tibi à procuratore Brechterorum Martino Voglero Venetiis in ædibus Germanorum numerabitur, cumprimùm postulabis. Vale. Argentorati. XXV. Febr. Anno LIII.

Iacobus Sturmius, suo & collegarũ nomine.

Vides D. Marbachi, nullam hîc tui aut August. Confessionis aut Apologiæ factam fuisse mentionem. Vides præterea, mihi traditum fuisse idem munus, eandémque disciplinæ functionem, quam habuerat hîc ante me Petrus Martyr. Quis ex ista Epistola, nisi planè stupidus sit, non colligat, Dominos Scholarchas hac mei vocatione, & quam hîc docuerat anteà Martyr doctrinam, comprobasse, & eandem vt in Schola retinerẽ, vel si ablegata fuisset, postliminio pro meæ

virili reuocarem, voluisse atque mihi tacitè hanc suam voluntatem significasse? Est autem doctrina Buceri desumta è sacris literis, & consona confessioni Augustanæ orthodoxè intellectæ: & tamen hanc primam etiam conclusionem, tanquam refertam mendaciis, refellendam suscepisti.

Quod verò interpretaris, literas Dominorum Scholarcharum, non de ea doctrina esse intelligendas, quam Bucerus ante factam concordiam hîc professus est, sed de ea, quā professi sunt tecū ambo & Petrus Martyr & Bucerus post concordiam, & hanc velle dominos Scholarchas in Schola retineri: tuum istud dictū amplector, atque ex eo hunc syllogismum cōpono. Domini Scholarchæ volunt: & hanc voluntatem probat D. Marbachius: vt Zanchius eam in Schola retineat doctrinam quam hîc Bucerus & Martyr post concordiam factam cum Luthero docuerunt. Atqui Martyr & Bucerus post concordiam factam docuerunt in hac Schola, cùm ibidem doceret Marbachius & Fagius, eam doctrinam de Prædestinatione de Perseuerantia Sanctorum, de Certitudine Fidei, & aliis controuersis inter nos articulis, quam ego iam inde ab initio mei aduentus docui. Propositionem hanc paratus sum demonstrare, modò velis ad lucē prodire. Ergo quòd Zanchius hæc pergat docere, facit iuxta, Marbachius verò quod contrarium doceat, facit contra voluntatem Scholarcharum.

Duo porrò habes in fine istius tuæ responsionis, quæ consultius fuisset tuæ existimationi, tacuisse. Vnum est: quod ais, M. Bucerum retractasse suam doctrinam, nimirum de re Sacramentaria. Alterum Martyrem priorem reliquisse docendi formam, nempe de re Sacramentaria, & aliam doctrinam in Anglia primum, amplexum fuisse & sparsisse.

Buceri retractatio qualis fuerit. Quod primū attinet, D. Sturmius tibi respondit satis, quomodo intelligenda sit illa Retractatio. Ego verò hoc addo, me mirari tuam, taceo. Facis enim sicut illi Christi irrisores, qui dicebant Christo, Aue Rex Iudæorum: & interim dabāt ei colaphos. Ita tu Marbachi, initio tuæ orationis, appellas Bucerum præceptorem patrémque tuum, virum integerrimū & piissimum. In fine verò, illi impingis colaphum, dum ais, illum retractasse doctrinam, & diuersam esse illam quam ante cōcordiā, ab ista, quam post concordiam tradidit: Si te aliqua illius tui optimi præceptoris etiam demortui, reneret reuerētia: nō fuisses ausus, etiamsi vera illa fuissent: quæ vera non sunt, & cōmemorare & scripta relinquere: ô discipulum sc. tanto præceptore dignū! Memineris, maledictū fuisse Chā, qđ nō texerit pudenda patris sui.

P. Martyr. Quod ad alterum spectat, ego tibi respondeo & dico nomine Martyris, te non verum dicere. Non te pudet, tam grauem, doctum, & sanctum virū, cuius discipulus posses adhuc per annos viginti esse, ita calūniari? Quasi verò tu ita constans sis in doctrina, vt semper in te, tāquam in Apostolo, fuerit Est est, &, Non non. Tu negas in his tuis orationibus, te vnquam Vbiquitatem corporis Christi admisisse: nunc eam defendis, & ei vt subscribant, tantùm non cogis tuas creaturas. Tu mihi negasti, corpus Christi ore corporis manducari. nunc damnas, qui aliter sentiunt & docent. Tu in tuis ad me petitionibus admittis certum numerum electorum & reprobatorum: nunc doces, eam esse diabolicam doctrinam. Sed quid ego hæc commemorem? Quasi verò turpe sit, sententiam è mala in bonam commutare. Certè Augustinus multa retractauit, & tantùm abest, vt illæ retractationes aliquid infamiæ attulerint Augustino, vt potiùs multum inde honoris apud omnes Christi Ecclesias sancto illi viro accesserit. Quod igitur etiam D. Doctor Marbachius mutarit sententiam de Vbiquitate, de Manducatione Orali & de Prædestinatione: éstne propterea vituperatione an laude dignus?

His igitur omissis, ad alia transeamus.

Marbachij ad secundam Zanchij conclusionem quæ hæc est:

Eosdē Dominos Scholarchas, tū suis literis, tū posteà disertis verbis, facultatē mihi fecisse, Scripturas pro meo iudicio interpretādi & dogmata explicādi: modò ne quippiam contra verbum Domini & contra confessionem Augustanā de re sacramētaria docerem.

Responsio.

Hanc alteram Zanchij conclusionem, simpliciter falsam & vanam esse, mihi est persuasissimum. Huius enim cōstantia, integritatis, veritatis, & prudentia, indico & certò scio, esse dominos Scholarchas, vt Magistratus nomine, non alia mihi tanquam Theologo & publico professori dicant & iniungant: alia verò & diuersa concedant & largiantur eiusdē ordinis homini. Plus decies autē mihi disertis verbis responderunt, hanc esse Magistratus nostri voluntatem & sententiam vt vna sit vox docentiū in Schola & Ecclesia, & hoc secundùm Augustanam Confessionē, in omnibus & singulis Christianæ religionis articulis, non tantùm in re sacramentaria: Idem Zanchio quoque à dominis Scholarchis responsum & iniunctum fuisse, cùm principiò legendi in nostra Schola prouinciā ab ipsis accepit, planè non dubito. Itaque quod ad hanc & priorem conclusionem attinet, ad iudicium & testimonium ipsorum dominorum Scholarcharum prouoco, vanitatis & falsi crimen libenter subiturus, si aliter se rem habere pronunciauerint.

RESPONSIO ZANCHII ad hæc verba Marbachij.

Alteram conclusionem simpliciter negas: quare? quia constituisti negare quidquid ego dixi. Sed ego te prouoco ad illos Dominos, qui adhuc viuunt, Scholarchas, clarissimum D. Petrum Sturmium & D. Fridericum Gottesheimium, & illos obsecro, vt testificentur, annon ita se res habeat, sicut in mea oratione breuiter narraui, & nunc etiam fusius explico: nempe me, cùm elapso priore anno, Augustanam Confessionem, vt ei subscriberem, obtulissent, respondisse non posse id simpliciter à me fieri, nisi adiectā aliquā moderatione, nempè quatenùs est conformis verbo Dei, vel, si orthodoxè intelligatur: quod quædam in ea sint, quæ nisi dextrè intelligantur, non possim simpliciter probare, quæ etiam loca seorsim clariss. D. Petro Sturmio in suis ædibus ostendi: vt est illud, [Non cōtingere spiritū sanctum hominibus sine verbo externo.] Certè multi pueri, ante auditū verbum, donati fuerunt Spiritu S. imò in vteris etiam matrum sanctificati: vt est illud. [Baptismum esse necessarium ad salutē.] Baptisma aquæ certè non est per se ita necessarium, cùm multi etiam sine baptismo aquæ. seruati sint, sicut in historiis legim⁹: vnde & in Ecclesia veteri illud obtinuit: triplicē esse baptismū. Flaminis, Fluminis, Sanguinis, vti est etiā illud, quod nunc controuertitur: [Iustificatos posse amittere spiritum sanctū] Si de verè iustificatis & de totali Spiritus sancti amissione intelligatur, hoc est, ita vt penitus ab eo deserantur: contendo, secundùm Scripturas & patres, & doctiores nostri sæculi homines, falsum esse. Et tamen omnes isti loci, sunt etiam veri, si dextre intelligantur. Illud verò, quod est in secundo articulo, (In doctrina nostra nihil esse, quod discrepet ab Ecclesia Romana, quatenus ex scriptorib. nota est. sed dissensionem esse inter nos & illam, de quibusdam abusibus, qui sine certa autoritate in Ecclesiam irrepserūt) quale est? Quid autem dicam de illo, quod ibi scribitur de Missa? (Falsò, *inquit*, accusantur nostræ Ecclesiæ, quod Missam aboleant.) Propter hæc itaq. loca, me non posse August. Confessioni simpliciter subscribere: sed tātùm quatenus conformis est verbo Dei: vel, si orthodoxè intelligatur. Proinde cùm ageretur de dando mihi Canonicatu: & omninò me non admitti posse, nisi subscriberem Confessioni Augustanæ mea manu: & vt hoc facerem, hortarentur amici: sic concepi scriptum: nimirùm, (Me amplecti Confessionem Augustanam quatenùs conformis est verbo Dei.) cùm illud non placuisset, aliud scripsi: (me sc. amplecti orthodoxam doctrinā, quæ in confessione August. continetur.) cùm neque hoc probaretur, tertium composui: (me amplecti August. Confessionem, si orthodoxè intelligatur:) & me nō posse aliter subscribere. Hoc exhibito Dominis Scholarchis, puto per D. Sleidanum, vt viderent, an probaretur: nihil mihi fuit ampliùs vsque ad alterum annum respōsum. Voluerunt, credo, periculum mei facere per alterum adhuc annum. Altero igitur elapso anno, iterum vocatus à Dominis Scholarchis, illa audiui quæ in mea oratione fideliter narraui: ipsorum duo, Dei beneficio, adhuc viuunt, ipsi interrogentur.

August. Confessionis subscriptio.

Sed videamus quo argumento probes, non esse verū, quod ibi narraui. Domini Scholarchæ, inquis, summatim, quæ est sua constantia ac veritas, nō alia concesserunt Zanchio in Schola, quàm quæ mihi sæpenumerò signi-

significarunt, se, & Senatum velle, vt à nobis professoribus in Schola seruentur. Atqui lōgè aliud est hoc quod dicit Zanchius sibi esse cōcessum, ab eo quod mihi plus decies disertis verbis respōderunt iidem domini Scholarchæ: hanc sc. esse Magistratus nostri voluntatem, vt vna sit vox docentium in Schola & Ecclesia: & hoc secūdùm Confessionem Augustanam in omnibus & singulis Christianæ religionis articulis. Ergo vanum & falsum est, quod ait Zanchius: dominos Scholarchas facultatē sibi dedisse scripturas pro suo iudicio interpretandi & dogmata explicandi: modò ne quidquā contra verbum Domini & contra Confessionem Augustanā de re sacramentaria doceat. non vides hic, Reuerende D. Doctor, tuam egregiam dialecticam? Maiorem concedo: at in minore, tu teipsūm fallis. Tu putas esse contraria, Docere secundùm Confessionem Augustanam: &, Docere ita, vt nil doceatur contra verbum Dei. Sed quomodo possunt hæc tibi videri contraria, si verè credas, Confessionem Augustanam esse verbo Dei consonam? Melius certè iudicarunt domini Scholarchæ quàm tu, persuasi ipsi erant & sunt hæc duo non secum pugnare, Verbum Dei, & August. Confessionem, nempe ritè intellectā. Cùm igitur permiserunt mihi, vt pro meo iudicio, & scripturas interpretarer & dogmata explicarē: modò nihil cōtra verbū Dei docerē: quid aliud significarunt, quàm me ita debere docere, vt nihil contra August. Confessionem rectè intellectam, tradam? & quid voluerunt, dum tibi dixerunt, se velle, vt vna sit omnium vox in Schola, idque secundùm Cōfessionem Augustanā, quàm se velle, nos ita dicere, vt nihil cōtra verbum Dei doceamus? & hoc, quia persuasi sunt, Confessionem August. orthodoxè intellectam, non esse dissentaneam verbo Dei. Ergo cùm hæc duo, iuxta iudiciū Dominorum Scholarcharum nō sint contraria Docere secundùm cōfessionem Augustanā orthodoxè intellectā & docere secundùm verbū Dei, apparet Dominos Scholarchas nihil mihi cōcessisse, quod pugnet cū eo, quod tibi plus decies dixerūt. Ac proinde te male conclusisse dicēdo, Domini Scholarchæ mandarunt, vt vna sit, eadémque vox secundùm August. confessionē. Ergo falsum est & vanum quod Zanchius ait, eosdem facultatem sibi concessisse Scripturas interpretandi pro suo iudicio, modò ne quid contra verbum Dei doceat.

Ad III. Zāchij conclusionē, quæ sic habet.

Eosdem Dominos Scholarchas mihi hanc libertatem cōcessisse, vt scilicet de re sacramētaria possem & docere & scribere, iuxta illa tria capita, quæ explicaui. Primū est, in cœna verū Christi corpus manducari, & verum Christi sanguinem bibi. Alterū: id verò nō dentibus corporis, sed fide. Tertium, ideóque à solis fidelibus manducari. Et hanc meam fidē, ipsi quoque Capitulo, ideóque & D. Marbachio, cùm in vestrū collegiū cooptarer, tacitè (nemo enim cùm hāc meā fidem esse dicerē, cōtradixit) cōprobatam fuisse.

Responsio Marbachii.

Tertia *hæc conclusio, duas partes habet. Prima ad Dominos Scholarchas pertinet, de quibus in habita coram venerabili capitulo oratione, satis confidenter, tā quam probatum & certissimum affirmauit, suam & Dominorum Scholarcharum fidem & confessionem de Eucharistiæ sacramento, consentientem, imò vnam & eandem esse, quæ in tribus in hac conclusione nominatis capitibus consistat: vnde hanc sibi à Scholarchis concessam esse libertatem gloriatur, quā suam de Cœna Domini sententiam & fidem in Schola liberè & palam profiteri possit. Hæc verè dici, nisi ipsos Dominos Scholarchas testificantes audiero, nemo mihi persuadebit, propter hanc perspicuam & quæ publicè omnibus nota est, causam. Nā constat, Dominos Scholarchas nullam aliam, sicut de toto corpore doctrinæ Christianæ, ita etiam de sano & simplici sacramentorum intellectu, amplecti & profiteri fidem & confessionem, quàm quæ & à nobis Ecclesiæ ministris publicè in cōcionib. proponitur, & noster Magistratus suo & totius huius Ecclesiæ nomine, in Comitijs Imperij & alijs publicis principum conuentibus, hactenus constantissimè professus est & adhuc profitetur: cuius ne quidem ipsos-met pudet, audiendis sedulo & attentè nostris concionibus, & sacramentorum frequenti vnà nobiscum communicatione & vsu, quod nequaquam facturi essent si Caluini aut Zvvinglij de Sacramento Eucharistiæ opinionibus, vel saltem modicùm imbuti essent. Constat enim, omnes illos, qui à Zvvinglianis instituti & persuasi sunt, quemadmodum & Anabaptistæ faciunt, nostra sacramenta abominari, & nequaquam nostris communionibus interesse aut se illis admiscere. Quare etiā hic ad illorū propriā cōfessionem appello, vt ipsimet liberè profiteantur sicut Christianos decet, quid de hoc sacramento sentiant: & priori huius conclusionis parti facile satisfactum erit.*

Altera verò huius conclusionis pars, primùm quidem ipsum capitulum & eius personas perstringit, pro quibus respondere, quid de Zanchij confessione & fide circa hoc sacramentum iudicent, mei officij non est. Sed cùm hucusque omnes eam doctrinam quam publicè in Ecclesia nostris auditoribus tradimus, suā præsentia & perceptione sacramentorum comprobarint, hunc ipsis tribuo candorē & verum Zelum Domini, quod toto pectore abhorreant ab opinionibus pugnantibus cum recepta huius Argentoratensis Ecclesiæ doctrina, &c. Deinde in specie etiam me denotat: quasi meo silentio, cùm fidei suæ in capitulo pro more & consuetudine Canonici examinis, ederet confessionem, præsertim hanc, quam de Eucharistia alit & habet opinionem comprobarim.

Hic, vt appareat Zanchij sophistica & quàm Christianè mecū agat, candidè & bona fide quid partim inter me & ipsum, partim etiam Dominos Scholarchas de ipsius fidei confessione actum sit recensebo, & facilè cōstabit quid in Zanchij confessione receperim & etiamnum recipiam, & quid reiecerim: & adhuc etiam hodie reiiciam. Res autem ita se habet. Cum ex ipsius prima lectione & alijs familiaribus, vt in conuiuijs fieri solet, sermonibus ego & mei cōsymmistæ Domini pastores animaduertissemus, Zachiū in aliquot grauibus nostræ religionis articulis, diuersum à nobis & doctrina huius Ecclesiæ sentire: itaque rē inter nos priùs deliberata, commodissimum videbatur, vt ego ipsum priuatim accederem, & captata occasione colloquij amice & candide de iis præcipuè materiis cum ipso conferrem, in quibus hæc nostra Ecclesia & Geneuensis & Heluetica Eccl. sæ dissentit, hoc est, de sacramento cœnæ Domini, & prædestinatione. Conueni igitur ipsum in illis ædibus, in quibus hoc tempore D. Herlinus habitat: & quia nihil simulabam statim quod res erat suspicabatur, videlicet se à me tentari & explorari propositis his quæstionibus quæ maximè in controuersia erant inter hanc & Tigurinam Ecclesiam, id quod et liberè & libenter tôfitebar. Quia enim in Schola mihi adiunctus sit collega, & iuxta Magistratus sententiam consensus in doctrina inter nos esse debeat non immeritò me ipsius confessionem & fidem expetere, præsertim in illis articulis, de quibus doctorum in Ecclesijs diuersa essent iudicia & sententiæ. Itaque diu multúmque colloquentes de vtroque articulo Eucharistiæ & Prædestinationis, tandem dissentire nos ipsimet fatebamur. Ipse enim Tigurinorum & Caluini sequebatur sententiam: Ego, D. Lutheri, & eam quæ in hac nostra Ecclesia iam multis annis recepta & approbata st. Ne verò hæc nostra dissensio schisma pareret in Schola, & statim initio turbarentur omnia, præsertim cùm iā antè Zanchius Dominis Scholarchis sanctè esset pollicitus, se concordiæ daturū operam, neque quidquam in recepta doctrina innouaturum esse: has illi amicitiæ & mutua inter nos seruandæ beneuolentiæ proponebam conditiones. I. Quia iustus suā fide viuat, & vt Apostolus inquit, quisque in suo sensu certus esse debeat, me ipsius cōscientiam, vt in meam gratiam publicè aliquid doceat, quod ipsemet improbaret, grauare non velle. abundaret antè suo sensu & conscientiæ libertate: sed apud se coram Deo: idque tamdiu, donec vel nos, si et melius esset reuelatum, persuasi & victi verbo Dei, in ipsius sententiam accederemus; vel ipse veritatem successu temporis edoctus, verè & conscientia nostræ doctrinæ assentiretur. II. Quandoquidem hanc nostram Argentinensem Ecclesiam & illius gubernationem & ministeria, pro vera Christi Ecclesia habeat & agnoscat, & illius membrum esse ac hic nobiscum habitare, atque ita Schola nostra publicum in S. theologia agere professorem constituerit: vt igitur de his controuersis articulis si de iis loqui necesse habeat, ea tantùm doceat in quibus nobis conueniit. Conueniebat autem tunc nobis de Eucharistiæ sacramento in his tribus

capitibus. I. Non nuda symbola tradi, sed cum pane & vino, iuxta verba institutionis verum corpus & verũ sanguinem Christi distribui. II. Corpus & sanguinem Christi non esse cibum ventris, sed animæ & interioris hominis: ideóque non dentibus corporis atteri, & in ventriculum mansum demitti. III. Accipi & manducari corpus Christi à fidelibus fide ad salutem. Hæc tria nunquam fuerunt in controuersia & constantissimè hactenus ea nostris hominibus in Ecclesia inculcauimus sicut & Lutherus, atqui omnes qui eandem cum ipso doctrinam profitentur, quanquam Zuuingliani & alij sacramentarij nostras Ecclesias de posterioribus duobus capitibus scelerate flagellent, & coram toto mundo accusent & traducant non aliter, ac si negent, corpus Christi manducari à fidelibus fide: & quod illud Capernaitarum in modum, dentibus dilanietur, & vt alij cibi, digestum in ventrem descendat, quod impudentissimum est mendacium, & in filium Dei blasphemia. Controuersia inter nos est primò de modo præsentiæ corporis & sanguinis Christi in cœna, quem nos dicimus esse essentialem & corporalem, hoc est, ipsius essentiæ atque substantiæ corporis & sanguinis Christi veram cum pane & vino signis visibilibus communionem accipi affirmamus: non tantum efficaciam, virtutem spiritum, vigorem & merita passionis Christi, &c. Hanc essentialem, seu corporalem essentiæ & substantiæ corporis & sanguinis Christi in cœna præsentiam, negant Caluinistæ & Zuuingliani, eò quòd humanam Christi naturam certo loco cæli non aliter ac corpus solis, orbibus cœlestibus, affixam esse imaginantur: itaque illi [illegible] spiritualem nobis obtrudunt manducationem, quæ nihil aliud est, quàm ipsa fides quâ beneficia filij Dei, mortem & passionem, & resurrectionis efficaciam, nobis applicamus. Deinde controuersia est de manducatione indignorum seu infideliũ. Quæritur enim de iis, qui absque vera fide ad Domini mensam accedunt, cùm externa sint Ecclesiæ membra, vtcunque mortua quid accipiant? Sacramentarij respondent præter externa symbola panem & vinum nihil. Nos verò affirmamus eos, vt fideles, integrum sumere sacramentum, verùm ad iudicium & ipsorum condemnationem. De his duobus controuersiis grauissimis in negotio sacramentario quia mihi & Zanchio non conueniebat, debebat ipse in Schola nihil tradere, sed illas mihi explicandas permittere.

De prædestinatione verò, cùm non sit disputatio an sit æterna electorum ad vitam in Christo prædestinatio (hãc enim me libenter iuxta plurima sacræ scripturæ loca, cum ipso confiteri) sed hoc tantum quæratur, si ego de mea aut proximi mei æterna salute & prædestinatione sim solicitus, & huius certus fieri & esse cupiam, vnde hoc statuere & colligere possim certò an à priori, hoc est, ab illa æterna, arcana, & occulta Dei voluntate & prædestinatione, quæ est abyssus multa & imperuestigabilis: an verò à posteriori, hoc est, ab illa reuelata & manifesta Dei voluntate quæ per verbum Euangelij palàm omnibus annunciatur: vt in hac etiam parte Zanchius docturus de prædestinatione, vna mecum tutiorem, & planiorem sequatur viam, quæ à posteriori & ab ipsa vocatione orditur: aut si conscientia prohibeatur, missam faciat hanc quæstionem, & ad alia explicanda, quæ auditoribus æquè necessaria & cognitu vtilia sint, progrediatur. Et quidem his conditionibus vtrinque receptis, fraternitatem & mutua amicitiæ officia tunc temporis nobis inuicem promisimus: atque ita pacificè & placidè iterum ab eo discessi.

Quia verò anteà dixi, me in hac causa nihil simulaturum esse: itaque etiam hæc liberè fateor. cùm finito primo anno probationis Zanchij, domini Scholarchæ canonicatum illi in nostro collegio conferre constituissent, me eos grauiter officij monuisse, ne scilicet antea Zanchium collegio præsentarẽt, quàm de Cœna, ipsius doctrina, Scholæ & Ecclesiæ satis esset cautum: quod tunc futurum sperarem, si ad certam doctrinæ formam adstringeretur, quæ quia in Augustana Confessione, eiúsque Apologia, non sine singulari dexteritate tradita sit, & magno consensu ab omnibus huius ciuitatis Ecclesiæ ministris publicè doceatur: itaque omninò agendum cum ipso esse, si nobiscum manere velit, & Ecclesiam nostram, Christianam esse iudicet, vt nobiscum vna voce eandem doctrinam secundùm formam in August. Confessione comprehensam, confiteatur, cámque sua subscriptione approbet & confirmet. Huic meo consilio obsecuti Domini Scholarchæ, Confessionem Augustanam legendam ei exhibuerunt, additâ hac postulatione, vt proprio suo chirographo testaretur, se eam recipere: atque vt consensus sit docentium tùm in Ecclesia, tùm in Scholæ, simul promittat, quod secundùm hanc ipsam formam Augustanæ Confessionis docturus sit in Schola, nec vllas ei repugnantes opiniones introducturus.

Huic petitioni dominorum Scholarcharum, diu reluctatus est Zanchius: sperans, verbis se ad retinendam, quam in secunda conclusione imaginatur, libertatẽ, omnem obligationem declinare & euitare posse. Sed quia domini Scholarchæ instabant, neque alia conditione Canonicatum ei conferre volebant, ita vt hac altercatione etiam secundus annus sui ad nos aduentus præterijsset, tandem assensus est, atque chirographo iuxta formulam, quæ ei à D. Sleidano piæ memoriæ, nomine dominorum Scholarcharum præscripta fuerat, suam fidem dominis Scholarchis obligauit, exemplum verò obligationis, hoc est. Ego Hieronymus Zanchius Theologiæ doctor, fateor hoc meo chirographo, me receptum esse à nobilibus & honorificis viris dominis Scholarchis collegij Argentoratensis, vt operam meam huic Scholæ præstẽ, quantâ possum fide & diligentiâ: eóque nomine, accepisse ab illis Canonicatum ad S. Thomam, & à Capitulo possessionem esse consecutum. Itaque promitto & spondeo, primùm, me in prælegendo & docendo, nihil prætermissurum esse officij. deinde, si vel illud non præstitero, & admonitus non emendauero: vel si res meæ sic alioquin fuerint, vt hinc discedam, alióque migrem, me statim & continuò resignaturum esse dominis Scholarchis hunc ipsum Canonicatum, nec vlli alij prætereà, sine illorum voluntate & permissu. Postremò, quia Magistratus hæc est mens atque volũtas, vt docentium sit consensus tùm in Ecclesia tùm in Schola, secundùm orthodoxam doctrinam in Augustana Confessione contentam, & orthodoxè etiam intellectam, promitto me quoque velle consensum istum amplecti & tueri, nec vllas opiniones repugnantes introducturum esse.

Hoc Zanchij chirographum, postea exhibuerunt mihi domini Scholarchæ: & quia dicebant, nullum amplius, quod ad doctrinæ innouationem attinet, periculum nobis & Ecclesiæ nostræ esse ab ipso Zanchio, Ego etiam libenter, actis gratiis Deo & dominis Scholarchis, acquieui: Et hæc vera fuit mei silentij causa in Capitulo, cùm Zãchius Canonicè examinaretur. Nam sciebam, quid priuatim mihi promisisset: & quid cum eo domini Scholarchæ, intercessore D. Sleidano egissent: itẽ quomodo proprio Chirographo Ecclesiæ & Scholæ cauisset, itaque in Capitulo nouam primùm aduersus ipsum instituere disputationẽ super edita fidei eius cõfessione, superuacaneum esse putaui; præsertim cùm D. Sleidanus loco & autoritate dominorũ Scholarcharũ, examinationi interesset, cui omnia hæc erant cognita. Et si ne hoc quidẽ ita simpliciter Zanchio concedo, quod his ipsis verbis vsus sit in Examine, quæ in hac cõclusione recitas, videlicet à solis fidelibus mãducari. Nã si tale quid intellexissem aut animaduertissem, non me mutum sensisset. Ad minimũ enim si non ipsummet, durante adhuc examine: at saltem illo finito, examinatores monuissẽ, omittendã ab ipso fuisse particulam à solis fidelibus, *quæ cõtrouersiã cõstituit, & mãducationem Infidelium excludit, quam nos affirmamus. reliqua cùm affirmatiuè sint iuxta conditiones antè inter nos initas, ab ipso dicta: neque nostræ sententiæ de Cœna Domini refragẽtur: facilè & bona conscientia admittere poteram, vt quæ contradictione non indigebant.*

Vbi igitur manet Zanchij illa in his tribus conclusionibus superba gloriatio & iactantia, de sibi data & concessa à dominis Scholarchis libertate, suo arbitratu quiduis in Schola docendi, aut etiam Martyris & D. Buceri doctrinam eiectam & quasi à nobis proscriptam reuocandi? ánnon verborum tantum sunt vanissimæ ampullæ, quæ proprio ipsius chirographo euanescunt, & mera somnia imò mendacia esse conuincuntur?

ZANCHII RESP.

QVia cõstituisti omnia negare, ideò pergis negare. Sed hic ego rursus dominos Scholarchas appello, an assensi sint isti doctrinæ de re sacramẽtaria, néc ne, & quidem possunt ipsi meminisse quod dixi, in primo quidem capite, omnes Ecclesias consentire, sed nõ ita in reliquis duobus, quòd quidã volunt, Corpus Christi etiã ore corporis, & ab impiis mãducari, alij negãt, me verò credere, corpus Christi nõ ore corporis mãducari,

aut

aut in stomachum traiici, sed tantùm ore Spiritus, quod est fides, ac proinde à fidelibus tantùm. Sed quale est tuum argumentum; quo negas hoc quod narraui, esse verum? Domini Scholarchæ, inquis, non sunt Zvvingliani, nec Caluiniani: ergo non admiserunt hæc tria capita: Corpus Christi manducari in Cœna: manducari fide, & non ore corporis: & à fidelibus, non à fide destitutis. Quasi vero solus Zvvinglius aut Caluinus ita doceant, & non illi quos vocas præceptores tuos: Bucerus: scriptis etiam post concordiam: & Brentius ipse in Exegesi cap. 6. Euangelij secundum Ioannem.

Quid tu verò ais, me in altera parte perstringere Capitulum, quòd abhorreant toto pectore ab opinionibus pugnantibus cum recepta huius Argẽtoratensis Ecclesiæ doctrina? Quasi verò hæc tria capita pugnent cum Confessionibus huius ciuitatis, & scriptis Buceri ac Capitonis etiam post concordiam: imò quod tu dicis, ore corporis manducari verè verum corpus Christi, pugnat cum veteri doctrina huius Ecclesiæ, id quod D. Sturmius recepit se demonstraturum.

Me verò in Capitulo tunc dixisse, de te sacramentaria, me credere iuxta illa tria capita quæ exposui dominis Scholarchis, quæ etiam ibi repetij: nempè, Verum corpus Christi in Cœna manducari: secundo, Non ore corporis, vt alios cibos, sed fide: postremo, à fidelibus & non ab impiis: & ei Confessioni te non contradixisse, Capitulum testificari potest.

Ais præterea, te & tuos consymmystas (satis erat dicere symmystas, D. Doctor) ex prima mea lectione & colloquiis animaduertisse, me in aliquot grauibus nostræ religionis articulis, diuersum à vobis sentire, & à doctrina huius Ecclesiæ. hoc est, in articulo de Cœna Domini & de Prædestinatione. Quod ais, te & tuos symmystas obseruasse, intelligo, non omnes. sed te & Rabũ & quosdam alios iuuenes, qui VVitteberga nuper venerатis Argentinam nam senes D. Theobaldus Nigri, D. Lucius, D. Lenglinus, Beatus quoque & alij aliquot, doctrinam de Prædestinatione, quam ex me audierant, tanquam doctrinam sanam, antea etiam à Luthero & Bucero traditam, probarunt. De Cœna etiam Domini, sentiebat mecum maior & melior illorum pars. Ergo quòd tu & Rabus, & alij aliquot iuuenes obseruaueritis, me in iis duobus articulis à vobis dissentire, facilè credo: nam & ego de principio vidi, vos longè diuersa à doctrina Buceri & Lutheri de Prædestinatione sentire & docere, sicut etiam sæpè dixi, & in mea oratione retuli. Quod verò addis, *& à doctrina huius Ecclesiæ* scilicet aliena me dogmata docere: si nomine Ecclesiæ, intelligas Ecclesiam quæ fuit tempore Buceri, tu non dicis verum, sed facis & illi & mihi simul iniuriam. Si verò eam quæ tum erat, cùm huc veni vniuersam: etiam nõ dicis penitùs verum Nam hæc Ecclesia non dãnat doctrinam de Prædestinatione, quam sui Maiores à Bucero & Capitone acceptam, probarunt ac receperunt & de Cœna id credo sentit, quod Confessiones huius Ciuitatis continent. Non te pudet, Marbachi tuas, quas huc attulisti nouitates, ascribere toti isti Ecclesiæ? Quæ fuerit & quæ sit doctrina huius Ciuitatis, debet colligi ex eiusdem ciuitatis Confessionibus, primò, quatuor Ciuitatum, cum Apologia, item synodi patuæ, item synodi magnæ anni. 39. demùm anni. 48 cui tu quoque subscripsisti ô D. Marbachi, item ex libris Capitonis & Buceri: non autem ex iis quæ tu & aliquot alij huc noua attulistis. Quæ autem ego docui de Prædestinatione, & quæ sentio de Cœna, ea quoque Bucerum tradidisse & scripsisse, agnoscunt illi, qui eius libros legerunt atque viderunt.

Ecclesiæ Argent. Vetus doctrina.

Porrò vbi ais, te meam petiisse confessionem & fidem in ædibus, in quibus iam Hertelius habitat, si intelligis, te pro tua autoritate, sicut nunc soles à pueris fidei Cõfessionem à me petiisse, dico, te non verum dicere. neque verisimile est. Nam neque tu id ausus fuisses facere tunc, cùm viueret D. Iacobus Sturmius, qui me, te etiã inscio, vocauerat, quique non tantam tibi autoritatem permittebat, quantam tu postea paulatim, illo demortuo, cœpisti tibi vsurpare, neque etiam ego tibi obtemperassem. Voluissem enim priùs intelligere, quo iure id à me peteres, cùm nullam in me habuisses autoritatẽ, meus non magistratus, sed collega. Si verò intelligas, te tanquam collegam, venisse, & familiariter mecum, tanquam collegam cum collega, de iis rebus locutum fuisse, fateor. At hoc non fuit petere confessionem meæ fidei: sed de iis articulis fidei, mecum contulisse.

Cùm verò ais, te interrogasse de iis, quæ in controuersia erant inter hanc & Tigurinorũ Ecclesiam, & inter hæc controuersa ponis doctrinam de Prædestinatione, & postea ais, me sententiam Tigurinorum in hoc etiam articulo, te verò sententiam huius Ecclesiæ sequi: ibi etiam prodis tuum ingenium, quale sit, & eruditionem tuam, quanta sit. Ingenium quidem, quòd ad dissidia & inimicitias inter Ecclesias magis excitãdas quàm tollendas, idoneum sit: idque in eo ostendis, cùm Tigurinam Ecclesiam opponis Argentinensi, tanquam hostem hosti, & facis te huius contra illam protectorem ac imperatorem: me verò illius contra hanc defensorem. Certè Buceri ingenium, longè aliud fuit. is enim perpetuò in hoc incubuit, vt inter hanc Argentinensem, & illas Helueticas Ecclesias amicitiam conseruaret & conciliaret. Tu verò, in hoc intentus es, vt Argentinensium animos ab Helueticis Ecclesiis alienes, dum perpetuò facis illas huic contrarias in doctrina, & Heluetios appellas sacramentarios, Suermeros, taceo reliqua. Eruditionem verò tuam magnam esse in eo ostendis, dum ais, Tigurinos dogma de prædestinatione contrarium doctrinæ huius Ecclesiæ habere, & me illud ab initio cùm huc veni, defendisse. Multa scilicet legisti.

Heluet. & Argent. Cõsensus.

Ais præterea, te non solùm in quæstione de cœna, sed etiam in ea quæ est de Prædestinatione, sequi sententiã Buceri & huius Ecclesiæ. Quibus putabas te hæc dicere atque dicere Marbachi, cùm hæc scribebas atque in Capitulo, è scripto recitabas? truncisne atque stipitibus, qui vel numquam legissent, vel legere non potuissent librum Lutheri de seruo arbitrio, & eiusdem præfationem in epistolam ad Roman. deinde Buceri commentarios in eandem & in Euangelistas: & qui denique nõ possent, an mea essent desumpta ex scriptis Augustini, Lutheri, & Buceri, post sacras literas, nécne, iudicare? vtinam tu tanto valeres iudicio, quanto isti, quibus tu tuam orationem legebas.

Doctrina prædestinationis vera.

Ais porrò, me ante illud tempus quo me conuenisti in ædibus Hertelij, sanctè promisisse Dominis Scholarchis, nihil me immutaturum in doctrina (Argentinæ) receptа. I Non memini ante illud tempus, viuente scilicet adhuc clariss. viro D. Iacobo Sturmio, tale quid aut Dominos Scholarchas à me petiisse, aut me illis promisisse: tantùm anno priore elapso (si benè memini) confirmaturi me in officio, petierunt & vt concordiam colerem, & vt ne contra confessionem Augustanam quidpiam docerem. II. Si promisi, etiam præstiti. Nihil enim docui, quod aut cum Augu. confessione, aut cum doctrina ab hac Ecclesia tempore Buceri recepta, pugnet: & hoc iam tam tibi, quàm Dominis nisi tu lucem fugisses, & fugeres demonstrassem. ideò enim ita promisi, si promisi: quia omninò persuasus eram Buceri hic retineri doctrinam.

Quod dicis de conditionibus à te mihi oblatis, & à me receptis totum falsum est. De iis quidem rebus locuti sumus amice, vt videremus) an inter nos conueniret, sed quod hæc proposueris tanquam cõditiones, mihi, si vellem hic esse, & te habere amicum, recipiendas, falsum omninò est. Sicut enim anno superiore, cùm obtulisti illa quinque postulata, nolui assentiri, neque vnquam, etiamsi fuissent tolerabilia, assensus fuissem, quia nolui hac ratione testari, tibi esse in me autoritatem atque imperium: Ita tunc, si illa mihi proposuisses, tanquam conditiones omnino recipiendas, omninò reiecissem. Neque enim facilè patior, vt quiuis sibi in me arroget imperium.

Sed nunc etiam istas tuas conditiones expendamus. In prima conditione declaras, quàm dextre Scripturas interpreteris. Si doctrina, quam modo vt hæreticã damnas, erat mea fides, quomodo poteram ea fide iustus esse aut viuere? De altero loco qui est desumtus ex 14. Rom. nihil dico: quod quisque facilè intelligere potest, quàm faciat ad propositum tuum.

In secunda ais, conuenisse inter nos in Articulo Eucharistiæ de iis tribus capitibus. 1 non nuda tradi symbola: sed cum pane & vino, iuxta verba institutionis, verum corpus & verum sanguinem distribui. 2. Corpus & sanguinem Christi, non esse cibum ventris, sed animæ & interioris hominis: ideóque non dentibus corporis atteri & in ventriculum mansum demitti. 3. accipi & manducari à fidelibus, fide ad salutem. Hæc tria, inquis, nunquam fuerunt in cõtrouersia. Ego verò, hæc tria, etiam-

De Cœna.

Quod refers de Augusi.confessione, me diu reluctatum fuisse,ne ei subscriberem: quomodo id factum fuerit, superius narraui. Et inde patet, falsum esse,quod ais, altercationem inter Dominos Scholarchas,& me fuisse, eamque annum durasse. Primùm non fuit altercatio,sed simplex mea recusatio: me noluisse simpliciter & absolutè, ob causas superiùs recitatas, subscribere, nisi adiecta moderatione aliqua, vt suprà ostensum est. Deinde, hoc factum fuit intra paucos dies, cùm scilicet ret mutarim scriptum, vt suprà dictum est. Quare falsum etiam est quod ais, me, iuxta formam à D. Sleidano præscriptam, Confessioni Augustanæ subscripsisse. Illam enim particulam,*secundum orthodoxam doctrinam contentã in Augustana confessione, & orthodoxè intellectam,*non ille, sed ego adieci. Et in ea particula sita est vis obligationis meæ. Quod etiam ais,elapso altero anno, me hanc scripsisse obligationem, falsum est: scripsi mox elapso priore anno: sed non dederunt responsum an placeret, necne, nisi altero reuoluto anno. Quod ais,non esse verum, quod dixerim manducari Corpus Christi à solis fidelibus, sed tantùm à fidelibus primùm, remitto te ad Capitulum:faciliùs collegæ possunt meminisse quam ego. Deindè hoc certum est,me dixisse, fidem de re sacramentaria meam,esse iuxta illa tria capita, quæ D Scholarchis exposueram. Illis autem disertè dixeram, in primo quidem capite conuenire omnes Ecclesias: sed non in altero & tertio, quod quidam volunt, etiam dentibus corporis: alij verò, tantùm fide, & alij etiam ab impiis: alij tantùm à veris fidelibus,verum Christi corpus manducari: me itaque sentire, quod non ore corporis, sed fide manducetur, ideóque tantùm à fidelibus. Postremo si fides mea hæc fuit, Manducari fide & à fidelibus,ergo meæ Confessioni addi non debet, *etiam ab infidelibus.*Quis enim non videat, cùm ego id quod vos tam ad fideles, quàm infideles extenditis, ad vnam partem, hoc est, fideles restrinxerim: me igitur infideles à manducatione corporis Christi exclusisse? Certè ad plura ru non potes me adstringere, quàm mea à te probata habeat confessio. Habet autem mea Confessio:*Corpus Christi fide & à fidelibus manducari.* Ergo etiamsi nolis admittere,me adiecisse particulam *Tantùm*:tamen cum meam hanc admiseris Confessionem, cur me vis cogere ad tuam chimæram.*Et ore corporis, & ab infidelibus mãducari?* Ais, non sensisse me mutum. Scio D.Doctor, te non esse mutum: atque hoc sensimus non ego solùm,sed etiam Capitulum in hac controuersia.

Concludis posteà dicendo: Vbi igitur manet Zanchij illa in iis tribus conclusionibus superba gloriatio & iactantia, de sibi data & concessa à dominis Scholarchis libertate, suo arbitrio quiduis in Schola docendi? Tu es profectò & fidelis historicus & egregius dialecticus. Historicus fidelis, quia tu fideliter scilicet recitas mea verba. Ego dixi,facultatem mihi fuisse factam interpretandi Scripturas & explicandi dogmata, modò ne quid doceam contra verbum Dei. Tu ais, Vbi igitur est libertas docendi quiduis? Optimus verò dialecticus es, quia sic arguis: Zanchius confessus & pollicitus est, se iuxta orthodoxam doctrinam in Confessione Augustana contentam,& orthodoxè etiam intellectam,docturum. Ergo non habuit libertatem à Scholarchis, interpretandi sacras literas & dogmata explicandi suo arbitraru, modo ne quid doceat contra verbum Dei. Hoc perinde est ac si dicas, Sol est in Cœlo, ergo baculus stat in angulo. Quid tu conaris ineptè argumentari, non esse verum quod dixi de dominis Scholarchis,cùm ipsi possint ea de re interrogari & audiri?

Ad IV. Zanchij Conclusionem.

Protestationẽ etiã illã, qua protestatus sum,initiò cùm huc veni,me in interpretandis sacris literis, non semper secuturũ vel patres vel nostros: nisi quatenus videro, eos esse conformes verbo Dei: nec velle ad cuiusuis hominis interpretationes adstringi, cùm nemo non solùm tùm, sed nec vnquam deinceps contradixerit, omnibus comprobatam fuisse.

RESP. MARBACHII.

In hac quarta cõclusione gloriatur de prima sua lectione quam in Schola nostra habuit.cui quia nemo statim è vestigio contradixit, existimat, omnia illa, quæ in medium adduxerat, de ratione nimirum interpretandi Scripturam sacram, ab omnibus ex æquo laudata & approbata fuisse, & propterea quæcunque etiamnum suo arbitratu fingit aut legit siue August. Confessioni, cui tamen proprio chirographo se adstrinxit, consentanea sint, siue repugnent, eam habere autoritatem non immeritò debere, vt nefas ac peccatum maximum sit, vel vno verbo obloqui. Sed vir bonus,non minus quam in prioribus conclusionibus etiam in hac sua opinione plurimùm fallitur. Certum enim est, illam ipsius primam lectionem, multis piis & doctis hominibus summè displicuisse: & si in Scholis per Germaniam, illa quæ in Italia est, seruaretur consuetudo, absque dubio à maiore parte fuisset propter impudentem arrogantiam sibilis explosus atque eiectus auditorio. Ego certè qui neque propheta sum, neque prophetæ sum filius, ex vnica illa lectione ea collegi, vt hæc quæ nunc coram agitantur, prædixerim: id quod videre licet ex meo illius anni diario,in quod cũ capita præclara scilicet huius lectionis consignassem memoriæ causa,meum etiam statim de ea subiunxi iudicium. Erat autem lectionis seu potiùs Præfationis Zanchij, conclusio hæc. Sequamur potius D. Pauli sententiam,cùm inquit,1.Cor.14.Si alij fuerit reuelatum,prior taceat: posterior loquatur.Si aliquid meliùs reuelatum fuerit Augustino,taceat Hieronymus: ita si quid magis congruens diuinæ scripturæ Caluino reuelatum fuerit, quàm Luthero, taceat Lutherus, & loquatur Caluinus: porrò si magis consonant diuinæ scripturæ Lutheri dicta, quàm Zvvinglii, cedat Zvvinglius Luthero. idem iudicium sit de reliquis. *Hic adieci.* Hæc vltima appendix præfationis, me & alios grauissimè offendit. Vereor enim ne subsit arrogans & contemtuosum ingenium, quòd imbibitum sit & corruptum prauis cùm Zvvinglii tùm Caluini opinionibus: vnde nobis metuendũ est, ne pax & cõsensus religionis, Scholæ & Ecclesiæ nostræ intempestiuis disputationibus interturbetur. Tu verò æterne Deus, pater Domini nostri Iesu Christi, miserere Ecclesiæ iam anteà afflictæ: nec propter peccata & ingratitudinem nostrã permittas, lucem sanæ doctrinæ apud nos extingui: sed propter nomen tuum magnum,adsis nobis,& ab omnibus malis libera nos. Amen. *Si itaque vel mihi vel aliis Zanchij præfatio,in qua tanta solemnitate de sua docendi ratione protestatus est placuisset: nequaquam non sine magno animi dolore,anxius & solicitus, de conseruatione integri status Scholæ & Ecclesiæ nostræ, hæc iam recitata verba, in futuram huius memoriam,diario meo inscripsissem.Vnde etiam constat quartam hanc Zanchij conclusionem,nihil planè ad me sicut & ad multos alios, qui nunquam ipsius præfationem approbarunt,pertinere, agat potiùs cum iis quibus gratã & acceptam esse nouit.*

ZANCHII RESP.

Hic dico omnia, tua sesquipedalia verba indigna esse quibus respondeam. Qualis fuerit illa mea præfatio norunt Rector, Visitatores,& alij docti qui interfuerunt:agnoscent etiam posteri,cùm eam, vt spero, legerint.Tu idcircò dicis,me dignum fuisse,qui auditorio eiicerer sibilis, quia dixi, iuxta Apostoli consilium, *Si quid reuelatum fuerit Zvvinglio quod non Luthero: taceat Lutherus, loquatur Zvvinglius, & contra.* Tu voluisti ergo sic dicere:Lutherus omnia nouit,ergo impossibile est, vt vel Zvvinglius, vel alius quispiam aliquid intellexerit, quod ignorarit Lutherus. Quare propter istud verbum tuum, Zanchij, *Si quid reuelatũ fuerit Zvvinglio, taceat Lutherus, & audeatur Zvvinglius:* dignus fuisti qui sibilis exploderetis auditorio. Hoc satis aperrè demonstrant verba tua,quæ in tuo diario scripsisti, & in ista tua responsione recitasti.

Ad V. Zanchij Conclusionem.

Doctrinã hanc quã doceo: Eos qui semel donati sũt vera fide & spiritu regenerationis seu adoptiõis,Christóq. verè insiti, non posse amplius à fide & Christo prorsus excidere, aut à Sp. S.

penitùs destitui: non esse à me nuper in Scholam inuectam, cùm eam & Mart. Bucerus docuerit, & ego iam inde ab initio in primum etiam Psalmum tradiderim, & publica disputatione defenderim. Atque hæc quidẽ quo ad ea, quæ ad me meúmque officium attinent.

MARBACHII RESP.

QVinta Zanchij conclusio, duo affirmat. I. Doctrinam de iis, qui semel vera fide donati sunt, Christóque Spiritu adoptionis insiti, sicut acceptam fidem sequentibus lapsibus & peccatis contra conscientiam, iterum nõ amittere, ita etiam à Christo & Spiritu S. prorsùs excidere non posse: non esse nuper in Scholam nostram inuectam: sed à Bucero propositam.

II. Zanchium iam inde ab initio suarum lectionum, cùm Psal. 1. interpretatus est, hanc doctrinam tradidisse, & in publica etiam disputatione defendisse.

Ad primum: quam doctrinam D. Bucerus vir præstantiss. & integerrimus, quem parentis loco semper habui & colui, & adhuc hodie libenter & liberè Argentinensis Ecclesiæ & Scholæ verum & sincerum doctorem agnosco & profiteor, huic nostræ & alijs Ecclesiis proposuerit, cùm in communi ministerio Scholæ & Ecclesiæ, mihi & alijs, antequam in Angliam profectus est, coniunctus adhuc erat: quæ etiam sit & fuerit iam à 25. annis constans, vera & recepta Argentinensis Ecclesiæ cum præcipuis August. confessionis docteribus, de hac etiam controuersia, Publica confessio & sententia, satis perspicuè ostendam infrà, cum ad Zanchij calumniam respondebo, qua me accusat, quod multis contortis sacræ scripturæ locis, ipsius doctrinam tanquam impiam refutare conatus sim.

Ad alterum nunc respondeo: Si Zanchius statim, quod ipsemet fatetur, hanc doctrinam in Schola nostra non tãtùm simpliciter docuit, sed in publica etiam disputatione defendere conatus est fecit non vt virum bonum decet, imò grauissimè peccauit: primùm quidem, quod oblitus datæ fidei Dominis Scholarchis, quam proprio chirographo posteà ipsis confirmauit, ausus est nouam & pugnantem cum August. confessione doctrinam publicè proponere. In vndecimo enim illius confessionis Articulo, non vt D. Buceri, sed vt Anabaptistarum doctrina, damnata est. Verba confessionis hæc sunt. Damnat & Anabaptistas, qui negant, semel iustificatos iterum posse amittere Spiritum sanctum. *Deinde non minùs in me peccauit, quòd cum vices legendi meas ipsi tanquam collegæ & amico commisissem (eram enim tùm temporis occupatus visitatione Ecclesiarum in Agro Argentinensi) in absentia mea, & me ignorante, idque meo in Schola loco, hanc absurdam & Anabaptisticam doctrinam spargere cœpit. Si præsens fuissem in lectione vel disputatione, aut horum quæ ab ipso proposita fuerant, fuissem monitus: non diffiteor, ratione mei officij, non minùs tùm me ei & priuatim & publicè opposuissem, quàm nunc facio. Sanè perhorresco toto pectore, cùm intelligam, hoc octennio tam monstrosis opinionibus ab ipso, Theologiæ candidatos, in Schola nostra imbutos esse. Neque dubium est, si Dominis Scholarchis, me & alijs huius Ecclesiæ ministris scientibus & permittentibus, hæc essent publicè tradita: Sicut Senatus coram imperij statibus factum hoc defendere aut etiam excusare posset: ita nos, quibus publicum Ecclesiæ ministerium commissum est, perfidiæ non immeritò accusaremur.*

ZANCHII RESP.

De perseuerantia sanctorũ.

DOmine Marbachi, tu hic agis calumniatorem, dũ ais meam doctrinam de iis, qui semel vera fide donati sunt, hanc esse, quod sequentibus peccatis contra conscientiam, fidem non amittant: nec Christo excidant. Imò præter alia argumenta, quibus conclusionem meam probaui, etiam hoc est: quod in sanctos vera fide donatos, non cadat illud peccatum, per quod solum fides omninò excuti possit, nempè peccatum regnans, seu peccatũ ex animo & tota voluntate admissum, id quod propriè est peccatum contra conscientiam. Contendo verò: Sanctos suis lapsibus & peccatis etiam ex aliquo consensu, sed non pleno, admissis, non amittere prorsus fidem, aut prorsùs deseri à Spiritu sancto.

Quòd verò ais, hanc doctrinam damnari à confessione Augustana, tanquam Anabaptisticam: dico, vt supra, te nescire quid dicas, nec confessionem August. intelligere. Ergo non feci contra fidem meam datam Scholarchis, quod hanc doctrinam tradiderim & disputarim, quia nõ est contra verbum Dei, nec contra confessionem Augustanam, vt demonstrabo, quoties volueris prodire in lucem.

Me ei, inquis, opposuissem & priuatim & publicè. Qua ratione D. Marbachi? argumentis ne, & Scripturis in disputationibus, an verò calumniis apud Dominos Scholarchas, & potentia atque autoritate apud imperitum vulgus? Cur iam sesquiannum non ausus es mecum congredi? Cur non diluisti saltem scripto, mea argumenta? Cur non me conuicisti in capitulo? cur non in Scholà publicè? cur curasti, os mihi obturandum, ne in hac tractatione pergerem, néve tuis ineptiis respondere possem? & iam inflatis buccis intonas: *Ego certè si sciuissem, me ei opposuissem.*

CONCLVSIONES ALIAE D. Hier. Zãchij, de ijs quæ à D. Ioan. Marbachio aduersus ipsum dicta gestáq. esse conqueritur, in hac præsertim postrema controuersia.

Ad primam Zanchij Conclusionem.

QVod cùm ego meã illã de nostra, in re sacramentaria consensione, epistolã, quam missurus eram Heidelbergam, candidè & amicè cũ eo communicauerim, neq. me ab ea mittẽda dehortatus ipse fuerit, nec verò etiã ego illam vnquam miserim: tamẽ vt ipsemet in capitulo coram D. Cõrado & D. Theobaldo, collegis, testificatus est, illius mentionem apud Dominos XIII. Viros fecerit: quasi ego cũ Heidelbergensibus, contra se vel alios, in re sacramentaria colludam, atque ita me apud Dominos illos grauarit.

MARBACHII RESPONSIO.

QVæ initio huius conclusionis de epistola mihi communicata scribit, fateor: Sed quod liberum ei fecerim, vt eam sicut scripta erat, Heidelbergã mitteret, pernego. Quomodo enim hoc permittere poteram qui illi consensioni nequaquam assentiri & subscribere volebam, imò ipsum disertis verbis cohortatus fuerim, ne Heidelbergensi controuersia de cœna Domini se intromisceret: atque ea occasione, peregrinam contentionem in Scholam & Ecclesiam nostram attraheret? Dixi quidem, me ipsius prudentiæ committere, vt Epistola illa vel emendata vel alia noua scripta, non communi nostro, sed suo priuato nomine pro arbitrio mittatur ad quoscunque velit. Scio enim, in eum non esse, sicut alios, ita etiam ipsum prohibere, quò minùs liceat ei & possit ad amicos literas dare.

Quòd autem in hac conclusione significat, & vt intelligo, in sua coram capitulo oratione manifestè asseruit, me apud XIII. viros eum accusasse, quod illam miserit Heidelbergam simpliciter falsum est, & nunquam probari poterit. Feci (quod etiam D. Præposito fassus sum libenter) illius epistolæ coram Dominis Tredecim viris mentionem, non accusandi aut traducendi eum causa, sed vt facti nostri, quare Heshusij confessionem imprimi curauissemus, Dominis rationes veras & iustas redderemus. Erat autem inter alias multas, etiam hæc non minima: quòd ex illa Epistola apparet, Heidelbergenses

theologos

theologos, & eos qui de Ecclesiastico sunt consilio, propter nostrum hic silentium: & quod audiuissent D. Philippi publicatum iudiciū de Heidelbergensi in negotio Eucharistico contentione, mihi etiam non improbari, eam de nobis concepisse spem vel opinionem, ac si ipsorum essemus partium, & omnes quas de cœna Domini ex humana ratione atque Philosophia habent desumtas cogitationes approbemus. Ideò enim ille, cui Zanchius rescribit, in sua priori ad Zanchium epistola quærit, cùm probem iudiciū Philippi, quomodo igitur mihi & ipsi Zanchio de tota hac sacramentaria controuersia conueniat: & quis sit noster consensus. Verum hic impudentiam Zanchij satis mirari non possum, quòd sub finem huius primæ conclusionis negat, se cum Heidelbergensibus in re sacramentaria colludere, cùm tamen primùm in Epistola, quam mihi subscribendam exhibuit, Heidelbergensium Thelogorum fidem & confessionem de cœna Domini, non tantùm integrè recitarit: sed huius causa præcipuè etiam ipsis gratuletur, quòd talem nacti sint Principem, qui ipsorum fidei gubernationem Ecclesiarum commiserit, & turbatores qui diuersam ab eis doctrinam profiteantur, aut reprimat aut ditione eijciat. Deinde cùm in hoc nostro capitulari loco, coram duobus collegis, liberè professus sis, se idem cū Heidelbergensibus in hac controuersia sentire & profiteri atque suam & illorum Theologorum fidem & confessionem, vnam & eandem, hoc est, consentientem esse. Vnde etiam apertè pronuntiabas, cùm sua & Heidelbergensium doctrina sit vera & Christi, itaque rectè illos turbatores dici, qui veræ doctrinæ contradicant: & nisi se contineāt, iustissimis de causis, ministerijs suis priuari & ditione eijci. Nec hoc ipsius iudicium remorabatur, quod dicebam, illos ipsos, qui ita expellerentur, nostræ esse confessionis, nec aliam eos profiteri doctrinam, sicut de reliquis articulis Christianæ religionis, ita etiam de sacramento Eucharistiæ, nisi quam ego in visitatione Ecclesiarum totius Palatinatus, nomine Illustriss. Principis & Electoris Ottonis Heinrici Palatini, & vna mecum & post me Flinnerus, integro ferè triennio Heidelbergæ consentienter docuissemus, & adhuc hodie in hac Argentoratensi Ecclesia, cum omnibus reliquis Pastoribus & ministris profiteremur: Quare ipsius sententia nos quoque turbatores esse, & dignos qui Ecclesiis eyciamur: id quod procul dubio si in ipsius potestate res essent posita, fieret.

ZANCHII RESP.

TV negando sudas quando non opus est. Vbi ego dixi, te permisisse mihi, vt illam Epistolam, sicut erat, mitterem Heidelbergam? Lege meliùs meam orationem.

Non possum, inquis, satis mirari impudentiam Zanchij, quòd negat se cum Heidelbergensibus in re sacramentaria colludere. Ego verò non possum satis mirari ignorantiam D. Marbachij, qui non intelligat, quid sit colludere, & putat, colludere, nihil differre ab Idem sentire. Ideo enim probat, me cum Heidelbergensibus in re sacramentaria colludere, quia idem cum illis sentiam. probat autem. me idem sentire, quod illis gratuler talem datum esse Principem. Colludere, D. Doctor, est, cùm quis fingit, se cum aliquo pugnare, siue id fiat verbis, siue factis, cique aduersari ex animo, & tamen intrinsecus & reuera amicus illi est, & nihil diuersum ab eo sentit: idque facit fallendi alicuius causa. Vt, cùm Actor simulat litem cum Reo: & tamē illi fauet, & causam prodit. Egóne vnquam simulaui vel apud te vel apud quempiam, me Heidelbergensium doctrinam improbare? Ergo meliùs discas grammaticen & verborum significata, antequam ita audacter pronunties, me esse impudentem.

Colludere cū Heidelbergēsibus.

Colludere quid sit.

Cùm verò ais, me gratulatum fuisse Heidelbergensibus, quod talem nacti sint Principem, qui ipsorum fidei gubernationem Ecclesiarum commiserit, & turbatores, qui diuersam ab eis doctrinam profiteantur, aut reprimat aut ditione eiiciat: additum est de tuo. Legatur mea Epistola, quæ est in Actis. Nónne Clebitius idem docebat quod ipsi: & tamen idem quoque fuit eiectus?

Elector Frideric. III.

Quæ posteà subiicis à me dicta fuisse in loco Capitulari coram duobus collegis: sicut reliqua dicta, sic etiam ista deprauas, alia addendo, alia omittendo. Interrogentur ambo collegæ, D. Conradus Hubertus, & D. Theobaldus Quæstor, an sicut tu scribis, ita ego locutus sim: & quomodo verisimile est, me ita categoricè pronuntiasse de illorum sententia: qui nondum vel illos audieram, vel illorum libros legeram? Sed in Marbachium Hyperepiscopum scilicet Argentinensem, non potest cadere aut mendaciū aut impudentia, sicut etiam Papa non potest errare in fide. Est apertum mendacium Marbachi, quod ais, me apertè pronuntiasse, cùm mea & Heidelbergensium doctrina sit vera & Christi, itaque illos rectè dici turbatores qui veræ doctrinæ contradicant. Conclusio hæc vera est: sed tamen à me fuisse ita conclusum, falsum est. Quod igitur inde infers, mea sententia vos quoque esse turbatores, & dignos qui Ecclesia eiiciamini, est mēdacium ex mendacio. Cæterùm an tu sis turbator, necne: iudicandum relinquo iis qui te meliùs quàm ego, iamdiu norunt, quiq. sciunt, quam ob causam Isnæ diu esse non potueris. Hoc benè ego dico, te autorem fuisse omnium istarum turbarum, quas sesquiannum, non solùm ego, sed Capitulum, sed Schola, sed Senatus, sed tota Ciuitas passa est. hoc nouit Capitulum: hoc docent Acta, hoc tua ipsius conscientia ibi testificatur.

Hoc verò quod habes in calce, egregium est. Tu omnia tua studia totum hûc sesquiannum in hoc instituisti, vt me pelleres vrbe, & modò affirmas, addita particula *Proculdubio*, si res in mea essent potestate, me eiecturum te.

Ad secundam Zanchij Conclusionem.

Quòd cùm vidisset, in libro Heshusij, me vnà cum aliis, qui cum illo non in omnibus quæ scribit, consentimus hæreseos & atheismi damnari, curarit tamen librum illum imprimendum: atque ita illo facto, me quoque hæreticum esse & atheum, comprobarit.

RESPONSIO MARB.

IN secunda conclusione conqueritur: quod in pressione libri Heshusij, ipsum vnà cum alijs Zvvinglianis & Caluinianis, hæreseos & atheismi damnarim. Hic ego eum iterò interrogo, vnde hoc sciat aut colligat, cùm in illo scripto, ne vna quidem syllaba ipsius sit aut fiat mētio? an forsassis ideò, quia eiusdē cum eis est sententiæ & opinionis? Atqui in præcedenti conclusione negauit, se cum illis, qui autorem huius libri submouerunt, colludere. Si illis nō colludit, hoc est, non eandem habet & profitetur cum ipsis doctrinam: sed manet & est Augustanæ Confessionis: & à doctrina Argentinensis Ecclesiæ nihil diuersum sentit aut docet, id quod proprio suo chirographo pollicitus est: quid igitur ad ipsum Heshusij liber? & quare illis se adiungit, qui in eo libro refutantur: præsertim cùm certum sit, illos videlicet Caluinum & Tigurinos, iam multis annis diuersum, sicut à domino Bucero, dùm adhuc viueret, ita etiam à nobis & nostra Ecclesia sentire? Annon hic manifestè contra suum officium, peregrinis se controuersiis & causis immiscet?

Sed obijcis, idem me & consymmistas meos D. Pastores fecisse, imprimendo librum Heshusij. Responsio facilis est. Nihil peregrini adduximus. Heshusius enim Ecclesiarum Augustanæ Confessionis inter quas & hæc nostra numeratur, sententiam & mentem de Cœna Domini, fideliter & magna dexteritate hoc suo scripto exposuit. Non igitur vitio nobis verti potest, quod cùm nobis huius scripti exempla deessent, à nouo hic typis excudi curauerimus.

Sed, inquis, multa sunt in eo conuitia, quibus insectatur Caluinum, Zvvinglium & alios qui eiusdem cum illis sunt professionis. Respondeo, Hæc ad nos non pertinet. Conuitijs certè non delectamur: & Heshusius conuitia esse negat, sed ipsissimam veritatem. Si iniuria illis fit, probent hoc prius, & innocentiam suam ostendant Ecclesiæ Christi. Cæterùm si propter conuitia, siue vera, siue falsa sint, huiusmodi libelli non edēdi aut imprimendi forent, sanè omnes Caluini, Bezæ, Zvvinglij, & Tigurinorum de hoc argumento scripti libri, pariter opprimendi statim in initio fuissent, cùm in illis omnibus vix vna repertatur pagina, quæ nō horrendis maledictis & conuitijs scateat, quia

bus doctrinam Ecclesiarum nostrarum deformant & traducunt. Sed his recensendis hic immorari fortassis sicut molestum esset audire, ita etiam nullius vtilitatis, & praeterea ad propositum nostrum nihil pertinens.

ZANCHII RESP.

Li. Heshusij. ARgumentatur D. Marbachius, me in libro Heshusij non damnari, quod nulla ibi mentio mei facta sit: est argumentum in Baroco. Sed ante vidit, quid possem respondere: Me ideo damnari: quia eiusdem sum sententiæ cum illis qui in eo libro damnantur. Iccircò mox excipit: si hoc dicam, mecum ipsum pugnare, quod paulo antè negauerim me colludere cũ Heidelbergẽsibus in re sacramentaria: & vt meliùs appareat cõtradictio, definit quid sit *Colludere*, hoc est, idem sentire: vt tale sit argumentum Reuerendi D. Doctoris. Zanchius negat, se colludere in re sacramentaria cum Heidelbergensibus, hoc est, se idem cum illis sentire. Ergo vel mentitur, si dicat se in libro Heshusij cum Heidelbergensibus damnari: vel contradictoria implicat, si dicat, se cum Heidelbergensibus, idem de re sacramentaria non sentire. Nónne hoc est tuum argumentum? Sed accipe responsionem. Ego nec mentior, nec contradictoria dico: sed tu παραλογίζῃ in verbo *Colludere*, sicut antea tibi demonstraui. Malè enim hoc verbum definis. Ego cum Heidelbergensibus nego, Corpus Christi verum, ore corporis & ab impiis manducari: nec tamen cum iis in hac doctrina aduersus te aut vllum alium colludo. quare? quia colludere non est idem sentire, vt tu perperam interpretaris: sed est, vt antè dixi, litem aut pugnam cum aliquo, fallendi alterius gratia simulare: seu est simulare, te diuersum sentire, cùm idem sentias. Quomodo vero ego litem aut pugnam cum Heidelbergensibus in re sacramentaria simulasse vnquam dici possum, qui, si verum est, quod tu paulo antè in conclusione præcedenti dixisti, aperte fassus sum, me idem cum illis sentire? imo tu pugnantia scribis, qui paulo ante scripsisti, me aperte pronuntiasse, doctrinam de re Eucharistica meã, eandem esse cũ doctrina Heidelbergensium: & idem etiam scribis, me colludere cum Heidelbergensibus. Colludere autem est simulare, te ab aliquo dissentire, cùm idem sentias fallendi alicuius gratia. Simulare verò, & apertè fateri pugnantia sunt. Quis igitur non videat, te pugnantia de me scribere?

Ais deinde: Vos non delectari conuitiis. Cur ergo illa doctissima & modestiæ plena scholia libello Heshusij, quem curabas imprimendum, adiecisti? cur me collegam tuum per annos octo, vlciscẽdi tantùm libidine, nullo conuitiorum genere non affecisti in tuis orationibus & in libro Dominis contra me exhibito? Estis scilicet in vestris scriptis concionibus, & sermonibus, modestissimi homines: nemo non potest vobis dare testimonium maximæ modestiæ. Ad alias tuas ampullas nihil respondeo, quod indignæ sunt responsione mea.

Ad III. Zanchij Conclusionem.

Quòd, cùm audiuit aliquid à me fuisse dictũ, quod sibi nõ probaretur numquam me priùs amicè accersiuit, neque mecum de eo cõtulit: tametsi & pietas Christiana & omnis æquitas hoc postularet: quin etiã D. Scholarchæ, sicut ego tribus abhinc annis petieram, hoc vt faceret, eũ admonuerint: imò quòd neque cum D. Rectore & Visitatoribus rem communicarit: sed immediatè semper me apud Dominos Scholarchas accusarit, & doctrinã meam damnarit.

RESPONSIO MARBACHII.

TErtia hæc cõclusio, si de præsenti cõtrouersia loquitur, vt ex titulo, quẽ istis posterioribus cõclusionibus præfixit, apparet: tũ res ipsa testatur, Zãchiũ manifestissimè falsũ affirmare. Nam cùm nobis suis opinionibus Scholam nobis turbasset, etiam ex ipsius prælectionibus certò hoc mihi constaret: Christiana & ordinaria tentaui media, quibus amicè, absque maioribus turbis, in viam reuocari posset: neque omni statim renunciaui amicitiæ, imò si in aliqua parte læsa erat, obtuli me ad Christianam compositionem & reconciliationem, primò quidem apud D. Præpositum, deinde in præsentia duorum collegarum, ipsimet Zanchio, in loco capitulari, & tertiò iterum in ædibus Domini Præpositi: cùm econtrà ipse non tantùm in faciem mihi dixerit, quod mihi amicus esse non posset, eò quod diuersam ab ipso profiterer doctrinam, sed etiam spretâ & contemptâ omni D. Rectoris admonitione, cùm ego ipse nihil tale ampliùs, nequidem per somnium cogitarem, magnâ vehementia & importunitate perrexerit suam institutam de prædestinatione, aut vt ipse iam vocat, de perseuerantia electorum in fide, doctrinam continuare: atq. ita effecerit, vt etiam contra meam voluntatem hæc controuersia quæ eo vsq. inter me & ipsum fuerat quasi priuata, pastorib. innotuerit & iam mihi cum illis, aduersus ipsum facta sit communis & publica. Si verò conclusio loquitur in genere de toto illo tempore, quo Zanchius tanquam collega meus, publicè in Schola nostra Theologiam professus est: palàm affirmo, me præter officij mei rationem, nihil vnquam aduersus ipsum fecisse aut instituisse, priuatim vel publicè. Quàm amicè & candidè cum ipso egerim, cùm animaduertissem, quod in doctrina diuersum à nobis sentiret, suprà exposui. Quòd autem conqueritur, se à me apud dominos Scholarchas sæpius accusatum esse, quodq. doctrinam ipsius condemnarim, antequam vel priuatim à me fraternè sit admonitus, vel D. Rectori & reliquis visitatoribus quidquam eorum, quæ in ipso desideraui cõmunicarim: ad hæc expedita mihi & facilis est responsio. prouoco ad ipsosmet Dominos Scholarchas, vt testificẽtur an vnquam aliquid præterquam quod meum officiũ requirebat ad eos detulerim. Hortatus quidem sũ Dominos Scholarchas, vt suprà etiam dixi, cum in collegium nostrum cooptandus erat, vt proprio chirographo ipsis & toti Ecclesiæ nostræ caueret ne nouis opinionibus pacificum & tranquillum Ecclesiæ & Scholæ nostræ statum interturbaret: Sed hoc meo iure feci, vt cui cura & inspectio totius huius Argentinensis Ecclesiæ commissa est & incũbit. Deinde ipse quoq. D. Rector mihi testis esse potest, quod nõ semel sed sæpiùs eum amicè rogauerim, vt Zanchiũ officij sui commonefaceret. Neque mihi conscius sum, quod vel apud Scholarchas, vel apud Rectorem, aut vllũ vnquam hominem, præterquam in hac præsẽnti cõtrouersia, ipsius doctrinã dãnauerim. Si verò de habita sua disputatione de imaginibus hæc intelligit, facile omnibus excusatus ero, quibus absurditas cùm propositionis illius disputationis, tùm etiam responsiones Zanchij cognitæ fuerint. Nam simpliciter omnem imaginũ in Ecclesia vsum damnabat, idque autoritate D. Buceri, cum insignem & manifestam illi faceret iniuriã Bucerus, quemadmodum etiã Lutherus, & alij Saxonicarum Ecclesiarũ doctores, etsi imagines, quæ in Ecclesiis ad cultum prostant, improbant & tollendas docent: tamen earũ vsum liberum permittunt, si nulla accedat superstitio alicuius cultus aut adorationis. Hoc verũ esse, ipsa D. Buceri verba ex libro Reformationis, in articulo de vero & falso vsu imaginũ, hic ascribã. Pastores, inquit, & Ecclesiæ singulari studio in hoc incumbent, vt populum ab hac idolomania, omnique abusu imaginum & statuarũ auocent. Docebunt itaque primùm, nullum posse Christianis vsum esse imaginum, nisi cùm proponuntur imagines quæ veras & tales res & eo modo exhibent, vt recordatio earum rerum conducat ad fidem excitandam, & homines prouocandos ad officia pietatis. *Item in huius reformationis Apologia, in eodem Articulo ita scribit:* Dass man Bilder mache vnd habe, sich vvarhaffter vnd nutzlicher Ding zu erinnern, oder auch zu zimlicher vnd gebürender Zierde, vvie der HERR in seinem Tabernackel selbst geordnet hat, das vviderspricht niemand, vvie auch das Buch der Reformation nichs dargegen gesetz hat. *Itaque ne immeritò publicè in nostra Schola Saxonicæ & aliarum regionum Ecclesiæ damnarentur, in quibus quædã adhuc imagines sed absque vlla superstitione seruãtur: necessitate adductus, ratione officij mei me illi opposui: sed tamen modestè & sine vlla verborum acerbitate.*

ZANCHII RESP.

MVLTA sunt hic nugatoria, paucis igitur respõdeo. Ais, me nouis opinionibus turbasse Scholam: calumnia est. Ais, te in hac controuersia, Christiana & ordinaria tentasse media, quibus in viam amice reuocari possem

possem absque turbis: non vera dicis. Nam neque ego aberraui à via veritatis: neque tu mecum Christianè te gessisti in hac controuersia. Res ipsa loquitur, & Acta testificantur.

Quæ narras contigisse in ædibus D. Præpositi nō sunt omnia vera. Non dixi, ideò me non posse tecum amicitiam colere, quod diuersam à me doctrinam profiteare, sed quod apertam doctrinam Christi impugnes. Falsum est, quod ego contemserim omnem Rectoris admonitionem.

Ais te numquam aliquid aduersus me fecisse præter officij tui rationem vel publicè vel priuatim. Norunt multi quàm hoc verum sit.

Imagines auferendę in templis. Ais, absurdas fuisse propositiones meas de imaginibus. Non est tuum de iis pronuntiare, publica & frequens fuit disputatio: apparuit, vtrùm meæ Theses & responsiones fuerint absurdæ, an verò tuæ argumentationes ineptæ. Hæc breuiter diluisse, sufficiat.

Sed quo ais, me iniuriam fecisse D. Bucero, quod illius testimonio damnauerim omnem in Ecclesiis vsum imaginum, longiori opus habet refutatione. Citaui aduersus te epistolam Buceri, & omnium Argentinensium ministrorum, cui titulus est: *Non esse ferendas in templis Christianorum imagines & statuas coli solitas.* Neque ego de aliis imaginibus locutus sum, aut erant theses meæ, quàm de iis, quæ solitæ fuerunt adorari, aut facilè possunt adorari. Scripserunt illi Germanicè, sed versa fuit Epistola illa siue scriptum à Iacobo Bedroto, & hoc edendum curauerunt, vt factum Senatus Argentinensis, qui omnes imagines e templis tollendas curauerat, defenderent, vnde & in titulo scripti illius sunt hæc verba: *Vnde candidus lector videbit, quàm piè Senatus Argentinensis nuper simulacra omnia cum aris eliminãda suis templis curauerit.* Hæc ibi. Ergo nō feci iniuriã Bucero.

Quod verò tu contrà profers ex libro de reformatione nihil est. Non enim ibi loquitur Bucerus de imaginibus in templis, sed in genere loquitur: *nullum esse posse Christianis vsum imaginum* (vllo in loco) *nisi cùm proponantur imagines, quæ veras & tales res & eo modo exhibent, vt recordatio earum rerum conducat ad fidem excitandam, & homines prouocandos ad officia pietatis.* Meæ autem Theses, fuerunt de imaginibus in templis: alioqui si facias Bucerum hic loqui de imaginibus in templis, feceris illum pugnare secum, non solùm in epistola suprà citata, sed etiam in eodem capite libri reformationis. De vero falsóque vsu imaginum, quem tu citas. Habet enim ibi etiã hæc verba: [Admonere quoque diligenter populum Ecclesiastæ debent, de periculo impietatis quod cum vsu imaginum semper coniunctum est: præsertim earum imaginum, quibus repræsentantur res, & homines habentes aliquam commẽdationem sanctimoniæ. Mirè enim propensum est hominum ingenium ad idololatriam. Quare suspectum nobis esse debet tantum studium imagines & statuas parandi & templis inferendi. *Item Paulò pòst, probat factũ & dictũ Epiphanij, his verbis:* Præterea non deest grauis occasio ipsius abusus, quoties à D. Epiphanius, cuius epistolam D. Hieronymus suis scriptis aduersus Iohannẽ Episcopum Hierosolymitanum addidit, sic testatus est: Habere in templis imagines iudicarunt religioni nostræ & autoritati scripturarum aduersari: idque scripsit tanquam sententiam communem Ecclesiæ de qua ne modu bitaret.] Audis D. Marbachi? Legantur quæ mox sequuntur. Ibi Bucerus apertè & multis verbis docet pastores omninò in hoc incumbere debere, vt dissuadeant imaginũ vsum in templis, quòd sit inuẽtum humanum pugnans cum verbo Dei, vnde habet hæc verba fol. 56. [Negari non potest. hoc, quidquid de imaginibus & statuis in templis proponendis adferri potest commẽtum humanum esse, quod adeò verbo Dei non nititur, vt DEVS veteri populo vsum talium imaginum interdixerit, & sancti Patres in nouo populo cum non tulerunt, quod ex facto & scripto D. Epiphanij, cuius suprà meminimus, clarè patet.] Hæc Bucerus. Legantur reliqua. Item ad finem, ait. Imagines esse Deo abominationi. Quomodo igitur tu D. Marbachi, audes citare Bucerum, quasi ipse probet imagines in templis? Quare cùm ais, Me insignem & manifestam fecisse iniuriam Bucero, cùm illius autoritate, imaginum vsum in templis damnaui: tu nimis audacter atque inscitè pronunciasti.

Quod vero ais, te ratione officij tui mihi tete opposuisse, ne Saxonicæ Ecclesiæ, quæ adhuc imagines retinent, immerito damnarentur, illud satis perspicuè docet, te in ea disputatione non ita solicitum fuisse de gloria Dei, deque veritate verbi Dei retinenda, quàm de tuis Saxonicis Ecclesiis, etiam contra verbum Dei, in hac parte defendendis. Officium boni & pij Doctoris est, verbum Dei contra omnes hominum superstitiones; non autem Ecclesiarum errores contra verbum Dei, defendere.

Ad quartam Zanchij Conclusionem.

Quòd cùm sui commensales dixerint, se esse offensos meis lectionibus non eos, vt debebat, ad me miserit, doctrinæ meliùs intelligendæ gratia: atque ita offẽsio, quã ex me malè intellecto, si ita est, acceperant, per me etiã meliùs intellectum tolleretur: sed & eos retinuit in ea offensa, & consequẽter eorum animos à me abalienauit.

MARBACHII RESP.

Iusta scilicet hæc est & honesta petitio. Lupus conqueritur, & accusat Pastorem, quod oues suæ fideicommissas, non ei dilaniandas tradat. Non sum adeò stupido ingenio præditus, & sacrarum literarum rudis atque imperitus, vt non dextrè de ipsius habitis lectionibus iudicare potuerim, &c. Ut Anabaptisticis & Nouatianorum erroribus mei conuictores imbuantur, opus non habent. Qualis hæc Zanchij doctrina sit, an D. Buceri, & ita etiam Argentinensis Ecclesiæ, an verò Anabaptistarum & Catharorum, ex responsione ad quintam ipsius, quæ nunc sequitur, conclusionem patebit.

ZANCHII RESP.

In hac parte vbi me lupum qui oues dilaniet, Anabaptistam, Nouatianum, Catharum appellas: malo tecũ iocari, quàm seriò respondere. Nam de his atque aliis multis iniuriis aliàs alibi, & alio modo tecum agam.

Tu es Pastor, D Marbachi: & ego, tuo iudicio, Lupus. Principiò ego Lupus: interrogo Te, ô vigilantiss. Pastor, quando me Lupum nosti? vel nunc primum, vel iamdudum: forte iam inde ab initio, cùm audiuisti meam illam primam lectionem, propter quam ex, lodendus Schola sibilis tibi esse visus sum. Si nunc primum, profectò tu es satis oculatus Pastor: qui Lupum tecum annos 8 amplius familiariter versatum, nunquam potueris nisi nunc, post scilicet detectum Heshusij librum, Lupúsne fuerit, an Pastor, discernere atque agnoscere. Si verò nosti me Lupum ante etiam Heshusij librum: tu es optimus scilicet Pastor, qui Lupum tamdiu, hoc est, annos 8. minimùm, inter tuum gregem versari passus es: imò qui Lupo sæpenumerò, cùm alia te negotia occupatum tenerent, gregem pascendum, hoc est, vt tu ais, dilaniandum commendaris.

Deinde scito, D. Pastor, in Scripturis neque omnes Pastorem probari, neque omnes Lupos damnari: sunt enim quidam Pastores, qui toti in hoc sunt intenti, non vt dominium exerceant in gregem, vt ait Petrus, sed vt gregẽ pascant, bonis scilicet pascuis ij sunt boni Pastores. atque ita boni, vt etiam animam parati sint pro ouibus ponere, de quibus Ioan. 10. Alij sunt, qui de nulla alia re sunt soliciti, quam vt pascant seipsos: in gregem verò tyrannidem exerceant. Tu legisti quæ de iis tuendis scribat Ezech. c. 34. *Væ Pastoribus Israel qui pauerũt se ipsos, &c.* Pastores boni qui. Mali qui.

Sunt etiam duo Luporum genera. Quidam sunt, qui fingunt se esse non solùm oues, sed etiam Pastores: interim tamen sunt veri Lupi quia nihil aliud curant quàm vt mactent & perdant quoscunque possunt, modò ipsi pinguescant & suis satisfaciant appetitionibus. Tales fuerunt hypocritæ Pharisæi, de quibus Christus: *Veniunt ad vos in vestimentis ouium, intrinsecus autẽ sunt Lupi rapaces.* Et ii reipsa sunt idẽ, quod & Pastores mali, de quib. anteà dixi ex Ezechiele. Alii sunt qui Lupi quidem appellantur, propter aliquam similitudinem quam cum Lupis habent: sed in bonam partem, quod scilicet sicut Lupus perpetuò deditus prædæ est, & prædando nunquam fatigatur: totáque illius vita sita est in prædatione: ita isti boni Lupi sunt toti in hoc intenti, idque Luporum duo genera. Lupi mali qui. Boni qui.

tota sua vita, vt hostes, hoc est, Satanam Antichristũ, & hæreticos fortiter inuadant atque deprædentur, spoliaque illorum, hoc est, filios Dei captiuos ab illis detentos, Christo adducant, illorum regna atque potentiam instar fortissimi Lupi, in frusta dilanient. Sic Beniamin appellatus fuit Lupus à Patriarcha Iacobo, quod illa Tribus instar Lupi, futura esset hostium rapinis ac prædationibus quotidiè intenta, & ita in sua deprædatione fortunata, vt spolia in socios etiam esset diuisura. *Beniamin*, inquit, *Lupus*, hoc est, vt Lupus, *rapiet, manè comedet, & vesperi diuidet spolia*. Ij Lupi non differunt à bonis & fortibus pastoribus, qui perpetuo inuigilant gregi contra hostes Christi: vt eos, si fortè sint ex Electis, deprædentur & Christo adducant: si sunt ex reprobis, mactent atque dilacerent dentibus verbi Dei.

Quòd igitur me appelles lupum, ô pastor optime, quia charitas omnia in meliorem partem interpretatur, ego credo, me à te lupum appellari iuxta alterum, hoc est, bonorum luporum genus. Et hanc meam fidem, firmo hac ratione. Non est verisimile, te prudentem virum, me ponere in primo luporum genere cùm nõ possis probare, primùm, me in hoc studium perpetuò incũbere, vt quæram quæ mea sunt, non quæ Iesu Christi, vt ditescam, vt cumulem opes per fas & nefas, vt pascam me ipsum, & dominium in oues mihi vsurpem: deinde doctrinam etiam meam non esse Christi, sed Antichristi, non pertinere ad oues pascendas, sed perdendas. Quod igitur me lupum appellas, non est cur tibi irascar, sed potiùs cur gratias agam: quoniam consequitur si sum Lupus, nec sum ex primo genere: me igitur esse ex altero. Quod si ita de me, vt scilicet credo, sentis: quia æquitas postulat, vt par pari referatur. Ego, quod ad me attinet, te collocabo in primo pastorum genere, modo inter illos possis capi.

Ad quintam Zanchij Conclusionem.

Quòd doctrinam, quam locis viginti & vno, è scriptis Buceri demonstraui apertè, esse nõ solùm Christi & Patrũ, sed etiam Buceri: tamen eam damnarit, nec simpliciter damnârit, sed multis etiam Scripturæ locis in eam contortis, tanquam impiam, aliquot diebus refutare conatus sit.

MARBACHII RESPONSIO.

HÆc quinta conclusio, statum totius nostræ controuersiæ continet. Affirmat, doctrinam suã de Prædestinatione, vel de Perseuerantia Sanctorum, quam sex propositionibus complexus est, esse non solùm Christi, Patrũ: sed etiam Domini Buceri, id quod vno & viginti locis ex Buceri scriptis demonstrauerit. hanc, me accusat, non simpliciter damnasse, sed multis etiam contortis in eam Scripturæ locis, tanquam impiam, aliquot diebus refutare conatum fuisse. Ego verò contra hanc Zanchij doctrinam, de qua tanta insolentia gloriatur, nimirùm, Electos semel acceptam fidem, nunquam amittere, & propterea etiam neque gratia Dei excidere, aut Spiritum S. amittere, &c. probabo nec Christi, nec sanctorum Patrum esse, & ideò etiam neque D. Buceri: sed ipsius potiùs Zanchij propriam, quam ex suis præceptoribus, Caluino & Beza, suxit, atq; nunc sub nomine & titulo Domini Buceri, huic nostræ Ecclesiæ obtrudere conatur: primùm ex ipsiusmet D. Buceri scriptis: deinde publicis huius Argentinensis & aliarum coniunctarum Ecclesiarum Confessionibus: tertiò, D. Philippi, D. Casparis Crucigeri, D. Maioris, & aliorũ Theologorum nostræ ætatis, testimoniis: atque postremò meis etiã duabus lectionibus: in quibus, vt atrociter me accusat, contortis Scripturæ locis, ipsius doctrinam, tanquam impiam, refutare conatus sum, &c.

ZANCHII RESP.

HIc non est opus responsione, quia ad omnia ista loca, tuáque argumenta, iamdudùm respondi, & responsio mea est inter Acta quæ tradita sunt Dominis, Deinde si illæ meæ responsiones non satisfaciunt: venias ad disputationem, & fortassis meliùs tibi satisfiet coràm & voce, quàm scriptis. Tantùm hoc dico, te recitatis tuis locis, inter quos nullus est è Scripturis firmus, nullus omninò ex Patribus, nullus etiam prorsùs ex Luthero: intempestiuè ante victoriam triumphare, cùm nondum ad loca mea respõderis. Citaui ex Buceri commentariis, etiam post retractationem de Eucharistia, confirmatis, locos viginti & vnum, plures additurus, si voles colloquium admittere. Tu autem scribis in hac oratione, & quidem de hac doctrina verba faciens, in responsione ad quartam conclusionem: Si hæc doctrina sit Buceri, etiam esse Argentinensis Ecclesiæ. Est autem Buceri. Ergo.

Appellasti porrò me in hac oratione tua & sæpiùs, propter hanc de Perseuerantia Sanctorum doctrinam, Anabaptistam, Nouatianum, Catharum, hæreticum. Vide igitur, quomodò Ecclesiam Argentinensem tractes, cuius tamen fecisti te Superintendentẽ: me verò conaris facere hostem. Lactantius scripsit: *Ignorantiam esse causam malorum omnium.* Dictum hoc verissimum est. Ignorantia causa malorum omnium.
Quomodo verò audes, miser, tam confidenter, recitatis tot ineptiis atque erroribus tuis subiicere: *His itaque recitatis, relinquo nunc vni Ecclesiæ Christi iudicium?*

Ad sextam Zanchij Conclusionem.

Quòd in his rebus, quæ non pertinẽt ad salutem nostram, vt de coniecturis finis sæculi: vt de vltimo Antichristo, me apud dominos Scholarchas grauarit: idque re non priùs ex me probè cognita, quasi magnum piaculum fuerit, quod refutarim quosdam de fine mũdi coniecturas: & dixerim, sub finẽ sæculi venturum summum & magnũ Antichristum,

MARBACHII RESP.

SI coniectura finis sæculi, & notitia Antichristi, atque adeò illius reuelatio, ad salutem nostram, vt Zanchius dicit, nihil pertinet: ad quid igitur opus erat, tam prolixè duabus vel tribus continuis lectionibus Zanchiũm hanc quæstionem tractare? cur nostrorũ argumenta refutauit? in quem igitur finem & vsum, nouas suas siue coniecturas siue opiniones, auditoribus suis obtrusit? & cùm Theologiæ professoris officium sit, ea in Schola tantùm proponere quæ ad salutem hominum pertinent, quare illud facere omisit? Ego verò in longè alia & diuersa à Zanchio sum sententia. Dico enim & affirmo, non frustrà Deum, tam in veteri quàm nouo testamento, certa & infallibilia signa vltimorum temporum prædixisse, & Antichristum filium perditionis, tam accuratè, non vno tantùm in loco, suis quasi notis descripsisse. Vult enim, pios & fideles hanc mundi senectam, in qua nunc versamur, perpendere, vt hac cogitatione nos ad ardentiorem inuocationem & pleniorem animi pietatem, excitemus. Non frustrà exclamat Christus saluator noster sæpè apud Euangelistas, verè paterno animo summoperè sitiens salutem nostrã: Orate, nescitis enim quando Dominus vester venturus sit: serò, an mediò noctis: an in gallicinio; an diluculo: ne, si venerit repentè, offendat vos dormientes. Qua enim hora non putatis, venturus est. Venturus est autem, sicut fulgur exit ab oriente, & apparet in occidente: atque sicut erãt dies Noæ: ita erit & aduentus filij hominis. *Simili ratione & Paulus 1. Thess. 5. mentes nostras ad vigilantiam & sobrietatem adhortatur.* De temporibus & articulis temporum, fratres, inquit, non est opus vt vobis scribam. Ipsi enim planè scitis, quod dies ille Domini, vt fur in nocte, ita venturus sit. Cùm enim dixerint, pax & tuta omnia: tunc repentinus eis imminet interitus, sicut dolor partus mulieri prægnanti. *Ne igitur repentino & inopinato Christi aduentu præoccupati, cum impijs opprimãtur: ideò in sacris literis hæc vltima tempora tam diligẽter descripta sũt cũ signis diem illũ Domini præcessuris: videlicet vt fideles ijs perpẽsis, ipsi iudicare & quasi certò statuere possint,*

sint finem mundi instare, & gloriosum Christi redemptoris nostri aduentum, iam præ foribus esse. Atque in hunc vsum & finem, Spiritum sanctum in scriptura de vltimis temporibus vaticinari, docet ipse Christus Matt. 24. similitudine de ficu cum gemmas protrudit. Vnde discipulos suos, hoc est, omnes pios, iubet, cùm hæc euenire videant, capita sua extollere, &c. Hæc igitur nobis rectè, qui in his vltimis temporibus versamur, cognitu ad salutem necessaria sunt, propter quam etiam causam nequaquam mihi dissimulanda erant, cùm dominis Scholarchis recenserem historiam excitatæ à Zanchio tragœdiæ in Schola.

Cæterùm ad monstrosam ipsius opinionem de summo & magno Antichristo sub finem sæculi, & quod Romanum Pontificem negat esse illum filium perditionis, de quo Paulus vaticinatur 2. Thess. 2. qui in templo Dei sedet præ se ferens se esse Deum: aliàs respondebitur tempore & loco fortassis magis commodo.

ZANCHII RESP.

Côiecturæ de fine sæculi an necessariæ.

NVgatoria prætereo de industria: ad alia respondeo. Quod sentias, nô decere Theologum, de iis etiam rebus quæ ad salutê necessariæ non sunt, in Schola aliquando disserere: hoc ipsum argumêtum, vt omnia alia & Patrum etiâ testimonia atque exempla præteream, de quo disputamus, conuincet te erroris. Dic mihi D. Marbachi est ne ad salutê necessarium, scire illas côiecturas de fine sæculi, quas ego refutaui, an non? Caue, ne dicas esse necessarium. Nam si id dixeris: verè tu, tâquâ indoctissimus, Theologus, sibilis è Schola & Ecclesia eiiciendus fueris. At scio, non te esse ita indoctum, vt id dicturus sis. Si autem illas scire, non est necessarium: ergo si ego rem indignam Theologo feci, quia illas côiecturas refutarim: eadem ratione inepti fuerunt illi Theologi qui eas tam accuratè inuestigarunt tradiderunt, scripserunt, imò & vos qui eas è suggestis populo proponitis.

At dices, non est quidem necessarium ad salutem, tenere eas coniecturas: necessarium tamen est tenere côclusionê quæ illis probatur, nempè nos versari in senecta mundi. Scio hanc esse tuam sententiam: ex iis quæ subiicis. Cæterùm hîc, primùm ego non refutaui has côiecturas, quatenùs iis confirmatur, nos versari in senecta mundi. Doceo enim & ego nouissi. esse tempora in quibus versamur, sed quatenus nônulli iis coniecturis, certum tempus de fine sæculi definire conâtur, vltra quod mundus durare non possit, vti faciût, qui statuût, mundum sex tantùm annorum millibus duraturum: ita vt affirmare, vltra illa sex millia mûdum durare posse, sacrilegium sit. Dixi igitur in hunc sensum, nô esse necessarium ad salutem, scire aut has coniecturas, aut certû illud finis mundi tempus quod quidam ex istis coniecturis inferre conantur. Deinde dico, neque etiam esse ad salutê necessarium, scire, nos versari in vltima senecta. Alioqui quomodo seruari potuissent, qui fuerût ab initio mundi in ipsa mundi non senecta, sed pueritia, & deinceps vsque ad hanc senectam? Multi etiam ignorant nunc, hanc esse senectam mundi, & tamen seruantur.

At facit ad excitandam resipiscentiam & côtemnêdum hunc mundum citò consumendum. Quasi vero ad hoc non sit satis cuique, scire, se non diu in hoc mundo victurum, sed quotidiè mortem sibi imminere, tempus vero aduentus Domini, sicut etiam mortis cuiusque nostrûm esse incertum. Atque huc spectant omnia illa quę ex nouo testamento de die aduentus Domini citas: quibus Spiritus sanctus hortatur ad perpetuam resipiscentiam, vigilantiam & orationê hac ratione, quod nesciamus, quando Dominus venturus sit. Concludo. Scire itaque vel illas coniecturas, vel nos versari in vltima senecta, vel certum tempus aduentus Domini; non est res ad salutem, vt tu ais, necessaria. Quare tot turbas propter hanc rem te excitasse, intempestiuum fuit, & ingenij inquieti, atque vindictæ magis quàm veritatis cupidi, testimonium.

Antichristus.

Quòd verò sententiam, quam retuli de vltimo Antichristo ex Patribus tam Græcis quâ Latinis, tu monstrosam appellas: id ideò à te fit: quia neque Patres legisti, neque quid sit monstrum intelligis: neque rem ipsam, an sit probabilis, nec ne, perpendis. Ambrosius in 2. ad Thess. apertè scribit: Antichristum futurum ex circumcisione, aut saltem circumcisum. Annô hoc est probabile? Scimus, sciunt etiam Iudæi, Christum hoc est Messiam appellari in Scripturis Iehouam, item seruatorem, item Iustitiam nostram. Scimus etiam, & illi sciunt, Messiam regnaturû in Ecclesia, hoc est, in populo Dei: vnde & rex appellatur. Item sciunt, illum miracula editurum, etiam è cœlo: & denique illum ex circumcisione futurum: Iudæi autem, etsi reuera Christus venit, ipsi tamen adhuc illum exspectant, verisimile igitur est, ex circumcisione talê futurum, qui dicat se esse Messiam, & nomen Dei sibi vsurpet, qui miracula edat, qui cum potentia regnet: ita vt Iudæi persuasi, hunc esse verum Messiam, eum recipiant, sicut prædixit Christus *Iohan.* 5. Ego veni in nomine Patris: nec recipitis me. Alius veniet in nomine suo, eum recipietis. Quis autem erit iste, nisi verus Antichristus? Sed postquam detectus fuerit per veros Prophetas, qui nomine Eliæ & Enochi intelliguntur. Quod sit Antichristus: Christum autem verum, iam olim venisse: Iudæi illo deserto, hunc verum amplectentur, iuxta Pauli vaticinium. Est igitur probabile, Antichristum vltimum vêturum ex circumcisione, aut saltê circumcisum fore, qui fingat se esse ex circûcisione, vt ait Ambrosius. Cyprianus etiam & alij scribût, Antichristum dicturum apertè, se esse Christum: & Apostolus, quod sedebit in templo, id est, regnabit in populo Dei, faciens se Deum. Populus autem Dei κατ' ἐξοχὴν, appellatus fuit populus Iudaicus. Illud etiam Christi, Ioan. 5. quod paulò ante citaui: videtur hanc sententiam confirmare, cùm ait: *Ego veni in nomine Patris mei, nec recipitis me.* Aperte enim dixit se missum à Deo: & gloriam Dei tantùm quæsiuit, non suam. *Alius autem veniet in nomine suo:* hoc est, dicet se esse Deum, qui à se venerit in mundum: & sua tantùm quæret: *& vos eum recipietis,* alloquitur Iudæos. Igitur ille alius videtur venturus ex circumcisione. Loquitur autem de Antichristo. Verisimile igitur est, Antichristum vltimum venturum ex circumcisione. Hic nihil ego affirmo, tantùm dicô sententiam hanc Ambrosij & aliorum Patrum, non debere videri & appellari monstrosam, vt tu eam appellas, cùm sit admodum probabilis.

Quòd autem ais, me negare, Pontificem Romanum esse illum Antichristum: tu dicis, sed nihil probas.

Ad septimam Zanchij Conclusionem.

Quòd cùm sciret (si tamen verum est) multos offensos fuisse mea nuda côclusione de perseuerantia sanctorum, & audiuisset, me, cùm vices ad me rediissent, ad argumêta quæ côtra meâ côclusionem adduci possunt, responsurum, & locos scripturarum in speciem pugnantes côciliaturum, atque ita doctrinam ipsam clarâ & perspicuam redditurum fuisse: tamen illos qui dicebât se esse offensos, ad me, tollendæ per me offensionis gratia, non iussit venire, nec permisit, me meâ (si tamen is est qui impediuit) absoluere tractationem, quam si absoluissem, omnem sustulissem, si qua fuit ex nuda conclusione profecta offensionem.

MARBACHII RESPONSIO.

AD hanc septimam conclusionem, planè idem respondeo quod suprà ad quartam. Iniquissima est petitio: videlicet meæ fidei commissos iuuenes, illi instituendos tradere, qui palàm doctrina, quam cum hac tota Argêtinensi Ecclesia multis annis profiteor, & Dei ipsissimam veritatem esse scio, oppugnat, atque eâ ratione se huius nostræ Ecclesiæ publicû hostem & aduersariû profitetur. Quod Domini Scholarchæ Zanchio ne in hac cœpta materiâ progrediatur, mâdarunt: non est quod mihi imputet aut irascatur secum potiùs expostulet. Quare non moderatiùs causam suam egit? Annon possunt & debent, ratione sui officij, Domini Scholarchæ sua autoritate & potestate qua loco Magistratus funguntur, motus in Schola exortos sedare & componere?

ZANCHII RESP.

HIc nô iocabor tecum Marbachi. Primû, Tu ais, iniquissimas esse petitiones, vt iuuenes tuæ fidei cô-

missos, mihi instituendos tradas. Quid tu garris? Egóne petij, vt tu tradas mihi instituendos iuuenes tuæ fidei commissos? Lege diligentiùs verba mea. Nihil à te petij, Marbachi: conquestus sum de te, non petij à te. Ergo non est petitio, sed expostulatio. Nec iuuenes tibi commissos petij, sed conquestus sum, quod iuuenes mihi etiam à Dominis commissos (nam mihi perinde atque tibi, iuuenes in Schola instituendos commiserunt, cùm me perinde atque te, vt non dicam meliore ratione quàm te, in Scholam hanc vocarunt) quique meas lectiones audiebant, si fuerunt offensi, non iusseris venire ad me, vt, si quam accepissent offensioné, eam ego tollerem. At tu ais, hoc fuisse iniquum. Ita verò tu optimè didicisti quid sit æquum & quid iniquum. Si illi me publicè audiebant profitentem, iniquum ne fuisset, si me etiam priuatim adiissent, vt quæ publicè docueram, ea meliùs ipsis seorsum explicarem? Sed video, quid velis innuere: Iuuenes tibi, non mihi esse commissos: quia tu factus sis Superintendens, non ego. Nónne hoc vis dicere? At quis te fecerit Superintendentem, cupio scire. Audio enim, te nunquam à Magistratu factum fuisse Superintendentem. Ergo si ita est, tu non es ingressus per ostium ad istud officium, sed aliunde: qui autem aliunde ascendit quàm per ostium, quo nomine à Domino Iesu appelletur tu credo nosti.

Ais secundo loco: me doctrinam Argétinensis Ecclesiæ, quam scias ipsissimam esse veritatem, oppugnare & hac ratione me profiteri publicum hostem & aduersarium huius Argentinensis Ecclesiæ. Ego verò, vt à conuitiis regerendis, sicut promisi abstineam respõdeo: Me illam, vt optimam atque iustissimam talionis legé amplecti, vt talis quisque habeatur, qualem alium dicit, donec quod dixit, etiam demonstret. & siue de doctrina de Prædestinatione, siue de Perseuerantia (de hac enim propriè inter te & me est quæstio) loquaris, protestor, me nõ aliter docuisse in hac Schola, quàm docuerit secundum sacras Scripturas & Patres, in eadem ante me Mart. Bucerus ac proinde si tu, quod ego docui, impugnare adhuc pergis, te contra receptam in hac Schola & Ecclesia doctrinam, docere affirmo. De Cœna Domini, negotium habes cum D. Sturmio: is tibi demonstrabit, te aliter docere, quàm docuerit Bucerus. Capito, Hedio, & alij Maiores huius Ecclesiæ. Eas modò, & dicas, me publicum hostem esse Argétinensis Ecclesiæ. Hostis Ecclesiæ Argentinensis est, qui veterem huius doctrinam euertit: qui veteres huius catechismos eiicit: qui non quæ sunt Ecclesiæ: sed quæ sua sunt, quærit: qui doctos viros expellit: qui propter suos affectus illam perturbat: qui Scholam dissipat: dissidia seminat: doctos quoque iuuenes collegiis & ciuitate pellit.

Hostis Ecclesiæ Argentinẽsis quis sit.

Quæ dicis de Dominis Scholarchis, ad illa nihil, tantùm illorum gratia, respondeo.

Ad Octauam Zanchij Conclusionem.

Quòd meam de re Eucharistiæ sententiam in illa tria prædicta capita distributam, nunc damnet: cùm tamen neque Domini Scholarchæ: neque Capitulum, cùm factus sum Canonicus, improbarint.

RESPONSIO MARBACHII.

Quomodo & in quibus consentiam Zanchio in re eucharistica, suprà declaraui in responsione ad priorẽ tertiam ipsius conclusionem. Et quod ad hanc controuersiam attinet, non alia in sententia Zanchij nunc damno, quam qua statim initiò & semper improbaui. An verò domini Scholarcha & Capitulum, ipsius sententiam de cœna Domini, cùm Canonicus factus est, ita simpliciter comprobarint, & adhuc hodiè comprobent, penes ipsos est declarare.

ZANCHII RESP.

Quia remittis tùm ad ea quæ suprà dicta sunt, tùm ad ipsos Dominos Scholarchas, tùm ad Capitulum: Ego quoque libenter idem facio: illorum ego quoque stare volo testimonio.

Ad nonam Zanchij Conclusionem.

Quod cùm mihi eadẽ planè qua & ipse fruitur, pro meo iudicio docẽdi libertas, non solùm iure debeatur, sed etiã reipsa à clarissimis dominis Scholarchis fuerit concessa: ipse tamẽ in suis ad Dominos Scholarchis missis petitionibus, mihi illam eripi curet.

RESP. MARBACHII.

In hac conclusione primùm nego quòd ea fruar libertate vt pro meo iudicio docendi, quiduis mihi in Schola vel Ecclesia docere liceat. Fateor enim, me sicut ad sacras literas, id est, verbum Dei: ita etiam ad Augustanam Confessionem eiúsque Apologiam, adstrictum esse, quã etiam ideò maximè recipio & probo, quod certa & felici methodo, breuiter corpus Christiana doctrina, in singulis propemodùm articulis complectatur: cúmque innitatur firmis testimoniis Apostolorum & Prophetarum veteris & noui testamenti: non dubito doctrinam in illa Confessione recitatã, verè cõsensũ esse vniuersa catholica Ecclesia Christi, qua inde ab initio fuit & adhuc est in toto terrarũ orbe.

Quam verè Zanchius in docendo libertatem à Dominis Scholarchis consecutus sit: si ignorat, aut fortassis iam est oblitus, interroget suum chirographum: & docebit eum: cúmque eo sibi ipse propria voluntate & consensu, istam quam fingit, libertatem eripuerit, non est quod huius meas nunc petitiones Dominis Scholarchis, exhibitas, accuset.

ZANCHII RESP.

Facultas docendi quiduis pro suo iudicio, etiamsi illud pugnet cum sacris literis, non est libertas, sed licentia. Libertas est, non ita esse adstrictum humanis doctrinis, & hominum libris, vt quod edoctus à Spiritu S. scis esse verbo Dei consentaneum, non possis liberè docere ac profiteri hac libertate, donati erant & fruebantur Apostoli. hanc libertatem qui non tenet: indignus est, qui in Ecclesia Christi doceat: sunt enim huiuscémodi, serui hominum. Si igitur nõ frueris hac libertate: indignus es, qui doceas in Schola & Ecclesia. Ego postquam noui verè Christum: nunquam mihi aut eripui, aut eripi permisi à quopiam hanc libertatem. Nã quod dicis de proprio chirographo, ad id antea tibi respondi. Non recepi Confessionem Augustanam, nisi quatenus continet orthodoxam doctrinam, orthodoxè etiã intellectam, fuitne hoc eripere mihi libertatem? Vnde ortum est istud dissidium inter te & me: nisi inde, quod tu me voluisti redigere in seruitutem hominum, id est, tuam: Ego verò volo libertatem spiritus retinere? Ego nõ sum tam vili ingenio, Marbachi, vt propter ventrem patiar mihi veram libertatem Christianam eripi.

Libertas S. literas interpretandi quæ sit.

Ad decimam Zanchij Conclusionem.

Quòd in iisdẽ petitionibus, scribat, me negare præsentiã Christi sacramentalem: cùm tamẽ in mea epistola ipse quoque viderit, me illã disertis verbis statuisse. item quod in eisdem dicit, me negare indignorum manducationem: quasi ego negem, contra Paulũ, corpus Domini indignè manducari posse. Ab impiis quidem cum Mart. Bucero nego manducari: non autem simpliciter ab indignis.

MARBACHII RESPONSIO.

Miror, cùm Zanchius maximè videri velit methodicus, cur tamen in his suis Conclusionibus, sicut & in habita coram Capitulo prolixissima oratione, materias confundat, ordinémque quem à me seruari contẽdit, ipse perturbet. Hæc enim conclusio, non huc, sed ad primum caput mea postulationis pertinet, ad cuius responsionem hac eadem conqueritur, nimirum me iniquè ipsum

apud

apud dominos Scholarchas traducere, quod Sacramentalem Christi in Cœna præsentiam, atque simul indignorum neget manducationem, cùm vtrumque cõfiteatur. Verùm quia hæc sophistica satis mihi perspecta est: & ista verborum præstigia, quibus in hac controuersia ipse & sacramentarij omnes ludunt, & veritati nebulas offundere conantur, vt non possint vno atque altero verbo detegi: neque etiam ad hoc nostrum institutum propriè pertineat, vt ordo seruetur: responsionem mihi reseruo ad illum locum cùm de proprio petitionis meæ capite, hoc est, de Cœna Domini, disputatio instituatur.

ZANCHII RESP.

HAbeo ingentes gratias tibi, quod nunc saltem aliquid me docueris, nempe vbi esset collocanda hæc mea decima conclusio: & si vnquam potero, referam gratias. Distinctionem verò inter impios & indignos, sophisticam vocas & præstigias Sacramentariorum? Vide nunc, quo honore afficias tuum obseruãdum Patrem Bucerum. Quia verò conuictus es mendacij: ideo conuitiis eludis.

Ad Vndecimam Zanchij Conclusionem.

Quòd cũ primò essemus in sũma pace, cõcordia & caritate: deinde etiã promisissemus alter alteri, nos φιλαδελφίαν & pacẽ, propter aliquam in re sacramẽtaria dissensionem, minimè violaturos: neque nos mutuò cõdemnaturos: is tamen librum Heshusij, in quo quicunque corporalem & impiorum manducationem nõ admittimus, nõ tantũ non agnoscimur vt fratres: sed etiã vt hæretici & athei damnamur, cõtra fraternam & Christianam amicitiam, charitatémque, contra etiam datam mutuò fidem, imprimendum curauerit. Quo ex facto, quidquid nunc est dissidiorum, molestiarum & scandalorum, profectum est.

RESPONSIO MARB.

HAbet & hæc conclusio nihil noui, quàm quæ suprà in secunda conclusione ab ipso dicta sunt, nisi quod fortassis delectatur multitudine conclusionum, vt ea ratione me apud venerabile capitulum & collegas meos obseruãdissimos, inuidia grauet quod in bonum virum, nihil tale premeritum, tam multipliciter grauissimè peccarim, quódque nõ tantùm cõtra φιλαδελφίαν, sed etiam contra datam mutuò fidem, ipsum, edito Heshusij libello, hæreseos & atheismi condemnauerim, &c. Atrox certè hæc est criminatio, de qua si certò constaret, proprio suffragio me ipsum omnium bonorum & piorum hominum odio dignum iudicarem, sed gratia sit Deo, quod res longè aliter se habeant. Quibus enim conditionibus ei φιλαδελφίαν & officia mutua beneuolentiæ promiserim, suprà demonstratum est. Conditionibus igitur ipse cùm non steterit, & non semel & sæpius violarit quodmet fatetur in scripta sua ad Heidelbergenses epistola, quam mihi legendam exhibuit: videlicet quod suam sententiam de negotio Eucharistiæ multis nunc annis tam perspicuè legendo scribendo & disputando declararit, vt de ea nemini possit esse dubium: certè me nunc huius accusari iniustissimum est. Deinde cùm liber Heshusij non de ipso scriptus sit, neque etiam ad ipsum pertineat: sed contra sacramentarios, Caluinum, Zvvinglium & alios: quare igitur contra datam & promissam mihi & Dominis Scholarchis fidẽ se à nobis & Ecclesia nostra cõfessione, quæ Heshusij eadẽ est, segregat, & ijs se cõiũgit qui diuersũ in hac cõtrouersia à nobis sẽtiũt, imò qui priores longè ante Heshusij librũ editũ, publicis suis scriptis nostras Ecclesias cõdẽnarũt: ita vt multò iustiori de

causa, Ego & mei consymmistæ Domini Pastores de ipso cõqueri possimus, nos ab ipso & suis complicibus contra datã mutuò fidem, hæreseos & atheismi accusari damnariq́.

ZANCHII RESP.

TVos etiam hic garritus & crocitus, tanquam indignus mea responsione contemno. Quod verò ais: Me non stetisse conditionibus, dico, vt suprà, neque illas à te propositas mihi fuisse conditiones concordiæ atque amicitiæ: Nam tuum non fuit hoc facere neque me vllas, etiamsi proposuisses, admissurũ vnquam fuisse, quia nunquam te agnoui neque agnoscere volo, vt Dominum, qui tale ius in me habeas, cùm non sis vir aut tantæ eruditionis, aut tantæ probitatis, aut etiam ætatis cui illud in me cõcedere debeam: præsertim cùm, vt audio, nunquam ab hoc Senatu, factus fueris Superintendens. Illud autem verum est, me à te rogatum fuisse, cùm alias, tùm cùm veni in tuum musæum, & de Epistola quam missurus eram Heidelbergam, tecum cõtuli, vt licet non conueniat inter nos de manducatione impiorum, velim tamen ego ferre vos, vos etiã laturos me. Ita tibi promisi, tu vicissim mihi. Interim tamen tu non stetisti promissis, quia cœpisti me paulo pòst apud Dominos accusare de illa epistola & variis modis persequi propter hanc de Cœna Domini diuersam sententiam, multísque odiosis appellare nominibus. Quid verò tu iterum superbè nugaris de fide mea tibi & Dominis Scholarchis data & violata? Dominis meis promisi, de re sacramentaria non docturum me vltra illa tria capita superiùs explicata. Quando illa sum transgressus? Quid tu te coniungis cum Dominis Scholarchis? Tu neque me vocasti neque hanc conditionem mihi dedisti, neque iure exigere aliquid a me potuisti. Proinde neque ego vllam tibi fidem dedi, nisi vt dixi antè, sicut tu promiseras, te & tuos velle ferre me: ita vicissim me laturum vos.

Quod ais, Heshusij doctrinam de re sacramentaria, eandem esse cum huius Ecclesiæ confessione: Tu dicis, alij seniores te, in hac Ecclesia, negant, & confessiones quatuor huius ciuitatis, te nolo dicere mendacij, sed erroris conuincunt. Qui verò sunt illi, qui Ecclesias vestras ante Heshusij librum, damnarunt hæreseos & atheismi publicis scriptis? proferas vnum librum, & tunc credemus. Sed tu vt homo acutus, quidquid de te sum conquestus, curas totum illud in me & alios retorquendum, sed nimis inepte. Tu dicis te posse accusare me, quod damnârim te hæreseos & atheismi contra datam fidem. Cur non accusas? cùm accusaueris me non solùm de fálsis, sed etiam leuissimis rebus: cur non accusas de hoc tam graui crimine, si verum est? Non te pudet istius vanitatis? Heshusij doctrina & Argentinensium ministrorũ eadem.

Ad duodecimam Zanchij Conclusionem.

Quòd quia ego op' & boni ciuis, & boni Christiani feci, librum scilicet Heshusii propter atrocissima illius tùm in Illustris Electorem Palatinum, tùm in tot tãtósque viros & Ecclesias Christi cõuitia: pro mea virili ne imprimeretur, impediendo: ipse me variis modis vexare cœperit, præsertim verò sanã Christi doctrinam, quam secundùm Scripturas docueram improbando & refutando: cùm potuisset, si tamen, quod non probo, voluisset, relicta doctrina aliis me factúmque meum, rationibus vlcisci.

MARBACHII RESP.

ZAnchij op', quo effecit, ne Heshusij liber hic imprimeretur, an opus sit boni ciuis & boni Christiani, vt ma-

gnificè gloriatur, iudicent omnes pij. Nam vt in refutatione præcedentis conclusionis dictum est, Zanchius proprio suo chirographo pollicitus est Dn. Scholarchis se huius Ecclesiæ non tantum membrum & socium futurum: sed illius etiam se velle, vt Theologiæ professorem decet doctrinam & confessionem defendere & tueri. Hoc verò scriptū Heshusij, audit & intelligit iudicio & sententia omnium pastorum huius Argentinensis Ecclesiæ, non tantùm eruditum, pium & doctum esse affirmari: sed præterea etiam quod fideliter & singulari dexteritate recenseat doctrinam & sententiam de Eucharistia, sicut illa in Ecclesiis August. confessioni adhærentibus, & propterea etiam in hac Argentinensi Ecclesia multis nunc annis constanter & magno consensu sonuit. Qua igitur quæso, necessitate adactus, librum ab Ecclesiæ ministris approbatum & typis apud nos excudendum ab ipsis typographo traditū impediuit? an hoc requirebat Christiani hominis officium, se iudicio & sententiæ Pastorum Ecclesiæ opponere: præsertim cùm pastores hoc ipso conatu & opere contra verbum Domini, & contra receptam huius Ecclesiæ doctrinam & confessionem aliquid fecisse aut commisisse, neque à Zanchio, neque ab aliis conuinci possint? Sed obijcit, atrocissima in illo libro conuitia contineri aduersus Illustriß. Principem Electorem Palatinum. Atqui manifestum est nullam planè huius Principis in toto libro fieri & esse mentionem: neque etiam aduersus eum scriptum esse. Quid igitur hæc ad Palatinum?

Quam verò gratiam propter hoc opus promeritus sit, quod ipse vocat opus boni ciuis & boni Christiani, videlicet, quod non contentus fuit, per se libri impressionem impediuisse: sed deinde etiam hoc ipsum literis Heidelbergam ad Erastum scriptis, vt Princeps Palatino innotesceret, enunciauit: atque ea ratione D. Flinerum & me tanto principi sordescere fecerit, qui tamen anteà propter nostros non exiguos labores, de omnibus per Palatinatum Ecclesiis non malè eramus meriti. &c. Iudicent sanè ij, qui norunt, quæ sint bonorum ciuium & bonorum Christianorum officia.

Palat. El.

ZANCHII RESP.

Heshus.

EGo loquentiorem rhetorem & acutiorem dialecticum, D. Marbachio nūquam vidit Zanchius, promisit, se defensurum doctrinam Ecclesiæ Argentinensis. Doctrina Heshusij, est doctrina Argentinensis. Ergo debuit Heshusij librum defendere, & non impedire. O me miserum expugnatus sum, perij. At at heus tu Marbachi, ecce me adhuc in viuis: adhuc manum tecum volo conserere, & quidem tuo te gladio transfodere. Ecce tuam apodixin in te retortam. Ille perfidè agit in Deū, in Ecclesiam & Scholam Argentinensem, qui cùm iurarit, se defensurum doctrinam Dei & Ecclesiæ Argentinensis, adde & honorem totius ciuitatis Argentinensis, postea curat talem librum imprimendum, quo corrumpitur doctrina Dei & Ecclesiæ Argentinensis, honórque ciuitatis Argentoratensis in maximum discrimen adducitur. Atqui D. Marbachius, primùm illud promiserat atque iurauerat, se facturum (hoc tu non inficiaris) deinde curauit imprimendum librum Heshusij, hoc etiā patet. Tertiò, & iste liber Heshusij continet doctrinam, qua corrumpitur doctrina tradita in sacris literis, & doctrina Argentinensis, quæ continetur in quatuor confessionibus huius ciuitatis & in apologia. Hoc probabo, si veneris ad lucem. Quartò, & hoc eodem libro honor totius ciuitatis, in maximum discrimen est adductus. Hoc etiā demonstrabo. Ergo tu inferas conclusionem. Nam ego volo propter existimationem tuam tacere. Vel si breuius libet, & iuxta tuam formam, sic arguamus: D. Marbachius iurauit, se defensurum doctrinam Argentinensis Ecclesiæ: nónque diuersam introducturum. Doctrina Heshusij Manducatione Orali & Impiorum, non est doctrina Argentinensis Ecclesiæ, sed diuersa, vt patet ex confessionibus ciuitatis. Ergo contra suum iuramentum fecit D. Marbachius, cùm librum & doctrinam Heshusij voluit ita ciuitati Argentinensi obtrudere, & illi hāc ciuitatem adstringere, vt quicunque non admittat māducationem oralem & impiorum, habeatur pro hæretico.

Hoc est primum vulnus, quod tuus tibi gladius infligit. Accipe alterum. Tu ais: Librum illum non esse contra Principem Electorem Palatinum, idque probas, quia nulla illius Illustriß. Principis mentio fiat in toto isto sanctissimo libro. Itáne didicisti argumentari? Hæccine est tua dialectica? Quid, si ego quoque ita scribam: Sunt quidam Doctores & ministri, qui neglecta omni humanitate, contempto Dei mandato, spreto iure omnium gentiū, tātùm vt quandā suo iudicio iniuriā vlciscantur, barbaro quodam accensi furore, coniurationem subitò aduersus suum ciuem atque collegam instituunt, iniustè illum accusant, inauditum damnant, curant ciuitate pellendum, conuitiis innumeris afficiunt, rogati vt cum illo congrediantur, detrectant, vt ad illius argumenta scripto saltem respondeant, & responsionē ad eum mittant, non faciunt: interim quotidianis clamoribus, illum proclamant hæreticū horrendas de illo calumnias spargunt, quoscumque possunt, ab eius consortio dehortantur, quos nō possunt ab eo alienare calumniantur, infamant, denique propter odium in illum hominem, à quo tamen reuera neque iniuriam acceperunt, neque hæreticam doctrinam audierunt, illi non verentur Magistratum, collegia, Scholas, ciuitatem denique totam perturbare, vexare & tantùm non perdere. Si, inquam, ô Marbachi, hæc scribam quid obsecro tu ages? Apud Magistratum (dices) te accusabo iniuriarum in me, & in pastores. Quòd si quispiā me defendat hac ratione: nō esse hæc à Zanchio scripta aduersus te & Pastores: quod nulla in iis verbis mentio tui aut Pastorum Ecclesiæ Argentinēsis fiat: quid tùm facias? Quid faciam? Ego huic, quisquis ille fuerit qui ita Zanchij scriptum defendat, dicam: Quid tu malū defendis Zanchij scriptum? Quasi vero consequatur: nulla ibi mentio fit mei & meorum consymmistarum: ergo non est contra me & meos consymmistas, cùm circumstātiæ facti, temporis personarū, apertè conuincant. Zanchium hæc nō conscripsisse, nisi aduersùs nos. Annon ita responderes, Marbachi, & talem me defensorem derideres, vt hominem ineptissimum, imò & impudentem qui vellit tegere id quod luce clarius est & meritò sanè. Atqui non aliter facis D. Doctor, dum defendis Heshusij librum & ais illum non esse cōtra Illustrissimum Principem Palatinum: nullúmque in eo conuitium contineri. quare? quia nulla ibi fit mentio Electoris Palatini. At quis est tam cœcus, qui si teneat ea quæ gesta fuerunt Heidelbergæ paulo antè quàm hic liber in lucem venisset, non etiam videat, in præfatione illius libri, Electorem peti & grauissimè traduci? Videamus aliquot verba illius Præfationis [Languet Zelus in principibus & gubernatoribus, qui solent esse nutritij Ecclesiæ & plerique gubernatores politici tranquillitatem ciuilem & gloriæ Christi & hominum saluti anteferentes ad humana consilia volunt inflecti Euangelium: præscribunt ministris leges docendi populum, & administrandi claues, non Christi arbitrio, sed ex hominū profanis decretis: feroci audacia vetant clauium seueritatem præsertim errorum refutationem necessariam Ecclesiæ, & voce filij Dei grauissimè mandatam: omniáque volunt ac præcipiunt silentio tegi, & amnestiis inuolui ac obrui: innocentes ministros Euangelij, obsistentes ipsorum iniustæ voluntati pro libidine pellunt ex Ecclesia, perinde ac si liceret ipsis quiduis in regno filij Dei suo arbitrio statuere.] Hæc ibi. Dices Marbachi, iis in verbis nullum esse cōuitium? Quid est, feroci audacia vetare clauium seueritatem? Quid est, Innocentes ministros, iniustæ Principum voluntati obsistentes, pro libidine pellere? non sunt hæc conuitia & quidem atrocia? At verò dicis, hæc non scripta fuisse in Illustrissimum Electorem. At, qui, obsecro, igitur sunt, de quibus hæc scripsit Heshusius, simulac pulsus fuit Heidelberga, propter suum turbulentum ingenium, suámque in Principem contumaciam, cui cùm mādasset, vt quiesceret, noluit obtemperare? Vir magnus & iudicio præditus, qui tibi maxime fauet, lecta hac præfatione, dixit apertè, ibi perstringi Palatinum. Si ille vir grauis verum dixit: ergo tu falsum.

Ad decimam tertiam & vltimā Zanchij Conclusionem.

Postremò in genere conqueror, quod quidam, Dominus nouit qui, grauissimis calumniis me affecerūt, falsū hūc de me rumorē spargendo, quod scilicet doceam, I. Deum esse autorem peccati: cùm tamē & semper & proximis diebus docuerim, causam peccati nūquam extra peccatorē, sed in ipso pecca-

peccatore esse quærendam. I I. quod doceam, hominem renatũ, cùm peccat, non peccare animo & voluntate: cùm tamen nemo vel mediocriter doctus, nesciat, maximum esse discrimen inter peccare animo & voluntate, id quod etiam est Sanctorum: & peccare toto animo & tota ac plena volũtate, quod proprium est impiorum. De Iusto enim ait Iohannes in Epist. c. 3. Qui natus est ex Deo, non peccat & nõ potest peccare, scilicet toto animo, tota volũtate: quia semẽ Dei manet in illo. Vtrumque esse merã calumniam, corã Deo & Ecclesia Christi protestor.

RESPONSIO MARB.

Zanch. nõ fecit Deũ autorem peccati.

VLtima conclusione, Zanchius primùm conqueritur, falsò se accusari & traduci, quod Deum autorem peccati faciat, hoc si verè de ipso sparsum est, conueniat igitur eos qui hoc vnquam de ipso dixerunt aut sparserunt. De hoc verò errore an ita sentiat, aut etiã in Schola aliquid protulerit hactenus, nihil à quoquam ad me delatum est, neque etiam eius ego Zanchium accuso: potius ab ipsomet confictum crimen credidero, quam à nostris Scholasticis ipsi obiectum. Itaque hac prior huius cõclusionis pars, nihil ad me pertinet. In posteriori verò parte, conqueritur sibi imputari, quod simpliciter doceat, hominem renatum, cùm peccat, non peccare animo & volũtate, &c. Si hoc me de ipso dixisse, aut affirmasse contendit, probet, factum enim à me esse pernego. nihilominus tamen hanc, quam facit in quinta sua propositione de sanctorum perseuerantia distinctionem inter duplicem Renatorum hominem: & quod renati tantùm carne peccent, non verò tota voluntate & toto pectore, &c. falsam & portentosam esse, assero, &c.

ZANCHII RESP.

HAbeo gratias, quod fatearis, te nihil vnquã de me audiuisse aut dixisse, quod faciam Deum autorem peccati, aut quod doceam, hominẽ renatum, cùm peccat, non peccare voluntate & animo. nã neque in mea illa postrema conclusione dixi, te hæc de me sparsisse, sed in genere, quosdam de me hæc sparsisse. non fuisse autem (vt tu contra præceptum caritatis, ais te credere:) crimen hoc à me conuictum, testem cito D. Ioan. Sturmium Rectorem & Præpositum nostrum, qui tunc ad me retulerat, hæc de me spargi.

Tu verò postremò adiicis, Distinctionem illam de duplici in Renatis homine, interiore sc. & exteriore: itẽ, Doctrinam hanc, quod Renati tantùm carne peccent, non autem tota voluntate & toto pectore, esse falsam & portentosam. Duo igitur mihi breuiter demonstranda, sunt: I. distinctionem illam, I I. etiam illam doctrinam, esse secundùm Scripturas. non igitur esse falsam vel portentosam.

Exterior & interior homo qui.

De illa distinctione, accipe ista testimonia, Rom. 7. Condelector legi Dei, secundùm interiorem hominem: video autem aliam legem in membris meis repugnantẽ legi mẽtis meæ. Vides hìc in Apostolo Renato duos homines? Lege in hunc locum, Buceri præceptoris tui commentarios, & ille te docebit quod adhuc, Doctor tamẽ cùm sis, ignoras. Accipe aliud testimonium, Rom. 6. Hoc scientes, quod vetus homo noster simul cum eo crucifixus est. Quid est Apostolo vetus homo? homo ipse totus, quatenus natus est ex Adamo, corruptus & animo & corpore. Si est vetus homo: est igitur & nouus, de quo alibi Paulus Col. 3. Exuite veterem hominem & induite nouum. Quid est nouus homo? Totus homo, quatenus renatus est in Christo. Lege etiam in eum locum Rom. 6. Bucerum ipsum. Cùm autem renati vtraque cõstent parte, nimirùm & corrupta natura, seu corruptione carnis & renouatione spiritus: sunt igitur in Renatis duo homines, vetus & nouus. Ij autem, idem sunt, quod homo interior & exterior. Accipe etiam tertium. Eph. 3. Vt det nobis secundùm diuitias gloriæ suæ, virtute corroborari per Spiritum eius in interiorem hominem. Lege etiam in hunc locum eiusdem Buceri commentarios, & docebit te, hanc distinctionem non esse portentosam. Is sic habet: [Vocat interiorem hominem totum hominem reformatum & renouatum, sicut per exteriorem, totum hominem animalem intelligit, & corruptum ac veterem, interior idem est, quem alias nouum: exterior, quem aliàs vocat veterem. *hæc ille.*

Vetus & nouus homo qui.

Item Eph. 4 Deponentes veterem hominem. *Bucerus ibi:* Vetus, *inquit*, homo, est tota natura nostra, vt est in hunc mundum prolata, vt eam attulimus nobiscum ex visceribus matris nostræ, sine spiritu Sancto, quæ appellatur caro *Col. 3. Hæc ille.*

Puto satis probatam esse illam quam vocas meam distinctionem de duplici homine in renatis, interiore & exteriore. Quod si hæc non satis fuerint, significato mihi, & plura ad te quàm libentissimè mittam.

Venio nunc ad alterum, quod etiam affirmas esse portentosum, hominem, scilicet renatum, cùm peccat, non peccare toto animo & totâ voluntate.

Renati quatenus peccent.

Accipe nunc testimonia, Rom. 7. de se, déque omnibus Renatis, quomodo peccent & non peccent, ait Apostolus [Scimus quod lex spiritualis est: at ego carnalis sum, venditus sub peccatum. Quod enim ago, non probo. Non enim quod volo bonum, hoc facio, sed quod odi, malum hoc facio. Si autem quod nolo, illud facio: consentio legi, quod bona sit, nunc autem non ego iam perpetro illud: sed inhabitans in me peccatum, noui enim, quod non habitet in me, hoc est, in carne mea, bonum. Nam velle adest mihi: at vt perficiam bonum, non inuenio. Non enim quod volo, facio bonum: sed quod nolo, malum, hoc ago. *Postea concludit dicens:* Igitur idem ego, mente quidem seruio legi Dei: carne autem legi peccati.] Lege in hunc locum commentarios Buceri: &, nisi velis dicere, eum quoque scribere portentosa, agnosces, hanc doctrinam esse Apostolicã, non portentosam. Proponit quæstionem Bucerus, Qui fiat, in homine renato legem Dei cognoscente & probante, vt quæ recta sunt, velit nec faciat tamen: & faciat quæ non vult, sed odit & detestatur: cùm certum sit, neminem facere quod non vult, aut velle quod non probat: & contrà, quemque quod iudicat bonum id velle & facere? Et quæstionem explicans: *Duplex*, inquit, *est in homine*, scilicet tali de quo loquitur, nempe renato, *volũtas, altera, quæ consentit legi altera, quæ facit quod detestatur: altera sequitur cognitionem legis, qua cognoscitur bona esse: altera, cognitionem haustã à sensibus quæ est de rebus præsentibus.* Lege reliqua. Sũma cõcludit Bucerus: Ideo renatos sæpe facere malum quod nolunt, seu velle, scilicet carne, quod nolunt scilicet spiritu: quia illorũ mens sæpè à carne corrupta, violẽtisque carnis appetitionibus, ita ab actuali consideratione legis Dei auertitur, & in ea quæ caro suggerit, ceu violentã quadã manu pertrahitur, vt oblita eius quod probabat, & quód etiamnum, si non esset à violentis carnis cupiditatibus oppressa & dementata, probaret, velit iam & agat, quod paulò antè improbabat, & etiamnum si sui iuris esset, improbaret. Id quod liquidò apparet, quia simulac deferbuerit ille carnis feruor, qui sanctorum mentes opprimit atque dementat: mox videbis eos quod nunc agunt malum, improbare, & contra quod nunc non faciunt bonum, probare. Manifestum igitur est, sanctos nõ peccare totâ & plena voluntate. Quia malum quod oppressi à carne, agunt, & ideò etiam volunt, liberati per Spiritum sanctum illâ carnis oppressione atque tyrannide, improbant ac detestantur, ac proinde quâ parte sunt renati, aguntur à Spiritu sancto, nunquam volunt peccatum & agunt. Atque hoc est quod Apostolus ait, *Mente seruio legi Dei, carne legi peccati.* Ac ne dicas, Apostolum non ibi loqui de peccatis, quæ admittuntur ex consensu, sed de primis motibus, qui non sunt in nostra potestate, Bucerus sese tibi obiicit. Is enim ibi adfert exẽplum Dauidis & Petri, ac docet, eos ita peccasse, cùm alter adulterium admisit, & alter Christum negauit, vt quod egerunt malum, noluerint, ac proinde vt nõ plenâ voluntate peccarint. Idem docet, & eodem Dauidis exemplo, & alio Petri, explanat in libro de ratione reform. Eccles. in tractatu de iustificatione, fol. 131. 132. vbi etiam concludit, omnia sanctorum peccata ex imbecillitate fidei proficisci, Imbecillitas autem fidei, stat cum fide. Atque hæc sanctorum, vt Dauidis & Petri,

Peccata, non esse peccata vastantia conscientiam, apertè tradit idem Bucerus in eodem libro *pag.205.d.* Cæterum vt leuiora peccata.

Idem in *cap.8. ad Rom. sect 2.* Vos verò non viuitis secundùm cupiditates carnis. docet ex Apostolo, fieri non posse, vt qui verè sunt Christi & habent Spiritum Christi, viuant secundùm carnem: & argumentum hoc. ipse iis verbis conficit: *Quoscunque obtinet Spiritus Christi: ij non possunt secundùm carnē viuere. Spiritus Christi obtinet, quicunque Christi sunt. Ergo qui Christi sunt, ij nec possunt quidem secundùm carnē viuere.* Hæc ille. Est autem ambulare secundùm carnem, sponte & lubenti totóque animo, carnis ductum sequi, eiúsque cupiditatibus tota voluntate obtemperare. Ergo sancti non peccant toto animo, totáque voluntate.

Ambulare secundùm carnem quid.

Idem in Matth.8. sect.2.222. ait. In hoc sanctos electos, cùm peccant, à reprobis differre: quod id ipsum quod faciunt malum, oderunt & quamprimùm ab eo resiliunt quippe rectè persuasi de Deo & eius bonitate: vnde mente legi ipsius condelectantur: malúmque carnis detestantur. Impij autem, malum quod agunt, amant: ac nisi à Deo vel hominibus timerent vltionem, optarent illi perpetuo inhærere. Et paulo infrà docet: Peccata sanctorum ex imbecillitate fidei proficisci, dicendo. *At quicquid electi peccant, inde venit, quod sanctæ isti persuasioni aliquid adhuc apud illos deest.* Item ait ibidem: Quòd mens sanctorum inconsulta ruit in peccatum, auertente ita faciem eius, vi cupiditatis.

Idem in Matth.12. sect.1. pag.307. habet hæc verba. [Quicumque post cognitam veritatem relapsi ad impietatem animo fuerint, id est, volentes peccauerint: eos necesse est, veritatem iam ante damnasse. Id autem est blasphemare Spiritum sanctum). *Hæc Bucerus* Manifestum est autem sanctos electos numquā peccare in Spiritū sanctū, vt ibidem Bucerus docet. Numquā igitur animo relabuntur ad impietatem post agnitam veritatem. id est, volentes, plena scilicet voluntate, peccant: vt Bucerus ibi interpretatur, quid sit relabi animo ad impietatem. (Idem in eundem, *sect.4 pag.308.* Electi *inquit*, non peccant vnquam, nisi ex ignorantia. *Item*, semper sentias in electis quoddam semen Dei, & veritatis studium, etiam tùm cùm veritatem oppugnant, aut certè pugnantem cum illa vitam degunt. Item & in multis perditè viuentibus, qui electi sunt, videas latentem quandā iusti rectique amorem). Et hæc de electis scribit, antequam etiam veritatem recipiant, aut iustificentur: quantò magis igitur hæc vera sunt de electis iam iustificatis? Proinde de iis ita subiicit *pag.309.* (Vbi verò veritatem receperunt, *electi scilicet*: quidquid peccant, quod per cupiditates carnis auertuntur, vt veritati cognitę non intendant: Eò autem nūquam prolabuntur, vt veritatem odio habeant & insectentur: sed mox potius ipsius amore, quod peccarunt, incipiunt magnopere odisse & detestari).

(*Item in Matt.7. sect.6. pag.200.* Hactenùs igitur peccare pius non poterit. quod ex animo iniquitati & peccatis nequit esse deditus, ita vt impij solent: sed mente legi Dei vsque condelectabitur, eò quod semen Dei, verbum ipsius & spiritus filiorum apud illum maneant, natúsq; ex Deo sit. Simul tamen quoniam in carne sua boni nihil habet, committit pleráque quæ odit veréque peccata sunt. At quoniam illis secundùm interiorē hominem nō delectatur, animóque Christo addictus est, imaginíque ipsius respōdere ante omnia cupit: nec dubitat denique Christi merito omnia sibi condonanda: atque ad imaginem illam peruenturum, nihil quoque damnationis ei erit, quālibet peccatori manenti nimirùm in Christo, Rom.8. Deus siquidē illi peccata nō imputabit. Quare neque peccata erunt: vti debita nō sunt, quæ creditor remisit, etiamsi verè ea contraxeris, neque persolueris tamen. Proinde quicūque Christi verè fuerit, is vt non poterit peccare, hoc est, peccatis animo deditus esse & studere, quod scilicet solùm Deus imputat & peccatum habet: ita necesse est volūtati eius pro viribus studeat, neque quidquam priùs habeat, quam ad verbum ipsius totum se comparasse. Interim tamen obrepent à carne non pauca, vt numquam quidē illi non orandum sit, Remitte nobis debita nostra. Verùm merito Christi, in quo omnem ille fiduciam Christi collocat, omnia vt condonabuntur, ita peccata non erunt. Qui itaque voluntatem Patris non fecerit, i. faciendę ex animo nō studuerit (aliud enim facere nō est vitę hui⁹) is neque Patrem neque Christum nouit, non est natus ex Deo, ac spiritu filiorum Dei etiamnum caret, eóque & fucus erit, quamlibet Christo Domine Domine, acclamet. Corde namque ipsum dominum nondum agnouit, quo illum Dominum nemo vocare potest, nisi ex vera fide.

Quod si ij loci nondum possunt te à tuo errore abducere, qui affirmas, doctrinam qua docetur, sanctos non peccare toto animo, totáque voluntate, esse portentosam, accipe hæc alia.

Bucerus in Ps.1. versu primo, pag.3. (Porrò obseruandum, quod non ait vates, Beatus ille qui non fuerit improbus peccator malitiosus: sed, qui non habuerit cum his commercium, non fuerit horum secutus cōsilia, nec facta imitatus. Apud eos enim qui beati esse, & ex lege Dei viuere possunt, semen Dei & spiritus bonus ita obtinet, vt peccare, hoc est, toto animo praui & peruersi esse nequeant: Id quod disertis verbis Iohannes in sua Epistola cap.3. adserit, quippe qui nati sunt ex Deo. Cæterum quotidiè delinquimus omnes, vt idem confitetur c.1. nec pauci identidem à malo præoccupati consulta sceleratorum ad tempus sequuntur, vt Dauidi, Petro, & aliis vsu venit: quorum alter explendæ voluptatis causa, & adulterium, & homicidium admisit: alter cupiditate vitæ eo adductus fuit, vt negaret seruatorem)

Vides hic de sententia Buceri, iterum Dauidem & Petrum collocari in numero eorum, qui etiamsi peccent, non peccant tamen aut peruersi sunt, toto animo. Lege quæ de Manasse & Latrone subiicit. (Sedisse in sede peruersorum, & penitus cum illis in malitia cōspirasse, videri possit Manasse rex Iuda, quo nullus regum vel plus idololatriæ contra dominum inuexit, vel plus sanguinis Prophetici fudit. Cum hoc non ab re forsan miseris Latronem cum Domino crucifixum. Vterque sanè, filius Dei extitit: alioqui nec ille ex corde Deum orare, & malorum suorum exorare veniam, neque hic municipatum paradisi percipere potuisset. Qui namque non sunt ex Deo nati, vt nihil diuinarum rerum intelligere (quod Paulus de eis affirmat) neque audire quidem possunt (id quod Seruator ipse testatus est. Iohan. 8 vers 47.) ita neque quærere & orare tale aliquid valent. Vterque igitur ad vitam præordinatus, & ante conditos homines, ad salutem delectus fuit: eóque verè improbus, flagitiosus, & malitiosus, quamlibet improbè, flagitiosè, & malitiosè plurima designarint, neuter fuit: quia apud eos plenus atque consummatus Dei contemptus, amórque & studium prauitatis solidum nunquam extitit, vtcúmque sedem sibi inter peruersos finxissent, hoc est meditatam vitæ rationē inter eos statuissent) Hæc ille. Quod si electi, etiam antequam sint renati, semen quoddam Dei & pietatis in se retinent: quantò magis id censendum est de electis iam renatis? Si autem tale pietatis semen in eis semper residet: nunquam igitur totā voluntate in facinus aliquod, sicut impij, sese proiiciunt.

Item paulò pòst in vers.3. ait, Electos in solo cœlesti plantatos esse, vbi eos diuini spiritus succus nunquam deficit: tantum ille. Succus spiritus præsertim in voluntate residet. Quomodo igitur sancti possunt totā voluntate peccare, hoc est, à Deo recedere?

Quod si fortè Bucerum reiicere velis, & dicere eum fuisse hominem: reiicies, cedo, Lutherum? Is Tomo 5. in commentario maiori in Epist. ad Galatas cap.5. in ea verba, *Manifesta sunt opera carnis*: fol.422. loquens de discrimine Piorū & Impiorum in peccando, præter alia, hæc de piis scribit: (Imò quandoque etiam accidit, vt sancti labantur & desideria ipsius carnis perficiant, sicut Dauid grandi & horribili lapsu cecidit in adulterium, item autor fuit cædis multorum, dum volebat Vriam in acie perire: eáque re hostibus etiam occasionem dedit gloriandi contra populum Dei, adorandi idolum suum, & blasphemandi Deum Israel. Lapsus est horribiliter & Petrus, cùm negaret Christum. Sed quamlibet illā peccata grandia sint, tamen non ex contemtu Dei, aut destinata malitiā, sed ex infirmitate commissa sunt.) Hæc Lutherus. Deliberatio & malitia, vnde cōstat destinata, deliberatáque malitia, sunt in voluntate, & peccare ex destinata malitia est peccare tota voluntate, & ex contemtu verbi Dei. Si igitur sancti non peccant ex destinata malitia, neque ex contemtu Dei, sed ex infirmitate: manifestum est, sanctos non peccare totā voluntate.

Plura cùm volueris, adferam, modò animo Christiano &

no & veritatis cupido atque studioso audire velis. Mihi satis fuit in presentia, demonstrasse, te vehementer falli, & arroganter pronuntiasse, cùm in fine istius tuæ orationis scripsisti, & distinctionem de duplice homine in Renatis, & doctrinam, quod renati cum peccant, non peccent tota voluntate, falsam esse atque portentosam. Precor autem Dominum, vt auferat à te cor lapideum, & det cor carneum, tibique aperiat mentem, vt melius posthac intelligas scripturas. Nunc ad alteram tuam orationem accedo.

CAPVT VI.

HIERON. ZANCHII AD alteram Doct. Marbachij orationem responsio.

Insanirem profectò tecum Marbachi, si vel ad singula istius alterius tuæ contumeliosissimæ orationis verba responderem, vel dicta in me, retorquere in te, vellem, conuitia. Forem etiam reuera talis, qualem me esse, in tua oratione falsò scribis, homo scilicet infamis & bonorum virorũ amicitia indignus, si ad tam mul as & tã graues tuas in me calumnias, nihil responderem. Vtrũque enim sapientissime à Salomone ductũ fuit, *&*. [Ne responde stulto iuxta stultitiam suam, ne & tu similis ei fias: *&*, Responde stulto iuxta stultitiam suã, ne sapiens in oculis suis esse videatur.] Ergo vt vtrumque incommodum euitem, & respondebo tibi & non respondebo: respondebo, modestè & breuiter, ad ea quæ necessario à me postulant responsionem: non respondebo aut conuitia retorquendo, aut singula verba refellendo. Age igitur videamus tuam orationem.

D. IOAN. MARBACHII responsio & confutatio orationis Zanchii, habitæ ab ipso in Capitulo 7. Martii, Anno M.D.LXI.

Marbachij oratio.

Reuerendi viri & Domini collegæ colendissimi. Cùm Zanchij prolixam orationem legi, quam in collegio Thomensi, in frequenti vestro consessu habuit, in mentem mihi venit Sapientis illius dictum celebre: Locutum esse nocuit, tacuisse nunquam. *Etsi enim mihi in duobus præcipuè articulis à principio statim sui ad nos aduentus, nunquam cum eo conuenit, videlicet de Eucharistiæ Sacramento, & de doctrina prædestinationis: eam tamen huiusque de ipso semper habui opinionem esse hominem sicut doctum & eruditum: ita quoque bonum, ingenuum & veracem: & propterea etiam mea amicitia & beneuolentia dignum: qui vtcunque statim initio ita exactè in omnibus mecum & doctrina huius Argentinensis Ecclesiæ non consentiret: fieri tamen posse sperabam, vt successu temporis mea & aliorum huius Scholæ & Ecclesiæ doctorum virorum consuetudine & sermonibus familiaribus vsus, totus noster redderetur. Itaque libenter eum in album amicorum meorum recepi, atque hoc toto octennio quo nobiscum vixit, liberaliter omnia amicitiæ iura & officia, quæ quidem ab amico sperari possunt præstiti, multa interdum dissimulando & condonando, quæ me ab illa cœpta amicitia & familiaritate alienum facere non immeritò potuissent. Non nocuit igitur Zanchio tacuisse. Nunc verò in hac garrula sua oratione, multa loquendo, ita animum suum aperit, & seipsum prodit, vt facilè appareat, vanum & mendacem esse hominem, & bonorum virorum amicitia indignissimum, id quod nunc hac mea vera & simplici responsione perspicuè demonstrabo.*

ZANCHII RESP.

Principiò vt bonus orator, præmittis tuæ orationi prologum. In eo tria sunt præcipuè capita notanda. I. Ais: quamdiu tacui, profuisse mihi tacuisse: cum primùm cœpi loqui, id mihi nocuisse, iuxta dictum sapientis: *Locutum esse, nocuit: tacuisse, nunquam.* Hoc caput non refuto, sed verũ esse, dico: Et illud Sapientis dictum, confirmo alterius sapientis dicto. *Veritas odium parit*, scilicet apud malos: & illo Apostoli, [Verum dicens vobis, factus sum vobis inimicus: *& illo Christi*, Mundus me odit quia testimonium perhibeo de illo quod opera eius mala sint.] Imò vt omnes melius intelligant, quàm verum sit tuum dictum: Ego illud declaro. Sensus illius dicti est: Si Zanchius nõ fuisset locutus, hoc est, si non significasset D. Sturmio, librũ Heshusij, plenum contumeliis atque calumniis: quem Ego pro mea autoritate: licet cõtra decretum Senatus dederam imprimendum, esse sub prœlo: Deinde si non locutus fuisset: hoc est, si non se & doctrinam de Perseuerantia, in Schola defendisset: Si non locutus fuisset, hoc est, si non dixisset mihi in faciem in hypocausto D. Sturmij, se nolle colere amicitiam cum homine qui impugnaret apertum Dei verbum: Si denique locutus non fuisset hoc est, non habuisset hanc orationem, in qua exorsus à sua vocatione, quæcũq. e hactenus inter nos gesta sunt, fideliter narrat, ex qua narratione, appareret illius innocentia & mea iniquitas. Zanchius adhuc sua frueretur quiete: adhuc me & pastores haberet amicos: adhuc deque omnia haberet secunda. Sed quia locutus est: Ego non fecam cum ampliùs in Capitulo: in Schola: in vrbe: Ego alienabo animos omnium pastorum & ciuiũ ab illo Ego efficiã, vt traducatur per totam vrbem & per Germaniam, tanquã hæreticus. Ego curabo, vt omnes eius vitent consortiũ, vt tandẽ vel à Dominis vrbe pellatur: vel ipse diuturnis molestiis affectus, sponte discedat, atque ita discat, quid sit D. Marbachio vlla in re vel dictis vel factis repugnare, & aliquid contra cum loqui. Annon hic est sensus tui dicti, D. Marbachi.

Alterum caput tui exordij, est, quod ais, (Mihi in duobus præcipuè articulis, à principio statim sui ad nos aduentus, nunquam cum eo conuenit de Eucharistiæ sacramento & de doctrina Prædestinationis.) At quomodo hæc conueniunt cum illis, quæ in altera tua oratione, in responsione ad secundam meam conclusionem scripta reliquisti? Ibi enim ais: Initiò cùm huc veni, non fuisse inter nos de Prædestinatione cõtrouersiã nisi hãc quæ est de modo, quo quis debeat (agnosce tua verba) vt, si velit fieri certus vel de sua vel alterius Prædestinatione, vtrùm à priori sit hoc colligendum, hoc est, ab occulta illa & æterna Dei voluntate, an verò a posteriori, hoc est, à reuelata & manifesta Dei voluntate, quæ per Euangelij verbum, palàm omnibus annunciatur. Nam si tantùm fuit quæstio, vt ibi scribis, de modo, quo vtendum sit in inuestiganda nostri Prædestinatione; certo consequitur, de doctrina igitur ipsa Prædestinationis nullam fuisse inter nos controuersiã, nempe, An Deus quosdam elegerit ad participationem salutis, quosdã reiecerit, ac proinde, an sit certus numerus Electorũ & certus reproborum, an causa Electionis & reprobationis efficiens, sit Dei voluntas, an vero & opera nostra præuisa, An reprobi possint fieri electi, & electi reprobi, & ideò an illi possint saluari, & hi damnari. hæc enim sunt præcipua capita doctrinæ de Prædestinatione. Sic igitur hoc tantùm quærebatur inter nos, vt ais in priore oratione, qua via vtendũ sit, si quis velit de sui aut alterius Prædestinatione fieri certior, viâne à posteriori, an viã à priori: Quis non videat consequi, in reliquis igitur quæstionib. omnib. de Prædestinatione, D. Marbachium à Zanchio minimè dissensisse? Quod cùm ita sit, quomodo igitur ais hic, à principio mei aduetus te nũquam in articulo de prædestinatione, mecũ consensisse? Verùm autem oratio illa mea, iusta fuerit causa, quamobrem amicitiam 8. annorum in tantum mei mutaueris odium, vt me indignum amicitiã bonorum virorum appelles, iudicandum relinquo iis qui meam orationem legerint.

Tertium caput tui exordij, est propositio totius orationis, ea autem hæc est, Zanchium vanum esse & mendacem hominem, bonorũmque virorum amicitiã indignissimum & hoc te istã vera & simplici tuã narratione perspicuè demõstraturum. Ad has & omnes alias criminationes atque conuitia, ego duo hæc tantùm respondeo. I. Memineris Marbachi, quid scribas & quid promittas. II. Memineris etiam, de quibus me accuses, quæque in me scribas, ista omnia ita tibi esse probanda, vt nisi liquidò ea demonstres, tu ipse in eam incurras infamiam, qua me conaris traducere, ac te pro tali honorandum esse, iuxta ius Gentiũ, qualẽ me prædicas, donec omnia probaueris. Atque hæc esto responsio generalis ad omnes tuas calumnias atque conuitia, neque enim aliud ad ea debes à me deinceps, respõsum exspectare. Tantùm mihi respondendum erit ad argumenta, quibus iactas te demonstraturum, me esse mendacem, vanum, indignissimum amicitia bonorum viro-

eam vocas Zvvinglianam, & Caluinianam, nec adhuc potuisti adduci, vt has admitteres confessiones, & illos Commentarios Buceri, quibus si subscriberes mox totum sublatum esset dissidium. Quomodo igitur tam confidenter scribis, te doctrinam quam hic tecum docuit Bucerus & Martyr, antequam irent in Angliam, nulla facta prorsus mutatione, annos duodecim constanter retinuisse.

Est etiam mirabile, quòd citas testem totam Ecclesiã Argentinensem. Ego certè permultos senes & intelligentes, qui Bucerum audierunt, & intus atque in cute eum nouerunt, audiui, qui longè diuersum testantur. Sunt multò plures, qui si interrogentur, aliter pronuntiabunt, quàm tu iactas & gloriaris. Sed quid opus est testibus? Libri Buceri exstant: libri Capitonis exstant: scripta Hedionis exstant.

Quæ verò narras de commendata tibi doctrina à Bucero in præsentia plusquam trecentorum fratrum, ego non intelligo: alij hæc norunt, etiam ex collegis nonnulli. Illi tibi respondebunt, si volueris audire.

Voluntatem Magistratus esse, vt quæ à 25. annis proposita fuit in Schola & Ecclesia doctrina, retineatur, credo & laudo. Et quid ego aliud contendo? Sed in Hypothesi est controuersia. Tu contendis doctrinam quam docui, de Prædestinatione & de Perseuerantia, adde etiam, si vis, sententiam meam de cœna: corpus Domini non manducari, nisi a fidelibus, & fide tantùm: non esse doctrinam quæ à 25. annis fuerit hic tradita. Contrà ego contendo eandem esse. Quomodo hoc cognoscetur? Veniatur ad colloquium. Proferantur libri Buceri etiam post cõcordiam scripti: proferantur Confessiones & Apologia huius vrbis. Proferantur multa scripta Capitonis, Hedionis. Quà meliori potest ratione hæc controuersia hypothesis cognosci, quàm inspectione horum commentariorum & scriptorum? Si doctrinam quam impugnas, in iis libris demonstrauero: facile quisque concludere poterit, vter iuxta voluntatem Magistratus doceat: Tu, an ego. Ad colloquium, ad colloquium Domine Marbachi, & finis tandem imponetur controuersiæ. Sed tu facis mirabiles consequentias, non probatis præmissis. Ecce tuum syllogismum. Vt certissimus pronuncio, hanc esse mentem & voluntatem Scholarcharum, loco & nomine Magistratus, quod eam saltem (pro tantùm) doctrinam & nullam aliam, in Schola & Ecclesia retineri velint, quæ nunc continuis 25. annis magno consensu cùm ab Ecclesiæ ministris tùm à Scholæ doctoribus, publicè proposita & explicata fuit. Vnde consequitur, nisi Zanchius literis Dominorum Scholarcharum ad se scriptis, probarit contrarium, quod seipsum deceperit, & falsum ex illis collegerit. Agnoscis tua verba? Et est enthymema, in cuius antecedente continetur maior & minor. Ego redigam in syllogismum: Maior hæc est. Voluntas Scholarcharum & Senatus est, vt ea tantùm doctrina in Schola & Ecclesia retineatur, quæ annis ab hinc viginti quinque (tempore scilicet Buceri, Capitonis, & reliquorum) fuit hic magno consensu ab Ecclesiæ ministris & Scholæ doctoribus, publicè proposita & explicata Hanc ego propositionem admitto, laudo & probo: imò hoc est quod ego contendo, vt scilicet retineatur doctrina, quæ annis abhinc viginti quinque fuit hic tradita. Sequitur minor. Atqui doctrina quam ego Doctor Marbachius, & alij mei consymmistæ docemus, & quæ contraria est doctrinæ Zanchij, est doctrina quã hic abhinc annis viginti quinque continuis, magno consensu proposuerunt ministri Ecclesiæ & Doctores Scholæ. Hanc, Marbachi, nego. Et hoc est quod controuertitur. Nego, inquam, continuatam esse à vobis doctrinam illam quæ annis abhinc viginti quinque fuit hic tradita ab Ecclesiæ ministris & Scholæ doctoribus, de Prædestinatione, de Perseuerantia, de cœna Domini. Contendo autem meam quã vos vt nouam & hæreticam damnastis, eandem esse, quam annis ab hinc viginti quinque docuit Bucerus & alii Symmistæ, quibus cũ cõiunctus erat Martyr & scriptam atque impressam hic Argentinæ reliquit. Hoc ego probabo ex scriptis Buceri. Sequitur tua conclusio. Ergo Zanchius se ipsum decepit, & falsum collegit ex literis Dominorum Scholarcharum. Id quod apertum est, nisi demonstrarit contrarium. Rogo lectores omnes, vt diligenter considerent connexionem huius conclusionis cum præmissis. Quid, obsecro te D. Marbachi, collegi ex literis Dominorum Scholarcharũ? nihil aliud profectò reipsa, quam id quod tu habes in maiori propositione tui syllogismi, quanquam verbis aliquot diuersis. Quid collegi ego ex libris Dominorum Scholarcharum? Volo vt dicas tu ipse Marbachi. In præcedenti pagina tuæ huius orationis, sic habes ad verbum: [Deinde verò mentionem facit, *scilicet Zanchius* literarum Dominorum Scholarcharum, ex quibus multa collegit. Primum, se vocatum esse, vt eandem hic profiteretur doctrinam, quam D. Bucerus & Martyr professi fuerant. Alterum, mentem & voluntatem esse hanc Magistratus, vt doctrina Buceri & Martyris, in hac nostra vrbe & Schola retineatur.] Quid tu in maiore propositione? Pronũtio, inquis hanc esse mentem & voluntatem Scholarcharũ, loco & nomine Senatus, quod eam saltem doctrinam & nullam aliam, in Schola & Ecclesia retineri velint, quàm quæ nunc continuis annis 25. magno consensu, cùm ab Ecclesiæ ministris, tùm à Scholæ doctoribus, publicè proposita, & explicata fuit, hoc est, quæ annis abhinc 25. tradita fuit in hac Ecclesia & Schola. Nã illa particula Cõtinuis, continet minorem propositionem: Continuatam scilicet fuisse illam doctrinam per vos. Nunc Ego assumo Marbachi: Atqui doctrina quæ fuit hic tradita annis abhinc 25. est illa, quam docuit Bucerus tunc, Capito, Martyr & alij. Erant enim hic illo tẽpore isti pij doctores. hoc tu non negas. Ergo mens Scholarcharum & Senatus fuit & est vt doctrina Buceri & Martyris, in hac vrbe retineatur. Hæc autem mea conclusio, seu collectio ex literis Dominorum Scholarcharũ, est idem quod tua propositio maior. Quid igitur ais me meipsũ decepisse, & falsum ex literis Dominorũ Scholarcharum collegisse? Noli mihi obsecro, D. Marbachi, irasci, quod tuas orationes diligenter examinem: debes potiùs amare, quod te tanto honore afficiam, vt tuas orationes iudicem meo commentario dignas. Irascere tibi ipse, qui & nimiùm permiseris te ab affectibus tuis extra limites officij tui pertrahi: & parùm considerate has tuas scripseris orationes.

Nisi, inquis, probet contrarium, seipsum decipit. Ego nõ probo contrarium, sed idem dico quod tu: Hanc esse voluntatem Senatus, vt retineatur doctrina, quæ fuit hic tradita annis abhinc 25. hoc est, Buceri & aliorum tùm temporis in Schola Doctorum, Ergo non me ipse decipio, nisi & tu in maiore propositione decipiaris.

MARBACH.

IDem dico de libertate atque licẽtia & sibi & Martyri cõcessa, interpretandi scilicet pro ipsorũmet proprio arbitrio & iudicio sacrã scripturã. Nisi enim & hic literas Dominorum Scholarcharum protulerit, in quibus hoc tantum priuilegiũ cõtineatur expressè, nemo credet, cùm manifesti mẽdacij propriam ipsius chirographum Dominis Scholarchis datum, eũ redarguat, & cõuincat. Quòd si enim Domino Petro Martyri tãto viro, etiã post suũ ex Anglia rediũ ad nos hac libertas, quã sibi Zãchius somniat, denegata fuit, & suã fidẽ Dominis Scholarchis propriã syngraphia adstringere, & se obligare necesse habuit, videlicet quòd secundùm Augustanã Confessionẽ docturus esset in Schola nostra, neque cõtentiones aut vllas lites moturus, &c. quo igitur iure eã sibi Zãchius arrogat: aut quid frustrà & falsò tã superbè in hac sua orarione iactat & gloriatur sibi eandẽ libertatẽ cõcessam esse à Dominis Scholarchis, quã & Domino Petro Martyri? Verùm vt videatur, qua libertas à Dominis Scholarchis Domino Petro Martyri permissa fuerit, qua in interpretãdis S. literis vti debeat, adscribã ex meo Diario hic exẽplum obligationis & chirographi, quod ex Anglia reuersus Petrus Martyr Dominis Scholarchis exhibuit, idque antequam in Schola legere cœpit. Illud verò tale est.

Clarissimis atq; magnificis Dominis Scholarchis Argentinẽsis gymnasij, Dominis meis colẽdissimis gratiã & pacẽ à Deo patre, per Iesum Christum Dominum nostrum, Quandoquidem scrupulus iniectus est de re sacramentaria, timẽntque huius Ecclesiæ ministri, ne per me aliquæ contentiones in ea causa oriantur: Ideò visum est, quæ ante aliquot dies coram vobis affirmaui, nunc eadẽ scripto repetere: Primũ, Confessionem Augustanam & alias, quę ab ea non discrepant, si rectè ac-

que commodè intelliguntur, me libenter amplecti profiteri, & si opus fuerit, velle pro viribus tueri. Deinde, per me nullas contentiones aut lites excitatum iri, imò si locus aliquis pertractandus in diuinis literis, aut quæpiam alia necessitas requisierit, vt circa huiusmodi quæstionem meâ sententiâ explicem, id me facturum cum omni modestia, & citra cuiusquam nostrorum fratrum amaram insectationem, recipio. Quæ verò mea sententia sit, ex libellis iam editis facilè intelligi potest: quibus hoc meo scripto seu promisso nil detractum seu immutatum volo, quoad per scripturas diuinas edoctus, aliter esse cognouerim. Deus autem, qui pacis est autor, det nobis tandem, vt aliquando omnes idem & dicamus & sentiamus: idémque vobis Dominis meis colendissimis, pro clementia & bonitate, quam in me declaratis, per Dominum nostrum Iesum Christum perpetuò sit propitius. Benè valete. vigesimo octauo Decembris, Anno 1553. Argentinæ.

Vestris Domi. in Christ. addictiss.
Petrus Martyr.

ZANCHII RESP.

TV hîc etiam conaris probare, Marbachi, me hominem esse mēdacem, eò quod dixi, Me ex literis Dominorum Scholarcharum collegisse, eandem mihi libertatem concedi in interpretandis S. literis quæ & Petro Martyri fuerat concessa ante me. Hoc satis inde probaui, quia in literis Dominorum Scholarcharum erat & est: Se gratulari mihi, quod non recuse m secū viuere, ea qua etiam Petrus Martyr hîc vixerat conditione: Se itaque mihi eam functionem committere. Quādiu autem hîc fuerat Petrus Martyr cum Bucero, liberum ei fuit interpretari sacras literas pro suo iudicio: modò nihil contra analogiam fidei, & quod pugnet cū sacris literis, doceret, hoc manifestum est toti ciuitati. Annon igitur benè conclusi eandem mihi libertatem concessam fuisse? quid expressius? At tu Marbachi quid hîc ais: Non esse scilicet credendum, quod dico de libertate mihi concessa, nisi literas Dominorum Scholarcharum protulero, in quibus hoc priuilegium contineatur expressè? Quæ retuli verba ex literis Scholarcharum, expressa sunt & apertissima.

Quod subieci de libertate Martyris tunc temporis, manifestissimum est. Neque enim vllo chirographo se obstrinxerat ad vllam docendi formam. Annon igitur satis expressè è literis Dominorum Scholarcharū conclusi, libertatem mihi fuisse concessam interpretādi Sacras literas pro meo iudicio: modo ne quid docerē contra analogiā fidei & sacras literas? Sed tu hanc postremam particulam, astutè omisisti: quæ tamen expressa est in mea oratione.

Nunc videamus, quā ratione probes, mihi non esse credendum in eo, quod retuli de libertate in literis Dominorum Scholarcharum mihi concessa. Zanchius suo proprio chirographo, Dominis Scholarchis dato, subscripsit Confessioni Augustanæ orthodoxè intellectæ, & promisit, se nihil quod cum ea pugnet, in Schola nostra docturum: idque fecit anno vno post suum ad nos aduentum elapso. Ergo quod ait, se antequam huc venisset, ex literis Dominorum Scholarcharum collegisse, sibi eandem libertatem, quam & D. Martyr anteà habuerat, in hac Schola docendi, Scripturásque pro suo iudicio interpretandi, modò ne quidpiam doceat cōtra analogiam fidei & sacras literas, manifesti mēdacij à suo proprio chirographo conuincitur. O acutum enthymema: Chirographum datum anno post meū aduētum, conuincit me mēdacij ante meum aduentum. Antecedens continet, quomodo interpretatus fuerim literas Dominorum Scholarcharum, antequā huc venissem: sequens est de chirographo dato post annum vnum. Si saltem dixisses, conuinci me falsæ interpretationis, fuisset tolerabilior consequentia. Sed quàm ineptè concludas, me conuictum esse mendacij, etiam pueri possunt videre.

Eandem redolet dialecticam confirmatio quę sequitur à maiori ad minus. Petro Martyri tanto viro, post suum ex Anglia reditum, denegata fuit hæc libertas: Conuincitur ergo Zanchius mendacii, qui ait, se ex literis Dominorum Scholarcharū collegisse, sibi concedi hanc libertatem. Quid hoc ad illud? Quòd ais denegatam fuisse, malè loqueris. Non enim denegatur, nisi quod petitur. Martyr autem nihil petiit, sed petitum ab eo potiùs fuit, vt si vellet denuò hîc profiteri, subscriberet August. Confessioni. id quod fecit bonâ conscientiâ: quia videbat, illam si rectè intelligatur, non pugnare cum sacris literis: neque etiam in articulo de Cœna, cum suis libris. P. Martyris doctrina.

Cæterùm quod ita delecteris subinde & mihi meum, & Martyri suum chirographum obiicere: satis liquidò declaras, cuius sis ingenij.

MARBACH.

HVic compromisso, D. Petrus qua est integritate & fide praditus, postea etiam constanter satisfecit: vt in omnibus & lectionibus & disputationibus nihil ab ipso auditum aut animaduersum fuerit, quod vero nostro consensui in doctrina aduersaretur. Itaque etiam vt collega & frater, carus & dilectus fuit, cùm mihi, tū reliquis Schola & Ecclesia praceptoribus atque ministris omnib.

ZANCHII RESP.

QVæcunque hic de D. Petro Martyre, viro nunquā satis laudato, scribis, nemo non videt, eo animo à te scripta fuisse vt me magis in inuidiam atque odium apud omnes adduceres. Sed maximas tibi habeo gratias quòd tanto viro tale des testimonium, quo me etiam ab omni crimine & nouitatis & hæreseos absoluis: ac proinde iniuria me à te & tuis fuisse damnatum, traductum, infamatum. Nam si ab illo, vt hîc apertè scribis, in omnibus & lectionibus & disputationibus, nihil vnquam auditum fuit, quod vero vestro consensui in doctrina aduersaretur: Cur ergo damnastis me, tanquā hominem qui non consentienter vobiscum docuerim in doctrina de Prædestinatione, de voluntate Dei arcana & reuelata, de diuinis promissionibus: de fide Sanctorum, de peccato, & aliis? Annon hæc eadem docuit Martyr, cùm hic vobiscum esset? Si nescis, lege eius cōmentarios in librum Iudicum, & videbis. Illi enim commentarij sunt lectiones quas hic habuit per illud tempus. Annon hæc præter alia disputauit publicè & defendit: te etiam, si rectè memini, præsente & audiente & argumentante?

Thesis V.

Voluntate Dei patefacta in lege, Deus peccatum, qua defectus est à rectitudine, minimè vult, cùm illud & prohibeat, & se puniturum comminetur.

Thesis VI.

Arcana tamen voluntate, qua omnia qua sunt, & sustinet & mouet, non est dicendus omninò peccatum nolle, cùm illud permittat.

Thesis VII.

Neque solùm permittit, sed illud in animis hominum absconditum, profert in lucem, gubernat, regit, & moderatur variis modis pro sua bonitate atque prudentia, eóque abutitur ad suam clementiam & iustitiam declarandā. P. Martyr in de cœna.

Quid ille de cœna? Lege in libro Iudicum, cap. 18 fol. 132. ad calcem. *Quibus addas eos etiā, inquit, qui credunt Christo, & certò sibi persuadent, eum sua causa esse, mortuum, & comedere carnem Christi & eius bibere sanguinem, ad quem vsum symbola, dum sensum excitant, plurimùm conferunt: Non quod caro Christi & sanguis in panem & vinum infundantur, aut elementis illis aliquomodo concludantur, sed quod res illa verâ fide à credentibus percipiantur. Sunt enim inuisibilis alimonia, qua mēte solùm capitur, vt Augustinus fideliter monuit, Quid*, inquiens, *paras dentem & ventrem? Crede & manducasti.*

Cur nunc eandem doctrinam in me, vt hæreticam, damnas: in Petro verò Martyre, ais, non aduersari vero vestro consensui? Annon etiam quæcunque in Schola disputaui, ipse semper post argumentationes, ad extremum probabat? Disputaui autem quæcunque nunc in me damnatis, de Prædestinatione, de Perseuerantia, de peccatis sanctorum, de promissionibus & cæteris. Si igitur verum est quod hîc dicis de Martyre: consequitur, quæcunque docui & disputaui, dum hic ille fuit, non aduersari vero vestro consensui in doctrina, multò verò minùs esse hæretica. Quare quòd ea in me dānas, quæ probas in Martyre, apparet, te in hoc dissidio, nō a conscien-

scientia, propter doctrinam, sed ab odio, propter personam, adductum fuisse. Tu es igitur commiseratione dignus, quod odio vnius personæ, in tot absurda cecideris.

MARBACH.

Hvivs viri modestiam, & pacis atque cōcordiæ studium, si Zanchius tamquam conterranei sui, imitatus fuisset hactenus, nulla nunc turba: nulla inter nos exstitissent simultates atque inimicitiæ: sed summa potiùs animorum beneuolentia coniunctióque, quàm rectè & à me & à reliquis omnibus Ecclesiæ ministris, sinceriter sibi exhibitam esse, satis longo tempore est expertus. Quod igitur eandem nunc quietem, quam aliquando D. Martyr hic habuit, consequi non potest, non est, vt eius accuset Dominos Scholarchas, ac si non starent promissis: aut etiam quod de nobis conqueratur, quod illi molesti simus, & pacem atque tranquillitatem, quâ continuis nunc octo annis vsus est, nostra vexatione, vt vocat, interturbemus: potius sibi ipsi irascatur, & cholera suæ, quod spreto exemplo modestiæ D. Petri, quod ad imitandum ei propositum fuerat, se intra metas & septa non continet: sed aduersus suum compromissum, excitatis turbis in Schola, falsa & monstrosa dogmata spargit, atque ea ratione & sibi ipsi & nobis omnibus negotium facessit.

ZANCHIVS.

Accvsas me immodestiæ, quando & propter quā causam? post octo annos à meo huc aduentu, idque propterea quod ausus fui librum Heshusij impedire, veritatem doctrinæ contra te fortiter defendere, tibique in faciem dicere, me non culturum amicitiam cum homine, qui impugnet apertum Dei verbum. Ergo mea immodestia est παῤῥησία, quæ cùm singulos Christianos decet, tùm præcipue veris ministris Christi necessaria est. Sed si quis velit cognoscere, vter modestior sit, Dominus Marbachius, an Zanchius legat vtriusque orationes. Studium vero concordiæ, sed in Domino, tam mihi curæ esse, quàm cuiuis alij, testis mihi est Dominus, testes collegæ, testis Schola, testis perpetuum meum ferè per annos octo de cœna Domini in Schola silentium: Testis denique tu ipse, si verum velis fateri, ex sermonibus nonnunquam inter nos habitis. Quod ais de inimicitiis, ex mea parte nullæ sunt, neminem odi, odi tantum vitia. Si tu alis contra me inimicitiam: purget Deus cor tuum.

Cæterum quomodo cohæreant hæc, quæ in iis paucis lineis scribis? Primùm ais, nunc esse inter nos simultates & inimicitias. Deinde ais, harum causam esse, quod non fuerim modestus & studiosus concordiæ, vt Petrus Martyr. Tertiò ais, tempore longo octo scilicet annorum, vt tu exponis, spatio, me expertum fuisse summam animorum coniunctionem & beneuolentiam, ac amicitiam, tùm à te, tùm à reliquis Ecclesiæ ministris. Si inimicitiarum causa est, quod non fuerim modestus & studiosus concordiæ; &, si verum est, per annos octo fuisse inter nos amicitiam, nunc vero primùm excitatas esse inimicitias; fateris igitur, antehac per annos octo me fuisse modestum & concordiæ studiosum: Sed nunc primùm cœpisse esse immodestum & concordiæ haud studiosum. Quod si hæc vera sunt: quomodo igitur doctrinam de Prædestinatione, quam de principio sępè inculcaui, nūc damnas? Hoc certè argumentum ex tuis verbis collectum, certissimum est; Causa inimicitiæ quæ est inter Zanchium & nos, fuit eius immodestia & neglectio concordiæ. Antehac per annos octo fuit inter nos concordia. Ergo per annos octo fuit Zanchius modestus & studiosus concordiæ.

Quòd verò non fruar nunc ista pace, non accuso Dominos Scholarchas, vt tu perstringis falsò & cum iniuria: sed te D. Marbachi, qui autor fuisti omnium istarum turbarum, sicuti tibi & in hypocausto Domini Sturmij Rectoris nostri, in faciem dixi.

Perpetuò, tamquam ex tripode, pronuncias, me docuisse dogmata monstrosa & falsa, & numquam probas: neque hucusque voluisti in arenam disputationis descendere. Sunt igitur tua ampullosa verba, vt pueri alicuius contemnenda.

MARBACH.

Iacto hoc fundamento (quod quàm arenosum & infirmum sit, scilicet ex meris opinionibus & mendaciis collectum, ex his quæ iam à me dicta sunt, facilè apparet) pergit Zanchius in hac sua oratione, historiam sui ad nos aduentus pertexere. Et à prima sua, quā habuit in Schola lectione, exorditur, in qua dicit se palàm protestatum esse, de sua libertate quâ vsurus esset in interpretatione sacrarum literarum, videlicet quod sibi ipsi permissus, liber ab omnium hominum verbis & interpretationibus, solius Spiritus sancti ductum secuturus, & Scripturam per Scripturam explicaturus sit quódque tunc huius suæ libertatis hanc attulerit causam, homines errare & labi posse: non autem Spiritum sanctum. Ergo Spiritum sanctum solùm sequendum esse, &c. Ex his posteà infert & concludit, quia huic ipsius lectioni, ego & D. Ludouicus Rhabus, cum aliis multis doctissimis viris interfuerimus, neque tamen facta ipsius protestationi contradixerimus: itaque perpetuo nostro silentio hanc nos ei libertatem cōcessisse. Qualis verò hac prima Zanchij lectio fuerit, & quid etiam doctissimi viri de ea iudicauerint, in mea responsione ad quartam illius conclusionem, proximè satis declaratum est.

ZANCHIVS.

Cvr tu hîc mea peruertis verba? Ibi quinque ego dixi, vt est videre in mea oratione. I. Me nihil alienum à verbo Dei allaturum in hanc Scholam. II. Me nolle in explicandis sacris scripturis adstrictum esse vllius hominis verbis, aut interpretationi. III. Quia Spiritus sanctus in sacris literis sibi consentit: non posse me meliùs facere, quàm si scripturam per scripturam exponerem. IV. Sequendum etiam esse ductum Spiritus sancti, quod sæpè paruulis & obiectis reuelat ea, quæ à magnis viris non potuerant intelligi. V. Et postremùm submittenda tamen esse omnia iudicio Ecclesiæ. Cur igitur falsando mea verba, addis particulam *Tantùm*, & ais: me secuturum esse *tantùm ductum Spiritus sancti*, item sequendum *tantùm esse ductum Spiritus sancti*, vt hac ratione facias me Enthusiastam & hominem qui omnium interpretum, ideóque & Lutheri commentarios contemnam atque damnem?

Egóne dixi, me velle liberum esse ab omnium hominū interpretationibus & verbis: Dixi, me nolle adstringi vllius hominis verbis & interpretationi. Sed quàm diuersum est hoc ab eo, quod tu falsò scribis, me dixisse, Deus faciat te meliorem.

MARBACH.

Hic tantùm ad allatam ab ipso causam, quare nullius hominis interpretationi adstrictus esse, & suo potiùs iudicio in explicatione sacræ Scripturæ inniti velit, paucis respondebo. Si ideò non vult esse adstrictus ad alicuius hominis interpretationem, quia falli & errare possunt: quare igitur se ad suum proprium iudiciū adstringit? Annon & ipse homo est, & iudicium ipsius humanū, & propterea æquè vt alij homines, etiam ipse cum suo iudicio, cui innititur in interpretatione Scripturæ S. falli & errare potest? Sed, inquit, sequor ductum Spiritus sancti, num putat, alios eundem Spiritus sancti ductum non sequi? an existimat, se solum Spiritum sanctū & ipsius præclara dona accepisse? Quasi verò ante ipsius ex Italia in hanc ciuitatem aduentum, Spiritu sancto carentes, in densissimis tenebris constituti, veritatem Christianæ religionis ignorauerimus, illámque primùm ab ipso tanquam Germaniæ Apostolo, acceperimus. Interim tamen insignem hominis impudentiam miror, quod gloriatur se nolle vllius hominis verbis aut interpretationi adstrictum esse: cū tamen in omnibus suis cùm lectionibus, tùm disputationibus, non tam verbum Dei, quàm Patrum & præcipuè scripta D. Buceri & Caluini & aliorum inculcat, imò cùm anteà de sua huc vocatione loquebatur, apertè iactarit, se à Dominis Scholarchis ad hoc vocatum & conductum esse, vt Buceri & Martyris doctrinam in Schola nostra retineat.

ZANCHIVS.

Refutaturus quod dixi, me nolle adstringi ad vllius hominis interpretationem: quod omnes homines

errare possint: *Quare igitur*, inquis, *se ad suum iudicium Zanchius adstringit? Annon & ipse homo est & iudicium ipsius humanum?* Deum immortalem, quali cum homine mihi negotium est! Promisisti initio tuæ orationis, Marbachi, te demonstraturum, me esse hominem vanum atque mendacem: & tu hoc facis mendaciis: fortasse existimas, sicut in medicamétis veneno venenum sæpe truditur & curatur: ita & mendacia mendaciis cô-uinci: sed falleris. Falsum verò tantùm refellitur: & mêdacium veritate conuincitur.

Tais: Me adstrinxisse meipsum ad meum proprium iudicium, & rationem cur id faciam, ais me hanc adferre: quod dicam me sequi ductum Spiritus sancti. O Doctor Marbachi, vbinam hæc vnquam dixi aut scripsi? imò in mea oratione quam hîc refutandam suscepisti, & vnde hæc, quæ modo de me scribis accepisse vis videri, & habentur hæc verba, vt paulò antè etiam recitaui: Adieci tamen: omnia submittenda esse Ecclesiæ iudicio: quod idem Paulus monet: cùm inquit, Duo aut tres loquantur: cæteri diiudicent. Hæc ibi. Cur igitur tu me falso accusas, quod me adstrinxerim ad meum iudiciũ? Cur ais, me dicere, me ideò niti meo iudicio, quia sequar ductum Spiritus sancti: cùm nihil tale vnquam aut dixerim aut scripserim?

Adfers deinde duas alias rationes: quibus conaris demonstrare, me esse hominem vanum & impudentem: eo quod dixi, me nolle esse adstrictum ad cuiuspiam hominis interpretationem. Prima est. Gloriatur Zanchius, se nolle esse adstrictum cuiuspiam hominis verbis aut interpretationi: & tamen in omnibus suis cùm lectionibus, tùm disputationibus, non tam verbum Dei, quam Patrum & præcipuè D. Buceri, Caluini, & aliorũ scripta inculcat. Egregia sanè ratiocinatio. Zanchius inculcat Patres & præcipuè scripta Buceri, Caluini, & aliorum. Ergo se adstrinxit ad hominum interpretationes. Quare est impudens, cum ait, se nolle esse adstrictum ad hominum verba. Negatur tua consequentia, Marbachi. Inculco enim Patres & doctrinam Buceri & aliorum, vbi sunt conformes Dei verbo & illorum interpretationes amplector, vbi video, esse eas ad analogiam fidei, non autem semper. Esse autem adstrictum aliquibus: est ita illos in omnibus & semper sequi, vt ab eis non liceat vnquam vel latum vnguem deflectere. Non sum igitur ego impudens: sed tu imperitus. Altera tua ratio. Zanchius aperte iactauit, se à Dominis Scholarchis vocatum ad hoc & conductũ, vt Buceri & Martyris doctrinam in Schola nostra retineat. Ergo impudens est, cùm ait, se nolle esse adstrictum. Responsio. Illud *Conductum*, addidisti de tuo, vt me facias mercenarium: sed non sum Mercenarius.

Quod de Buceri & Martyris doctrina dixi, intelligitur, non de eorum, sed de Dei per eos explicata doctrina. Consequentia igitur tua est inepta, vt ex antedictis manifestum est.

MARBACH.

Verùm vt liberè dicam & quod res est, non ita simpliciter Zanchius auersatur verba & interpretationem hominum, nisi vbi ipsius palatui non sapiũt: & se illorum videt & sentit sententiis & autoritate coherceri, vt suas speculationes seu opiniones monstrosas, Ecclesiæ tanquam verbum Dei, obtrudere non possit: talis est, Augustana Confessio, eiúsque Apologia simpliciter iuxta literam intellecta: item Doctoris Lutheri & aliorum Theologorum, qui cum ipso sentiunt, quos in hac vltima senecta mundi, ad instaurationem Ecclesiæ & doctrinæ Euangelij diuinitùs excitatos, vocatos, & mirabiliter adiutos & defensos esse, res ipsa testatur. Ad horum nimirum verba adstringi, nefas esse putat: horum autoritate coherceri & in officio contineri, recusat, vt qui illis longè excellentiori spiritu & dono interpretationis Scripturæ, præditus & exornatus sit, scilicet si credere fas est. Hoc suis Italis persuadeat. Nos Germani, tam faciles non sumus ad credendum cuiuis spiritui.

ZANCHIVS.

Deo sit laus, quod iam liberè, & vt res est, loquaris: me scilicet non ita hominum interpretationes auersari, quin illas etiam, vbi sapiunt palatui (vt tu ais, hoc est, palato) meo, amplectar. Tu hoc dicis irrisoriè & per contemtum. At quotus quisque est, qui aliquid recipiat, nisi priùs suo palato, hoc est, iudicio arrideat? Sed palata sunt diuersa. Alia sanorum & benè valentium: alia malè valentium, adde, quędam etiam phreneticorum. Nondum autem probasti, meum palatum esse hominis aut malè valentis aut phrenetici: vtrius verò palatum, tuum an méum, sit hominis malè valentis, & phrenetici, iudicent periti medici, ex hac præsenti controuersia doctrinæ de certo numero electorum & reproborum: &, electos non posse perire; ideóque necessariò saluari: reprobos verò nõ posse saluari, ideóque necessario damnari: & reprobos non posse fieri electos, neque electos fieri reprobos: item, electos semel vera fide donatos, non posse ampliùs à fide prorsùs excidere propter promissionem Dei, & intercessionem Christi, Deo in illis semen fidei semper conseruante. Eosdem etiam numquam peccare totâ voluntate & pleno consensu, seu ex animo; sed semper ex ignorantia aut infirmitate. Proinde Petrum cùm negauit Christum, non prorsùs amisisse fidem in Christum. item de Cœna, Corpus quidem CHRISTI in Cœna omnibus offerri: sed verè percipi & manducari à fidelibus, & fide tantùm. Tota inquam; hæc doctrina, minimè sapit palato Doctoris Marbachij: imo facit ei tantam nauseam, vt etiam hæreseos damnet. Contrà, ea sapit Zanchio. Nunc iudicent medici periti, vtrius palatum sit sanum aut malè affectum. Medici Marpurgenses, Heidelbergenses, Tigurini Basilienses, vt alios multos omittam, meum palatum iudicarunt esse sanum. Ergo improbari non potest, quod non admittam, nisi illa quæ meo palato sano, & erga verbum Dei benè affecto sapiunt.

Quod scribis de August Confessione, de scriptis Lutheri, & cæteris, videmus quò spectent, vt me adducas in inuidiam apud Germanos. sed sunt pueriles φλυαρίαι, ineptæque calumniæ. Multa dicis, nihil probas. Dixi & dico, Confessionem Augustanam mihi probari: modò orthodoxè intelligatur. Quid vis ampliùs?

Quod tu ais, *Simpliciter* & *iuxta literam intellecta*, nescis quid dicas. Si enim tu admittis Apologiam iuxta literam intellectã, in articulo de Cœna, tu es Papista Transsũbstantiator. Ibi enim apertè probatur mutatio Panis & Vini, in corpus & sanguinem Christi. In meo enim exemplari, quod impressum fuit VVitebergæ anno 31. habentur hæc verba: [Et comperimus, nõ tantùm Ecclesiam Romanam affirmare corporalem præsentiã Christi: sed idem etiam nunc sentire, & olim sensisse Gręcam Ecclesiam. Id enim testatur Canon Missę apud illos, in quo apertè orat sacerdos, vt mutato pane, ipsum corpus Christi fiat. Et Vulgarius, scriptor, vt nobis videtur, non stultus, disertè inquit: Panem non tantùm figuram esse, sed verè in carnem mutari.] *Hæc ibi.* Apologia Confessionis Augustanæ an iuxta literam sit intelligẽda.

At dices, Posteà fuerunt sublata. Quamobrem? quia impiam Transsubstantiationem probant. Ergo fateris, cùm primùm illa fuit composita & Cæsari exhibita: eam cum bonâ doctrinâ, aliquid etiam impiæ doctrinæ admixtum habuisse. fateris? negare non possum. Non fuit igitur tùm, fidelibus recipienda simpliciter ad literam; sed tantùm eâ conditione, quatenùs conformis erat verbo Dei.

At nunc, inquis, res aliter habet, quàm tunc. Est enim iam repurgata. Dic mihi, obsecro te D. Marbachi, antequam hæc particula de mutatione panis in corpus Christi, tolleretur, cùm in maxima esset veneratione apud omnes illa Confessio cum Apologia, vtporè recens exhibita Carolo in tantis comitiis: si tibi impositum fuisset hoc munus, eam scilicet Ecclesiis & singulis fidelibus proponendi, qui voluissent amplecti Confessionem Augustanam cum Apologia; sed cum hac moderatione: Quatenùs scilicet conformis est verbo Dei, & modo orthodoxè intelligatur: quid tu, inquam, dixisses? minimè, minimè; sed simpliciter & ad literam est intelligenda; & iuxta illam, ita simpliciter ad literam intellectam, credendum, docendum, prædicandum. Annon ita respondisses? mihi dubium nõ est. Et tamen fuisses turpiter hallucinatus, & impiè egisses, si voluisses conscientias piorum ad illam Apologiam simpliciter, & vt sonant verba, intellectam, obligare. Ergo etiam nunc potes hallucinari, quando ais, esse intelligendam simpliciter & iuxta literam: & ad eam ita intellectam, conscientiæ fidelium non sunt adstringendæ seu obligandæ.

Ad alias φλυαρίας non respondeo, quia indignæ sunt responsione.

MAR-

MARBACH.

DEINDE pergit in hac sua oratione, & inquit se postquam in Schola docere & disputare cœperit, animaduertisse apertè doctrinam D. Buceri, quam hic tradidit, magna ex parte ab hac Schola exsulare: maximè verò eam quæ est de prædestinatione seu salutis certitudine: itē de gratia & libero arbitrio. Vidisse enim se à quibusdam plus æquo stabiliri liberum arbitrium, &c. Hæc ficta & impudentissima Zanchij mendacia esse constanter affirmo, quibus & publicum Ecclesiæ nostræ ministeriū & hanc nostram Scholā deformare conatur. Nunquam enim sicut ab Ecclesia, ita etiam Schola nostra exsulauit doctrina Buceri vera. Loquor autē cum distinctione de illa Buceri doctrina quam post factam retractationē vnà nobiscum, antequam in Angliam profectus est multis annis docuit, & præsertim de Prædestinatione & salutis nostræ certitudine: Verissimum est, quod aliter non docuerit, nec scripserit, quàm à vocatione ipsa, hoc est, à verbo Dei, & promissionibus Euangelij, incipiendum esse, & vnumquemque de Prædestinatione & salute sua, non à priori, sed à posteriori, à fide nimirùm in Christū, in verbo prædicato, & vsu Sacramentorum nobis exhibitum, statuere & pronunciare debere. Si loquitur Zanchius de scriptis Buceri ante factam retractationem, illa, nisi quatenùs cū posteriori, quam nobiscum professus est, doctrina consentiant, apertè dicimus nos non recipere: quemadmodum ipse Bucerus in suis retractationibus ea aliter legi & intelligi non vult. Illud verò nouum mihi est, & antehac non auditum crimen quod mihi & meis consymmystis Zanchius obijcit, de gratia & libero arbitrio, quod plus æquo liberū arbitriū stabiliamus. Per Gratiā, absque dubio intelligit articulū Iustificationis. De vtroque verò articulo, nostram hic doctrinam, & Confessionem adscribere, nimis certè longum foret: Præsertim cū illa in publicis nostræ & aliarum coniunctarum Ecclesiarum confessionibus perspicuè & clarè tradita sit, & præterea vnà mecum omnes hic ministri magna constantia, in singulis quasi concionibus diligentissimè auditores nostros ex verbo Domini de vtroque articulo erudiamus. Si quid igitur in hac nostra doctrina reprehendit, oportebat sanè hic expressè esse positum. Nos enim obiectum crimen non agnoscimus. Neque enim conscij nobis simus de vtroque articulo vnquam nos aliquid docuisse quod verbo Dei non consentiat. Et ad satisfactionem de his & alijs Christianæ religionis articulis, sicut Zanchio, ita omnibus hominibus nos offerimus. Quod opus igitur erat huiusmodi confictis criminibus nos nostrūmque ministerium grauare? Sed hæc oportebat Zanchium causam prætendere, propter quam nunc toto octēnio dictandis locis communibus immoratus fuerit. Præclarum scilicet opus! quod cùm aliquando in publicū prodibit, nouitate & absurditate opinionum, non immeritò Zanchica Theologia vocabitur, vt quæ vberrimā otiosis & curiosis ingeniis rixādi, cōtendendique materiā suppeditabit. Quod verò præterea dicit, se non iam primùm hanc suam de Prædestinatione seu de electorum perseuerantia doctrinam in Schola nostra proposuisse, sed statim ab initio in primi Psalmi interpretatione: hoc quam bene & candidè ab ipso factum sit, in mea responsione ad quintam eius conclusionē ostendi. Magna perfidia est, contra datam fidē Anabaptisticum dogma publicè condemnatū, renouare: & tamē ille bonus vir de tanto scelere, tanquam de re benè gesta, adhuc gloriatur. Cæterùm historiam, quam etiam huic suæ orationi inseruit, de quibus rebus cum ipso priuatim contulerim, quomodo cōuenerit, & quibus tandem cōditionibus nobis mutuò beneuolentiam animorū fraternitatem, & amicitiæ officia promiserimus, in mea responsione ad tertiam ipsius conclusionem, bona fide recensui, neque Zanchius contrarium probare poterit.

ZANCHIVS.

ITERVM audacter pronuncias, ficta & mendacia esse quæ dixi: doctrinam Buceri de Prædestinatione, de certitudine salutis, de libero arbitrio & gratia, magna ex parte ab hac Schola exsulasse cùm huc veni. Si hæc sunt mendacia & à me ficta: quid igitur est, quod me iis in articulis vt hæreticum damnatis? Tuas monstrosas opiniones & hæreses damnamus: non Buceri doctrinam. At tibi & aliis collegis in Capitulo dixi non semel: Si, quæcumque fateor me in Schola de iis articulis docuisse, non demonstrauero è scriptis Buceri permultis, volo dare quascunque volueris pœnas, Ita Sanè. Sed fortè ex scriptis Buceri ante concordiam & Retractationes. Ego verò dico, ex scriptis post retractationem, & quibus etiam præfixa est Epistola de Retractatione. Quid vis ampliùs? Sed vide quantum tibi velim concedere Marbachi, subscribe illis quæ Bucerus post Retractationes scripsit, idque etiam in Germania: & tunc sum contentus dicere falsum esse quod dixeram, doctrinam Buceri de iis articulis ab hac Schola exsulare. Ita non opus est, vt ad singula quæ hac de re scribis, respondeam.

MARBACH.

ILlud verò impudens est mendacium ipsius, cùm inquit, in nostra amica collatione, eum animaduertisse, Me corporis Christi vbiquitatem ponere. Producat, si potest, vel vnum testem, qui me disserentem de sacramentaria audiuerit vel publicè in Schola & Ecclesia, vel priuatim in colloquiis familiaribus, affirmare corporis Christi vbiquitatem. Imò illo adhuc tempore, scilicet ante octenniū, hæc de vbiquitate quæstio, nondum mota fuit, ideòque mihi planè ignota fuit. Constat autem, eam aliquot annis post hanc nostram collationem, agitari cœpisse ab Hamburgensibus cùm certamen hoc sacramentarium inter Caluinum & VVestphalum renouatum est. Adeò vero hæc de vbiquitate disputatio mihi displicuit, vt ad integerrimum & piissimum virum D. Martinum Fabrum fratrē meum colendissimum, qui tunc temporis in Frisia Ecclesia agebat ministrum, satis prolixas literas scripserim, quibus eum rogabam, vt tanquam vicinus hortaretur Hamburgenses, ne istā intempestiuā disputatione de vbiquitate corporis Christi, controuersiam de Sacramento Eucharistiæ magis adhuc inuoluerent. Habere nos longè firmiora argumenta, quibus veritas nostræ sententiæ & doctrinæ comprobari possit: nihil opus esse: ad hanc nouam quæstionem, quæ antiquitati ignota esset, confugere. Quā igitur fronte Zanchius hæc in me confingere audet? Vbiquitas Marbachio ignota fuit.

ZANCHIVS.

VEhementer gratulor & tibi & Ecclesię atque Scholæ isti: quod ais non solum hîc, sed etiam infra, te nunquam probasse vbiquitatem corporis Christi, sed vehementer tibi eam displicere, ac proinde tibi etiam non placuisse: quod Hamburgenses eam quæstionem agitare cœperint, quanquam illud miror, quod ais, eam quæstionem tibi ante dissidium VVestphali cum Caluino fuisse ignotam, cum ego multis annis ante meum in Germaniam aduentum, eam in commētariis cuiusdam magni viri Germani, tibi etiam amicissimi, viderim atque legerim. Sed hoc nihil ad rem. Ego quidem non feram vt dicar à te mentiri, mentitus fuisse, aut mendax esse: quoniam nihil falsi dixi, animo fallendi aut lædendi: id quod propriè est mentiri, vt P. Nigidius apud Gellium docet: id quod cadere in virum bonum non potest. Sed si ita velis persistere in sententia, corpus Christi non esse vbique sicut Hamburgenses contra Caluinum, vt tu ais, scripserunt, contentus sum à te dici mendacium dixisse, hoc est, me fuisse in hac re falsum: id quod in viros bonos sæpe etiam cadit. Cupio enim falsum & mendacium hac in parte dixisse, & me ipsum fefellisse. Vide modò: an sim contentiosus, an verò amantior veritatis, quàm meæ existimationis. Proinde propero ad reliqua. Mentiri quid sit.

MARBACH.

EAdem & simili fide, & sinceritate, reliqua quæ inter me & ipsum in eius ædibus acta sunt recenset: sed addit per id tēpus cœpisse vexari Garnerium, & se, cùm antè fuisset ad conuentum Theologicū vocatus, posteà non ampliùs vocatum fuisse, &c. Vt inuidiā me, meósque fratres Ecclesiæ ministros grauet, iterùm duo noua crimina comminiscitur. Prius de D. Garnerio, quod per id tempus vexari cœperit. Et sophisticè recitat, à quibus: idque non imprudenter. Si enim dixisset simpliciter, à me vel Ecclesiastici cōuentus ministris (quod tamē subsignificat. Quid enim alioqui ad hoc suum institutū pertineret Garnerij mentio?) statim ipsum manifesti mendacij & vanitatis redarguissem: & hoc non tantū ex scriptis conuentus nostri Actis: sed viuis etiā testimoniis cùm ministrorū Ecclesiæ, tum ipsiusmet Garnerij, qui tunc discedens, subortis lacrymis testatus est, se in eo maximè peccasse, quod sanis & fraternis consiliis, & admonitionibus nostri conuentus, non acquieuerit. Se nostrum candorem,

beneuolentiam & alia humanitatis officia, quæ in ipsum contulissemus, deprædicaturum vbicunque locorum futurus sit. Et hæc eadem postea in suis ad me & conuentum nostrũ scriptis iterum, multis verbis prolixè testatur. Qui verò Garnerij vexatores fuerint: & quibus de rebus coràm conuentu ipsum accusarint, quàm etiam conuentus diligenter & fideliter egerit, vt Garnerius hominibus suæ Ecclesiæ reconciliari posset, ipsa Acta testantur, quæ bona fide conscripta penes me habeo.

ZANCHIVS.

QVæ de Garnerio scripsi, ita vera sunt, vt ne tu quidem audeas inficiari, fuisse tùm vexatum. A quibus verò & quam ob causam: icciircò non scripsi quia ad rem meam non faciebat. Illius verò temporis mentionem fecisse, non parum referebat. Quod si tu suspicaris, me voluisse te & aliquot ex tuis obliquè perstringere: tu te suspectum reddis, iuxta illud Conscius ipse sibi, de se putat omnia dici. Hic nihil prçtereà dico: opus foret Garnerij voce. Ipse benè nouit, quomodo à te fuerit tractatus: & quàm astutè tecum actum sit.

MARBACH.

NOn minus candidè dicit, se cùm anteà vocatus fuerit ad conuentum theologicum, postea non ampliùs vocatum fuisse: innuens nimirùm, se à nobis præteritum & quasi iterùm exclusum esse, ne colloquiis nostris de rebus Ecclesiasticis, ad quæ semel admissus fuerat, interesset. Sed calumniam esse, meum diarium Zanchium conuincit, in quo non consignatum est, quando & qua conditione in conuentum Ecclesiasticum non tantùm primùm vocatus, sed etiam & membrum & collega, receptus sit. Verba ipsa hic adscribam, vt tergiuersari non possit Anno 1553 20. Aprilis, in Ecclesiasticum nostrum conuentum, primum vocatus est D. Hieronymus Zanchius, vt deinceps tanquam theologiæ professor, nostris conuentibus interesit, vt verò concordia sit, & firma animorum coniunctio inter docentes, tam in Schola quàm in Ecclesia, dixi illi, Dominos Scholarchas exhibituros ei legendam confessionem, quam Tridentino Concilio exhibuimus, quæ cùm firmis Sacræ scripturæ testimoniis nitatur & complectatur perpetuum veræ catholicę Ecclesiæ Christi cõsensum, velle Magistratum, vt secundũ eam consentienter omnes in Schola & Ecclesia doceant. &c. *Hic potiùs nos ipsum non iniustè neglecti officij accusare possumus: Primùm quidem, quod absque vlla legitima causa conuentum Theologicum, in quẽ, vt dictum est, solenniter receptus fuerat, visitare contempsit. Neque enim ignorantia eum excusare potest, quasi nesciret, neminem vocari & quod constituta hora singuli sua sponte eò conueniant. Hoc sicut à quouis, ita maximè à ministro Gallicanæ Ecclesiæ intelligere potuisset. Deinde verò: quod cum intellexit hanc esse sicut Magistratus, ita etiam Ecclesiastici conuentus sententiam & voluntatem, vt omnes in Schola & Ecclesia iuxta Confessionem huius Argentinensis Ecclesiæ Tridentini exhibitam, consentienter doceant: ipse contemta vtriusque autoritate, contra iam dictam confessionem noua & erronea dogmata spargere cœperit.*

ZANCHIVS.

HIc tu agis historicum veracem: interpretẽ falsum, accusatorem iniquum. Refers fideliter, quæ ego narraui, & vt res gesta fuit, me scilicet postquàm exagitari Garnerius cœpit, non fuisse amplius vocatũ in conuentũ. Hoc est verũ. Ergo non sum mendax. Interpretẽ verò falsum: quia quod dixi, Me non fuisse ampliùs in conuentum vocatum, interpretaris me id ideo fecisse, quod perstringere voluerim vos, quasi me exclusertis à conuentu, hoc est falsum. Cur non redierim non vocatus, hanc duplicem attuli causam. Vnam quia nesciebam, hanc esse consuetudinem: vt omnes ministri & Theologiæ professores tenerentur venire in conuentũ etiam non vocati, cum talem consuetudinẽ antea nusquã vidissem. Alterã, quod ita mecũ cogitabã si esses illis gratus, vocassent te procul dubio simulac viderunt, te non rediisse: Accusatorem autem iniquum, quia accusas me primùm neglecti officii, quod non redierim. Atqui mihi nũquã fuit à vobis significatũ: hanc esse legem vel Magistratus vel cõuentus, vt singulis diebus Iouis quisque etiã nõ vocatus, in cõuẽtũ veniat. Secus qui fecerit, illũ peccare in legẽ. At hoc potuisti intelligere ex Ministro EcclesięGallicanę. Cur vos nõ indicastis? cur cũ vidistis me non rediisse, non admonuistis, nouum præsertim hominem & consuetudinum vestrarum ignarum? Cur nunc primùm post annos octo accusas me de hoc crimine? In summa. Tu es Marbachius. Si quis non veniat in conuentũ, etiam ignarus consuetudinis vestræ, accusas neglecti officij. Si quis veniat: cũ inde expellis, vt expulisti reuerendos senes Dominum Pastorẽ Ecclesiæ Gallicanæ, & Dominum Conradũ Hubertum: postquam annos tredecim & ampliùs istum conuentũ frequentassent. Accusas deinde me, quod contemta autoritate & Magistratus & Ecclesiastici conuentus, docuerim dogmata noua, erroneáque contra Confessionem Argentinensis Ecclesiæ Tridenti exhibitam. Quæ sunt ista noua & erronea dogmata? Cur non conuincis? cur non disputas? cur non venis ad colloquium? quousque licebit impunè calumniari? perpetuò accusas, numquam probas, nunquam conuincis. Ergo neque tu demonstrasti, me esse vel mendacem, vel hæreticum.

MARBACH.

VErùm vt nihil amittat Zanchius eorũ quib. nostra causa grauari potest, non ipsum pudet dicere, Petrũ Martyrem, cum ex Anglia ad nos reuersus esset, resistentibus ministris, difficulter hic retentum fuisse. Hæc facilè dantur: sed vnde & quibus testimoniis probabit? Si accusare sat is est, nemo innocens erit. Iniuriam insignem, dico, non tantùm mihi facit; sed vniuerso conuentui Ecclesiastico, hæc ficta & mentita spargendo. Nunquam enim Petro Martyri, quò minus reciperetur, restitimus aut aduersati sumus: imò potiùs hortatores fuimus Dominis Scholarchis & Senatui, vt virum tantæ eruditionis hinc non dimitterent. Hoc tantùm agebatur, vt cùm in Anglia publicè docuerit & disputarit de Sacramento Eucharistiæ, quæ doctrinæ Tigurinæ Ecclesiæ magis essent consentanea quàm Argentinensi: itaque cauere ipsum debere Senatui, vt receptus contra factam VVitteberga concordiam cum Doctore Luthero, & Augustanam Confessionem, nihil in Schola nostra innouare conaretur. Quod cum impetratum fuit: Schola nostra propter restitutum ei Martyrem, ex animo gratulati sumus Vera hæc esse, testabuntur Domini Scholarchæ, & duo Consules, Dominus Pfarrerus & Dominus Carolus Mihe: qui ad illam actionem ab ipso Senatu deputati fuerant. Neque ego solus hanc causam tunc agebam: sed vnà mecum omnes Pastores, Doctor Ludouicus Rhabus: Magister Beatus Gerungus Doctor Ioannes Lenglinus, Doctor Lucius Kyberus, &c. Et si opus esset, possem adscribere singula verba, quæ ab vtraque parte tunc dicta erant, quæ diligenter consignata habentur in meo diario. Cur igitur toties nunc falsò mihi obiicitur & inculcatur, quod ne reciperetur Martyr restiterim: & posteà vt dimitteretur, autor fuerim? Sed hæc sunt practica Italica: & ita se Italicus huius hominis candor prodit. P. Martyr.

ZANCHIVS.

QVæ de Martyre dixi, vera esse, confirmare potuissent, piæ memorię, Petrus Dasipodius, & Christianus Herlinus. Sed Dominus Ioannes Sturmius Rector, dabit mihi testimonium veritatis. Epistolam eius ad Ludouicum Rhabum de hoc argumento, legi in eius hypocausto. Deinde annon tunc ab aliquibus curabatur vt hic Martyr retineretur, non vt Theologus, sed vt Philosophus. Id etiam quod tu refers de cautione, quò spectabat, nisi eò vt Martyr vel mutaret sententiam, vel de Cœna obmutesceret? Istud verò non erat resistere, ne retineretur, nempe liber, & ea conditione, quã etiam anteà hic fuerat? Scio, illos aliquot ministros, non restitisse simpliciter, sed astutè & callidè. Ergo neq. hic potes me mendacij conuincere. In eo vero tu conuinceris calumniæ, quod, vbi ego dixi, *Resistentibus aliquot ministris:* tu ita hic recitas: quasi dixerim, *Omnibus ministris:* Resistentibus inquis, ministris. Item, *Iniuriam insignem* inquis, *dico, non tantùm mihi facit: sed vniuerso cõuentui Ecclesiastico.* Tu hîc verè Marbachi mihi facis iniuriam, hæc facta & mentita scribendo. Qui dicit Aliquot excipit Multos, non ergo iniuriam feci vniuerso conuentui.

In eo autem, quod ad capitis huius calcem Italicam nationem perstringis, prodis quo labores morbo: aperis internum vlcus: Vtinam totam saniem istam iam tandem aliquando ex tuo corde expressisses.

MAR-

MARBACH.

Postea in sua oratione reuersus, vt inquit, ad se, incipit declamitare, scilicet quomodo primo anno pro suo iudicio docuerit, & illa eadē disputāda publicè proposuerit: itē quid Dominis Scholarchis offerētib. Canonicatū cū subscriptione Augustanæ Cōfessionis, respōderit: eúmq; res in alterū quoque annū fuerit protracta: quid tādem & quàm liberaliter D. Scholarchæ, interprete D. Sleidano, cum ipso egerint: & vt ipsius verbis vtar in hāc sententiā: Dominos Scholarchas persuasos esse, quod homo sit bonæ & puræ doctrinæ: audiuisse etiam quod in Schola officium diligenter faciat, itaque vot illi concedere, vt sicuti hactenus, ita etiam in posterum pro suo iudicio in Schola doceat, nolle ipsos eum ad Confessionem Augustanam astringere, quoniam exploratum habeant, quod nihil doceat, quod verbo Dei non sit consentaneum, &c. Salomon inquit, Laudet te alienus, non os tuum. Si Zanchius hæc quæ magnificis verbis iactat, testimonio Dominorum Scholarcharum, vera esse comprobarit, vtcunque falsam spargit doctrinam: & propterea malam causam sustinet (de doctrina enim agitur: quam Anabaptisticam esse, & damnatam hæresin Nouatianorum sapere, affirmo) tamen libenter fatebor me iniustè ei molestum esse, & quietem, quâ hactenus vsus est, interturbare. Nam si mihi & meis fratribus Ecclesiæ ministris genus doctrinæ ipsius non probaretur: meritò non ipse nobis, sed Domini Scholarchæ, qui ei talem potestatem & autoritatē quiduis pro suo iudicio docendi dedissent, conueniendi essent. Quare igitur, vt se tanta molestia expediat, non profert Dominorum Scholarcharum testimonium? quia scilicet non potest: conficta tantùm verba sunt, quæ perfrictæ frōtis hominem esse, palàm ipsum redarguunt. Quæ enim cum ipso acta sint, & quomodo fidem suam proprio chirographo Dominis Scholarchis adstringere coactus sit, quod videlicet non iuxta proprium suum iudicium, sed iuxta formulam doctrinæ in Augustana Confessione cōprehensam in Schola docere debeat, suprà in mea responsione ad quartam ipsius conclusionem perspicuè ostendi. Quare igitur tam impudenter mentitur, cùm inquit, Dominos Scholarchas noluisse ipsum ad Augustanam Confessionem adstringere, & sibi concessisse vt suo iudicio in Schola doceat, cùm disertè & chirographum ipsius & viua Dominorum Scholarcharum vox, diuersum testentur & affirment? Ea verò quæ in eius oratione sequuntur de sua in re sacramentaria confessione, quam Dominis Scholarchis fecerit, & illorum etiam calculo sit approbata, fidem apud me merentur nullam. Et huius grauissimas habeo causas, inter alias autem hanc manifestam, quod Domini Scholarchæ qui loco & autoritate Magistratus Scholæ præsunt, nequaquam probabunt aut admittent genus doctrinæ aut fidei confessionem, quæ cum recepta & publica Ecclesiæ Argentinensis doctrina pugnet. Doctrina verò hæc Zanchij de sacramento Eucharistiæ, Cingliana est & Caluini, qui iamdudum diuersum à nostra Ecclesia docent & profitentur. Ergo illam non probarunt. Hic si malè collige, & alia est Dominorum Scholarcharum mens & sententia, ipsi igiturmet pronuncient. Ad illorum etiam iudicium palàm prouoco. Eandem Confessionem de cœna Domini se dicit in Capitulo fecisse, cui cùm nec ego vt Examinator, neque quisquam alius de Capitulo, contradixerit, consequi ergo inquit, quod nostro silentio approbata fuerit. Sed quæ tunc mei silentij fuerit causa, indicatum est in mea responsione ad ipsius tertiam conclusionem. Etsi nego quod simpliciter secundùm hæc, quæ in hac oratione ponit verba, tunc sit locutus, Cuius hæc manifesta causa est, quod confessio eius, sicut omnium qui examinantur & admittuntur congruere debebat, cum formula Augustanæ Confessionis, eiúsque Apologiæ, vt in octauo illius Examinis articulo habetur, & quomodo iuramentum, quod finito examine prælectum illi fuerit, præstare potuisset, in cuius formula expressis verbis Augustanæ confessionis fit mentio, si contrariam illi confessionem edidisset? Hæc autem fidei præsens ipsius confessio cùm Cingliana sit, & ideò etiam confessioni Augustanæ contraria, ergo tunc temporis non hanc, sed aliam edidit.

ZANCHIVS.

RETVLISSE fideliter, idq; necessariis de causis, quę Domini Scholarchæ mihi dixerant, nō est seipsum

laudare Marbachi. Coactus hæc retuli, tùm vt historiam continuarem: tùm vt indicarem quibus de causis Domini Scholarchæ ad articulum tantum de cœna in confessione Augustana simpliciter subscribendum me adstrinxerint. Ergo nihil ad rem Solomonis illud dictū à te citatum. Vera autem me retulisse: & Deus testis est: & ipsi Domini Scholarchæ possunt, si velint, testificari. Non sum tam imprudens Marbachi, neque tam impudens, vt voluerim ea à Dominis Scholarchis mihi fuisse dicta, referre: quæ scirem ab ipsis posse statim in maximam mei infamiam negari. Conuince tu, quæ retuli, esse falsa: tunc concludes, me esse mendacem. Quòd si hæc non feceris: concludā ego, te esse, taceo. Quare, inquis, non profert testimonium Dominorum Scholarcharum? Non profero, quia scriptum non dederunt. Cito, quia ita dixerunt. Vade tu & illos interrogato. Sed fideliter mea verba referas ne ea falses, sicut solitus es, & sicut hîc etiam falsasti. Nam quod ego retuli, & quod intelligendum omnino est cum quadam conditione, tu simpliciter & absolutè dictum falsò refers. In mea enim narratione sic habetur: Cum Domini Scholarchæ petiissent, vt Augustanæ confessioni subscriberem: me respōdisse: nō posse me simpliciter & sine aliqua explicatione subscribere. Nota Marbachi, illud, simpliciter & sine aliqua explicatione. Cū igitur refero, altero anno Dominos Scholarchas dixisse, se nolle me ad Augustanā Confessionē adstringere, subintelligitur *Simpliciter & sine aliqua explicatione*. Proinde in meo etiam, quod semper obiicis, chirographo est illa particula, *Orthodoxè intellecta*. Quare non est vt hîc & Dominos Scholarchas (vt facis) tacitè perstringas, quod dixerint se nolle me adstringere ad Confessionem August. Illi prudentiùs enim, quàm tu, subintellexerunt illam particulam [Simpliciter & sine aliqua explicatione.] Cum vero refero, illos dixisse, tantùm esse quæstionem de re sacramentaria: illud etiam intelligendum est cum illa particula Simpliciter: an scilicet ego vellē simpliciter verbis August. Confessionis de cœna subscribere. Ibi ego respondi, omnino me illa verba simpliciter admittere: sed non omnium interpretationes. Vides Marbachi, te non habere, cur vel me accuses mendacij, hominémque perfrictæ frontis appelles: vel Dominos Scholarchas tacitè perstringas sed est cur discas tu & modestior esse, & in referendis verbis aliorum, fidelior, & in interpretandis alienis dictis æquior, atque peritior.

Sed videamus, obsecro, argumentum demonstratiuum Domini Doctoris Marbachij, quo concludit, Zanchium esse mendacem & impudentem. Confessio mea de re sacramentaria, quam dixi probatam fuisse Dominis Scholarchis, hæc est: Corpus Christi in cœna verè sumi & manducari, & sanguinem eius bibi: sed id fide tantùm, non ore & dentibus corporis: ideóque à solis fidelibus. Marbachius vult probare, falsum esse quod refero confessionem scilicet hanc probatam fuisse Dominis Scholarchis: [Domini Scholarchæ, inquit, qui loco & autoritate Magistratus, Scholæ præsunt, nequaquam probabunt aut admittent genus doctrinæ, aut fidei confessionem, quæ cum recepta & publica Ecclesiæ Argentinensis doctrina pugnet. Doctrina vero hæc Zanchij de sacramento Eucharistiæ, Cingliana est & Caluiniana: qui iamdudum à nostra Ecclesia diuersum docent & profitentur. Ergo illam non probarunt.] Cōf. Arg. de Cœna. Quid si retorqueam in te argumentum hoc, ô Marbachi? Domini Scholarchæ non possunt non probare doctrinam, quæ consentanea est cū doctrina Ecclesiæ Argentinensis iamdudùm recepta & totius Senatus, ipsorum & Scabinorum suffragiis approbata. Atqui doctrina hæc Zanchij, Corpus Christi manducari in cœna, non ore & dentibus corporis: sed fide tantùm, & solùm à fidelibus, doctrina est Ecclesiæ Argentinensis iamdudùm recepta. Hoc probo ex scriptis Buceri, etiam post concordiam editis, Item ex Confessione huius ciuitatis Augustana & eius Apologia, quæ omnium etiam Scabinorum suffragiis fuerunt approbatæ, & à quibus nunquam ciuitas hæc recessit, vt patet in Epistola Buceri ad VVolfhardum, Pastorem Augustanum. Probo eandem propositionem minorem ex Confessione anni 33. 39. 48. Ergo Domini Scholarchæ non potuerunt non probare Confessionem illam Zanchij de cœna Domini. Eas igitur D. Marbachi, & disce meliùs argumentari.

Aug. Cōf. Argent. Quæ posteà de formula Examinis in Capitulo iuxta Confessionem Augustanam profers: minimè concludunt, me esse mendacem sed te imperitum. Ibi enim nomine Confessionis Augustanæ, intelligitur Augustana Confessio huius ciuitatis, quam contra te paulò antè citaui. Et hoc ita esse, demonstrauit D. Sturmius, & examinatores alii in sua protestatione coràm Scholarchis, hoc anno, cùm examinatus fuit Stipitius & D. Massarius. Tu verò interpretaris de Cōfessione Principum. Deinde etiamsi iuxta Confessionem Principum admittam fieri examen debere: pugnátne cum illa Cōfessione doctrina hæc: Corpus Christi manducari fide tantùm, & a fidelibus tantùm? Minime, si ipsa tantum verba Confessionis spectes: vt tu sæpenumerò dicis, eam esse iuxta literam intelligendam.

Negas etiam, me in Capitulo talem Confessionem edidisse. Sed quia de hoc etiam suprà in responsione ad alteram orationem tuam, nunc nihil repetam. Hoc tantùm dico, te non posse inficiari, quin dixerim in Capitulo, meam hanc esse fidem, Corpus Christi in cœna manducari fide tantùm & à fidelibus. Cum autem tu eam probaris, non potes igitur iure aliam à me Confessionem exigere. Quare si non fatear tecum manducari ore corporis, & ab infidelibus, non potes de me vlla ratione conqueri.

MARBACHIVS.

EX his omnibus, quæ hactenus prolixè ab ipso dicta sunt, tandem epilogi loco, quatuor concludit, I. Vocationem suam ad hanc Scholam, legitimam & diuina esse. Itaque quicunque eam turbet, non tam ipsi, quam Domino resistat. Legitimā esse, facilè concedo, nec est qui contradicat. Sed non satis est ad officium vel munus aliquod legitimè vocatum esse, nisi illi etiam is qui vocatus est legitimè præsit. Alioquin enim peccato & culpa carerent Saul & Iudas: quorum vterque legitimò, hic ad regnum, ille verò ad Apostolatum vocatus fuit. Non disputatio igitur hic est de vocatione, an legitima vel illegitima fuerit: sed de Zanchij fide & integritate: an illi officio & muneri, ad quod initiò vocatus est, ita hactenus præfuerit, sicut hoc illi iniunctum est, & ipse suscipiens illud, data fide & proprio chirographo diligenter se præstiturum, est pollicitus. Iniunctum autem fuit, vt iuxta confessionem Augustanam doceat, & in doctrina mecum & cum aliis huius Ecclesiæ ministris consensum tueatur, nihilque in Schola innouet: quod quàm fideliter præstiterit, res ipsa nunc declarat. Deinde alterum quod ex præmissis colligit, est quod dicit, iniquissimum esse libertatem pro suo iudicio quiduis docendi sibi ab initio à Dominis Scholarchis concessam & à Capitulo comprobatā, nunc ei eripi. Ad hanc illius conclusionem respōdeo, esse petitionem principij. Probet prius, vt antè dictum est, hanc sibi libertatem à Dominis Scholarchis concessam esse. Quomodo autem alicui id potest eripi, quod nunquam legitimè habuit? Zanchius istam libertatem, quam toties iactat, nunquam habuit: id quod non simpliciter tantum affirmo, sed suprà firmis etiam argumentis euici. Ergo Zanchio suam libertatem non eripio. Tertia conclusio eiusdem est generis. Probet prius, antequam concludat, suam confessionem de cœna Domini, à Dominis Scholarchis comprobatam fuisse. Hoc enim negatur: & nisi Domini Scholarchæ hac cōfessi fuerint, pro mendacio habebitur. Quartò concludit, suam doctrinam, quam proximè in Schola proposuit, de Renatorum perseuerantia, non esse nouam, sed ab ipso statim ab initio in nostram Scholam introductam esse. Ad hanc respondeo. Non ideò hæc Zanchij doctrina appellatur noua, vel nouitatis accusatur, quod eam primum aut etiam statim ab initio in Schola nostra tradiderit. Non enim de tempore quæstio est, quo illam vel inuenerit, vel spargere cœperit: sed de qualitate dogmatis, quod dicimus esse nouum, & Scholæ & Ecclesiæ nostræ incognitum: quódque illud contra suum compromissum, Scholæ nostræ obtrudere conetur.

ZANCHIVS.

EAndem cantilenam, præsertim ineptam, perpetuò audire, nimis molestum est, Marbachi. Nō te pudet perpetuò mihi obiicere chirographum meum, datámque fidem? Est tibi probandum, me aliquid docuisse [illegible] vel hæreticum, aut etiam quod pugnet cum Confessione Augustana, orthodoxè intellecta. Nihil enim me tale docturum promisi. Vbi igitur illud probaueris & me conuiceris: tunc iure mihi obiicere poteris chirographū & datam fidem. Sed iam anni duo sunt, ex quo cœpisti me accusare, & nunquam ausus es venire in colloquutionem mecum: tantum abest, vt volueris disputare, & publicè me conuincere. Quæ igitur est ista barbara arrogantia, quā perpetuò exsultas, &, tamquā res sit iudicata, & ego conuictus perfidiæ, nihil aliud scis quàm superbè obiicere chirographum? Quæstio, inquis, est de Zanchij fide & integritate: & ego dico, quæstionem esse de Marbachij doctrina & probitate. I. an iure damnauerit doctrinam de Perseuerantia Sanctorum, vt nouam & hæreticam, quam Zanchius scripturis, Patribus, & testimoniis Buceri &c. in Schola confirmarat: itē doctrinam de Prædestinatione, quam Augustinus, & postea Lutherus atque Bucerus, apertissimis Scripturis explicauit & confirmauit: an theologicè docuerit, cùm docuit publicè & scriptum reliquit, electos posse fieri reprobos: item Iudam ita fuisse iustificatum, sicut & Petrum: item aliquos iustificatos damnari, item, cùm scripsit, portentosam esse distinctionem hominis renati in Interiorem & Exteriorem, impiámque doctrinam esse, dicere, Renatos peccare secundùm hominem exteriorem, non secundùm interiorem. II. quæstio est, an D. Marbachius hoc biennium post suppressum Heshusij librum, Christianè se cum Zanchio gesserit, néc ne, quem contra legem Christi, non præmonitum neque auditum, apud Dominos Scholarchas accusauit, & in conuentu damnauit hæreseos: de quo multas falsas sparsit voculas, contra quem concitauit ministros, diaconos & ciues multos, mendaciis atque calumniis, quorum nunquam voluit habere disputationem aut colloquium, contra quem scripsit sparsitque orationes & libros contumeliosos. De iis, quæstio est Marbachi, non autem de mea fide atque integritate. Satis enim apparet ex iudicio Capituli, ex testimoniis Academiarum Germanicarum, & ex Actis, & ex Nostris Confessionibus, an docuerim quidpiam quod cum Augustana Confessione orthodoxè intellecta, pugnet, néc ne, ac proinde, an contra fidem datam & proprium chirographum fecerim. Quæ scribis aduersus alias tres conclusiones, quia nugatoria sunt, ad ea nihil attinet respondere, satis etiam suprà de iis dictum fuit. Marbach. absurd.

MARBACH.

ABsoluto integro biennio: narratione malâ historicâ (falsissima enim eum attulisse, clarè & perspicuè ostensum est) nunc progreditur Zachius ad ea quæ, vt dicit, ab anno tertio vsque ad colloquium VVormatiense acciderunt: & principiò in medium producit duas disputationes quas publicè in Schola nostra habuerit. Prioris disputationis hanc constituit conclusionem, eos qui reuerā regeniti sunt, & Christo per fidem insiti, etiāsi nonnūquam peccent, & illorum fides quasi obscuretur: non tamē penitùs à Christo excidere: neque illorum fidē prorsus exstingui. Hanc propositionem dicit se explicasse similitudine à corpore humano sumta. Quemadmodū enim si homo aliquis sano corpore vescatur malis cibis, inde contrahit sibi infirmitatem, & fit ægrotus, non tamen penitùs moritur, sed adhibitis medicamentis rursus ad sanitatē reuocari potest, ita qui semel Christo insiti sunt, habent in vitā æternam intra se, vt ipse Christus dicit. Caterùm quando nostris concupiscentiis frena laxamus, & sceleribus nos inquinamus, fit vt grauissime inde infirmemur, non tamen omninò moriamur, hoc est, seruetur adhuc illa vita, etiamsi valdè obscuretur. Huic disputationi, in qua primum proposita monstrosa Anabaptistica conclusione, & explicationis loco addita portentosiore adhuc similitudine, affirmat me interfuisse cum D. Petro Martyre, vt scilicet inde inferat, me hoc tempore incitatum odio & inuidia ipsius, oppugnare & damnare eam doctrinam, quam tamen vt catholicam & doctrinæ Ecclesiæ Argentinensis consentientem, ante annos aliquot approbarim. Itaque ne me sua versutia & calliditate circumueniat, & nolentem etiam in hanc Christi Ecclesiæ perniciosā hæresin pertrahat: initiò hic de me ipso protestor, quod non tātùm vnquam tali disputationi Scholæ nostræ interfuerim, sed omninò etiā hucusque ignorauerim, hac

tam absurda in Schola nostra publicè proposita & disputata fuisse. Quòd si habita est ab ipso, vt fatetur, sicut & ceteri nostrorum discipulorum ex animo doleo, quod fanaticis opinionibus, loco veritatis & verbi Dei imbuantur: ita affirmo, in absentia mea hæc à Zanchio dicta & disputata esse. Ego enim hæc absurda in nostra Schola, me ab vllo mortalium audiuisse, non memini. Neque dubium est, si me præsente tale quid in medium allatum aut propositū fuisset, ego apertè ratione officij mei, quemadmodum in sequente disputatione de Imaginibus, ita multò magis in hoc longè absurdiore dogmate, me Zanchio opposuissem. Sed conuincat, si potest, viuis testimonijs, me disputationi huic affuisse. Erunt enim sicut ex Ecclesiæ ministris, ita etiam ex theologiæ studiosis multi, qui cùm præsentes fuerint, testari poterunt, an me quoque interesse disputationi viderint. Et quia in omnibus disputationibus hactenus solitus fui, sub finem vnum aut alterum argumentum proponere: inspiciantur igitur illius disputationis excepta à studiosis argumenta & solutiones, & si meum quoque nomen repertum fuerit inter eos, qui sunt argumentati, victus fatebor, me interfuisse, & me turpi silentio, non functum esse officio fidelis Ecclesiæ Superintendentis. Sed ad rē veniamus. Huius propositionis doctrinam quæ asseuerat Zanchius, regenitos vtcunque peccent, fidem non amittere, & iterùm penitùs à Christo excidere, &c. Anabaptisticam, falsam & erroneam esse, probaui in mea responsione ad quintam ipsius cōclusionem: primò ex D. Buceri scriptis, cuius tamen autoritate Zanchius maximè hæc spargendo nititur: deinde publicis huius Argentinensis & aliarum coniunctarum Ecclesiarum cōfessionibus: tertiò D. Philippi, D. Caspari Crucigeri, D. Maioris, & aliorum Theologorum nostræ ætatis clarissimis testimonijs: atque postremò etiam meis duabus lectionibus, in quibus argumentis ex D. Paulo perspicuis, scripturæ sacræ testimonijs firmis, & exemplis omnium ætatum, veteris & noui testamenti, ostendi, renatos per peccata contrà conscientiam, gratia rursus excidere, fidem amittere, & Spiritum sanctum excutere. Neque alia hic opus est aut huius meæ sententiæ probatione, aut absurdæ Zanchij propositionis refutatione. Ad similitudinem saltē, quàm benè huic instituto conueniat, paucis respondebo. Dico igitur, nullam esse conuenientiam, inter cibos malos in hac similitudine, & ipsum peccatum. Ex cibis malis corpus sanum interdum quidem contrahit infirmitatem, ex qua postea adhibitis remedijs, iterum sanitati restituitur. Peccatum verò totum & integrum hominem corpore & animā, vt venenum efficacissimum, ita peruadit, occupat, & inficit, vt nō tantùm homo inde infirmetur, sed sicut tota natura cum omnibus suis potentijs & facultatibus per peccatum corrumpitur & deprauatur: ita etiā propter peccatum homo reus æternæ mortis in iudicio Dei constituitur, simul obnoxius corporali morti, & omnibus alijs huius miseræ vitæ calamitatibus, quemadmodum inquit Paulus, aculeus mortis, peccatum. *item,* Stipendium peccati mors. *item,* Per peccatum mors in omnes inuasit. *Hæc maximo nostro & totius humani generis malo satis edocti & experti sumus in primis nostris parentibus, qui certè ante lapsum, in paradiso iusti & sancti erant: transgressi autem mandatum Dei, nō tantùm labem quandam seu infirmitatem contraxerunt, sed & mortem æternam ac damnationem sibi ac posteritati toti accersiuerunt, ita vt propter eius lapsum & peccatum deinceps propagatum, nascamur omnes filij iræ. Eph. 2. cap. Hæc peccati natura & vis nequaquam extenuanda est, quasi leue malum esset, adferens morbum facilè curabilem, sed venenum est pestilentissimum, sua natura destruens hominem. Itaque hanc Zanchij similitudinem prorsùs rejicio, vt ineptam & sancto Theologo indignam, imò qua fundamentum salutis nostræ labefactatur, dùm peccati potentiam & magnitudinem extenuat. Obscurari enim atque exstingui fidei & Euangelij veram consolationem, cùm peccatum extenuatur, norunt omnes pij, qui experiuntur vera pœnitentiæ exercitia.*

ZANCHIVS.

AD conclusionē de perseuerātia Sanctorū sicut tu dicis superiùs à te respōsum fuisse ita ego dico, satis eam fuisse à me comprobatam & cōfirmatā, & tua omnia argumenta atque testimonia refutata & explicata.

Quod verò attinet ad simile, quod ego attuli de humano corpore, tu ita respondes, vt nihil respondeas. Etsi enim excidit mihi illa vox, Frena laxamus & sceleribus inquinamus, sermo tamen mihi erat de lapsibus & peccatis Sanctorum verè renatorum. Huiusmodi autem lapsus contingunt sanctis ex ignorantia tātùm, aut ex infirmitate: non autem ex animo, neque contra plenam cōscientiam. Amant enim semper legem Dei & ei implendæ student: huiuscemodi autē peccata non sunt vt D. Iohannes ait, ad mortē: quia Deus illa non imputat sanctis qui sunt in Christo, & non secundùm carnem ambulant, sed secundùm spiritum: licet inter ambulādum secundùm spiritum, nonnunquam carne labantur. *Scimus,* inquit Ioannes, *quod quisquis natus est ex Deo, nō peccat,* scilicet ad mortem: *sed qui genitus est ex Deo, conseruat seipsum,* scilicet per gratiam Spiritus sancti; *& malignus non tangit eum.* Verū tamē est, quibusuis peccatis, præsertim ex aliquo consensu admissis, fidem in sanctis labefactari, & vitam animæ spiritualē infirmari. Non ineptè igitur hæc Sanctorum peccata cibis malis cōparaui, quod licet exitiū non semper reipsa adferant: valetudinē tamen ipsam infirmant & labefactant. Tu verò mea verba interpretaris de peccatis Impiorū, qui propriè dicuntur peccare contra conscientiā. Quis neget talibus sceleribus, si quid etiam fidei habeant temporariæ, totum illud excuti & amitti penitùs? Ergo cùm peccatum tuum sit in homonymia: dixi, te respondendo, nihil respondere.

Lapsus sanctorum.

Cum vero ais, me peccata extenuare: dico te mihi facere iniuriā. Etsi enim assero cum Scripturis, Patribus & Bucero. Sanctos electos non excidere penitus à fide: licet nonnunquam in peccata labantur: non tamen hoc adscribo leuitati peccati, quasi sit aliquod peccatum quod suapte natura non adferat exitiū, & quasi mors nō sit omnis peccati stipendiū: sed acceptum fero promissioni Dei, qui sua gratia sanctos, ne penitùs à se deficiāt, retinet: & intercessioni Christi, qui precatus est pro Sāctis & quotidie intercedit, ne ipsa fides penitùs deficiat. Frustra igitur & exclames, Zanchium extenuare peccatum & similitudinem ineptam attulisse.

Sancti cur nō penitus excutiant Spiritum S.

MARBACH.

A*pparet autem, Zanchium in eo præcipuè impingere, & in hunc turpem errorem prolabi, quod inter peccata sanctorum non distinguit, neque discrimen facit inter renatorum venialia & mortalia peccata. Quasi verò in sanctis, quemadmodum in impijs & infidelibus, omnia peccata sint paria, & peccatorum gradus sint nulli: cùm tamen vbique Scriptura, inprimis verò Diuus Paulus de renatorum peccatis & lapsibus distinctè loquatur, & illa diligentissimè discernat, vt ad Romanos capite octauo, cùm inquit:* Si secundùm carnem vixeritis, moriemini: Si vero actiones carnis spiritu mortificabitis, viuetis, &c. *His verbis testatur Apostolus, esse & manere in sanctis & fide iustificatis aliquas actiones vitiosas, videlicet concupiscentiam & vitiosos affectus multiplices, dubitationem de Deo, non ardere timore Dei, fide, dilectione, &c. impatientiam, flammas libidinum, non obtemperare superioribus, incensas cupiditate vindictæ, odio, auaritia, &c. Tales morbi in sanctis, etsi sint sua natura peccata mortalia, id est, digna morte æterna: tamen credentibus in Christum condonantur, qui & repugnant his morbis, & fide apprehendunt mediatorem Christum, & sic fiunt venialia, id est condonantur. E contra verò mortalia fiunt, cùm ij qui fuerant sanctificati, indulgent & obtemperant talibus affectibus, nec repugnant & sunt sine pœnitentia. Tales amittunt fidem & Spiritum sanctū: & damnantur morte æterna, nisi redeant ad pœnitentiam. Id quod affirmat Paulus cùm inquit:* Si secundùm carnem vixeritis, *id est, si obtemperabitis vitiosis affectibus,* moriemini. *Sicut Dauid factus adulter, erat sine fide & Spiritu sancto, & perijsset, nisi postea per pœnitentiam restitutus esset. Hæc eadem sententia sæpe reperitur in scripturis. Matt. 5.* Nisi abundauerit iustitia vestra supra iustitiam Pharisęorum, &c. *Item, 1. Ioh. 3.* Omnis qui non facit iustitiam, non est ex Deo. *1. Cor. 6.* Ne erretis: scortatores, idololatrę, &c. regnum Dei non possidebunt. *Col. 3.* Propter quæ venit ira Dei super inobedientes. *Gal. 5.* Talia facientes, regnum Dei non possidebunt. *Paulus 1. Timoth. 1. cap. describens qualis sit vita Sanctorum, inter illorum peccata hūc gradum constituit, ne agant contra conscientiam:* Summa, *inquit,* mandati, est dilectio ex corde puro, conscientia bona, & fide non ficta. *Ergo cùm aduersus mandata Dei committuntur facta contra conscientiam, aut cùm non repugnatur vitioso affectui: fiunt peccata mortalia. Hic gradus manifestus est. Sed citra hunc gradum, etiam incidunt lapsus obscuriores, quorum multi fiunt peccata mortalia, quos ratio non satis iudicare potest;*

stro Thomensi reficiatur. Magnum profectò peccatum, cuius causa non immeritò suspectus esse debeo Argentinensi Ecclesiæ, ne mea opera papisticæ superstitiones, quibus, talibus indicijs adhuc infectus & deditus esse deprehendar, iterùm suo priori loco restituantur. Tale enim aliquid sua calumnia Zanchius libèter mihi, si honestè posset obijceret. Sed probet prius, cantu figurali & organo uti in Ecclesia Christiana, peccatum esse & papisticum. An putat, quia Tigurina Ecclesia, cuius membrum se esse profitetur, amusa est: ad illius exèplum necessariò omnes alias se emendare & componere deberet? Cesset igitur Zanchius ingratus esse, traducendo & deformando ministerium, ordinem & eutaxiam illius Ecclesiæ, quæ ipsum exsulem & peregrinum tam humaniter suscepit, & hactenus tam benignè & liberaliter aluit & sustentauit.

ZANCHIVS.

DVo tantùm hîc sunt, ad quæ respondendum est. Ecclesiam Tigurinam appellas ἄμουσον. O utinam talè concentum qualis in Ecclesia est Tigurina & qualis hic etiam erat tempore Buceri sine organis, tu quoque retinendum curasses! Organa benè in templis sonare; & hominū ingenia atque corda & studia in Ecclesia Christi dissonare, si non est musica Antichristi, est certè diaboli. Tu verò nosti, vnde ista animorum dissensio & dissonantia: nimirùm quia non omnes tibi pro tuo arbitrio concinunt & simpliciter consonant. Sed cur tibi nō consonamus omnes? quia tu non cōsonas Christo & veteri huius Ecclesiæ doctrinæ. Ais, me deformare ministerium, ordinem, & εὐταξίαν Ecclesiæ huius. Dico te mihi facere insignem iniuriam. Egóne quidpiam curaui in hac Ecclesia innouandum & immutādum? Nolui assentiri in Capitulo, vt organum reficeretur & in eo luderetur: num propterea deformo eutaxiam huius Ecclesiæ? Tu, tu Marbachi, eutaxiam & Scholæ, & Ecclesiæ & Capituli perturbasti. Testis Rector, Visitatores Professores: testis Capitulum: testis tua conscientia: testantur Acta.

Musica Ecclesiæ.

MARBACH.

SEd pergit Zanchius in sua oratione nouam aduersus me instituere querelam. Inquit se huius suæ disputationis causa accusatū apud D. Scholarchas & posteà vocatum fuisse, qui ei quinque obiecerunt. Sicut verò, qui eum tunc temporis accusarint, ignoro: ita etiam me illius accusationis autorem fuisse nego. Testantur hoc D. Scholarchæ. Quanquā autem fateor, si à me factū fuisset factum ipsum reprehendi nō posse, cùm publicè nō tantùm falsa & erronea, contra officium suum disputarit, sed & defendere conatus fuerit: nihilominus tamen factum hoc meum esse, non agnosco. Quomodo enim eū accusassem, quòd opinionem de Vbiquitate corporis Christi dixerit esse perniciosum errorē, cùm iam anteà fassus sim, me illam Vbiquitatem nunquam probasse, neque adhuc hodiè probare: Nam non est necessaria consequentia: Christus, secundùm institutionis suæ verba vera & omnipotentia, essentiam corporis & sanguinis sui distribuit in Cœna vescètibus. Ergo Christi humana natura siue corpus & sanguis Christi, vbique diffusa sunt sicut diuinitas. Quis nostrū vnquā ita collegit? Hæc à Sacramentarijs nobis obtruduntur falsò, vt apud simplices, & qui vel nos vel nostrorum scripta non audiuerunt, aut legerunt, de monstrosis opinionibus & hæresin sapientibus suspectos faciant. Antecedens verissimum esse dicimus, & doctrinam nostrarum Ecclesiarū. Consequens supposititium est, & alienum à doctrina, quam nos de sacramēto Eucharistiæ profitemur. Cùm igitur D. Scholarchæ, neque à me neque à meis conjunctissimis D. Pastorib. quidquam tale, vel publicè vel priuatim audierint: adduci non possum, vt credam D. Scholarchas reprehendisse Zanchium quòd contra Vbiquitatē Corporis Christi aliquid in Schola locutus fuerit. Sed fortassis hoc est, quod Scholarchæ ei obiecerunt, videlicet se hac Cinglianā & Caluinianam argumentationem improbare, quā ipse tunc spargere cœperat: Si corpus Christi non est vbique: ergo certo loco cœli inclusum continetur, & per consequens substantia corporis Christi, nō distribuitur in Cœna. Hoc præcipuum est Sacramentariorum argumentum: quo etiam causa se superiores esse & iam vicisse putant. Nos verò, quia stramineo fundamento, hoc est, humana ratione tantùm & philosophia nititur, quæ in huiusmodi Dei mysterijs cæca & stulta est: veritate & omnipotentia verbi Dei, cùm inquit Christus, Accipite & comedite, hoc est corpus meum, *totam subuertimus, & ex Ecclesia Christi, in Scholas Philosophorum relegamus. Cur igitur falsum hic allegat Zanchius: Eadem fide ipsum reliqua quoque recensere, magna est suspicio. Sed iudicium sit penes D. Scholarchas, apud quos hæc acta esse dicis.*

Vbiquit.

ZANCHIVS.

CErtè si mica in te esset pudoris, Domine Marbachi, nunquam mentionem faceres illius disputationis de imaginibus, cùm ibi publicè teipsum turpissimè dederis, tuis illis argumentis ductis ab Imaginibus quæ sunt in Calendariis, ab imagine mortis in templo Prædicatorum, quę secum trahit Papas, Imperatores, Reges. Et tamen adhuc audes pronunciare, tanquam ex tripode, me falsa & erronea in ea disputatione defendisse. Breuiter: Si tu adhuc iudicas illas meas theses falsas & erroneas fuisse: ego etiam te iterum ad eandem disputationem inuito. Si recusas, cogita quid de te sentiendum sit, quia omnia audacter pronuntias falsa, erronea, portentosa, hæretica esse, & nunquam audes in arenam descendere, & tales erroneos hæreticósque professores, erroris hæreseósque conuincere. Tu adfers argumenta quibus probes, te non fuisse accusatorē meum. At quorsum hæc? Negas etiam quæ narraui gesta coram D. Scholarchis præsentibus D. Rectore & Visitatoribus. Et reiectis testibus, miseris puerilibus tuis coniecturis, vt probas non ita rem se habuisse. Hoc non est boni & prudentis viri. Quod dicis, me tunc spargere cœpisse hanc argumentationem, Si corpus Christi non est vbique: ergo certo loco cœli inclusum continetur, & per consequens, Substantia corporis Christi non distribuitur in Cœna: Totum hoc quod affirmas, dico ego esse calumniosum. Proinde nisi probaueris ita me docuisse, valebit consequētia à Coniugatis. In eo verò ex animo tibi gratulor, quod fateris corpus Christi non esse vbique. Concludis cur igitur falsum hic allegat Zanchius? Inde infers: Eadem fide ipsum quoque reliqua recensere: magna est suspicio. Quid falsum allegaui: dixi & iterùm dico, mihi tunc fuisse à D. Scholarchis per Dominum Sturmium præsentibus Visitatoribus, quinque obiecta, de quibus dixerāt me fuisse accusatum: inter quæ quinque, erat etiam hoc quod dixerā, perniciosum esse errorem, dicere, Corpus Christi esse vbique. Viuunt adhuc D. Scholarchæ duo: Viuit D. Ioan. Sturmius Rector: viuebat Herlinus, cùm hæc in oratione mea narraui. Ita ne putas, me esse vsque adeo impudentem, vt si hæc vera non fuissent, voluissem illis præsentibus in Capitulo confingere? verissimum est quod ait Ioannes: *Qui odit fratrem suum: in tenebris est vsque adhuc: & nescit quo vadat.* Sic te odium mei excæcat, vt non videas, quid dicas. Ergo neque hic probasti, me esse mendacem.

MARBACHIVS.

DEindè inquit Zanchius, se Dominis Scholarchis vicissim quinque proposuisse. I. de permittēda sibi libertate in docendo, ne ita vexetur. II. de doctrina Buceri retinēda & defendenda. III. vt ego lectione scriptorum D. Buceri delecter. IV. Si quando habeam quod minùs in ipso probem, vt priuatim eum moneam, & non toties, quasi impia doceat apud Dominos Scholarchas traducam. V. Si verò persuasus sim, quod noua aut impia dogmata spargat, se offerre mihi disputationem publicam vel priuatā, &c. Hæc ab ipso dicta esse credere cogor, cùm testes alleget D. Rectorem, D. Dasypodum piæ memoriæ, & D. Herlinum, vt qui actioni interfuerunt. Quàm candidè autē mecū egerit, aliorum sit iudicium. Ante mihi obiecit, se accusatum à me fuisse. Annon ego æquiorem & iustiorem haberem conquerendi causam? Nam in iis quæ hîc Zanchius proposuit Dominis Scholarchis, me non accusauit traduxitque? Accusare certè & traducere aliquem falsò, quid sit ignoro. Petit initiò Dominorum Scholarcharū defensionem, ne subinde vexetur. Qui igitur sunt illi vexatores? absque dubio, neminem præter me intelligit. Sed in quibus quæso: quando & vbi eū vexaui: publicè, an priuatim? publicè factum nō est. Nam quod in ante dicta disputatione me illi opposui: non vexatio erat, sed amica collatio, in qua meam proferebam sententiam, absque vlla commotione aut acerbitate: & puto, in disputationibus liberum esse vnicuique, de proposita materia dicere quod sentit. Priuatim verò nescio: quod illi me præbuerim in omnibus congressibus, colloquiis, & actionibus familiarem & humanissimum. Cur igitur vexationis me apud Dominos Scholarchas accusat?

MARBACH.

PRogressi nunc sumus vsque ad colloquium VVormatiense. Hic initio conqueritur, se à me accusatum fuisse scriptis literis VVormatia ad Dominos XIII. viros, propter scriptum D. Philippi Melanchthonis, quod eo tempore publicè in Schola nostra recitauerat. Vt autem intelligatur quid scripserim ad XIII. viros, & quā ob causam, verā hic historiam bona fide recensebo. Cū ex publicis scriptis constaret, magnas & grauissimas esse dissensiones inter Theologos Augustanæ confessionis, & præcipuè inter illos ipsos, qui ad colloquium de religione Christiana cum aduersarijs Papistis habendum, à nostra parte in Comitijs Imperij deputati fuerant: visum igitur est, vt integro mense ante colloquij inchoationem, nostræ partis Theologi VVormatiæ conuenirent, & de compositione controuersiarum & dissidiorum amicè inter se colloquerentur, vt facta mutua conciliatione, iunctis postea viribus se aduersarijs opponerent. Cùm verò D. Philippus suum VVormatiam aduentum, ad finem ferè constituti mensis extraxisset, interea Ienēses Theologi, qui citiùs venerant, D. Schnepfius, Victorinus, Stosselius, cum D. Morlino ad partem agebant cum reliquis præsentibus theologis, atque persuadere illis conabantur, vt communibus suffragijs & sententijs sectas in Ecclesijs Augustanæ confessionis condemnarent, videlicet Osiandrismū, Maierismum, Adiaphorismū, Cinglianismū. Ad hoc obtinendum, non parùm referre putabant, si Electoris Palatini Theologos ipsis consentiētes haberēt, huiusque causa cum illis in priuatam veniunt collocutionem, cui etiam ego à Palatinicis adhibitus fui, sicut & reliquis omnibus de religionis actionibus, ex ipsius Electoris Palatini mandato. Vt autem honestè quod petebatur, recusaremus, inter alias grauissimas rationes etiam hac vtebamur, propter quam integrum nobis non esset, illo in loco & tēpore, facere doctrina quorundā nostræ partis theologorum condemnationes, videlicet quòd controuersiæ istæ nobis nō essent satis cognitæ: quódq; nostra Ecclesia prorsùs sicut nomina, ita etiā ipsa dogmata ignorarēt. Opus igitur esse, vt synodo futura, cuius nobis ab Electore Palatino & alijs Principibus in conuentu Francofurtēsi certa spes facta esset, auditis autoribus coràm, tota causa integrè cognoscatur. Hic mihi D. Victorinus obijciebat, Argentinēses in Comitijs Imperij & alijs publicis cōuētibus, per suos Legatos gloriari quidē Augustanæ se esse Confessionis, cùm tamen apertè Cingliani sint. Nam in Schola & Ecclesia de Eucharistiæ sacramēto, Cinglij & Caluini doctrinam proponi. De Schola hoc verum esse, me negare non posse, propter Professores Theologicos, qui ex professo sint Zvvingliani, Petrum Martyrem & Zanchium: de Ecclesijs verò Germanicis, quanquam tam certò affirmare hoc non possit, Gallicam tamen Ecclesiam totam Caluinianam esse, testari partim editum illius Ecclesiæ catechismum, partim homines fide dignos, qui & lectionibus theologicis, & illius Gallicanæ Ecclesiæ concionibus sæpiùs interfuerint, &c. Ego contra iniuriā nobis fieri contendebam: in Ecclesijs & Schola consensum doctrinæ August. Cōfessionis sinceriter retineri, & edicto Magistratus cautum esse, ne quid cum illa doctrina pugnans proferatur. Intereà vero dùm hanc de Argentinensi Ecclesia & Schola conceptam suspicionē & crimē amouere, & me præsentibus theologis purgare conor: ecce Argentina à meis conuictoribus literæ ad me ferebantur, in quibus scriptū erat: Zāchiū D. Philippi testimonio in Schola publicè probasse, Corpus Christi certo loco cœli contineri, non esse ergo vbique: si non vbique, esse localiter in certo loco cœli, &c. substātiam igitur corporis Christi, in Cœna non distribui. Hāc fuisse Zanchij argumētationem, fatetur ipse in literis ad D. Philippum VVormatiā scriptis. Hæc cùm legissem, turbabar valdè, metuēs ne ea Ienensibus Theologis nūtiarentur. Ita enim me manifestè confundi, & mendacij redargui, & accusari posse videbam. Re igitur deliberata cum M. Iacobo Hermanno huius Ciuitatis syndico, qui mihi à Senatu collega adiunctus fuerat, nostri officij esse iudicabamus, per Epistolā Dominis Tredecim Viris indicare, cuius cū Magistratus, tùm Ecclesia & Schola VVormatiæ à Theologis accusaretur. Nisi igitur Senatus obiectum crimen agnoscat, & Zvvingliana se esse sententia in articulo de Cœna Domini profiteatur, monendum esse Zanchium, vt isto præsertim tempore hanc de re sacramentaria quæstionem non moueat. Quid autem posteà Domini Tredecim Viri in hac causa egerint, ignoro. Sed turbas propterea excitatas fuisse in Schola & collegio Thomensi, ostendebant literæ expostulatoriæ Capituli, in quibus præ ira & stomacho aduersus me, scriptor oblitus fuerat, vt moris est, salutē aut salutatiunculā, vel aliquā saltem beneuolentiæ signi significationem præmittere. Et certè verè hoc dico, acerbiores & vehementiores literas, per omnem vitam meam me à nemine vnquam accepisse. Quod si vindictæ cupidus fuissem, turbisque delectarer & amicorum offensionibus, non deerat mihi hoc tunc faciendi honesta ratio & occasio. Hoc tā magnum est peccatum venia omni indignum, quod mihi Zanchius in hac sua oratione exprobrat. Sed quàm meritò & iustè, iudicent boni & æqui homines.

ZANCHIVS.

HIstoriæ isti de colloquio VVormatiensi, nihil contradico. Tantùm hoc te velim rogatum, vt memineris illius loci in hac historia, vbi ais, Ob grauissimas causas te cum Palatinicis noluisse assentiri Ienensibus, vt Maiorismus, vt vocas, Adiaphorismus Hosiādrismus, Zvvinglianismus damnaretur. Quæ verò refers de literis Argentina ad te VVormatiam de me scriptis, sunt ea partim vel à te, vel ab aliis qui scripserunt ad te, conficta: nempè vbi ais, scriptū ad te VVormatiam fuisse, me in Schola probasse, Corpus Christi certo loco cœli contineri: non esse ergo vbique. Si non vbique, substantiam corporis Christi in cœna non distribui. Confirmaui dictatis D. Philippi in Epistolam ad Colossenses, id quod ante aliquot menses in Schola per 15. dies demonstraueram è Scripturis, Patribus, & Bucero, corpus Christi non esse vbique: sed in certo aliquo loco vbi velit vt Scriptura loquitur: *Quæ sursùm sunt, quærite vbi Christus est*, præterea nihil. Sequelam illam, Ergo substantia corporis Christi non distribuitur in cœna, vel tu, vel qui ad te scripserunt, de suo adiecerunt. Quid verò est quod subdis, cùm ais: *Hanc fuisse argumentationem Zanchij, fatetur ipse in litteris ad D. Philippum VVormatiam scriptis?* Itáne D. Marbachi? méne affirmasse in literis ad D. Philippum, talem argumentationem fuisse meam? vbi frons? vbi pudor? an cùm hæc scribebas, ignorabas tales literas posse proferri in mediū & te conuinci illius, cuius in singulis paginis me falsò accusas? an fortè nō cogitabas, exemplū illius epistolæ aliquod me mihi reseruasse? sed fortè persuasus eras, has orationes tuas mihi nunquam cōmunicatum iri, quod Capitulū futurū esset prudentius in regendis Decani sui pudendis, quàm fuerit Cham in patris sui tegendis. Et certè hoc fecit Capitulum hucusque. Nūquam enim hasce orationes tuas communicare mihi voluit, sed indirectè tamen eas tandem à priuato accepi amico. Nihil enim occultum esse potest, quod non tandem reueletur. Audi igitur D. Decane: si quod hic ais me in literis ad D. Philippum affirmasse, poteris probare, permitto tibi, vt me posthac voces nebulonem, mendacem, vanum, & omnibus illis præclaris nominibus, quibus in his præclaris tuis orationibus me subinde exornas. Sin, Ego contra prolato in medium primo meo autographo, demonstrem falsum esse, quod de me hic scribis: patere tu vt ego saltem dicam tibi, te non semper dicere verum. Quod etiam in ea historia scribis, turbas excitatas fuisse in Schola ea de causa, falsum est. De Capitulo nihil dico, quoniā totum hoc negotium clam me trāsegit, & literas ad te scripsit. Sed quod conquereris de literis Capituli, quod iracundæ fuerint: credo Capitulum causas habuisse suæ iræ nō paruas, quòd optimè nosset, quò spectarent literæ illæ tuæ, & in recenti haberet memoria, quibus artibus effectum fuisset, vt bonus Martyr à nobis discesserit. Cæterùm illud totius historiæ tuæ ἐπιφώνημα, vbi sic quasi exclamas: *Hoc tam magnum est peccatū venia omni indignum, quod mihi Zanchius in hac sua oratione exprobrat*, adegit me quasi ad desperationem. Nam si est peccatum, ita magnum, vt omni venia sit indignum: quid veniæ sperare possum? perij igitur in sempiternum. Sed bene est, quod peccatum nullū est. Lege meliùs meam narrationem, & videbis non esse tam grande peccatum. Ibi dixi, te posteaquàm accepisses literas de illis à me recitatis in Schola D. Philippi dictatis, scripsisse ea de rè ad Dominos nostros. Quid autem scripseris, me ignorare. En illud magnum peccatum omni venia indignum, quod ais me tibi exprobrasse. Si maiora in me peccata non repereris, perbellè habebo.

MARBACHIVS.

NVnc verò audiamus etiā, quid XIII. Virorū admonitio, ad quos hæc scripserā, apud ipsum effecerit. Literas, inquit se scripsisse, quàm primū intellexerit de mea ad Dominos Tredecim Viros epistola, ad D. Philippū Me-

lanchthonem, quibus ipsum hortatus fuerit, primũ quidẽ vt bonam causam (ita enim Caluinianismum vocat) fortiter agat. Deinde vt me erroris de Vbiquitate corporis Christi admoneat. Se enim propter eũ errorem, hic vexari. Hócque D. Philippum diligenter exsecutum fuisse, se nõ solùm à certo suo amico cognouisse: sed etiã ex iis quæ postea sint consecuta, &c. Stupenda certè hæc est huius hominis impudentia. Non satis illi erat in mea absentia suũ hic venenum in Schola spargere, & Zvvinglianismi ponere fundamẽta: VVormatiam etiam scribit, & præcipuũ inter Theologos aggreditur, qui tũ eò ab Imperij Statibus conuocati fuerant, non defendẽdi aut stabiliendi Zvvinglianismi & Caluinianismi gratia, sed vt contra aduersarios, doctrinã Augustanæ Confessionis, consentienter tuerentur: & sicut Papisticos, & Monachorum errores: ita etiam omnes alios pugnantes cũ ea opiniones, refutarẽt, inter quas & Zvvingliana de Sacramento erronea opinio numeratur. Hunc inquam aggreditur, & contra datã hîc Dominis Scholarchis fidem, in perniciem non huius tantũ, sed totius Germaniæ Ecclesiarum, illi Zvvinglianismum persuadere conatur: & præterea me, qui publicã in illo loco personam sustinebam, apud tantũ virum falsò traducit & accusat erroris de Vbiquitate corporis Christi: de qua, vt suprà dictum est, ne vnum vnquam verbũ ex me audiuit: vt taceam quod propter eam ab aliis hîc sit vexatus quod impudentissimum est mendacium. An hoc non est malitiosè & perfidè cum collega agere? si sciebat me isto errore infectum, quare non me hîc huius admonuit, antequã VVormatiã profectus sum? quid opus erat me clam & ignorante, etiamsi verum fuisset, quod tamen non est, hæc aliis enunciare, meámque authoritatem & fidẽ qua in illo loco maximè mihi opus erat, labefactare & de erroribus suspectã reddere? Sed, Dei beneficio, ille quem artudinis similem fore putabat, vt quam ante annos triginta professus fuerat, in illius & sui similium gratiam sententiã retractaret, tantũ abfuit, vt in illo colloquio aliquid de veteri & priori sua sententia mutarit, vt palàm etiã & nominatim Zvvinglium eiúsque doctrinam de Cœna Domini, condemnarit. Possum etiam hoc coram Domino verè dicere, quod toto illo colloquij tempore, quæstionis de Vbiquitate corporis Christi non tantùm erga me: sed ne quidem erga alios vllam vnquam fecerit, vel vno etiam verbo mentionem. Quis est ergo ille mendax Zanchij amicus, ex quo hæc audiuit? Verba certè, quibus mecum aut cum D. Brentio egerit de hac quæstione, nulla profers, nisi conficta & mendacia.

ZANCHIVS.

PErge macte virtute conuitiari, & eris victor. ἐγὼ μήτε πρὸς τὰς ὕβρεις, μήτε πρὸς τὰς φλυαρίας ῥῆμα ἐρῶ. Tantùm quod ais, D. Philippum in colloquio VVormaciensi
Phil. Mel. damnasse nominatim Zvvinglium eiúsque doctrinam, dico istud pugnare cum Epistolis aliquot, quas ipse ad D. Bullingerum VVormatia scribebat: quásque ego tum cùm redirem ex Rhetia, legi: vbi scribebat, se à multis vrgeri vt Zvvingliani damnarentur: sed se nullo modo voluisse assentiri, aut assensurum vnquam fuisse. & res ipsa, quod dico, confirmat. At, inquies, verum est, publicè eos noluisse damnari: vt Ienenses vrgebãt: sed priuatim ipse damnauit. Ego respondeo: me nolle de iis rebus secretis tecum contendere. Hoc vnum scio, D. Philippum non fuisse ita temerarium, atque præcipitem in damnãdis vel doctrinis vel hominibus hæreseos: atq. sunt hodie nonnulli Superintendentes. Quid etiam de Cœna senserit, non ignoramus: & illius ad Illustriss. Electorem Palatinum, testificatur Iudiciũ. Nil præterea tibi, quod ad hæc attinet, respondeo.

MARBACHIVS.

PLanè eadẽ fide recitat ea quæ sequũtur, quid nimirũ illi de hac cõtrouersia promiserim, eo tẽpore quãdo mecũ D. Rectore comitatus fuit in curru vsque in Liechtbenaum. Testis est ipse D. Rector, qd in illo toto itinere de reb. admodũ ludicris locuti & cõfabulati fuerimus. Manè verò fateor, intereà dum D. Rector, D. Philippo literas scribebat & ego me itineri præpararem, me familiariter illi locutum fuisse, videlicet gratias agendo pro præstito officio humanitatis, quod me ad hunc vsque locum esset comitatus, dicebã me illius esse & mansurũ amicum, vtque de mea erga ipsum vera beneuolentia nihil dubitaret. Sperare me quoque, nos aliquando de controuersis inter nos articulis idem sensures. Finito enim colloquio, futuram synodum. Hanc nũc secundò Principem Palatinũ Electorẽ promisisse nobis Frãcofurti & VVormatiæ. Me eã ob causam præcipuè in cor[illegible]nationes quæ ab aliis petebantur, noluisse consentire, nisi antea in tali legitima doctorũ hominum synodo auditi, rationem fidei reddiderint: in re sacramentaria D. Bezam VVormatiæ omnibus Theologis de illius controuersia componenda optimam fecisse spem. Confessione enim nobis edita in scripto, nomine Gallicarũ Ecclesiarum, quam doctrinam profiteantur, in omnib. quasi articulis nobiscũ eas sentire, excepto articulo de Eucharistia, quem tamen ita explicarint, vt quã proximè accedant ad nostram sententiam. Atque propterea quòd se ad ampliorem in hoc articulo declarationem obtulerint, satisfacturi Synodo, si non exclusi, saltem vocati fuerint. Hic dicebã Zanchio, me hortatorẽ fuisse Principi Electori vt finito colloquio quam primum synodus illa per ipsũ conuocetur, & quod ad hanc sacramentariã cõtrouersiam attinet, etiã Heluetij & Caluinus vocati audiãtur. Hisq. absolutis, ipsi & Domino Rectori valedicens, VVormatiã profectus sum. Nullius alterius habita cum ipso disputationis in illo itinere meminisse possum, nisi quod paucis & obiter vtrique etiã recensebã, quib. causis & rationib. nos meti, petitioni Ienensiũ Theologorũ assentiri nõ potuerimus, quod illas suas quas instituerant condẽnationes intẽpestiuo vrserint tẽpore, & loco non satis cõmodo: dedisséq. illos hac sua importunitate aduersarijs nostris occasionem abrũpendi colloquij, si saltem per Imperatorẽ & alios Imperij Status illis liceat & permittatur. Hãc verã esse illius nostri itineris historiã, ipsũ Dominum Rectorem qui horũ omniũ absq. dubio adhuc benè meminit, testẽ adduco. Ad quid igitur iã toties mihi obiicit Vbiquitatis quæstionem, quod in hoc itinere primum pollicitus illi sim, me de illa in posterum nolle amplius contẽdere? quasi ante cũ ipso & aliis de ea cõtenderim. Edoctus autẽ à D. Philippo veritatẽ errorẽ cõceptũ abnegarim, quæ simpliciter falsa, ficta, & ab homine Italico mentita esse, constanter & apertè affirmo.

ZANCHIVS.

TV hîc narras quædã vera, quædam falsa, quæ quia tamen nihil ad rẽ faciũt, libenter omnia prætereo. Sed quod non puduerit te hac oratione scripta & è scripto in pleno Capitulo recitata, complecti & referre ea quæ per iocũ tui exhilarandi gratia dixerã, in eo certè satis luculenter explicas ingenij tui barbariem. Quia verò hîc, D. Marbachi, non cõtentus me priuatũ hominẽ infinitis conuitiis ac cõtumeliis tota ista tua oratione affecisse, perstringis etiã grauissime totã nationẽ Italicã: id quod semel etiã antea feceras, dico tibi nisi promisissem de principio, me nullũ in te reiecturũ conuitiũ sed fore te modestiorẽ, ego hîc non possem me cõtinere, quin te ornarẽ iis titulis quib. dignus es, & nihil in te dicerẽ, quod nõ tua quoq. cõsciẽtia, si tamẽ vllã habes, verissimũ esse attestaretur. Ecquisnã Deũ immortalem! posset amplius tuã istã ferre immodestiã atq; barbariẽ? tene Theologũ? tene Christianũ? tene hominẽ, tu cognominaris doctor Theologiæ: & requiescis in Euangelio: & confidis te esse ducẽ cæcorũ, lumẽ eorũ qui in tenebris sunt: eruditorẽ insipientiũ: magistrũ infantũ, & os tuũ nihil aliud penè crepat, quã conuitia quã contumelias, quã verba iniuriosa. Haccine est modestia quã reliquos iuuenes & pastores, & Diaconos tuo exẽplo doces? ex postulato postea quod hac controuersia ministerium Ecclesiasticũ tua immodestia agẽdi & tuum imprimis viluerit. Quomodò non vilesceret ista ratione? cur non tandem imponimus finem? quomodo? colloquio amico, Christiano, in quo demus gloriam Deo & ipsius tantum veritatem quæramus. Misereatur nostri Dominus Iesus.

MARBACH.

SImili ratione se vanum & mendacem esse ostendit, cũ recenset quæ finito colloquio mecum egerit. Multa me, inquit, illi reuersum VVormatia explicuisse, quæ in colloquio dicta & gesta fuerint. Fateor, vt amico ad huc & collegæ multa illi communicaui: quæ saltem ratione præstiti iuramenti: enunciare & aliis communicare poteram: sed illa me ei dixisse quæ in hac sua oratione producit, pernego, videlicet me noluisse vt Zvvingliani condemnarentur. Quid autem à D. Philippo factũ & à reliquis Theologis subscriptum & approbatum fuerit & ita etiã à me, iam antè dictũ est. Deinde quod integerrimi & doctissimi viri Ioachimi VVestphali factũ improbauerim, quod Caluino reuocanti certamen sacramentarium se opposuerit, falsissimum est, Legi enim omnia illa VVestphali scripta, quæ semper probaui, & adhuc hodiè probo. Atque hoc illis prohibeo testimonium, quod Caluini de cœna Domini spinosas, & ex Philosophia desumptas opiniones magna dexteritate & perspicuè in lucẽ proferant retegántque. De synodo verò quæ illi dixerim & nõ alia, iã antè fassus sũ. Quòd verò addit, mihi à principibus mãdatum fuisse vt Tigurinorũ & sociorũ volũtates in hac causa explora-

plorarē, ab ipso fictū est. Apertè enim dico, sicut nullū tale mandatum à principibus accepi: ita etiam me habere tale mandatum, ad nullum mortalium vnquam dixi. Promisi quidem meam operam, me autorem fore & suasorem Electori Palatino, vt in synodo Heluetica & illi adiuncta Ecclesiæ non negligerentur, si tantùm constaret, an vocati ad synodum venturi essent: neque prohibui aut improbaui, vt ad explorandam illorum voluntatem, Zanchius ad quosdam literas daret. Si verò à principibus mihi hoc faciendi iniunctum fuisset, non certè Zanchij vsus fuissem opera: sed ipse exsecutus fuissem, scriptis hinc inde literis. Quid igitur de tali homine quiduis pro sua libidine fingenti & spargenti, iudicandum est?

ZANCHIVS.

ITerùm ad conuitia: iterùm quidquid narraui, negas. Sic enim constituisti omnia negare, vt me mendacij scilicet possis conuincere. Perge itaque fortis Bellerophon, & vinceris chimæram. Sed non intelligo tuum stylum, constantissime vir. Tu paulò antè narrabas, cùm esses VVormatiæ, Ienenses & tibi & Palatinicis proposuisse, vt damnarentur Maioristæ, Adiaphoristæ, & præter alios etiam Zvvingliani: te verò cum Palatinicis ob certas causas recusasse. Modo hic, tantùm vt mihi mentiaris: [Sed illa, *inquis*, me ei dixisse, quæ in hac oratione sua producit, pernego, videlicet me noluisse, vt Zvvingliani damnarentur.] Quomodo hæc cohæreant, non intelligo. Si non ita res habet, quomodo igitur fuisti ex illorum numero qui manserunt in colloquio? nam quis nesciat, illos qui volebant vt damnarentur Zvvingliani, tandem discessisse, & qui noluerunt assentiri permansisse? Ego non intelligo istam tuam Musicam. Si, quæ in mea sunt narratione de VVestphalo, de synodo, de exploranda voluntate Tigurinorum, ex te non audiuissem: quomodo fingere ea mihi potuissem? deinde quid me vrgebat, vt hæc fingerem? an ignoras, illam optimam esse coniecturam in iudicio ad cognoscendum: vtra pars dixerit fecerit ve id, de quo accusatio est instituta: vt semper Iudex consideret. *Cui bono.* Quid mihi obsecro boni ex hac (vt tu calumniaris) ficta mea narratione de VVestphalo? Annon tu mihi iniunxeras, vt Tigurinorum & Martyris voluntatem explorarem? Sed quia inter nos solos hæc acta fuerunt, tu audacter pernegas. At memineris, Deum esse testem horum omnium. Te autem non nunc primùm incipere, quæ priuatim aliquando asseueraſti, posteà publicè pernegare, norunt etiam præter me alij.

MARBACHII.

L*Onga hucusque Zanchius oratione vsus, nunc tandè præsentem, quæ inter nos agitatur, controuersiā in medium produceit, initio sumto à literis, quas Colonius quidā Heidelberga ad pastorem Gallicanæ Ecclesiæ scripserat, in quibus, quod mirum est, planè contraria continebantur. Primò de Zanchio rumorem Heidelbergæ sparsum esse: quasi etiam ipse in re sacramentaria sentiret cum doctoribus huius Ecclesiæ, qui Lutheri sententiam sequuntur, videlicet de Manducatione & Præsentia, &c. Alterum, de ipsius Zanchij mecum consensione in hac de cœna Domini cōtrouersia. Sed quid quæso opus erat hac quæstione, si Heidelbergensibus constabat nos hic Lutheri sententiam sequi, & corporalem præsentiam Christi in cœna, cum impiorum manducatione affirmare, Zanchiúmque in ea re nobiscum sentire? numquid de nostra consensione certi erant? cur igitur quærunt? quia scilicet contrarium verum erat: videlicet Zanchium bonum & constantem esse Cinglianum & Caluinianum de quo nihil dubitabant. Cùm autem nihilominus quiete & nemine contradicente, hoc suum dogma sargeret & profiteretur: de me verò ipsius collega & aliis pastoribus & Ecclesiæ ministris dubitabant, an adhuc in doctrina Lutheri constantes permaneremus, an verò mutata sententia Caluinianis opinionibus delectaremur: quod factum esse, duabus præcipuè de causis sperabant. Prima, quia Zanchio liberum permitteretur publicè suam sentētiā profiteri. Altera quod in tāto hactenus silentio nos continuimus, adeò vt huic nominationi, quæ Heidelbergæ ab ipso facta fuerat, quasi probantes nihil contradixerimus. Itaque vt de nostra voluntate & confessione essent certi, petunt meam cum Zanchio scire consensionem, hac simul spe freti, vt si illa consensio nondum facta esset, fieri posset, vt Zanchij tanti viri autoritate, argumentis & rationibus persuasus, consensionem cum ipso, in hoc controuerso articulo faciam, & à D. Lu-*thero & doctrina eius adhærentibus profugus, in illorum hoc est, Caluinistarum castra transeam. hunc que scopum fuisse & Heidelbergensibus Theologis & Zanchio ipsi, facile animaduertis, vt primùm Zanchij mihi exhibitam Epistolam perlegi: quam si incautus subscripsissem, de hac tota Ecclesia & Schola ipsorum opinione potiti fuissent victoriā. Veritatem autē dico, me lectione huius Zanchij Epistolæ, valdè turbatum fuisse. Nam videbā illam Heidelbergensem de sacramento contentionem hac occasione etiam ad nos pertrahi: Zanchium iam apertè absque vllo ampliùs metu suam profiteri de Eucharistia sententiam: & habere nunc quorum autoritate se defendat: cùm in vicinia nostra in Publica Electoris Palatini Academia, & Heidelbergensi Ecclesia, idem dogma publicè proponatur & defendatur, id que sub titulo & sub nomine Confessionis August. &c. Nihil tamen in hac tanta causa putabam præcipitanter agendum esse: sed potiùs ratione officij mei, me debere Zanchium initiò amicè monere, & vt se huic peregrinæ controuersiæ non immisceat, hortari.*

ZANCHIVS.

SIcut ex Zvvinglio facis Cinglium: ita ex Colonio facis Colinum benè Colinus esto, modò ne tua oratio sapiat culinam. Sed qualem putas esse hunc Colinum? pastor est Ecclesiæ Metensis, doctus pius, sanctus, modestus, fortis. In ista tua culina, nil boni reperio, nisi multum fumi; parum ignis: multas sordes; & parum cibi. Itaque ego non ingrediar: ne aut tuus fumus meos enecet oculos, aut sordes, meos contaminent pedes.

MARBACHII.

I*Taque accersito Zanchio in ædes meas, cœpi familiariter & amicè de toto negotio cum illo conferre. Primùm, exordium epistolæ, quod summè me offendebat, videlicet, quòd eos qui nostram hactenus Heidelbergæ doctrinam de sacramento Eucharistiæ professi fuerant, contumeliosè nō tantùm turbatores Ecclesiarum vocat: sed dignos etiam qui à Principe aut coërceantur aut ministeriis suis amoueantur, &c. pro tempore, vt amicus adhuc dissimulabā. Deinde alterum non minùs malè me habebat quod tam studiosè & multis verbis se Heidelbergensibus purgabat, ne Lutheranismi suspectum haberent, in eo præsertim. cū affirmat se suam de sacramento sententiam & hic & alibi, tam coràm quàm per literas ita explicuisse, vt qui eam non intelligat, ferè sit nemo. quod eum ipsius compromisso & proprio chirographo pugnabat. Verùm etiam hanc camerinam mouere in præsentia sine commodi non videbatur. De tribus igitur eum saltem commonefacere cogitabā. in quibus ei neque assentiri neque epistolam subscribere possem. Primùm erat D. Philippi Melanchthonis iudicium, quod etsi nostræ sententiæ de sacramento Eucharistiæ non aduersaretur: tamen quia scirem, D. Heshusio, D. Morlino, qui adhuc in viuis essent, iniuriā fieri: ideò me illud ita simpliciter probare non posse. Excitaturum enim hoc scriptum nouas in Ecclesia turbas. Itaque longè consultius & vtilius fuisse, nunquam fuisse editum, &c.* Phil. Mel. iudicium. *Secundam, modum recipiendi & comedendi corpus Christi in S. Cœna, etsi probabam, videlicet Corpus Christi non comedi & recipi aliorum instar ciborum, dentibus corporis, & in stomachum traiici, &c. Recipi tamen verum corpus intra nos affirmabam à fidelibus ad vitam, ab infidelibus ad iudicium & condemnationem. Tertium, quod quadruplicem illum ordinem, quem faciebat inter communicantes hoc sacramento, negabam mihi satisfacere, illiusque loco aliam distinctionem magis conuenientem huic instituto adferebam. De his tribus articulis, cùm diu ad duas propemodùm horas contulissemus; & Zanchius neque mihi assentiret, neque ego à meo proposito dimoueri poteram: tandem disertis verbis dicebam, me Epistolæ non subscripturum. Posse eum hæc quæ indicassem, suo arbitratu emendare aut mutare: & posteà prout visum illi fuerit, mittere quocunque velit: suo tamen non meo nomine: idque me illius permittere prudentiæ. Hæc de ipsius Epistola inter me & ipsum acta sunt. Sed quàm fideliter in sua oratione, ista recensuerit, vt vbique sit sui similis, hoc est, vanus & mendax, satis testatur quod tam impudenter affirmat, me illi concessisse, vt communi vtriusque nomine & consensu mittatur, quod ne in mentē vnquam mihi venerat. In hunc enim finem respiciebam istā actione, vt commodè absque aliqua offensione aut amicitiā nostræ dissolutione, sicut subscriptio-*

nem, ita etiam istam consensionem subterfugerem, atque declinarem.

Nihil hucusque à Zanchio allatum est, ex quo probari fuerit amicitiam & philadelphiam, quam ei ab initio premiseram, certis tamen conditionibus à me violatam, & ita etiam neque Scholæ nostræ tranquillitatem à me turbatam esse. Necesse igitur est, sicut initio huius suæ orationis hoc se facturum premisit, vt propiùs ad rem accedat, & certis argumentis conuincat, me violatæ amicitiæ & turbatæ communis pacis autorem esse. Id quod nunc in sequenti sua narratione probare instituit. Sed quàm bellè, videamus.

ZANCHIVS.

TV es egregius sophista, & tamen nō audes disputare. Quod ego in genere scripsi, tu contrahis ad speciem. Mea verba in Epistola ad Colonium, sic habent. [Gratulor vestro Illustrissimo Principi, qui curet puram doctrinam in suis & Scholis & Ecclesiis doceri: & Ecclesiæ turbatores vel inde amoueri, vel coherceri: Obsecro qui fuerunt turbatores? annon vtraque pars, dùm contra etiam iussa Electoris, pergebant ambo altercari, & alter alterum pro concione damnare? qui etiam fuerunt inde amoti? an tantùm Heshusius? annon etiam ipsius antagonista? & iure. Nam qui iustis Magistratus iussis non obtemperant (quia qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit) aut expellendi sunt aut coherendi. Vide deinde, quàm præceps sis in mentiendo. Ais me esse mendacem, & vanum, & impudenter affirmare, te mihi concessisse vt communi vtriusque nomine, epistola illa mitteretur. Lege, lege priùs benè, quid in mea contineatur narratione: deinde dicas me mentiri, si possis. Verba mea ita habent: *Quod verò ad epistolam attinet, sic respondit: Tu Zanchi poteris pro tua prudentia, eā corrigere: posteà vbi sic emendata fuerit, poteris eam, si velet, Heidelbergam mittere.* Vbinā mentio est tui consensus? aut vtriusque nostrûm nominis? interim tamen appellas me mendacem & vanum. Istæ sunt illæ tuæ demonstrationes ex mendaciis nimirùm confictæ, quibus initio tuæ orationis iactabas te demonstraturum & luce meridiana clarius ostensurum, Zanchium esse vanum & mendacem. Ergo hic etiam nihil cōcludis, nisi te excæcatum odio mei, temerè quæcunque aduersus me scripsisti & egisti, scripsisse & egisse.

MARBACH.

PRimum & præcipuum argumentum eius est: Hethusii Confessio hic cœpit imprimi quæ præsenti tragœdiæ primam dedit occasionem. Huius autem libelli, vt imprimeretur, Marbachius fuit autor. Ergo simul etiam violatæ amicitiæ & turbatæ pacis Scholæ nostræ autor est. Sed hæc nū Zanchius benè vel secus colligat atque concludat, sequens historia clarè & perspicuè ostendet. Initio autem expenā, quibus de causis D. Pastores, vnà mecum moti, vtile iudicarint, vt hæc Hethusii de sacramento Eucharistiæ Confessio hic iterum imprimeretur. Exemplum Confessionis è Thuringia primum ad me missum fuit, quod cùm diligenter legissem, meis fratribus D. Pastoribus legendum quoque exhibui: cúmque postea conuenissemus, collatis inter nos sententiis communi omnium iudicio hæc Hethusii scripta Confessio habebatur pro pia, Christiana & Catholica, & quæ consentiret cum doctrina, quam nunc annis quinque & viginti de Eucharistiæ sacramento huic Argentinensi Ecclesiæ tradidimus. Hethus. lib. *Itaque etiam gratias agebamus Domino Deo nostro pro hoc suo magno dono in Hethusium collato. Post Lutherum enim non existimabamus hanc de sacramento controuersiam, à nemine eorum scilicet qui Augustanæ Confessionis sententiam tuentur, meliori methodo, faciliùs & magis perspicuè & dilucidè explicatam esse: & quia præter illud vnicum exemplum, alia non habebantur, propter has sequentes tres causas, videbatur nobis omnibus officij nostri esse, curare vt hic à nouo typis excuderetur. Prima causa, vt Hethusii innocentia piis & bonis viris innotesceret, qui propter editum D. Philippi iudicium per totum orbem traducebatur, vt qui in Augustanæ Confessionis Ecclesias, Papisticum & dudum condemnatum Transsubstantiationis dogma iterùm reducere conetur. Hac enim calumnia pariter omnes sacramentarij, Caluinus, Beza, Tigurini & alij, nostras Ecclesias, earúmque ministros grauant. Ita enim suam causam plausibiliorē fieri apud vulgus hominum vident. Quid enim aliud Caluinus & Beza in omnibus suis scriptis VVestphalo & Saxonicis Ecclesiis obiiciunt & exprobrant, quàm quod Christi corpus pani includant, sub & in pane delitescere dicant, quod dentibus atteratur, quod in stomachum ingurgitetur & in ventrem descendat? quid Beza in hac sua simili responsione ad Hethusii Confessionem aliud per totum librum ingeminat? quid Zanchius ipse in suo ad D. Schelarchum scripto, de primo postulationis meæ capite, magis exaggerat? quàm quod prædicare nos nunc dicit: modò ipsum panem esse ipsissimum corpus Christi naturale: modò Corpus Domini esse in & sub pane, & quidem ita inuolutum in pane, sicut olim inuolutum fuit in pannis, &c? hæc monstrosa & prodigiosa verba, quis vnquam à nobis audiuit, aut in nostrorum scriptis legit? & tamen impudenter ea nobis obiiciunt, non aliter ac si rei horum tantorum scelerum conuicti essemus. Quam ob causam? nisi vt eò faciliùs rudibus & rerum nescius imponant, ac persuadeant, nos etiam nouum & prodigiosum dogma excogitasse & profiteri. Vt igitur tam ab Hethusio, quàm à nobis & nostris Ecclesiis, ista blasphema criminationes remouerentur, voluimus hanc Hethusii Confessionem in omnium versari manibus, legi & cognosci ab omnibus. Ficta enim hæc crimina esse in Ecclesias Augustanæ Confessionis, clarissimè ostendit, vt æquo & pio lectori qui vertiginoso sacramentariorum spiritu nondum exagitatur, ad plenum satisfaciat. Altera causa, quod videbamus, in Palatinatu ministros, qui hanc cum Hethusio doctrinam de Cœna Domini profitebantur, ab officiis remoueri tamquam turbatores, qui contra sententiam August. Confessionis papisticam opinionem Ecclesiis obtruderent: idque iudicio & sententiâ Philippi Melanchthonis, quod propterea typis excusum & publicatum fuerat, vt manifestum testimonium D. Philippum non tantum à doctrina Confessionis Hethusii abhorrere, & alienum esse: sed propterea damnare etiam eos, tanquam diuersum ab Augustana Confessione sententes, qui hanc Heshusii doctrinam amplectantur. Et certè in hunc finem, scriptum illud quamprimùm huc allatum est, quidam hic Latinè & Germanicè secundò imprimi curarunt, & in eam etiam sententiam à plerisque legebatur, & satis auidè, iámque Philippus ex professo stabat à partibus Caluini & Sacramentariorum, suâ statione, quam vltra annos quadraginta magnâ fide & constantia tutatus fuerat, desertâ. Quid verò hoc erat aliud, quàm tam excellenti viro de vniuersa Ecclesia Christi & tota posteritate optime merito, summam infamiam inurere & laudem atque testimonium suæ pietatis & integritatis, fidei & aliarum virtutum, tantâ labe & indelebili maculâ aspergere & obscurare? Neque iam ampliùs de Heidelbergensi Ecclesia & Academia agebatur, simul hæc nostra Argentinensis Ecclesia, & aliæ omnes Ecclesiæ petebantur & damnabantur: quæ doctrinam de sacramento Eucharistiæ, sicut ea in Confessione Hethusii recitatur, suam esse agnoscunt. Hîc certe nisi turpi silētio veritatem doctrinæ aduersariis prodere volebamus, & inspicientibus nobis ferre peregrinum genus doctrinæ Ecclesiis nostræ fidei commissis obtrudi, summâ necessitate adactis, ratio nobis ineunda erat, quâ præsenti malo mederemur. Itaque vt nostra voluntas & constantia non tantùm nostris hominibus, sed simul etiam omnibus aliis Ecclesiis, eiusdem nobiscum Confessionis, innotesceret, nos propter præsentes turbas quæ in Palatinatu in negotio sacramentario excitatæ sunt, & propter Iudicium Philippi (quod tamen rectè & candide, vt absque vlla dubitatione ab autore scriptum fuit, intellectum: nihil nostræ sententiæ & doctrinæ repugnat:) nequaquam discessuros à semel recepta & facta concordia huius & aliarum superioris Germaniæ Ecclesiarum cum D. Luthero & Saxonicis Ecclesiis: quæ autem in hoc Hethusii scripto dextre & perspicue exposita est, ideóque omninò faciendum, vt apud nos imprimatur. Tertia causa, videbamus non tantùm in hac nostra vicinia, pastores & Ecclesiarum ministros: sed nostros quoque auditores & Theologiæ studiosos multum turbari, propter sparsam de D. Philippo Melanchthone defectionem ad Cinglianismum: cumque interdum iis, qui Cinglianam opinionem nunc ferociùs & liberiùs, quam antehac, vrgent, vt & Sophistica illorum argumenta dissoluere non possint: igitur vt ipsorum infirmitati succurreretur, antequam victi desertâ veritate vanis & falsis opinionibus se traderent, necessariū esse iudicabamus hoc Hethusii scriptum illis suppeditare, in quo non solum hanc totam sacramentariam controuersiam haberent explicatam fideliter: sed & argumenta quibus nostram doctrinam stabilire, tueri, & defendere, atque Cinglianorum simul*

simul opiniones & Philosophica somnia dissoluere possent facillimè: itemque exemplaria, præter hoc vnicum à bono amico acceptum, exstarent nulla: imprimendum ergo à nouo esse concludebamus. Quid hic à nobis peccatum est? aut contra nostrum officium actum? an nobis curæ non esse debebat Ecclesia, vt in ea sana & sincera de sacramēto doctrina, quam nunc multis annis constantissimè profitemur, incorrupta maneret? præsertim hoc tempore, quo manifeste oppugnatur. Num vt perfidi & mercenarij & inutiles canes, ingruente periculo, desertis ouibus, lupis eas dilaniandas permitteremus? si hoc peccatum est, vt lupi nostri, libenter peccatum agnoscimus: neque etiam vlla eius ducimur pœnitentia. Sed vbi adhuc, vel in quo, violata à me est philadelphia Zanchio promissa, aut turbata pax Scholæ? Si ex his tam veritatis causa non apparet, videbitur fortassis ex Zanchij oratione. Eam igitur nunc examinabimus.

ZANCHIVS.

EGo simpliciter narrationem meam continuo. Tu vero ais, me conficere argumenta. Ergo tu ludis operā D. Marbachi, cùm omnes intendis neruos, vt hæc ad argumenta respondeas, quæ tu ipse componis & diluis sicuti pueri fabricant domunculas luteas, & eas ipsimet etiam diruunt. Gratias ago Deo, quod appellas monstrosa & prodigiosa hæc verba: *Ipsum panem esse ipsissimum corpus Christi naturale: & ita inuolutum esse in pane, sicut olim inuolutum fuit in pannis.* Hoc aliorum dictum, pro concione à D. Flinnero in festis diebus natalis Domini, primo controuersiæ nostræ anno, vsurpatū & repetitum fuisse; non pauci ad me retulerunt. Illud alterum apertè docent omnes illi, qui contendunt, in iis verbis, Hoc est corpus meum, nullum inesse, [illegible]: sed identicam, vt aiunt esse propositionē, qualis est ista, Iesus est filius Dei, [illegible] est Deus. Si vos quoque ita docetis: quid iniuriæ vobis fit, si quis dicat, vos dicere, panem esse ipsissimum corpus Christi? annon Heshusius ita docet? Audi quid referat Philippus in Iudicio, Bremēses dicere, panē esse substantiale corpus Christi, Heshusium dicere, panem esse verum corpus Christi. Quòd si tu modò agnoscis, hæc verba esse mōstrosa & prodigiosa, Deo sit laus. Si iudicium D. Philippi, vt ais, rectè intellectum, nihil vestræ sententiæ repugnat: cur ergo damnas eos, qui iisdem locutionibus, quibus & Philippus in Iudicio vtuntur? Cur non eas interpretaris in bonam partem? Cur non rectè intelligis? Tu adfers multas causas quibus conaris defēdere tuum factum, quod scilicet curaris, librum Heshusij imprimendum. Sed hic tibi hoc tantum dico, si tam bona erat tibi conscientia: Cur igitur non priùs illis, qui à Magistratu ad libros inspiciendos antequam imprimantur delecti sunt, hunc librum ostēdisti? causas tam bonas explicasti? & vt permitterent imprimi petiisti? Cur ementitum nomen ciuitatis imponendum curasti? Qui benè agit, non odit lucem, sed venit ad lucem, quia opera eius in veritate sunt facta. Deinde an benè vel malè egeritis, Senatus qui illum librum suppressum voluit, liquidò demonstrauit.

MARBACH.

DVo, inquit, viri graues, ad me venerunt, & indicarunt imprimi in hac vrbe librum quendam de re sacramentaria refertum plurimis cōuitiis in Principem Palatinum & alios viros doctos, videlicet Petrum Martyrē, Bullingerum, Caluinū, &c. Qui viri illi an graues fuerint, ignoro: Sed Sacramentarios Gallos fuisse, quibus scilicet doctrina huius libri displicuit, non dubium est: & querela ipsorum testatur. Sed quid ad hos graues viros libelli impressio? num à Senatu nostro constituti fuerunt, vt habita inquisitione caueant, ne quid Caluino & Tigurinis cōtrarium hic imprimatur: Viri scilicet egregij & grati, cùm hactenus vt exsules, hospitio humaniter excepti sint: & religionis suæ professionem liberam hic in Gallicana Ecclesia obtinuerint: ea non cōtenti, audent apertè nostras Ecclesias hostiliter inuadere, eiúsque doctrinam, ne publicè aut imprimatur aut legatur, atque qualis sit cognoscatur, impedire. Hoc quid aliud est, quàm serpentes in sinu alere?

ZANCHIVS.

QVANDO tādem, Marbachi, desinis conuitiari? quādo tandem, discis aliquam modestiam? quousque tandem exprobrabis peregrenis non tua, sed aliorum, nempe Dominorum nostrorum beneficia? Si Galli & Itali hospitio à Dominis Argentinensibus excepti sunt & excipiuntur: tu quoque peregrinus exceptus es. Et si nos liberaliter tractamur: tu certè haud illiberaliter. An tu toruum vides, quod Domini Argentinenses tam sint liberales & benigni? Quare, non est tuum nobis exprobare aliorum beneficia: sed nobiscum agere gratias ipsis benefactoribus: Argentinensibus dico, Argentinensibus ó D. Marbach. Quod nos attinet, agnoscimus hæc beneficia, & habemus Dominis Argentinensibus, non tibi gratias. Dicis hanc Rempublicam fouere serpentem in sinu, quia Gallos excipit hospitio, & illis concedit Ecclesiam. Tu verè prodis à quo agaris spiritu. Exuat tibi Deus istum agrestem & crudelem animum.

MARBACH.

SEd inquiunt, librum refertum esse plurimis conuitiis in Palatinum, & alios viros doctos, &c. P. Martyrem, Caluinum, &c. Etsi verum esset, quid hoc ad ipsos? quare peregrinis se negotiis immiscēt? num à Palatino & illis doctis viris intercedere conducti sunt, vt, ne quid cōtra ipsos spargatur aut scribatur, curēt? falsū quamquā hoc esse dicā, conuitiis scilicet in Palatinū Principē refertū esse. In toto enim libro ne vno in loco Palatini fit mentio. Proferant ergo viri isti graues, aut etiam ipse Zanchius, saltē ex multis vnum, & peccatum fatebor. Reliquis verò doctis viris si iniuriam fieri putant, quod conuitiis proscindantur: æquum sanè erat, vt hi graues viri, antequam hunc librum propter huiusmodi conuitia, ne imprimeretur, impedirent, priùs illos ipsos doctos viros, pro quibus adeò sunt soliciti, conuenissent, officiiq. eos monuissent, vt scripturi aduersùs nos nostrásque Ecclesias, à lōgè adhuc maioribus conuitiis, imò blasphemiis abstinerent: vt cùm non verentur iactare, nos facere Christum πολυσώματον, πολύτοπον, καὶ παντότοπον, hoc est, multi corporeum, multi locū & omni locū: itē cùm nos vocāt Capernaitas, σαρκοφάγους, hoc est, carniuoros, sanguisugas, Thyestas, pentachusiotas, pentotopistas, vbiquistas, omnilocalistas, cultores pisti & impanati Dei. Alioquin enim non immeritò respondebitur eis: Turpe est Doctori, cùm culpa redarguit ipsum: & illud Terentianum. Qui quæ vult dicit, quæ non vult audiet idem. Deinde miror impotentiam affectuum in Zanchio, quod antequam libellum ipse inspiciat, ad aliorum tantū simplicem relationem, Zelo accendatur, vt statim & in vestigio non tantum concludat impressionem libelli impediendam: sed se ipsum etiam huius tam præclari facti cōstituat actorem: quasi verò hoc ipsius officium fuerit, & illa nostra philadelphia hoc exegerit, de qua deinde dicemus. Heshusij bellus liber.

ZANCHIVS.

QVASI verò quæ ad vniuersum corpus Ecclesiæ & præcipua membra Ecclesiæ spectāt, ad singulos fideles minimè pertineant. Negas principem Palatinum perstringi in eo libro, quia nulla eius fiat mentio. Quasi verò nemo dici possit perstringi: nisi eius nomen exprimatur. Sed quid ego tempus contero, singulis tuis nugis respondendo?

MARBACH.

POsteà obtestatur collegij nostri personas, vt hoc de se persuasum habeant, quod si non sciuisset, hunc librum refertum calumniis & conuitiis, cùm in ipsum Principem Palatinum, tùm in tot præclaras Ecclesias & earum doctores, non impediturum fuisse eius impressionem, &c. Perpulcra sanè obtestatio. Sed vnde quæso Zanchius sciebat, tot conuitia in illo libello contineri, cùm libellum neque vidisset ipse, neque etiam legisset? annon poterant illi duo viri graues, sicut humanum est, aliquid humanum pati, & pro veritate mendacium illi dicere? id quod etiam fecerunt, quod ad Principem Palatinum attinet: de quo liber nihil in vniuersum nec boni nec mali loquitur vt qui nec de ipso, nec contra ipsum conscriptus est. Sed causas Zanchij expendamus quibus motum se esse dicit, vt libri impressionem impediret. Prima, est iusiurandum præstitum nostro Magistratui, in quo continetur, si vnquam audiret aliquid tentari aduersùs honorem & existimationem huius Reipublicæ;

vel aduersus pacem & tranquillitatem eiusdem, &c. vt illud indicaret Sed hic liber, inquit facit contra publicam pacem nostræ Reipublicæ & contra honorem & existimationem nostri Magistratus: nimirùm quod patiatur hic imprimi, quæ læderent honorem Principis Palatini. Ergo propter iusiurandum debuit rem indicare, & quantùm potuit, impedire. Ego verò minorem Zanchij falsissimam esse dico, cùm contrarium verum sit. Nihil enim magis honorem & existimationem nostri Magistratus tuetur & conseruat, quàm si curet, vt Augustanæ confessionis doctrina, quam cum aliis Electoribus, & imperij Principibus veram Ecclesiæ Christi doctrinam esse professus est sincera & incorrupta cõseruetur. Heshusij verò hic liber, doctrinam Augustanæ confessionis, contra illius manifestos hostes, corruptores, & falsarios defendit & propugnat. Ergo impressio huius libri, non est contra honorem & existimationem nostri Magistratus, sed potiùs eam tuetur & conseruat. Quæ Zanchius probationis loco de Palatino Principe infert, nullius sunt momenti. Iam ante enim dictum est, librum contra Palatinum non esse scriptum, ideòque nulla conuitia in illum in eo contineri: aut si vir bonus & verax est, proferat vnum. Altera causa, quâ adductus Zanchius impressionem libri impediuit, sumta est, vt inquit, à pietate Christiana. Postulat Christiana pietas, vt quilibet pro sua virili curet propagari regnum Christi: ea verò quæ hanc propagationem impedire possunt, auerti & remoueri. Hic verò Heshusij liber, in multis locis impediet cursum Euangelij, maximè in Gallia. Ergo pro virili impressionem illius debuit impedire. Respondeo ad minorem. Vera & sincera articulorum Christianæ religionis & symboli Apostolici Confessio & explicatio non impedit cursum Euangelij. Heshusij liber de articulo sacramenti Cœnæ Domini, continet veram & sinceram Christianæ religionis & symboli Apostolici confessionem & explicationem. Ergo non impedit cursum Euangelij. Sed minorem negat Zanchius, eam ob causam, quia liber Heshusij dãnat Caluinum & illius opinioni adhærentes. Ergo ad cõsequens quod impediat cursum Euangelij, respondeo. Petitio principij est. Probet priùs Zanchius, Caluinũ & suos, veram de Cœna Domini sententiam tradere. Hoc enim in quæstione positum est, & à nobis constãtissimè negatur: atque vim facere ipsum, cum suis assertis verbis, Christo instituenti hoc sacramentum, constanter à nostra parte, qui Augustanæ confessionis sumus, affirmamus: ideo Zanchij hoc argumentum ita inuerto aduersus ipsum. Quidquid remoratur cursum Euangelij, impediendum est. Caluini de Cœna Domini doctrina cursum Euangelij remoratur. Itaque impedienda est. Minorem probo: quia verba institutionis Cœnæ à Christo propriè vsurpata, metonymicè & figuratè interpretatur. Et de hac interpretatione seu ἐξηγήσει verborum Christi, Hoc est corpus meum, inter nos controuersiam esse, satis nouit Zanchius. In Ecclesiis enim August. Confessionis, seruamus τὸ ῥητὸν verborum Christi, & credimus quod cùm Christus his suis verbis porrexit discipulis panem, & vinum, porrexit etiã iis verum suum corpus edendum, & verum sanguinem eis bibendum, non tantùm cogitatione animi aut efficacia, sed etiam vere, realiter ac substantialiter. Contrà Caluinus, Beza, & alij Zvvingliani sentiunt & docent, corpus & sanguinem Christi accipi per fidem in Cœna sub figura per fidem: ipsa verò non esse in Cœna realiter & substantialiter præsentia, sed esse tantùm his temporibus in cœlo. Hancque suam sententiam explicant exemplo Solis ac radiorum eius: quod quemadmodum Sol, mole corporis sui est in Cœlo, radiis autem in terra: ita existimant humanitatem Christi tantùm esse in Cœlo: Deitatem autem eius vbique. ideò in Cœna etiam sed absque humanitate præsentem esse. Sicut verò hæc posterior Zvvinglianorum est opinio iamdudum à religionis nostræ Statibus in Imperij Comitiis damnata: ita prior interpretatio, sententia est Ecclesiarum August. Confessioni adhærentium.

ZANCHIVS.

MAllem certè quartana laborare mensem vnum, quàm iterùm has tuas orationes legere. Deum immortalem! quàm verbosæ, quàm ineptæ? satiùs fecisses, Marbachi, si respondisses initiò, cùm vrgebaris à Capitulo, ad argumenta & autoritates Scripturarum, Patrum, Buceri, in meis prælectionibus de Perseuerantia Sanctorum tibi exhibitas, quàm quod hîc tot verba inepta profundis, vt respondeas ad illas duas rationes, quibus dixi me adductum fuisse vt librum Heshusij pro meis viribus impedirem. Sed vbi opus est responsionibus, piscis es: vbi non opus est, rana & cornix. Tu es hic Marbachi acutus disputator & dialecticus. Argumenta mea diluis, retorques, inuertis Tu inculcas, amplificas, confirmas, indicas paralogismos: Tu facis mirabilia, vt summa sit mihi voluptas, istud ingenij tui acumé videre. Perge igitur, & concludes nemine contradicente. Tantum illud monitum te velim, ne istis tuis pulcherrimis argumentis, immisceas aliquam calumniam. Quia tota ista tua disputatio, vt calumniosa, reiici meritò posset. Vide igitur quid dicas: cùm ais, Caluinum, Bezam, Zvvinglianos omnes dicere, Diuinitaté Christi in Cœna præsentem esse: sed absque humanitate. Nam possent in te verbum illud retorquere, quo tu soles subinde contra me vti, quod incipit à litera M. Dicent enim diuinitatem Christi, nunquam & nullibi esse, sine coniuncta sibi humanitate, quod alioquin alicubi esset Christus Deus tantum & non homo. Ergo esto cautus in tuis sermonibus. Nam tu scis illud epitheton verbi, Irreuocabile. Mentiri.

MARBACH.

QVare miror Zanchij impudentiam, cùm hac vocatus sit, nõ vt damnatam in Imperij comitiis Zvvinglianorum doctrinam profiteri debeat: sed vt Confessionis August. doctrinam consentienter nobiscum doceat id quod etiam proprio suo chirographo D. Scholarchis promisit: tamen hic aperte se nostrum Ecclesiæ Argentoratensis & August. Confessionis hostem profiteri. Estne hic Christianæ pietatis fructus? itáne præstatur boni ciuis & pij Christiani officium: Magistratui contra præstitum iuramentum, peregrinam obtrudere doctrinam, sinceram verò & ab eo receptam, pro viribus impedire & prohibere: item se hostem & aduersarium constituere illius Ecclesiæ, cuius hactenus non tantùm membrum habitus est, sed & illius propugnator & patronus esse debebat? Hinc igitur, vt certe dicit Zanchius, vos Collegæ mei, sicut & omnes pij & boni viri, qui saltem in hanc causam nullo priuato affectu præoccupati sunt, facilè iudicare potestis: ánnon ipse violatæ amicitiæ & turbatæ pacis autor fuerit?

ZANCHIVS.

DOctor concludit suam disputationẽ. Conclusio est: Ergo Zanchius est impudens: Zanchius facit contra proprium suum chirographum: Zanchius hostis est Ecclesiæ Argentinensis & August. Cõfessionis: Zanchius contra præstitum iuramentum Magistratui, peregrinam obtrudit doctrinam: & sincerã, ab eóque receptam pro viribus impedit: Zanchius hostis & aduersarius est illius Ecclesiæ, cuius non tantùm membrum habitus est, sed etiam propugnator & patronus esse debebat: Zanchius denique violatæ amicitiæ & turbatæ pacis autor est. Quid hic respondebit Zanchius? Ego ad præmissas non habebam quod responderem, sed habeo quod respondeam ad hanc conclusionem. Quid habes? vnum verbum. Quale? tale vt eo tota tua prolixa argumentatio funditus euertatur. Quodnam illud est? vis audire? ita, audi. Nego totam scilicet conclusionem. iterùm meliùs proba. Nego, inquam, nugas tuas Domine.

MARBACHIVS.

CAeterum de facto Magistratus qui impressionẽ huius libri prohibuit, de quo Zanchius gloriatur, meum hic loqui non est. Sed prohibitum fuisse, quod doctrinam in illo comprehensam Magistratus improbet, pernego. Verum enim est, nisi Zanchij falsis & confictis causis & rationibus persuasus fuisset initiò antequam librum legit, perniciosum esse scriptum, nunquam prohibuisset. Nunc verò postquam legit & cognouit, longè aliter iudicat. Itaque Zanchius propterea quod causa & autor fuerit indicationis & prohibitionis, suis confictis calumniis: magnam gratiam apud illos iniit. Quod certò scio, & vt spero, aliquando reipsa experietur.

ZANCHIVS.

HIc etiam tu pernegas quod nemo affirmauit. Quis dixit librum à Magistratu prohibitũ, quod improbaric.

barit doctrinam in eo comprehensam? Ergo tu imples chartas sine causa. Verum est dictum felicis memoriæ D. Lutheri, qui cùm te crearet doctorem (accepi ab iis qui tùm erant VVitebergæ) dixit de te: *Ori huius Sueui, nunquam araneæ poterunt telas texere.* Tu deinde mihi minaris. Sed minas tuas longè minoris facio, Marbachi, quàm ictus pulicum. Tu dicis, Videte Domini, quàm me contemnat Zanchius: Respondeo. Si tu te residis contemtibilem: qui te possum suspicere?

Luth. de Marbachio.

MARBACH.

ADdit verò præterea Zanchius, Heshusii hunc librũ etiam in iis ciuitatibus vetitum, ne imprimatur, in quibus alioquin doctrina illius locum habet: Hoc confictum mendacium est, neque autoritatem adducti testis moror. Constat enim hunc Heshusii librum in pluribus locis impressum esse, Ienæ, Magdeburgi, Noribergæ, &c. & non tantùm non impediri: sed laudari potiùs & approbari ab omnibus bonis & piis hominibus qui Augustanæ Confessionis doctrinam profitentur.

ZANCHIVS.

Cito testem D. Montium, & tu superbè ais, te adducti testis autoritatem non morari. Qualem tandem habemus Papam, qui hyperepiscopaliter de throno Maiestatis suæ, naso suspenso omnes præ se despiciens ait: Se nihil adducti testis autoritatem morari? vtinam semel tanta posses fide fieri dignus, quanta semper fuit & est D. Montius.

MARBACH.

POrrò Zanchii querela, quòd illius scriptæ Epistolæ causa ad Colinum Heidelbergensem, cuius suprà facta mentio est, apud Dominos Tredecim Viros & Dominos Scholarchas à me accusatus fuerit, idque ex inuidia, quod ita factum ipsius impediti libri, vlcisci voluerim, &c. Propria ipsius imaginatio & falsa suspicio est. Bonus vir me & suo proprio & Italico ingenio metitur & iudicat, quorum natura hæc, vt ipse mihimet dixit, cùm adhuc amicus meus erat: quod iniuriam obliuisci non possint, & de se vlciscendis omnes captent occasiones, etiamsi in decennium illa interdum extrahantur, &c. Quid verò coram Tredecim Viris egerim: & quo fine huius Epistolæ mentionem fecerim, bona fide iudicatum est in mea responsione ad primam illius posteriorem conclusionem, ad eamque responsionem hic me refero.

Quæ huiusque dicta & acta sunt, Zanchio adhuc fuerunt & sunt omnia παρέργα: *sed quæ nunc sequuntur, erũt* ἔργα, *hoc est, ad ipsam rem, de qua controuersia est, pertinentia. Itaque non immeritò diligenti attentione opus est.*

ZANCHIVS.

VErum est scilicet, meam esse propriam imaginationem & falsam suspicionem. Te ideò me accusasse, vt vlciscereris iniuriam impediti libri. Nam in D. Marbachium non possunt cadere hæc vitia. Sed Zanchius ex Italico ingenio, metitur ingenium Sueui Marbachii. O Marbachi, si velimus ingenia, quæ iniuriarum non facilè obliuiscantur, & in decennium vlciscendi occasionem exspectent ac quærant, inuenire: non opus est vt in Italiam eamus: domi, domi habeamus exẽpla; imò præceptores. Quod adeò ais, hæc te ex me audiuisse, cùm essem tibi amicus, satis perspicuè doces, quantum debeat tibi quisque fidere & amicitiam tecum colere.

MARBACH.

INitiò recitat propositionem, quam ex loco Ioan. 2. cap. 2. collegerit, videlicet Sanctos quæ vinculo nõ solùm æternæ electionis, sed etiam Spiritus Christi, nouaque fidei Christo copulati: ideóque in ipsum Christi corpus, quod est Ecclesia Sanctorum, insiti semel fuerunt, eos in perpetuum in Christo & in fide perseueraturos, nec posse amplius à fide prorsus excidere: idq. non propter proprias vires aut merita: sed tùm propter promissionem diuinam, tùm propter Christi precationem, & intercessionem, Spiritu Christi fidem in illis perpetuò seruante. Hanc sacrosanctam & Catholicam huius propositionis doctrinam, dicit me postea in lectione mea, cùm locum Pauli 1. Cor. 9. Castigo corpus meum, ne, cùm aliis prædicauero, ipse reprobus efficiar, &c. interpretatus sum, reprehendisse & improbasse. Itaque cùm hoc illi indicatum fuerit, aliter ipsum facere non potuisse, quàm vt suam doctrinam, imò potiùs Christi, sanctorum Patrum, & Buceri, publicè aduersùs me defenderet: quæ & causa illi fuerit, propter quam rem paulò altiùs in Schola cœperit repetere & latiùs explicare. Hic Zanchii sophistica obseruetur. Vt causam excitatæ ab ipso tragœdiæ in Schola callidè declinet & à se remoueat, impudenter fingit, se mea lectione, quòd propositionis ipsius doctrinam tanquam falsam reprehenderim, prouocatum & lacessitum fuisse, scilicet non aliter, quàm in Æsopi apologo ouis lupum ad iram aduersùs se concitarat turbando ei aquam. Probare possum certis testimoniis ex ordine lectionum nostrarum, me in Schola hunc locum Pauli explicasse integrâ hebdomadâ, hoc est, quartâ post circumcisionem Domini, antequam ipse huius suæ propositionis vllam planè fecit mentionem, aut etiam mihi constaret, Zanchium talem vnquam antè vel tradidisse, vel in posterum traditurum esse doctrinam, imò de qua mihi toto illo tempore, quo hic nobiscum commoratus est, numquam suspectus fuit. Quomodò igitur ego eum mea lectione prouocaui? aut doctrinam eius, quæ mihi illo tempore adhuc ignota erat, reprehendere potui? Fateor. Dixi quidem in explicatione illius loci Pauli, locum apertum esse aduersùs illos, qui dicunt, eos qui semel sunt donati vera fide non posse ampliùs ab ipsa fide excidere, &c. Verùm non Zanchium mihi perstringere propositum erat, de quo, vt ante dixi, an huius opinionis esset, adhuc ignorabam: sed Anabaptistas & alios huius farinæ homines. Vt autem mea innocentia conspiciatur, & vos collegæ mei ipsi iudicare possitis, an explicatione mea proposito loco satisfecerim, an verò aliena & ad rem nihil pertinentia protulerim, atque ita etiam studiosè Zanchium vel alios exagitare & reprehendere studuerim, adscribam hic ad verbum omnia, quæ de illo loco tunc à me dicta fuerant. In 1. ad Corinth. 9. hæc Apostoli verba, cùm inquit: Sic pugno non velut aërem verberans, verùm subiicio corpus meum & in seruitutem redigo, ne quo modo fiat: vt cùm aliis prædicarim, ipse reprobus efficiar. *in hunc modum in Schola nostra interpretatus sum.* Apostolus Corinthiis & aliis fidelibus, his verbis suum exemplum imitandum proponit. Dicit se credentem in Christum, & iam ingressum certamen, non indulgere concupiscentiis carnalibus, nec verberare aërem; sed vt fortem athletam, pugnare contra diabolum, & corpus suũ. quod etsi acriter ipsi repugnet: tamen affirmat se, vt victorem, subiicere sibi & in seruitutem redigere, vt volens nolens cogatur sibi & Spiritui sancto obedire, ne corpori & carnalibus concupiscentiis ipse obtemperans, propositum præmium amittat. Iubet igitur Corinthios, atque adeò omnes, exemplum in hoc certamine intueri, & nos imitari: ne in vacuum aut curramus aut pugnemus. Quãquam autem non sit volentis, nec currentis, sed miserentis Dei: tamen necesse est eos, qui iam solâ fide iustificati & renati, & stadium fidei ingressi sunt, non stare otiosos, deditos voluptatibus & libidinibus & abuti libertate Christianâ ad licentiam carnalem: sed perseuerare in hoc cursu & militiâ Christianâ, retinere fidem & bonam conscientiam, & fortiter pugnare aduersùs carnem, & eam in seruitutem redigere, vt regenti spiritui obediat. Hoc Pauli exemplum diligenter nobis perpendendum est & obseruandum: propter eos præcipuè, qui iustificatos fide, affirmant gratiâ iterùm non posse excidere, sequentibus peccatis & lapsibus contra conscientiam. Atqui certum est, Apostolum cùm hæc scriberet, fide fuisse iustum & Spiritum sanctum habuisse: nihilominùs tamen vt suo exemplo Corinthios & omnibus temporibus fideles, ad vigilantiam, sobrietatem, & pietatis verum studium cohortaretur, dicit se suum corpus subiicere & quasi contundere, ne dum alios doceat, ipse reprobus efficiatur, hoc est, ne si fortè in officio suo negligens & securus factus, peccatis contra conscientiam patratis, amissâ fide, & excusso Spiritu sancto, gratiâ Dei excidat. *Quid quæso hic alienum à doctrina huius Argent. Ecclesiæ, quæ in publicis eius confessionibus exstat, dixi? quomodo hæc doctrina tam vera & simplex, quæ vbique in S. literis toties repetita est, vt inculcetur*

ad Electorem negotium hoc delatum sit, id non sua culpa factum esse, &c. In hac sua verò oratione, quam coram vobis hic habuit, planè contrarium refert, his verbis. Quod ad primum attinet, de literis quas me Heidelberga misisse ait, ratus sum me, & quidem iisdem de causis, quas suprà commemoraui, de libri impressione Heidelbergam scripsisse. Et quia metuebam, ne aliquis posset subesse fucus: Ergo in iisdem literis suasi, Principi Palatino eam rem indicandam esse: & cum eo agendum, vt Senatui nostro scriberet, vt operam daret, quo ille liber non absolueretur. *Annon est hic, ex eodem ore, vt dicitur frigidum & calidum flare? vbinam manet religio præstiti iuramenti Magistratui nostro, quod peregrinus ea prodit & reuelat, quæ occulta manere debebant, & Magistratum autoritate tanti Principis grauat, vt absque offensione illius non liberè possit de rebus præsentibus statuere. quæ vtilia esse & expedire iudicat? Hæc certè Iuda proditori magis conueniunt quàm bono ciui pro quo se venditat.*

ZANCHIVS.

QVod refers de responso meo ad tuam de literis ad Erastum scriptis expostulationem, falsum est. Meũ responsum fuit tale, cum interrogatione: *Annon licet etiam mihi aliquando scribere ad amicos si quid noui contingat?* Vterque collega testis est, D. Conradus Hubertus & D. Quæstor. Quod subdis, Me subiecisse: *Quod autem ad Electorem negotium hoc delatum sit, id non mea culpa factum est,* subiecisti de tuo. Interrogentur ambo Collegæ. Sic fecisti in criminationibus & accusationibus. Tu de iis me accusasti, & ea de me scripsisti, quæ ne in mentem quidem mihi vnquam venerunt. Infinitæ sunt calumniæ tuæ, quas etiam depuli, & depulsionem exhibui Dominis nostris. Tu etiam accusasti, quod appellarim doctrinam Lutheri diabolicam. Et D. Rector testatus est esse calumniam. Ij duo collegæ, quorum hic fit mentio, norunt, quàm multas calumnias sparseris in Capitulum. Qui autem semel malus, semper præsumitur malus in eodem genere mali. Ergo quod etiam hic sine pudore fingis me dixisse, vt inde posteà possis exclamare, Zanchium esse mendacem: & ex eodem ore efflare calidum & frigidum: non illi tantùm duo collegæ, sed quiuis potest facilè intelligere, esse meram calumniam. Non sum tam imprudens aut impudens, Marbachi, aut etiam immemor, vt si dixissem tibi, non mea culpa delatum esse negotium ad Electorem, voluissem posteà contrarium dicere in Capitulo, præsertim sponte à nemine coactus. Est quidem parum hoc, de quo cõtenditur hic, quantum ad rem ipsam attinet, est tamen etiam multum, quia putas inde te triumphasse & conuicisse me mendacii & inconstantiæ. Absterge prius labem calumniatoris ex facie tua: deinde triumphato de me, quod ex eodem ore efflem calidum & frigidum. Ex superabundanti hoc etiam adiicio. Esto illud, dixerim: quod nunquam meminisse potui: non ideo tamen euicisti, me frigidum & calidum efflare ex eodem ore. Quare? quia non sunt pugnantia, quæ putas esse pugnantia. Non fuisse delatum ad Electorem illud negotium, mea culpa, verum est. Nam alij priùs de hoc negotio scripserant ad Electorem, quàm Erastus meas accepisset literas: idquod ab ipsomet Illustrissimo Principe audiui. Me

Eli. Frider. III. Palat. curasse, vt significaretur Electori iis de causis, quas commemoraui, etiam verum est. Verum autem cum vero non pugnat. Vade igitur & exclama, Zanchium ex eodem ore efflare calidum & frigidum. Quæ subdis, propter quæ Iudæ proditori similem me facis, tantum quia significandum curaui Electori, quæ de libro Heshusij antè dicta sunt: ad ea nihil aliud respondeo, quàm vt tuam interroges conscientiam, & recentem fricet memoriam: an vnquam & quibus artibus conatus sis eos, quos minimè oportebat, in eas redigere angustias, ex quibus facilè possent se expedire. Quàm sis *ψευδοφάγος*, nouimus omnes.

MARBACH.

QVæ verò prolixè recitat de electorib Domini Lutheri, D. Philippi, Hesshusij, Chemnitij, Flacij, quas in suis lectionib. refutauit, quibusq. de causis id fecerit: item quod de suo folio Antichristo: in præsentia exagitare, vt meretur, neque huius loci est, neque etiam ad hoc nostrum institutum facit. Quid verò de illius ipsius lectionibus sentiam: ostendi in responsione mea ad sextam ipsius postremam declamationem. Ad eam me hic refero.

ZANCHIVS

NEque hic ego quidpiam habeo, quod respondeam: Nam quid de meis lectionibus tu vel sentias vel non sentias, ego nihil curo.

MARBACH.

POstremò in hac Zanchij narratione de nostro in hoc loco habito colloquio, inquit, se me interrogasse, an negarem, duo illa interna vincula, nempe Electionem Dei æternam, & Spiritum S. seu fidem, necessaria esse, vt aliquis inseratur Ecclesiæ. Me neque respondisse ei, mihi probari: quin mea responsione se offensum dixisse. Quoniam igitur hanc meam doctrinam, quam scio verissimam esse, improbat, respondebo tibi, si volueris, coram D. Scholarcha, aut toto Senatu, &c. Hæc falsò fingit à Zanchio, si meminisse volunt, testificabuntur ij, qui huic nostræ collocutioni interfuerunt. Non de vinculis illis: sed in genere de Prædestinatione locuti sumus. Cùm enim ordine mihi ad ea respondere debebat, quæ illi de habitis in Schola lectionibus obieceram, statim interrogat, an igitur improbarem doctrinam quam in Schola proposuisset? respondi, Non possum omnia ita simpliciter probare, præsertim ea quæ de Prædestinatione docuisti. Alias tibi dixi, quæstionem non esse, an sit prædestinatio: sed vnde homo Christianus anxius, & de sua salute solicitus, incipere debeat, vt certus reddatur, se propitium habere Deum, sibi remissa esse peccata: se esse filium Dei, & heredem regni cælorum, &c. an à priori, hoc est, absolutè ab illa arcana Dei Prædestinatione, an verò à posteriori, hoc est, ab illa quæ in verbo nobis certò reuelata est. Hisque eum tùm hortabar, vt potius suos auditores in explicatione huius quæstionis ad verbum Euangelij deducat. Viam enim à priore periculosam esse: & si in Ecclesia inde exordiamur: vulgus hominum inscrutabilibus quæstionibus inuolui, quibus posteà turbati, potius contemtum ministerij Ecclesiastici induant & vbi hæc summo professantur tandem, quàm ad pœnitentiæ studium, & vt veram agant pœnitentiam, permoueantur. Facilè ipsum hac in parte meæ petitioni acquiescere posse, cùm mei mihi confessus sit, D. Augustinum scribere, hanc de Prædestinatione quæstionem à priore coram vulgo in Ecclesia non esse proponendam aut tractandam. Cùm autem hinc Zanchius occasione arrepta prolixiùs hac de quæstione vellet disputare, & iam sexta hora immineret, abrupi colloquium, & et pacis & concordiæ nostræ illa quinque capita postulationis meæ proposui, quæ Dominis Scholarchis posteà exhibita fuerunt, & ita discessum fuit. Verum de duobus istis vinculis, ne me loco fugere existimes, pauca hic respondebo. Nõ nego necessaria esse illa homini Christiano, vt per ea, sicut Christo, ita etiã Ecclesiæ vniatur. Sed de eo quæstio est, quomodo homo ad hæc vincula, vt illis Christo & Ecclesiæ citius colligetur, perueniat. Zanchius à priore incipit absolutè, & iubet vnumquemque præsumere simpliciter se ab æterno Electum esse: neque hic vllam facit ministerij Ecclesiastici mentionem: imò inquit, Professionem doctrinæ & vsum sacramentorum, non esse essentialia, sed externa tantùm vincula, & ideo etiam dissolubilia. Eâque ratione ministerium Ecclesiæ diuinitùs institutum, tanquam rem externam & non spiritualem separat ab internis vinculis, æterna scilicet electione, fide & Spiritu Sancto, cum tamen verissimum sit, neque de electione sua æterna quemquam certum fieri posse, neque fidem aut Spiritum sanctum dari cuiquam, absque verbo externo & Ecclesiæ ministerio, viâ ordinariâ. Hanc Zanchij de vinculis doctrinã, ipsissimã esse Suencfeldij hæresin de externo & interno verbo fatebuntur omnes, qui Suẽcfeldij scripta legerũt. Neque mihi difficile erit, hoc certis argumẽtis & rationib. demonstrare. Nos contrà, in Ecclesia à verbo externo & Ecclesiæ ministerio ordimur, & affirmamus, verbũ Euãgelij & sacramenta à Christo instituta, non accidẽtalia vincula esse, sed verè substãtialia, ve quæ organa, instrumẽta, vehicula & canales sũt, quib. nõ humanâ, sed diuinâ autoritate & dispẽsatione, Spiritus S. accipitur, fides in nobis accẽditur: & de Electione nostra salutis certi reddimur, &c. Autoritate

Iudam in eis contineri.Si vero Zanchius displicet, refutet si potest. De fine verò mundi quid legerim: & qua iusta Zanchius habeat propter eam lectionem conquerendi de me causam: non grauabor illius lectionis verba, quatenus ad finem seculi attinet, etiam recitare. In 1. ad Cor. cap. 10 hæc Apostoli verba In quos termini æuorum inciderunt, &c. *in hanc sententiam exposui.* Sex enim millibus annis stabit mundus, iuxta dictum Eliæ: Duo millia inane: duo millia lex: duo millia tempus Messiæ: quod tamen propter malitiam hominum non complebitur. Sumus igitur in fine Mundi. Quod si etiam, etc non impi dicemur: possem vobis cùm ex nouo, tum veteri Testamento firma adducere argumenta, quibus ostenditur hæc nostra tempora vltima esse: & nos rete & recte dicimur in extremis viuere & versari temporibus. Itaque nobis in posterum nihil quàm secundum Christi saluatoris nostri gloriosum in hunc mundum aduentum expectandum esse. Verum quidē est: diē huius aduētus nemo scire & definire potest, vt quem Deus sibi ipsi reseruauit, iuxta Christi dictum. & nos loquentes de vltimis temporibus, sicut neque diem hunc: ita etiam nec septimanā aut mensem aut annū determinamus: sed hoc tantū admonemus, cum dies ille Domini iuxta Apostoli Pauli prædictionem, sicut fur in nocte, venturus sit: & cum impij dixerint. Pax & tuta omnia, repentinus eis imminet interitus. Ne itaque etiam pij incauti opprimantur, ideo Dominum Deum ex misericordia in sacris literis hæc vltima tempora tam accurate descripsisse: & signa quæ illum diē antecessura sunt, prædixisse, vt ex iis quisque fidelis, qui ea perpendet facile iudicare & certo statuere possit, finem mundi instare, & gloriosum Christi redemptoris nostri aduentū ia quasi præ foribus esse. In hunc vero vsum & finem Spiritum sanctum in Scriptura de vltimis temporibus vaticinatū docet ipse Christus Matt. 24. Similitudine ille ficu cum gemmas protrudit. Vnde discipulos suos, hoc est, omnes pios iubet, cum hæc omnia euenire videant capita sua extollere. &c. Huius vos obiter monere volui, qui sacræ Theologiæ datis operam, ne de fine Mundi & de secundo CHRISTI aduentu, aliam concipiatis opinionem. Nihil enim ad exhortandum homines ad verā pœnitētiam vtilius & quod plus moueat, dici & proponi potest quàm si intelligāt & certi sint, instare diem Domini, in quo singuli rationē reddituri sint cùm factorum, tum totius nostræ in hac terra peractæ vitæ, &c. *Quid hæc ad Zanchium? Si illi liberum & concessum fuit, aduersus lectionibus de fine seculi, absurda & peregrina a recepta doctrina Ecclesiæ nostræ adferre, nostri vtrique doctorum Lutheri, Philippi, & item vicini & amici nostri, viri optimi M. Cunmanni Flinsbachij, totius nostræ Scholæ & Ecclesiæ alumni, & hoc tempore Illustrissimi Principis Vvolfgangi Palatini, &c. præcipui Ecclesiarum totius Bipontini Ducatus Inspectoris sententiam piam & eruditam refutare: item vetustum illud dictum Eliæ, cuius magna semper fuit autoritas in Ecclesia & apud doctos viros, publice traducere: Quare igitur mihi esse prohibitum, modestè id quod feci, eam in schola doctrinam tradere: quā si tamen tantam vtile esse, sed piam etiam Scriptura testimoniis niti.*

ZANCHIVS.

Atqui te non pœniteret illius quod docueras, Iudam & Saulem veram habuisse Fidem. & vt refutem, si possum. Accipe refutationem. Qui veram habent fidem verè iustificati sunt Rom. 5. & vbique in Scripturis. Qui verè iustificati sunt, ij etiam glorificantur tandem. Roman. 8. item. vera fides tantùm est Electorum. Act. 13. Tit. 1. Neque iustificantur, nisi electi. Saul & Iudas non fuerunt electi: non sunt etiam glorificati. Quomodo igitur veram fidem habuerunt & coram Deo iustificati fuerunt? Responde modo tu, si possis, ad hanc refutationem.

Iudas non habuit fidem verā.

Quæ de fine sæculi narras te docuisse: non opus habēt mea responsione. Fateor & ego, nos versari in vltimis temporibus & in senecta Mūdi. De hoc nō est quæstio. Quæstio est: Cùm etiam tempore Apostolorum dixerit Ioannes: *Nunc nouissima hora & nouissimū tempus est*: & tamen ab eo tempore elapsi sint anni 1400. & amplius: quousque se extēdat nouissima hæc hora: quot anni adhuc supersint: aut quot secula vsque ad finem Mundi? Dico ego, nesciri posse: & sic docuisse Christū. Proinde impiam esse fictitiū illud Elianum oraculum,

De fine mundi.

De dicto Eliæ quid sentiendum sit.

quo certum statuitur tempus, vltra quod Mundus durare amplius non possit. Vbi vnquam sacræ literæ tale quid tradiderunt? Contrà suspensos nos semper reddūt de tempore finis sæculi: nec volunt, vt sciamus, an sit Mundus duraturus vltra 1000. aut amplius annos. Proinde non solum temerarium, sed etiam impium esse duco certò affirmare, tanquam rem quæ non possit aliter se habere, Mundum duraturum 6000 tantum annos: ita vt cum iam elapsi sint 5000. & amplius, possimus certo affirmare, Mundum vltra 400 circiter annos non duraturum: sed ante illud tempus venturū Dominum. Neque ego aliam ob causam suscepi illas quas refutaui, conjecturas refutandas, quàm vt indicarē studiosis: etsi in multorum piorum & doctorum virorum libris legant multas de fine sæculi coniecturas, ne illas tamen tanquam firmissimas & necessarias accipiant: quasi nō possit aliter se res habere quā illis coniecturis docetur: quod hoc esset & contra verbum Domini, & contra mentem etiam eorum piorum virorū, qui de illis scripserunt. Neque enim vel D. Lutherus, vel D. Philippus, vel D. Hosiander, vel etiam D. Cunmannus putādi sunt has coniecturas in medium protulisse, quasi voluerint concludere, aut nō posse aliter se rem habere, quàm illis coniecturis cōcludatur: aut saltem rem esse ita probabilem, vt non facile liceat aliter sentire. Alioqui non improbo imo laudo & amo horum & aliorum piorū in colligendis de fine sæculi coniecturis haud inutiles labores. Refutaui igitur illas modestè, nemine nominato, non vt iure licitè eas damnarem, sed vt studiosis & lectoribus indicarem, quomodo essent intelligendæ & accipiendæ, non vt simpliciter necessariæ, neque etiam ita valde probabiles, vt aliter sentire non liceret, quàm certum in concludi tempus de fine sæculi. Quare tantum abest, vt hac in re putem me vllam iniuriā fecisse illis qui de iis scripserunt, præsertim reuerendo viro, & non minus mihi, quàm D. Marbacho, carissimo & obseruando fratri, D. Cunmanno, vt non dubitem, quin ipse, quæ sua est pietas, eruditio, atque prudentia, hoc quod feci, sit comprobaturus.

MARBACH.

In epilogo inquit si mea postulata à Domino Scholarcha accepisse, ... placere, propter calumnias quæ in eis continentur: videlicet quod dicam, illum sacramentalem præsentiam Christi in Cœna negare. Item indignorum manducationem. An autem calumnia sint: an vero veritas, demonstrabitur perspicuè, volente Domino, cum ad vanum, arrogans & sophisticū scriptum de Cœna Domini, quod Dominus Scholarchis obtulit, respondebo.

Sed corollarij vice, vt vos venerandi mei collegæ, saltem gustum aliquem habeatis, quid de plerisque Zanchij propositionibus quæ mihi proximè oblata sunt sentiendum sit: quod etiam, si feres ad ampliorem tractationem peruentura sit, possit & debeat respondere, quàm præclara ea sit Theologia digna scitu: et quæ iuuentuti in Scholis tradatur: recensebo hic D. Lutheri iudicium, quod de huiusmodi spinosis & intricatis quæstionibus Prædestinationis & similium protulit. Neque dubium est si adhuc in viuis esset, & de præsenti controuersia interrogaretur quin indicaret & sentiret: planè eadem ipsum pronunciaturum, quæ in commentario tradidit super 5. Psalmum, vbi hæc verba leguntur.

Sed quis, inquies, si me de Prædestinatione vexet, quod frustrà sperem, si nō sum prędestinatus? De hoc Psal. 22. latiùs, Christo propitio: interim hoc satis est, hāc esse periculosissimā tētationē, quā quà cauta moueat diabolus vel sapientia carnis, vbi scieris: simul scias, quo remedio occurras. Primū itaq. firmº esto ac certissimº: hāc cogitationē nō esse ex Deo: ideo omni studio expellendā, tanquā eā, quæ Deo tuo displiceat multis modis. Non esse autem ex

Deo, cognosces hoc signo: quod quidquid ex Deo est, ad mandata & faciendam suā voluntatem mouet. Neque enim aliud facit, cogitat, vult Deus, quā vt sua voluntas fiat. At curiosam istā de tui Prædestinatione solicitudinem, adeò nō præcepit tibi, vt eā prohibuerit quoque Psal. 55. Iacta super Dominū curam tuam & Matth 6. Nolite soliciti esse, quærite primùm regnū Dei. Nec diabolus vlla causa hac inutili cura & noxia te occupat, quàm vt interim obliuiscaris præcepti Dei, quo iuberis sperare & credere: simúlq. subdolè te trahat in affectū & amorē tui ipsius: vt incipias quærere quæ tua sūt. Hæc. n. est vltima & sūma eius machina, qua nos amore nostri solicitos reddat: ac sic in Dei præceptū reos statuat. Quid autē prodest, si vsq. in finē mūdi hac cogitatione occuperis? quid inde sequeretur? non ideò certus fieres, aut aliud de te Deus cogitaret. Quare cōtra hūc laborē stultorū, & in faciē diaboli hæc suggerentis, fulmina Scripturæ torqueas. Primùm illud Ps. 1. In lege Domini (nō in Prædestinatione sui) meditabitur die ac nocte. Et illud Eccles. 6. Cogitatum tuū habe in præceptis Dei: & in mādatis eius assiduus esto. Exodi 13. Erit quasi signū in manu tua & quasi appensum quid ante oculos tuos. Et Matt. 7. Non omnis qui dicit mihi Domine, intrabit in regnū cœlorū: sed qui facit volūtatem patris mei. Et multa similia. Neq. enim Deus aliud requirit, quàm voluntatē suā nobis esse assidua solicitudine cōmendatā: quod vbi fecerimus, Prædestinatio sua sponte implebitur sine nostra cura. Ille verò peruersor, primò vult, te de te solicitū esse: & postremò de Dei præceptis: vt sic te præferas Deo tuo, nec super omnia eū diligas, imò nec Deū habeas. Nā si illi vix perseuerāt, qui mandatis Dei intentissimè inhærēt: vbi apparebunt, qui eis desertis, misceri se permittunt extraneis & vanis cogitationibus? Ita diabolo & cordi tuo dicas: Nō hoc præcepit De⁹: sed sperare me iussit. Huic intēdā soli negotio. Illud si vellē, nō possū. Secūdò. Nō esse ex Deo, etiam hoc iudicio facilè intelliges, quod his machinis duo maxima mala intētat: primò, vt tētes Deū, quódq. Christo in pinnaculo tēpli quoq. intentauit. Conatur. n. hoc te negotio occupare, vt optes cert⁹ esse de tua Prædestinatione, aut signum videre de cœlo. Quid. n. est, anxium de Prædestinatione esse, aliud: quàm impatientem esse de incertitudine diuini Cōsilij? quid autē impatiētia illa aliud facit, quàm quod tētet Deū, dùm illius consiliū certū sibi esse optat? Breuiter: odit Deū esse: quia nō alia vult illū scire, quàm ipse scit: Itaque huic terribili peccato occurras verbo Dei, sicut Christ⁹ fecit dicēs: Scriptū est: Nō tētabis Dominū Deū tuū. Debes. n. velle nescire ei⁹ secreta, quæ voluit te nescire: atq. gaudere in hac eius voluntate, quā præcipit tibi obseruare in omnib. Annota autē, hac occulta eius cōsilij volūtate iā prædestinatus es. Ita sēper ex præceptis seruatis, sua spōte sequūtur finē omni cura nostrā, quæ peruerso studio ante præcepta tā anxiè & frustrà quærim⁹, & tamē nō inuenim⁹ vnquam. Quia præceptum Dei, via est ad Deū: qua amissa aliā dū quærimus, tentāte diabolo, per curā nostræ salutis & Prædestinationis, necessariò erramus, & vtrāq. amittimus, tā viā Dei, quàm nostrā: ac per hoc, & Prædestinationē & salutē: Alterū maximū malū: quòd te in idē præcipitiū tollere nititur, quo ipse cecidit & Adā deiecit. Quid enim molitur ista Prædestinationis tuæ cura, quàm vt optes scire, vt diximus, cōsiliū Dei? at velle scire cōsiliū Dei, est fieri velle æqualē Deo, sicut ipse voluit cùm dixit: Ascendā in cœlum, similis ero altissimo: & ad Adā: Eritis sicut Dij, sciētes bonum & malum. Atq. hoc iterum est nolle Deum esse Deum tuum, quod est summum omnium peccatorum. Atq. ita vides, quàm astutè his mōstris te cōtra mādata Dei tui solicitet, vt eo, quo ipse cecidit casu, cadas. Quare & hîc fulminād⁹ est verbo Dei dicētis Prou. 25. Sicut qui comedit mel multum, non est ei bonum: sic qui scrutator est maiestatis, opprimitur à gloria. Et Eccl. 30. Maiora te nō quæsieris: & fortiora te, ne scrutatus fueris: sed quæ præcepit tibi Deus, illa cogita semper: & in plurib. eius operib. nō eris curiosus. Plurima. n. supra sensum hominum ostēsa sunt tibi. Multos. n. supplātauit suspicio eorum, & in vanitate detinuit sensus eorum. Quādo ergo his præceptis Dei, prohibetur cura ista curiosa operū Dei, quæ nobis ostēsa sunt esse supra sensum & captū nostrū, & incōprehēsibilia iudicia eius: cum timore in præceptis Dei potiùs occupari debemus,

debemus, vt in eum speremus cū fiducia: & hæc studia impossibilia Diabolo in caput suū verrere, & cū Ioab 2. Reg. 10. fidēter in opus Dei accincti, dicere: Esto vir fortis, & pugnemus: Dominus autē quod bonum est in conspectu suo faciat. O pulcrū exemplū! Si hic priùs disputasset an etiā victoria prædestinata apud Deū, nō pugnasset: Imo disputando negligēs factus, & aliena operatus, victus turpiter fuisset. Ac vide hic impiissimā impietatē: stultissimā stultitiam: peruersissimā peruersitatē nostrā. Ducimus vxores: ædificamus domos: plātamus vineas: emimus substātias: & nemo hic priùs disputat, prædestinatū sit nécne: vxorē fore castā vel adulterā: domum arsuram vel mansuram: substantiam peritură vel duraturā. Breuiter omnia nostra opera maxima peccata, cū fiducia incipimus perficimúsque, nihil soliciti, quid de iis Deus prædestinarit. Satis hic tutū est à nostra temeritate altissimū eius consiliū: nemo hic nō priùs cogitat, solicitus æstuat, quomodo faciat quod proposuit, quā disquirat & disputet de prædestinatione quare hoc? quia nō sunt à Deo præcepta, nostra scil. sunt à nobis electa. At vbi ad opera Dei & præcepta eius venitur, hic statim quæstio nascitur: hic cōsiliū Dei tētamus: denique hic demū disputamus: an Dei præceptis debeamus obedire, antequā eius secreta nouerimus. An hoc nō est diuinam maiestatē amarissima peruersitate exacerbare? quod in nostris sumus tā patiētes, & obliuiosi suorū consiliorū: & in suis tā impatientes & curiosi? nónne æquè foliū arboris nō cadit in terram sine eius volūtate, atque anima tua salua fiet sine eius consilio? nec vllus capillus tibi crescit sine eius cōsilio: nec panē comedis: nec potū bibis. Hic nō disputas: nihil cunctaris: nihil trepidas: nihil moraris eius consilium, quin tuas in opus: illic verò totus es quæstio & cunctatio. Vel nunc ergo intellige, nō ex Deo, sed ex Diabolo & quidē nunc offensissimo & astutissimo has cogitationes tibi venisse, vt supernacaneis rebus te à præcepto & suauissima voluntate optimi Dei tui distrahat. Rectè & aptissimè in hoc dicit Eccl. 11. Qui obseruat ventum, non seminat: & qui considerat nubes, non metet. Quemadmodum ignoras quæ sit via spiritus (id est venti) & qua ratione ossa compingantur in ventre prægnantis: sic nescis opera Dei qui fabricator est omnium. Quid ergo? nihil faciendum? quia ille omnia fabricat, & nos nescimus. Absit. Sequitur enim: Mane semina semen tuum, & vespere ne cesset manus tua: quia nescis quid magis oriatur, hoc aut illud (id est, matutinum vel vespertinum) & si vtrumque simul, melius erit. Vides quàm omnia deceat nos nescire: & tamē non ideò cessare, imo eo magis operari iubet, quo nesciamus quid facturus sit: cū illi peruersi ideo nolint agere, quia nesciant quid futurum sit. Hoc enim quærit Diabolus, vt non operētur in vita, nec in pace & spe dormiant in morte, sintque vtroque tempore Deo & propter Deū rebelles & inobedientes: sic tamen vt culpa non sit ipsorum, sed ipsius Dei, vt qui non prius consilia sua reuelando euacuauerit, & diuinitatis suæ gloriosam maiestatem euacuatis cōsiliis, nulla fecerit, quàm illos præcepto suo molestauerit. Siquidem sanctissimi homines nunc omnia libenter essent facturi quæ præcipiuntur, si primùm scirēt quid de eis Deus cogitarit, hoc est, si nullus Deus & præceptor illis fuerit. Nec enim Deus esse potest, si nō aliud est, sapit, nouit quàm nos scimus. Sed vide iterum, si nobis Deus sua consilia reuelaret: primum trepidi fieremus: deinde contemptores aut desperantes. Adeo quidquid Deus vult & facit: homo puluis temerè violat, vnum hoc æstuans, vt sit sine timore Dei, h. e. sine Deo. Neque enim timeri posset, si non decreta de nobis cogitaret: nec tunc fides nec spes nec charitas locum haberet. Væ tibi furentissima impietas. *Hactenus Lutherus.*

ZANCHIVS.

ADhuc dico, calumniam esse, qua dixisti, me negare præsentiam sacramentalē, & manducationem indignorum. Sed tu quid sit sacramentalis præsentia aut manducatio Indignorum, planè ignorare videris, dum de iis me accusas. Quæ ex Lutheri commentariis citas de Prædestinatione, tam faciunt contra me, quàm quæ ego in schola ipsa tradidi. Doc. D. Lutherus, non esse disceptandum an simus prædestinati nécne: sed certo statuendum, cum credamus in Christum, nos esse saluos: ac per consequens in libro electorum conscriptos. Christum enim esse librum in quo videamus nostram electionem. Quid ego aliud docui, quàm omninò statuendum esse Christiano homini, se esse ex numero electorū in Christo: & hac de re minimè esse dubitandum: Quemadmodum ex commentariis studiosorum collegisti diligenter ea, quæ duriora tibi videbantur, & ea exhibuisti Domino, quò me magis grauares: ita si fuisses vir bonus, & non quæsiuisses collegæ tui infamiam & exitium: sed veritatem ipsam procul dubio curasses etiam quæ in v. e. lec. de hac certitudine nostræ electionis tradidi, describenda & Domino exhibēda. Ibi 20. & amplius argumētis demonstraui, vnumquemque

Lutheri de prædestinatione sententia.

teneri credere, se esse electum in Christo ad communionem salutis æternæ: proinde sine vlla mora aut dubitatione debere Euangelium, per quod salus communicatur, fide amplecti, tanquam rem quæ propriè ad se pertineat. Idem respondeo ad omnia alia loca, quęcunque ex D. Luthero citari possunt. Summa: doctrina de Prædestinatione apud D. Lutherum, eadem vbique est: neque eam vnquam retractauit. Qualis autem ea sit, apparet perspicue in libro contra Erasmum de seruo arbitrio, vbi ex professo hanc quæstionem tractauit dogmaticè.

MARBACH.

IAm vt tandem & ipse finem faciā huius mea respōsionis ad Zanchij habitam hic coram vobis vanissima & mendaciis & calumniis refertam orationem, ipsos & vos reuerendos collegas meos, & omnes ad quos umque hæc aliquando peruenient, cùm ex serie historia, tùm ex iis quæ bona fide hic recensui, facilè iudicaturos, me omni crimine violata amicitia & turbatæ pacis cōmunis Scholæ nostræ, carere, omnēmque horum culpam in ipso Zanchio residere: quódque apud Dn. Scholarchas & hic coram vobis grauissimis & iustissimus de causis, ipsum peregrina & erronea doctrina, quam Ecclesiæ nostræ obtrudere conatur, accusauerim & adhuc accusem. Neque hæc quæ à me hactenus primùm ad conclusiones Zanchij, & deinde ad hanc suam orationem dicta & responsa sunt, existimari debent parerga esse. Intelligentiōus causa satis dicta est. Quod genus doctrinæ in singulis articulis religionis Christianæ hæc Argentinensis Ecclesia nūc multis annis cōstāter profiteatur, nullꝰ sic ciuis & vllꝰ Ecclesiæ membrū ignorare potest aut debet. Hanc verò Zanchij doctrinam ex diametro cum illa pugnare, declaratum est satis. Nam primùm de sacramento Eucharistiæ sine vlla simulatione, Cinglij & Caluini sequitur sententiam. Quòd autem illi diuersum in hoc articulo ab Ecclesia Argentinensi & Augustana confessione, eiúsque Apologia docedt: toti orbi manifestum est, neque ipsi hoc diffitentur. Secundò: De perseuerantia sanctorum in fide cum neget, renatos peccatis & lapsibus contra conscientiam, fidem amittere, & Spiritū S. excutere, & à nouo reos fieri iræ in iudicio, &c. dogma profitetur Anabaptisticum in Augustana confessione publicè condemnatum. Tertiò, Renatorum & sanctorum fide, peccata omnia facit paria, nulla facta distinctione inter peccata mortalia & venialia. Quartò, de Vinculis internis & externis, quibus Christo & Ecclesia homines colligantur, perniciosum errorem Suencfeldij de interno & externo verbo alit. Quintò, De prædestinatione, quia non à posteriori, ab ipsa scilicet vocatione & verbo Euangelij, sed à priori incipiendum esse contendit, iudicio Lutheri iam lecto, conijcit homines in periculosiss. tentationem & laqueos diaboli, quibus capti, rebellant & in Deum blasphemi redduntur. Sextò sumit sibi licentiam & libertatem, in Schola nostra quiduis pro suo arbitrio & iudicio docēdi: nulla habita ratione Augustana Confessionis & eius Apologiæ: cum tamē fide data & chirographo proprio se ad eam adstrinxerit. Septimò, Huius sua libertatis quiduis pro suo arbitrio docendi, effectus & fructus sunt prodigiosa eius opiniones de fine Sæculi & nouo Antichristo.

ZANCHIVS.

RΕspondeo primùm ad conclusiones. In genere ais, Doctrinam meam pugnare cum doctrina Argentinensis Ecclesiæ. Contrà dico meam esse consentaneā: tuam verò longè diuersam. Meam conclusionem probo. Quia mea desumta est ex scriptis Buceri, & consentanea est scriptis Capitonis & aliorum qui hic docuerunt. Postremò, eadem est cum doctrina, quæ in Confessione Augustana huius Ciuitatis & eius Apologia, aliísque Confessionibus anni 33 39. 44. 48. continetur.

Doctrina Zanchij consentanea est cū scriptis Buceri & Capitonis.

I. Ais speciatim de Sacramento Eucharistiæ, me sequi sententiam Caluini & Zvvinglij. Contrà dico, Me sequi sententiam Christi & Apostoli, sicut explicata etiam fuit in hac Ecclesia à maioribus nostris & in Confessione Augustana huius Ciuitatis eiúsque Apologia.

II. Ais: De perseuerantia me docere: homines renatos lapsib. contra conscientiam, fidem non amittere, nec fieri reos æternę pœnæ: ideóque Anabaptisticū dogma sequi. Contrà dico: me sequi doctrinam orthodoxam, è Scripturis, Patribus, Bucero & Confessione huius Ciuitatis desumtam. Sed non est ea, quam tu mihi hic adscribis: tu multa addis de tuo, quæ ego nō docui nec doceo.

III. Ais: me facere peccata paria in Sanctis. Contrà ego dico: te hic calumniari.

IV. Ais: de Vinculis, esse errorem Suencfeldianum. Contrà dico, te nescire quid dicas: & meam sententiam non intelligere præ odio mei, quo excæcatus es.

V. Quòd etiam ais: de Prædestinatione me contendere, incipiendum esse à priori: & conijcere homines in desperationem: Contra ego dico, te etiam nescire quid garrias de isto tuo priori & posteriori: neque intelligere Lutherum: & me calumniari.

VI. Quod millies mihi obieceris & nunc etiā ad extremū obiicias chirographū: dico, te mihi facere insignē & intolerabilem iniuriam: essēque hominē, quem modestiæ causa nolo nominare, sine vlla modestia aut etiam, taceo. Ergo tu insidiosè curasti, initiò cū huc veni, vt vnà cum Martyre subscriberem Augustanæ Confessioni: vt deinde pro tua libidine iniquissimè & iniuriose obiiceres mihi chirographum meum? Nunc tandem doces: quid mihi & aliis posthac sit faciundum: & à quibus sit cauendum. Quid tu ais me adstrinxisse me ad Confessionem Augustanam? quasi promiserim, nil me docturum, nisi quod ibi cōtinetur. Nam hoc est adstringere se. Non te pudet ita calumniari? promittere nil docturum, quod pugnet cum Augustana Confessione orthodoxè intellecta, estne adstringere se ad Augustanam Confessionem, vt non liceat alia pro meo arbitrio modo ne pugnent cum sacris literis docere?

VII. Prodigiosas vocas opiniones de fine sæculi & de Antichristo. Contra dico, verè te esse hominem prodigiosum, qui quæ docuit Augustinus & Patres omnes, quæque non pugnant cum sacris literis, prodigiosa vocas.

MARBACHIVS.

ITaque nisi hos iam recitatos errores damnet: & verā propter turbatam Scholam agat pœnitentiam: Promittátque, se deinceps in omni sua doctrina non recessurum ab Augustana Confessione eiúsque Apologia, pro fratre & collega meo in posterum neque agnoscam, neque habebo.

ZANCHIVS.

HActenus egisti actorem imò calumniatorem contra me: nunc ista conclusione agis iudicem. Nisi, inquis, damnet hos errores. Itane? quis fecit te iudicem? Sed non erat opus ista lata sententia: Quia ego antea tibi dixeram, me nolle colere amicitiam cum homine, qui apertum Dei verbum impugnet, eo præsert immodo quo tu.

Nunc tandem vt & ego finem dicendi aliquando faciam, dicam quæ sit summa istarum tuarum orationum.

Promittis satis confidenter, te demonstraturum luce clariùs, me esse mendacem, vanum, hæreticum, indignū amicitia bonorum virorum: & hoc non probasti nisi mendaciis & calumniis: ideóque conclusisti id de te, quod sequitur à coniugatis.

Obiicis mihi perperuò chirographum meum, idque satis iniuriosè & superbè: & adhuc nihil probasti, me contra chirographum fecisse.

Centies Augustanam Confessionem nominasti, vt videaris illius aduocatus: & reipsa declaras, te non intelligere ipsam Augustanam Confessionem.

Iactas verbis: Martinum Bucerum esse tuum præceptorem, & patrem, eiúsque doctrinam, esse doctrinam Christi: & tamen eius doctrinam reipsa damnas.

Martyrem laudas, quod nihil hîc docuerit, quod non consentiat cum doctrina vestra: interim quæ in illo laudas, in me damnas.

Lutherum profers in medium de Prædestinatione: & tamen totum illud contra te facit.

Sūma. Multa dicēdo atq. scribēdo, nihil aliud fecisti D. Marbachi, nisi quòd qualis sit animus tuus, hoc est, quàm humanus, quàm mitis, quàm modestus, quàm amans veritatis, quàm studiosus concordię, quàm flagrās caritate, quàm veræ Theologiæ peritus, quàm denique pius atque Christianus: luculentissimè declarasti.

Ergo precor Dominum Iesum, vt te & me meliores & eruditiores in vera Theologia efficiat. Faxit Deus per Iesum Christum Dominum nostrum.

CAPVT VII.

HIERON. ZANCHII AD petitiones D. Marbachij supra positas post orationem eius Responsio.

QVatenus ista postulata, clarissimi Domini Scholarchæ, à D. Marbachio mihi proposita sunt, non teneor respondere. Nam etsi illum in Consilio Thomensi agnosco pro Decano: & in Ecclesia pro Superintendente: in Schola tamen non agnosco nisi pro collega & Visitatore. Collegæ autem, aut unius Visitatoris non est, regulas docendi, vel mihi vel alicui alij doctori præscribere.

Quatenus verò vos, clarissimi Domini mei, mihi, vt ad ea postulata respondeam, mandatis, respondebo: & quidem libere ac candide: simul etiam quam fieri poterit, breuissimè.

Rogo autem vos per Iesum Christum, pro cuius causa exsulo & vexor, vt id quod vos facturos confido, posito omni personarum respectu & præiudicio, res ipsas, sicut omnibus iudicibus verbum Dei mandat, id est, tam postulata D. Marbachij quam meas responsiones, trutina æquitatis diligenter pondereris atque examinetis.

Prima eius petitio sic habet: vt de Eucharistiæ sacramento, &c. Respondeo. Primum. Petitio hæc, sicut & reliquæ, tacitam habet accusationem: quasi ego aliquid vnquã in hac Schola de re sacramẽtaria docuerim, quod pugnet cũ verbis Confessionis August. Quæ in re mihi fit à D. Marbachio iniuria. Videat potius ipse & alij quidã, an secus doceam, quam in Confessione August. continetur, néene. Ipsa enim tantùm habet hæc verba.

De cœna Domini
Augustanæ
Confessionis doctrina.

De cœna Domini docent, quod corpus & sanguis Christi verè adsint: & distribuantur vescentibus in cœna Domini & improbant secus docentes. Tantum hæc ibi. Ipsi autem nunc prædicant, modò ipsum panem esse ipsissimum corpus Christi naturale: modo, Corpus Domini esse In & Sub pane: & quidem ita inuolutum nunc in pane, sicut olim inuolutum fuit in pannis. Aliter igitur ipsi docent, quàm Augustana Confessio doceat.

Doctrina
Marb. de
cœna.

Quòd si contẽdant, sic esse interpretanda Augustanæ Confessionis verba: contrà regero, neminẽ potuisse melius Cõfessionis verba interpretari & intelligere, quàm is, nempe D. Philippus Melanchthon: qui Confessionẽ ipsam composuit. Quomodo autem ipse Confessionem intellexerit postremũ ipsius iudicium ad Illustrissimum Electorem Palatinum missum, apertè docet. Ipse quoque Georgius Maior vir pius & doctus, in Confessione quam suo & Ecclesiæ VVitebergensis nomine, mense Octobri anno 1560 contra Illyricum scripsit: quomodo sit Confessio Augustana intelligenda perspicuè docet.

Phil. Mel.
optimus
August.
Confess.
interpres.
Georg. Maior. item.

Quæ vero subdit de modo præsentiæ, adiecta sunt illi primo postulato, quod mihi in cõsilio Thomensi proposui. In quem autem finem hæc mihi tacuerit, & in scriptis ad vos petitionibus primo illi postulato adiecerit: ex calumnijs in me, quæ ibi continentur, diuinare possum, certò affeuerare non possum. Sunt enim in illis verbis graues aliquot calumniæ.

Quomodo
Christus
præsens sit
in cœna.

Prima est, cùm ait: me Spiritualem tantùm admittere præsentiam, quæ fidei est. Si præsentiam Christi in cœna, appellat spiritualem & Fidei, respectu nostri, nimirùm quia nos illum non recipimus, nisi Spiritu & fide: non autem manibus & ore corporis: fateor, me hanc solam admittere præsentiam, idque cum Augustino, Bucero, & alijs pijs viris & Ecclesijs. Cæterum hæc non propriè præsentia, sed perceptio & manducatio spiritualis appellanda est.

Si vero spiritualem vocat respectu ipsius Christi: quod scil. nobis in cœna sit præsens Spiritu tantùm: non autẽ corpore: calumnia est. Etenim primùm centies audiuit ex me, id quod etiam vobis in protestatione meæ fidei de re sacramentaria, confessus sum iam pridem: me admittere, & liberè confiteri, in cœna manducari verum Christi corpus: & bibi verum Christi sanguinem. Quomodo autem manducari possunt, nisi adsint præsentia?

Deinde ipse scit: me admittere verba recessus Francofurtensis, quæ sic habent: (Doceatur, quod ipse Christus, verus, viuus, essentialis præsens sit, &c.

Postremò, cum admittam confessionem Augustanam, quæ ait, quod *Corpus & sanguis Christi verè adsint:* quomodo præsentiam Spiritus Christi tantùm admitto: & non totius Christi?

Quare si de præsentia loquitur: non video cur debuerit ad vos Dominos scribere: me non admittere, nisi præsentiam spiritualem.

Secundam calumniam etiã magis admiror, cùm scilicet ait, me negare præsentiam sacramentalem. Ne vnus vnquam eorum, qui de hac re scripserunt, quod sciam, negauit præsentiam corporis Christi sacramentalem. Deinde ipsemet D. Doctor, in mea Epistola quam cum eo contuli, audiuit & legit hæc verba [Quia verò nihil manducatur, nisi præsens sit, ideirco quod ad præsentiã rei, quæ offertur, attinet, damus talem præsentiam, quæ & in pane sacramentalis sit, & in nobis manducantibus essentialis.] Sunt mea verba. Qua igitur fronte ausus est ad vos scribere: me non secum admittere præsentiam sacramentalem?

Tertia calumnia est, cùm ait: me negare manducationem indignorum. Si non facit discrimen inter indignos & impios: est nimis crassa ignorantia. Quis enim nesciat, pios multos esse, qui tamen indignè manducẽt, vt e. Cor. 11. patet? Si verò, vt credo, nouit hoc discrimen: in quem finem igitur nõ dixit impiorum, sed indignorum? Quasi verò ego contra Apostolum, negem: multos edere corpus Domini indignè. Annon videtis Domini Scholarchæ, quàm apertæ & graues sint illæ calumniæ? Sed ego illi parco. Dominus etiam, vera resipiscentia priùs donato, ignoscat.

Discrimen
inter indignos & impios.

Quatuor verò sunt, quæ in illa prima petitione vehementer miror. Primum est, quod sacramentalem præsentiam interpretetur corporalem præsentiam. Sacramẽtum enim semper differt à re cuius est sacramentũ, hoc norunt etiam pueri. Si igitur sacramentum corporis Domini, non est ipsum corpus Domini, sed sacramentum eius: profectò nec præsentia sacramentalis, significat præsentiam corporalem. Præsentia Domini vera in cœna ideò vocatur sacramentalis, quia per sacramenta & significatur & exhibetur præsens Dominus. Et hæc significatio colligitur ex definitione sacramẽti per regulam cõiugatorum. Sacramentum enim est res sacra, signum, seu est symbolum, ex institutione Domini rem alia à se diuersa verbi gratia corpus & sanguinẽ Domini, tum significans tum exhibẽs, id quæ in hostiũ relatũ. Sacramentalis igitur Domini præsentia, est præsentia Domini per sacramenta significata & oblata.

Sacramentalis præsens quæ sit & cur ita vocetur Sacramentum quid sit.

Alterum quod miror est, quod cùm requirit consensum in doctrina non addit, *Secundum Dei verbum*, sed videtur semper intelligere Secundum confessionẽ Augustanam. Etsi enim admitto hac in re confessionẽ Augustanam, tanquam non discrepantem à verbo Dei, tamen indigna res est, præsertim Theologis, præter Scripturas, homines ad certa hominum verba alligare. Semper igitur subaudiendum est, *Secundum verbum Dei.* Talem autem consensionem amplector. Alioqui etiam Papistæ habent consensum in doctrina, sed contra verbum Dei. Talem autem consensum nemo à me postulet.

Qui consensus in doctrina probandus.

Tertiũ verò quod miror, est ipsa petitio, qua petit, vt de modo præsentiæ Domini ego nihil tradam, sed totam illius explicationem sibi & alijs Pastoribus relinquam. Primum, sæpè mihi dixit, de modo præsentiæ se non esse solicitum: seque illum ignorare. Quomodo igitur nunc de eo tã est solicitus? Quomodo etiam volet alijs explicare id quod ipse dicit se ignorare? Deinde. Si ille vult ipsum explicare, quæ est hæc æquitas, vt ego debeam tacere, ipso & alijs quotidie de hoc modo aduersus nos disputantibus? At tu, dices, ignoras hunc præsentiæ modũ, nos vero scimus. Respondeo. Docete igitur me, & vobis gratias habebo. Postremò, Quid si ego doceam secundũm verbum Dei, mihine erit tacẽdũ? Absit. Examinandæ igitur sunt doctrinæ nostræ ad lapidem lydium scripturarum. id quod fieri nequit, nisi per colloquium amicum aut per disputationem.

An soli Marbachio liceat de modo præsentiæ Christi in cœna loqui.

Quartum quod miror, est ipsa ratiocinatio: Debet Zanchius permittere nobis, tradere modum præsentiæ: & ipse tacere. Ratio. Quoniam nos hactenus docuimus iuxta articulos concordiæ anno 36. VVitebergæ cum D. Luthero factæ. Sic etiã Papistę nobis dicũt: Vos debetis stare nostris interpretationibus. Quare? Quia no-

hactenus docuimus iuxta Decisiones & Canones in conciliis factos. Quę est ista consecutio? Quid si articuli non sint (nihil hic affirmo, tantùm ratiocinationē expendo) secundùm verbum Dei? Sed sumto secundùm verbum Dei. Quid si quis neget, D. Doctor, te & tuos docuisse & docere iuxta illos articulos? Certè etiam Philip. Melanchthon illos articulos probè intellexit: & ipse tamen Heshusij doctrinam, quam vos probatis, nō probat. De Bucero quid dicam? Certè ipse etiam probè eos intellexit. Ipse tamen etiam post concordiam cum Luthero, anno 36. factam, longè aliter, quàm vos, docuit: & quidem in hac Schola & Ecclesia Argentinensi. Ipsius confessio facta & in Schola hac dictata anno 44. in qua etiā dixit, se velle ante tribunal Dei venire, hoc quod dico, testificatur. Ibi apertè tradit: Caput *Ioh* 6 ad vsum cœnæ Dominicæ pertinere. *Itē*, Dominū gloriæ, in mundū hunc impuris cogitationib. tuis ne detrahas: ne includas locis qui huius mūdi sunt: ne distrahas diuersitate fruentium, quæ item res huius mundi est. Pugnāt hæc cū illis dicēdi formis: Corpus Christi in multis esse locis: inuolutum esse in pane, sicut olim in pannis. Item ait: [In symbolis tanquam in speculis, cerni & percipi verè verum Christi corpus, verúmque Christi sanguinē: sed nec sensu nec ratione: verùm solius fidei oculis: sensu rationéque noui hominis; Spiritu qui scrutatur profunda Dei.] Pugnant cū illis dicendi formis: Corpus Christi in cœna manibus contrectari: ore corporis sumi, &c. Item recitat verba Irenæi quæ in Articulis cōcordię ait proposita esse: nimirùm, *In sacra cœna, duas haberi res: vnam cœlestē, corpus & sanguinē Domini: alterā terrenā panē & vinū.* Differt igitur & distat panis & vinum à corpore & sanguine Christi: quantū res terrena à cœlesti. Quare dictum illud totum Irenæi, pugnat cum illa phrasi: Panem esse ipsum corpus Domini naturale. Est enim ac si dicas: Terra est ipsum cœlum, item cum illa, corpus Christi est in pane. Est enim ac si dicas, cœlum est in terra. Mox subdit hæc verba: [Absurda & dissentanea fidei, quæ hic occurrunt, suggesta à ratione carnis, sic repello: Corpus & sanguinem Domini Dominum ipsum, in sacra cœna exhiberi, percipi, adesse: vt nec moueatur loco: nec includatur loco: nec distrahatur locis; nec commisceatur aut alligetur symbolis, vlla ratione huius sæculi; nec attingatur sensu & ratione, non fiat cibus ventris; non patiatur aliquid huius mundi. Ad ipsum enim in se, sola mens subleuata fide pertingit.] Pugnant hæc omnia; cum illis loquendi formis: corpus Christi in pane; & esse in multis locis, &c.

Bucer. de Cœna.

Item posteà subdit; Corpus Christi non posse dici esse in loco, ratione huius sæculi. Ruit igitur hīc illa *πανταχουσία* quam multi fingūt. Item subdit: [Definitum autem corpus Domini & nō vbique diffusum credere & fateri Scriptura præcipit quæ verum hominem prædicat: & adscendisse supra omnes cœlos, & ita reditu*r*um, vt adscendit.] Ruit igitur *πανταχουσία* & *πολυτοπία* simul.

Item, Impios à manducatione corporis Domini omninò reiicit, nec vult eos vel dignè vel indignè edere. Et ait; Apostolum cùm 1. Cor. 11. docet alios quidē *ἀξίως*, alios verò *ἀναξίως* comedere, de fidelibus tātùm loqui, quorum alij Christum Dominum religiosè excipiunt, alij secus, id est, vt in epistola contra Abricēsem loquitur, *Fide quidem, sed parùm attenta*. Totum igitur hoc pugnat cum dogmate, impios etiam manducare verum Christi corpus, in cœna.

Item ait, Se præsentiam Domini statuere nec localem, nec vllius modi huius mundi: se Dominum nec detrahere gloria cœlorum, nec pani includere localiter, nec vlla ratione huius sæculi ei affigere.

Item subdit, se non concedere veram Domini manducationēm de qua Ioh. 6. vlli hominum, non plena viuáque fide sacramentis communicanti. Docet igitur, non verè corpus Domini ab illis manducari, qui viua fide præditi non sunt.

Itē sub finē confessionis, Illas verborum Christi interpretationes, Hoc est corpus meum, id est, significat corpus Christi, vel est figura corporis Christi, non omninò aut simpliciter improbat, Sed ait, veras esse, si de pane dicantur. Nec enim, *inquit* Bucerus, panis ipsummet corpus Domini est, sed est symbolon eius, eóque etiam significat illud. *Cæterùm ait*, hoc non esse satis dixisse, propterea quod corpus & sanguis Domini, & hic exhibetur, nō significatur tantum. Facit hoc contra illos, qui locutiones has, ita simpliciter & absolutè damnāt perinde ac si nullo modo veræ sint: ac proinde iniustè crucifigunt eos, qui illis vsi sunt, quasi illi negarint, verè Christum in cœna exhiberi.

Idem Bucerus, in defensione contra Abricensem Episcopum præter alia primùm, Canonem concilii Nicæni de cœna Domini probat, qui hic est: Ἐπὶ τῆς θείας τραπέζης πάλιν κἀνταῦθα μὴ τῷ προκειμένῳ ἄρτῳ καὶ τῷ ποτηρίῳ, ταπεινῶς προσέχωμεν: ἀλλὰ ὑψώσαντες τὴν διάνοιαν, πίστει νοήσωμεν κεῖσθαι ἐπὶ τῆς ἱερᾶς ἐκείνης τραπέζης τὸν ἀμνὸν τοῦ Θεοῦ τὸν αἴροντα τὴν ἁμαρτίαν τοῦ κόσμου, ἀθύτως ὑπὸ τῶν ἱερέων θυόμενον: καὶ τὸ τίμιον αὐτοῦ σῶμα καὶ αἷμα ἀληθῶς λαμβάνοντας ἡμᾶς πιστεύειν, ταῦτα εἶναι τὰ τῆς ἡμετέρας ἀναστάσεως σύμβολα. διὰ τοῦτο γὰρ, οὔτε πολὺ λαμβάνομεν, ἀλλ' ὀλίγον, ἵνα γνῶμεν, ὅτι οὐκ εἰς πλησμονήν, ἀλλ' εἰς ἁγιασμόν. Hic Canon, duo hæc apertè docet. I. Christum sursum esse, ideóque sursùm quoque esse nobis corda tollenda, vt vetus Ecclesia semper cecinit: & sursùm, vt Paulus dicit, Christum esse quærendum, fideque amplectendum. II. Etsi ille sursum sit: symbola verò hic deorsùm: tamen cùm symbola in cœna sumimus ore corporis, & mente fide in cœlum subleuata Christum amplectimur, verè nos vesci carne & sanguine Christi.

Deinde apertissimè multis rationibus probat, corpus Domini manducari quidem etiam ab indignis fidelibus: sed ab impiis vera fide destitutis minimè, sed sacramentum tantum recipi aut manducari. Et ait in pag. 88. Apostolum Paulum nullā aliam corporis Domini manducationem agnoscere, quàm veram illam quæ semper salutifica est: etsi aliquando ex accedente indignitate, simul iudicium aliquod indignè sumenti accedat. Nunquam autem fuit hæc defensio vel ab ipsis Saxonibus improbata, tanquam ea, quæ cum articulis concordiæ non pugnabat nec pugnat: imo fuit illa defensio vna ex causis, cur facta fuerit concordia, vt ipsemet Bucerus testificatur.

Quid dicam de postrema Buceri Exomologesi de re sacramentaria quam fecit in Anglia? Ibi etiam longe aliter docet de re sacramentaria, quam nūc a multis, qui profitentur, se docere iuxta articulos concordiæ doceatur. Præter alia, Thesi 6. 7 8 9. ait à Christo in verbis cœnæ vsum & participationem legitimam huius sacramēti definiri, eam esse corporis & sanguinis Christi *κοινωνίαν*, de qua etiam in 1. Iohan. 1. Aliter certè interpretatur Bucerus, quàm quidam alii illam *κοινωνίαν* Pauli ad Corinth. Sententia Buceri consentit cum sententia Philippi in Iudicio: & ante cum Photii in Scholiis Græcis: & ante Photium Ioan. Chrysostomi. Ab eo enim omnes acceperunt. Quare non est adscribenda Caluino, tanquam primo eius inuentori. *Et hanc κοινωνίαν ait, nō percipi, nisi fide.* Nemo igitur corporis Christi *κοινωνίαν* habere potest sine fide. Item Thesi 22. ait: In Eucharistia nullā præsentiā Christi haberi, nisi quæ sola fide apprehenditur & tenetur, & ita docendos esse populos. Corpus igitur Christi non potest præsens percipi à nobis, nisi fide. Quare qui sunt sine fide, illud non recipiunt. Et qui aliter populos docent, malè, iudicio Buceri, docent. Item Thesi 27. ait, Proprium esse diuinæ naturæ idioma, esse vbique & implere omnia, etiam per substātiam: humanæ autem, esse definito loco & cōditione, & non diffundi vel in multa, vel omnia in loca. Hæc vera, inquit, sunt, & consentanea Scripturis, etiamsi non tribuatur Christi corpori locus ex quarto Physicorum. Itē Thesi 28. & 29. non probat, vt in tanto mysterio vtamur locutionibus etiam sanctissimorum Patrum, quæ in Scripturis traditæ non sunt. Non sunt igitur probandæ hæ locutiones: Corpus Christi esse In & Sub pane, cùm nullibi Scriptura iis vtatur, iis enim factum esse à Satana & Antichristo, vt introducta sit artolatria. Thesi verò 33. Præsentiam Christi sic definit, Definio igitur præsentiam Christi, quæcunque à nobis percipitur, vel sacramentalis, vel ex verbo Euangelii, tantùm esse apprehensionem & fruitionē Christi Dei & hominis, vt nostri capitis, regnantis in cœlis, & manentis, atque viuentis in nobis, quam nulla ratione huius sęculi (*ergo non ore corporis*) sed fide percipimus ipsam & fruimur, oblatam verbo Dei & sacramentis. Thesi 34. definit, quid sit esse præsentem alicui, dicendo, Præsens enim dicitur secundùm aliquam eius, cui præsens dicitur, perceptionem. Ita adesse & præsentes esse dicimus, quos auditu tantùm vel visu percipimus adesse. Cùm iam perceptio fidei sit multum certior omni cōprehensione sensuum vel rationis:

quare

quare non dicamus: Christum caput nostrum, praesentem nobis suis membris esse, apprehensum fide, & viuentem inhabitantémque in nobis, naec ille. Totú hoc, est contra illos, qui nisi statuát, Corpus esse In & Sub pane inuolutum, non putant, Christum esse praesentem. *Thesi* 35. Duas ex patribus recitat praesentias Christi: vná carnis alteram fidei & illam dicit fuisse, quae sensibus percipiebatur: hanc veró quae fide habetur: & hánc illi opponit. Thesi veró trigesi. octaua & 39. Non probat, has voces in Ecclesia: Christum haberi in Coena realiter, carnaliter, substantialiter. His enim magis obscurari doctrinam, tantúm abest, vt illustretur. Item *Thesi* 46. De manducandi modo ait, Symbola quidem edi corporaliter: carné veró & sanguinem Christi, spiritualiter. Hoc facit contra D. Marbachium & alios, qui volút, Corpus Christi non solum spiritualiter, sed etiam corporaliter manducari. Ibidem, habet haec verba. Eadem enim, vt dictum est, dat sui communionem in coena per symbola & verba sua, quam commendauit Ioannis 6. Quare igitur nostri negant caput illud pertinere ad Coenam Dominicam? Item *Thesi* 47 Declarat, quae possit esse coniunctio gloriosi corporis Christi existentis in coelis & certo coelorum loco sensibili: & respondet, esse talem, qualis est regenerationis cum coniunctione aquae & Spiritus sancti, cum flatu Christi. Concedit igitur Bucerus, Corpus Christi, sursum esse in certo coelorú loco, panem vero in terra. Thesi autem 49. de Manducatione Piorum & Impiorum, ait. *Planè impios nihil Christi sumere ex sacra coena.* Denique Thesi 53. quid nomine rei terrenae: quid & nomine rei coelestis apud Irenaeum intelligat, docet dicendo: Symbola, cum Irenaeo, dico rem terrenam: communionem Domini & effectum eius, confirmationémque noui testamenti, voco rem coelestem, ac ideo tantum fide apprehendendam, & nullis huius saeculi cogitationibus inuoluendam.

Ex iis omnibus liquet, Bucerum longé aliter docuisse & scripsisse, quám multi ex nostris hodie. Et cum ipse quoque sit professus, se docere iuxta articulos concordiae: consequitur igitur, vel eos qui aliter docent quam Bucerus, non consentienter iuxta articulos docere: aut Bucerum ipsum non consentienter docuisse.

Postremo, Sunt alij in Germania & Principes & doctissimi doctores, qui eosdem quoque articulos Concordiae profitentur: & tamen longé aliter docent, quám vos, túm de modo praesentiae, tum de ratione manducandi, túm de manducantibus, seu de manducatione Impiorum, doceatis.

De Confessione Georgij Maioris & Ecclesiae Vuitebergensis suprá mentionem feci.

Est igitur saltem ambiguum, an illi, an veró vos, iuxta articulos concordiae doceatis.

Quare tota ista ratiocinatio ruit, Nobis solis permittenda est explicatio de modo praesentiae Domini, quia nos iuxta articulos concordiae hactenus docuimus. Ego ergo, aliam petitionem longe meliorem & Ecclesiae vtiliorem illi hac de re propono. Ea est, vt omnes contenti simus docere, Dominum quidem Iesum, Deum & hominem praesenté in sua Coena nobis esse, & ideo, cúm offertur panis & vinú, ipsam quoque Domini carné & sanguiné, vere nobis offerri & exhiberi, atq. à veris fidelibus in salutë, in foederis confirmationé, & tam in corporis, quám in animae verá viuificationé, manu & ore interioris hominis recipi ac manducari, inque mysterij huius explicatione, nó alijs verbis, quam Christi & Apostolicis vtamur, & praeterea nihil, nisi quae ad vsum & praeparationem faciunt, addamus.

Quomodo Christus in coena praesens sit, & ibi percipiatur.

Summa, quod D. Doctor me accusat, quasi docuerim de re sacramentaria contra Confessioné Augustanam, calumnia est. Quod autem petit, ne contra eam doceam, superuacanea est & importuna petitio. Quod veró petit, vt de modo Praesentiae sinam se, & alios Pastores docere, ego veró taceam, iniqua est postulatio.

SECVNDA D. MARBACHII, ad vos Dominos Scholarchas, missa petitio, haec est: Cùm ex S. literis in confess. &c.

De Praedestinatione.

RESP. Gratulor primùm D. Doctori & alijs Pastoribus, quod mecum iuxta verbum Domini sentiát ac fateantur, certos quosdam ab aeterno fuisse à Deo in Christo ad aeternam vitá, ideóque ad redemptionis salutisque per Christum *communionem*, electos ac praedestinatos: modó addatur, *Gratis*, seu, *Ex mera Dei gratia*. & certos quosdam, id est, reliquos omnes, fuisse a salutis communione reiectos, atque ad vias & fines longe diuersos quám Electi sint, praedestinatos idq. ex iustissimo, quamuis nobis occulto, Dei iudicio. Neq. enim vlla iniquitas apud Deum esse potest: sed quoscunque elegit, gratis & misericorditer elegit: quoscunque vero reprobauit: iusté reprobauit. Haec est doctrina Spiritus sancti in Scripturis. Sic docuit Augustinus: sic Lutherus, qui totus fuit & re & professione Augustinianus: sic etiam Bucerus in hac Schola.

Certó esse electorum numerú.

Caeterum quae postea in petitione sequuntur: ingenué fateor, me non bene quid sibi velint, intelligere.

In illis verbis, solum duo. Primum, Tacita quaedam accusatio, quod scilicet ego, cú de nostra salute aeterna & voluntate Dei erga nos in Schola doceo, initium faciam ab ipsa occulta Praedestinatione: nec reuocem meos auditores ad voluntaté Dei reuelatam, &c. Quasi vero ego aliquid doceam de nostra salute, deque Dei erga nos voluntate, quod in Scripturis non sit reuelatum. Haec est calumnia. Ostendat D. Doctor, quid ego de nostra salute, deque voluntate Dei erga nos docuerim, quod non sit in Scripturis reuelatum: Tunc ad hanc accusationem respondebo: vt appareat, an ego aliquid occultum, quódque non sit in sacris Scripturis reuelatum, doceam, nécne. Quae est enim causa, cur non ita curram in explicandis Scripturis, vt ipsi? Quoniam e Scripturis, quas interpretor, eruo dogmata. deinde ea non contentus illo praesenti loco, multis alijs scripturarum autoritatibus, adiectis insuper Patrum testimoniis confirmo: idque, ne quid doceam, quod non sit abundé cófirmatum ex verbo Dei reuelato. Hic nihil affingo: res ipsa loquitur: scriptae praelectiones testantur.

Cur Zanchius in tractatione locorú communium sit immoratus.

Illa etiam est calumnia, quod incipiam in meis praelectionibus à Praedestinatione Dei. Deinde etiamsi aliquando incepissem male ne fecissem? Paulus quoque incepit vnam Epistolam, nempe ad Ephesios, a Praedestinatione. Sic enim ait: Benedictus Deus & pater Domini nostri Iesu Christi, qui Benedixit nos omni benedictione spirituali in coelestibus in Christo: quemadmodum elegit nos in Christo, ante iacta fundamenta múndi, vt essemus sancti & inculpati coram illo per charitatem qui praedestinauit nos in adoptionem per Iesum Christum in se ipso iuxta beneplacitum voluntatis suae in laudem gloriae gratiae suae.

Deinde ibi est petitio. Vt, cum de nostra aeterna salute, & voluntate Dei erga nos, docemus a priori, id est, ab ipsa occulta praedestinatione initiú in meis praelectionibus faciam. sed meos potius auditores deducá ad Dei voluntatem reuelatam. id est, ad verbum externum, siue Ecclesiae ministerium à Christo institutum. seu, vt ipse D. Paulus loquitur, ad ipsam vocationem. Nam quos praesciuit, eosdem & praedestinauit: quos vero praedestinauit, eos & vocauit, eos & iustificauit, &c. Haec omnia, sunt ipsius D Marbachii. Ego vero, vt ante dixi, non intelligo, quid sibi velit iis verbis. Primum. Quid sibi vult illud? (Cum docendum est de nostra aeterna salute déque voluntate Dei erga nos, non esse initium faciendum à priori (*vt interpretatur*) hoc est, ab ipsa occulta aeterna Praedestinatione,) Auco scire, quod discrimen faciat inter voluntatem Dei erga nos, & Praedestinationem Dei de nobis. Mihi enim semper visa sunt idem esse, vel saltem parum inter se differre. Nam Praedestinatio Sanctorum nihil est, nisi aeternum Dei decretum de nobis per Christum saluandis. Decretum autem Dei, & voluntas Dei, idem sunt. Quis igitur potuerit incipere docere de voluntate Dei erga nos, quin incipiat docere de decreto Dei de nobis?

Praedestinatio sanctorú quid sit.

At dicet D. Doctor, est volútas Dei secreta, & voluntas Dei reuelata. Non est autë incipiendum à voluntate Dei secreta, sed reuelata. Respondeo, dictum bené ac sapiëter. At quid ego protestatus fui in mea prima praefatione, cúm huc veni, nisi, me nihil, quod ad religioné per se attineat, docturum praeter idquod in sacris literis est reuelatum? Quid etiam aliud per totum hoc octennium docui? Idem etiam nunc protestor, me neque de voluntate Dei erga nos, id est, de Praedestinatione Dei de nobis, neque de vlla re, ad religionem per se attinéte, aliquid docturum, quod in scripturis reuelatum non reperero. Quid à me iure exigi potest amplius? Paulus autem ad fideles scribens, tam ad Ephesios, quám

ad alios, sic de fidelibus omnibus pronũtiat, *Deus elegit nos in Christo ante mũdi constitutionẽ, vt essemus sancti, &c.* Est igitur voluntas Dei reuelata: Omnes, qui verè credunt in Christum, fuisse electos, ante mundi constitutionem in Christo. Quare autem hæc est voluntas, & hæc electio Dei reuelata? nimirum. Vt quisque fidem certam huic doctrinæ reuelatæ adhibẽdo, firmiter credat, se quoque esse ex illorũ numero, qui electi sunt in Christo à Deo: & ita credendo certò concludat, reuera Christum pro se efficaciter mortuum esse: & se ad Christum: secundùm propositũ Dei, efficaciter esse vocatũ, atque ita per hanc fidem tanquam per certissimum testimonium Spiritus sancti in corde, magis ac magis certior fiat, reuera se esse electũ, ideóque non posse perire. Etenim nemo potest sibi certò persuadere, quod fuerit electus in Christo, nisi verè sit electus in Christo, Act. 13. Et crediderunt, quotquot præordinati erant ad vitam æternam. Ac proinde fides, qua quisque verè & certò credit, se in Christo fuisse electum, ideóque reuera & secundùm propositum Dei, Christum pro sui salute esse mortuum omnes promissiones reuera ad se pertinere: inter quas sunt etiam de perseuerantia sanctorum in fide, ideóque se non posse amplius, propter electionem Dei propter redemtionem Christi, proptérque promissiones Spiritus sancti in cordibus fidelium, ideoque & suo, obsignatas, perire. Fides, inquam hæc certissimũ est testimonium ei qui donatus ea est se reuera esse electũ, inscriptúmque in libro æternæ vitæ. Sed fides hęc, si vera est & certa, non potest fieri, quin secum habeat adiunctum odium peccati, amorem legis Dei, etsi nõ sanctiss. vitam saltem studium sanctæ vitæ. Idem Apostolus, qui in genere prædicauit, nos omnes electos esse in Christo. idque in hunc finem, vt hoc quisque de se ipso credat: docuit etiam, qualis sit hæc fides, qua qui que hoc verè credit, & consequenter, qua verè credit in Christum: nimirùm quod sit viua, cum dilectione Dei & proximi coniuncta pérque hanc dilectionem operans, Gal. 5. Si ego quoque Apostolum imitatus, fideles, qui veniunt in Scholam sic doceam: Nos esse electos in Christo: debere igitur quemque sibi certò persuadere, quod sit ex numero electorum: & in hac fide ambulare studẽdo legi Dei, & per ea opera quæ preparauit Deus, vt in illis ambulemus, incedendo: Malène & infructuosè doceo?

Cur hæc doctrina à Deo sit reuelata.

Secundò. Illud non intelligo, quod D. Doctor dicit: *auditores ducendos esse ad voluntatem reuelatam*: & interpretatur, *hoc est ad verbum externum*: & verbũ externũ interpretatur, *Ecclesiæ ministerium.* Per quam viã obsecro deducendi sunt auditores ad voluntatẽ Dei reuelatam, ad verbum externum ad Ecclesiæ ministerium? An fortè per voluntatem non reuelatam? Ego verò hactenùs sensi, per voluntatem reuelatam pérque verbum externum & per Ecclesiæ ministerium, deducendos esse ad voluntatem non reuelatam, seu ad videndum nostram vitam nondum plenè reuelatam, sed absconditã adhuc cum Christo in Deo. Fateor igitur, me non intelligere quid à me petat.

Postremò, quid probet illo loco Pauli ad Rom. non video. Conclusio D. Doctoris est: Cũ de voluntate Dei erga nos loquendum est: non esse incipiendum ab ipsa electione, sed à verbo externo, id est, vt interpretatur ipse, à vocatione, hoc probat: quia Paulus ait, *Quos præsciuit, hos & prædestinauit, & quos prædestinauit, hos & vocauit, & quos vocauit, hos & iustificauit.* Si hoc dictũ D. Doctor citat, vt probet, docendum esse de nostra salute, déque Dei voluntate erga nos, iuxta ordinẽ Pauli: locus Pauli concludit, incipiendũ esse ab ipsa præscientia & prædestinatione non à vocatione. Si verò citat illud, vt doceat, incipiendum esse à posteriori, i. ab effectis: cõcludit locus Pauli, incipiendũ esse glorificatione, hæc enim est vltimus prædestinationis effectus, & vltimo etiã loco ponitur à Paulo in illa catena, à glorificatione igitur accedendum erit ad iustificationem, à iustificatione ad vocationem, inde ad prædestinationem. Locus igitur citatus nullo modo concludit, incipiendum esse à vocatione. Quare iure dixi, me nescire, quid sibi velit in hac secunda petitione ad Dn. Scholarchas scripta.

Quod verò mihi in Concilio Thomensi hac de re proposuit, illud optimè intelligo. Quare ad illud etiam perspicuè respondeo. Duo fuerunt. I. *Vt abstinerem à doctrina de prædestinatione. II. Quòd si tamen locus exigat, vt de ea loquar, de ea loquar & doceam à posteriori.*

Prædestinatio omnino est docenda.

Ad primum membrum petitionis respondeo. Hoc idem, tempore Augustini, quidam boni alioqui, sed sine iudicio, viri, contendebant. Etsi verũ est, dicebãt, vt recitat Augustinus Tom. 7. de Bono perseuerantiæ ca. 20. quod dicitur de prædestinatione beneficiorũ Dei: non est tamen populis prædicandũ. *Quid Augustinus?* Prædicandum est prorsùs, *inquit ille sanctus Pater.* Et in quẽ finẽ? *respõdet ille:* [Vt qui habet aures audiendi, audiat. Quis autem habet, si non accepit ab illo qui ait: Dabo eis cor cognoscẽdi me & aures audiẽtes: certè qui nõ accipit, reiiciat: dum tamẽ, qui capit, sumat & bibat, bibat & viuat. Sicut enim prædicãda est pietas, vt ab eo qui habet aures audiẽdi, Deus rectè colatur: prædicanda est pudicitia, vt ab eo qui habet aures audiendi, nihil genitalibus mẽbris perpetretur: prædicanda est charitas, vt ab eo qui habet aures audiendi, Deus & proximus diligatur, ita & prædicanda est ista prædestinatio beneficiorum Dei, vt qui habet aures audiendi, non in se ipso sed in Domino glorietur. Quòd autem dicunt, non opus fuisse, huiuscemodi disputationis incerto minùs intelligentiũ tot corda turbare: quoniã nõ minùs viliter sine hac definitione prædestinationis, per tot annos defẽsa est Catholica fides, tùm contra alios, tùm maximè contra Pelagianos, tot Catholicorũ & aliorũ & nostris præcedẽtib libris, multum miror eos dicere, nec attẽdere, vt de aliis hic taceam, ipsos libros nostros, & antequã Pelagiani apparere cœpissent, conscriptos & editos.] Itẽ cap. 22. cùm docuisset, quomodo prædicãda sit prædestinatio, posteã subdit, *col.* 1252. [Hęc atq. huiusmodi cùm dicuntur, siue paucis Christianis, siue multitudini Ecclesię, cur metuimus sanctorũ prædestinationẽ & verã Dei gratiam. id est, quæ non secundum merita nostra datur, sicut eam S. scriptura prædicat, prædicare? An verò timendũ est, ne tũc de se homo desperet, quando spes eius ponenda demonstratur in Deo, non autem desperaret, si eam in seipso superbissimus & infelicissimus poneret?] Responsum Augustini do etiã ego D. Marbachio. Illud addo, Abstinere à prædicanda prædestinatione sanctorum, esse idem, atque abstinere à prædicando Dei erga nos amore. Quid enim est sanctorũ Prædestinatio, nisi specialis, isque æternus & cõstans Dei erga nos amor in Christo, quo amore nobis ita benè voluit ab æterno, vt nos elegerit ad vitam æternã, & in consortiũ sui filij perpetuũ? Sic Paulus Rom. 9. nomine amoris, expressit Prædestinationẽ, & nomine odij, Reprobationem, dicendo. (Cùm nondũ nati fuissent, aut boni quid, mal ve fecissent, vt secundùm electionem propositum Dei maneret, non ex operibus sed ex vocante, dictum est, Maior seruiet minori, sicut scriptum est, Iacob dilexi, Esau autem odio habui.) Quis autem vir bonus dicet, non esse perpetuò prædicandũ Dei erga nos amorẽ? amorẽ, inquã, illum, quo ab æterno complexus est nos in Christo. Deinde vbique ea in scripturis inculcatur. Ergo Dominus etiam mandat suis Prophetis & doctoribus, vt non partem, sed totum Dei verbum explicent. Neque Christus dixit, prædicate partem Euangelij, sed Euangelium scilicet totum. Et totum. Est autem magna & perspicua quidem pars Euangelij, doctrina de diuina electione, qua scilicet nos in Christi societatem elegit Deus, aliis infinitis ab ea iustissimè reiectis. Non est igitur à prædicatione prædestinationis abstinendum.

Abstinere à prædicãda prædestinatione quid sit.

Prædestinatio amor: reprobatio odium Dei est.

Doctrina de electione, præcipua pars est Euangelij.

Alterum membrũ est, Quòd si contingat, vt cogar loqui de prædestinatione, loquar & doceam à posteriori.

Resp. De electione, sicut aliis de rebus, bifariã loqui & docere contingit, Aut enim explicandi veniunt loci scripturarũ, aut habenda integra tractatio. Si de primo modo loquitur D. Marbachius, dico, istam regulam quã præscribit, esse contra regulam & voluntatẽ Dei. Dominus enim vult, vt eo ordine & eo modo suũ verbum explicemus, quo etiã ipse illud nobis in scripturis traditum reliquit, Et hunc Dei ordinem inuertere, sacrilega est temeritas. Solet autem Deus de hac electione, aliquando à priori, id est, à causis, aliquando à posteriori, id est ab effectis, loqui in scriptura, In Epistola ad Ephesios capite primo Apostolus à posteriori, hoc est, ab effectis electionis, quæ sunt Dei benedictiones in Christo spirituales, vt cognitio Dei, vocatio, fides, iustificatio, charitas, & eius officia, ad ipsam electionem, tanquam ad primam omnium benedictionum causam, ducit Ephesios, cùm ait, *Benedictus Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi, qui benedixit nos omni benedictione spirituali in cœlestibus, in Christo,*

De prædestinatione quomodo sit loquendum.

Ecce

Ecce effecta electionis, nempe benedictiones spirituales. Postea subdit: Sicut elegit nos in se ipso ante mũdi constitutionem. Ecce primam causam & fontem omnium benedictionum, electionem in Christo. Hoc fuit à posteriori ad prius. Sed mox descendit à priori ad posterius, cùm subdit effecta electionis seu ad quæ finius electi, dicendo: Vt essemus sancti & immaculati in cõspectu eius per charitatem. Si igitur ille locus explicandus mihi esset: quia ordo Apostolicus non est inuertendus, ibi certè à posteriori, de Electione docendum esset. Sed in Epistola ad Rom. 8. de ea sic loquitur: Quos præcognouit & prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui, vt sit ipse primogenitus inter multos fratres: quos autem prædestinauit, eos & vocauit: & quos vocauit, eos & iustificauit: & quos iustificauit, eos & glorificauit. Estne hic locus à posteriori, an à priori? Si igitur occurrat explicandus: inuertámne ordinem Apostolicum, & incipiam à posteriori? voléſne D. Doctor, me esse ipso Spiritu sancto sapientiorem? Est igitur contra verbum Dei, præscribere hanc regulam: vt quoties occurrunt loci scripturarum, qui cogunt non loqui de prædestinatione: doceamus semper à posteriori.

Si verò intelligat de altero modo, cùm scilicet habenda est plena tractatio: dico, illam regulam, esse contra veram docendi methodum. Incipiendum est enim ab ipsius electionis notatione & definitione. Et sic facit Bucerus in Epistolam ad Rom. in tractatione de Prædestinatione. Manifestum est igitur: me non posse seruare semper, nec esse seruandam hanc regulam D. Doctoris Marbachij: vt quoties cogimur loqui de Prædestinatione: loquamur & doceamus à posteriori.

Si vero loquitur D. Doctor de ea via, qua homines ad concipiendam certam de æterna sui electione persuasionem, deducendi sunt: idque in hunc finem, vt certi de sua salute, fortes etiam contra omnes Mundi, Satanæ, Mortis & Inferorum impetus pugnent: dico ego faciendum esse primo loco discrimen inter officium doctoris in Schola, & inter concionatoris in Ecclesia. Doctoris est tantùm docere. Docendi autem duplex est ratio. Vna, qua scripturas, prout se offerunt, explicamus: altera, qua locum aliquem communem certa methodo plenè tractamus. Iuxta vtramque rationem, disi supràquis ordo & in locis Scripturarum: & in locis communibus tam de Prædestinatione, quam de aliis rebus explicandis Doctoribus in Schola docentib. seruanda sit. Et an hæc vtraque docendi sit vera ratio, & propria docentium in Schola: nécne: iudicandum relinquo doctis in Schola nostra Professoribus: atque imprimis clariss. D. Sturmio huiusce artis docendi peritissimo.

Discrimen Doctoris in Schola, & Ministri, in Ecclesia.

Concionatoris verò est non tantùm docere: sed in primis, persuadere & affectus mouere. Quare quod proponit mihi D. Doctor, non propriè ad me: sed ad se & alios concionatores pertinet, nempè quæ via sit insistenda, dùm volunt persuadere suis auditoribus vel publicè in cõcionibus, vel priuatim in morbis & afflictionibus, illos esse ex electorum numero, ac proinde ne desperent de sui salute, & cætera, verùm per viã à priori, an per viam à posteriori, illi sint ad hanc de sui electione persuasionem deducendi. Sic igitur hac de re loquitur D. Doctor in sua altera petitione. Dico ad quod mihi proponis, nihil ad me pertinere, sed ad se & alios pastores. Quare de hac via deliberent inter se. Si verò meam sententiam interrogaret, liberè dicerem, sed meum non est D. Doctorem docere.

Quod autem ad vnumquemque Christianum attinet, vtra via sibi vtendum sit, ad hoc, vt verè sibi persuadeat, & in Spiritu sentiat, esse se ex numero electorũ: si quis cupiat ex me intelligere, dico, vtraque esse vtendum. Sic enim in Scripturis docẽmur à Spiritu sancto.

Quomodo quisque Christianum sibi persuadere possit, se esse ex numero electorum.

De via à priori, quæ incipit ab æterna Dei erga nos beneuolentia & misericordia in Christo patefacta, Apostoli locus est *Rom. cap. 8.* Quis me separabit à dilectione Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro? itẽ Ephes. 1. Elegit nos in Christo ante Mundi constitutionem. Item Iohan. 3. Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Quid autem iste amor, nisi electio in Christo? Rom. 9. Dilexi Iacob.

De via à posteriori, eiusdẽ Apostoli locus est *Ro. capite quinto.* Sed & gloriamur in tribulationibus, scientes, quod tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio spem, spes verò non confundit, quia charitas Dei, qua scilicet nos amat ab æterno, diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis. Et 2. Petr. 1. de hac via admonet nos dicẽdo: Propterea magis studete fratres: vt διὰ τῶν καλῶν ἔργων, vt quidam Codices habent: firmam vestri vocationem & electionem efficiatis.

Cæterum ab vtra sit incipiendum, à priori ne: an à posteriore: Ego cum D. Bucero (vtut alij sentiant) contendo, incipiendum esse à Priori. Voco autem hic viam à priori, cum scilicet oculis mentis nostræ à totis nobis atque omnibus nostris, id est, quæ in nobis sunt, & bonis & malis, tam internis quàm externis, penitùs auersis: atque in ipsum solum Deum, inque solam Dei gratiam, misericordiam, bonitatem, & beneuolentiam æternam quidem in se, sed temporaliter nobis in Christo exhibitam, & in Scripturis reuelatam conuersis: subleuati à terra in cœlum per Spiritum sanctum, firma fide credimus & certò persuademur, nos esse ex Electorum ad vitam numero: seu, nos fuisse à Deo in Christo, ex mera sua gratia, eum ad æternam vitam & habendam, & possidendã faciunt, ab æterno electos & prædestinatos: idque firma fide credimus & persuasum habemus, non quia videamus in nobis esse multa Dei dona, et bona opera, iustitiã, charitatẽ, patientiam & alias virtutes: sed tantùm quia & Deum ipsum e Scripturis nouimus esse bonum, & nostri amantem, Iohan. 3. Sic Deus dilexit mundum: & Spiritus veritatis, sic nobis in Scripturis reuelauit, vt etiam per Apostolum, nemine excepto, ait Ephes. 1. Elegit nos in Christo ante mundi constitutionem. In quem enim finem hoc dicit Apostolus? nimirùm, vt quod dicit, certò credamus: & id credendo, certum habeamus testimonium, quòd verè simus ex illorũ numero de quibus ait: *Elegit nos in Christo.* Qui enim huic verbo Apostoli fidem certam adhibendo, potest certò sibi persuadere, se quoque, cùm ab Apostolo nemo excludatur, esse ex numero electorum, verè est ex numero electorũ. Omnes enim electi, loquor de adultis, tandem hoc credunt: & qui non sunt electi, hoc non possũt credere. Hæc igitur est via à priori cũ ipsi Euãgelio (est autẽ & hæc doctrina, Euãgeliũ & præcipua pars Euãgelij) fidem adhibentes, certò persuasum habemus, nos fuisse & esse electos in Christo, ex mera Dei gratia.

An à priori, an verò posteriori sit incipiendum homini Christiano.

Via à priori quæ sit.

A posteriori vero est, cum post receptam fide hanc Apostolicam de nostra electione doctrinam descendimus ad effecta electionis: & in fidẽ iam de nostra electione ex simplici Dei verbo conceptam, magis ac magis cõfirmamus. Effecta autem hæc sunt. Primùm, ipsa fides in Euangeliũ, qua credimus cùm aliis Euangelij partibus: tùm inprimis huic, Deus elegit nos in Christo. Itẽ, Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret. Deinde sequuntur alia effecta, vt sunt Iustificatio, regeneratio, charitas, patientia, studium bonæ vitæ, &c. Cùm primùm igitur auersi à nobis, quanti quanti sumus, oculis verò mentis in solam Dei bonitatẽ & eius in Scripturis veritatem defixis, certò credimus, nos esse electos in Christo ad vitam æternam, idque persuasum habemus nulla alia de causa, nisi quia Deus de cuius tũ amore erga nos, tùm in Scripturis veritate, non dubitamus, ita pronuntiauit nemine excepto, Nos scilicet electos esse in Christo, est via à priori. Cùm verò reuersi ad nos, videmus primùm, esse in nobis hanc de nostri electione in Christo, fidem, quæ tantum est electorum, deinde sentimus fidei effecta, iustificationẽ, regenerationem, & cætera, quæ etiam solis electis præstantur, ac proinde ex iis effectis concludimus, primámque illam persuasionem confirmamus, nos verè esse in Christo ad æternam vitam electos, Via est à posteriori. Nunc est perspicuum, quid sit deducere nos ipsos ad certam de nostri electione persuasionem, per viam à priori & per viam à posteriori.

Via à posteriori quæ sit.

Electionis effecta quænam sint.

Ad concipiendam autem hanc de æterna nostri electione certitudinem, incipiendum esse à priori, & non à posteriori, his rationibus contendo.

Æterna nostri electio, in Deo fundata est, super merã Dei gratiam, amorem, misericordiam, non autem super fidem nostram futuram, vel virtutes, vel opera. Non enim nos ex præuisis nostris operibus bonis, sed ex mera sua gratia elegit Deus, vt Scripturæ dicũt, seu, non quia eramus sancti, sed, vt essemus sancti & immaculati in conspectu eius, Ephes. 1. Ergo eiusdem etiam certitudo ac persuasio, in nobis non debet fundari super nostras virtutes & opera, quæ est via à posteriori, sed immediatum eius fundamentũ, debet esse ipsa Dei gratia, mise-

Cur à priori sit incipiendum.

ricordia, & amor in Christo exhibitus, & in Scripturis reuelatus, & à nobis apprehensus.

2. Persuasio de æterna nostri electione inde debet sumere initium, vnde firma & certa fieri possit: non autem vnde labascat & vacillet. Atqui si initium capiat non à sola Dei gratia, Deique gratuito amore quod est à priori: sed à nostris operibus & virtutibus, quod est à posteriori. Nunquam erit certa: sed semper nutabit. Ratio est, quia omnis nostra fides, & iustitia & opera, semper manca sunt: ita, vt si illa tantùm spectemus: nunquā possimus de nostra salute certi esse. Igitur non à posteriori, sed à priori, incipiendum est. Hanc etiam rationē adfert Bucerus in tractatione de Prædestinatione, altera illius quæstionis parte: pag. 360. dicendo: *Sed quia manca adeò & mutilata est, &c.*

3. Persuasio de nostri electione, non debet inde initium sumere, vnde in animis nostris, doctrina ipsa de electione, aliquomodo labefactari possit. Labefactatur autem aliquomodo, si incipiamus ab operibus nostris. Nam ita in animos nostros obrepet facile hæc cogitatio: Quia futuri eramus boni & bona operaturi: ideò nos fuisse electos. Hoc verò pugnat cum Apostolica doctrina de electione.

4. Si incipiamus à posteriori: fieri non potest, quin aliqua nos occupet gloriola, quæ semper surgit ex contēplatione operum nostrorum bonorū, etiamsi illa agnoscamus esse dona Dei. Contra autem, Scriptura vbique clamat: *Qui gloriatur glorietur in Domino. Et, Regi seculorū immortali & inuisibili omnis honor & gloria.* Sic etiam docuit Bucerus in tractatione de Prædestinatione, in Paulum, altera illius quæstionis parte. Primo ait; *Primum sanè quod Deus à nobis poscit, est, vt credamus, eum esse Deum, id est, seruatorem.* In quem finem hoc? Respondet Bucerus ipse dicendo: *Vt cùm audimus illum ad se inuitare omnes, qui laborant & afflicti sunt, accurramus toto pectore.* Legantur reliqua quæ sequuntur: Quibus omnibus verbis docet; fieri non posse, vt quis per Euangelij prædicationem vocatus, Euangeliū salutis verè amplectatur & vocantem sequatur, nisi à priori incipiat, vt scilicet primo loco oculos suæ mentis à se & à toto mundo auersos, in solum Deum, eiúsque bonitatem conuertat; & statuat, Deum hunc bonum suum esse seruatorem, ideóque suum electorem: qui se gratis ad æternam salutē primò ab æterno elegerit, deinde nunc verè & secundùm propositum vocet, & etiā verè iustificet, & tandem glorificet. Hoc igitur est primum quod Deus poscit à nobis, vt scilicet spectata tantum Dei bonitate & gratia in Euangelio reuelata, statuamus hoc tanquam primum totius salutis nostræ fundamentū, nos scilicet ab æterno fuisse ab hoc Deo bono & seruatore nostro ad æternam salutem in Christo electos, ideóque nunc, cùm vocamur, Deum nobis non illudere, sed secundùm propositum ab eo vocari. Finis istius persuasionis est, vt ita persuasi certam fidē vocanti adhibeamus, & eum sequamur fide & fidei obedientia. Annon hæc est via à priori? Ideò hoc concludens Bucerus ait: *Præsumendum igitur, vt principium fidei, nos omnes à Deo esse præscitos, præfinitos, separatos à reliquis, & selectos, in hoc, vt in æternum seruemur, hócque propositum mutari non posse.* Hæc ille. Hoc est primum & totius ædificij Christiani fundamentum. Quid sequitur postea? Et inde, *inquit*, omnis nostra cogitatio, curáque in hoc intendenda est, vt prædestinationi huic Dei & vocationi respondeamus, scilicet obedientia fidei, sanctæque vitæ studio, id quod ipse Bucerus explicat dicendo, Vt ad vitā æternā nos pro viribus, quas vnquā Dominus suppeditarit cooperemur, quas etiam augeri nobis, orare debemus sine intermissione. Hæc Bucerus. Quis hic non videat aperte, qualis fuerit sententia Buceri in hac materia? nimirùm, vt incipiamus à priori, id est, contemplatione solius diuinæ bonitatis & gratiæ in Christo oblatæ, & in Euangelio reuelatæ, & inde certā persuasionem concipiamus, nos verè fuisse ad æternam salutem electos, ideóque nunc efficaciter vocari. Deinde descendamus ad id, quod etiam reuera est posterius, nimirùm ad certam fidem, assensum, & obsequium vocanti præbendum.

Postquam verò statuit hanc doctrinam, respōdet deinde quibusdam obiectionibus. Tria autē loca, è Scripturis sibi opponit. Primus est, Multi vocati, pauci electi. *Secundus*, Non omnis qui mihi dicit Domine Domine, ingredietur in regnum Dei, sed qui facit voluntatem Patris mei. Tertius est ex 2. Petr. 1. Propterea magis studete fratres firmam reddere vocationem vestram & electionem. Hoc enim cùm feceritis: numquam impingetis.

Primum obiectum tale est: Dicet quis, cùm non omnes sint electi, sed multi vocati, pauci verò electi: electio autem hęc occulta nobis sit à Deo nota: fieri igitur potest, vt ego quoque sim in numero eorum, qui vocati sunt, sed non electi. Quomodo igitur possum aut debeo hoc, tanquam fundamentum totius salutis meæ, mihi certò persuadere, me scilicet esse ex numero electorum: quomodo possum? Illud *multi vocati, & pauci electi*, respondet Bucerus, de eo dictum est, quod multi per Euangelium vocantur, qui tamen ad Christum nō veniunt, quia electi non sunt. Tu ergo crede Euangelio, & venisti: indéque à posteriori dubitari de te non poterit, quin præscitus & secundum propositum vocatus, prædestinatus, & electus sis. At hic dicet D. Doctor, hoc est quod ego dico, non esse proponendam illam secretam electionem: sed priùs prædicandum esse Euangelium, & postquam Euangelium audierint, & fidem ei adhibuerint, deducendos esse à posteriori ad electionē illam secretam. Benè & Christianè dicit, prædicandum priùs esse Euangelium, & adhibendum Euangelio fidē. Sed interrogo, quid sit Euāgeliū? Est, inquit, prædicatio de remissione peccatorum per Christum. Hoc etiā benè dictum, sed non totum dictum: altius conscendendū est. Dico igitur ego, Euangelium esse lætam, diuini illiúsq. æterni & gratuiti erga nos in dilecto filio Christo, amoris (hæc est diuina electio) prædicationē, quo amore factum est, vt cum Deus nos elegisset ab æterno ad æternā salutē & vitā, posteà in tēpore dederit filium suum, qui & moreretur propter peccata nostra, & resurgeret propter iustificationē nostrā seu qui suo sanguine peccata nostra expiaret, nósque Deo recōciliaret: & deinde perpetuum pro nobis apud Patrem in cœlo aduocatum & intercessorē ageret, donec in plenā æternæ vitæ possessionem tandem aliquando recipiat. Et quicūque totū hoc Euangelium credit, hic verè æternam vitam iam habet: quanquam non plenè adhuc possideat. Prima igitur pars Euangelij est prædicatio æterni, gratuiti, & constantis Dei erga nos amoris in Christo. Hoc autem nomine, venit electio nostri, vt Rom. 8. patet, *Iacob dilexi.* Deinde post hanc primam partem, sequitur prædicatio missi Christi & omnium aliorum effectorū illius diuini erga nos amoris, seu gratiæ, seu misericordiæ. Sic Ioan. 3. docemur, cùm legimus: *Sic Deus dilexit mundum*: ecce primā Euangelij partem, ideóque principium & fontem totius salutis nostræ: *vt filium suum vnigenitum daret*, ecce alteram partem quæ totum redemtionis per Christum factæ mysterium complectitur: *vt omnis qui credit in eum*, ecce tertiam partē Euāgelij qua docemur instrumentū, quo quis Christo coniungi possit, & consequenter redemtionis particeps fieri, nempe per fidem: non pereat, sed habeat vitam æternam, ecce quartam partem quæ omnia electionis & redemtionis beneficia complectitur, liberationem scilicet à morte, & consequenter à peccatis & omnib. malis, & collationem æternæ vitæ, ideóque bonorum omnium: ac proinde omnia legis opera à causa salutis excludit, eámque in sola fide collocat. Cùm itaque prima & principalis pars Euangelij sit prædicatio diuini erga nos amoris, gratiæ & misericordiæ in Christo, his autē nominib. veniat ipsa æterna electio in Christo, sequitur huic primæ parti primo etiam fidem esse adhibendam. Quare cùm Bucerus ad obiectum respondens ait, Tu igitur crede Euangelio, & venisti; indéque à posteriori, dubitari de te nō poterit, quin præscit⁹ & secūdùm propositum vocatus, prædestinatus, & electus sis, sensus est, Tu dicis, cùm sint multi vocati & pauci electi, & electi isti, soli Deo sint noti, quomodo igitur certò possim statuere, me esse ex electorum numero? Respondeo. Tu crede, si potes, huic Euangelio, quod scilicet te quoque Deus ab æterno amarit, ideóque ad æternam salutem elegerit, atque ita amarit, vt posteà filium suum miserit qui sanguine suo te ita à peccatis & morte redimeret, atque tunc ex hac fide, qua credis te esse electum, tanquam à posteriori (est enim hæc fides effectus electionis) verè & certò colliges, te esse ad æternā vitam electum, ac prædestinatū. Hęc autem à posteriori illatio, confirmatio est fidei, nos esse electos, non autē est prima huius electionis nostrę persuasio. Primùm igitur

Margin notes: 1. Obiectio contra electionem. Matthæo. — Euangelium quid sit. — Quot Euangelij partes.

igitur spectato tantùm Dei amore & gratia in Euangelio reuelata, credendū est, nos verè in hoc amore & gratia cōtineri: ideóque fuisse electos ad salutem. Deinde si possimus nobis hoc persuadere ex hac persuasione, quæ est effectus electionis, tamquàm à posteriori, confirmamur in fide & prima persuasione quod simus electi.

2. Obiect. Matt. 7. *Alterum obiectum, tale est.* Non omnis, qui dicit, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum, sed qui facit voluntatem meam. Nisi igitur priùs faciam voluntatem Christi, id est, in eum credam & iustitiæ studeã non possum nec debeo mihi persuadere, quod sim ex electis ad vitam. *Respondet Bucerus.* Illud dictum incitet te, vt voluntati Dei diligentiùs studeas. In hoc enim à Domino dictū est: nō in hoc vt de tua vocatione & electione dubites. Verum quidem est, quò ampliùs iustitiæ studeas, hoc tibi & aliis magis firmatur certitudo de tua vocatione & electione. Solidū namque studium iustitiæ, tale donum Dei est, vt nullis nisi prædestinatis & electis concedatur. Probat ergo, omnino esse electū & prædestinatum, seriò studere iustitiæ. Sed quia manca adeò & mutila est omnis nostra iustitia, vt eius merito nunquam de salute nostra certi esse possimus (neque enim ea legi Dei satisfacit) prædestinationis & electionis nostræ certitudo, ex sola Dei promissione & vocatione petēda est: & animus semper a nostra iustitia, quę in oculis Domini semper per se abominatio est, in promissione Dei attollendus.

Certitudo electionis nostræ, ex sola Dei promissione & vocatione petenda. Ego verò ad hæc obiectum sic responderem. Christus non ait, non omnis qui credit se à Domino esse electū intrabit in regnum cœlorum, sed tantùm, *Qui dicit, Domine Domine.* Qui igitur ingrediuntur in regnum cœlorum, sunt *Qui facit voluntatem meam.* Est autē voluntas Christi vt credamus, nos esse in ipso ad æternam salutē electos. Est enim hæc, vt dixi præcipua Euangelij pars: Sic Deus dilexit mundum *Io. 3. Item,* Elegit nos in ipso. Ephe. 1. Ergo ex iis potiùs verbis colligimus: debere nos statuere, quod simus ex electorum numero per gratiam Dei, quia hæc Dei voluntas, si volumus ingredi in regnum cœlorum.

3. Obiectio. 2. Pet. 1. *Tertium obiectum tale est. Petrus ait,* faciendam nobis esse certam nostram vocationem & electionem per bona opera, *vt quidā codices habent.* Ergo nisi priùs videa in me bona opera, non possum fieri certus de mea electione. *Respondet Bucerus:* Dictum illud non sic intelligendum est, quasi firmitas electionis & vocationis nostræ, vlla ex parte penderet ex operibus nostris: sed quod studendo bonis operibus, id ad quod vocati & electi sumus, implemus, vel potius, Domino ad perficiendum id, cooperamur & inseruimus. Electionem hîc & vocationem, pro vita dixit, ad quam electi, vocatique sumus. Vnde subiecit Hoc facientes nunquam impingetis, a via Domini, quæ vestra est vocatio & electio, nusquã decidetis: quod vtique studio serio pietatis, iuuante nos Domino, cauetur. Quæcumque ergo scripturæ loca ad prodendam hypocrisin, & incitandum studium sanctimoniæ, iubent nos in nostra opera respicere, & testantur, frustrà nos inuocare Dominum, sine solido studio Deo viuendi: debemus sic intelligere & considerare, vt nobis diffisi, & iustitiam nostram omnem pro nihilo ducentes, primum omnium firmemus nobis fiduciam bonitatis diuinæ: vt inde spe bona concepta de Deo & Domino nostro Iesu Christo, ipsi nos ei probare studeamus. Hinc mox meditabimur, vt in mortificanda carne nostra & meditanda iustitia, nihil ad summum studium faciamus reliqui. Ista de eo in præsenti satis sint, ad quid nobis prædestinatio Dei consideranda sit.

Ex iis omnibus liquet, Buceri sententiam, eámque certam & scripturis conformem hanc fuisse: vt quis primo loco, spectata sola Dei gratia & amore in Christo credat, se fuisse ab æterno ad salutem electū: & hæc est via à priori. Deinde cum ex hac fide, tùm ex effectis fidei (hæc enim fides, si vera fuerit, operabitur per caritatem) confirmet se in ipsa fide, quod scilicet verè sit ex electorum numero. Ego hanc sententiam non possum non amplecti: quia reuerà ita faciendum est.

Nunc subiectis exemplis, rem sub oculos ponam. A priori igitur primùm deducemus nos ipsos & alios ad certam de nostri electione persuasionem, hoc syllogismo. Deus illos ad æternam vitam elegit: quos ita amauit vt pro illorum salute dederit filium suum in mortē. Ab eodem enim amore profecta est & electio & Christi missio, & Christus pro electis ad vitam, mortuus est. Atqui Deus ita dilexit me & te, vt filiū suum vnigenitū daret, vt omnis qui credit in eum, non pereat. & ego nō excludor ab hoc mūdo: imo si credã hoc, quod ait Ioãnes, verè sum pars huius mundi, de quo ait, *Sic deus dilexit mundum.* Ergo sicut credo & credere debeo, Christum mortuum esse pro me, vt credendo in eum habeam vitam æternam: cur non etiam credam, me fuisse ab æterno electum in eodem Christo? Hic est syllogismus à priori, & firmus est: quia etiam amor Dei firmus est: & est in gloriam Dei totus: quia ex mero Dei amore erga nos, & ex mera eius gratia ac misericordia, adde etiam quia ex veritate verbi Dei ductus est.

Postea à confirmāda est cōclusio syllogismo à posteriori, id est, ab effectis ducto, hoc modo: Quicunque donantur vera Dei cognitione, fide, pace conscientię, odio peccati, studio sanctæ vitæ, constantia, & gloriatione in aduersis, & aliis id genus donis, ij sunt certè ex numero electorum. Deus enim suos tantùm electos, id genus donis dignatur, *Tit. 1.* Fides electorum. *Act. 13.* Et crediderunt, Quotquot prædestinati erant ad vitam æternam. *Ephe. 1.* Benedixit nos omni benedictione spirituali in cœlestibus in Christo: sicut elegit nos in seipso ante Mundi constitutionem, vt essemus sancti: Atqui sentio, me iis donatum benedictionibus: quanquam propter vitium carnis meæ, imperfectæ in me sint. Cur igitur non cōcludam, me verè ex numero electorum esse? Hic est à posteriori. Cæterum non est tam firmum argumentum atque illud primum. Ratio. Quia opera nostra & virtutes in nobis sunt imperfectæ: & semper, dùm ea spectemus subrepit dubitatio. Item non tam plenè & perfectè cedit in gloriam Dei. Quia dùm intuemur hæc dona ac opera in nobis: aliquid gloriolæ etiam nobis inde prouenit. Via igitur à priori, certior & tutior est: ideóque semper ab ea est incipiendum, cùm volumus fieri certi de æterna nostri electione, ideóque de nostri salute. Via à priori, certior & tutior est, quàm via à posteriori.

Hæc pluribus, quàm decreueram explicui. Quia in hac certitudine nostræ electionis & salutis, tota nostra salus, totaque Euangelij summa posita est. Rogo igitur vos viros clarissimos, vt boni consulatis meam hanc lōgam ad secundam petitionem D. Marbachij respōsionē. Summa est: fieri non posse, vt ego vel locos Scripturarū de Prædestinatione explicaturus vel plenam de Prædestinatione tractationem habiturus: vel me aut alios ad certam de nostri electione persuasionem deducturus: semper à via quæ dicitur à posteriori, initium faciam, sed & in locis Scripturarum explicandis, ordo quem ibi seruat Spiritus sanctus retineatur: & in plenis tractationibus, communis, eaque optima, quam & Bucerus seruat, methodus seruetur: & denique in adducendis tùm nobis ipsis, tum aliis, in certam nostri electionis cognitionem primò via quæ est à priori; deinde illa, quæ est à posteriori, insistatur, & vtile & necessarium est.

TERTIA PETITIO D.D. MARbachij est, Etsi non dubitem, eum vt virum doctum, &c.

RESP. Primùm, etsi non desiderabam has laudes à D. Marbachio vt me scilicet vocaret hominem doctum & multæ lectionis: Ego tamen habeo illi gratias pro isto honore quo me ita afficit, vt interim tamen mē apud vos clarissimos Dominos Scholarchas, traducat, tãquam eum qui & nouam doctrinam doceam, & nescio quas proprias reuelationes temerè in Scholam adferã. Ego verò ingenuè in Domini gloriam, fateor, me non ita esse aut simpliciter indoctum, aut in lectione Scripturarum, veterum Patrum, imo vero etiam, vt de Scholasticis taceam, nostri temporis doctorum hominum, parùm versatum, vt quæcunque hactenus in Schola docui non possim satis abunde testimoniis permultis tum Scripturarum, tùm veterum patrum, probare & confirmare, sicut semper me fecisse, toti Scholæ manifestum est. Ideò verò multa & multũm lego, vt indies doctior fiam: quoniã id à me postulat, imò flagitat mea vocatio. Quare calumnia est, quod hîc me de nouis reuelationibus & de noua doctrina, tacitè accusat.

At dicet: Nouum est, quod attulisti de illo nouissimo Antichristo, & illud, quod refutatis nostrorum cōiecturis, docuisti de fine sæculi. Ego verò tibi D. Marbachi, respondeo, Quod docui de vltimo Antichristo, omnes Patres tãm Græci quàm Latini, vno consensu docuerūt, Deinde, idem è Scripturis collegi. Non igitur nouum est. Quod verò docui de fine sæculi, nullum scilicet tempus, vel decadem, vel centuriam, vel etiam myriadem annorum sciri a nobis posse, ex Scripturis & Augu-

stino didici. Súntne igitur hæc, meæ reuelationes? aut res nouæ? Si tibi videntur nouæ: cogita, vnde factum sit. Certè si, quæ ego legi in Patribus veteribus, tu quoque eadem in iisdem legisses: noua tibi non viderentur.

Si verò tu hæc iudicas repugnare doctrinæ nostrarum Ecclesiarũ & nostrorũ doctorũ: Ego cõtrà, scio cõsentire cum doctrina veteris Ecclesiæ & veterum doctorum: ac proinde omnibus Ecclesiis & doctoribus, qui veterem, veterísque Ecclesiæ doctrinam profitentur, omnia mea iudicanda relinquo & subiicio.

Qualia vero sunt ista tua D. Doctor, Iudam habuisse veram & iustificantem fidem, sicut & reliqui Apostoli: quamuis posteà, excussa fide & Spiritu sancto, damnatus fuerit: & Petrum, cùm negauit Christum, excidisse à fide: & nisi fuisset ei restituta fides, periturum fuisse? Quis vnquam hoc vel in Scripturis, aut in antiquis Patribus legit?

Ne igitur me accuses D. Doctor, quod noua doceam: sed tu quid doceas, diligenter & cum timore Dei perpende.

Illud verò non possum satis mirari, quod inter tuos præceptores nomines etiam Bucerũ: Et dùm admones, ne quid doceã, quod doctrinæ Buceri repugnet, duo tacitè facis. I. Accusas me, quod docuerim aliquid quod repugnet doctrinæ Buceri. II. Laudas te apud Dominos Scholarchas, tanquam optimum Buceri discipulum, qui non solum illius doctrinam sequaris, sed etiã vt aliquid contra Buceri doctrinam dicatur ferre non possis. Cùm tamen iis proximis diebus in hoc totos intenderis neruos, vt quam ego ex Bucero doctrinam tradidi, tu illam impugnares. Quid hoc est D. Doctor, itáne bonis Dominis Scholarchis imponitur? Imo dic mihi, vnde omnis nostra in doctrina dissensio, nisi inde ferè, quod, quæ ego doceo ex Bucero, tibi improbantur? Reuoca in memoriam, quidquid mihi vnquam obiecisti & improbasti: vt de Imaginibus, de Vbiquitate, de Prædestinatione, & nunc omnes illos articulos sex, quos Capitulo mihi reddendos dedisti: Hæc omnia, non solùm in Scripturis & Patribus, sed in ipso tibi Bucero ostendere possum. Manifestum inde fiet, hinc dissensionem inter te & me in doctrina ferè ex hoc fonte oriri, quod doctrinam Buceri vel ignoras, vel agnitam non probas. Neque vero hæc dicò, quasi vel tu vel ego debeamus niti doctrina Buceri: debemus enim niti solo Dei verbo: sed tantùm hæc ideò dixi quod Bucerum inter tuos præceptores connumeres, cùm tamen nihil fere mihi obiicias, nisi quæ ex Bucero docui.

Sed nunc venio ad petitionem. Est quidem vna petitio: sed ea tria habet membra. Primum est. Si nouas habeam cogitationes & reuelationes, ne eas tamen temerè in lectionibus proferam. Deinde, ne quid temerè doceam, quod sit nouum. Postremò, ne quid temerè dicam quod repugnet doctrinæ nostrarum (sic enim alloquitur Dominus Doctor Scholarchas) Ecclesiarum: & præterea nostrorum præceptorum: & quinam ii sint: partim explicat dicens, videlicet Doctoris Lutheri, Buceri, Philippi, & aliorum. Qui sint isti alij, quos tanquam præceptores agnoscit, ignoro. Vt verò hæc sua trimembris petitio, videatur iusta esse, & secundùm Scripturas, subdit rationem ex Apostolo Paulo, nempe ex 1. Corinth. capite decimo quarto, vbi ait [Spiritus prophetarum prophetis subiecti sunt]. Et talis videtur esse ratio D. Doctoris, Spiritus Prophetarum id est, reuelationes quas Prophetæ à Spiritu habent, ipsis prophetis, quorum scilicet sunt ij spiritus, subiecti sunt, id est, eas reuelationes retinẽt sibi subiectas: nec temerè eas effutiunt. Ergo etiam Zãchius, etsi suas habeat reuelationes spirituales, tamen cùm spiritus Prophetarum subiecti sint Prophetis, debet & ipse eas sibi subiectas habere, id est, apud se retinere, nec temerè illas in suis lectionibus proferre.

Reuelationes singulares sint ne reticendæ.

Resp. Quod petit D. Doctor, ne, si quid mihi reuelatum fuerit, illud proferam in meis lectionibus: dico, petitionem hanc esse contra verbum Dei. Quid enim si Deus per suum spiritum aliquid mihi reuelet in intelligentia Scripturarum, quod non pugnet cum Scripturis: illúdne tacere debeo? aut si ex vera alicuius vocis aut phraseos cognitione, meliorem alicuius loci Scripturarum intelligentiam eruam, quàm alij fortassis multi interpretati sint: (non hoc mihi arrogo, sed dico, si contingat:) nunquid illam prætermittam? Certè aliter docet Apostolus, quàm petat D. Marbachius. Ille enim, sic ait 1. Cor. 14. Prophetæ duo aut tres loquantur, cæteri diiudicẽt. Porrò si alij reuelatum fuerit sedenti, prior taceat. Loquitur autem ibi Apostolus, non de Prophetis, qui futura prædicunt: sed de iis qui ex spiritu Dei se docente scripturas, ac præsertim arcana & perplexa Scripturarum loca, interpretantur. Ad horum igitur exemplum, debent etiam alij scripturarum interpretes, si quid adiuti linguis, & aliarum rerum cognitione à Spiritu Dei in ipsa intelligentia Scripturarum didicerint, illud in medium proferre; non intra seipsos occultum retinere: sed tamen hac lege, vt si quid noui in medium adferunt, illud Ecclesiæ Dei iudicio submittant, nimirùm vt ipsa iudicet, an illud sit verè è Spiritu Dei, eóque cõforme sacris literis, nécne. Iudicium enim debet esse penes vniuersam Ecclesiam. Et hoc est quod ait Apostolus, *Cæteri diiudicent*. Atque huc spectant illa verba Apostoli (quamuis ea aliter D. Marbachius interpretetur) *Spiritus Prophetarũ*, id est, reuelationes Prophetarum, cuiuscunque Prophetæ, *Prophetis* scilicet aliis *subiecti sunt*, vt scilicet de illis possint iudicare: an sint à Spiritu Dei, nécne. Vel, Spiritus Prophetarum non sunt pertinaces, superbíque: sed facilè se submittunt aliis Prophetis, id est, aliorum Prophetarum & doctorum iudicio. Iuxta Apostolum igitur, duo etiam mihi agenda sunt. I. Siquid noui mihi reuelatum fuerit, illud debeo in medium proferre, & Ecclesiæ communicare: modò non agnoscam esse apertè contra verbum Dei Tunc enim non esset reuelatum à Spiritu Christi, sed diabolico. II. Illud debeo Ecclesiæ & aliorum piorum iudicio submittere. Sicut nunc illud facio: sic etiam hoc facere nunquam recusaui aut recuso. In hunc finem, quæ docui, solitus fui toti Scholæ ad disputandum proponere: idque de more huius Scholæ optimo. Quorsum enim hæ disputationes? vt doctrinæ examinentur an sint secundùm verbum Dei, nécne. Id quod deberet ipse quoque D. Marbachius facere. Sic enim melius videretur, an quæ docei, sint secundùm verbum Dei, nécne. Apparet igitur, quod petit D. Marbachius, vt scilicet meas reuelationes apud me retineam, diuersum esse ab eo, quod monet Apostolus.

Disputationum vsus.

At dicet D. Doctor, ego addidi *Temerè*. Respondeo dictum benè: sed neque vnquam aliquid in Schola siue nouum, siue vetus docui: quin illius etiam causas & probationes subiecerim. Neque aliter in posterum me facturum confido.

Ad alterum petitionis membrũ, ne scilicet proferam aliquid quod sit nouum. Hoc enim multùm differt à superiori. Nam fieri potest, vt aliquid doceam non à me excogitatum, neque mihi, sed alij reuelatum, & tamen nouum. Ad hoc igitur respõdeo. Duobus modis aliquid dicitur nouum: primùm in se, quod scilicet nũquam fuerit in Ecclesia auditum aut receptum. Quod ad hoc primum nouitatis genus attinet, dico, sicut anteà de meis nouis cogitationibus dixi, sicut nihil vnquã noui temerè, id est, sine causis legitimis & rationib. in Schola docui, sic etiã nihil tale me docturũ, confido in posterum. Deinde nouum dicitur esse id, quod tametsi in se vetustissimum est, & in Ecclesia iã inde ab initio receptum, tamẽ auditoribus nouum esse videtur, idque vitio & culpa suorum doctorũ qui illud vel non nouerunt vel si nouerunt, alios docere noluerunt. Hoc modo, doctrina Euangelij, tametsi in se vetustissima esset, testimoniũ habẽs à lege & Prophetis, tamẽ ipsis Iudæis, tempore Christi & Apostolorum, noua esse videbatur. Quare? quia licet esset verè antiqua, ignorantia tamen & negligentia legis doctorum antiquata fuerat. Eadem nunc etiam Papistis noua videtur & appellatur: quare vetant, ne quid nouæ doctrinæ in suis Ecclesiis & Scholis doceatur. Si igitur de hoc nouitatis genere loquatur D. Doctor, quod non credo, ne scilicet tale quid nouum doceam: dicerẽ, petitionem hanc esse Pharisaicam & Papalem. Quare sicut in papatu nolui eam admittere, & propter hãc causam. Italiam reliqui: ita nunc neque volo neque possum illi obtemperare. Teneor enim veterem doctrinam, quam & Prophetæ & Apostoli tradiderunt & vetus Ecclesia amplexa est, vnà cum aliis nostri temporis fidelibus doctoribus, in Schola pro mea virili reuocare, & reuocatã retinere: etiamsi aliquid in ea nouum fortè auditoribus aut etiã aliquib. concionatoribus esse videatur. Exemplum. Quid vetustius illã doctrinã quam tradidi de perseuerantia sanctorum in fide? quid inquam vetustius etiam in hac Schola post renouatum Euangelium? Nam doctrinam hanc fuisse Buceri, quis, qui vel illũ audiuit vel eius libros

Nouum quot modis aliquid dici possit.

bros legit, nisi omnem prorsùs perdiderit aut mentem aut frontem, inficiari id possit? & tamen nunc tanquam noua improbatur. Quorum vitio & culpa, nunc videtur esse noua? non dicam ego, muri & subsellia ipsius Scholæ respondeant.

Tertium petitionis membrum est, Ne quid proferam in meis lectionibus, quod repugnet doctrinæ *inquit*, nostrarum Ecclesiarum, & præsertim nostrorum præceptorum D. Lutheri, &c. Hic primum cuperem intelligere ex D. Marbachio, quid nomine, *nostrarum Ecclesiarum*, intelligat. Si intelligit omnes Ecclesias ad doctrinam Euangelij reformatas, vbicumque illæ sint, quatenus scilicet hæ Ecclesiæ à non nostris, id est, Papisticis discretæ sunt: viderit, quid à me petat. Nam ipse nōnulla docet quæ repugnant doctrinæ Ecclesiarum nostrarum in Anglia, in Gallia, in Heluetia, in Rhetia, in Polonia, in Italia & alibi. Si vero nomine *Nostrarum Ecclesiarum* intelligit tãtùm Ecclesias quæ sunt in Germania, hîc etiam videat quid dicat. Nam primò facit iniuriam Ecclesijs extra Germaniam, quasi illæ leclusæ sint ab Ecclesijs Christi, & ad eas non pertineant. Et certè hoc esset imitari Donatum, qui pro Ecclesijs Christi non agnoscebat, nisi quæ erant in Aphrica, & [illegible] tamē non omnes. Deinde inter has Ecclesias Germanicas, illæ etiam quæ sunt in Palatinatu & in Hassia [illegible] numerantur. Ipse tamen D. Marbachius quædam docet quæ repugnant doctrinæ harum Ecclesiarum nostrarum. Res ipsa loquitur, & amicorum doctissimi Ioan. [illegible] Veterani collatum cum doctrina D. Marbachij de manducatione corporali & impiorum, quod dico, confirmat. Si autem illas tantùm intelligat, quæ eandem per omnia, quam & ipse, doctrinam profitentur, magnam facit iniuriam hac sua petitione alijs Ecclesijs tam intra quā extra Germaniam, quæ non idem prorsùs, quod ipse cū suis, docent. Cur enim has à nostris Ecclesijs separet? Quomodo igitur potero obtemperare huic petitioni, vt nihil doceam quod non repugnet doctrinæ aliquarum nostrarum Ecclesiarum? imo quomodo poterit & ipse idem præstare?

Deinde aueo etiam intelligere ex D. Doctore, quos intelligat nomine aliorum nostrorum Doctorum, quorum opera Dominus his vltimis temporibus lucem Euangelij sui iterùm accendit. Nam quos nominat: D. Lutherum, Bucerum, Philippum, Brentium, ego quoque pro præceptoribus agnosco, & vt viros Dei, vt homines doctos, de quo Ecclesia Christi præclarè meritos, tam qui viuit adhuc in terris, quàm qui viuunt in cælis, non minori ego, quàm fortè D. Marbachius, honore, reuerentia, amore, & obseruantia amplector. Sed qui sunt illi alij? excluditne ab illis Zuinglium, Oecolampadium, Bullingerum, Musculum, Caluinum, Martyrem? non credo. Nam ij etiam sunt ex senioribus, quorum opera Deus his vltimis temporibus, vt vtar verbis D. Doctoris, lucem Euangelij sui iterùm accendit. Sunt autem quædam, de quibus non conuenit inter omnes illos nostros præceptores: non dico tantùm inter illos quatuor, quos D. Marbachius, & inter illos multos, quos ego nominaui: sed nec inter illos quatuor simul, exempla nō subijcio, quia sunt odiosa: & quod dico, est perspicuum: Quomodo igitur petitio hæc D. Marbachij seruari poterit, vt scilicet nihil doceam, quod repugnet doctrinæ nostrorum præceptorum, cum ipsi in nonnullis pugnent inter se?

At dicet D. Doctor, addidi *Temerè*, id est, sine legitimis & veris causis. Dictum benè. Sed singuli suas habent rationes: & nemo illorum voluit videri temerè ab alio dissensisse. Quid igitur? Optarem D. Marbachium non hoc à me tam præcisis verbis petijsse. Nā præterquam quod vt vidistis, impossibile est obseruatu: aliquo etiam modo accedit ad Papalem importunitatem. Nam etiam Papa sic mandat, ne quispiam aliquid doceat, quod repugnet Ecclesiæ nostræ Romanæ & nostrorum doctorū: & per suos doctores intelligit eos, qui à doctrina Romanæ Ecclesiæ non dissentiunt. Satius igitur fuisset, si sic dixisset D. doctor: Ne quid doceā, quod repugnet Ecclesiæ Christi, & præceptorū nostrorū Prophetarū nimirū & Apostolorū, per quos locutus est Christus verus & vnicus præceptor noster: Sic ipse docuit Matt. 23. *Et nolite vocari Rabbi: vnus est enim magister vester Christus*. Si hoc à me petit: hoc me quā diligētissimè facturū, & sāctissimè obseruaturū polliceor, promitto, recipio. Quod si fortè per ignorātiā, quod Deus auertat, à via recta declinauero: quisquis me viderit declinasse, vt me in viā reuocet rogo atque obsecro. Cæterùm petere, vt nihil doceam, quod vllo modo repugnet doctrinæ nostrorum præceptorum, id est, hominum quantumuis sanctissimorum, quantumuis doctissimorum: est contra verbum Dei. Hic enim honor, soli Dei verbo, & doctrinæ Propheticæ atque Apostolicæ debetur, vt scilicet sine vlla contradictione recipiatur. Reliquorum vero hominum scripta ita cum iudicio legenda sunt, vt refutari etiam, si opus fuerit, possint. Audite Dn. Scholarchæ Augustinum longè aliud me docentem quàm D. Doctor petat. In Tom. 2. epist. 112. ad Fortunatianum Episcopum, col. 523. litera C. [Neque enim, inquit, quorumlibet disputationes, quamuis catholicorum & laudatorum hominum velut scripturas canonicas habere debemus, vt nobis non liceat, saluâ honorificentia quæ illis debetur hominibus aliquid in eorum scriptis improbare atque respuere: si fortè inuenerimus quod aliter senserint, quam veritas habet diuino adiutorio vel ab alijs intellecta, vel a nobis. Talis ego sum in scriptis aliorum: tales volo esse intellectores meorum.] Et *Epist. 48 ad Vincentium col. 185. litera B.* (Noli ergo frater contra diuina tam multa, tam clara, tam indubitata testimonia colligere velle calumnias ex Episcoporum scriptis, siue nostrorum sicut Hilarij, siue antequàm pars Donati separaretur ipsius vnitatis, sicut Cypriani & Agrippini. Primùm quia hoc genus literarum, ab autoritate Canonis distinguendum est. Non enim sic leguntur, tanquam ita ex eis testimonium proferatur, vt contra sentire non liceat, sicubi fortè aliter sapuerint, quàm veritas postulat) *Et in Epist. 19. ad Hieron. col. [illegible] litera C.* (Ego enim, fateor charitati tuæ, solis ijs scripturarum libris qui iam Canonici appellantur, didici hunc timorem, honorémque deferre, vt nullum eorum autorum scribendo aliquid errasse firmissimè credam: ac si aliquid in eis offendero literis, quod veritati contrarium videatur: nihil aliud, quàm vel mendosum esse codicem: vel interpretem non assecutum esse quod dictum est, vel me minimè intellexisse, non ambigam. Alios autem ita lego, vt quantalibet sanctitate doctrináque præpolleant: non ideò verū putem, quia ipsi ita senserunt, sed quia mihi vel per illos autores canonicos, vel probabili ratione, quod à vero non abhorreat persuadere potuerunt. Nec te, mi frater, sentire aliquid aliter existimo. prorsus inquam non te arbitror sic legi tuos libros velle, tanquam Prophetarum vel Apostolorum, de quorum scriptis, quod omni errore careant: dubitare nefarium est. Hoc a pia humilitate & veraci de temetipso cogitatione absit:) Hæc Augustinus. Atque omnes ij loci, in ipsis quoque Pontificum decretis, distinct. 9. citantur. Neque certè Lutherus aliter sensit & Bucerus quàm Augustinus? An non hoc semper improbant in Papistis, quasi non liceat illorum Canonibus & Patribus contradicere? Sed quid citio Augustinum & Lutherum? Ipsæ Sacræ literæ aliter docent, quàm petere videatur D. Marbachius. 1. Corinth. 14. mandat Paulus: vt quæ Prophetæ duo aut tres dixerint, ab alijs Prophetis & Ecclesiâ totâ iudicentur, nempe ita, vt si opus sit, contradicere illis possint. Idem Apostolus 1. Corinth. 11. cùm tradidisset eam doctrinam, qua docet, mulieres debere tectis capitibus in Ecclesia orare, & viros detectis: quamuis ea doctrina sibi esset certissima, quod esset secundum Deum, tamen eam iudicio Ecclesiæ submittit dicendo, Iudicate in vobis ipsis. Act. 17. Thessalonicenses sciebant Paulum esse Apostolum Christi: ipsi tamen non simpliciter crediderunt, sed eius doctrinam ad Scripturas Prophetarum examinarunt: parati procul dubio Paulo contradicere, si ipsius doctrinam reperissent a Prophetarum doctrinā fuisse diuersam. Quid igitur petit D. Marbachius, ne quicquam doceam, quod repugnet doctrinæ nostrarum Ecclesiarum, & nostrorum præceptorum, D. Lutheri, &c.

At dicet, perpende, Zanchi, particulam *Temerè*. Benè perpendo: & placet illa particula. Sed hoc à me petere cum hac particula, superuacaneum fuit. Quoniam non tam parum honoris defero primùm omnibus Ecclesiis reformatis: deinde Luthero, Bucero & alijs doctis viris, vt velim sine legitimis & necessarijs causis temerè illis contradicere.

Cæterùm si hæc D. D. petitio iusta est: vicissim ego quoque ab ipso peto: tametsi suas habet speculationes & reuelationes: nihil tamen in suis vel lectionibus vel concionibus temerè doceat, quod Ecclesiarum Christi in Anglia, Heluetia, Gallia, Palatinatu, Hassia, & alibi, & illarum Ecclesiarum doctorum, videlicet Caluini, Bul-

uia officia, quorum singula ferè singulos, eósque non vulgares, qui se obeant postulant viros. Est Doctor in Schola. Quale est hoc munus? Est Visitator Scholæ. Est Visitator Ecclesiarum. In quo officio, quotannis duos minimum insumit menses. Curam habet duorum collegiorum. Præsertim verò cura Collegij ad Prædicatores, vt audio, vsque adeò occupatum tenet hunc hominem, vt verè mirū sit, quomodo quippiam aliud præstare queat. Factus est postremo Decanus nostri collegij Thomensis, quod officium quantam diligentiam solicitudinem, curam ab eo, qui se fungitur, postulet, ac proinde quantum laborum ac molestiarum secum ferat, etsi vobis quoque Dominis Scholarchis est perspicuum: nostri tamen collegæ omnium optime nouēt. Certè si singulis istis officiis singuli, iique haud vulgares viri præessent: haberent tamen singuli satis quod agerent. Nunc verò ea omnia sustinet vnus D. Marbachius suis humeris. Qui igitur fieri potest, vt etiam disputationibus præsit? Verum igitur est quod ait, se non posse propter tot & tanta negotia atque officia disputationibus præesse.

Cæterùm an proinde sit verè excusabilis, nécne iudicent qui præditi sunt iudicio. Ego quod sentio, liberè dico. Requirit D. Doctoris vocatio in hac vrbe, et ministerium verbi, vt scilicet tum in Schola doceat & disputet, tum in Ecclesia concionetur. Vt hac sua vocatione dignè, vt Dominus postulat, fungatur debet primùm perpetuò in Scripturis & studiis literarum versari. Proinde Paulus, Timotheo Ephesi Episcopo, postquā qualis debeat esse Episcopi vita, docuisset 1. Tim. 4 *Attende* Nemo adolescentiā tuam contemnat: sed exemplum esto fidelū, in sermone: in conuersatione, in caritate in fide, in castitate: mox quibus studiis debeat vacare, docuit dicēdo: *Dum venio: attende lectioni, exhortationi, & doctrinæ*. Non dixit Apostolus, Attende regnis, ciuitatibus, oppidis pagis, fundis gubernandis: sed *Attende lectioni*, sacrarum scilicet scripturarū. Deinde debet in hoc studium ita incūbere, vt quicquid se ab eo auocat, reiiciat. Sic fecerunt Apostoli. Susceperant initio negotium verè Ecclesiasticum, curam nimirum pauperum & viduarum in Ecclesia. Cæterùm cùm vidissent, officium hoc alioqui pium & Christianum, sibi esse impedimento, ne possent primariæ suæ vocationi, quæ erat vt attenderent lectioni & prędicationi, satisfacere illud negotium Ecclesiasticū, aliis curādum commiserunt, nempe septem Diaconis. Quantò magis resignassent Apostoli alia officia, quæ & multo magis quam illa auocarēt à lectione ac prædicatione, & potiùs ad propriam quæstū quàm ad Ecclesiæ salutem facerent. Hinc idem Apostolus 2. Tim. 2. Nemo (inquit) militans, implicat se negotiis vitæ, vt ei qui se in militiam delegit placeat. Quod dictū quamuis ad omnes Christianos pertinet, quia omnes militamus Deo, tamē imprimis ad imperatores exercitus Christiani, id ad Episcopos, Doctores, & Pastores spectat. Hinc tota pestis Ecclesiæ in Papatu profecta est, quod Episcopi neglecto suo proprio officio, quod erat attēdere lectioni, adhortationi, doctrinæ: negotiis sæcularibus se implicuerunt idque contra antiquissimos etiā Ecclesię canones. Inter canones qui Apostolorū vocantur est Canō septimus qui sic habet. Ἐπίσκοπος ἢ πρεσβύτερος ἢ διάκονος κοσμικὰς φροντίδας μὴ ἀναλαμβανέτω· εἰ δὲ μή, καθαιρείσθω. Id quod etiam in decretis. dist. 88. Can. 3 latinè citatur iis verbis. Episcopus aut Sacerdos (Græcè est πρεσβύτερος) aut Diaconus, sæculi curas non assumat: sin aliter, deiiciatur. Item in cōcilio Carthaginiensi, Can. 5. Episcopus (inquit) nullam rei familiaris causam ad se reuocet: sed lectioni, & orationi, & verbo prædicationis tātummodò vocet: & citatur in Decr. distinct. 88. Can. 6 Cùm igitur D. Doctor ipsemet fateatur, se non posse pręesse disputationibus propter multa & grauia negotia quibus implicatur: deinde omnes etiā videant, illū non posse vacare lectioni & doctrinæ propter eandē causam: quid faciendum est? Debēt Domini Scholarchæ illi esse autores, vt sponte ea aliis resignet officia & negotia, quæ se à proprio Doctoris & Episcopi officio perficiendo auocat atque impediunt: alioqui ni faciat, sed sciens ac volens sese tot negotiis implicare pergat poterūt quidē homines in eius gratiam dicere, se illum habere excusatum: sed reuerà coràm Deo & eius Ecclesia nullam poterit habere excusationem. Scio veritatem odium parere: sed quid agam? Certè tacere non possum, cùm Dominus veritatem loqui iubet. Nunc venio ad accusationem.

Accusat me D. Doctor, quod neglexerim disputationes; Deinde munus quoddam Dominorum Scholarcharum mihi exprobrat. Postremò obiicit, quòd multū habeam otij. Respondeo ad singula, sed inuerso ordine.

Quod ad otium meum attinet: verum est me nō esse, Dei beneficio, tot negotiis implicitum, vt ipse est. Dominus enim nouit me non esse multis negotiis transigendis idoneum, & non parum efficero, si hoc vnum, quod mihi iniunxit, perfecero. Cæterum sciant Domini, meum otium non esse ociosum, nihil addo præterea. Schola testis est inprimis. Deinde etiam nostra Ecclesia; per duos annos aut amplius, an sim ociosus & desidiosus, nécne, optime nouit.

Quod ait de amplificato stipendio nihil aliud respōdeo nisi quod si D. Doctor putat, me hominē esse mercenarium, méq; legere hic vel disputare propter stipendium, fallitur. non sum non sum, inquam mercenarius. Quod pro mea virili doceo, disputo scribo hoc ideo facio, quia id vt faciam mea vocatio postulat. Quod etiam Domini me sustentant, id ideo faciunt, quia norunt, quid ordinarit Dominus, nimirùm vt, [Qui euangelium annunciant de Euangelio viuant. & qui seruiunt altari, viuant de altari. *Item*, Nō alligabis os boui trituranti. *Paulus de suo officio dicebat*: Necessitas euangelizandi mihi incumbit: & væ mihi nisi euangelizem.] Idem tamē in eadem epistola & capite, quale sit officium eorum quibus euangelizatur, multis docet: nēpè, *vt qui accipiunt spiritualia: præbeāt carnalia*. Ego cùm nati mihi essent duo filioli, significaui vobis Dn. Scholarchis meam necessitatem. Vos pro pietate & liberalitate vestra, interiecta D. Sturmij Rectoris intercessione, iussistis pro eo tempore. 26. florenos mihi quotannis à vestro procuratore dari. In hac re, fecistis vos officium bonorum Dominorum. Ego gratias egi: & perrexi in meo officio, nō propter illos. 26. florenos, sed propter meam vocationem. Nam etiamsi nihil dedissetis: officium tamen meū negligere haud potuissem. Nunc etiam pro eadē vestra in me liberalitate habeo & ago gratias. Sed quod D. Marbachius eos mihi exprobrat: cùm tamē ipse eos mihi neq. dederit, neq. dandos curarit: deinde quòd ipse dicat, mihi suisse datos, vt frequentiùs disputarem, id est, vt eius loco præessem disputationibus: cùm tamen sint mihi dati à vobis ad sublcuandam meam necessitatem, in ea re non bene agit. Quare nihil etiam ei respondeo. Sunt enim mihi propter Christum multa ferenda & tolleranda.

Quod vero accusat me: quod non disputarim, cogor vobis Domini Scholarchæ quas & quot per septennium habuerim disputationes, recensere vt videatis an disputarim, nécne. Cupere etiam, vt ipse D. Doctor recenseret suas disputationes.

De creatione hominis & de peccato Adæ: vnam.
De scripturis sacris, seu de verbo Dei: vnam.
De Ecclesia quatuor.
De primatu Papæ vnam.
De disciplina Ecclesiastica. vnam.
De cultu Dei, vnam.
De satisf. deque pœnis æternis propter peccata temporalia vnam.
De peccato Originali vnam.
De peccato Originis in Renatis vnam.
De libero arbitrio: tres.
De perseuerantia sanctorum in fide: vnam.
De meritis bonorum operum: vnam.
De Matrimonio contra cœlibatum: vnam.
De plectendis hæreticis: vnam.
De cantionibus & cantibus in Ecclesia: & de remissione peccatorum: vnam.
De videndo Deo, vnam.
De Trinitate: vnam.

Numero sunt viginti & tres. Plures etiam habuissem, si non fuissem coactus tùm propter absentiam, tum propter alias occupationes D. Doctoris, sæpenumerò solus permultos menses legere. Anno præterito. 1560. initio habui disputationē de Trinitate. à paschate ad Ioannis, solus legi Non potui ergo tunc disputare. Post Ioannis, propter nimium æstum & labores præteritos etiam nō potui disputare. Post vindemias propter occupationes D. Doctoris in visitationibus Scholæ, etiam solus legi per aliquot septimanas. Postea mense Nouembri, cœpit me vexare propter Heshusij librum. Inde factum, vt nec disputare nec legere potuerim, in hunc vsque diem.

Illud prætereà addo: si ipse, vt debet, faceret suū officiū legendo & disputando: ego quoque sæpius disputarem

Sed illud est intolerabile: quòd D. Doctor debeat aliis imperare, alios reprehẽdere neglecti officij: cùm ipse tamen in suo officio sit maxime reprehensibilis.

Quod igitur, vt ad petitionem veniam, petit vt officium meum posthac facere non intermittam: Sicut hactenùs pro mea virili feci: sic, si vobis placuerit, faciam. Sed vicissim quod ab aliis petit, ipse prior præstet. Neq. enim boni Imperatoris est, dicere Ite & facite: sed, eamus & faciamus. Et si causatur alia negotia, ea omittat, præsertim quæ potiùs ad quæstũ suum (si quæ talia habet) quàm ad Scholæ & Ecclesiæ salutem, faciunt, vt suę primariæ vocationi satisfaciat. Meminerit præcepti Apostolici: Attende lectioni, exhortationi, doctrinæ: & Apostolos in Actis imitetur, qui ne impedirentur ab officio Euangelij prædicandi, negotium Ecclesiasticum, id est, curam pauperum & viduarum, Diaconis commiserunt. Et in Decretis, distinct. 89. Canon. 1. citatur dictũ Gregorij ad omnes Episcopos: quo mandatur, ne in Ecclesia vni personæ, multa, ne duo quidem, committantur officia, quod hoc sit & noxium simul & turpissimũ. Quod si ipse nolit sponte facere: vestrum est, Domini Scholarchæ, si amatis gloriam Dei, salutem Ecclesiæ, vtilitatem Scholæ, & pacem inter Professores omnes, illum redigere in ordinem, & vt suum faciat officium, cogere.

Precor verum Deum, per Christum Iesum, vt & vos & omnes nos in omnibus quę ad nostra officia dignè facienda, necessaria nobis sunt: pro sua gratia donet, atque indies cumulet, Ecclesiam hãc & Scholam in pura doctrina conseruet, nósque omnes ita vera fide & sui amore afficiat, carnem mortificet, & spiritum viuificet, vt nihil, nisi quæ tùm ad ipsius gloriam, tum ad Ecclesiæ salutem spectant, quæramus.

Valete. & maiorum Scholæ vestræ, vt confido, quàm vllius hominis, rationem habetote, & illud Apostoli retinetote, *Nolite omni spiritui credere*, considerate etiam diligenter, quinam sint qui magis quærũt quæ sua sunt, quàm quæ sunt Scholæ & consequẽter Christi. Omnes enim moriemur, & stabimus tãdem ante tribunal Christi, ei reddenda erit omnis administrationis ratio. Iterum igitur precor Dominum Iesum, officiat in vobis id, quod iubet vos facere.

D. D. VV. obsequentiss,
Hieron. Zanchius.

CAPVT VIII.

H. ZANCHII IN CAVSA contra D. Marbachiũ & Pastores pro se ad Dominos XIII. Viros, supplicatio, in qua 62. calumniæ sibi ad aduersariis obiectæ, refelluntur.

ANNVS præteriit, clementissimi atque prudentissimi Domini, ex quo Heshusij liber maximi dissidij occasionem prębuit, & mei accusandi dedit exordium. Accusatus fui, primùm quidem, quod de cœna Domini aliter docerem quàm in Confessione Augustana continetur. Deinde quod de fine sæculi & de Antichristo noua & impia tradiderim. Postremò hæreseos non tantum accusatus, sed etiam damnatus propter doctrinam, quam in Schola vestra per octennium docui dę prædestinatione, déque perseuerãtia Sanctorum in fide. Atque ita effectum, vt non solùm in Schola, sed etiam per totã vrbem, tanquam hæreticus & improbus homo, traductus fuerim, annum iam & ampliùs.

Etsi verò vidi, me tot tantísque criminibus atque calumniis passim traduci, ego tamen per totum hoc tempus, pro me, defensionéque mei, in capitulo Thomensi tãtùm ter dixi, apud vos verò Dominos meos nũquam. Huius autem mei silentij causæ fuerunt tres. Vna, quod sperabam, fore, vt mei accusatores, spectata mea modestia, patientia, atque silentio, odium quod cõtra me cõceperant, ponerent, & sese ipsimet sui monerent officij. Altera, quoniam audiebam, & magna etiam ex parte videbam, omnium ferè (exceptis iis, qui causam optimè nouerant) animos à me esse alienatos, idque propterea, quòd persuasi essent ex aduersariorum sermonibus, me talem esse, qualis ipsis fueram depictus, hæreticæ nimirùm doctrinæ hominem. Difficile autem est, vt quis se suámque causam defendat apud homines contrariam sententiam persuasos. Speraui autem, id fore in hac causa, quod in cæteris solet fieri negotiis, vt parua mora aliquando salutem veritatis patrocinio adferat. Postrema causa fuit, quoniã, cùm persuasus essem, de veritate diuinarum promissionum, quibus Deus promittit, se fore protectorem innocentium & oppressorũ: & in quiete ac silentio fore fortitudinem nostram: volui huiusce promissionis complementum exspectare, atque in me ipso, sicut aliàs, sic etiam nunc, experiri: certus, talem promissionem omninò in me atque in hac causa completum iri. Proinde quò minùs mihi licuit per hunc annum apud homines causam meam defendere: eò magis quotidiè me & causam meam Deo cõmendaui, dicens cum Dauide. *Iudica Domine causam meam.* Hæ fuerunt causæ mei silentij.

Cæterùm nunc multa sunt, quæ me hoc silentiũ abrumpere, & tandem aliquando pro me dicere cogunt. Vnum, quòd satis diu mihi & amicis videor siluisse. Deinde, quòd metuendum sit, ne, si diutiùs sileam, videar vobis & aliis, vel controuersiam istam, quæ est de religione: ideóque gloriam Dei nihil curare: vel vestras molestias, quas propter hoc dissidium passi estis & patimini, nihili facere: vel scholæ damnũ nihili morari: vel meam etiam existimationem negligere: vel denique omnia crimina, de quibus accusatus fui, omnésque calũnias atque conuitia, meo silentio comprobare. Postremò. Quod necesse est, vt quid tandem ego à vobis expectem, explicem. Neque enim est, aut vobis honorificum, aut Scholę vestræ vtile: aut etiam multis aliis operæprecium: causam hanc diutiùs ad cognoscendum & definiendum differri.

Proposui igitur breuiter vestræ Clementiæ exponere: primùm, quantum dolorem ceperim ex hoc dissidio, propter tum veritatem oppugnatam, tum Scholam vulneratam, tum amicitiam inter collegas violatam: tum Magistratum hoc dissidio perturbatum, tùm denique etiam propter meam læsam existimationem. Deinde, quę me in iis animi molestiis recrearint: atque etiam recreent & reficiant. Postremò quæ sit mea in hoc necessario tempore postulatio atque supplicatio.

Rogo itaque clem. vestr. vt si aduersam partem patienter non semel & iterùm audiuistis: etiam me semel benignè audiatis.

Ac vt ad primum caput meæ orationis accedam, multa sunt in hac controuersia, ex quibus ego maximum dolorem cœpi, non ex meo periculo, sed ex ipsius contentionis magnitudine. Non est enim vllo modo, viri prudentissimi, dissimulanda & silentio prętereunda hęc causa. Primùm enim in ea agitur Dei gloria. Secundo loco agitur salus Scholę, totiúsque Ecclesię vestrę. Tertiò agitur honos & fama Senatus, totiúsque ciuitatis. Quartò agitur salus & existimatio omnium vestrorum ministrorum, totiúsque ministerij dignitas. Postremò etiam agitur res mea, totáque mea existimatio. Quãtum igitur dolorem ex hoc dissidio ceperim: indicare quidem possum, sed explicare non possum.

Ac quod Deum optimum maximum ipsiúsque gloriã attinet, doctrina Dei, & quidem præcipua pars Euangelij, fuit non tantùm in dubium vocata, sed etiam dãnata, doctrina nimirùm de Perseuerantia Sanctorum in fide, ex quã pendet articulus de certitudine salutis nostræ per Christum. Hæc verò doctrina de Perseuerantia, pendet à doctrina de immutabili sanctorum electione ac Prædestinatione, sine qua doctrina, articulus de gratuita per Christum Iustificatione, nullo modo consistere potest. Tota autem hæc doctrina Christi est & Apostolorũ, explicata ab Augustino, recepta ab Ecclesia Catholica, renouata à Luthero & Bucero (vt de aliis taceam,) non Italis & Gallis, sed Germanis, totiúsque Germaniæ duobus luminibus. Hanc ego in Scholis vestris retinere volui: neque in ea defendenda, cuiquam me molestum fore, putaui: neque vllam hîc gloriolam quæsiui, quasi vel ego causam nouam attulerim: aut suppressam, eam aliorũ infamia, reuocare vellẽ: sed quod putarem, omnes facere debuisse, quod faciebam ego. Itaque feci: imprudens offendi collegas meos: volens defendi doctrinam Christi, consentaneam Patrum dogmatibus, non dissentaneam Confessioni Principũ Euangelici nominis, comprobatam multorũ, quæ habeo, testimoniis, sed tamen à collegis meis aliquibus condemnatam. Qualis igitur doctrina sit damnata, perspicuum est: doctrina nimi-

nimirum Dei, doctrina certa, perspicua, catholica, ab initio etiam renascentis Euangelij, in hac Schola atque Ecclesia recepta.

Est autem magnus dolor filiis Dei, videre, talem doctrinam Christi damnari. Eò verò grauior est dolor, quod damnata fuit ab illis, quorum erat eam defendere, vtpote quibus cura animarum vestrarum commissa est: à vestris inquam pastoribus, qui meliùs eam quàm ego tenere debuissent, quippe quorum pars excellentior Bucerum ipsum multos annos hic docentem audiuit. Quòd autem verum sit quod dico, probaturus sum, idque aperte, cùm ipsius Buceri scriptis, & disputationibus huius vrbis, tùm etiam testimoniis atque iudiciis Academiarum, senum, doctorum virorum, hominum benè iudicantium.

Sed tamen hoc auxit dolorem meum, quod hæc doctrina damnata fuit in ea vrbe, in ea Ecclesia, in ea Schola, vbi antea eadem fuerat tradita: & vnde ad alios multos populos, vsque in Italiam defluxit. Nam certe doctrinam hanc (vt de me loquar) non nunc primum Argentinæ, sed multis annis antè in Italia, cùm ex Augustino, tum præsertim ex libris Buceri, viri piissimi atque doctissimi: quo inter Germanos Theologos nemo in Italia iudicatus fuit meo tempore doctior, didiceram. Vidisse igitur, damnari Argentinæ eam doctrinam, quam Argentina ad nos in Italiam per libros Buceri allatam, amplexus fueram: mihi non solum admirationem, sed etiam dolorem incredibilem attulit: neque id mihi soli, sed omnibus, quos potui audire, viris doctis & piis.

Sed non minùs temporis consideratio, quàm locus, vbi damnarunt pastores doctrinam hanc, dolorem mihi auxit: anno nimirum, ex quo cœpi illam hic docere, octauo. Nam eorum, quæ obiecta atque damnata nunc fuerunt, nihil est, quod non inde ab initio, quo hic sum, docuerim sæpiùs ac disputarim, præter articulum de fine sæculi, & de vltimo Antichristo: quia de illis nunquam occurrit locus, qui me moneret, vt docerem, nisi anno superiore. Imò hoc addo: quod ad doctrinam de Prædestinatione attinet, inter D. Marbachium & me nulla vnquam (quod potuerim animaduertere) fuit ante hoc dissidium, controuersia, nisi de modo eam tradendi: id quod etiam apparet in secunda eius petitione, vbi non petit, vt doctrinam mutarem, sed modum, hoc est vt inciperem à posteriori: quo verbo, ego nondum intelligo, quid sibi velit. Quia, si intelligit, vt incipiam à verbo reuelato, respondi, me nihil vnquam docuisse sine verbo reuelato in sacris literis. Quid? quod cum cooptandus essem in collegium Thomense, D. Marbachius totam meam doctrinam, quam iam per biennium docueram (docueram autem & disputaram sæpius de Prædestinatione) probauit in Capitulo? dicens, non opus esse, vt de doctrina interroger, quod ea sibi & omnibus sit nota iam per biennium. Cùm etiam M. Melchior librum de Prædestinatione contra Bezam esset editurus: D. Rector, & D. Hotomannus in conuentum venerunt: suaque oratione effecerunt, vt non fuerit liber impressus: actionem autem hanc probauit D. Marbachius & totus conuentus. Vel igitur D. Marbachius agnoscebat, doctrinam de Prædestinatione, quam post Augustinum, Lutherum, Bucerum, & multos doctos viros, docuit etiam Beza, esse veram, vel falsam. Si veram: non video igitur cur eam in me damnet. Si falsam: non debuisset igitur librum Melchioris impedire suo suffragio. Ego verò malo credere, D. Marbachium probasse doctrinam Bezæ, quàm contra conscientiam peccasse. De reliquis Pastoribus hoc dico: norant omnes iam ab initio, cùm ex lectionibus, tùm ex disputationibus meis, quæ mea esset de Prædestinatione doctrina. Interim tamen antehac amicitiam mecum coluerunt omnes. Nunc tantùm me, tanquam κάθαρμα ciuitatis, exsecrantur. Quòd igitur doctrinam illam, quam de principio, quo huc veni, per octennium docui: & quam illi sciuerunt à me doceri, nunc demùm damnent, & admirationem & dolorem attulit non mediocrem: quod inde appareat, eos non zelo doctrinæ: sed potiùs odio mei eam damnasse. In quo tametsi eorum vitium meam causam adiuuet: doleo tamen, Ecclesiam detrimentum accipere hoc malo & iracundo exemplo nostro. Quam verò rationem instituerint in damnanda hac doctrina: Acta ipsa docent. Primùm D. Marbachius, antequam mecum de ea re (vt æquum erat) conferret: eam in Schola oppugnat. Deinde in Theologico conuentu, postquam discessisset Pastor Ecclesiæ Gallicanæ & Diaconi, aliquot ministri eam damnant, me nunquam audito; & paulò pòst profecti ad Dominos Scholarchas, curant, vt mihi illius doctrinæ continuatio interdicatur. In Capitulo vero me semper absente, eam ita damnauit, vt propter eam me appellarit hæreticum, Anabaptistam, Catharum, Nouatianum, Schwenckfeldianum, hominem plenum hæresium: nunquam tamen vel ego, vel Capitulum obtinere ab ipso & suis symmistis potuimus, vt vel ad disputationem, vel in collocutionem mecum venirent, & quæ ab ipsis aduersus me fuerant dicta, probarentur. Interim non contenti doctrinam hanc sanctissimam damnasse in Schola, in conuentu & in Consilio Thomensi: etiam damnarunt, vt audio, in concionibus, ad postremum in libro quodam aduersus omnes meas theses composito, quem librum voluerunt quidem prælegere capitulo, sed relinquere illi examinandum minimè voluerunt: tandem vero Dominis meis etiam obtulerunt, & in illorum manibus exemplum illius vnum reliquerunt. Neque hoc solum: sed etiam aliis secretò aliud exemplum legendum tradiderunt. Nam quendam possum nominare, cui illum librum legendum tradiderunt: & alium, cui ante tres dies legendum obtulerunt. Mihi vero cuius res agitur, nihil communicatur, nihil indicatur: sed perpetuo in tenebris confodior grauissimis, venenatis, & lethalibus calumniarum telis. Hæc certè agendi ratio, nulli probo viro probari potest, indigna homine: indignior Christiano: indignissima Theologo.

Quo verò affectu ducti eam damnarint, Dominus & ipsimet norunt. Illud tamen ego dico: si zelo gloriæ Dei, & bona conscientia id fecissent; certè fecissent etiam ante impeditum Heshusij librum: deinde, iuxta mandatum Christi, me priùs accersissent, interrogassent, audiuissent, conuicissent, denique omnia in luce egissent, non in tenebris. Est autem dictum Christi verissimum: *Omnis qui malè agit, odit lucem, & non venit ad lucem, vt ne arguantur opera eius.*

Quare quod viderim doctrinam Christi, & talem doctrinam, in tali vrbe, à talibus hominibus, tali tempore, taliique ratione impugnari & damnari: ita vt ego pro meo officio defendere eam publicè non potuerim grauissimo affectus fui dolore.

Propter Scholam verò & Ecclesiam, tantum sensi ex isto dissidio dolorem, quantum dicere non possum. Scholam enim & Ecclesiam amo, vt quiuis alius. Vulnus autem vtrique inflictum, grauius est, quàm vt ego queam explicare. Nullum enim lethalius Ecclesiis atque Scholis infligi vulnus potest: quàm cum verus & salutaris Christi doctrina, ceu hæretica atque diabolica impugnatur, & illius professores damnantur. Veterem verò in hac Schola & Ecclesia doctrinam esse hanc quam vestri damnarunt: scripta Apostolorum, deinde Augustini, deinde Buceri, Lutheri, & aliorum veterum, qui hic docuerunt, postremò iudicia Academiarum & Ecclesiarum, quæ attuli, satis perspicuè demonstrant.

Quòd verò specialiter ad ipsos meos Dominos attinet: duo hic sunt, quæ vehementer dolui atque doleo. Primùm, sunt labores atque molestiæ, quas propter nostrum illud dissidium passi estis & adhuc patimini. Non desunt vobis perpetuæ & graues molestiæ, atque solicitudines in repub. administranda. Quòd igitur nos etiam theologi nostris dissidiis, grauibus vos affecerimus molestiis, quod ad me attinet, vehementer dolui atque doleo.

Alterum est, honos atque fama nominis vestri, quam propter hoc dissidium in magnum adductā esse discrimē, animaduerto. Est enim præter cæteras duplex, eaq. magna laus huius Senatus atque ciuitatis. Vna, quod sit amans, defensor atque protector puræ doctrinæ atque religionis, & hanc laudem magna ex parte peperit Senatui atque ciuitati, multitudo doctorum ac piorū virorū, qui in hac vrbe Euangeliū magna cum omnium admiratione atq. ædificatione docuerūt: quales fuerunt Matt. Zellius, Capito, Caluinus, Martyr, Fagius, Hedio, atq. in primis M. Bucerus, cuius nomē atq. fama, nomen atq. famā huiusce ciuitatis per totū orbē auxit atque amplificauit. Huc facit dictum, quod ex quodam clarissimo viro Doctore, rerū Germanicarū peritissimo, non procul hinc in conuiuio quodā audiui: *Tempore Buceri*, inquit, *Argentina regebat totum imperiū in religione. Nūc autē, &c.* Hęc etiā laus atque fama, fuit præcipua causa, cur eodē tempore vocatus & huc & in Angliam: malui Argētinæ esse & profiteri, quàm in Anglia, nimirùm quod persuasus eram, hic Buceri doctrinam de religione, in quā diu versatus fueram, retineri:

Argentinæ laus olim.

Zanchius eodem tempore Argentinam & in Angliam vocatus.

& proindè minus dissidiorum me hic cum reliquis professoribus propter doctrinæ similitudinem habiturum quàm alibi. Fuerunt quidem & aliæ causæ permultæ, cur hanc vrbem mihi præ cæteris omnibus pro patria di l.gerim: vt celebritas ciuitatis, laus Scholæ, fama doctorumvirorum, ciuium modestia ac placidi mores, summa beneuolentia, quam primùm clarissimus piæ memoriæ D. Iacobus Sturmius, vir qui non solùm Argentinensis ciuitatis, sed totius Germaniæ ornamentum & lumen, in ipsa etiam Italia habebatur meo tempore, deinde reliqui Domini Scholarchæ in suis ad me literis, quas adhuc habeo. & postremò huius Scholæ Rector D. Iohannes Sturmius, promittebant. Hæ inquam fuerunt causæ, cur hanc vrbem pro patria mihi delegerim. Sed (vt antè dicere cœperam) præcipua causa fuit, in religione, inque eadem Christi doctrina per Bucerum hic tradita atque explicata, librisque editis ad nos vsque propagata, similitudo. Atq. hæc etiam fuit hucusque prima laus huius Senatus atque ciuitatis, quod puram Euangelij doctrinam semel hic per Bucerum & alios traditam, retinuerit constantissimè atque defenderit.

Altera laus, ipsius Senatus propria est: quod sit prudens & iustus, æquitatisque studiosissimus, qui non sinat cuipiam ab alio impune fieri iniuriam, neque pauperes à potentioribus, neque peregrinos à ciuibus opprimi. Cùm itaque vidissem, puram doctrinam publicè hic impugnari, & me pauperem ac peregrinum, ciuem tamen & theologum vestrum, à multis, iisque potentioribus quasi opprimi: Etsi ego non dubitaui, quin Senatus esset & veram doctrinam (modo eam agnoscat) & me ciuem suum ab omnibus calumniis atque iniuriis defensurus: metuebam tamen, ne non iste rumor apud multos populos spargeretur: Argentinæ & puram Christi doctrinam nunc damnari: & innocentem hominem, inauditum, publicè & in concione, grauissimis calumniis impunè traduci atque opprimi. Hoc metuebam: & proinde etiam propter existimationem ciuitatis, vehementer dolebam.

Quod attinet ad ipsos ministros doleo primùm, quod
sublati sint veteres Patres, veræ doctrinæ amantes, charitatis studiosi, & in tollendis quamprimùm omne genus
dissidiis, diligentissimi. Est enim hoc testimonium iræ Dei
aduersùs aliquam vrbem, cùm senes & prudentes
tolluntur, vt est apud Iesaiam. Et exemplo est regnum
Israel tempore Roboami. Deinde etiam vices ipsorum
pastorum: quod videam illorum existimationem, ministeriique dignitatem, propter suam iniquam contra me
agendi rationem, sanæque doctrinæ oppugnationem, apud multos doctos etiam & pios vilescere. Quod enim
1. tam leui de causa, nempè propter impeditum Heshusij
librum, quasi fuerit crimen læsæ maiestatis, omnes ferè
conspirarint aduersùs me, tamquam aduersùs publicum
hostem, quæ conspiratio adhuc durat: Quod doctrinam
2. Christi, quam in hac vrbe multos annos, docuit præter
alios, M. Bucerus, damnarint in suo conuentu, oppugnarint in Schola, in concilio Thomensi, è suggestis, in libro
Magistratui contra me dato, denique priuatim & publicè per annum: Quod me suum in Schola & in collegio
3. Thomensi collegam, multorum etiam ex ipsis per annos
8. præceptorem: tandem inauditum hæreseos damnarint:
idque propter illam doctrinam, quam inde ab initio in
Schola hac docui, & quæ tamen numquam nisi nunc,
vllo modo fuit vel oppugnata vel damnata. Quòd astu-
4. tè effecerint, vt continuatione meæ de Perseuerantia
Sanctorum in fide, tractationis mihi interdiceretur: Idque vt interim ipsi, mihi ore occluso, faciliùs possent sine
vllius contradictione, doctrinam hanc damnare, & quasi
in Schola & in Ecclesia triumphare: Quòd me innume-
5. ris conuitiis, & incredibilibus calumniis priuatim & publicè apud Dominos & apud plebem, apud ciues & apud
exteros, in Schola & in templis, in collegio & in Senatu,
scripto & voce affecerint, & adhuc afficere non desinant:
Quòd mihi omnem disputationem, & omne amicum colloquium tam priuatum quàm publicũ denegarint: Quòd
7. dissidium per ipsos excitatum, per Capitulum componi
non permiserint: imò quod ipsum etiam capitulum (quod
audio) grauissimis calumniis prosciderint: Quòd sæpenu-
8. merò rogati à capitulo, vt relictis ambagibus ad rem ipsam venirent, & ad argumenta mea, sententiásque è scripturis & Patribus allatas responderent: Semper tamen effugia quæsiuerint; Quòd deinde scriptum contra meas
9. theses, & calumniis plenum librum capitulo examinandū
præbere noluerint. Quod eundem mihi, ad quem
maximè pertinebat, numquam, aliis autem quibuscum- 10.
que voluerint, legendum dederint: Quod præstantissimos viros & de Ecclesia, déque literatis om- 11.
nibus, spectatim verò de hac Schola optimè meritos, priuatim & publicè etiam ex pulpitis acerbè
traduxerint: Quòd ipsum quoque Augustinum, non 12.
solùm in libro Dominis tradito, sed etiam publicè suggestis coram tota Ecclesia, in doctrina de prædestinatione semel iterúmque damnarint, & irreuerenter
falsòque de illo publicè dixerint, quod illum pœnituerit
in extremo mortis articulo multorum à se scriptorum,
inter quæ contineantur & ea quæ scripsit de Prædestinatione: Quod quoscumque potuerunt, à me abalienarunt, 13.
disertè eis suadendo, vt à me consortio abstinerent: Quòd
multas calumnias tam Dominis quàm plebi contra me 14.
& multos graues viros dixerint, atque ita in inuidiam atque odium apud eos adduxerint: Quòd denique omni- 15.
bus iis hoc vnum curasse videantur, nimirum vt ego
aut turpiter cum mea familia à Senatu, vel à plebe per seditionem è ciuitate eiicerer, aut saltem diuturnâ molestiâ
affectus, sponte discederem: Quòd inquam hæc omnia 16.
fecerint & adhuc multi facere pergant: præterquā quod
in Deum & proximum grauissimè peccarunt: nimio etiam tam suas personas, quam suum ministerium, dedecore affecerunt. Atque hoc vnum non postremum est ex omnibus malis, quæ ex hoc dissidio exorta, vehementer doleo atque deploro.

Doleo etiam vices nostri capituli, quod scilicet propter illud dissidium componendum, multas molestias atque labores pertulerit: & tamen tandem vitio aduersæ partis non solùm nihil efficere potuerit: sed etiam pro suo studio ac diligentia, pessimam gratiam à multis inierit.

De mea persona nunc dicam. Quiuis iudicio prædi-
tus, meliùs potest cogitare, quam ego explicare, quantas
animi molestias, quantósque labores corporis ex isto dissi-
dio passus sim: quantum etiam damnum rerum mearum
fecerim, & in quantum discrimen tota mea existimatio,
totiúsque familiæ salus per istos homines adducta sit. Nā 1.
cum animo meo repeto: me conditionem istam non am-
biisse, sed eam à Dn. Deo, operá & literis claris. viri & verè
æterni laudibus dignissimi Dn. Iacobi Sturmij & duorum 2.
reliquorum præstantium virorum D. Scholarcharum vo- 3.
catum fuisse. idque iisdem conditionibus quibus fuerat 4.
ante me hic D.P. Martyr. & eandem mihi beneuolentiam 5.
promissam, quam anteà D.P. Martyri præstitissent: me ci- 6.
uitatem hanc Angliæ præposuisse: me huc venisse integra 7.
fama atque existimatione meâ: me, quantâ potui semper
diligentiâ, officium meum tùm legendo, cùm disputando
in Schola fecisse: me aliorum vices, ac præsertim D. Marbachij, supplere nunquam recusasse: idque aliquando per
menses continuatos sex & ampliùs: me, quantum in me 8.
fuit, cum omnibus pacem atque amicitiam coluisse, om-
nibus æquum honorem detulisse, & quæcunque potui, a- 9.
micitiæ officia præstitisse: me tantâ obseruantiâ Senatum,
beneuolentiâ Scholam, & amore totam ciuitatem com-
plexum fuisse, vt, licet sæpenumerò alio maiori cum sti-
pendio atque honore vocarer, semper tamen recusarim.
Cum inquam hæc omnia vna ex parte in animo meo
voluto: ex altera verò parte videam, me, pro retributione
tanti erga Rempub. amoris, & omnium meorum officio- 10.
rum atque laborum, tantis criminationibus, tantâ infa-
miâ, tantis iniuriis, conuitiis, calumniis, priuatim & publi-
cè, in Schola & in Ecclesia, idque per annum integrum,
affectum fuisse atque etiam nunc affici: Et has calumnias 11.
atque criminationes, vulgo, imò multis etiam ex Dominis 12.
meis, tanquam certas atque veras persuasas fuisse: ac
proinde omnes (paucis admodum exceptis, nimirum illis
qui me meliùs ac familiariùs quàm alii norunt) me tan-
quam publicum hostem, sceleratissimum hominem, &
pestilentissimum hæreticum toruis oculis intuitos & a-
uersatos fuisse: neque me facilè posse apud plebem exist- 13.
mationem meam defendere, partim propter linguæ vestræ imperitiam, partim, quia plus creditur multis, iisque Germanis & Pastoribus, quàm vni, extero, professori: Cùm, inquam, hæc omnia per vnum annum viderim, atque videam: neque etiam stupidus sim, truncus aut fungus, qui ictus non sentiam: neque etiam sim homo, qui meum honorem nihili faciam: cogitare quisque potest, quo pacto totum hunc annum affectus fuerit animus meus.

Has verò meas animi molestias, ex supradictis in genere

iniuriis

iniuriis atque calumniis natas, auxerunt speciales quædam, & insignes iniuriæ.

Primum, quod cùm ego neminem accusarim, neminem damnarim (neque enim mihi vnquam licuit aduersariorum conciones & lectiones examinare: cùm neque conciones intelligere potuerim, neque lectionibus interfuerim:) sed ego fuerim à multis accusatus, à multis damnatus, à multis è mea quiete disturbatus: imò, cùm non solùm dissidium non excitarim: sed neque per me steterit, quin ab aliis excitatum, fuerit mox compositum, vel per amicum colloquium, vel per arbitrium Capituli, quemadmodum Acta ipsa testificantur: totum tamen hoc crimen in me vnum conuersum sit, & autor dissidij, perturbatórque ciuitatis appellatus à multis fuerim, id quod etiam ad alios scriptum fuit. Nam D. Brentius, cùm apud illum essem Stutgardiæ, reprehendit me, quod perturbarim hospitem, & parum gratus in eum fuerim.

Illud quoque fuit mihi intolerabile, quod per totum hunc annum perpetuò contra me pugnarunt in tenebris, hoc est, me ignorantem grauissime accusarūt, damnarunt, & grauissimarum calumniarum telis confoderunt: nec vnquam obtinere apud illos potui, vt in lucem prodirent, mecúmque venirent in collocutionem. Nam communicata candidè & amicè cum D. Marbachio, mea de Cœna Domini epistola, quam Heidelbergam eram missurus (neque tamen vnquam missa fuit) ille totam probat doctrinam, præter caput de manducatione Impiorum: & de eo etiam dixit: licet non conueniat inter nos: tamen se velle ferre me, modò & ego feram se.

Interim in tenebris & Heshusij liber imprimitur: in quo damnantur hæreseos, qui negant, manducari ab impiis corpus Christi: & paulo pòst ego accusor de cc sacramentaria.

In tenebris, hoc est, non priùs admonitus, iuxta mandatum Christi, & inscius, accusor de fine sæculi, de Antichristo.

In tenebris, hoc est, inauditus, damnor in conuentu, propter doctrinam de perseuerantia Sanctorum, quam facilè probassem: si in Scholis mihi porrò concessum fuisset illam explicare. In Capitulo vna hora potuisset res transigi si coràm vterque sine scriptis fuisset auditus. D. Marbachius hoc detrectat, vult rem agi scriptis, altera parte semper absente. Multas etiam habuit ibi orationes contra me, mihi tantùm data fuit prima, & ipsius prælectiones: ita vt neque aduersariorum vultus viderim: neque ipsorum orationes contra me, legere potuerim.

Sæpenumerò per totum primum ver & æstatem, in Capitulo Pastores contra me loquuntur: & interim ego ignoro, quid dicatur, quid agatur.

Traducor per vrbem & in templis: nomine tantùm proprio meo suppresso: & ego non audio.

Animaduerto, multorum ciuium & Dominorum animos à me esse alienatos: & ego ignoro quamobrem.

Habentur priuati conuentus contra me, quæruntur lectiones à me habitæ annis ab hinc quinque & sex: & ex libellis studiosorum, qui sæpenumerò vel non omnia assequuntur, vel malè intelligunt, describuntur: & fortè multa detrahuntur, alia adduntur, alia deprauantur, nec ad me mittuntur priùs, vt illas agnoscam pro meis, quàm Dominis tradantur, quàm aliis etiam multis communicentur.

Scribunt librum contra me, calumniis, vt audio, plenum: non ad me mittunt, vt respondeam, sicut ratio disputandi & omnis æquitas postulat: neque dant Capitulo examinandum: sed primùm Dominis, qui non possunt per occupationes legere & de illo iudicare: deinde etiam priuatim quibus volunt, secreto: nec volunt, vt ego videam, quid contra me scriptum sit.

Ita ducor ad infamiæ crucem (pluris enim facio existimationem meam quam vitam:) omnibus spectantibus: sed ego ignorans & obuelatis oculis.

Hæc occulta, dolosa, & iniqua agendi ratio, nempè in tenebris, quam isti mei aduersarij per totum hunc annum contra me seruarunt, fuit & est mihi durior atque intolerabilior, quàm si palàm atque in faciem me quouis conuitiorum genere affecissent.

Hoc etiam nouum dolorem mihi attulit. D. Marbachius theses de Prædestinatione ex meis prælectionibus collegerat: & procul dubio eas, quę sibi fuerant duriores: eas damnat: propter eas me accusat: & hæreticum appellat.

Nunc cùm audiuisset, me multa attulisse testimonia Academiarum & Ecclesiarum, quibus illæ theses probantur vt piæ & sanctæ, dixit cuidam ex collegis: Quantum attinet ad illas theses ita nudas, poterimus conuenire cum Zanchio: sed venenum est in prælectionibus eius. Quā in re non molestè fero, quod prælectiones meę recognoscantur: sed doleo, non eas mihi dari, vt videam, si sint meæ, sit ne aliquid additum, aut detractum, aut immutatum, id quod factum esse, vehementer metuo. Sæpè ex dogmate orthodoxo, vno vel detracto vel addito verbo, hæresis efficitur. Neque istud ita vehementer metuerem: nisi in principio controuersiæ hanc calumniam expertus essem; id quod Capituli testimonio confirmare possum.

Ecce prudentissimi Domini, quid agatur. Vos mandastis, ne quęram vlteriùs testimonia, quibus scilicet meas defendam theses, sed exspectem vestrum iudicium: Interim vestri concionatores nouam instituunt litem, nēpe de meis prælectionibus: interim me clam nouis iniuriis afficiunt: interim non desinunt me lacerare: Et ego me non defendam, quibus potero iustis viis & rationibus? Hoc vobis protestor, mihi fieri insignem iniuriam: quod viris piis & doctis, tales, quas dicunt meas prælectiones esse, communicentur ad me infamandum, antequam mihi recognoscendæ præbeantur. Item protestor, si quid D. Coccius vel quiuis alius, in eis prælectionibus de Prædestinatione legit, quod pugnet cum doctrina Apostolica per Augustinum contra Pelagianos explicata, deinde per Lutherum atque Bucerum contra nouos in Papatu Pelagianistas renouata, propter quod aliam de me, quam de orthodoxo professore haberi debet, opinionem conceperit vel concipiat: totum illud calumniosè fuisse meis in lectionibus vel additum, vel deprauatum. Protestor enim de Prædestinatione & de Perseuerantia, me nihil docuisse aut sentire, quam quod ex sacris literis ex Augustino, ex Luthero atque Bucero didici. Ac proinde quidquid impium in illis prælectionibus continetur: non à me traditum, sed ab aliis adiectum fuisse.

Sunt alia multa, quæ in hoc dissidio doleo, inter quæ hoc, quod dicam, non postremum habet locum: nimirùm quod præter inhumanitatem (ne quid dicam duriùs) vestrorum pastorum, qui nonquam voluerunt mecum venire in colloquium, & interim damnare me nunquam cessarunt, coactus fuerim domi relinquere vxorē & filiam febre laborantes, & magnis meis sumptibus atque incommodis, media etiam hieme per Germaniam obequitare, & in multa vitæ discrimina me coniicere; tantùm vt de hac doctrina, quam vestri concionatores damnarunt, cum Academiis & Ecclesiis conferrem. Sed illa iniqua agendi ratio, quâ aduersus me vsi sunt mei aduersarij, mihi fuit prorsus intolerabilis. Quare videtis Domini mei sapientissimi, an ego in hoc dissidio, à meis aduersariis contra me excitato, fuerim expers dolorum, molestiarum & laborum, nécne.

Cæterùm vt ad alterum caput meæ orationis veniam: non pauca me in his meis multis & grauibus molestiis, consolatione affecerunt atque afficiunt. Consolationes Zanchij in hisce molestiis.

1. Quorum illud primum est, quod scirem atque sciam, doctrinam Christi, etsi ad tempus patiatur aliquid aduersi: tamen suo tempore solere, atque debere (cùm sit ipsissima veritas:) restitui in integrum. Etsi enim forte est vinum: (iuxta sacras literas) fortis mulier: fortis Rex: veritas tamen omnium est fortissima.

2. Huc accedebat, quod sciebam, causam esse Domini: Dominum autem non posse seipsum & causam suam deserere: imò contrà, quotquot bellum suscipiunt contra Dominum, eos tandem confusum iri.

3. Deinde conscientia mea perpetuò me est cōsolata, quod scirem, per me libri Heshusiani diuulgationem impeditam esse, nulla alia de causa, nisi propter gloriam Dei, salutem Ecclesiarum, propter existimationem Illustrissimi Electoris Palatini, propter honorem mei Magistratus, postremò propter nomen multorum magnorum, déque Ecclesia Christi optimè meritorum virorum, qui in eo libro damnabantur, defendendum.

4. Accedit illud etiam: quod nullam doctrinam tradidi, quam non possim è Scripturis, Patribus, & doctis nostri temporis hominibus, præsertim Bucero, demonstrare. Neq. etiam studium docendi & disputandi neglexi: amicitiis cū omnibus, quātū potui, colui: officia Christiani hominis in omnes, quoscumq; potui, contuli: honorem suum cuiq. detuli: pacificè, quod in me fuit, cum omnib. vixi, vt habitâ ratione imbecillitatis humanę, nemo iure possit vllius me criminis, propter quod infamis esse, & tantasque molestias perferre debeam, dānare.

Illud quoque non parùm me perpetuò recreat, quod sciam, hanc semper fuisse & esse omnium eorum, qui veritatem docent, & mundo sese opponunt, conditionem, vt scilicet variis criminationibus, calumniis, conuitiis, contumeliis, crucibus à mundo afficiantur. Idem enim Prophetis, idem Christo, idem Apostolis contigit. Et hæc est similitudo cum Christo, ad quam sumus præfiniti, sicut ait Apostolus Rom. 8. Quos præsciuit conformes fieri imagini filij sui. Quare gaudeo, quod in hac cruce sim similis filio Dei.

Ad hanc consolationem accessit illa quod noui Magistratum meum non esse, vel ita iniustum, vt contra conscientiam velit, vel ita leuem atque imprudentem, vt possit præcipitanter me damnare, & nullam, vel modicam suæ existimationis, imò & suæ salutis rationem habere, id quod vsu veniret si (quod absit) quam illam doctrinam, quæ post Augustinum & Lutherum, aliósque ex Apostolicis scriptis collecta, per Bucerum quoque hic confirmata atque explicata fuit damnaret.

Conuitia quibus Zanchus fuit profcissus. Quantum attinet ad conuitia, quæ multa & grauissima quidem illa in me fuerunt: dolui certè, & quidem vehementer, quod me & scripto & voce appellarint hominem infamem & sine honore, hominem bonorum virorum consortio indignum, hominem impudentem atque mendacem, & aliis permultis ac horrendis conuitiis.

Sed tamen tria me hic consolantur. Vnum, quod Dominus Iesus verus Deus, & post ipsum Apostoli, eandem ob causam, hoc est, propter doctrinæ veritatem, grauioribus conuitiis fuerunt affecti.

Alterum, quod conuitia in innocentem dicta, tandem recidunt in conuitiatores. Nam licet aduersarii mei, iis conuitiis conentur me reddere infamem, & bonos quosque à me abalienare: nihil tamen, nisi forte apud homines leues, efficient. Nam Dei beneficio, satis notus sum, primùm toti meæ nationi Italicæ, quæ dum iam secundò me in suum pastorem elegit, satis declarat apertè, an sim homo infamis, néc ne. Deinde notus sum nō tantùm Anglis & Gallis: sed etiam multis Ecclesiis & Academiis per Germaniam, quæ dum & doctrinæ à me traditæ testimonium perhibuerunt, & me, vt apud se docerē, inuitarunt: testificantur, me non esse infamem, & bonorum consortio indignum hominem.

Postremum est, quod licet isti homines simul contra me conspirarint, & meum vitent consortium, aliósque vt idem faciant, hortentur: non sunt tamen omnes Argentinæ tam leues, vt horum voces habeant pro oraculis, aut mores pro regula vitæ Christianæ. Sunt, sunt Argentinæ multi etiam boni & pij viri: quibus satis perspecta est mea vita atque mores, doctrina atque pietas iam per nouem annos, qui suo mecum consortio atque amicitia toti ciuitati testantur, an sim homo infamis, & bonorum consortio indignus, néc ne.

Illud etiam non parùm dolui, quod me accusarunt, & per vrbem atque è suggestis sub nomine *Zancken* digito monstrarunt, tanquam hominem contentiosum, & totius dissidij autorem.

Sed illud me consolatur, quod res aliter docet, quàm ipsi traducunt. Norunt præter Rectorem & Visitatores, multi etiam alij, me sæpenumerò fuisse à diuersis lacessitum, & ad rixas prouocatum, tùm verbis, tùm literis, tùm denique factis contra me: vitandarum tamen inimicitiarum & rixarum gratia semper quantum potui, ita iniurias illas dissimulasse, perindè ac si nihil vnquam de illis intellexissem. Imò hæc est causa, cur de Cœna Domini numquam ab eo tempore, quo hic doceo, volui ex professo verba facere, ne rixandi occasionem præberem vllam. In isto etiam dissidio quis fuerit accusator & quis reus: & vter alterum tùm in Schola, tùm apud Dominos damnarit: & per quem etiam steterit ne dissidium fuerit compositum: satis notum est Dominis meis: præsertim si Acta capituli legerint.

Ad extremum, duo me singulari & admiratione & dolore affecerunt. Vnum, quod D. Marbachius nuper in conuentu, cùm essent quidam promouendi ad ministerium, illos adegit eò, vt in suam sententiam de prædestinatione, doctrinâque illa controuersa, de qua lis adhuc pēdet ante Magistratū, quasi in rem iudicatā, data manu consentirent. Alterum, quod concionatores quoque è suggestis, perinde ac si res esset iudicata, & suam sententiam inculcant populo, & nostram damnant, & ad seditionem nonnulli ipsorum concionantur.

Sed duo hîc etiam vicissim me consolantur. Vnum, quod populus Argentinensis non est ita ad seditionem facilis, vt sunt quorundam conciones ad illam excitandam idoneæ. Alterum, quod non proinde vllum præiudicium apud Senatum factum est causæ: quia & D. Marbachius illud fecit, & isti ita concionantur.

Vt vero ad tertium caput accedam: Ego, clarissimi ac iustissimi Domini, à vobis id peto atque postulo, quod apud omnes gentes æquissimum semper fuit iudicatum: nimirum vt causam hanc grauiss. maximam, per necessariam, diligenter examinetis & cognoscatis. Id quod facile à vobis fieri poterit, si attentè Acta legeritis: si capitulum Thomense vocetis, ac eius sententiam audieritis: si iudicia Ecclesiarum & Academiarum, quæ ego attuli & vobis offero, cum iudicio legeritis: si denique quæ ego hactenus in hac supplicatione dixi, & adhuc dicturus sum, haud oscitanter considerare volueritis. Vbi omnia diligenter examinaueritis & agnoueritis: si repereritis, me talem esse, qualem iam per annum & ampliùs prædicarunt vestri concionatores, hoc est, hæreticum & lupum, & doctrinam, quam docui per octennium, esse impiam aut hæreticam: egò primùm paratus sum, omnes quascumque volueritis dare pœnas, & deinde doctrinam ipsam retractare. Si verò apertè videritis, me esse eorum omnium, quæ mihi obiiciuntur, & de quibus accusor innocentem: peto & rogo, declaretis meam innocentiam. Hoc enim ius naturæ, ius gentium, ius ciuile, ius diuinum, denique omnis æquitas postulat. Et in hunc finem præcipuè gestatis gladium, non vestrū, sed Dei vt faciatis iustitiam sine vllo personarum respectu. Paulus ait. Si bene feceris, *laudem ab eo* [Magistratu] *accipies*. Ego vero, si videritis me docuisse bene, & bene me gessisse, non quæro laudē, sed tantū innocentiæ meæ declarationem. Hæc est mea prima ac præcipua petitio.

Contendo autem ego, me eorum omnium, de quibus accusatus, traductus, & damnatus à pastoribus fui, esse innocentissimum: id quod ex remotione partium omnium istius causæ, perspicuum vobis faciā. Nam tota hæc controuersia in tres diuisa est partes. In prima continetur ea doctrina, quam fateor me in Schola vestra docuisse, aduersarij autem partim vt nouam, partim vt impiam atque hæreticam, damnarunt. Ea in quatuordecim Theses distributa est. In secunda continentur permultæ calumniæ de doctrina, quibus accusatores mei me partim apud vos Dominos, libro contra me scripto, partim apud totam ciuitatem tùm publicè in suggestis, tùm priuatim in angulis grauarunt. In tertia sunt conuitia infinita, non tantùm dicta, sed etiam scripta contra me.

Quod attinet ad illas 14. Theses, de quibus hactenus fuit aperta lis: dico & proclamo: primùm, ibi nihil esse, quod cum sacris literis pugnet. Deinde, maximam ac præcipuam illarum partem, doctrinam esse orthodoxā, traditam ab Apostolis, explicatam & confirmatam à Patribus, atq. in primis Augustino, renouatam à Luthero & Bucero, & aliis nostri sæculi doctiss. theologis. denique tēpore Buceri in hac vrbe prædicatam, disputatam, receptā. Hoc perspicuum vobis fiet, si legeritis meas prælectiones, quas inter Acta habetis, tum de fine sæculi, tū de perseuerantia sanctorū. Secundo, si vel audire, vel legere volueritis Iudicia de iis thesibus, diuersarum Academiarum & Ecclesiarum per Germaniā, testimoniáq. doctorum theologorum, quæ attuli, quæ vt omnes intelligere possitis in vestram linguam vertendā curaui. Tertio idem perspicuum fiet, si volueritis legere disputationem, quæ iussu Senatus habita fuit in hac vrbe, annis ab hinc circiter 30. inter M. Bucerum, reliquósque ministros huius ciuitatis, & inter quendam Melchiorem Hofmannū, deinde impressa etiam fuit Germanicè. Nam quàm tùm defendit Capito, Bucerus & Hedio doctrinam, contra Hofmannum, in articulo secundo de electione, eam ego docui: & quam illic Melchior Hofmannus obtrudebat, eam nunc Melchior Speccerus palàm in concionibus defendit. Legitote & videbitis. Quartò, multò verò magis, si effeceritis, vt disputatio inter me & accusatores instituatur. Quod si hoc nolitis, mittite me ad quamcunq. velitis Academiam, siue in vestra Germania, siue extra Germaniam, vt ibi doctrina hæc discutiatur, & ego audiat, tùm intelligetis, an sit doctrina hæretica aut noua, néc ne. Est vetustissima in Ecclesia, & ne docti quidē, melioresq; Papistæ eam impugnant. Quod igitur attinet ad hāc doctrinæ partem: peto vt illā diligenter recognoscatis, non ex iudicio meorum accusatorū. Sunt.n. pars, neq. ex meo, nam & ego sum pars: nec ex iudicio vniusquantumuis magni viri: sed multorum verè piorum & doctorum virorum in Ecclesia. Omninò autem neces-

cessaria est, vel domi vel foris in Academiis, aut collocutio aut disputatio. Nam nisi audiatis non solùm aduersam partem me damnantem, sed etiam me me ipsum defendentem, dubia explicantem, incerta probantem, & obiecta diluentem difficile fuerit, vt veritas benè intelligatur. Atque hæc de doctrina illa, quam in thesibus damnarunt.

Quod si verò alia reprehēdunt in meis lectionibus, peto illa mihi dari: vt primò agnoscam, an mea sint, nécne: deinde respondeam. Si hoc facere detrectauerint, & me meámque doctrinā damnare perrexerint: protestor, illos non facere officium bonorum, multo minùs Christianorum virorum, ne quid grauiùs, modestiæ gratia, dicam.

Quod verò attinet ad alterum caput: partim audio de illorum concionibus & sermonibus partim ego ex ipsis Actis scio, multa mihi fuisse tùm voce, tùm scripto obiecta, quæ sunt calumniæ: quarum aliæ sunt apertæ admodùm, aliæ sophisticæ. Rursùs hic idem dico: dico mihi magnam fieri iniuriam, dum dicunt, me docuisse quæ non docui, & sequelas faciunt, de quibus ego nunquam cogitaui, vt traderent, & à quibus semper abhorrui. Tertiò illud repeto & postulo, vt Domini cognoscant, verane sint de quibus accusor. Referam calumnias aliquot, eásque præcipuas, quas scio.

Calumnia Marb. & sociorum in D. Zāchiū.

1. Traductus sui, quod docuerim, *nondum instare finem seculi*. Calumnia est. Docui, non posse sciri certo, quādo futurus sit. Forte citiùs, fortè etiam tardiùs futurum, quàm homines putent. Legantur meæ prælectiones.

2. Quòd docuerim, Antichristum, *de quo Daniel & Apostolus, non esse Pontificem Romanum, at vniuersum eius regnum & satellitium.*

Antichristi nomine quid in Scripturis intelligatur.

Calumnia est. Docui, nomine *Antichristi*, in Scripturis aliquando intelligi ipsum Antichristi regnum: aliquando ipsas personas, quæ regnum illud defendunt, præsertim verò eam, quæcunque illa sit, quæ in eo regnat, quocunque tempore regnet: aliquando verò ipsum postremum regem eius regni, qui κατ' ἐξοχὴν Antichristus appellatur, quod reliquos omnes superaturus sit malitia, hæresibus, tyrannide, hypocrisi contra Christum. Et de hoc Patres locutos fuisse.

Quoad regnum, docui: tam regnum Mahometæ, quàm Papæ; (quatenus scilicet eo continentur & defenduntur dogmata quæ pugnant cum doctrina Christi:) esse regna Antichristi.

Quod verò ad personas: omnes illos esse Antichristos, qui huiuscemodi regna tuentur.

Quod autem ad illum vltimum Antichristum, publicè in Schola nihil dixi, nisi iuxta sententias Patrum, tam Græcorum, quàm Latinorum, futurum quendam insignem nebulonem, qui reliquos omnes iniquitate & hypocrisi atque potentia superet. Legantur meæ lectiones de fine seculi, vbi præter alia hæc sunt verba: Deinde etsi verissimum est, regnum Papæ esse regnum Antichristi, ac ipsum, dum regnum illud tenet ac defendit, esse Antichristum negari tamen non potest *scilicet tanquam probabile*, quin sub finem seculi futurus sit quidam homo, qui cæteris iniquitate & impietate antecellat.

Priuatim verò dixi, & nunc publicè dico: illos hallucinari, qui ita restringunt nomen Antichristi ad regnum Papæ, vt extra regnum Papæ, non sit regnum Antichristi, & extra personam Papæ, non sint & esse possint in veris Ecclesiis, Antichristi. Apparet enim, multos esse Antichristos qui non sunt in regno Papæ: imò qui etiam

Antichristi qui sint.

sunt in veris Ecclesiis. Nam sic didici: Omnes illos esse Antichristos, qui oppugnant doctrinam Christi: præsertim, qui cùm sint in Ecclesia, quæ nomen habeat veræ Ecclesiæ, sub prætextu veræ Ecclesiæ & ministrorum Euangelij, apertam doctrinam Christi oppugnent, idque pertinaciter: vtut pro magnis viris, & sanctissimi doctissimique habeantur, siue ij sint in Germania, siue in Italia, siue in Hispania. Non igitur se palpitent, qui sunt extra regnum Papæ, quasi non possint ipsi esse Antichristi. Antichristus fuit Arius, qui negauit, Christum esse verum Deum. Antichristus fuit Nestorius, qui duas personas ponebat in Christo: Antichristus fuit Eutyches, qui confundebat naturas & proprietates naturarum in Christo. Antichristi fuerunt Pelagiani, qui dicebant, principium salutis esse à nobis, non à gratia Dei: qui negabant, ideo saluari homines, quia sint ad salutem prædestinati ex proposito Dei: & dicebant, omnibus ex æquo gratiam proponi: in potestate autem nostra esse, accipere eam, vel reiicere. Papistæ has hæreses non omnes sequuntur. Et non desunt extra Papatum, qui has defendant. Ergo etiam extra Papatum possunt esse & sunt multi Antichristi. Ideo Ioannes suo tempore, cùm nondum esset Papatus, dixit tamen: (Nunc autem Antichristi multi sunt;)

3. *Quòd, cùm doceo de Prædestinatione, ascendam supra cælos in secreta Dei, & inuestigem quæ sciri nequeant.*

Calumnia est. Nihil enim de Prædestinatione vnquam docui, sine verbo Dei, & Patrum testimoniis. Lectiones meæ, testes optimi esse possunt. Imò cùm veni ad argumenta prudentiæ carnis contra Prædestinationē; ibi exēplo Apostoli dixi, non esse audiendam humanam prudentiam contra verbum Dei, sed contra opponendum. *Tu quis es ô homo qui respondeas Deo.*

4. *Quòd omnium electorum & reproborum peccata, diuina adscribam Prædestinationi.*

Calumnia est. Docui, etiam ipsa peccata cadere sub Prædestinationem, quatenus scilicet quia Deus permittit peccata: conclusi, Deum igitur decreuisse permittere, & quia Deus quosdam excæcat & indurat: Deum igitur de-

Deus non est causa peccati.

creuisse, eos indurare. Omnem enim peccati pœnam, quæcunque illa sit, à Deo infligi. Omnem igitur peccati pœnam, à Deo fuisse prædestinatam. Sed peccatum, quatenus peccatum est, in Deum esse transferendum, perpetuò negaui & impugnaui. Prædestinatio enim est tantum eorum quæ facturus erat Deus. Deus autem non peccat, neque dat malitiam ad peccandum: sed contrà, punit peccata, verùm aliquando aliis peccatis.

5. *Quòd faciam Deum non solùm αἴτιον, sed etiam συνεργὸν peccatorum.*

Calumnia est. Docui semper Deum prohibere peccata. Imo ideò aliquid esse peccatum, quia prohibitum est à Deo. Non est igitur αἴτιος peccatorum. Docui etiam, Deum non peccare, nec posse peccare, neque etiam malitiam peccandi nobis indere. Non est igitur συνεργὸς peccati. Docui quidem & doceo, secundùm Scripturas, nullam esse actionem sicut in aliis creaturis, sic nec in homine, siue internam, siue externam, cui nō cooperetur Deus. Sic enim docent Scripturæ: *Deus operatur omnia in omnibus.* Item, *In ipso* (hoc est ipsius virtute & actione) *viuimus, mouemur, & sumus.* Nullus igitur motus, siue intellectus, siue voluntatis, siue animi, siue corporis, fieri in nobis, aut à nobis potest, qui non fiat virtute & actione Dei in nobis. Et Hebr. 1. Portátque omnia verbo virtutis suæ. Et hoc confitemur in symbolo, cùm dicimus: (Credo in Deum Patrem omnipotentem, creatorem cœli & terræ, visibilium omnium & inuisibilium.) Ita enim factorem confitemur, vt & conseruatorem, motorem, actorémque intelligamus. Et sic Patres omnes, & tota Ecclesia catholica, semper docuerunt.

Sed nullo modo consequitur inde: Deum igitur peccare vnà cum homine peccante, vel efficere, vt homo peccet: id quod est esse συνεργὸν peccatorum.

Quod si ipsi vestri concionatores nesciunt discernere peccatum quod est ἀνομία & priuatio rectitudinis in ipsa actione, ab actione ipsa; non proinde calumnientur me, quod faciam Deum συνεργὸν peccatorum. Est συνεργὸς τοῦ ἔργου, sed non peccati. Omne enim ἔργον, quà ἔργον, bonum est. Omnis autem boni autor est Deus. Imò ideò nos peccamus, quia actiones Dei in nobis, suapte natura bonas, nos nostra corruptione & malitia deprauamus, inficimúsque. Si puer scribendi ignarus, cuius manus à præceptore super papyrum ducitur, inter pingendum errorem admittat: erroris certè συνεργὸς non poterit dici præceptor, quia pueri manum ducat, sed puer tantum, quia manum præceptoris rectè ducentem, non vsquequaque sequitur. Deus sua omnipotente manu & actione, omnes creaturas mouet: sed vnamquamque secundum suam naturam. Deus igitur illius, quod in peccato bonum est, nempe actionis in se συνεργὸς est. Illius verò quod propriè malum est & peccatum, nullo modo συνεργὸς esse aut dici potest. Lutherus ipse in libro de Seruo Arbitrio, simile adfert equitis, qui claudum equum agit. Motus equi, συνεργὸς est eques. Claudicationis verò nequaquam. Et Bucerus præter alia loca in libro de Reform. Eccles. fol. 34. vulgatā Theologorum sententiam probat: (Omnem humanam actionem, ab actione Dei pendere.

6. Quod doceam: *Electi etsi peccent contra conscientiam: non tamen ita peccare, vt gratiam Dei, remissionem peccatorum, & Spiritum sanctum amittant, iram & mortem incurrant.*

Calumnia est grauissima. Talem propositionem, nemo vnquam ex me audiuit. Primùm. Si per peccatum contra

Peccata contra conscientiā.

conscientiam, intelligunt peccatum, quod Paulus vocat regnans: docui & doceo, illud non cadere in electos iam renatos. Regnat enim in illis Christus, non peccatum: & aguntur spiritu Christi, non à peccato: alioqui non essent Christi. Roman.8. & repugnant peccato, licet aliquando quodammodo succumbant pugnando.

Si vero intelligunt peccatum ex aliquo consensu, licet non pleno admissum, quomodo nonnunquam peccant Sancti: doceo & docui, Quantum in ipsis est, propter huiuscemodi peccata eos omninò gratiam Dei & Spiritum sanctum amittere, & iram Dei mortémque æternam incurrere: sed quia Deus huiuscemodi peccata, electis qui in Christo sunt, qui non secundùm carnem ambulant, nō imputat, Rom.8. &, sine pœnitentia sunt dona & vocatio. Rom.11. &, nemo potest eos rapere de manu Christi saluatrice: Ioan.10. &, Christus pro eis rogauit, ne deficiat illorum fides. Luc.22. &, Deus perpetuo conseruat in eis semen quo sunt regeniti: 1. Iohan.2. Iccircò docui, etsi iis suis peccatis sancti iram Dei contra se prouocent: non tamen eos penitus excidere ab illa gratia, id est, fauore quo illos in Christo complexus est & elegit in filios. Manere enim eos perpetuo filios Dei, quanquam sæpè immorigeros: & Deum perpetuò manere illorum patrem, quanquā sæpè illis infensum & iratum. Remissionem etiam peccatorum semel condonatorum non fieri in eis irritam: quia non potest fieri irrita, nisi per peccatum in Spiritum sanctum, seu per relapsum, qui relapsus non cadit in Electos. Etsi etiam suis grauibus peccatis Spiritum sanctum conturbant, fidémque labefactant & suffocant: non tamen vel illum penitus ab eis recedere, vel hanc penitùs in eis exstingui: quod Deus perpetuò iuxta suam promissionem & propter precationem Christi, semen in illis conseruet: & doctrinam hanc, tùm ad gloriam Dei amplificandam, tùm ad fiduciam in Deum in sanctis retinendam ac conseruandam, pertinere.

Quod vero dicunt, me docere *Sanctos iis peccatis nō incurrere in iram Dei*, aperta est calumnia. Deus enim irascitur peccatis omnibus & omnium, id quod flagella etiā contra sanctos, testificantur. *Et ipse ait*: Quòd si filij mei dereliquerint legem meam: visitabo in virga iniquitates eorum. Sed aliud est ira Dei: aliud odium. Deus Electis, cùm peccant, irascitur: sed eos nunquam odit: quia quos semel ad æternam vitam dilexit, perpetuò in finem vsque diligit.

Sancti peccantes an incurrāt in iram Dei.

Quare grauissima etiam & apertissima est calumnia, cùm dicunt, me docere, *Electos donatos semel vera fide, etiamsi peccent contra conscientiam, & viuant sceleratè, nūquam tamen amittere fidem.*

Primò ipsi addunt id quod ego nunquam dixi: nempè, etsi peccent contra conscientiam & viuant sceleratè. Imò præter alia argumenta, quibus probaui, Sanctos non amittere penitùs fidem, etiam hoc adieci: quod scilicet Sancti non admittant illud peccatum, propter quod solùm fides amitti possit, nempe peccatum regnans: sed semper eos peccare aut ex ignorantia aut ex infirmitate, nunquam ex animo, seu tota voluntate.

Deinde adimunt id, quod ego solitus eram adiicere, nempè, penitùs, prorsùs, omninò, in totum. Quo apparet, illos malitia me calūniatos fuisse, cùm de industria quædam meis dictis adiiciant, quædam detrahant.

7. *Quod docuerim, Dauidem, cùm adulterium & cædem fecit: sua mala voluntate non excussisse aut potuisse excutere Spiritum sanctum, quia in illis peccatis fuerunt actiones Dei.*

Calumnia est, & deprauatio meorum dictorum. Docui cùm Bucero & aliis piis doctisque viris, Dauidem non penitùs amisisse fidem & Spiritum sanctum cùm peccauit: non proptereà quòd ibi essent actiones Dei (est hæc ratio calumniosè addita) sed tùm quia ipse non peccauit tota & plena voluntate, verùm ex infirmitate fidei (vt Bucerus ait tam in Rom.7. quàm in libro de reformatione Ecclesiarum, & in Psal.1.) tum quia Deus semē fidei in illo seruare voluit, iuxta suam promissionem.

Quòd addunt: *Nec potuisse excutere*: si referunt ad Dauidem ipsum: calumnia est. Imò ipse ex se, non potuit, nisi excutere. Si ad Deum, verum est: quia Deo illam conseruante, nos illam excutere penitùs non valemus.

8. *Quod doceam licentiam, reddámque homines licentiosos.*

Calumnia est. Imò in secundum caput huius Epistolæ Ioannis, quam interpretabar, docui multis: duo esse studia, in quæ Christiano homini perpetuò sit incumbendum: primum, studium vitandi peccata, & seruandæ legis Dei, in illa verba, [Filioli hæc scribo vobis, vt ne peccetis.] Alterum, studium fiduciæ in Christum & per Christum in Patrem collocandæ, in illa verba, (Sed etsi quis, peccauerit, aduocatum habemus apud Patrem.) Et studia hæc duo ita esse coniuncta, vt alterum ab altero separari non possit. In ea verba, (In hoc scimus quòd cognouimus eum, si mandata eius obseruamus. Qui dicit, Noui eum, & mandata eius non seruat, mendax est.) Non sum, non sum, Domini, tam improbus aut imperitus voluntatis Dei in sacris literis reuelatæ vt vel velim, vel possim auditoribus fenestram vitiorum & licentiæ aperire. Vter vehemētiùs in vitia inuectus sit, D. Marbachius, an ego: iudicent, qui vtrumque audierunt. De me, meæ lectiones toti orbi patefacient, Deo volente, qualem doctrinam de moribus docuerim Argentinæ. Sed simul etiam semper hoc curaui, vt fiduciam in Deum firmarem.

Quare quod dicunt etiam, (Me facere homines securos istā doctrinā de Perseuerantia Sanctorum in fide.) Respondeo, Me cupere facere securos, non in carne & in seipsis: sed in spiritu & Deo. Et hanc securitatem inculcant S. literæ, imò Euangelium totum huc spectat, vt reddat nos securos de æterna Dei erga nos beneuolentia, ideóque de æterna nostri electione in Christo, de nostra redemtione, ideóque æterna salute per Christum, & quod, licet sæpè nos pro nostra ingratitudine deseramus Deum quantum in nobis est: Deus tamen propter suam certam electionem & promissionem, non deserat nos. Proinde de nobis semper esse metuendum. Vnde illud, *Qui stat, videat, ne cadat.* Sed de Deo semper debere nos esse securos, vnde illud, (Fidelis autem Deus est, qui non sinit vos tentari suprà quàm ferre potestis.)

Quod sit discrimen inter securitatem carnis, & spiritus.

Distinguant igitur securitatem spiritus à securitate carnis, Quod si qui securitate spiritus abutuntur ad securitatem carnis, vitio ipsorum id fit, non meo. Etiam tempore Apostolorum multi libertate spiritus abutebantur ad libertatem carnis, vt est in Epistola ad Galatas & alibi, id quod etiam nunc fit. Nunquid igitur non debemus prædicare libertatem spiritus & Euangelij?

9. *Quod de prædestinatione doceam, ita esse certum numerum electorum, vt licet viuant sceleratè, necessario tamen saluentur, & reprobatorum, ita, vt licet omnia bona Sanctorum opera faciant, non possint tamen saluari.*

Calumnia est, Docui quidem, esse certum numerum electorum ad æternam vitam, qui necessariò saluentur, & certum numerum reprobatorum, qui damnentur necessariò, quia hoc tradunt sacræ literæ, Augustinus, Lutherus, Bucerus, & alij. Et ratio est aperta. Certi enim quidam saluantur, & certi quidam damnantur, non enim omnes saluantur, nec damnantur omnes. Ergo Deus decreuit ab æterno, certos quosdam saluare pro sua misericordia, & certos quosdam damnare iusto suo iudicio, Et quia hoc infallibiliter fit, icircò necessariò fieri.

Cæterùm illam particulam, (Etiamsi vel malè illi viuant, vel isti optimam ducant vitam.) non solùm nunquā adieci, sed etiam refutaui, tanquam ἀσύστατον Diuisionis. Qui enim ita argumentantur, separant ea quæ non sunt separanda, nempe studium bonorum operum à Prædestinatione ad vitam, & à consecutione salutis, cùm sint eius effecta & viæ ad eam. Paulus enim, qui ait, Nos esse electos ad æternam vitam, ait etiam, nos esse electos ad hoc, vt essemus sancti. Item, Nos creaturā Dei esse, [creatas in operibus bonis, quæ præparauit Deus, vt in illis ambulemus.] Ephe.2.

Quare ita semper solitus sum retorquere hoc argumentum Diaboli. Ille ait, Si tu es prædestinatus, saluaberis, etiamsi omnia mala agas. Si non es prædestinatus, non saluaberis, etiamsi omnia bona feceris. Docui ita esse respondendum. Imò si sum prædestinatus ad vitam, debeo igitur ambulare in via prædestinatorum, quæ via est fides & studium bonorum operum. Ita saluabor. Qui enim prædestinati sunt ad finem, etiam ad media sunt prædestinati. Atqui credo & teneor credere, me esse prædestinatum ad vitam æternam, cuius etiam rei multa in me sentio testimonia. Ergo debeo & volo ambulare in fide & studio bonorum operum. Et huc spectant quædam Lutheri dicta, quæ in me torquent, sed non intelligunt.

Scio quidem Brentium fuisse vsum in hac locutione sua

sua exegesi in Iohan. cap. 15. fol. 260. ibi enim scribit: *Si spectetur diuinum caput, & Dei immutabilitas: reprobos non posse saluari, etiamsi omnia opera sanctorum faciant.* Vsque adeò irretractabilis est sententia Dei. Verùm ego tali locutione nunquam vsus sum: neque etiam vterer.

10. *Quòd statuam, Deum damnare quosdam in aeternos cruciatus, & damnare decreuisse, non propter ipsorum peccata: sed ex suo solius placito.*

Calumnia est. Docui perpetuò neminem damnari sine causa: & causam proximam, in ipso qui damnatur, esse nempe peccatum, saltem originale, vt in pueris infidelium. Sed reprobationem tantùm factam fuisse ab aeterno à Deo, sine vllo operum malorum respectu, vt docet Paulus ad Rom. 9.

Reprobatio à damnatione est distinguenda. Distinguant igitur reprobationem à damnatione, seu decretum non miserendi, à decreto condemnandi, & me non calumnientur.

11. *Quòd ego doceam, impietatem creari à Deo.*

Calumnia est. Docui, homines etiam impios creari à Deo, iuxta illud: *Omnia creauit propter semetipsum Dominus, etiam impium ad diem malum.* non autem ipsam iniquitatem. Haec enim primo per traducem in nos deriuatur ab Adamo: Deinde per Satanam accenditur atque augetur. Iniquitas enim, quatenus iniquitas, à Deo nullo modo est, aut esse potest, cùm sit ipsum summum bonum.

12. *Quòd, cum dico, Deum permittere peccata, ita doceam, eum permittere peccata, quasi per hanc permissionem nobis liceat peccare.*

Calumnia est. Doceo: Deum permittere peccata, quatenus scilicet non vult impedire, cum possit: non autem permittere, id est, concedere. Lege enim semper prohibet peccatum.

13. *Quòd doceam, praescientiam Dei solam causam esse simpliciter rerum omnium & euentorum.*

Calumnia est sophistica. Si praescientiam capiant pro simplici notitia, vt verbi gratia, qua Deus nouit, se posse creare alterum mundum: nunquam docui, eam esse causam euentorum omnium. Requiritur enim necessariò voluntas Dei. alioqui, contigisset, & contingeret, quidquid simpliciter nouit.

Si verò nomen praescientiae capiant, quatenus coniungitur cum illa voluntas Dei (praescientia enim est propriè earum rerum, quas vel ipse Deus facit, vel fieri permittit) dico praescientiam esse causam euentorum omnium, sed ita tamen, vt causae secundae & proximae non excludantur. Nihil enim fit in mundo, quod Deus vel non agat ipse: vel volens non permittat fieri per causas secundas. Non est itaque simpliciter causa, sed vna eaque prima causa.

14. *Quòd ego doceam:* Ita promissiones de aeterna salute ad electos tantum pertinere, vt cum Christus ait, verbi gratia: Venite ad me, omnes qui laboratis & onerati estis: & ego reficiam vos. non vocet omnes sed tantùm electos, nec omnibus promittat salutem, sed tantùm electis.

Calumnia est. Doceo, omnes vocari ad Christum: & omnibus offerri promissiones: sed neque omnes venire, neque omnes promissionum complementum consequi: quia non omnes trahuntur ad Christum. Nemo autem potest ad Christum venire, nisi trahatur à Patre. Ij verò sunt tantùm electi ad hoc. Proinde promissiones esse quidem vniuersales: sed in solis electis habere suum complementum.

15. *Quòd ponam in Deo odium quoddam ergo reprobos* (quasi affectum quendam contrarium affectui amoris) *quod odium Deus nolit placari filij sui iudicio, nec eius sanguine.*

Odiū Dei, quid sit. Calumnia est. Primùm, in Deo nullum pono odij affectum. Sed odium Dei docui nihil esse aliud, quàm propositum non miserendi, non benefaciendi, ac saluandi in vitam aeternam: & Deum aliquem ab aeterno odisse, nihil aliud esse quàm Deum ab aeterno decreuisse nolle alicuius misereri, sed in suis peccatis eum deserere, & proinde illum iustè punire.

Illis vero inauditis verbis: *Deum nolle, vt odium suum placetur sanguine Christi,* nunquam vsus sum. Docui quidem, propositum Dei, siue miserendi, siue non miserendi, mutari non posse, sicut scriptura docet: *Ego Deus, & non mutor*: sed illa verba portentosa, nullus vnquam ex me audiuit.

16. Quòd affirmarim: *filium Dei velle suam supplicationem esse inanem.* Quae ista est horrenda calumnia? Imò docui, etiam in ea Epistola Ioannis, quam interpretabar, Christum pro suis tantùm electis orasse, Ioan. 17. cum dixit: *Non rogo pro mundo*: & nunc etiam in coelo, pro ipsis tantùm intercedere: & ipsius intercessionem esse efficacem, & exaudiri à patre: & proinde electos non posse perire. Inanis esset, si pro reprobis supplicasset & supplicaret Patri: cùm in ipsis neque passio, neque merita, neque supplicatio Christi, vim & effectum suum consequantur. Sed proinde non est inanis, quia pro ipsis tantùm electis, qui erant in se credituri & credunt, ita orauit & orat, vt etiam exorauerit atque etiam perpetuò exoret.

17. *Quòd fingam:* Deum tanquam inexorabilem & rigidum iudicem, e tabulis damnationis nomen reproborum nunquam expungere, neque ipsis vllam gratiam praestiturum.

Calumnia est. Tam rigidis verbis vsus nunquam sum. Imò docui: Deum suapte natura clementissimum esse & exorabilem: sed in Christo tantùm. Cùm igitur Reprobi non sint neque electi in Christo, neque donati Christo, neque credant per Christum, neque iustificati in Christo: propterea neque glorificantur: sed ituros ad eum locum, ad quem sunt destinati: sicut & de Iuda legitur in Actis: *Ideo eum praeuaricatum fuisse, vt abiret in locum suum.*

Quod verò fingam, Deum nullam gratiam praestiturum reprobis: nimis impudens est calumnia. Quasi vero nesciam, Iudam, Saulem, & alios reprobos egregiis multisque gratiis donatos fuisse, & quotidie donari: Sed gratiam specialem, nimirum eum fauorem Dei ad aeternam vitam, tùm gratiam regenerationis reprobis ne ipsa non praestari, etiamsi per Euangelium offeratur, dico & affirmo cum sacris literis, & res ipsa confirmat. Ipsi enim neque regenerantur neque saluantur.

18. *Quòd doceam* falsum esse, dicere, Omnes esse praedestinatos, si credant.

Calumnia est sophistica. Si de ipsa Praedestinatione in se loquamur, docui, illam non fuisse factam cum conditione *SI.* quasi sic Deus intra se dixerit: Ego praedestino omnes, si crediderint. Proinde falsum esse dicere, omnes esse hac conditione praedestinatos ad vitam: Si crediderint. Praedestinationem enim esse firmum & absolutum Dei decretum quosdam saluandi ad aeternam vitam, &, vt possint saluari, eos redimendi per Christum, vocandi, trahendi, donandi fide, operibus bonis fidei, denique perseuerantia in fide. Praedestinatio quid.

Si vero loquamur de effectis & notis praedestinationis, docui: omnes illos esse verè praedestinatos, qui vera in Christum fide praediti sunt & hac nota illos discerni à non praedestinatis. Nego igitur, Praedestinationem ipsam esse conditionalem, nego, causam Praedestinationis esse fidem nostram. Affirmo autem, fidem effectum esse & notam praedestinationis. Quo sit nota praedestinationis.

Proinde etiam calumnia est nimis aperta, quod dicunt, *me negare fidem esse notam Praedestinationis.*

19. *Quòd defendam Stoicam necessitatem.*

Calumnia est. Stoica necessitas est ex inuariabili secundarum causarum ordine. Christiana autem, ex immutabili Dei decreto. Hanc defendo, non illam.

20. *Quòd ponam in Deo contrarias voluntates.*

Calumnia est. Vna tantum est voluntas Dei in se, quia est tantum vnus Deus volens. Caeterùm Deum contraria velle, sed diuersa ratione: nempè aliquid absolutè & simpliciter, aliquid tantùm ex conditione manifestum est. Absolute vult, electos saluos fieri. Ideo dat illis etiam quaecunque ad salutem sunt necessaria, vnde & saluantur necessariò. Conditionaliter verò vult, vt alij omnes, etiam reprobi saluentur, si ipsi velint credere & obedire legi diuinae: & hoc illis significatur per praedicationem verbi. At quia nec Deus vult donare fidem, nec ipsi ex se credere possunt, propter innatas tenebras & infidelitatem: ideo non possunt saluari. Vult igitur Deus, reprobos absolutè non saluari: & haec voluntas impletur. Vult verò eos saluari ex conditione, si ipsi velint & possint credere: & haec sola, in nullo impletur. An Deus contraria velit.

Si quis hos diuersos volendi modos, diuersas appellet voluntates fateor, me has ponere in Deo. Sed si loquatur de ipsa voluntatis essentia: nego, me duas ponere in Deo voluntates: alioquin esset ponere duos Deos.

Atque hæc etiam est doctrina Lutheri & Buceri post Augustinum: cùm scribunt de Deo reuelato & abscondito, seu de voluntate reuelata & non reuelata.

21. *Quod dicam*: Deum quando vocat reprobos, aut aliquid promittit reprobis: illis illudere, quia illos nolit ad se venire, nec illis, quod promittit, dare.

Respondeo. Deum vocare etiam reprobos, & mandare, vt ad se veniant, salutémque illis promittere, si velint, manifestum est. Omnes enim vocat per verbum. Et hæc est voluntas conditionalis. Eundem tamen nolle absolutè & simpliciter, vt veniant & saluentur, etiam manifestum est: quia si simpliciter hoc vellet, etiam fieret, iuxta illud Prophetæ, *Omnia quæcunque voluit, fecit*. Item iuxta illud Iesaiæ: *Consilium meum stabit: & voluntas mea fiet*. Nec tamen Reprobis illudere, cùm eos vocat, etiam manifestum est: Quia si velint & possint venire, sicut ab illis exigitur: profectò recipientur & seruabuntur. Culpa igitur in ipsis est. Atque hoc satis est ad hoc, ne Deus dici possit cuipiam illudere. Exemplo sunt primi inuitati ad cœnam. Si enim venissent: fuissent recepti. Quòd verò alios iusserit compelli intrare (quo verbo indicat: illos quoque recusaturos fuisse, nisi fuissent compulsi intrare:) gratia fuit specialis. Hac vtitur erga electos. Compellit enim illos quodammodo intrare, dùm de nolentibus facit volentes. Hac non dignatur reprobos: nec tamen illudit eis, cùm vocat: quia per ipsum non stat, quin veniant & seruentur, si velint. Sed defectus est in illorum voluntatibus. Ille dicitur illudere: qui aliquem ad cœnam inuitat: & posteà, si venit, repellit. Non sic facit Deus.

An Deus reprobis illudat eos vocando ad vitam æternam.

Illudere quis dicatur.

Calumnia igitur est, me docuisse: Deum reprobis illudere, cùm vocat aut promittit.

22. *Quòd, cùm dico in thesi*: sacramenta, verbi gratia, Baptismum, esse externum, visibile, & Solubile vinculum: nihil aliud intelligam: quàm illud non requiri ad regenerationem necessariò, sed solam occultam electionem & afflatum arcanum Spiritus sancti sufficere.

Me illis verbis hoc intellexisse, calumnia est. Verba mea sunt perspicua. Baptismum verò aquæ non ita necessariò requiri ad salutem, vt electionem & Spiritum Christi, doceo. Sine illo enim multi seruati sunt: sine istis nemo seruari potest. At non sequitur, me sentire, Baptismum nullo modo esse necessarium: ideóque contemnendum.

23. *Quòd doceam, neminem posse resistere Spiritui sancto.*

Calumnia est. Quasi verò non legerim istud Stephani in Actis: Vos semper Spiritui sancto restitistis. Possunt omnes resistere suapte natura. Sed ita efficax est in electis Spiritus, vt non sinat illos prorsùs & perpetuò reluctari.

24. *Quod doceam*: Spiritum sanctum, cùm trahit, quasi vim illis facere.

Calumnia est. Vis non fit voluntati: sed suauiter, verùm efficaciter, illam trahit Spiritus sanctus, faciens de nolente volentem.

25. *Quòd abducam homines à Christo & patefacto suo Euangelio, doctrina de Prædestinatione.*

Quæ est ista calumnia? Quasi ego doceam: quempiam esse prædestinatum ad vitam sine Christo; & doceam, homines debere extra Christum, & Euangelium contemplari electionem sui.

26. *Quod doceam*: reprobos per potentiam Dei compelli in peccata.

Si intelligant *compelli*, id est, cogi, calumnia est. Sed si *compelli* accipiant pro *Induci* (vt Christus) & Tradi (vt Apostolus loquitur;) verum est. Et Augustinus vsus est hoc verbo, *Per Dei potentiam impelli*. Et ideò in oratione Dominica dicimus; [Ne inferas nos in tentationem;] Idem est quod impellas.

27. *Quod doceam*; decreto æterno interposito, aliquos prohiberi, ne ad Christum accedant.

Quasi verò ipsi homines velint & possint ad Christum accedere, nisi à Deo decreto suo impediantur. Doceo; quicunque volunt accedere, ideóque accedunt ad Christum: ieicircò accedere, quia trahantur à patre suo Spiritu ad Christum: & proinde quia prædestinati fuerant ad hunc patris tractum. Si qui autem non accedunt, proptereà non accedere: tùm quia nesciunt (animalis enim homo non percipit quæ Dei sunt) tùm quia nolunt (est enim corrupta illorum voluntas:) ideóque non possunt (nemo enim potest venire ad me, nisi pater traxerit) ad Christum accedere. Vitio igitur suo, non autem decreto & voluntate Dei interposita: fieri, vt non accedant.

Etsi aliquando cum Scripturis dixi: Reprobos ideò nō venire & in illum non credere, quia non sunt ex ouibus, id est, quia non sunt ad hoc prædestinati: non ideò hoc dixi, vt culpam in Deum transferam: quasi ipsi potuissent venire: nisi Deus sua Prædestinatione illos impediuisset: sed ideò cum Scripturis ita loquor, vt ostendam, adeò corruptam esse in Adamo humanam naturam, vt, nisi Deus sua gratia illos trahat: ac proinde nisi decreuerat ab æterno in sua Prædestinatione illos trahere: nullo ipsi modo ad Christum venire & saluari possint. Hoc autem docendo: non transfertur culpa in Deum, trahere nolentem (neque enim tenetur vlla lege, homines trahere:) sed in ipsum hominem, venire suo vitio nescientem, detrectantem, non valentem. Iubetur enim venire: & non venit.

Atque hinc patet solutio ad illam calumniam, vbi dicunt, me docere: reprobos ita à Deo efficaciter ad peccata compelli, vt non possint non peccare. Quasi verò ipsi per se possint non peccare: nisi à Deo impediantur, & vi ad peccandum adigantur. Quòd homo peccat; habet ex se, atque ex innato ab ortu vitio, non autem à Deo, vt est apud Hoseam: Perditio tua ex te Israel est.

28. *Quod sentiam*: Deum nihil velle ex animo reprobis conferre.

Quasi verò inuitus conferat in illos quæcunque beneficia confert.

29. *Quod doceam*: Deum velle peccatum: & id non otiosè: sed efficaciter.

Calumnia est. Huiuscemodi verbis nunquam sum vsus. Deum velle peccatum, hoc est, eo delectari, vel homines non potuisse & non posse peccare, nisi Deus malitiam peccandi eis indat, vel denique omnibus mandare, vt peccent, esse blasphemiam perpetuò docui. At Deum velle peccatum, hoc est, primò voluisse & velle permittere: deinde etiam velle peccatum, quatenus est pœna peccati: doceo cum Augustino & Bucero.

30. *Quod cuidam dixerim*: reprobos ita necessariò peccare, vt sol lucet. Dico; me nullo modo meminisse huiuscemodi locutione vsum fuisse vel publicè, vel priuatim. Sed si vsus sum: nego, me illam non declarasse in hunc sensum: Quòd, sicut sol talis est naturæ, vt non possit non lucere: ita reprobi atque impij sint naturæ talis, hoc est, tam malæ, vt non possint non peccare. Et hoc est necessariò lucere: & necessariò peccare. Docent hoc scripturæ. *Arbor enim mala, non potest bonos fructus facere*. At discrimen est. Quia sol talem naturam, ideóque talem lucendi necessitatem, accepit à Deo. Homo autem corruptam hanc naturam, ideóque peccandi necessitatem, accepit ab Adamo.

31. *Quòd doceam*: ex eodem æterno Dei consilio, duos contrarios riues effluere, alterum illuminationis, alterum excæcationis.

Calumnia est. Talibus locutionibus vsus numquam fui, Quasi verò ponam in Deo & lucem & tenebras, cùm Apostolus, quem interpretabar, dicat, *Deus lux est: & tenebræ in eo sunt nullæ*. Si quis illuminetur, illuminatur à Deo, pro ipsius misericordia. Si quis excæcatur, excæcatur à Deo pro suo iusto iudicio in pœnam præcedentis peccati. Omnis enim pœna à Deo est, quia Ipse est solus qui mortificat & viuificat: qui deducit ad inferos & reducit.

32. *Quod, quia doceo*: duplicem esse rationem Euangelij docendi, vnam externam per ministerium hominum: quæ si sola sit, inefficax est: alteram internam per ministerium Spiritus sancti: inde sophisticè concludunt, me statuere duo Euangelia, idque more Suenckfeldico.

Apparet calumniam esse sophisticam. Illam duplicem docendi rationem vnam per ministerium hominum tantùm, alteram per ministerium etiam Spiritus sancti: si ipsi negant, negant apertum verbum Dei.

Electi etiam in atrocissima peccata labantur.

33. *Quod negem*: electos in atrocissima scelera ruere posse.

Calumnia est. Quasi nesciam & non doceam: Dauidis scelera, adulterium & homicidium, fuisse atrocissima & grauissima. Doceo, in electos non posse cadere peccatum in Spiritum sanctum, alioqui damnarentur. Doceo, in sanctis renatis, non esse peccatum regnans, seu, non regnare

gnare peccatum: quia ibi regnat Christus, & Satanas electus est foras. Sed quin in varia & nonnunquam grauissima peccata cadant: nunquam sum inficiatus, nec possum inficiari. Sed sunt tamen semper lapsus, ideòque contra spiritus, & animi propositum. Est enim discrimen magnum, inter proiicere se in lutum, vt faciunt sues: & inter labi in lutum, vt munditiei quoque studiosissimis, iisdémque robustiss. hominibus contingit. Illo modo peccant reprobi: hoc verò pij electi.

34. *Quod doceam*: quando Dauid adulterium & cædem admisit: eos illius & voluntatem non consensisse in illam cædem & adulterium.

Calumnia est grauissima. Docui & doceo, quando pij electi peccant, numquam ex animo, hoc est, plena voluntate eos peccare: quia quotiescunque sancti ex consensu peccant, etsi partim, hoc est, secundum carnem & voluntatem carnis volunt peccatum: tamen partim etiam, hoc est, secundum spiritum & spiritus voluntatem, nolunt peccatum: sicut Apostolus docet Rom. 7 & post Augustinum, aliósque doctos viros, Bucerus in illud Rom. 7. & in Psal. & in 12. Matthæi. & in libro de Reform. Eccles. & alibi sæpè. Ac proinde neque Dauidem, cum illa admisit alioqui grauissima scelera, neque Petrum, cum negauit Christum, ex animo & tota voluntate peccasse, quemadmodum specialim de iis duobus & Patres & Bucerus ipse cùm multis in locis, tum in 7. Roman. & in libro de reform. Eccles. docuit. Aliud igitur est consentire in peccatum: aliud plena voluntate consentire. Aristoteles ipse in Ethicis tradit Nautam, cùm propter tempestatem merces proiicit in mare, hoc facere partim *ἑκόντα*, partim *ἄκοντα*, id est, partim volentem, partim nolentem: quod Latini dicunt, non ex animo, id est non plena voluntate, seu non tota voluntate.

Ac certum est, electos renatos, antequam peccent, odisse peccatum & malle mori quam peccare, postquam peccarunt, dolere & odisse peccatum. Cùm peccant: peccare non enim odio legis, aut contemtu Dei, sed ex infirmitate fidei. Exemplum in Petro. Non igitur peccant plena voluntate vt reprobi faciunt.

35. *Quod doceam*: Electos non esse carne renatos, atque ita violem Baptismi & Spiritus sancti virtutem.

Calumnia est, profecta ex crassa ignorantia horum nominum *carnis & spiritus*. *Carnem* vocant scripturæ totum hominem, tam animam quam corpus quatenus vtrumque ab Adamo corruptum natum est. Eundem totum hominem vocant *Spiritum*: quatenus vtrumque ex spiritu Christi renatum est, & perpetuo magis ac magis vtriusque renascentia perficitur.

Cùm igitur docui: electos non esse renatos carne, iuxta Scripturas declaraui, eos nondum esse plenè renatos, nempe quod ad carnem, id est, quò ad illam partem, quam etiam ex Adamo adhuc retinent. Electos enim iustificatos, in hac vita perpetuò constare spiritu & carne quæ etiam ambo perpetuò pugnant inter se. Vnde etiam fit, vt numquam peccent, tota voluntate: quia semper contra peccatum pugnant. Sed aliquando in pugna superior est caro: al. quando spiritus: Numquam autem penitus expugnantur in hac vita: sicut caro à spiritu: sic nec spiritus à carne.

Electi non perfectè in hac vita regenerantur.

Hinc etiam apparet calumniam esse, cùm dicunt: *me etiam Baptismi & Spiritus sancti virtutem violare*. Quòd enim Electi in hoc mundo non perfectè & plenè regenerentur: id non fit vitio Baptismi, aut imbecillitate spiritus: sed dispensatione diuina.

36. *Quod tollam discrimen peccatorum, dum à Renatis nego admitti peccatum mortale.*

Calumnia etiam est, ex ignoratione, quid propriè in scripturis sit & appelletur *Peccatum mortale*, profecta. Duplex huius vocis in Scripturis significatio est.

Peccatum mortale quomodo dici possit.

Prima. *Omne peccatum*, quodcumque illud sit, *Mortale* dici potest. Quia, licet vnum sit alio grauius: omnia tamen suàpte natura sunt digna morte.

Cæterùm quia peccata electis condonantur, nec imputantur ad mortem: ideò respectu personarum quæ sunt in Christo: peccata ab ipsis admissa, mortalia dici non possunt. Quare in Renatis & vera fide præditis, omnia sunt venalia in reprobis, omnia mortalia.

Peccatum in Spiritum sanctum in electos non cadit.

Altera. Peccatum ad mortem, specialim appellatur ipsum peccatum in Spiritum sanctum. Hoc autem peccatum in electos cadere non potest: quia non remittitur, & proinde qui hoc admittunt, seruari amplius nequeunt, quia nec resipiscere possunt.

Etsi igitur nego: & hoc peccatum ab electis admitti posse, & peccata, in quæ pij electi labuntur, esse in ipsis mortalia: non tamen inde sequitur, me igitur tollere discrimen peccatorum. Non sum Stoicus, sed Christianus. Et facio primùm, discrimen inter peccatum *Originale* & *Actualia*. Deinde facio discrimen inter ipsa *Actualia*, quatenus vnum est grauius alio, tùm in se, quia grauius est peccatum, occidere hominem, quam tantum odisse: tùm propter diuersas circumstantias, quia grauius est peccatum, peccare ex malitia & animo obstinato, quàm ex infirmitate, aut ignorantia. Tertio, facio discrimen inter peccatum *in spiritum sanctum* & reliqua peccata: quia hoc secum adfert impœnitentiam, & ideò est irremissibile: alia non item. Quarto, differentiam constituo inter peccata *piorum & impiorum*. Sunt enim multæ inter hæc peccata differentiæ.

Postremò, discrimino peccatum piorum, quod in ipsis est, etsi non regnet, ab his quos motus inordinatos appellant, & ab his quæ ex aliquo consensu admittunt.

Neque verò ex eo, quod dixi peccata in piis electis semper esse venalia, aliquis pius rectè inferre poterit: [Ergo possumus scortari, inebriari, furari, quia omnia peccata in piis electis sunt venalia.] Nam si quis hoc inferat: declarat, se non esse ex illorum piorum electorum numero. Pij enim talem consequentiam non faciunt, neque talia peccata cum ista consequentia & hoc animo admittunt. breuiter pugnant hæc ex diametro cum illo spiritu Christi, quo donati sunt & quo aguntur filij Dei, non secus atque pugnat cum spiritu veri, legitimi, & virtutem honestissimi patris edocti filij, si ex eo, quod audit, se à Patre amari, et nullam ob causam velit se exhæredare, inde inferat: Ergo proiiciam me in omnia scelera, etiamsi Patri displiceant. Quia nihil mihi poterit ad damnationem nocere. Non possunt veri, & tamen prædicti filij hoc facere. Et si qui faciunt, non sunt veri filij.

37. *Quod negem*, Sanctos, cum peccant, in diuinam mortis æternæ sententiam incurrere.

Calumnia est. Etsi enim doceo: Sanctos cùm peccant, quia non peccant ex animo seu tota voluntate, non amittere penitùs fidem, Spiritum sanctum, & excidere prorsus à Christo, non ideò tamen sequitur, iuxta hanc doctrinam, sanctos non grauiter. Deum offendere, non Dei iram contra se prouocare, non fieri, quantum in ipsis est, reos æternæ mortis, ac proinde non opus habere resipiscentia, & nouo suæ fidei, quæ intùs quasi suffocata latebat, actu ad huius peccati remissionem cõsequendã. Nam etiam qui in aliquem inciderunt morbum, eúmque lethalem, etsi medicus dicat, illos nondum esse mortuos, nec morituros non inde tamen sequitur, illos igitur non opus habere medicina, ad pristinam valetudinem consequendam. quam medicinam si negligãt, pereant tandem, necesse est. Sed Dominus facit, ne sancti hanc medicinam negligant. Statim enim post peccatum illis adest, & excitato in illis consopitæ fidei igne facit, vt reualescant. Atque hæc est caussa, cur electi perire nequeant, non quia non incidant in lethales morbos, sed quia Dominus, vt optim. medicus & amantiss. Pater semper illis adest, & ne pereant, succurrit: propter Christum, iuxta illud etiam Dauidis. [Iustus cùm ceciderit, non collidetur. Quia Dominus supponit manum suam.]

Electi cur perire nequeant

38. *Quòd*: quia dico, promissiones vniuersales de æterna salute: ipsa ad electos tantùm pertinere, inde ego doceam, Deum aliud loqui, & aliud sentire, atque ita Deum mentiri.

Calumnia est sophistica, vt ex suprà dictis patet.

39. *Quod ego grauissimis conuitiis insectet illos, qui à me dissentiunt in eo, quod dico, promissiones vniuersales re ipsa tantùm ad electos pertinere.*

Calumnia est. Ego enim non solitus sum conuitiis quenquã insectari, etiamsi aliqua in re à me dissentiat: quemadmodum & auditores mei testificari possunt: & meæ scriptæ lectiones confirmatae. Vtinam ipsi tam abstinerent à conuitiis in me, & alios doctos viros, quàm ego abstineo à conuitiis in ipsos.

40. *Quod doceam voluntatem Dei non esse ex verbo cognoscendam: sed semper ad occultam illam recurrendum.*

Calumniam esse, id conuincit: quod perpetuò vrgeo verbum Dei: & à scriptis hominum, reuoco ad sacras literas.

41. Quòd contendam: *causam prædestinationis, nempè voluntatem Dei: nobis esse incognitam & non reuelatam.*

Ego docui, voluntatem hanc, quod scilicet voluerit ex toto hominum genere, quosdam ad æternam vitam eligere ac prædestinare, alios autem reprobare, ideóque ad æternam mortem præfinire, in Scripturis esse reuelatam. At verò voluntatem hanc, nempè quosnam ad vitam aut mortem prædestinarit, non esse in Scripturis simpliciter de singulis reuelatam: sed tantùm ab effectis prædestinationis probabiliter indicatam.

42. *Quòd in doctrina prædestinationis & perseuerantia sanctorum in fide, infinitos, ac inextricabiles labyrinthos habeam, & dogmata.*

Si vident Pastores, me esse in Labyrinthis inextricabilibus, præsertim tam periculosis: deberent igitur me ex illis extricare. Cùm autem hoc facere detrectent, etiam rogati, declarant, vel non esse verum quod dicunt, vel se nullo duci charitatis affectu.

Caluini laus.

43. *Quòd verò dicunt me sequi Caluinum magistrum meum, ita vt ne latum quidem vnguem ab eius dictis, scriptisve discedam:*

Hæc in re satis apertè depromunt odium vel inuidiam potiùs, qua contra illum sanctum virum feruntur. Quamobrem verò: non dicam ego, sed quisque cogiter. Hoc tantùm dico de illo & similibus hominibus: Mundum nimis ingratum esse in Deum, & indignissimum tantis beneficiis, quæ per hæc sua organa in nos confert. Lutherus, Bucerus, Philippus & omnes præstantes viri in Germania (vt de exteris taceam) habuerunt hoc Spiritus sancti organum in summa reuerentia. Nunc autem iuuenis & indoctus quisque, audet de illo, quia est Gallus, absque vlla reuerentia loqui, perinde ac si esset pater omnium hæreseon. Nam ego in Ecclesiarum istarum doctoribus plerisque video tantùm carnis, quantum nunquam credidissem me inuenturum. Non spectantur res, sed personæ: non quid quisque dicat, sed quis dicat: nòn an quis sit Christianus, pius, doctus, verum cuias sit.

Deinde cùm dicunt: *me ab illius dictis non discedere, ne latum quidem vnguem:* confitentur igitur, non me solum esse hæreticum: sed meeum tollam Galliam, & quicunque talem doctrinam sequuntur. Dominus cicurer, quicunque veterem feritatem nondum potuerunt. Cùm deberet vnusquisque tam Germanus & Hispanus, quàm Italus atque Gallus, regno Galliæ tùm ob receptum Euangelium: tùm ob datos illi tam egregios Christi seruos atque ministros gratulari: non desunt verbi ministri, qui tum vniuersam illam gentem, tum præcipua in ea gente Spiritus sancti organa non cessent odiosissimis nominibus lacessere. In quem finem hæc faciat Satan, non video alium, nisi vt inchoatus Euangelij cursus impediatur. Sed portæ inferorum, non præualebunt aduersus Christi Ecclesiam.

44. *Quòd abutar autoritate Buceri, aduersus ministros Argentinensis Ecclesiæ.*

Calumnia est. Vtor autoritatibus, hoc est, locis Buceri, non ad Pastores accusandos, sed ad sanam veterémque huius Ecclesiæ doctrinam defendendam.

45. *Quòd non satis sit, me aliorum erroribus esse infectum: nisi etiam ipse noua monstra gignam.*

De Antichristo.

Proferant vel vnum monstrum, tum respondebo. Si monstrum appellant dogma de Antichristo: monstrum hoc non ego genui, sed Patres tam Græci quàm Latini simul vno partu.

46. *Quòd habeam in delicijs, Domini Lutheri, & aliorum præceptorum suorum* [illegible] *rectè dicta & scripta carpere & audacter cauillari.*

De fine ???.

Calumnia est. Primùm, nunquam dictum aliquod Lutheri aut alius alicuius insignis viri & de Ecclesia benè meriti in Schola recitaui, sine ipsius autoris laude. Deinde apparet, quibus sit in deliciis horum præceptorum dicta carpere, mihi, an illis, si quis conferat horum & meam doctrinam de Prædestinatione, cum doctrina Lutheri in libro de Seruo arbit. & Buceri in Epist. ad Rom.

47. *Quòd, cùm Apostoli suum tempus, quo docuerunt, nouissimam horam finémque omnium rerum & sæculorum rectè nominarint: Ego præpostera ratione nostram ætatem, quæ Apostolorum 1500. annis consecuta est, procul adhuc à fine mundi collocem.*

Calumnia est apertissima. Legantur meæ lectiones.

48. *Quòd, quia dixi, negari non posse, quin sub finem Mundi, talis aliquis, qualem descripseram, Antichristus venturus sit: obtrudam auditoribus opinionem hanc firmiter credendam, & nequaquam negandam.*

Calumnia est. Quum dixi: *Negari non potest*, intellexi, vt probabile. Neminem enim negare, refutaréve posse: quia sit res admodum probabilis, venturum talem Antichristum: cùm & à Patribus hoc firmiter asseueretur, & è Scripturis probabiliter colligatur.

49. *Quod dictitem: me huc vocatum, vt doctrinam Buceri ab ipsis pastoribus neglectam, imo proculcatam, postliminio reuocem.*

Calumnia est sophistica. Ego hoc nunquam iactitaui. In Capitulo tantùm, cùm cœpi pro me in hac controuersia dicere & de mea vocatione verba facere: dixi primùm, ex literis Dominorum Scholarcharum me collegisse, hîc probari doctrinam, quam anteà tradiderat Bucerus cum D.P. Martyre. Me igitur vocari, vt eandem doctrinam, quod Christiana esset, profiterer atque defenderem. Deinde alio in loco dixi, me de principio cùm huc veni, animaduertisse, doctrinam Buceri de Prædestinatione, déque salutis certitudine, gratia, ac libero arbitrio, magna ex parte ab hac Schola exsulare. Me igitur operam dedisse, illi postliminiò pro mea virili, reuocandæ. Hæc duo diuersa sophistice coniungunt, & aiunt, Me iactare, quod sim huc vocatus, vt doctrinam Buceri ab ipsis neglectam reuocem. Est igitur calumnia sophistica.

50. *Quod doceam: finem creationis, esse æternam cùm mortem tum vitam.*

Semper docui, vltimum & verum finem, non tantum creationis, sed rerum omnium, esse gloriam Dei. Quia verò Deus glorificatur, & ex sua in quosdam misericordia, & ex sua in alios iustitia: iecircò secundarios fines rerum omnium, esse, tum vitam electorum, tum mortem reprobatorum. De fine creationis Electorum, nulla est controuersia. De fine creationis reprobatorum, ait Scriptura *Prouerb.* 16. Omnia propter semetipsum creauit Dominus: (ecce vltimum & verum rerum omnium finem, gloriam Dei:) *etiam Impium ad diem malum.* Id est, ad pœnam & mortem. Ecce alterum finem. Finis igitur creationis Impiorum proximus & secundarius, est ipsorum mors. Idem docet Deus, & per Apostolum explicat, dicens de Pharaone: *In hoc ipsum excitaui te, vt ostendam in te potentiam meam.* Quasi dicat. In hunc finem condidi te, te regem feci, te indurau, vt te perdam: &, te perdendo, potentiam meam toti orbi patefaciam.

Rerum omnium finis primarius quis sit.

51. *Quod doceam: Chananæos à Deo maledictos fuisse, non propter sua facinora nefaria: sed tantùm hoc fuisse factum ex occulto Dei iudicio.*

Est apertissima calumnia. Nemo enim maledicitur, nisi propter sua scelera. Cæterùm cum ipsi etiam Iudæi, non minùs grauia sæpenumerò, quàm Gentes admiserint facinora: qui factum sit, vt hos non ita maledixerit, vt à se penitus reiiceret, illos verò maximè: hoc doceo proficisci ex occulto Dei iudicio, qui quorundam statuit misereri, alios verò maledicere & indurare: quemadmodum etiam cùm omnes ex æquo peccauerimus in Adamo: qui factum sit, vt alios inde eruerit & saluet, alios autem ibi deserat & damnet: illos quidem inde erui & saluari per gratiam, hos verò ibi deseri per occultum Dei iudicium, puniri autem propter sua scelera per iustitiam. Sophistica igitur est calumnia in illa negatiua, *Non propter sua scelera:* & in illa exclusiua, *Sed tantùm ex occulto Dei iudicio.*

52. *Quod, quia dixi, distinctionem illam Scholarum, Christum mortuum quidem esse pro omnibus sufficienter, sed tantùm pro electis efficaciter, non esse contemnendam: ideo accusem precium sanguinis Christi inefficaciæ, ac proinde quod sim blasphemus in mortem filij Dei.*

Calumnia est sophistica. Inefficaciam non tribuo sanguini Christi: sed huius inefficaciæ causam dico esse in Reprobis, ipsam nimirùm Infidelitatem. Nam, vt verè Christus dicatur mortuus pro nobis efficaciter: non requiritur tantùm vt mors Christi in se, sit efficax ad salutem: sed etiam requiritur, vt sit efficax in nobis. Non potest autem in nobis habere suam efficaciam: nisi fide à nobis accipiatur, & nobis applicetur. Vinum quoque in se est efficax ad sitim tollendam. At nisi bibatur in nobis minimè efficax fuerit.

Christus pro omnibus mortuus.

fuerit. Idem de medicamento & cibis omnibus dici potest. Culpa igitur, cur inefficax sit mors Christi in reprobis in ipsis reprobis residet: nempe infidelitas & fidei destitutio. Cæterùm quia fides à Deo est, & hanc dat, datamque decreuit electis: & spectato Dei proposito, Christus tantùm pro illis efficaciter mortuus est qui credituri erant in se: sicut & de oratione ipse dixit: *Non rogo pro mundo: sed pro iis qui credituri sunt in me*: eatenus etiam spectato Dei proposito, verè dicimus: Christum non esse mortuum efficaciter, nisi pro electis, hoc est Dei propositum fuisse: vt in solis electis mors Christi haberet suam efficacitatem. Calumnia igitur est: me accusare sanguinem Christi inefficaciæ, inque mortem filij Dei esse contumeliosum: cum totam inefficaciæ caussam ponam non in sanguine Christi, sed in ipsis reprobis, ipsorumque animorum infidelitatem.

53. *Quòd doceam: homines non ex suo ipsorum vitio: sed Deum potius arcana voluntate excæcare, & non reconciliari per Euangelium.*

Etiam est calumnia sophistica, inde profecta, quòd confundunt caussas, & diuidunt quæ sunt coniungenda. Deus ex sua voluntate sola, si non adsit caussa excæcationis in homine, id est peccatum, neminem excæcat. Sua igitur voluntate excæcat, quia vult excæcare: sed propter peccatum excæcat, quia excæcationem infligit, vt pœnam peccati.

Cæterùm cum omnes peccemus, quæ sit caussa, cur alios excæcet, alios non excæcet, sed potius illuminet: hanc dico esse solam Dei voluntatem, iuxta *Quos vult indurat, & quorum vult, miseretur.*

54. *Quòd doceam: peccatum esse iustum, hoc argumento: Quicquid Deus vult, iustum est. Est enim voluntas Dei omnis iustitiæ regula. Vult autem peccatum. Peccatum igitur est iustum.*

Sophistica est calumnia. Nos nunquam docuimus, Deum velle peccatum, simpliciter & quatenus est peccatum. Est autem aliquid iustum: quatenus illud vult Deus. Peccatum igitur non est iustum, neque simpliciter, neque quatenus est peccatum. Cùm dicimus, Deum velle peccatum: illud bifariam semper declarauimus. Primo sic. Deum velle permittere peccatum: quatenus pro sua bonitate facit, vt illud cedat in gloriam suam: dum illud admissum, in aliquibus iustè punit, in aliquibus misericorditer tollit. Secundo sic. Deum velle peccatum, quatenus pœna est alterius peccati. Sic igitur rectè concludi: Peccati permissionem iustam & bonam esse: & Peccatum, quatenus est pœna alterius peccati, iustum etiam & bonum esse. Quatenus verò nos illud volumus, iniustum est: quia contra Dei voluntatem reuelatam facimus & volumus.

Deus quatenus peccata velit.

55. *Quòd quia verbum & sacramenta solubilia vincula appellaui: stabiliam igitur tropum Schvvenckfeldij delirum.*

Quid Schvvenckfeldius sentiat, nescio: quia illius libros non legi. Sed quæ ego docui: neque delira esse, neque impietatis, quanquam quiuis vir bonus facilè videre potest, apparet etiam ex ipsis Academiarum iudiciis.

56. *Quòd illis thesibus de vinculis dirimam verba, sacramenta, Spiritum sanctum atque ita corrigam Christum, tanquam errantem, & agiter spiritu Schvvenckfeldiano & Pestilico.*

Calumnia est sophistica & contumeliosa. Aliud est dirimere illa inter se: aliud, dirimere in ipsis hominibus. Quoad primum: verba & sacramenta in ipso ministerio: nunquam sunt sine Spiritu sancto quia illis semper adest Spiritus sanctus, vt est apud Iesaiam. Spiritus verò sanctus, non est ita alligatus vel verbo, vel sacramentis, quin nonnunquam etiam sine illis operetur in cordibus electorum, vt in infantibus, qui nec verbum audire, nec sacramenta percipere possunt. Quod ad alterum: Etiamsi Spiritus sanctus semper adsit verbo & sacramentis, in ipso ministerio: non semper tamen in ipsis hominibus sunt hæc tria inseparabiliter coniuncta. In reprobis semper sunt diuisa, Spiritus regenerationis à verbo & sacramentis. Audiunt enim verbum, & recipiunt sacramenta: sed sine Spiritu regenerationis. In electis etiam aliquando sunt disiuncta: antequam incipiant regenerari, sicut contigit Apostolo, qui circumcisus fuerat & verbum audierat, tamen nunquam acceperat Spiritum regenerationis, nisi cùm fuisset ad Christum conuersus. Vbi verò semel renati sunt, verbum & sacramenta non diriiuntur à Spiritu sancto in renatis.

Hinc responsio patet ad aliam similem calumniam: *Quòd scilicet ego Euangelium & sacramenta Spiritu sancto spoliem, dum ea offeruntur impiis, eundem dum offeruntur electis, tum demum & spiritum illis tribuam.*

57. *Quòd ipse audeo homines resistere quidem posse Spiritui sancto per externum tantum verbum loquenti, sed nō posse resistere eidem intus persuadenti atque trahenti, necessariò igitur statuendum duplicem Spiritum sanctum: vnum, qui per verbum externum in Prophetis atque ministris loquatur sed non efficaciter, alterū, qui per se ipsum intus loquatur sine verbo ministrorum efficaciter.*

Quasi verò non possit esse vnus, idemque Spiritus, qui diuersa operetur, qui vni tantum loquatur per externum verbum, alteri, per internum etiam afflatum, qui vni suadeat tantum: alteri persuadeat. Certè Paulus multa dona ait distribui ab vno eodemque Spiritu. Ergo dicendum etiam erit duos esse Deos, vnum qui misereatur, alterum qui induret. Quia Paulus ait. *Deum quosdam indurare, quorundam misereri.* Sic redibitur ad Manichæos, qui à duobus effectorum generibus in mundo, à bono & à malo, duos concludebant esse Deos, vnum boni, alterum mali autorem. Dominus autem contrà ait, *Ego Deus creans bonum, & faciens malum.* Ita idem est Spiritus, qui aliis per verbum tantum externum inefficaciter loquatur, aliis per internum etiam afflatum efficaciter persuadeat, sicut idem Dominus, qui quosdam inuitauit ad cœnam, sed inefficaciter, quia non compulit eos venire, alios efficaciter inuitauit. Est igitur ineptissima sophistica, a diuersitate actuum & operationum Spiritus sancti, concludere, diuersos esse Spiritus sanctos.

Hinc patet etiam responsio ad aliam huic similem calumniam, qua dicunt, *me facere duo Euangelia, vnum, vacuum a Spiritu Christi, alterum, plenum Spiritus Christi.*

58. *Quòd doceam cur ex hominibus alij resistant Spiritui sancto, alij non resistant, caussam esse non in ipsis hominibus sed in Spiritu sancto.*

Calumnia est etiam sophistica. Doceo, quod, cur quidam resistant Spiritui sancto, caussam in ipsis esse, non in Spiritu sancto, & eam esse naturalem rebellionem in qua concepti & nati sumus, quamque à primo rebelle Adamo patre nostro duximus. Quod verò quidam non resistant, hoc illis esse à Spiritu sancto, qui non solum extrinsecus vocat, nec illorum mentes solùm illuminat, verùm etiam corda flectit ad sibi assentiendum. Est enim sicut omne malum, sic & inobedientia à nobis, & sicut omne bonum, sic & obedientia à Spiritu sancto. Quare calumnia est sophistica, quæ vtrunque simul coniungit, & ait, vtrunque me vni Spiritui sancto tribuere, cum vnum sit Spiritus sancti, alterum Spiritus humani.

59. *Quòd ego non concedam, Prædestinationem factam esse in Christo, & per Christum consistere.*

Impudentissima est calumnia. Docui cum Apostolo, Electos nos esse in Christo, non extra Christum. Decreuit enim Deus Pater seruare nos non simpliciter, sed per Christum. Bene doceo illud, Electionis caussam non fuisse merita & passionem Christi, sed solam Dei voluntatem & gratiam. Voluntas enim Dei ad nos eligendos ac prædestinandos in æternam vitam, à nulla re extra se fuit mota, sed tantùm a seipsa. Quare nec merita Christi fuerunt caussæ, nostræ electionis. Quamobrem Ioan. cap. 3. dilectionem præponit dationi & missioni filij Dei, dicens, Sic *Deus dilexit mundum*, hæc est Prædestinatio. vt *filium suum vnigenitum daret.* Hic est effectus Prædestinationis. Ideò enim misit filium, & decreuit ab æterno mittere, quia decreuerat nos seruare, non autem contrà.

60. *Quòd ego sim Zvvinglianus, neque id inficior.*

Ego verò dico, atque protestor, sicut etiam in prima mea præfatione, quam publicè in Schola habui, protestatus sum, me neque esse Zvvinglianum, neque Lutheranum, neque Caluinianum, neque Bucerianum, sed Christianum. Lutherum quidem atque Zvvinglium, Bucerum & Caluinum, Bullingerum & Martyrem, aliósque nostri sæculi doctissimos viros, tanquam egregia Spiritus sancti organa, veneror atque suspicio, illorúmque

scripta magnifacio: Sed vnum solum Iesum Christum, pro meo vero ita præceptore, sicut & seruatore agnosco. Ideircò iniuriam mihi fieri protestor, si quis me vocet vel Lutheranum, vel Zvvinglianum. Quare? quia Christianus sum, & solum Christum in Scripturis pro meo vero præceptore agnosco.

Quapropter sicut in aliis fidei articulis: ita in Articulo de Cœna Domini, solum Christi verbum atque doctrinam sequor. Quæcunque verò ab hominibus, quicunque illi sint, vel verbo Dei addita aut detracta sunt, vel extra verbum Dei mihi tanquam ad salutem necessaria obtruduntur, denique omnes verborum Christi interpretationes, quæ apertè pugnant cum aliis manifestis Scripturarum locis, aut quæ noua, sine necessitate, miracula inducunt, aut quæ humanitatem Christi ab eius diuinitate separant, aut contrà, humanitatem cum diuinitate confundunt, & naturam veri corporis, Physici, organici, tollunt, aut quæ vllam secum adferunt idololatriam: omnia hæc, tanquam non Christiana, reiicio atque damno: & contrà, primùm sola Christi verba per Euangelistas recitata, tam de calice, quam de pane, toto corde amplector. Deinde horum verborum Christi interpretationem, nullam aliam recipio, præter illam, quam idem Christus per Apostolum Paulum 1. Corinth. 10. attulit: nimirùm, *Panem quem frangimus in cœna, esse κοινωνίαν corporis ipsius*. Quibus ex verbis hæc pauca, mihi liquido & certò colligo.

De Cœna Domini.

I. Commentum esse: panem tam mutata, quàm manente sua substantia verti in ipsum corpus Christi, seu verè esse ipsum corpus Christi. Huius rei triplex est ratio, ex verbis Apostoli apertè collecta. Prima, panem, perpetuò vocat panem, tam post quam ante prolata verba cœnæ: & hîc ait: *Panis quem frangimus*. Differt autem panis à corpore Christi. Secunda, ait *Quem frangimus*. Corpus autem Christi, frangi nec potest (est enim incorruptibile & gloriosum) nec debet, iuxta illud, *Os non comminuetis ex eo*. Tertia, ait Κοινωνία ἐστὶ τοῦ σώματος τοῦ Χριστοῦ, hoc est, quo corpus Domini nobis communicatur, & consequenter nos magis ac magis corpori Christi, id est, Christo ipsi incorporamur. Differt autem id, Quo, ab eo Quod communicatur.

Panē neq. mutari in corpus Christi: neque verè esse ipsum corpus ipsius.

II. Commentum etiam esse: panem esse nudum symbolum, & ideò in Cœna nil accipi, nisi panem. Apostolus enim ait: *Panis est* κοινωνία τοῦ σώματος. Ergo cùm frangitur & datur panis: ipsum etiam corpus Christi vnà communicatur.

In cœna non esse nuda symbola.

III. Commentum etiam esse: extra vsum cœnæ, vel panem posse dici corpus Christi; vel pane distribui corpus Christi. Paulus enim non ait simpliciter. Panis est κοινωνία: sed, *Panis quem frangimus*, (scilicet in ipsa Cœna Domini) est κοινωνία τοῦ σώματος. Ergo tunc tantùm est κοινωνία τοῦ σώματος, cùm frangitur in cœna. Quare extra cœnam Domini non est κοινωνία τοῦ σώματος: multò minus τὸ σῶμα.

Extra legitimū vsum panem nō esse corpus Christi.

IV. Corpus Christi manducari fide tantùm. Huius autem duplex ratio ex verbis Apostoli colligitur. 1. Ait, *Panem esse κοινωνίαν τοῦ σώματος*, hoc est ipsius Christi. Κοινωνίαν autem hanc, perpetuò in scripturis lego fieri tantùm fide, vt etiam Iohan. 6. docetur; item 1. Iohan. 5. & 1. Iohan. 1. Neque vllibi in Scripturis docetur alius modus edendi corpus Christi, id est, Christum ipsum, quàm per fidem. Alium igitur modum non recipio, donec ille è scripturis apertè demonstretur. 2. ait esse κοινωνίαν τοῦ σώματος. Corpus autem Christi cibus est spiritualis, & animæ non corporis aut ventris. A Spiritu igitur tantùm recipitur: & hoc modo sum contentus, quia est certus & salutaris & sufficiens ad salutem.

Corpus Christi fide tantum manducari.

V. A solis fidelibus, ipsum Christi corpus, seu Christum ipsum verè percipi & manducari. 1. ait Apostolus: *Panis quem frangimus* (nos scilicet fideles in cœna) est κοινωνία τοῦ σώματος, nempe nobis qui frangimus, hoc est, fidelibus. Cùm autem dicit *Nos*: intelligit, iuxta consuetudinem scripturarum, veros fideles, & veros discipulos Christi: quod hypocritæ ad Christum non pertineant. Ad solos igitur veros fideles pertinet κοινωνία τοῦ σώματος τοῦ Χριστοῦ. 2. inquit: *Vnum corpus & vnum panem esse nos omnes, qui de vno pane & de vno calice participamus*. Cùm ait: *de vno pane*, intelligit de pane, quatenus panis est κοινωνία τοῦ σώματος. Hypocritæ autem, non sunt vnum corpus cum Ecclesia sanctorum: neque sunt eius membra. Quia licet sint in Ecclesia: non sunt tamen de Ecclesia. Non ergo ipsi participant de eodem pane, qui scilicet est κοινωνία τοῦ σώματος, hoc est, nón sunt participes eiusdem corporis Christi pane fidelibus communicati. Vt tale sit argumentum. Quicunque de vno & eodem pane & calice, hoc est, de eodem corpore & de eodem sanguine Domini, qui pane & vino communicantur, participant: ij tantum sunt vnum corpus simul & panis vnus cum Ecclesia Christi. Atqui reprobi hypocritæ non sunt vnum corpus & vnus panis cum Ecclesia Christi. Non enim ij pertinent ad corpus Christi. Impij igitur non participant de eodem corpore & sanguine, qui pane & vino communicantur.

A solis fidelibus manducari.

Vel sic. Illi tantùm participant de eodem pane & calice, hoc est, de corpore & sanguine Christi, pane & vino in cœna communicatis, qui sunt vnum corpus & vnus panis cum Christo & Ecclesia, quæ est corpus ipsius. Sunt enim hæc ἀντιστρέφοντα: *Vnum corpus & vnus panis multi sumus: omnes qui de vno pane* (quatenus est κοινωνία sanguinis) *participamus*: &, *Nos tantùm participamus de eodem pane* (vt est κοινωνία corporis) & *de eodem calice* [vt est κοινωνία sanguinis] hoc est, de eodem corpore & de eodem sanguine Christi, per panem & calicem communicatis, omnes qui vnum corpus sumus & vnus panis, cum Christo scilicet & eius Ecclesia.

Atqui impij, qui sine vera sunt fide, non sunt vnum corpus & vnus panis cum Christo & Ecclesia. Non enim pertinent ad Christum: neque membra sunt Ecclesiæ.

Non igitur impij participant cum piis de eodem corpore & sanguine Christi, qui pane & vino in cœna communicantur.

Ac quis neget, solos viuentes cibis quoque vesci posse? Non enim mortui vescuntur. Soli autem credentes spiritualiter ex fide viuunt. Impii verò, planè mortui sunt. Soli igitur credentes spirituali alimonia quæ est corpus & sanguis Christi, vesci possunt. De iis autem loqui Apostolum: enim ait, *Nos qui de vno pane & calice participamus*: mihi dubium non est.

VI. Præcipuum vsum atque finem huius sacramenti, esse: vt vnio quam habemus cum Christo per fidem, & inter nos per charitatem, frequentatione huius cœnę magis ac magis coalescat. Ait enim Apostolus: *Vnus panis & vnum corpus multi sumus: omnes qui de vno pane & de eodem calice participamus*. In hunc igitur finem instituta est hæc participatio, vt simus vnum corpus & vnus panis, cum Christo nimirum & inter nos. Quare toto cœlo illos errare dico, qui dùm digladiantur sine causa de hoc sacramento, hoc vnum corpus & hunc vnum panem, dilaniant in frusta.

Vsus & finis cœnæ Domini, quis sit.

Hæc sunt capita præcipua, quæ ex verbis Christi, explicatis ab Apostolo, mihi colligo, & his sum contentus. Non sum igitur vel Zvvinglianus, vel Lutheranus, quia nec Zvvinglium, nec Lutherum sequor: sed Christianus, quia Christum. Atque vtinam tandem aliquando facessererent ab Ecclesia hæc cognomina, & solum Christi nomen obtinerent: Tunc sperarem pacem Ecclesiæ.

61. *Quòd summa repugnantia sit inter doctrinam Buceri & meam, de maximis religionis articulis, vt de prædestinatione, de æterno odio & amore Dei, de morte Christi, de cœna Domini, de ministerio, aliisque similibus.*

Hæc reuera calumnia est nimis superba, atque sine vlla fronte. Imo hic est omnis dissidij inter nos fons: quemadmodum annis abhinc 6. circiter, clariss. Dn. Scholarchis dixi, cùm petii, an vellent, vt doctrinam Buceri, quatenus agnosco, illam esse ex verbo Dei desumtam, defenderem: & si vellent, agerent cum D. Marbachio, vt ipse quoque idem faceret, & delectaretur lectione Buceri. Hoc enim si facturus esset: nullam fore inter nos controuersiam. Hic inquam est omnis dissidij inter nos fons: quod ego vrgeo doctrinam Buceri, præsertim de Prædestinatione & perseuerantia, de certitudine salutis, de promissionibus; & ipsi contra eam non possunt probare. Non peto vt simpliciter mihi credatis: sed obsecro, vt veniatur ad rem ipsam. Neque aliam video esse causam, cur mecum detrectent disputare aut colloqui, nisi quoniam ipsos non latet (neque enim non legerunt libros Buceri) doctrinam quam impugnant in me esse Buceri, & me statim posse eius libros clarè & perspicuè loquentes, proferre. Certè nisi hoc scirent, iam de principio fuissent mecum congressi. Bucerus mortuus, est ille contra quem pugnant reipsa. Sed quia in hac vrbe non audent

Fons dissidij huius inter vtrosque Theologum.

audent palàm Bucerum de nomine impugnare, vt doctrinam tamen odiosam reddant, eam adscribunt Gallis atque Italis. Totum hoc quod dico, manibus vestris palpabitis, si curaueritis, vt veniatur ad colloquium, & libri in medium proferantur. Amplius dico P. V. iam habetis in manibus rationem componendę totius controuersię, ea hæc est. Si proponatis vestris ministris, an velint stare doctrina Christi per Bucerum tradita, disputata, scripta de iis præcipuis articulis, quos mihi obiecerunt & damnarunt, de prædestinatione sanctorum & de fide sanctorum, déque illorum in fide perseuerantia, de certitudine salutis, de promissionibus, de peccatis sanctorum, nécne: Ego solo stare. Si ipsi idem velint: compositum est totum dissidium. Quid amplius? hic vertitur tota controuersia.

Hæ sunt præcipuæ, quantum ego sciam, quas de me sparserunt aduersarij calumniæ. Iis me grauatum ab ipsis fuisse, Ipsimet aduersarij, si boni viri sint, negare non poterunt. Quod si negent: audiantur qui illorum conciones audiuerunt, & illorum interfuerunt sermonibus. Etiam Domini ipsi librum illorum contra meas theses, & D. Marbachij contra me orationes, legant.

Quòd si quæ aliæ vel in libro contra me scripto continentur, vel sermonibus per vrbem sparsæ sunt, rogo obseruandissimos Dominos meos curent, vt mihi significentur, quo possim me purgare.

Quòd vero ad tertiam huius causę partem attinet, hoc est, ad conuitia: ea sunt & tot & tanta, vt me etiam in ipsorum aduersariorum gratiam, ea commemorare pudeat. De iis antea aliquid dixi in altera huius meæ supplicationis parte. Hoc nunc tantùm contendo: non esse satis conuitiari & calumniari, nisi etiam reipsa ita esse probetur.

Peto itaque primùm, quod ad conuitia & calumnias, curent Domini: vt ea omnia aduersarij probent: Idque coràm Dominis me præsente, vt possim respondere.

Quòd si vel noluerint, vel non potuerint præstare: curent igitur, vt mea mihi existimatio restituatur: declaretúrque, talem me non esse, qualis per vrbem sui traductus. Ego enim pluris facio nomen & existimationem meam, quam diuitias multas, vitámque ipsam. Sic faciẽdum esse, docent S. literæ. *Melius est* (inquit Salomon) *bonum nomen quam diuitiæ multæ.*

Quod vero attinet ad eam doctrinam, quam fateor me in Schola docuisse, quæque quatuordecim thesibus est comprehensa: quoniam propter illam vocarunt me Anabaptistam, Catharum, Suencfeldianum, Nouatianum, hominémque plenum hæreseon: peto proinde secundo loco, vt aduersarij sistantur: & mihi probent, talem doctrinam esse hæreticam, & deinde, me esse hæreticum. Neque enim satis est dicere: sed propter dicta ecclesiae rationes: alioqui si satis sit accusare, nemo poterit esse innocens. Neque satis est dicere: Probauimus Dominis tum verbis, tum dato libro: sed oportet etiam probare mihi, vel saltem probationes mihi dare, vt me defendere queam.

Quod si hoc aut noluerint, aut non poterint præstare: protestor, doctrinam igitur, quam docui, esse orthodoxam: ac proinde magnam mihi factam esse ab aduersariis iniuriam: quod talibus me affecerint calumniis ac conuitiis.

Quamobrem obsecro Dominos: vt & Christi doctrinã iniquè damnatam, vindicent, atque suam Scholam & Ecclesiam restituant: & meam innocentiam declarent, atque defendant sua sententia, aut quacumque possunt ratione bona.

Quò verò etiam ipsi Domini doctrinam hanc verè possint agnoscere, & de ea rectè pronuntiare:

Peto, I. Vt meæ lectiones de Perseuerantia legantur: & quorum testimoniis doctrinam illam probauerim videatur.

Peto II. loco: vt, si quid in illis desideretur vel explicationis vel probationis, mihi significetur. Vtrumque enim præsto sum facere.

Peto III. vt conferantur lectiones meæ de perseuerantia, cum lectionibus D. Marbachij: videantúrque responsiones meæ ad omnia illius argumenta: Sic cum nondum ipse refutarit mea argumenta, neque ad omnes Patrum & Buceri responderit autoritates: Protestor, iniuria igitur eam doctrinam fuisse à Pastoribus damnatam.

Peto deinde IIII. loco: vt quo ad doctrinã de prædestinatione, ne simpliciter credatur illis lectionibus, quas Pastores tanquam meas vobis dederunt. Neque enim æquum est, vt iuxta eas ego iudicer, antequàm à me videantur, ac pro meis agnoscantur. Cùm accusatores potuerint multa addere, multa detrahere, multa deprauare.

Peto præterea V. loco: vt neque iuxta librum aduersariorum, quem contra omnes theses ab ipsis mihi obiectas subscripserunt, ego iudicer. Non est enim æquum, vt iuxta tantùm aduersariorum scripta, de me iudicium fiat: antequàm illa videam, ad eáque respondeam. Deinde infinitas (vt audio) liber iste continet calumnias. Ad hæc debet saltem vobis esse suspectus, tùm quod Capitulo examinandum relinquere noluerunt: tùm quod nullum ad me miserunt exemplum, vt viderem illum & responderem. Certè si veris & solidis rationibus meas theses refutassent, & ipsi suam doctrinam, contra meam, satis confirmassent: non grauati fuissent dare & mihi & capitulo, id quod amor veritatis postulabat. Postremò in eo apertè damnant Augustinum in doctrina de Prædestinatione: fatentúrque meam doctrinam eandem esse cum Augustini. Oro itaque, vt illius libri mihi copia fiat.

Peto deinde VI loco: vt neque iuxta iudicium vnius hominis damner. Non enim iustum est, vt iudicium vnius hominis multorum doctorum virorum, Academiarúmque & Ecclesiarum iudiciis præferatur: præsertim cùm multæ sint causæ, cur tale vnius iudicium omninò reiicere possim ac debeam.

Peto autem VII. loco: vt Academiarum iudicia & Ecclesiarum per Germaniam, de meis thesibus, legantur. Neque hic admittatur calumnia illa: quod malè informarim Academias. Nam primo non retuli, tanquam accusator, de aduersariorum doctrina: (sic enim potuissent dicere, me malè referendo, malè Ecclesias informasse:) sed theses mihi obiectas, fideliter examinandas obtuli: & si quam vel explicationem vel probationem petierunt, attuli. Est autem cuiusque, sua explicare. Deinde duæ priores Academiæ non solum me audierunt: sed etiam meas Prælectiones legerunt, diligentérque per aliquot dies examinarunt. Reliquæ vero Ecclesiæ atque Scholæ, tametsi lectiones meas non omnes: iudicia tamen aliarum Academiarum atque Ecclesiarum legerunt. Præterea qui hæc dicunt, non vident, quanta calumnia grauent tot tantásque Academias, tot tantósque viros. Quasi verò fuerint ita leues, vt iudicia sua de ea doctrina dare voluerint, de qua scirent, se male potuisse informari. Postremò, subterfugia hæc nulla sunt. Legantur theses cum explicationibus ab Academiis illis adiectis. Ego dico, me non aliter docuisse, neque intellexisse: quàm ibi sunt explicatæ. Si aduersarij theses ita intellectas probent, soluta est omnis quæstio. Si non probent: respondeant igitur ipsi iudiciis tot Academiarum.

Peto etiam VIII. loco: vt Consilij quoque Thomensis & Professorum Scholæ vestræ iudicium audiatur.

Peto IX. vt disputationes, quæ in hac Schola vestra iisdem de rebus tempore Buceri habitæ fuerunt (aliquot enim demonstrari possunt) legantur: atque præter cæteras disputatio quæ Germanicè habita fuit & impressa hic Argentinæ, contra Melchiorem Hofmannum.

Peto ad hæc X. legantur quæ de iis rebus scripsit Bucerus multis in locis. Si Domini voluerint, libros ipse & loca indicabo.

Peto etiam XI. cogitent Domini mei, doctrinam hanc quam in me damnant concionatores vestri: doctrinam esse multarum Ecclesiarum, Academiarum Scholarum, regionum etiam & populorum, qui omnes condemnatione mei, se condemnatos esse putabunt: cùm tamen in VVormatiensi colloquio postremo, iudicatum fuerit à Philippo & Brentio, maioréque parte protestantium Theologorum, neminem non auditum, & nisi legitima synodo esse condemnandum: vt interim taceam, quod neque doctiores in Papatu eam planè damnent. Hoc verò facilè ex libris eorum demonstrari potest.

Quòd si hæc non sunt satis ad iustificandam doctrinam hanc, propter quam hæreseos accusor, curetis, vt mecum veniant in collationem, coram doctissimis quibusque huius ciuitatis hominibus. Est petitio hæc iustissima. Est enim antiquissima omnium Scholarum & Academiarum per totum terrarum orbem consuetudo, vt, si quid altercationum de doctrina inter Professores oriatur, illud in Scholis ipsis dis-

putando discutiatur. Quod si altera pars disputationem detrectet, aut diu subterfugiat: illa tanquam tacitè euicta & superata damnatur. Hoc si in hac quoque vrbe de principio, quo excitata fuit hæc controuersia, sicut petieram, factum fuisset: non fuisset hucusque extracta hæc plusquam host.lis perniciosáque contentio: non tot tantásque molestias Domini mei pertulissent: non tamdiu dissipata fuisset Schola: non tantæ exortæ fuissent inter multos inimicitiæ: non denique tot, tantáque negotia toti ciuitati facta fuissent.

Peto itaque, cuteris, vt tandem aliquando publica disputatio instituatur: cui intersint Domini & doctissimi quique ciuitatis. Est enim necesse, vt tandem huc veniatur. Qui secus cõsulunt: nec veritatem, nec vestram existimationem amant.

Peto postremò: vt, dum lis pendet, efficiatis, vt aut, sicut ego cogor tacere: sic etiam vestri concionatores de iis rebus controuersis taceant: aut, si vultis, liberè illis licere sententiam nostram publicè, additis etiam conuitiis, impugnare: mihi quoque liceat, sine conuitiis vel verbo in Schola, vel scriptis extra Scholam; non meam, sed tot, tantarúmque Ecclesiarum doctrinam, quam esse Christianam & orthodoxam profiteor, propugnare. Nequaquam enim æquum est, vt accusatoribus liceat pro sua libidine calumniari: reo autem non liceat, calumnias depellendo, se & suam innocentiam defendere atque tueri.

Hortor ergo & obsecro, cogiteris diligenter: quale initium & quales progressus habuerit hæc controuersia, qualémque habitura sit exitum: nisi vos vestra prudentia ac potestate fortiter, quod pium & iustum est, defendatis, & quæ possunt inde consequi mala, maturè auertatis.

Hæc sunt, Domini clementissimi, quæ pro me in hac controuersia semel tandem dicere & vobis supplicare constitui. Nihil narraui, quod non possim probare. Proinde poteritis pro vestro arbitratu hæc cum ipsis etiam pastoribus communicare. Nihil enim in tenebris: sed omnia in luce volo agere. Nam nihil magis odi, quàm tenebras. Rogo boni consulatis meam in dicendo cùm libertatem, tùm prolixitatem.

Benè valete: prudenter omnia perpendite: Dei gloriã, Scholæ atque Ecclesiæ vestræ salutem, vestrámque existimationem diligenter curate: veterem doctrinam vindicate: innocentes defendite: malè agentes compescite, iustitiam & iudicium, vt Scriptura mandat, facite: denique in ea libertate qua Christus vos liberauit (vt admonet Apostolus) state: & nolite rursùs iugo seruitutis implicari.

Argentinæ 22. Martij, Anno 1562.

V. A.

Ciuis & Theologus.

Hieronymus Zanchius.

CAPVT IX.

QVAEDAM SCRIPTA PROfessorum Scholæ Argentinensis aduersus Marbachium & eius Asseclas: ac primùm quidem Consilij Thomensis ad D. Marbachij Decani & Pastorum omniũ contra Zanchium, orationem responsio.

Mense Apr. Anno. 61.

QVæ nuper D. Decane & vos pastores, charissimi collegæ, respondistis ad postulata Capituli animaduersum est, ea omnia in quatuor fuisse diuisa partes: quarum vna, pertinebat ad perorationem, D. Decane, tuam: altera, ad Ius Capituli, ad vestram cognoscendam & componendam controuersiam: tertia, propria erat illius tùm responsionis, ad Capituli postulata pertinens: quarta erat secundæ siue posterioris Narrationis Doctoris Zanchij: cuius etiam vobis postulabatis potestatem fieri, vt ad eam pro autoritate ministerij vestri respondere possetis.

Huius responsionis mentio fit pag. 366. huius libri.

De his omnibus Capitulum concordibus respondet sententiis. Primùm, vehementer dolere Capitulum, hoc inter vos siue natum siue morum dissidiũ esse: atq; hunc dolorem eò attulisse maius fastidium, quod neque eo modo huius controuersiæ cognitio facta est, quemadmodum Capitulum instituerat: neque tam est celeriter facta cognitio, quàm facta fuisset, si Capitulum ab eo compendio detractum non fuisset, in quod ingressi eramus, nisi à vobis ad ambages essemus reuocati. Visa enim erat Capitulo, expeditissima ratio componendi dissidij, si à vobis obtineri potuissent, vt in collocutionem veniretis. Hac enim ratione, paucis horis, inter vos interrogationibus ac responsionibus, argumentationibus ac refutationibus habitis, facilè Capitulum intellexisset, primùm cuiusmodi res in controuersiam venissent: & vtra pars sua confirmasset melioribus rationibus: & quomodo vera pace atque concordia inter vos constituta, dissidium illud deponi posset, & omnis tolli contentio. Sed à te D Decane, contrà postulatum fuit, vt ne ad collocutionem & ad disputationem te vocaremus: sed vtrinque scripto ageretur, non præsente parte aduersaria: qua in petitione tua, Capitulum tuæ autoritatis, non sui iudicij rationem habuit, & cum Doctore Zanchio diligenter egit, vt hac ratione contentus, Capituli acquiesceret voluntati ac iudicio. Quòd verò hac ratione octaua iam consumitur hebdomas: id inde venit, quod Capitulum secus cognoscere compulistis quàm proposuerat. Decreuerat enim, vt, si quę narraretis quæ ad concordiam non facerent, sed in criminando & accusando essent posita: ea parti aduersariæ non ostendere, ne animi exacerbarentur magis: sed ea sibi reseruare, & exitum exspectare controuersiæ. Sed hic tu postulasti D. Decane, tibi exiberi orationem: & tametsi intelligeres, illud fieri contra institutum & decretum Capituli: tamen non priùs flagitare desiisti, quàm id quod flagitabas, obtineres. Quare factum est, vt vsque ad festum Pa[...]. hæc producta hæc actio tua, superioribus tandem diebus proximis, ad extremam responsionem, adhibitis & aduocatis pastoribus deueneris. Sed non pœnitet Capitulum huius fastidij atque molestiæ, modò intelligaris atque cognoscaris, vtrinque tibi pastoribus, quos tibi aduocasti, concessum esse, vt non colloqueremini, quod Capitulum putabat esse necessarium: & vt tibi etiam narratio Zanchij concederetur, quòd Capitulum magis deprecari, quàm id facere maluisset. Sed tamen neque huius adhuc pœniteret, si deinceps patiemini, vt per Capitulum fiat reconciliatio.

Verùm illud quod in vestra responsione fuit secundum caput, & quod à vobis agitarem non semel in Capitulo est, per fuit molestum: quod arbitramini, hanc actionem ad Capitulum non pertinere: & nūc plurimùm in hac causa aliorsum prouocatis, contra legis sententiam, quæ adhuc in animis est & memoria omnium, qui tum in scribendis legibus nouis & iisdem iureiurando, cùm coram omnibus adessent Scholarchæ, confirmandis affuerunt.

Sed vt ne mora interponatur institutæ actionis ac cõtrouersiæ, neque nos in hoc tempore pro capitulo defendere volumus, neque postulamus, vt ad hæc nobis respondearis, sed decreuimus, in aliud tempus hanc reiiciendam esse controuersiam. Quanquam enim capitulum multis se defendere possit rationibus: primùm, quod iure naturæ arbitria amicorum, seueritatem solent iudiciorum antecedere: & viri boni naturaliter malunt meliorem & humaniorem viam ingredi, si quid contra amicum habent, quàm ad humanam & acerbam descendere: deinde non vna lege postulamus à vobis, vt capituli non iudicium, sed arbitrium, non sententiam, sed cognitionem esse patiamini. Non si secus de nobis dicetur, quàm de arbitris, de cognitionibus, de amicis: magna nobis fit iniuria.

Tribus legibus contendimus, vt à nobis causam cognosci patiamini, præsertim in hac persona quæ accusatur, quæ in amicitiis & familiaritatibus nusquam fuit importuna, quæ propter necessitatem collegij, & propter doctrinam, & propter huiusmodi hominum raritatem atque inopiam, à nobis in hac causa non potest negligi, antequam eorum de quibus accusatur, conuincatur. Quod quiuis vestrûm pro se fieri velit, si huiuscemodi necessitate ferirentur: id pro hoc facimus. Accedit ad superiores causas etiam illa, quod quæ facimus,

mus, ea consensu Scholarcharum & tredecim virorum permissu facimus, ad quos semper vobis aditus patebit quoties secus facturi simus, quam bonos viros & amicos facere deceat. Et si non hæ tres causæ essent, quis quæso ordo est in hac Republica, qui nostros inter virtutes & vitia meliùs norit, quàm nos inter nos, propter quotidianam consuetudinem? Sunt etiam aliæ causæ, quibus capitulum compellitur ad hanc molestam & fastidiosam actionem. Multorum adhuc meminit: multa metuit: sperat etiam multa, quæ ad rationes Ecclesiæ, Scholæ, capituli pertinent. Sed quoniam hæc nostri non sunt instituti neque huius controuersiæ: omittit ista in hoc tempore, vt præsenti vulneri trium collegiorum medeatur. Fatetur enim collegium, tria ista collegia, Pastorum, Magistrorum, & Canonicorum, inter se distincta esse. Sed eiusmodi est in iis & communicatio & societas & necessitudo, vt nullum ex iis sauciari possit, ex cuius vulnere, reliqua duo, dolorem magnum non sentiant, si ij in iis esse volumus, qui esse debemus. Verùm hæc de iure capitali, & de necessitudine trium collegiorum.

Quantum verò ad postulata capituli & vestram responsionem ad istud caput pertinentem, attinet, sic habete. In extrema actionum parte, vbi perorasset Dominus Decanus, huiusmodi adiecit conclusionem: Sibi videri, quod satisfecerit officio suo in respondendo D. Zanchio: satis etiam fecisse cognitioni capituli, quod, autore D. Herlino, postulasset, cognoscere controuersiam. Itaque sibi iam necessariò reliquum esse, vt hanc causam ad alios transferat Iudices, ad Ecclesiasticum conuentum, & ad iudicium Magistratus: idque quatuor de causis. Earum prima erat, quod Augustana confessio Neuburgi rursus subscriptionibus Principum renouata atque confirmata, vobis à Magistratu nostro proposita sit, vt eam in concionibus vestris sequeremini & doceretis consentienter illi confessioni: atque iccircò non te posse ampliùs Zanchio in hac controuersia largiri atque concedere, quod confessioni sit contrarium. Altera, quod conuenientius sit concordiæ inter nos mutuæ, ab alio iudice hanc causam iudicari, quàm cognosci à capitulo. Tertia, quod alia negotia capituli hac actione negligantur, quæ explicari sit necessarium. Quarta, quod tibi etiam aliæ instent occupationes officij tui, progressiones scilicet & visitatio pagorum.

Vbi hæc capitulum audiuit, neque sibi in hac causa cognoscenda esse satisfactum neque istæ causæ quatuor satis viderentur esse probabiles: rogatis singulorum sententiis missi sunt, qui rogarent, vt ne causam alio transferres, antequam de hoc tuo proposito deliberasset diligentiùs.

Itaque rursùs habito capitulo, postulatum est, vt pro ea obedientia, quam tibi singuli atque omnes Canonici deberent, & pro ea fide, qua tu capitulo obstrictus esses, responderes ad argumenta D. Zanchij, atque illius rationes & autoritates refelleres: capitulum etiam illi mandaturum, vt ad tua argumenta atque autoritates responderet, in ea quæstione quæ est de perseuerantia sanctorum, siue certitudine fidei, siue prædestinatione. Idque his de causis. Primùm, quia hoc semper fuit capituli, & adhuc est, propositum, vt vestrum dissidium componat. Deinde, quia causa à vobis non satis esset explicata. Nam cùm controuersia vestra esset tripertita: vna de fine sæculi: altera de cœna Domini: tertia de certitudine fidei: & hæc omnia tria D. Zanchius suis confirmata argumentis atque autoritatibus, dedisset capitulo, vt tu ad ista omnia responderes, quemadmodum receperas: iudicauit capitulum, neque te satisfecisse officio tuo, neque satisfactum esse capitulo, vt si illæ tuæ rationes ita claræ atque perspicuæ essent, vt omnis sublata esset dubitatio, capitulum nihil requireret ampliùs. Tertia causa erat, quod postremas tuas narrationes Doct. Zanchius non vidit: in quibus accusatur grauissimè, quod Catharus, quod Donatista, quod Anabaptista, quod Suencfeldianus, quod plenus hæreseon, quod vanus atque mendax, quæ omnia, si causa abs te translata ad Magistratum, etiam ad Magistratum mitteremus: magno grauaretur Zanchius præiudicio, si ad illa iam non respondisset crimina. Quarta ratio erat, quod capitulum sperabat & adhuc sperat, posse nos facilè peruenire ad exitum contentionis, & istud componere atque deponere dissidium. Nam cùm lis sit vna de cœna Domini: hîc nihil est negotij. Nihil enim peccauit hîc D. Zanchius. Etenim, id quod constat, toto quadriennio, nihil hac de re vel disputauit vel docuit. Non igitur eius criminis, quod non admisit, rationem reddet. Altera est de fine sæculi, qui articulus fidei non est: & agitata quæstio quondam inter Hesychium Episcopum, & D. Augustinum, & similes sæpè exstiterunt in Ecclesia disceptationes amicæ, absque amarulentia. Tertia porrò quæstio, quæ est de prædestinatione, ea videtur aliquid habere molestiæ: sed tamen in hac vtrumque à vobis conceditur: nimirùm, & esse certum numerum Electorum, & Deum autorem peccati non esse: reliqua igitur erat dubitatio de improbis & reprobis: in qua parte, si id vobis placeret, quod placuit Augustino, liberati essemus omni contentionis molestia. Nam cùm illa sententia duo habeat capita: vtrumque vtrique concedits: *Quorum vult Deus, miseretur: & quos vult, indurat*. Hoc ita interpretatur Augustinus, id est, non mollit. Similis mitigatio & declaratio, fieri posset in illa: *Omnia creauit Dominus, propter semetipsum*: id quod indubitatum est: *etiam impium ad diem malum*: id quod falsum esse non potest: Sed benè declaratum fortassis non posset ampliùs esse odiosum. Iis rationibus, aut meliore aliqua allata intelligentia, item præscripta vtrinque ratione modi & moderationis & ordinis in docendo: reditus fieri poterit ad veram, firmam, & Christianam concordiam.

Iis quatuor rationibus mouebatur capitulum atque impellebatur: vt postularet, illam quæstionem de Perseuerantia sanctorum, siue de prædestinatione, siue de certitudine fidei, vtrinque à vobis, non solùm affirmando, verùm etiam refutando, vt veritas exstaret, lucidiorem fieri.

Atque has quatuor suas rationes, capitulum, Domini Decani rationibus etiam anteposuit, & adhuc anteponit, & æquiores esse iudicat. Nam quod ad primam causam attinet, quæ erat de confessione Augustana: non impedit hæc actio, quò minùs & approbetis Augustanam confessionem, & secundùm eam doceatis: ac nisi vltrò facere vellet, capitulum compelleret D. Zanchiũ, vt vel Augustanam confessionem sequeretur, vel pateretur, se Canonicatu & eiusdem fructibus spoliari. Sed hîc quæstio est, quod D. Zanchius negat se contra confessionem Augustanam docuisse: illud solùm addit, *Orthodoxè intellectam*. In quo si id ita interpretatur, *orthodoxè*, id est, Prophetarum, Christi & Euangelistarum, Apostolorum atque etiam Patrum doctrinæ consentienter non habet capitulum causam illius condemnandi. Neque enim Principes, neque Magistratum nostrum, arbitramur quidquam velle in ea confessione admittere, quod Christo, Prophetis, Euangelistis, Apostolis, Patribus sit contrarium. Quæstio igitur est: deliqueritne in confessionem Augustanam, hoc est, in doctrinam Christi, & Apostolorum & Patrum. Atque huic etiam quæstioni illud est adiunctum caput: secúsne docuerit, quàm Bucerus in suis libris, aut Scholis nostris docuit. Atque hæc vos capitulum celare non vult, non placere sibi, quod tam parua habeatur ratio memoriæ Buceri. Catechismus illius è classibus sublatus est preces illius Eucharisticæ, non ampliùs in templis recitantur. Audiuit etiam, aliquos dicere, quod recantarit multa. Atque hæc mala interpretatio inde solùm nata est: quod retractationem nominarit cœnæ dominicæ: & quia lumen attulit huic quæstioni, lucidiore explicatione: ideircò & hîc recantasse & in aliis similiter fecisse arguitur. Hæc fieri, dolet capitulo, & sic statuit: non posse Buceri vituperari aut contemni autoritatem, quin etiam lædatur Senatus existimatio, & acta Magistratus nostri in omnibus Imperij comitiis, & iudicata atque Decreta in sua Republica, simul violentur. Sed hæc de prima causa & ratione Decani, quamobrem hanc causam à capitulo transferri voluit.

Bucerus Argentina exautoratus.

Reliquæ tres faciliores sunt ad refutandum: sed secunda molestior est Capitulo. Nam quod metuit D. Doctor in hac causa adferenda, posse hanc cognitionem capituli, discordiam inter collegas parere, id etsi nihil sit, tamen eò spectat, quod ab aliis dictum sit, esse in capitulo partiales: aut quasi non sit iusta & æqua capituli cognitio: in quo magna & acerba fieret cùm singulis personis tum toti capitulo iniuria. Vnum id enim capitulo propositum est, vt hoc inter vos componat dissidium: Et magis capitulo gratum erit, plures in nostra Republica defendere causam bonam, quam vnum: & eandem retentam esse in concionibus & Scholis doctrinam, quam Bucerus, & Capito, & Hedio tradiderit, & multi cõsula-

res viri & multi Senatorij ordinis homines, & plurimi ciues secum ex hac vita deportarunt. Hanc enim cognoscere à vobis receptam, à D. Zanchio deprauatam: non ingratum erit cognoscere. Verùm vnum solùm rogat & postulat Capitulum, vt hanc causam vestram non accusatorio animo explicetis atque defendatis, sed pastorali studio: & voluntate non eiiciendi ciuem cum liberis & vxore per dedecus è ciuitate, sed eundem retinendi, si per vos, nostra etiam opera, fiat melior & in viam redeat. Quanquam Capitulum non pronuntiat, Zanchium eiusmodi hominem esse. Sperat enim atque confidit, esse meliorem, & errore quodam vos inter vos dissidere potiùs, quàm necessaria aliqua causa belligerandi.

Ad tertiam rationem Capitulum sic respondet: Capitulo nullum esse in præsenti tam arduum negotium, quod communi quidem & vestræ concordiæ non postponat: nihil in hoc tempore gratius atque iucundius fore Capitulo, quàm vt sublato dissidio, ciuem, amicum, collegam, cum vxore & liberis, & existimatione, nobiscum in eadem ciuitate atque collegio retineamus. Istud verò eò studiosiùs Capitulum expetit, quod grauior & periculosior causa D. Zanchij sit, quàm vestra. Vos enim, etiamsi vestram causam defendere non possetis, quod non speramus: tamen aduersùs vos, iudices futuri non sumus. Zanchius verò, si superabitur, si de iis criminibus de quibus accusatur, conuinci poterit: in nostro Capitulo certè locum nullum habiturus est, antequam per Senatū restituatur, & antequam resipiscat.

Sic etiam respondet ad quartam causam: debere vos hanc causam eo loco habere, quo ipsum Capitulum: vt ne fortè fiat viro bono iniuria aliqua, opinione aduersa, aut præcipitata intelligentia. Deinde etiamsi visitatio iam propinqua sit pagorum: tamen differendam potiùs hanc cognitionem, quàm agere temerè in hoc negotio, præsertim cùm, etiamsi hæc causa à nobis arbitris & cognitoribus & conciliatoribus ad Magistratum & ad Iudices transferetur: tamen iudicari & causa cognosci non poterit, antequam pagorum obeatis Ecclesias.

Videtis causas, quamobrem Capitulum statuat, neque vos vestram causam satis explicasse: neque eandem satis intelligere Capitulum.

Ad responsionem autem vestram, sic refert Capitulum. Quòd porrò vultis pergere, ad Capitulum vestram causam deferre: de eo omnes collegę gratiā habēr.

Quòd verò postulatis, vt D. Zanchius sua themata declaret & confirmet, quibus velit autoritatibus atque argumentis: ne illud quidem improbat Capitulum, si hæc ratio esset facilior.

Verùm ex hoc modo, illa veniunt incommoda. Primùm, quod reditus fieret ad ipsum principium: & quidquid hucusque laboratum esset, haberetur pro nihilo. Deinde hac ratione, is qui accusatur, priore loco cogeretur causam dicere, qui posteriore deberet defendere, & prouocare videretur vos, qui ipsum accusatis. Tertio. Neque opus esse videtur explicatione siue declaratione, cùm vobis per nos, Zanchius sua argumenta & probationes tradiderit, earum rerum, de quibus est controuersia: de fine sæculi: De Cœna Domini: de Perseuerantia Sanctorum. Quarto. Neque necessarium est, de omnibus istis tribus disceptare: si de tertio constet. Nam in quæstione de Cœna Domini, nihil toto quadriennio locutus est aut disputauit: de fine sæculi, liberum semper fuit iudicium.

Sed Capitulum à vobis postulauit, quoniam vos argumenta habetis atque autoritates D. Zanchij de Perseuerantia Sanctorum, & vos iis vestra opposuistis, eáque Zanchio tradita sunt, vt illius argumenta vos refutetis, & vestra Zanchius. Ex quorum comparatione, Capitulum sperat, videre & intelligere posse: vtra pars probabilioribus & melioribus nitatur rationibus. Atque hac via, arbitratur Capitulum, neque reditum fieri ad primum exordium: & neutri fieri iniuriam, & posse breuiter perueniri ad exitum controuersiæ & ad Christianam concordiam. Itaque adhuc postulat Capitulum, vt æquitatis rationem habeatis: neque Capitulum ad longiorem actionem reuocetis: & vtrinque alter alterius refutet autoritates atque argumentationes. Hæc enim vna ratione, illam vitari posse, quam vos metuitis infinitatem argumentandi & refutandi. Atque vt hoc bona vestra venia ac voluntate, à vobis impetret Capitulum, vehementer orat & rogat te D. Decane, vt sic statuas: Capitulo nihil esse neq; gratius neq; carius, quàm sit doctrina vetus atque pura, Ecclesiæ item pax, atque concordia, tùm etiam tua autoritas atque existimatio: primùm propter ipsam Ecclesiam: deinde propter nostram inter nos necessitudinem, collegarum, amoris, beneficiorum: quæ omnia maximum apud Capitulum pōdus habent. Idem etiam, Pastores à vobis contendunt, vt statuatis: nihil Capitulo antiquius esse, quàm ministerium Ecclesiæ, propter quam Christus suum sanguinem fudit, & extra quam nulla est salus. Statuit etiam Capitulum, illud verum esse: quod, quam fidem studium & diligentiam, obseruantiam, omnes debemus ministerio verbi: eandem etiam omnes ministris debere, iis qui ita agunt, quemadmodum debent agere: ita etiam docent, & ita viuunt, quemadmodum viuere & docere decet verbi ministros, atque Apostolorum & verorum Episcoporum atque Patrum imitatores: quorum vos vestigia ingressi, quamdiu continuabitis atque pergetis, omni amore, obseruantia, reuerentia, eritis dignissimi.

IOHANNIS STVRMII, DE ratione, qua possit dissidium inter D. Marbachium Pastoréśque, & Zanchium componi, iudicium, Dominis qui illud petierunt, exhibitum, die 20. Martij M. D. LXII.

Fit eius mentio in epistola ad D. Landgrauium in 1. Tomo Miscell.

CLarissimi & prudentissimi viri: quæ res vobis magnum dolorem atque molestiam adfert: eadem etiam me & collegas meos, cùm in Schola, tùm in capitulo S. Thomæ, affligit, angitque vehementer, controuersia, quæ est inter D. Marbachium, concionatores, vna ex parte, & ex altera D. Zanchium. Ac vellem, eiusmodi in me ingenium esse, vt meliorem aliquam rationem constituendæ & concordiæ & reconciliandorum animorum demonstrare possem, quàm fuit ea, quam nudius tertius togatus à vobis sententiam paucis indicaui. Sed neque ea facultas mihi concessa est, neque aliud mihi in mentem venit consilium melius: quàm id quod tùm, & subitum coràm, non domo allatum, neque meditatum, exposui.

Eram igitur nudiustertius in ea sententia, in qua & inde ab initio controuersiæ fui: & quam ipsa etiam cognitio vtriusque partis confirmauit, & stabiliuit totum istud tempus, per quod causa ipsa à Capitulo translata ad Dominos nostros Tredecim viros, menses iam sedecim pro concionibus & in scholis à Theologis exagitata est, atque reddita acerbior.

Erat ergo & est adhuc mea sententia, non posse componi hoc dissidium, nisi veniatur vtrinque in collocutionem, & eam eiusmodi, quæ deceat Christianos homines, paucis ex Senatu, prudentibus & doctis viris adhibitis, has præcipuè ob causas: quarum est.

Prima, quod aut nolunt sese in aliquibus capitibus controuersiarum intelligere: aut reuerà non intelligunt. Ergo nō potest de causa fieri facilis cognitio, nisi in collocutionem veniatur. Explicatis verò vel ambiguis, vel obscuris verbis atque sententiis, minus erit laboris, tùm in causa explicanda, tùm in reconciliandis animis. 1.

Veniendū esse in collocutionē, si dissidiū hoc rectè debeat tolli.

Altera causa est: quod concionatores, dicunt, tantum inter suam & Zanchij doctrinam discriminis esse, quantum est inter album & nigrū, diem & noctem. Id quod ex scriptis illorū nō potuimus agnoscere. Ergo si ad colloquiū reuocabuntur: facile erit videre, cuius causa nigra sit, & cuius alba: cuius luceat vt sol interdiu: & cuius obscura sit, vt nocturnæ tenebræ. Neque ad huiusmodi iudicium, magna opus est doctrina: etiam qui pictor non est, modò visu præditus sit, facilè poterit iudicare, qui color albus sit & qui niger: atque etiam idiota, tametsi physicus non sit: tamen ei procliue est cernere, quando die sol luceat, & tenebris nox caliget. 2.

Tertia causa est: quoniam præcipua quæstio est de Prædestinatione & de certitudine fidei electorum. Doctor Marbachius & Pastores in postulatis quinque fatentur, certum esse numerum electorum, & certum reproborum: & illud non negarunt, dum causa à Capitulo cognosceretur. Digressi à Capitulo, in concionibus ad populum, declamatunt: certum numerum electorum asserere diabolicum esse, & diabolicam esse doctrinam. Et harum concionum materiam se accepisse ex Lutheri commentariis in 26. caput Geneseos. Si ad collo- 3.

colloquium veniretur: facilè videri posset : essétne verum quod ex Luthero affirmarunt : & vtrùm ille locus pro concionatoribus , an pro professore Zanchio facere:.

4. Quarta causa est:quamobrem facilis esset futura collocutio : quod iam dicunt (vt ex Melchiore auditum fuit) Conclusiones Zanchij fortassis ferri posse: sed prælectiones eius esse intolerabiles. Sed ipsi iccircò hanc actionem instituerunt : quod conclusiones eas dicerent esse nouas & hæreticas, & Zanchium hæreticum, multis contaminatum hæresibus. Ergo si ad colloquium veniretur : essent ipsi cognitores magna liberati molestia , & Zanchius magno solutus crimine. Quod enim vltrò dat pars altera : in eo elaborandum ampliùs non est.

5. Quinta causa est:quod, si eas conclusiones velint oppugnare , scire oportet , quod hæ conclusiones non à reo,in Scholis,huiusmodi exiguo numero , & ita συλληβδὴν, vel dictatæ, vel disputatæ , vel traditæ sunt : sed ab ipsis collectæ accusatoribus , & repræsentatæ Capitulo. Itaque hic etiam erit facilis explicatio: si reus iubeatur totam doctrinam de Prædestinatione , suis complecti omnibus definitionibus,partitionibus,axiomatibus , conclusionibus. Et accusatores, quoniam accusarunt solùm rei doctrinam , & rei conclusiones paucas : suam autem doctrinam non tradiderunt , neque suas conclusiones opposuerunt: iubeantur iccircò suas quoque conclusiones concipere,vt fiat collatio. Quod si fiat , facilè apparebit,in quibus consentiant, & in quibus dissensio sit:& quomodo fieri possit reconciliatio.

6. Sexta causa : Si accusatores conclusiones concedent: liberati sunt (vt diximus) cognitores magna molestia.Si verò prælectiones oppugnabunt : non difficilis erit explicatio & reconciliatio. Sunt enim duo genera exemplarium. Vnum, quod accusatores adferent : alterum quod reus Habet enim reus omnes suas prælectiones scriptas, septem annorum, in hoc scriptas, vt & pro testimonio vti illis possit,si aliquando opus sit: & vt elimatas diuulget mortalibus. Iam si exemplaria accusatorum,à rei different volumine : nullus labor erit in cognoscenda causa , & pacando dissidio. Si conuenient: necesse erit , vt omnia illa crimina sint vera , quæ Reo obiiciunt, & quæ Reus in sua supplicatione ad Tredecim Viros negat , si in ipsis deprehendantur exemplaribus. Quæ si demonstrarentur , nulla posset esse mora Reum condemnandi. Sexaginta enim (vt opinor) duo sunt:de quibus conuinci possit.

Septima causa : statum continet totius controuersiæ, quam velim Dominos diligenter considerare. Ostendet enim viam, qua breui compendio ex hoc molestissimo labyrintho possint euadere. Dixerunt enim in principio controuersiæ , se non posse discedere ab Argentinensi doctrina,& ab ea quam hæc Respub. 24. annos puram & integram retinuisset in concionibus & Scholis.

Si istud probare potuissent Visitatoribus : sublata fuisset omnis controuersia. Visitatores enim & ego autores fuissemus , vt vel cogerent Zanchium aliter docere : vel iuberent ex vrbe excedere. Sed istud non factum est.Et posteaquam animaduerterent , à Visitatoribus obseruatum esse:se aliter & alia docere & docuisse de cœna Domini , de Prædestinatione , de perseuerantia sanctorum:quàm piæ & honorificæ memoriæ,Capito,Hedio, Bucerus , qui omnes in Scholis docuerunt, quàm etiam Steinlinus, Theobaldus Niger , Lenglinus, qui doctrinæ Scholæ approbatores fuerunt : de reliquis maioribus nostris tacent : de Bucero dicunt, fuisse eum hominem.

Facile erit igitur,iudicare, an videantur retinuisse doctrinam 24. annorum:& an post discessum Buceri, ab ea defecerint, quæ est de prædestinatione sanctorum & eorum perseuerantia,& de cœna Domini: & an habuerint rationem vel confessionis 4. Ciuitatum : & an considerarint, quomodo Senatus noster Augustanæ confessioni subscripserit : & an respexerint concordiam factam & pacem constitutam inter Saxonicas & Germaniæ superioris Ecclesias:& an tùm hanc Scholam , tùm illas Ecclesias nouis conditionibus,& nouis verborum formulis conentur obstringere.

Atque istud septimum caput,maximè ad causam pertinet:quantum ad Scholam, Visitatores, & Rectorem attinet. Non enim hîc solùm Rei Zanchij causa agitur: verùm etiam officium Visitatorum & Rectoris.

Quæ enim quæstio ad Zanchium pertinet : ea est in eo posita : an sit hæreticus. Id quod aduersarij , in cognitione capituli , multis verbis non semel asseuerarunt.

Ad Visitatores verò & Rectorem pertinet : scire , an Scholarcharum & Senatus voluntas ac decretum sit , à confessione 4. ciuitatum & concordia cum D. Martino Luthero constituta, recedere.

Ergo quantum ad hanc partem collocutionis pertinet:non ea est difficilis.Non enim à reis oportet cognoscere quid iuris sit : sed sola Senatus pronuntianda sententia est.

Propter has quas proposui septem causas,videtur mihi facilis fore huius causæ & cognitio & explicatio,si ad collocutionem amicam vtraque pars iubeatur descendere,idoneis adhibitis cognitoribus. Facilius etiam erit, iudicare: cùm, quæ in vtraque parte obscura aut ambigua sunt,explicata erunt. Neque enim vllum est negotium, nigrum ab albo distinguere. Neque difficile erit videre , à quo sit Doct. Martini Lutheri autoritas in Geneseos 26.capite. Longè verò facilior erit cognitio,si à conclusionum accusatione recedent: & vtriusque partis conclusiones inter se comparatæ, exitum poterunt ostẽdere iudicij: & exemplaria inter se collata magnam lucem adferent. Omnis verò controuersia sublata esset, si Senatus ostenderetur voluntas de confessione quatuor ciuitatum, & de concordia inter Lutherum , & Capitonem,atque Bucerum constituta , quæ non solùm ad hãc Rempublicam , sed etiam ad alias ciuitates superioris Germaniæ pertinet.

Opinor clariss.& prudentiss.viri,hanc rationem facilem præ cæteris esse , propter has quas posui septem causas. Atque hæ ipsæ septem copiosiùs & grauiùs explicari possent, si vel causam D.Zanchij defenderem:vel agerem meam.

Verùm non solùm facilitatis ista via est, sed etiam æquitatis. De duobus enim grauissimis criminibus accusatus est: vno , iniuriarum & infamiæ, quod ad ciuilem iudicem pertinet: altero, hæreseos , quod Ecclesiasticæ seueritatis atque condemnationis est. Longè autem hoc grauius est quàm alterum. Altero enim hominis læditur existimatio. Isto verò quod est hæreseos , maiestas Dei violatur. Deinde vulneratus est Zanchius in Scholis & publicis lectionibus , quo in loco deberet adhiberi medicina. Tertiò etiam ad plebem , non vnius templi , sed omnium huius vrbis:neque concione vna, sed quotidianis clamoribus,decimum septimum iam mensem. Per quod tempus , ne quidem Senatus obtinere potuit: vt facerent , quod Christiana charitas postulat & flagitat.

Oro Dominos meos, vt mihi hoc loco ignoscant. Solicitudo de existimatione huius Reip. quàm ego Patriæ meæ anteposui,ad hanc impellit sententiam.Non ea est D.Zanchij persona, vt illius ius negligi debeat. Obiecerunt ei pastores,quod monachus fuerit:sed ex eo collegio,quod est Monachorum Canonicorum ciuili vestitu. & ad quod non nisi vel nobiles , vel ex honestissimis familiis, viri eruditi admittuntur.

Zanchius nobili natus familia Bergomi.Neque ignotum ibi Zanchianæ arcis nomen est. Et huc non accurrit, sed Scholarcharum literis ex Italia vocatus est , D. Iacobi Sturmij,honorificæ memoriæ, D. Iacobi Meieri, D.Friderici Gotesheimij,quas literas ego scripsi,& Domini Scholarchæ subscripserunt : & ea promissione vocatus, vt tam libenter sit nobiscum victurus, quàm Petrus Martyr : neque solùm gratus futurus viris doctis , verùm etiam ciuibus. Habet adhuc literas Zanchius.

De doctrina dicam absque comparatione.Verùm hoc solùm dico, minimè me pro religionis causa solicitum fore , si vel solus Zanchius cum Patribus, qui Tridenti sunt in concilio cogeretur disserere.Et tamen hanc causam religionis,neque vni,neque paucis committendam esse arbitror.

Non iam dico de ipsa causa , quæ controuertitur. Ad hæc iccircò decurri , vt ostenderem metum meum in existimatione vrbis: & vt videretis rationem officij mei, si fortassis videor,Zanchio hucusque non defuisse , dum causa eius cognoscitur. Istud enim requirunt Scholarcharum literæ : id literæ etiam meæ , qui promisi eadem : id necessitudo collegij Thomani : id Scholæ societas.

Addo his: quod in hac consuetudine, placidissimis nobiscum vixerit moribus, neminem ne verbo quidem læserit vel maledico, vel maleuolo. Neque istud prætereundum est, non minùs Zanchium pertinere ad ministerium Ecclesiæ, quàm illius accusatores. Numquam enim Doctor Concionatore habitus fuit inferior. Minister, parochus, concionator: sed minister etiam scriptor Thomas Aquinas. Et libri dogmatici Augustini, tantò præstantiores sunt homiliis: quantum peritus imperitum superat.

Sed redeo ad id vnde digressus sum. Eam rationem quam suprà posui, die Veneris etiam aliquo modo ex me cognouistis. Verùm veniebat tùm mihi in mentem, aliquam vos quærere aliam rationem, & cupere, si fieri possit, non solùm iudicium, verùm etiam disputationem neque disputationem tantùm, verùm etiam collocutionem vel amicam vitare. Ego certè aliam faciliorem & iustiorem non habeo pro hoc tempore. Sed tamen posse quædam fieri ante collocutionem, quæ fortassis pro collocutione & disputatione, imò pro iudicio esse possint, non possum inficiari. Atque ista hæc ratio est.

Clariss. viri haberis in supplicatione Zanchij c2. crimina, quæ à Zanchio recusantur.

Prima igitur commoda ratio esset, accusatores interrogare, si de his illum accusent criminibus. Si negent: liberatus est Zanchius à multis vulneribus: & qui totus videbatur scabiosus: iam quatuor solùm molestatur vlceribus: Antichristi, Prædestinationis, perseuerantiæ, cœnæ Dominicæ. Si fatebuntur vera crimina, refutent ea quæ vobis Zanchius obtulit. Fortassis ita laborabunt hic, vt se ferant deduci ad leniores conditiones concordiæ: præsertim si eis ostendatur, intelligere Dominos, à Zanchio illas duras & odiosas conclusiones non fuisse in Scholis nec dictatas, nec disputatas: sed ab ipsis ex iuuenum commentariolis collectas. Si demonstretur, in quinque postularis esse concessum, certum numerum esse electorum & reproborum: & iam vocari illam doctrinam hæreticam in concionibus. Si interrogentur: cur vno die subitò Zanchius & amicus & inimicus fuerit, orthodoxus & hæreticus: antequam vlla in Scholis, aut colloquiis fuerit disceptatio, aut offensio de doctrina. Sed quid ego hæc ad Dominos, qui sine dubio plura habent, in quibus peccarunt & peccent, de quibus moneri queant? Adderem etiam, quomodo cum Zanchio agendum esset, si putarem eum vllam velle iustam rationem recusare concordiæ. De theologis verò ista posui, quod eos metuo fore duriores, propter autoritatem qua nituntur atque confidunt. Sed tamen si hac ratione, aut aliqua meliore, eorum animi terrerentur: fortassis duci se ad pacem paterentur hac ratione.

Argentina quatenus Augustanę cōfessioni subscripserit.

Suinfurdij anno 1532. ita ad confessionem Saxonicam, hoc est, Augustanam, accessit Senatus noster, vt ingenuè testaretur, se non recedere à confessione sua & à sua Apologia: quæ quatuor erat ciuitatum. id quod à principibus protestantibus concessum est: quo confitebantur: eam confessionem ab Augustana non dissentire reipsa. Quia verò ea pars confessionis Saxonicæ quæ exponit dogmata cum sua confessione reipsa conueniebat: non grauatus est & huic cum sua subscribere. De cæremoniis verò, quæ Augustana habet confessio: se Magistratus obstrinxit minimè.

VVittebergæ verò concordia facta est in dissidio Eucharistiæ, anno 1536. inter Ecclesias Saxonicas & Germaniæ superioris, à Luthero & Philippo Melanchthone: Capitone & Bucero. Vixit Lutherus ab eo anno vsque ad annum 46. hoc est, annos 10. post factam concordiam. Vixit Bucerus, vsque ad annum 52. Philippus vsque ad annum 60. Exstat etiam forma concordiæ: exstant scripta & Buceri & Melanchthonis. In retractationibus etiam Buceri, facilè apparet, quos libros ipse suos agnoscat, & eorum doctrinam, qui adhuc viuo Capitone & viuo Hedione sunt editi.

Esset igitur expedita ratio, Si Senatui placeret, ita decernere: Esse perpetuam voluntatem Senatus, à Confessione Augustana non recedere: sed tamen ita, vt à sua non recedat. Itaque in Confessione Augustana interpretanda, eam rationem Senatus teneri vult vt à Cōfessione Maiorum suorum non recedat: neque Schola à vestigiis primorum Theologorum, Capitonis, Hedionis, Buceri declinet. Idem in negotio Eucharistico statuit, vt quod Lutherus concessit nostræ Ecclesiæ annis decem: id retineatur. Et quæ post Lutherum Melanchthon in hac quæstione tradidit in Saxonicis Ecclesiis & in nostra Republica, Bucerus & Hedio: ea autoritatem habeant in controuersiis & disputationibus: præcipuam verò autoritatem, Scripta Prophetarum & Apostolorum. Sed tamen etiam Senatum in hac controuersia velle, vt toto hoc anno nulla sit disputatio: & quoties aliquis locus occurrit in Scholis & explicando autore sacro: non plus dicatur, quàm in formula summaria confessionis quæ edita est: & ad id caput auditores remittantur. Idem statuere Senatum de tribus aliis quæstionibus, de fine Sæculi, de Prædestinatione, de perseuerantia Sanctorum: vt de his nulla sit disputatio hoc anno in Scholis aut Ecclesiis: neque post hunc annum absque Senatus permissu. Quòd si verò de his tribus, locus aliquis autoris sacri, qui explicatur, occurrit: non plus dicatur, quàm veritas & sententia illius loci requirunt: & quod dicetur, non pugnet cum orthodoxis scriptoribus.

Lutheri, Melanchthonis, Oecolampadij Zvvinglij & similium doctorum virorum, tam viuorum quàm mortuorum, nulla fiat mentio, nisi vel honorifica, vel bona. Nullius etiam Ecclesiæ, siue in Saxonia, siue in Heluetia, siue in Italia, siue Anglia, nomen nominetur cum vituperatione & dedecore: neque in Scholis, neque in concionibus.

Et quoniam Senatus obseruat, dissidium inde ortum habere, quod Professores Scholæ in Ecclesiastico conuentu non fuerint adhibiti, neque communicata Ecclesiæ & Scholæ consilia: vult Senatus, vt edictum superioris anni de conuentu Ecclesiastico autoritatem habeat. Vult etiam, vt in Ecclesiastico conuentu intersint Professores Theologi: vt communi consilio, vtriusque collegij res, Ecclesiæ & Scholæ, gerantur.

Sed tamen quidquid ab iis statuetur, quidquid illud sit, si sit nouum aut contrarium superiorum annorum institutis: id ratum esse non debet, antequam à Senatu comprobetur.

Controuersiæ verò si quæ vel in Ecclesia, vel in Schola orientur, antequam vel in lectionibus & disputationibus exagitentur: vel exacerbentur in concionibus: primum ad vtrumque conuentum referantur: & quod ibi probatum erit, id autoritatem tum demum habere videbitur, cum Senatus autoritate erit stabilitum.

In lectionibus Theologicis, quotidiè intersit vel vnus, vel plures ex Professoribus: item vel vnus vel plures ex publicis professoribus, siue Iurisconsultus, siue Medicus, siue Physicus, siue Logicus, siue linguarum interpres, præsertim etiam, cùm non docent ea hora in classibus, duo primi classici.

Hanc ego, clarissimi viri, idoneam rationem esse puto pacandi dissidij, antequam ad collocutionem veniatur: Et spero, adduci posse Zanchium, vt huic Senatusconsulto obtemperet libenter. Spero etiam, non recusaturam alteram partem, si viri velint videri boni & Christianæ charitatis.

Sed quoniam Zanchius cupit liberari crimine infamiæ, speramus, contentum fore Senatus sententia, si pronuntiet: videri Senatui, vtranque partem bonorum & piorum virorum esse: & vtrique parti integram manere existimationem & autoritatem.

Si Theologi postulabunt: vt Zanchius consentienter doceat de Cœna Domini secum, responderi potest: Zanchium fateri, & velle docere: Verum corpus & verum sanguinem Christi, ipsum etiam Christum cum nouo fœdere, omnibusque meritis, in Cœna sumi: ita vt verè ac substantialiter in nobis Dominus cum omni sua plenitudine diuinitatis habitet. Sed vt oralem manducationem, quæ à carnali nihil differt, & Impiorum manducationem doceat: primum negat Zanchius, se ad id cogi posse doctrina huius Ecclesiæ maiorum. Deinde facturum etiam id, si sibi ex sacris literis Prophetarum & Apostolorum poterit demonstrari. Senatum vlterius se cogere non posse, nisi facere velit contra Confessionem 4. ciuitatum, & contra consuetudinem huius ciuitatis.

Si de Prædestinatione scire cupient, quid Senatus sentiat: responderi poterit, Senatum intelligere Bucerum & Capitonem & Hedionem ita docuisse: & Melchiorem habuisse duas conciones planè Hofmannicas & exstare Senatus iudicium contra Hofmannum habi-

tum.Itaque videri Senatui, se condemnare Zanchium non posse: nisi etiam Maiores suos velit condemnare.

Si de certitudine fidei, & de Perseuerantia Sanctorum: poterit responderi: Senatum intelligere, in colloquio Ratisbonensi, Bucerum præsente Brentio & Pistorio, hoc dogma de certitudine fidei defendisse contra Måluendam & alios doctores Papisticos. Ergo ne hic quidem videri Senatui, aliquid pronunciandum esse, ne publica protestantium videatur Acta condemnasse: præsertim etiam hoc tempore & hoc periculo Gallicarum Ecclesiarum, quæ etiam dogma de certitudine fidei defendunt. Quarum condemnatio nihil esset aliud, quàm magnæ persecutionis excitatio, si Papistæ fierent in illo regno superiores.

Si de fine Sæculi, respondendum: Zanchium non negare, iam inde ab Apostolo Paulo annos 1500. esse nouissima tempora: & totidem nos annis propiùs accessisse ad finem sæculi: & quotidie diem Domini exspectandum ac metuendum esse in delictis hominum. Sed negare: præsciri vel horam, vel diem, vel vllum certum tempus posse. Et quod de hac quæstione disseruerit: in vtramque partem disseruisse probabiliter: vbi verò asseueratio non est: ibi hæresis nulla est.

Habetis, clarissimi viri, meam sententiam de componendo dissidio, quam vobis exposui, non vt consilium: non enim tantùm mihi arrogo: sed vt obseruantiam erga Magistratum meum qui istud mihi mandauit. Si quid verò in his sit, quod habeat opus declaratione, quoad potero, explicabo: quoties huiusmodi à me postulabitur. Et fateor, in collocutione constituenda, opus esse certa ratione & ordine, de quo nihil scribere volui: antequam scirem, quomodo hæc placeret sententia. Sic etiam constituendo & contemperando Ecclesiastico conuentu, opus est certa ratione: in delectu virorum, in numero, in rogandis sententiis, in ipso eorum qui rogantur, ordine. Sed vtinam nihil, nisi istud esset reliquum.

Redeo ad me, clarissimi viri, & oro vos per Iesum Christum: Primò, vt ista in eam partem accipiatis, in quam scribo, studij erga pacem Ecclesiæ, obseruantiæ erga Magistratum meum. Deinde, vt cogitetis, his me sedecim mensibus, nullam vacuam habuisse horam à molestia & solicitudine propter istud dissidium, & Scholæ maximum detrimentum. Postremò, quantum homo homini, & Christianus Christiano, & collega collegæ, & collegium collegio, & ministerium ministerio tribuere debet: tantum me concessurum pacis causa, Theologis, collegis, & fratribus meis.

Eius mentio fit in 1. Tom. Miscell. in Epistola ad Landgrauiû. Mens. Iulio Anno 61.

SVPPLICATIO PROFESSORUM Scholæ Argentinensis: in controuersia inter ipsos, & Pastores: Senatui Argentinensi, Dominis suis clementissimis exhibita.

Annus iam agitur, clarissimi Domini, & sextus mensis: quum subitò à D. Marbachio, contra D. Zanchium dissidium motum est: neque his mensibus octodecim, componi adhuc potuit: neque à Visitatoribus, neque à Capitulo, neque à Tredecim Viris. Et fortassis ferre posset hoc detrimentum Respublica, tametsi magnum est; si inter hos duos hæc se continuisset discordia. Sed quoniam, posteaquam D. Marbachius Pastores pertraxit in hanc conspirationem, & grauibus calumniis Capitulum & Scholam clàm opprimere conatus est: etiam iste motus ita Capitulum & Scholam percussit, vt propè implacabile odium inter Scholam & Theologos exstiterit: videtur istud dissidium proximè à Scholæ abesse exitio.

Ac certè libenter nos patimur Tredecim virorum esse autoritatem: neque alios vel Iudices, vel Arbitros, vel Placatores postularemus: si modum aliquem accusatores nostri suæ iniuriæ ac intolerabilis potestatis tenerent.

Eò enim deuenerunt audaciæ, vt antequam causa iudicata à Tredecim Viris sit, pro arbitratu D. Marbachius, in quos vult, animaduerterit: Ex collegio Prædicatorum propter hanc causam, ignorantibus Scholarchis, aliquos stipendiis non suis, sed aliorum fundatorum spoliarit, & ex Collegio illo eiecerit. Idem fecit in Collegio VVilhelmitano, ex quo ipsum pedagogum eiecit: quod in sua verba iurare de Cœna Domini recusarit, non contentus confessione nostri Magistratus, quam Senatus Cæsari anno 30. obtulit: cùm cum simul subscriberet Principum Confessioni: in ea parte quæ est de dogmatibus: tanquam consentienti eum nostræ Reipubl. Confessione: non contentus etiam illis loquendi modis, quibus Bucerus est vsus, etiam in suis retractationibus & in Commentariis in Epistolam ad Romanos: non contentus etiam Confessionibus nostrorum maiorum: & quam cõscripserunt anno 33. & quam anno 39. & quam anno 48.

Quod aduersus Gilbertum concionatorem Hospitalis agit: non quidem ad nos pertinet: sed tamen ad nos etiam pertinet, quod illius Confessioni non vult acquiescere, quæ conformis est Maiorum nostrorum doctrinæ ab anno 36. vsque ad annum 48. Ex quo facilè intelligere possumus, quos ille cuniculos faciat, & ad quam hominum arcem cogitet.

Nam hesterno die, qui fuit festus D. Ioan. Baptistæ 24. Iunij: ex Laurentio Englero auditum est, Marbachium confessionem obtulisse Senatui, nihil in illa immutaturum. Sic stare omnium sententiam. Conradum Hubertum, Diaconum S. Thomæ ab Ecclesiastico conuentu exclusum iri, Melchiorem recusaturum cum eo communicare in cœna Domini: summa, eiectum iri.

Istud eorum consilium & institutum, vel potiùs cupiditas & audacia, & violenta potestas, ampliùs neque à capitulo, neque à Visitatoribus, neque à Professoribus ferri potest.

Conradus enim Hubertus omnium Diaconorum maximè senex est: & diutissimè huic Ecclesiæ ministrauit. Deinde necessarius noster est, & collega in Capitulo S. Thomæ. Postremò eandem nobiscum contra accusatores nostros, causam sustinet: qui condemnari ab ipsis inimicis non potest, nisi nos eodem iugulemur iudicio: præsertim cùm hactenùs nobis potestas facta non sit, causam nostram legitimo defendendi iudicio.

Ipsi dixerunt: nos dixisse, à XIII. Viris nobis commissum esse, vt causam, quam contra Zanchium constituerunt, cognosceremus: id quod falsum est.

Ipsi dixerunt: nos se voluisse nouo generi iurisiurandi astringere. Falsum est.

Ipsi dixerunt: partialiter nos egisse in ipsa cognitione causæ. Falsum est.

Ipsi dixerunt: nos dissidij istius autores esse: & in quæstione de cœna Domini perturbare Ecclesiam Argentinensem. Falsum est.

Ipsi dixerunt: hostes nos esse Ecclesiæ Argentinensis. Mendacium est.

Ipsi dixerunt, Rectorem & Visitatores & Professores, Zvvinglianos & Caluinistas, hoc est, Suermeros esse, iniuria & mendacium est.

Ipsi dixerunt, Zanchium nos defendere, qui homo sit morosus & innumeris infectus hæresibus, quorum nullum capitulo probare potuerunt, Et falsum est quod de moribus illius iactitant.

Ipsi dicunt, nos contra Augustanam confessionem sentire de cœna Domini. Quod pernegamus.

Ipsi autores sunt, vt per Saxoniam sparsa fama sit, Rectorem & Professores Argentinenses tueri doctrinam Zvvinglij atque Caluini, id quod probare non poterunt, nisi idem Zvvinglius & Caluinus doceat, quod Capito, Bucerus, Hedio, Zellius, cæterique docuerunt, & noster Magistratus Cæsari in Comitiis confessus est.

In his iniuriis, clariss. viri & Clementes Domini, defendi à vobis postulamus, dum hæc crimina in nobis hærere, probare non poterunt, & hæc vos diligenter animaduertere atque considerare, quæ contra asserimus.

Dicimus D. Marbachium in summa pace septem annorum, subitò sine causa ad has decurrisse inimicitias, vindictæ causâ, & vt suum Dominatum constituat.

Dicimus, quæ Zanchius ante septem annos docuit de Electione Sanctorum, ea demùm superiore anno ex deprauatis scriptis discipulorum eruisse, & ad accusandum producere.

Dicimus, quæ in hac doctrina intelligi & capi non possunt à vulgo, & solùm doctis nota sunt, & propterea primo aspectu horrida, in conclusiones redegisse, omisisse autem ea, per quæ hæc, quæ horrenda sunt, demonstrantur suauius.

Dicimus, eos aliter docere de cœna Domini; & Ele-

ctione ſanctorum, eorúmque perſeuerantia in fide: quàm Capito, Bucerus, Hedio docuerunt.

Dicimus: nos non potuiſſe hucuſque obſeruare, Zanchium ſecùs de his quæſtionibus docuiſſe, quàm maiores noſtri, quos iam nominauimus: neque hos aliud docuiſſe, quàm Lutherum, neque Lutherum aliud, quàm Auguſtinum: neque Auguſtinum aliud, quàm Prophetas, Apoſtolos, Chriſtum.

Dicimus: Capitonem piæ memoriæ, in ſuo Germanico Catechiſmo puerorum, ipſis pueris hanc doctrinam propoſuiſſe, anno vno ante confeſſionem noſtram Auguſtanam.

Dicimus: Zanchium quatuor annis nihil vel docuiſſe, vel ad diſputandum propoſuiſſe de cœna Domini.

Dicimus: Marbachium id agere, id conari, id moliri, vt noſtræ vrbis Auguſtana confeſſio habeatur pro erronea: & non ſolùm concionatores maiores noſtri: verùm etiam legati in Comitiis noſtræ Reipublicæ; verùm etiam Senatus totus, totáque Reſpub. videatur non rectè de cœna Domini ſenſiſſe. Atque iſtud idem dicimus. Heshuſium de noſtra Rep. ſcribere. Qui tamen quales viri fuerint quàm graues, quàm prudentes, quàm experientes, quàm modeſti, quàm pij, vobis æſtimandum & commemorandum relinquimus.

Dicimus ea conditione legatos noſtros Svvinfurti anno 32. fœdus oblatum ab Electore Duce Saxoniæ, & Lantgrauio, non recuſaſſe: & iis legibus ſubſcripſiſſe Auguſtanæ confeſſioni: in ea parte, quæ eſt de doctrina, non de cæremoniis: quaſi noſtræ ciuitatis & quatuor ciuitatum confeſſioni conſentienti: atque ea de cauſa non ſolùm confeſſioni Principum ſubſcripſiſſe: ſed ſuam etiam retinuiſſe.

Dicimus, Capitonem, Hedionem, Bucerum in hac confeſſione nihil immutaſſe: Bucerum verò vſque ad extremum ſpiritum in poſtremis etiam ſcriptis huius Confeſſionis veritatem defendiſſe.

Dicimus: Lutherum nihil aliud à noſtris concionatoribus poſtulaſſe: poſteaquam in collocutionem ventum eſt: quàm quod in illa confeſſione continetur, & in Articulis concordiæ inter ipſos conſtitutum eſt.

Dicimus: à Luthero cuique Eccleſiæ liberos ſuos loquendi modos de cœna Domini, relictos eſſe: modò veram Chriſti & corpus eius præſentiam fateantur.

Dicimus: hanc concordiam ſalutarem fuiſſe in imperio: & huius concordiæ laudem ad ſolam hanc ciuitatem pertinere, propter Capitonem, Hedionem, Bucerũ: qui principes eius actionis erant. Hanc autem laudem tolli ab hac Republica: ipſámque concordiam diſcindi, hac importunitate Marbachij & concionatorum.

Dicimus: Bucerum, & Capitonem, & Hedionem tempore eo reſpexiſſe, vt Saxonicas Eccleſias in amicitia retinerent: & Heluetiicas atque alias ad eandem neceſſitudinem pertraherent: & eundem Bucerum etiam in retractationibus honorificam feciſſe mentionem Oecolampadij & zvvinglij: noſtros verò aduerſarios contra facere: hanc concordiam in obliuionem trahere: & de aliis Eccleſiis concionari cum magnis iniuriis atque contumeliis.

Dicimus: totis his 18. menſibus, neque in concionibus, neque in colloquiis, neque in vllis actionibus vllam ſignificationem dediſſe nobis Chriſtianæ caritatis, ſine qua Spiritus ſanctus eſſe non poteſt: omni ſcriptura teſte, quæ falſa non eſt.

Dicimus: eos noſtram controuerſiam in nulla concione populo verè propoſuiſſe: ſed ita egiſſe, quemadmodum intelligunt egiſſe qui cauſæ veritatem norunt.

Dicimus: quemadmodum nobiſcum nullam cogitarunt coire concordiam, ſed ſolùm, vt vel diceremus AMEN, vel, vt vltrò, coacti faſtidio, abiremus: ita etiam non reſpicere diſcordias Eccleſiarum exterarum, neque earum detrimenta, ſed ſolum vt ipſi viciſſe videantur.

Dicimus hoc agi, vt abolita confeſſione Auguſtana noſtræ vrbis, & autoritate Buceri. Doct. Marbachius videatur hanc vrbem à magna multorum annorum hæreſi ad veram doctrinam deduxiſſe: idque primùm aliquot annis poſt mortem Hedionis, & magna cautione: hoc vero anno, tota acie armatáque manu obtinuiſſe.

Dicimus agere aduerſarios hîc, non vt vera ſententia reſtituatur, quæ à tempore concordiæ in hac vrbe vſque ad diſceſſum Buceri retenta fuit: ſed prætextu veritatis, & confeſſio noſtræ ciuitatis, & confeſſiones tres: vna, anni 33. magnæ ſynodi: altera paruæ ſynodi, quarta 48. cui ipſe Marbachius ſubſcripſit; tollantur, vt Capitonis & Buceri viloſcat autoritas: quantumuis magnis Bucerum iam incipiunt euehere laudibus. Quod ſi fit: videbuntur Legati ciuitatis ipſéque Senatus & Ciues falſum Cæſari dixiſſe, non verum confeſſi eſſe, aut imperiti eſſe & immemores Actorum Maiorum ſuorum, & veteris oblitos ſuæ Reipublicæ. Videbimur etiam nos Viſitatores, qui partim 34. annorum, partim 26. annorum memoriam rerum Scholaſticarum habemus, omnem neglexiſſe Maiorum noſtrorum veritatem: *id denique agunt vnà, vt ab vna noua confeſſione, quatuor veteres iugulentur.*

Hæc, clariſſ. viri, diximus, & plura habemus, quæ verè dicere poſſemus. Sed quoniam illa acria eſſent, prætereunda duximus, neque hæc dicimus exaggerandi causâ, ſed quod veritas atque dolor ea exprimat.

Sed quoniam Theologi ſuam, vt audimus, confeſſionem nudiuſtertius 24. Iunij, Dominis dederunt, damus etiam nos noſtram breuiorem, & vt ſperamus clariorem, quàm eorum ſit: quæ non tam eſt noſtra, quàm Capitonis, Hedionis, Buceri, Zellij, omnium miniſtrorum anni 39. à qua diſcedere ipſi non poſſimus, & quam parati ſumus contra omnes inimicos huius veritatis defendere vel colloquendo, vel diſputando, vel ſcribendo, vel docendo, quam à Bucero habemus ſcriptam, à Capitone, Hedione, Zellio annotatam ſuâ ipſorum manu: id quod ipſo exemplari comprobare poſſumus, quæ duo præcipua capita huius diſſidij continet, vnum de Electione ſanctorum, & propterea de eorundem perſeuerantia, alterum de cœna Domini, quam confeſſionem, oramus, vt diligenter velitis animaduertere.

Audiuiſtis, clariſſimi viri, quæ Paſtores de nobis dicant, & nos falſa eſſe aſſeueramus: & multò plura haberemus dicere, eáque grauia, quæ temporis & concordiæ causâ præterimus. Audiuiſtis etiam, quæ nos de illis dicamus, aſſeueremus, conqueramur: & longè alia, eáque grauiora adferre poſſemus, non iniurias ſolùm, ſed iniuriarum argumenta, & demonſtrationes, quę iiſdem de cauſis, temporis ſcilicet atque concordiæ, omittimus.

Vt tamen his incommodis & detrimentis Eccleſiæ & Scholæ reſiſti queat: hæc ſunt, quorum cauſa ad vos venimus, & quæ à vobis humilibus animis precamur.

Primum. Vt cum Theologis agant, quò contenti ſint quatuor huius vrbis Confeſſionibus Vna Magiſtratus, quam Auguſtæ anno 30. Cæſari obtulerunt quam Elector Saxoniæ, Landgrauius, & Legati Principum ſuæ Confeſſioni conſentaneam eſſe dixerunt atque approbarunt: & ad quam Bucerus in omnibus ſuis ſcriptis, etiam poſtremis, in dubiis rebus ſuos lectores remittit. *Quatuor Confeſsiones Argentinens. Eccleſiæ.* 1.
Altera, quam Paſtores, Capito, Hedio, Bucerus, Zellius, cæterique parochi & miniſtri anno 33. contra Hofmannum & hæreticos illius temporis propoſuerunt. 2. Tertiò, quam ediderunt anno 39. in minore Synodo, quæ fuit conceſſu à Senatu, vt ſexto quoque anno haberetur, ad retinendam puritatem & diſciplinam Eccleſiæ: in quâ apparet, quid illi magni viri ſenſerint de his controuerſiis, quæ nunc inter Paſtores & Scholam verſantur. 3.
Quarta, quam diuulgarunt anno 48. cùm adhuc Bucerus adeſſet, & viueret Hedio: cui etiam Marbachius ſubſcripſit. 4.

Hoc vnum eſt quod poſtulamus nobis concedi à Paſtoribus. Alterum, Vt ſi aliquid dubij oriatur in Confeſſione Auguſtana Principum, quæ iam ſæpè retractata eſt: illius dubij non reſponſionem cogamur accipere ex libris Heshuſij, aut Ioachimi VVeſtphali, aut ex ſenſu & vtilitate Marbachij, aut ex clamoribus Melchioris Specceri, vel Hofmannici alicuius; ſed ex ſacris literis & Patribus, ex ſcriptis, diſputationibus, lectionibus Maiorum noſtrorum, & quatuor noſtrę vrbis, quas nominauimus, Confeſſionibus, & præſertim ex Apologia Confeſſionis quatuor Ciuitatum. Atque hęc petitio tam magni momenti eſt, vt niſi à Paſtoribus obtineatur, nunquam futura ſit concordia, nullus vnquam verè doctus poſſit cum illis viuere, nunquam puritas doctrinę queat retineri in hac Republica. *Aug. Conf. interpretatio.*

Tertium: vt diſputationes Collegio reſtituant, quæ iam menſes 18. ſilent: & vt vel diſputent nobiſcum, ſiue in Schola, ſiue coram arbitris Senatoribus & doctis viris, ſiue in conuentu Theologico & Eccleſiaſtico, ſiue Scholaſtico, ſiue Capitulo S. Thomæ: vel deſinant in concionibus de his quæſtionibus dicere quæ falſiſſima ſunt, & probari nunquam poterunt: & in concionibus ita de

ita de Cœna Domini desinant de Svvermeris dicere, vt in eodem numero etiam magnos, magnos illos viros comprehendant, non solùm Zvvinglium, & qui adhuc viuunt Tigurinos: verùm etiam Ioh. Oecolampadium, Simonem Grynæum: quorum ipsi eruditionem nunquam consequentur: etiam totam Galliam, Italiam, Angliam: de quibus omnibus viris & nationibus Capito & Bucerus honorificè senserunt, etiam in ipsis Retractationibus, hoc est, clarioribus & nouis explicationibus harum controuersiarum.

Quartum: Vt decretum Senatus seruent, vt nihil decernant, aut noui aliquid instituant, absque scitu presbyterorum: neque hi aliquid absque consensu Magistratuum: & vt Conuentus Ecclesiasticus reuocetur ad antiquam suam formam: de qua Senatus sapientissimum & salutare decretum fecit anno superiore: Cui si Pastores obtemperassent, iamdudùm hæc fuisset explicata controuersia. Quæ forma si retenta fuisset: non ad has potuissent decurrere inimicitias.

Postremum: vt quoniam in Capitulo librum ostenderunt contra conclusiones D. Zanchij, quem recitare quidem in Capitulo pręcipitanter, parati erant: sed relinquere Capitulo, vt diligenter examinaret, noluerunt: & quoniam Confessionem Senatui his diebus obtulerunt: rogamus Dominos nostros; vt vtrunque Scriptum nobis exhibeant: quo de vtroque possimus nostram explicare sententiam. Quod ita faciemus, vt & rationem constituendæ concordiæ, & veritatis, & obedientiæ erga Magistratum nostrum, summam videamur habuisse. Et quoniam duas orationes Marbachij aduersus Zanchium habitas nos neque Zanchio ostendimus, concordiæ spe: neque nostram de his exposuimus sententiam in Actis nostris, si neque colloqui, neque disputare volunt: vt nobis liceat ad has respondere, & huiusmodi responsionem, cùm absoluta erit, ad Acta illa adiicere. Et quoniam ipsi Acta quædam sua Tredecim viris tradiderunt, quæ nos non vidimus: & illa liceat nobis cum nostris conferre Actis, quæ dicimus esse verissima, absque vna commutata sententiola.

Atque istud postremum propterea petimus, quod absque hoc causam non posse commodè iudicari, arbitramur. Non pigebit nos huius laboris atque scriptionis: si vobis Dominis non displicebit nostra petitio, quibus omnem in nostro ministerio diligentiam, studium, solicitudinem, obseruantiam, pacem, atque concordiam pollicemur: quanquam isto postremo labore non esset opus neque Magistratui in cognoscendo, neque nobis in scribendo, si conceditur collocutio & disputatio: sine qua, non videmus, quomodo componi istud dissidium possit, vt veritas retineatur, & doctrina pura in Schola maneat.

SVPPLICATIO CAPITULI, ad delectos à Senatu viros, in cognoscenda Theologica controuersia.

CLarissimi viri, & clementes Domini: die Sabbathi ad decimam septimam Octobris, cùm examen haberetur trium personarum, Doctoris Hieronymi Massarij, Christophori Stipitij, & Ioannis Grundlingeri: & mentionem facerent examinatores confessionis huius vrbis, quæ nobis in Examine à nostro Magistratu, anno 1539. præscripta est: quam Examinatores sequi in eligenda persona canonicali debeant: interpellauit Magister Melchior Speccerus, se non agnoscere, inquiens, nisi vnam confessionem Augustanam: Magistratum à sua confessione recessisse: & id volebat nos ex Scholarchis rogare, annon ita sese res haberet. In eandem sententiam locutus est Laurentius Englerus.

Ex horum oratione & ex aliis voculis, quæ ex ipsis auditæ erant, suspicati sunt Examinatores, Dominis nostris persuasum esse: Capitulum Augustanam Confessionem non agnoscere, aut illi aliquid derogare velle: quod publicæ concordiæ officere, aut ciuitati nostræ possit periculum creare, aut apud nos inter Professores & Pastores fouere dissidium, à quo Professores sunt alienissimi qui in istud dissidium Theologicum ab ipsis Theologis inuiti & necessariò pertracti sumus.

Ob hanc interpellationem, & ob alias aliquot voculas, quæ ante Examen per aliquot dies erant exauditæ, Rector Iobannes Sturmius Præpositus Collegij & Examinator, pro se & Christiano Herlino & Conrado Huberto, & Theobaldo Theodorico in hoc examine iuratis Examinatoribus, hanc protestationem recitauit.

PROTESTATIO EXAMINATORUM D. Thomæ collegij, facta, Anno 1561. 17. Mensis Octobris, in examinatione D. Hieron. Massarij Medici, præsentibus Dominis Scholarchis, Petro Sturmio, Carolo Mügio, Friderico à Gottesheim.

Fit eius mentio in epistola supradicta.

EXaminatores fuere, D. Ioh. Sturmius; D. Georg. Nesselius; Conr. Hubertus; Theobaldus Theodorici.

Nos protestamur, ita nos retinere Confessionem Augustanam nostræ Ciuitatis, Cæsareæ Maiestati oblatam anno 30. vt etiam Augustanæ Confessioni Principum subscribamus: imò pollicemur eam orthodoxè intellectam, nos vnà cum nostra defensuros contra Pontificios, contra Sectarios, contra omnes hostes Euangelij & veritatis.

Quod verò nostræ vrbis Confessioni nominatim volumus examinando adstringere hæ nos causæ mouent.

Vna: quod tribus in locis in forma Examinis illud nobis à nostro Senatu præscribitur, qui hanc etiam nobis formam præscripsit examinis, secundùm quam examen velit fieri.

Altera causa est: quod istud facere, pertinet ad honorem & existimationem huius vrbis & ciuium, & in primis nostri Magistratus præsentis: qui, quod Maiores nostri anno 30. Augustæ Carolo quinto confessi sint, & 32. à Principibus Euangelicis Svvinfurti vltrò concessum, vt & suam retineant, & Principum Confessioni subscribant, illud etiam ipsi retineant, neque sibi eripi patiantur.

Svvinfurti enim ea conditione subscripserunt Confessioni Principum Augustanæ anno 32. vt ei parti nequaquam subscriberent, quæ est de ceremoniis: propterea quod alios ritus, quàm Saxonica habet Confessio, obseruaret nostra Respubl. Deinde sic receperunt priorem partem Saxonicæ Confessionis (quæ est de dogmatibus & articulis fidei) vt nostræ consonantem. etiam in articulo de Cœna Domini: non solùm in articulis aliis: eóque respondebant, haudquaquam nostram Saxonicæ cedendam esse: quod est quoque à nostris factum Legatis, & à Senatu comprobatum & retentum. Atque hoc pacto Svvinfurti Legati nostræ Ciuitatis ingenuè testati sunt, à sua Confessione se haudquaquam cessuros: & ab altera parte idem concessum est. Et hîc primùm Svvinfurti ad Confessionem Principum accesserunt, vt à sua non recederent.

Causæ verò huius conciliationis duæ fuerunt. Vna: quod cupiebant fœdus facere cum Ciuitatibus Germaniæ superioris, Principes. Altera: quod metuebant, Palatinum & Moguntinum Electores, tùm Commissarios Cæsaris, non velle nisi vnam Confessionem, in pacis cõditionibus admittere.

Tertia causa est: quamobrem nos etiam nostræ vrbis Confessionem cum Confessione Augustana retinendam arbitramur: quod Confessio ministrorum Ecclesiæ Argentinensis facta in synodo minore anni 39. cui subscripserunt Capito, Hedio, Bucerus, Zellius, Theobaldus Niger, Steinlinus: & Confessio altera Pastorum & ministrorum, quæ edita est anno XLVIII. cui etiam Marbachius subscripsit: consentanea sit Augustanæ nostræ ciuitatis Confessioni, in omnibus, & eam breuiter & dilucidè explicent, neque Principum Confessioni in nullo dogmate repugnent.

Quarta causa: quod verba nostræ Confessionis magis accommodata sint ad concordiam cõstitutam inter Lutherum & nostros Theologos, anno 36. vt non solùm illa retineri possit, coli & recoli: sed etiam per illam & illius articulos & verba reliquæ Ecclesiæ quæ nondum

accesserunt ad hanc concordiam, aditum ad candem concordiam illam haberent patefactum, quæ sunt quâ-plurimæ in Italia, in Anglia, in Gallia quas speramus hac media ratione ad consensionem & concordiam omnium Ecclesiarum accessuros.

Quinta caussa est: vt, quæ libertas Ecclesiis concessa est in concordia anni 36. quantum ad modos loquendi attinet: eadem nobis adhuc concedatur: vt, quod Lutheri bonitas concessit, id nobis alicuius hominis, quicunque ille sit, non eripiat sæuitia. Et quod concessum fuit propter temporis illius statum: idem nobis hoc nostro necessario tempore, non auferatur.

Protestamur etiam, quod modos loquendi Saxonicarum Ecclesiarum non improbamus: in pane corpus Domini sumi, in calice sanguinem Domini bibi: sed ita, vt Lutherus, honorificæ memoriæ vir, sese explanauit, vt iste cibus, non sit cibus ventris, neque corpus Domini mutetur in panem: neque includatur in pane localiter, neque localiter lateat sub pane, & vt panis manducatio ori propriè competat, corpori verò Domini, non nisi ob sacramentalem vnionem tribuatur, & huic sacramento nihil ex opere operato concedatur. Itaque Bucerus, Capito, Hedio, Zellius has duas particulas, IN & SVB per CVM & PER interpretati sunt, aut per ablatiuum absolutè positum. Id quod Lutherus libenter concessit.

Sexta caussa est: quod Magistratui nostro licitum est, quod reliquis Principibus est licitum: vt & Augustanæ Confessioni subscripserint, & suam quandam peculiarem habeant: vt illustrissimi principes, Saxoniæ Duces, Dux VVirtenbergensis, Dux Mechelbergensis, & alij aliquot Principes, præter Confessionem Augustanam, aliquam habeant priuatam Confessionem, secundùm quam suas administrent Ecclesias: cùm tamen hi suas non obtulerint Carolo Cæsari priuatas Confessiones, quemadmodum noster fecit Senatus, per legatos suos Anno 30. præsertim cùm hæc nostræ vrbis Confessio oblata fuerit anno 30. Carolo V. Cæsari, & à Principibus anno 32. admissa & comprobata.

Septima caussa est, quòd hoc tempore maximè necessarium sit, Argentinensem nostram retinere & defendere: propterea quod sunt qui dicant & scribant, Argentinenses à sua confessione recessisse, & Augustanę subscripsisse, cum magno dedecore & turpitudine non solùm Magistratus illius temporis, sed etiam Theologorum, Capitonis, Hedionis, Buceri, omnium Pastorum & ministrorum. Et istud non solùm Heshusius scribit, aduersùs nostrę vrbis existimationem: sed idem in hac vrbe nostri accusatores insimulant. Quod autem subscripserint Augustanæ Principum Confessioni Legati nostri, verum est: quòd à sua recesserint, non verum.

Protestamur autem: sic nos examinaturos secundùm confessionem nostræ vrbis, vt nihil contrarium statuere velimus vtrique confessioni, Principum & nostræ, nihil etiam præscripturi Senatus nostri voluntati & potestati. Id verò quod in omnibus minoribus iudiciis licitum est facere: id nobis assumimus, iudicare secundùm nostram conscientiam.

Hanc etiam protestationem, clarissimi viri, nos etiam quorum nomina infrà posita sunt, sua singulorum manu subscripta, approbamus: & defendere, dum meliùs aliquid doceamur constituimus.

Et quod ad primum caput Protestationis attinet: idem nos testificamur, agnoscere nos Augustanam confessionem à Principibus protestantibus subscriptam, & ab iis illo necessario tempore Carolo Cæsari Augustanis comitiis anno XXX traditam, veram, orthodoxam, & catholicam doctrinam continere, secundùm sacram scripturam, & Patrum orthodoxam fidem, & eorum claras & perspicuas autoritates & testimonia intellectam.

Vnum verò deprecamur, propter quod istud dissidium ortum est: vt ne nos & præcipuè ex nobis, qui memoriam & historiam illius temporis nouimus, cogamur partim à discipulis nostris, partim à nostris condiscipulis, illius confessionis interpretationem accipere: & nobis, vestra bona pace & venia, liceat, eam autoritatibus sacrorum & sanctorum librorum, sanctorúmque Patrum, suis ipsius confessionis atque Apologiæ verbis defendere, & nostram confessionem retinere nobis liceat, declaratam & explicatam à nostris maioribus ex sententia confessionis Principum, multis disputationibus, lectionibus, editis libris, editis etiam duabus Confessionibus ministrorum Ecclesiæ Argentinensis: vna anni XXXIX. hoc est, quæ facta est tertio anno post concordiam constitutam inter Saxonicas & Germaniæ superioris Ecclesias: Altera, edita anno XLVIII. cui ipse Marbachius subscripsit.

Cùm istud petimus, postulamus, vt in ea doctrina nobis manere liceat, in qua D. Capito, piæ memoriæ, cum Zellio annis aliquot post concordiam constitutam mortui sunt, in qua etiam mortuus est Doctor Caspar Hedio: quam etiam Martinus Bucerus vsque ad annum 48. quo à nobis discessit in Angliam, docuit, illustrauit, defendit, eámque non mutauit, per reliquum vitæ spatium: vt horum, inquam doctrinam nobis ex Scholis vestris & ex nostris conscientiis non patiamini eripi. Id vos rogamus, oramus, obsecramus.

Quantum verò ad honorificæ memoriæ viros D. Mart. Lutherum, & D. Phil. Melanchthonem, & ad viros doctos qui per Saxoniam fuerunt & adhuc sunt: quantum attinet ad Academias illorum locorum, VVirtenbergensem, Lipsensem, Ienensem, & eorum Professores: amplectimur eos, vt fratres, colimus vt venerandos in Christo viros, eósque & eorum consilia bona bonámque doctrinam, item vt maiorum nostrorum, piæque memoriæ patrum nostrorum, volumus & constituimus defendere, & commendare mortalibus.

Quantum verò ad Confessionem nostræ ciuitatis attinet, non aliter cupimus & volumus retinere, quàm Illustrissimi Principes, Dux Mechelburgensis in sua reformatione, & Dux VVirtenbergensis in sua Confessione: non quod à Confessione Augustana dissentiant: sed idem sentiant, aggregatæ tamen eædem sint, ad suarum Ecclesiarum & sui populi consuetudinem atque ingenium.

Et quoniam accusatores nostri dicunt: Dominos nostros a sua Confessione recessisse, & illam doctrinam (vt non obscurè indicant) non agnoscere: id apertè negamus, & contrarium ostendemus: & ex Epistola Martini Buceri, quam ad Bonifacium VVolfhardum concionatorem Augustanum post conuentum Suinfurtensem de hac re scripsit, adferemus vobis illius actionis memoriam.

Ex Epistola Buceri ad Bonifacium VVolfhardum.

Vbi ergo tandem à nostris Principibus in conuentum Suinfurtensem consensum esset: pérque hoc illo nostri vocarentur, sciscitati à nobis nostri sunt, quatenus Saxonicæ confessioni bona queant conscientia subscribere, si forsan Cæsariani illi arbitri, Moguntinus & Palatinus, solam Saxonicam Confessionem conditionibus pacis nominatim insertam vellent: vtrumque nos nostram cum Saxonica, quantum quidem ad dogmata attinet, conuenire diceremus. Ibi ego (volo enim me, quia peccatum hic putatis, primum nominare) Hedio & Mattheus, ita vt Senatus iusserat, Confessionem & Apologiam pro modo & fidei & iudicij nostri, excussimus: cúmque illa duas partes habeat (nam in priore dogmata, in posteriori ritus confitentur) priori censuimus, quoniam re ipsa nostræ confessioni congruit, subscribendum: posteriori nequaquam, quippe qui alios quàm Saxonica habet confessio, ritus obseruamus. Addidimus autem: sic, vt nostra consonantem priorem Saxonicæ Confessionis partem, recipiendam: eòque nostram haudquaquam cedendam: quod est quoque à nostris factum. Nostros vero hic, etiam Vlmenses, Constantienses, Eslingenses, Memmingenses, Lindauienses, Bibracenses, & Isnenses. Consilium hoc nostrum Eslingæ Blaurero, Vlmæ Capitoni, indicaui, quod vterque probauit. Suinfurti igitur nostri ingenuè testati sunt, à sua confessione se haud quaquam recessuros. Cùm autem ea pars Saxonicæ Confessionis, quæ exponit dogmata, cum sua confessione reipsa conueniat: non grauari & hanc cum sua subscribere. Actio Suinfurt. Anno 1532. Bucerus quâ subscripserit Aug. Cõf.

Confirmat idem paulò post paucioribus verbis, sed dilucidis in eadem epistola Bucerus.

Quantum ad bonos attinet: exstat nostra & Confessio & Apologia, in quibus, quantum potuimus, harum ipsarum vocum germanum sensum explicuimus: hàncque nos haudquaquam cessuros, Legati nostrarum vrbium, palàm & disertis verbis testati sunt: & ideo se præter nostram, Saxonicam quoque Confessionem & Apologiam recipere, quod hæc reipsa cum nostra congruat.

Neque solùm Suinfurti de hac confessione actum atque transactum est: sed etiam anno 30. à Legatis Electoris Saxoniæ inchoata est hæc actio, vt in eadem apparet Buceri Epistola, Anno 30. concordia Saxõ. cum Argentinensi Rep.

Nam

Nam Augustæ illis cum Saxonibus hac de re conuenit sub finem comitiorum. Etenim cùm Princeps Elector abiisset: relicti eius consiliarij petierunt à nostris, nostram de Eucharistia Confessionem. Eam visam, vltrò dixerunt suæ congruere: indéque Elector nostros primus ad fœdus sollicitauit: neque est posthac quidquam ista de re cum nostris vllis in conuentibus, quorum tamen hoc biennio multos habuerunt, disputatum.

Ex his apparet, duas Consensiones diuersis exstitisse temporibus, vnam Principum, cum Legatis Ciuitatum de vtraque Confessione Principum & ciuitatum, anno 30. & 32. alteram D. Mart. Lutheri, & concionatorum ciuitatum superioris Germaniæ: quarum duarum actionum autoritatem nos ratam & perpetuam esse cupimus. in eáque retinenda, omnẽ operam nostram pollicemur.

Nominantur etiam eadem epistola Legati testes eo tempore huius actionis.

Nec grauati fuissemus Augustæ, Saxonum Confessioni de Eucharistia subscribere: si non absterruisset ea pars Confessionis, quæ exponit ritus. Huius testes fide dignos nominare tibi possum Sturmium, Pharrerum, Zuiccium Constantiensem, & Martinum Pastorem Fursfleusem, & nisi fallor, de ea re & cum Michaele & Rehlingero locuti sumus.

Confirmatur etiam hæc eadem res testimonio Legatorum Principum, ipsiúsque Electoris facto.

Quantum autem ad Eucharistiam attinet, adeò ipsi Saxonum consiliarij adhuc hic perseuerantes, concordem cum sua confessione, quam ciuitates obtulerunt, agnouerunt vt Principes eorum ad fœdus, quod antea detrectauerant, illos vltro inuitarint.

Et quamquam orthodoxa erat illa Confessio Augustana Principum, vt adhuc est: tamen neque Principes ipsi alligari se passi sunt verbis Cõfessionis & Apologiæ, neque ciuitatũ Legati. Veritate enim & autoritatibus sacrarum literarũ malebant contendere, quàm calliditate verborum circumueniri. Cur nunc inter amicos valere debet, quod illo tempore contra inimicos valuit?

Nos neque hic, neque alibi verbis Confessionis & Apologiæ alligari nos passi sumus, ita vt arbitri conabantur, nec minus id Saxones, quàm nos ipsi, detrectarunt. Deinde cum verba alia de Eucharistia posita essent quorundam instinctu, in quibus impiis quoque communis hic cibus fiebat: & illa reiecimus. Confessionem & Apologiam dixerunt nostri se admisisse: quia verbis scripturæ & Patrum consentit: nihil daturos se præterea.

Hæc ex Epistola Doct. Mart. Buceri ad Bonif. Lycosthenem concionatorem Augustanum, quæ illius temporis & Actorum illorum pro historia esse poterit. Habemus alia etiam huius viri scripta & monumenta quæ aliquando diuulgabuntur, in quibus aperta & pia atque sancta huius temporis exstat memoria, quæ in hoc tempore breuitatis causa omittimus.

His de causis nos etiam reliqui in collegio S. Thomæ collegæ Examinatorum protestationi subscribimus: & postulamus, vt nobis liceat à Maiorum nostrorum doctrina non recedere, quæ non solum non est dissentanea à Confessione Principum: sed etiam consentanea est, & subsidio esse poterit ad defensionem religionis veræ cõtra omnes aduersarios.

Adiicimus autem superioribus capitibus protestationis, etiam illud: posse ferre nos, vt accusatores nostri, quantum ad modos loquendi attinet, suis vtantur loquendi formulis ad populum in concionibus, quas vobis probare poterunt: nobis autem in Schola eas concedant formulas & modos verborum, quibus post concordiam de cœna Domini factam, vsi sunt Capito, Hedio, Bucerus, Zellius: quibus etiam Bucerus in suis Retractationibus, quas D. Mart. Lutherus ferre potuit, & alias nullas à nobis formulas verborum requisiuit.

Oralis manducatio.

Quantum attinet ad oralem manducationem, etiam ea non eripimus illis, quæ populo & vobis probare poterunt, & quæ consentanea sunt doctrinæ D. Lutheri & D. Phil. Melanchthonis: sed vt nobis permittant in Scholis & disputationibus his vti verbis: Totum Christum, Deum & hominem, corpus & carnem & sanguinem eius, animam & spiritum eius. & noui fœderis gratiam à toto homine accipi. idque verè, non fictè, non accidentaliter, sed substantialiter: neque spiritus illius solùm substantiam, sed animæ etiam & corporis atque sanguinis.

Impiorũ.

Quantum verò attinet ad Impiorum manducationẽ, non cogant nos plura dicere, quàm in suis Retractationibus Bucerus scripserit, quas neque D. Lutherus, neque D. Philippus vnquam improbauit, quàm etiam in formula concordiæ, illiúsque declaratione sint posita.

Electio.

Quantum verò pertinet ad Electionem Sanctorum, patiantur nos eam defendere contra Pelagianos, Anabaptistas, Pighianos, Hofmannicos & liberi arbitrij laudatores, & gratiæ diuinæ oppugnatores, & contra hypocritas, contra astrologos, & Stoicos secundarum causarum obseruatores & assertores, ex Augustini & Lutheri & nostrorum Maiorum sententia, idque in Scholis, extra quas nihil nobis assumimus, & non nisi necessariis temporibus & non nisi bono modo: quæ cuiusmodi sint, in nostro altero scripto quo iudicium facimus de D. Zanchij conclusionibus facilè poterunt intelligi. Quod scriptum si vos Domini postulaueritis, libenter exhibebimus.

Explosa semel falsa doctrina non reuocanda Argent.

Rogamus denique clementissimos Dominos nostros: ne patiantur doctrinam, quam Maiores vestri publico decreto ex hac vrbe eiectam voluerunt, & eiecta fuit, quamdiu vixerunt Capito, Zellius, Bucerus, Hedio, nunc denuò reuocari: & concedant, vt illam, quam eodem decreto mandarunt in templis doceri & incorruptam retineri, doceamus & retineamus. Decretum habetur in libro, qui inscribitur: Ordinatio & ceremoniæ Ecclesiæ Argentinensis: *Ordnung vnd Kirchengebreuch für die Pfarherrn vnd Kirchendiener zu Straßburg. So ist auff den ersten Puncten, die Lehre vnd Secten belangendt, entschlossen vnd erkennet, bey der Confession zu Augspurg Keis. Maiestat vberantvvort, vnnd den Artickeln im* Synodo *furgetragen vnnd gehandlet, zu bleiben, dieselbigen, als die recht Christliche Lehre, allhie lassen predigen, vnnd ob derselben ernstlich zu halten: auch kein Lehren vnd Secten, so derselbigen Lehre zu vvider seynd, hie zu dulden, vnangesehen der langen Geschrifften, so durch Clement Zegler, Melchior Hofmann, vnd andere, in vnd nach dem* Synodo *vbergeben. Vnd damit also die gesunde Lehr Christi bey menniglich allhie desto baß erhalten vnnd furgebracht, vnnd alle Irrthumb, vnnd verfuhrische Lehren abgetrieben, vnnd verhutet vverden, haben vnsere Herrn, Meister vnd Raht vnd ein vnd zvvantzig vber andere VVeg vnd Mittel, die sie hiezu dienstlich erkennet vnnd fürgenommen, auch diß bedacht vnd geordnet: das die Kirchspilpfleger ein getrevves auffsehen haben sollen, das solche bekandte Lehre, vvie die in offtgemeldter Confession, vnnd Artickeln deß* Synodi *verfasset ist, allhie getrevvlich gelehret vnd geprediget vverde. Vnd das niemandt vber alle, solcher Lehre zu vvider in VVinckeln vnnd offentlich etvvas außgiesse, oder verlestere, oder auch die Leut von derselben abziehe, sondern vvo sie solchs erführen, dasselb einem ehrsamen Rath oder den hienach gesetzten Verhöerern anzeigen, damit darinn ein getrevvlichs, vnd notturfftiges eynsehen geschehe.*

Item, *ohn eines ehrsamen Raths Zulassung, soll niemandt vberal der Lehr Christi, so allhie daf ür erkennet, vnnd die zu treiben geordnet ist, etvvas entgegen zu lehren, gestattet vverden.*

Perseuerantia.

In quæstione de Perseuerantia Sanctorum, concedãt nobis, vt D. Augustini, Lutheri & Buceri sententiam retineamus, & eam doctrinam quam nostra pars contra Mendozam & pontificios collocutores in comitiis Ratisbonensibus defendit.

Si hanc conditionem à nobis velint accipere, nos libenter eidem nos alligabimus, & cõcordiam & pacem, & amicitiam perfectam, quoad fieri poterit, colemus caritate. Sin minùs: hominum causâ, Dei causam non possumus deserere, & contra nostras agere conscientias: siue moriamur, siue agatur nobiscum quodcumque Magistratus de nobis decreuerit: ita tamen vt parati semper simus ab ipsis doceri & discere: modò in collocutionem aut disputationem non recusent descendere.

Rogamus etiam Dominos nostros, vt diligenter considerare velint, quâ de re sit quæstio. Nam absque hoc non rectum poterit fieri iudicium.

Posuit Marbachius in suis duabus orationibus, præter iniuriarum & infamiæ verba, Zanchij prælectiones plenas esse hæreseon. Et ex his hæresibus eligit, quæ docuit Zanchius de fine sæculi, de Antichristo, de Prædestinatione sanctorum, de sanctorum Perseuerantia, de cœna Domini, & hanc doctrinam dixit esse nouam & hæreticam.

Zanchius contra respondit: hanc suam doctrinam nõ esse nouã neque hereticam: quoniam de cœna Domini nihil docuit: & probat Confessionem Augustanã rectè intellectam: & quoniam idem doceat, quod docuit contra Pelagianos Augustinus, de prædestinatione: item, vt idem de Perseuerantia: & vt Ratisbonenses

collocutores contra Mendozam: & de fine sæculi, vt Augustinus ad Hesychium: de Antichristo, vt Patres.

Ex his quæstio est & iudicatio, an quoniam idem doceat, quod Patres & Maiores nostri: doctrina tamen sit noua & hæretica.

De hac re, vera est & primaria quæstio: de qua vobis faciendum est iudicium. Atque hæc quæstio ad Zanchium pertinet. Altera ad Rectorem & ad nos, propter Epistolam ad Melchiorem scriptam, qui dicit: Melchiorem & Marbachium aliter & alia docere, quàm docuerint Maiores nostri, Capito, Hedio, Bucerus, Zellius, de his articulis de quibus est quæstio, præsertim de cœna Domini & de Prædestinatione.

Christus mortuus pro omnibus.

Hoc inde probatur. Nam illas sententias: Christus pro mundo mortuus est: quemadmodum per Adam omnes moriuntur: ita & per Christum omnes viuificabuntur. Christus est propitiatio pro peccatis nostris: non pro nostris autem tantùm: sed etiam pro totius mundi. Prædicate Euangelium vniuersæ creaturæ. Deus vult, omnes homines saluos fieri: duabus cōcionibus Melchior Speccerus interpretatus est magnis clamoribus, vt Melchior Hofman Anabaptista, condemnatus à nostro Magistratu, propter hoc caput doctrinæ illius, & duo alia, de humana natura Christi, & de Baptismo infantium: & his ipsis D. Marbachius Hofmannicè explicauit illam sententiam: Nemo venit ad me, nisi Pater meus traxerit illum: & vterque dicit: Electos perire posse, & ex Electis fieri reprobos posse, & ex reprobis Electos: præter alia multa similia, quæ continentur in refutatione eorum contra conclusiones Zanchij, in quibus etiam dicunt, falsum esse consequens Augustini. Si Electi possunt perire, fallitur Deus.

Marbachius & Hubertus hodie sentiunt vt Anabaptista M. Hofman.

Credimus autem, & confidimus, nullam Academiam, quocumque ista mittatis, vt de ipsis iudicium fiat, posse aut velle huiusmodi probare.

Prædestinatio.

Deinde quantum ad prædestinationem attinet & ad voluntatem & omnipotentiam Dei: triplicem esse sententiam doctorum: vnam Augustini in quam Thomas etiam Aquinas descendit, & quam retinuit Lutherus & nostri Maiores: alteram Scoti: tertiam Occæ, quos Pighius & nostri sequuntur. Quæstio igitur est: Augustinne, an duorum Scholasticorum magistrorum verior sit sententia. Qua in re illud etiam considerandum est, quod Scoristæ & Occanistæ ita ab Augustino dissentiunt & ab Aquinate: vt tamen hæreticam illam doctrinam non esse insimulent, & aliorum velint esse liberum iudicium.

Deinde iudicium facere debetis: nósne æquum postulemus, qui rogamus, vt saltem illis articulis subscribant, quos Maiores nostri contra Hofmannum defenderunt: & illis, quos scripserunt anno 39. tribus annis post concordiam, & defenderunt publicè: & illis, quos in publicum ediderunt anno 48. quibus etiam Marbachius subscripsit: hócne æquius sit postulare, quàm illis, nobis mandare, vt Scripturas sacras ita intelligere velimus, quemadmodum ipsi nobis suo arbitratu explicent: & iis loquendi modis & formulis, quas ipsi suis nobis præeant concionibus.

Postremò, ánnon æquum sit, accusatores nostros illud nobis concedere, quod D. Martinus Lutherus Ecclesiis superioris Germaniæ concessit: constituta concordia, vt ad eandem concordiam aditum habeant etiam exteræ Ecclesiæ per Italiam, Hispaniam, Galliam, Angliam, Germaniam: ad propagandam veram religionem, animarum fidelium omnium salutem, ad amplificandam gloriam cœlestis patris, cui honos, virtus, & potentia in sæcula sæculorum. Amen.

REFVTATIO PROTEstationis D. Marbachij: à Capitulo tradita Senat. Argentin.

Et eius mentio in epistola sæpius nominata, p. 27.

CLarissimi viri: die Lunæ, quę fuit quarta Ianuarij, Ioannes Sturmius, Theobaldus Theodoricus, Ionas Bitnerus, conquesti vobis sunt de importuna & intempestiua protestatione D. Marbachij, & quatuor Canonicorum, sperantes Capituli nomine, opem & consilium, hac in iniuria, autoritatis vestræ. Postulauerunt etiam consilium à vobis: iudicióne vobis placeret, vt Capitulum se contra falsa crimina defenderet: an satis esset contra protestari, & notarium notario, & protestationem protestationi opponere.

De hac supplicatione nostra, Senatus consulto facto, responsum est à D. Pfarrero Consule & D. Anshelmo Schaltnero: Senatum, auditâ nostrâ querelâ, & aduersariorum responsione, protestationes legisse: & velle, vt eædem in Capitulo legantur, &c.

Lectâ protestatione, ad postulationes ventum est, quas nihil aliud esse dicimus, quàm callidorum & maleuolorum inimicorum, desertorum collegarum atque Capituli, accusationes & calumnias atque mendacia, nullius valoris, nullius iuris, indignas homine Christiano, indigniores collegâ, indignissimas Theologo, quid dicamus indignas Superintendente?

Si enim rectè Decani protestationem intelligimus, ea tres diuisa in partes est. Quarum prima est de Actis Capituli, & de grauaminibus, siue decem illius postulatis. Altera, de examine. Tertia, de nominatione. Ad quæ tria ita respondebimus, vt quod iam diximus, id verum esse; falsis nos circumueniri inimici & callidi hominis criminibus. Ac primo loco de examine respondebimus: deinde de nominatione: postremò de postulatis decem, in quibus Capitulum, Præpositum, Herlinum, Conradū, Hubertum, Christoph. Stipitium, simul inuadit: approbātibus quatuor Canonicis comprotestantibus, ita, vt si omnibus excundum fuisset, id quod fieri debebat, accusatoribus scilicet & reis, nullus reliquus mansisset in Capitulo.

Clarissimi Domini: quantum ad examen attinet, anno 39. hoc est, tertio anno, post factam concordiam inter Saxonicos Theologos, & Theologos Germaniæ superioris, Magistratus nobis per D. Iacobū Kniebsium, D. Mathiam Gigerum, non solùm Capitulo S. Thomæ, sed etiam reliquis Collegiis, Petri Senioris, Petri Iunioris, S. Stephani, Omnium Sāctorum, examen municipale præscripsit, in quo iubemur, secundùm nostram Augustanam Confessionem examinare: & id quater positum est: & quater vocatur nostra Aug. Confessio. Per nostram Augustanam, accusatores intelligunt Principum Augustanam: nos verò Nostram, nostræ vrbis. Accusatores nostri, suam interpretationem probant hac vna ratione, quoniam Magistratus noster subscripsit primùm Augustanæ Principum Confessioni, & pòst Naumburgensi: ideircò à sua recessit, & eam obliterauit. hæc vt ipsi loquūtur: *Diese Stadt ist von ihrer Confession abgeschritten, abgetretten sie haben sie oblitterirt, sie haben sie lassen fallen, nicht angenommen.* Sic enim in Examine locutus est Melchior palàm: sic in Capitulo omnes quatuor accusatores: sic D. Marbachius: & in Capitulo & extra Capitulum locutus est: sic etiam innuit per contemtum in hac sua ipsius protestatione.

Examen.

Nostra August. Conf.

Contra hanc vnam rationem, si solam hanc vnam adferemus: satis valere deberet ad refutandum, apud eos præsertim quibus cara & accepta est huius vrbis, & Maiorum nostrorum existimatio. Dicimus enim: si recesserunt, si obliterarunt, Magistratus & Senatus noua subscriptione, Confessionem suam: Ergo & à doctrina sua recesserunt, & doctrinam suam obliterarunt atque religionem (quid enim aliud est Confessio, quam religionis & doctrinæ professio?) Si istud inquam verum est: ergo falsa doctrina Capitonis, Hedionis, Buceri, Zellij, omnium illius temporis virorum: falsa religio illius temporis omnium: falsa omnia acta, facta, dicta, in defensione religionis D. Iacobi Sturmij & Legatorum: in omnibus ante id tempus comitiis: in impietate mortui sunt honorificæ memoriæ viri D. Ioan. Boc. D. Egenolfus Rederer, Otho Fridericus, Daniel Miegus, Nicolaus Kniebsius, Lindenfelsius, Matthias Gigerus, Matt. Herlinus, magni viri non solùm in hac ciuitate: sed etiam apud multas gentes atque nationes.

An Argentinenses subscribendo Augustanæ Confessioni principū, à sua propria Confessione recesserint.

Si nullam aliam causam haberemus quàm hanc: tamen satis ista vobis facere deberet, ad eripiendum nos ex hoc accusatorum conflato in nos periculo.

Sed habemus causas alias graues atque illustres, quæ nos mouent, vt à Confessione & doctrina Maiorum nostrorum non possimus recedere.

Rogamus autem vos Dominos nostros, vt diligenter audiatis ea, quæ expositturi sumus. His enim cognitis, faciliùs de tota poteritis statuere controuersia, cum quæ inter D. Zanchium & Theologos versatur, tùm quæ inter Capitulum & Theologos agitatur. Et quoniam superioribus diebus proximis statuerunt Pastores, sacramentis

mentis priuare ciues, qui suæ sententiæ non sunt, & in eo proposito exspectare opem & consilium presbyterorum: ex his quæ narraturi sumus, nullo negotio decernere poteritis, & quantum ciuibus vestris debeatis præscribere: & quantum Pastoribus in hoc biennio concedere.

Anno 1530. Conf. Argentin. approbata. Anno 30. Comitiis Imperij Augustanis, Saxonici Principes Confessionem exhibuerunt Cæsari, suæ doctrinæ & suorum rituum ac ceremoniarum. Idem fecit noster Magistratus. Quæ Confessio in hac ciuitate à Doct. Capitone, D. Hedione, & D. Bucero conscripta est & approbata statim à Constantiensibus, Bibracensibus, Lindauiensibus: & posteà magis confirmata, accessione aliarum ciuitatum.

In his comitiis, Principum Legati, qui tùm Augustæ erant, exhiberi sibi Confessionem Ciuitatis nostræ postularunt: & ea perlecta atque æstimata. Legatis nostris apertè dixerunt, nostræ ciuitatis Confessionem cum Saxonica reipsa conuenire: atque icircò deinceps nullam causam esse, quamobrem posthac non possint amicè inter se colloqui, & consilia atque operas mutuas communicare: & ex illo tempore per biennium in non paucis conuentibus, nostræ ciuitatis Legati cum Principum Legatis, atque etiam Principibus in collocutionem cum summa beneuolentia & studiorum atque voluntatum & consiliorum communicatione venerunt.

Hæc quæ narrauimus, probare possumus epistola Buceri ad Doct. Bonifacium VVolfhardum & ad Pastores reliquos Augustanos, qui nostris Pastoribus obiecerant, quod à sua Confessione vnà cum Magistratu nostro recessissent.

Hoc testimoniũ supra in protestatione Examinatorum allegatum est. 1539. Recitetur hîc testimonium ex Epistola Buceri ad Bonifacium, *Nam Augustana Legatis nostris, cum Saxonicis.*

Nondùm tùm adhuc Magistratus noster subscripserat Principum Confessioni Augustanæ: sed anno demum 32. cùm Schvvinfurti Principum conuentus fuit, in quo D. Iacobus Sturmius Legatus erat, cùm de fœdere faciẽdo ageretur. Repetiuerunt Principes, quod Augustæ dixerant, vtramque Confessionem reipsa inter se conuenire: neque quidquam obstare, quo minùs fœdus fieri possit. Sed vt illud firmius exsistat: & quoniam Palatinus & Moguntinus Electores. Cæsaris commissarij, non duas volent admittere Confessiones, rogarunt vt etiam Saxonicæ confessioni subscriberent: Ideò re benè à Senatu diiudicata, & commisso negotio Doct. Hedioni & D. Bucero, viderent, ecquid conformes ambæ Confessiones essent: inuenerunt illi, in dogmatibus, si sensus Confessionis, & Apologiarum explicationes considerentur, non dissentire: in ceremoniis autem & ritibus, esse diuersas. Quod vbi Magistratus intellexit: decreuit, Confessioni Saxonicæ subscribendum esse: sed cum hac distinctione, vt ei parti quæ de dogmatibus est, subscribant: alteri verò quæ erat de ritibus, nequaquam subscriberent: subscriberent autem dogmatibus, tamquam suę Ciuitatis confessioni consentaneis: non autem aliter, & ita, vt à sua Confessione non recedant.

Recitetur hîc ex Epistola ad Bonifacium, testimonium Buceri.

Allegatum & hoc supra in eadem protestatione. *Vbi ergo tandem à nostris Principibus, &c.*

Item, Nec grauati fuissemus Augustæ, &c.

Bucerus igitur hæc testatur, doctrinæ subscripsisse, non ceremoniis: & subscripsisse ita tanquam nostræ consentienti: & ita vt à sua non recederent. Marbachius cum suis dicit: *Das vnsere Herren seyen von ihrer Confession abgetretten, abgeschritten, sie haben sie lassen fallen, man hab sie nicht angenommen.* Quod inimici vrbis, ignari earum rerum, quæ actæ erant, vitio verterunt, & vt crimen obiiciebant: id isti Pastores ciuium, qui perirí esse hatum rerum debebant, suo confirmant testimonio: nõ sine ciuitatis, quantum nos æstimare possumus, magna & graui ignominia.

Neque solùm in cæteris articulis iudicatum fuit à Legatis Principum, nostram cum Saxonica confessione consentire: sed & in articulo de cœna Domini. Recitetur testimonium. *Quantum autem ad Eucharistiam attinet, &c.*

Neque istud solùm scriptum est in ea Epistola: sed etiam in Axiomatibus Apologeticis, quæ edita sunt anno 35. hoc est, vno anno ante concordiam. Confirmatur hoc axiomate 77. his verbis: *Primi societatis Christianæ, sub finem comitiorum Augustæ, viderunt nostræ Reipublicæ Confessionem Cæsari oblatam. Iudicarunt, eam in summa rei cum sua conuenire: indéque societatem cum nostris instituerunt.* Et paulò pòst: *Interea semper concordes habiti sumus: hàncque concordiam nostri ampliùs professi sunt Suinfurti, testati scilicet se & Principum Confessionem recipere.* Apertè hoc discrimen facit, inter nostram Confessionem & Principum. Et conferenda hæc verba cum verbis edicti quod Senatus edidit anno 34. de quo mox. Ait enim: *Viderunt nostræ Reipublicæ Confessionem Cæsari oblatam.* Et vocat eam *Nostræ Reipublicæ*, non quatuor ciuitatum, tametsi ab illis esset comprobata.

His igitur conditionibus, nostra vrbs Augustanę Confessioni subscripsit, non aliis: & ita vtraque pars subscripsit, vt tamen verbis Confessionis & Apologiæ non vellent esse alligati: neque contra se agi ex illius Confessionis verbis: sed scripturæ autoritate. Recitetur testimonium: *Nos neque hic, neque alibi, &c.* Quod igitur tunc Principes Cæsari & Commissariis Cæsaris negabant: id à nobis D. Marbachius postulat: vt verbis, imò vt suæ interpretationi & responsionibus nostras astringamus conscientias. Supra in protestatione.

Hæc erat prima concordia, facta inter Principes & Ciuitates. Ex quâ apparet, retentam in hac vrbe nostræ Confessionis autoritatem, neque immeritò: quam Confessionem, iussu Magistratus, nostri Pastores conscripserant: quam Senatus, facto decreto, ad Scabinos retulerat: quam CCC. Viri comprobarant: & quæ absque illorum consensu abrogari non poterat, neque abrogata vnquã fuit, quomodo vel Magistratus tum ab ea poterat recedere, aut etiam deinceps poterit absque infamiæ dedecore eam abrogare?

Post hanc subscriptionem, atque concordiam, subsecuta est Synodus huius vrbis, in qua contra Hofmannum disputatum est. Et inter cæteras quæstiones, vna fuit de Prędestinatione sanctorum, ob quam etiam Hofmannus fuit condemnatus, in qua defenditur D. Pauli, Augustini, & Lutheri sententia. Hæc Synodus habita fuit anno 33. Cuius Synodi articulos, quoniam post subscriptionem Augustanæ Confessionis habita fuit, etiam non sine turpitudine possumus vel oppugnare vel dissimulare, si quis eos oppugnare velit. 1533. disputatio contra Hofman.

Post eam Synodum, Senatus edictum edidit, quod impressum est, in quo iubet, à Confessione quæ Cæsari oblata esset, non recedere. Et vt certum esset, intelligi istud de Confessione nostræ ciuitatis, iussit Senatus, non solùm stare Confessione Cæsari oblata Augustæ, sed etiam Articulis in Synodo propositis. Sunt autem ista verba decreti. Edictum Argentin.

Decretum editum in libro cui titulus est, *Ordnung vnd Kirchenbreuch, &c.*

Istud decretum factum est anno 34. duob. annis post subscriptionem Augustanæ Confessionis, & tribus annis postquàm Bucerus & Hedio iudicauissent, Principum Confessionem cum nostra reipsa & in summa rei conuenire. Neque dicere possunt accusatores nostri, loqui hîc Dominos de Confessione Augustana Principum. Nam additum est, eandem debere esse autoritatem Articulorum Synodi 33. in quibus ita sentitur de cœna Domini, quemadmodum inferiùs audietis.

Hæc sententia conformis est sententiæ de cœna Domini nostræ Confessionis & eiusdem Apologiæ, ita vt aduersarij negare non possint, istud de nostra Confessione esse promulgatum.

Hæ igitur grauissimæ causæ sunt, quamobrem capitulum non potest absque Magistratus iussu ab huius vrbis Confessione recedere. Prima, quod turpe esset fateri, ab anno 24. vsque ad annum 36. falsam doctrinam traditam Argentinæ, & ciuitatem Argentinensem, falsam doctrinam per suos Legatos in comitiis Imperij & conuentibus Principum defendisse. Altera, quia à Principibus & eorum legatis approbata, tamquam suæ consentanea. Tertia, quia à CCC. decreta & ab iisdem numquam abrogata. Quarta, quia nouo edicto, vnà cum articulis Synodi 33. anni confirmata. Quinta, quia in Articulo secundo Synodi minoris, habitæ anno 39. ita habetur, *VVir halten et darfur, &c.* Cur à veteri Argent. Confessione non recedendũm. 1. 2. 3. 4. 5.

Est etiam Sexta causa, quod in Examine Municipali, quod eodem anno omnibus collegiis Canonicorum mandatum fuit, quater iubemur, examen habere secundùm nostram Confessionçm, & non secundùm Saxonicam. 6.

Quod verò nostri accusatores dixerunt, quoniam anno 39. examen conscriptum est, idcircò post concordiã, atque idcircò etiam dictum esse istud de Confessione Saxonica: quam id ineptum sit, quiuis potest intelligere, qui historiam nouit illius temporis, quam suprà commemorauimus.

Quare nos contra argumentamur: si 39. anno adhuc autoritatem habuit Confessio nostra, hoc est, tribus annis post concordiam constitutam: constat eam numquam obliteratam fuisse: numquam Magistratum nostrum recessisse ab ea: falsum esse, quod à Principibus dicunt non admissam. Sed dicimus, vtramque subscriptã, esse traditam Principibus & commissariis, & deinde Cęsaris commissariis.

7. Preter hanc sextam causam, etiam septima est: quod quoniam Senatus noster priori parti Principum Confessionis subscripsit, quæ de dogmatibus est, posteriori verò minimè quæ est de cæremoniis & ritibus: non potuit Magistratus noster, etiamsi verum esset, quod accusatores nostri dicunt, Magistratum à sua Confessione, hoc est doctrina recessisse, quod est falsissimum: tamen non potuit Magistratus noster, examen instituere secundum Confessionem Principum. Nam id si factum fuisset, liberum fuisset reliquis collegiis S. Petri Senioris, S. Petri Iunioris, & S. Thomæ (Nam tùm adhuc in Capitulo erant multi Pontificij) in suos choros candelas introducere, imagines statuere, vestibus vti sacerdotalibus, missam habere, & vti multis cæremoniis, quæ in Saxonicis Ecclesiis retentæ sunt: aut necessarium fuisset, disertè ponere hanc exceptionem, vt in dogmatibus astringerent se Saxonicæ Confessioni: in ritibus, nostræ Reipublicæ institutum retinerent.

8. Est etiam octaua causa, quamobrem Magistratus noster suam Confessionem voluit retinere. Nam & Augustani Pastores literis missis Bucero obiiciebant, quod autor fuisset Magistratui nostro, vt à sua Confessione recederet, & ad Saxonicam accederet. Idem faciebant multi in Heluetiis. Aduersùs quos Bucerus, neque Bucerus solùm: sed etiam alij symmystæ, Magistratus sunt vsi testimonio, quod ita ad Augustanam Confessionem accesserint, vt à sua non recesserint.

9. Est etiam nonum indicium, ex quo constat, nostram confessionem retentam esse. Nam post bellum protestantium Bucerus in Capitulo S. Thomæ, eam contra Iustum Velsium defendit, in his ipsis quæstionibus de libero arbitrio & de Prædestinatione: cùm Velsius sua manu librum retineret, & ex ea recitaret, quæ contra Bucerum facere videbantur.

10. Decima causa est & postrema, quamobrem numquam huius Reipublicæ Confessio obliterata sit: quod idem Bucerus in extrema sua voluntate & facto testamento, honorificam Confessionis nostræ ciuitatis mentionem facit: & ad eandem omnes suos aduersarios, qui vel post mortem possint exoriri, remittit ac deducit.

11. Vndecima denique causa est: quod Magistratui nostro licitum est, quod & reliquis Principibus est licitum, vt & Augustanæ Confessioni subscripserint: & suam quandam peculiarem habeant. Quemadmodum Illustrissimi Principes, Duces Saxoniæ, Dux VVirtebergensis, & Mechelburgensis: & alij aliquot Principes, præter Confessionem Augustanam, aliquam habent priuatam Confessionem secundùm quam administrent Ecclesias: præsertim cùm hæc nostræ vrbis Confessio oblata fuerit anno 30. Carolo quinto Cæsari, & à Principibus anno 32. admissa & comprobata.

Hæ sunt causæ, quamobrem non possumus à confessione nostræ vrbis recedere, minùs verò improbare.

Est etiam alia causa, quamobrem illud non putamus esse nostræ Reipublicæ & Ecclesiæ & Scholæ vtile. Nam si hæc confessio retinebitur, & si persistemus in doctrina Maiorum nostrorum: neque Saxonicas Ecclesias offendemus: neque prouocabimus ad inimicitias, Anglicanas, Gallicanas, Italicas: id quod fieret, si Schola se coniungeret hisce Heshusianis, Illyricis, Maioristicis controuersiis ad quas conatus est nos pertrahere Marbachius: & spes esset breui accessuras ad concordię articulos, Ecclesias harum Gentium, si concordia semel constituta retineretur.

Est etiam illa causa, quæ nos priuatim mouet, quod de sententia Confessionis Augustanæ pugnatur variè. Heshusius in quæstione de Seruo arbitrio & Prædestinatione pugnat cum Schola VVittebergensi. Francofordiæ ad Oderam, inter Islebium, Musculum, & Prætorium pugnatur de operum necessitate, hoc est, de præcipua parte doctrinæ Iustificationis. De cœna Domini, in aliquibus ciuitatibus Saxonicis magnæ sunt contentiones. Nostra Confessio, vniusmodi est, neque ab vllo vmquam oppugnata: & illustrata à Maioribus nostris, & à Bucero, posterioribus Confessionibus, & ipsis retractationibus, vt neque Lutherus neque Philippus Melanchthon in parte vna eam improbarint: Viuo enim Luthero edita ista fuit: Neque in altera parte, Ecclesiæ Gallicanæ, Anglicanæ, Italicæ, Helueticæ, habent quod iurè possint reprehendere.

Hæ causæ sunt: clarissimi viri: ob quas nobis in Examine, & in Scholis, non putamus recedendum à Confessione Ciuitatis nostræ & à doctrina Maiorum nostrorum. Et rogamus, vt pro vestra prudentia has nostras rationes, cum aduersariorum rationibus conferatis. Ferre possumus: vt nobis ad has nostras respondeant, & suas nobis exponant: quo, quàm veræ & ponderosæ sint, possimus cognoscere. Existimamus autem, nullam eos adferre posse, quam non possimus diluere. Nam quod dicunt: Dominos Naumburgensi renouatæ Confessioni subscripsisse: hic Dominorum nostrorum volumus esse iudicium: an ita subscripserint, vt à prioribus recesserint, & suam, vnà cum doctrina, improbarint.

Ergo ad protestationem Marbachij respondemus: falsum crimen esse, nos mutasse aut infirmasse examen municipale: contrà verò asserimus: nos in eodem retinendo, & retinenda nostræ ciuitatis Confessione, grauitatem, existimationem, honorem, decus huius defendere Reipublicæ.

Similiter falsum est, quod dicunt: Examinatores Doctoris Massarij & Christophori Stipitij, Confessiones Zvvinglianas & Caluinianas probasse. In quo crimine, & duobus collegis nostris, & examinatoribus, & defunctis doctoribus atque pastoribus huius Ecclesiæ, immeritam faciunt iniuriam. Christophorus enim Stipitius, cùm prouideret, non se posse tam cautè suam Confessionem conficere, vt non aduersarij eius, aliquid reperire possint, quod reprehendant: secutus est non solùm sensum: sed etiam propè verba illius Confessionis, quam Doct. Capito, Doct. Hedio, D. Martinus Bucerus, Matthias Zellius, Theobaldus Nigri, Iohannes Lenglinus, pastores huius ciuitatis omnes, anno 39. hoc est, tertio anno post concordiam, in Synodo minore defenderunt. Hanc nos habemus scriptam Buceri manu, annotatam etiam manu D. Capitonis, manu D. Hedionis, manu D. Matth. Zellij. Et oramus vos, vt vtrumque audiatis, quò videatis, quàm verum sit, quod isti in vtraque protestatione nobis obiiciunt.

Idem dicimus de Confessione D. Massarij. Sed quoniam ea Latina est, & confecta ex omnibus Confessionibus tam Theologorum, quàm Senatus: difficile esset & longum hac hora conferre. Exhibemus vobis eam, vt, cùm licebit, videre possitis, vera esse quæ nos ad hoc crimen accusatorum nostrorum dicimus.

Miramur ergo, cur protestantes, has duas Confessiones, quæ omninò consentiunt cum Confessionibus Capitonis & reliquorum, maluerint appellare Caluinianas & Zvvinglianas, quàm Confessiones Capitonis, Hedionis, Zellij, Buceri, Theobaldi Nigri, Ioan. Lenglini, & Pastorum omnium, qui huic Ecclesiæ præfuerunt, à recepto Euangelio, vsque ad annum, quo Bucerus discessit in Angliam.

Venimus ad aliud crimen, quo Capitulum accusant: quod Decanum suum proposuerit spoliare iure Nominationis suæ, quod crimen æquè falsum est ac superiora duo.

Res autem habet se hoc pacto. Secundùm vetera statuta, Nominator iubebatur intra 24. horas nominare, qui in locum demortui succedat. Si id non fecisset, cadebat Nominatione: & se ipse spoliabat suo iure, & Nominatio cedebat proximo.

Nouis autem legibus, in quas, presentibus D. Scholarchis iurauimus, prorogauimus id tempus, & hebdomadas constituimus quatuor, intra quas Nominans deberet nominare. Herlinus tres iam menses mortuus est. Neque adhuc Decanum adducere potuimus, vt nominaret, non nos nostrâ lege, non Scholarchæ suâ intercessione Ex quibus quomodo sese, hæc res habeat, quæsumus vos, vt cognoscatis. Intelligetis, Capitulum vrsisse hãc nominationẽ, primum vt legi satisfieret, & Decanus

obtem-

obtemperaret maiori parti potentium. Id quod omnes facturos sese iurarunt. Deinde vt ne Capitulum & Ecclesia atque Schola detrimentum acciperet, si preces regiæ ab aliquo alio intercederent. Et quoniam examen prætexebat & controuersiam de Confessione Augustana: postulauit Capitulum, vt tres aliquos nominaret, quales sunt, Buhofius, Dasypodius, Rheinhardus, quos non opus esset examinare, quoniam semel examinati essent. Quid ad hæc responderit: malumus vos ex Scholarchis audire, quam vobis diutiùs esse molesti.

Audiuistis Domini de Confessione Augustana, de examine atque examinatis. Nunc quæsumus, vt de grauaminibus & de postulatis decem cognoscatis.

Ait: se ex Capitulo exiisse, propter grauamina quædam, quorum ipse causa non sit: & id fecisse ex officio, propterea quod administratio Capituli sit perturbata: quod grauamina illa scripto comprehenderit, & tamen neque à Præposito, neque à Capitulo quidquam factum esse, quod pertineat ad emendationem.

Ad istam protestationem ita respondemus. Si quid per eos annos, quibus fuit nobiscum in Capitulo Decanus, benè & vtiliter consultum, decretum, confectum est: eius laudis illum libenter facimus participem, sed ita, vt non alij, ei quidquam concedant vel de diligentia, vel de fide, quas duas virtutes, omnes debemus Capitulo. Sed si quid erratum sit communiter ab omnibus, quemadmodum solet fieri propè in omni societate: peccant enim securæ sollicitæque manus: si quid igitur erratum sit, aut aliquid accidit humanitus: & ex eo luto se velit eripere, & in eodem luto alios non solùm relinquere, verùm etiam eodem socios & collegas suos commaculare: nimirùm id nobis iniquum, & nimis callidum esse videtur facinus. Perinde enim facit, ac si quis consularis homo, posteaquam annorum aliquot errata obseruasset: in Senatu assurgeret: grauamina exponeret: & in illis multos Senatores accusaret: &, quoniam ei subitò responsum non esset: è Senatu & Curia excurrere, & ad Scabinos transcurrere, optimates accusare in iis rebus in quibus ipse non minus, quàm cæteri Senatores hæreret. Eodem modo nunc Decanus nobiscum facit. Fuit in capitulo cùm per biennium cistarias rationes non reddidit Capitulo Præpositus Pfeffingerus, nobiscum doluit, & pati coactus est. Successit Decanus, Dominus Petrus Dasypodius ex Capituli sententia, comprobante Marbachio. Cunctatus iste est annos duos & ampliùs. Tulit istud etiam nobiscum: neque nobiscum potuit corrigere. Visa fuit nobis antiqua distribuendi præsentias ratio, & impia & perobscura. Idem Marbachio visum fuit. Placuit, vt noua ratio ineatur. Idem Marbachio placuit. Commissum fuit negotium cistariis: inprimis verò quæstori. Idem huic committendum præcipuè censuit Marbachius. Confecit eam Quæstor. Nemo omnium eam improbauit. Herlinus postulauit sibi rationes ad cognoscendum, & tempus ad meditandum dari, si qua possit via melior inueniri. datum Herlino vtrunque est, consentiente Marbachio. Visum fuit capitulo, cistarios, qui essent, manere in eo officio, dùm Herlinus pararet aliquid perfectius. Nulli alij cistarij creati sunt. Accepit ipse Marbachius stipendium per annos tres. Quarto demùm anno causas quærit vexandi capitulum. Quasi non satis causarum & rixarum in Scholis & Capitulo excogitarit. Istud quàm æquum aut iniquum sit, Vobis Dominis nostris æstimandum relinquimus.

Idem in Quæstore facit quod in capitulo. Mortuo Protasio Quæstore, cum Theobaldo Theodorico egit, vt, si Capitulum statuat, ipsum rectè rationibus præfici posse, non recuset: in quo persuadendo, & precibus vsus est: & rationes enumerauit, quamobrem id facere debeat. Vbi iste assentiret, re cum familia & fratre communicata, qui tamen dehortabantur, rem Marbachius cum Præposito ad Scholarchas refert. Scholarchæ vbi viderent, Quæstorem velle, sed ita, vt si non placeat conditio, quouis tempore receptum habeat & ad domum suam & ad Scholas, istud fieri permittunt. Refertur ad Capitulum: fit decretum, vt Theobaldus Quæstor fiat: canonicus maneat: locum in Capitulo retineat: Si quando Quæstor esse recuset: receptum habeat ad domum Canonicalem & ad Scholas. Et hoc decernit Capitulum, Marbachio rogante, suadente confirmante. Præest annos quinque Quæsturæ Theobaldus. Reddit quot annis rationes quæ ipsi commissæ erant. Cognoscit Capitulum: cognoscit Marbachius. Probat Capitulum: probat Marbachius. Fit potestas omnibus recognoscendi, qui velint, vt fiat subscriptio. Idem placet Marbachio. Dùm per annos quinque Marbachius, Flinnerus, Gloccerus, Erythræus, Englerus rationes neque recognoscunt neque subscribunt, subitò ad protestandum decurrunt, & causas quærunt calumniandi: nunc tandè, cùm videant Capitulum videre, quorsum pertineant Marbachij consilia, & calumniantur, Quæstorem Capituli pecuniam detinere, & ex Capituli pecunia suum quæstum facere: cùm tamen quotannis post redditas rationes, postularit etiam cum dolore, subscribi rationibus suis, & pecuniam quæ superesset, & quam haberet, more maiorum nostrorum à se accipi.

Et cùm hæc sese sic habeant: tamen grauatur Capitulum & Quæstura, grauissimis & indignissimis suspicionibus: cùm capitulum & Quæstor parati sint, omnibus viris bonis rationem reddere suorum factorum & ostendere, nihil per fraudem vllam factum esse, vel non detrimento vnius oboli.

Quod verò ait Marbachius, ad decem sua postulata sibi à Capitulo responsum non esse hisce tribus mensibus: neque hisce tribus mensibus quidquam à Capitulo factum, quod ad emendationem œconomiæ pertineat: ad hanc calumniam hoc pacto respondemus breuiter.

Capitulum neque ad hæc postulata respondisse, neque ad duo alia illius scripta, propterea quod maluit pati iniuriam, quàm illi occasionem dare maioris dissidij. Sunt enim eiusmodi ab illo posita, ad quæ si respondendum verè fuisset, oportuisset illum audire, quod audire nollet: quemadmodum experietur, si experiri volet.

Quod verò ait: tribus hisce mensibus nihil à Capitulo factum esse quod ad emendationem pertineat, falsum est. Nam quàmdiu Decanus Capitulum conuocauit, illius erat, si quid emendandum putaret, proponere. Id si non fecit: non Capitulo, sed sibi vertat vitio. Posteaquam verò à Capitulo discessit: Præpositus sententiam dixit ante multas hebdomadas, se nullam repudiaturum bonam rationem concordiæ: verè se & ex animo eam petere, modò etiam verè & ex animo eam quærat Decanus. Decretum etiam erat factum, vt omnes rationes Quæstoris, recognoscerentur à singulis, & spatium datum fuit 14. dierum, intra quod tempus, qui vellet, istud facere deberet. Ex iis autem qui discesserunt nemo neque primâ venit hebdomade, vt rationes legendas atque recognoscendas posceret: neque alterâ, neque tertiâ, neque quartâ & adhuc nemo quisquam venit: & tamen omnibus, excepto Marbachio qui abfuit, placuit hoc decretum Capituli, & omnes parati erant, etiam ipsi protestantes, Quæstoris innocentiam defendere contra illam calumniam, quinque annis rationem non esse redditam, quibus admirationi erat tanta criminatio: & gestiebant scire, vnde tamen hæc fama proficisceretur: omnibus placuit rationes recognoscere & subscribere, & ex ipsis rationibus, iustas & plenas conficere rationes cistarias. Quod caput est controuersiæ, id capitulum apprehendit. In hac dum versamur deliberatione, cui ipsi interfuerunt, quam approbarunt: illi comminiscuntur criminationes, quibus grauent capitulum: & de improuiso ad protestandum decurrunt, nobis nihil minùs exspectantibus, & dicũt, nihil capitulum egisse, quod pertineret ad emendationem œconomiæ.

Quod ad extremum, protestatur Decanus, sibi non iccircò velle auferri stipendium Decanatus, quod capitulo abstineat: neque velle ratum esse, quidquid interea temporis constituetur à capitulo.

Respondet Capitulum: hanc protestationem esse factam, vt superiorem totam protestationem, contra bonos mores: contra officium pacifici viri: contra consuetudinem omnium Capitulorum. Sed si sibi Senatus concederet in sua vrbe & reliquis huius vrbis collegiis, suo iure vti (id quod de principio religionis, Senatus omnibus promisit collegiis, quemadmodum probari potest) si inquam istud ius, quod cæteris collegiis non violari sinit, etiam huic non sinit: constare Capitulo, quomodo suum defendere queat: & hanc persequi iniuriam atque contumeliam: & protestatur iam Capitulum, hoc ius iure non posse eripi.

Hæc habuimus clarissimi viri & clementes Domini, quæ pro hoc tempore ad Decani protestationem respondenda putauimus.

Reliqua est protestatio quatuor canonicorũ Flinneri, Glocceri, Erythræi, Engleri. Quibus quantum ad postulata decem Marbachij attinet: idem respondemus quod

Marbachio: Idem de Municipali & Examinis forma: Idem de Confessione Neuburgensi: Idem de autoritate Capituli, cuius acta probare nolunt.

Quantum verò ad id Caput attinet, de corruptione doctrinæ: fatetur Præpositus, hanc querelam ad se pertinere: & se dixisse fatetur, concionatores alia & aliter docere de Cœna Domini & de Electione sanctorũ, quàm Capito, Hedio, Bucerus, Zellius, omnes Pastores & Diaconi docuerint, legerint, scripserint, disputarint. Imò ampliùs addit, & dicit: Eos in quæstione de Prædestinatione docere contraria. Et respondet, si hoc illi credere nolunt, subscribant articulis doctrinæ Ecclesiæ Argentinensis: quam Capito, Hedio, Bucerus, Zellius, Theobaldus Nigri, Ioan Lenglinus, ceterique anno 39. tertio post concordiam, ediderunt. Subscribant summario doctrinæ Ecclesiæ Argentinensis, quod factum est anno 48. subscribant Rettactationibus Buceri, quas Lutherus probauit: subscribant his quæ Bucerus scripsit in 8. & 9. Caput Epistolæ ad Rom. quæ consentiunt cum iis, quæ Lutherus scripsit in præfatione Epistolæ ad Romanos, & contra Erasmum Roterodamum: & Augustinus, & alij Patres antiqui contra hæresin Pelagianorum. Dicant, Dominos non recessisse à Confessione & doctrina sua: neque Augustæ in Comitiis anno 30. neque Suinfurti anno 32. neque vllo post tempore. Si hæc dicant, vult culpam deprecari, & se errasse confiteri. Dum autem sic agunt, vt agunt: non se posse aliud credere.

Quod verò dicunt, iureiurando suo cogi se, vt non cõcedant, diuturniorem dilationem & moram fieri: respõdemus, hanc moram ipsis fieri autoribus: eos moram & dilationem quærere: Capitulum decretum fecisse de recognoscendis rationibus: præscripsisse tempus, & tempus concessisse, intra quod recognosci poterant: istud decretum ab ipsis comprobatum fuisse: ipsos hoc decreto neglecto, & officio in recognoscendo deserto, nouam causam noui dissidij quærere.

Istud, capitulum quatuor canonicis simul respondet. Erythræo verò & Englero istud refert: mirari capitulum, cùm superioribus annis numquam vllum documentum dederint vllius diligentiæ: cur tam subitò diligentes exstiterint in capitulo: & cur in capitulo obseruantes esse velint iurisiurandi, & illud in Scholis negligant. Nam in conditionibus Examinis & Examinatorum esse non solùm in Capitulo, sed etiam in Scholis officium facere.

Nunc verò constare Visitatoribus dum Erythræus publicus professor fuit [fuit autem annis non paucis] nullum vnquam librum inchoatum absoluisse. Aristotelis falsò inscriptam enumerationem virtutum absoluisse: sed illum quatuor tantum paginarum: partem cum anni non dimidiatam, non tertiam, Erythræum in Scholis officium facere.

Laurentium verò, ante hoc tempus, & ante hanc illorum siue conspirationem, siue consensionem, numquam à Marbachio pro diligenti habitum: numquam pro erudito. Filios suos non diu passum esse in Laurentij classe esse. Contra illum apud Visitatores egisse: Dignum habitum, qui officio priuaretur. Et istud quod Marbachius tùm dixit: idem dixerunt & dicunt Visitatores, Professores, classici vicini Præceptores, & denique multi ciues: postulat Capitulum, vt suam diligentiam in cãpo Sagittariorum, cum altera commutet diligentia, quam præstare debet in sua classe: & cogitet, in vtro loco sit alacrior: an magis memor sit iurisiurandi in Scholis, quàm voluptatis apud Sagittariorum tela & areas: & si ignorat de classica diligentia, interroget Rectorem, Visitatores, Professores, de Sagittariorum area interrogentur ciues, qui illum locum solent frequentare.

Protestatur autem Capitulum: se virtute examinis & iurisiurandi, hac de illorum negligentia cognituum.

Illud verò intolerabile est, quod in protestatione hi quatuor dicunt: callidè Capitulares suffragia colligere, & de rebus referendis ad Capitulum ante deliberare, quàm in Capitulum veniatur, vt ipsi suffragiis superentur: Et tamen pro decreto habetur, quidquid huiusmodi ratione proponitur. Id Capitulum dicit non solùm falsum esse: sed mēdacium eorum hominum, qui ex suis factis aliorum facta solent æstimare.

Præpositus hisce brumalibus diebus dixit: Maledictus Zanchius, si dicat, Præpositum à se sibi conciliatum esse. Iussit in eodem Capitulo prodire, si quisquam esset, qui dicere posset, se à Præposito esse prehensatum. Idem Præpositus postulat, vt singulæ personæ Capitulares iuratæ dicant, interrogati à Magistratu: an Præpositus quemquam vel vlla promissione adstrinxerit: vel rogarit, vt suarum esset partium: vel vllâ ratione callidâ prehensarit. Idem Capitulum petit, vt rogentur iurati, singuli, à Magistratu.

Contra verò probari potest, non vnum prehensatum esse à parte aduersaria. Legem habemus, vt in eligendo Canonico, tres nominentur à Nominatore. Nemo verò horum trium sciat, se esse nominatum. Hanc legem iurauimus omnes, probari potest tribus spem esse datam: nominandos à D. Marbachio, & id factum esse à Marbachio & Erythræo: quá arte quid petitum sit, relinquimus Dominis æstimandum.

Id de se Capitulum profitetur, & in eo gloriatur: nullam factam à se prehensationem, nullam promissionem, nullam conspirationem, nullam donationem: nullam fuisse præpostetam sententiarum interrogationem: nullam obligationem fidei vel obedientiæ, neque in Capitulo, neque in Scholis. An verò aduersarij idem aut simile fecerint, faciántve: an iam in Canonicos futuros, si discedere cogamur, designarint: an domos Canonicales promiserint: an Quæstores cogitarint, an Scholasticos, an Custodes, an Cantores: hoc illorum relinquimus conscientiis.

Credimus, nos ad omnia respondisse, clarissimi Domini. Et quamquam omnia diligenter cognosci & iudicari à vobis postulamus: tamen nihil peræquè petimus considerari, quàm illam quæstionem quæ est de confessione & doctrina Maiorum nostrorum Si vos iudicabitis, Senatum & Legatos Ciuitatis recessisse à sua Confessione, hoc est, doctrina, quod factum est iritum, nos facere non possumus. Si verò in eadem mansisse: numquam falsam doctrinam, recepto Euangelio, defendisse: petimus, vt in hac nobis manere & hanc defendere liceat. De his duobus cognoscere atque iudicare, vestræ est autoritatis atque potestatis,

A D Marbachio postulamus, vt respondeat: veráne, an falsa doctrina Maiorum nostrorum fuerit. Si vera: cur non subscribit? Et cur vexat nos? Si falsa: cur non id nos docet? cur non colloquitur? cur non disputat? Item illud rogamus: Si veram esse doctrinam Maiorum nostrorum putat: an nos intelligere Maiorum nostrorum doctrinam arbitretur, nécne intelligere? Si intelligere: cur non idem loquitur quod nos? Si non intelligere: cur nobis non explicat, vt intelligere possimus.

Si ad hæc nobis respondere recusat, nos protestamur, id nos fecisse & facere, quod viros bonos, & memores suorum præceptorum, fecisse & facere decet: & id pati, quod collegæ à collega pati non deberent, & id passuros, retenta veritate, quod homines constantes & Christianos pati decet.

Hæc fuit illa disceptatio inter vtrumque Theologum, agitata initiò quidem in Concilio Thomensi, posteà verò ab accusatoribus translata ad Senatum.

CAPVT X.

IN QVO SCRIPTA QVAEdam Compositoribus huius controuersiæ, ante compositionem oblata: Item consensus articulorum quorũdam hactenus controuersorum, cui subscriptum fuit: atque etiam conditiones, quibus articulis his subscriptum & totum dissidium sublatum fuit, continentur.

HIERONYMI ZANCHII EPISTOLA,

Dominis Compositoribus exhibita 6. Martij, Anno LXIII.

S.

CVm intellexissem, Domini clement. viri doctissimi ac prudentissimi, vos singulis diebus cognoscendæ nostræ

Fit huius mentio in epistola ad Landg. pag. 19. in fol.

nostræ cõtrouersiæ gratia conuenire, & scirem, non posse eam plenè cognosci, déque ea vllum certum & firmum iudicium concipi, nisi ex Actorum & eorum quæ vltrò citróque à patribus scripta sunt, attenta lectione, diligentíque examinatione: ac me non lateret, quædam ab aduersariis meis scripta fuisse contra me, plena conuitiis atque calumniis, ad quæ, quia illorum exemplum nullum mihi fuerat communicatum, non potui respondere: Iccircò ne inde vllum contra me præiudicium imprudenter à vobis fieret, admonui nuper eius rei, Reuerendos viros Simonem Sulcerum & Huldricum Coccium, per epistolam, quod hoc illos nouisse, multum interesset. Ad ipsos autem, non ad vniuersos vos iccircò scripseram, quod malebam duobus tantùm veteribus amicis, quã omnibus Dominis meis, videri importunus: si tamẽ importunitas dicenda est, cùm ea, quæ maximè scitu necessaria sunt, admonemus. Cæterùm, quia certior factus fui, non fore ingratum vniuersis Dominis cognitoribus, si, quæ desidero, ipsis simul omnibus ea significem: iccircò ausus fui hac epistola, illa eadem vobis vniuersis significare: Nempè quæ ab aduersaria parte aduersus me scripta sunt, ea duplicis esse generis. quædam, quæ meas coniunctas habent responsiones, ea vt legaris & iudicium inde concipiaris, & placet & rogo. Quędam verò sunt, ad quæ nunquam respondi, idque propterea, quod mihi nunquam fuerunt ita communicata: vt ad ea respondere & responsiones vel Senatui vel Capitulo vel aduersæ parti exhibere licuerit. Sunt autem huius generis quæ sciam, hæc: primùm, duæ amarulentæ & contumeliosæ orationes D. Marbachij contra me: quarum vna hoc habet exordium: *Hoc primùm sub noctem.* altera hoc: *Cùm Zanchij prolixam orationem.* Deinde liber quidam contra omnes meas theses, qui hunc habet titulum: *Ad Hieron. Zanchij priores tres theses, ministrorum Ecclesiæ Argentinensis Responsio.* Et iis iudicium nullum contra me fieri aut etiam præiudicium concipi debere, antequam meas etiam legatis responsiones, quæ vestra est eruditio atque prudentia, optimè nostis. Quod attinet ad illas orationes, quia tandem aliquando eas impetraui, sed serò, ad eas etiam nunc primùm responsionem perficio: hanc, septimana insequenti, Deo fauente, vobis exhibebo, idque quamprimùm. Liber in quatuor secatur partes, in conuitia, in calumnias, in refutationem sanæ doctrinæ, & in dogmata ministrorum illorúmque confirmationem: conuitia sunt deuoranda Christianis: modò de eorum innocentia constet inter bonos. Calumnias aliquot, cùm illius libri facta mihi fuisset à quodam amico per vnam noctem & diem copia inde excerpsi, atque depuli: depulsionémque Magnificis Dominis Tredecim Viris, eum mea Supplicatione, exhibui. Rogo itaque Dominos meos, vt illam Supplicationem legant, quia plurimùm facit ad rem. Dogmata aliquot ministrorum, ex eodem libro scripta, si non vobis exhibita fuere à D. Ioh. Sturmio Rectore: ego exhibebo, cùm iusseritis. Quàm verò benè refutata sit sana doctrina, quam plerisque in locis eius libri, fatentur esse Augustini, & quam alicubi inuidiosè appellant doctrinam Gallorum & Italorum, cùm tamen sit etiam optimorum & doctissimorum Theologorum Germanorum, Lutheri imprimis atque Buceri: vos omnes pro vestra pietate atque iudicio, præsertim verò quatuor Reuerendi Theologi, facilè iudicare potestis: si librum legistis. Lectiones etiam aliquot meæ de libro vitæ, de Prædestinatione, quas ante dissidium, annos ferè 5. & 6. habueram: deinde etiam de remissione peccatorum collectæ ex commentariis studiosorum fuerunt & Dominis exhibitæ, antequam mihi recognoscendę præberentur: eas scio esse deprauatas: sed quorum culpa, ignoro. Ergo neque ex iis concipi iudicium potest: nisi ad archetypum corrigantur. Quod scripta Germanica attinet, vos scitis optimè, nullum inde fieri iudicium contra me posse: qui neque ea legi, neque etiam intelligere, ac proinde nec respondere potui. Rogo etiam Dominos Cognitores, vt meam de tribus articulis, Prædestinatione, Perseuerantia, & Cœna, Confessionem, amplis. Senatui Latinè & Germanicè exhibitam, legant. Hæc sunt, quæ in præsentia à vobis, viri pręstantissimi peto atque postulo, haudquaquam petiturus, quod metuerem ne essem vobis molestus, nisi certior factus fuissem, me si quid à vobis peterem, rem facturum vobis haud ingratam. Valete igitur. Dominus vos spiritu suæ sapientiæ, prudentiæ, & æquitatis regat.

Hoc verò etiam adiiciendum putaui, statum controuersiæ quod ad doctrinam attinet, inter Doctorem Marbachium & me, facilem esse cognitu & iudicatu. Est enim ille: Vtrum doctrina, quam ipse accusauit nouitatis & hæreseos, & quam ego profiteor me in schola tradidisse, sit noua ac portentosa & hæretica, ac proinde an ego fuerim turbator Scholæ, nec ne. V I. Martij Anno M. D. LXIII.

AD EOSDEM COMPOSITOres Ioh. Sturmius Rector.

CLarissimi & prudentissimi & optimi viri: non mihi vllum est dubium, quin vester animus iisdem angarur angoribus, quibus meus angebatur, cùm res ista relata esset ad Capitulum. Vt enim ego tùm: sic, credo, vos inuitè & illibenter dissentitis à D. Marbachio, & cupitis, si quã ratione possitis, absque aduersariæ partis dedecore, illius existimationem defendere: id quod ego etiam tùm habebam propositum, & adhuc in eadem sententia sum, si qua ratio & modus bonus queat inueniri. Quomodo verò ex hac vos cognitione expliceris, non video, si eadem obseruabitis, in ipsis quæ cognoscitis Actis, quæ ego animaduerti, dum agerentur: & quæ ante cognitionem Capituli atque etiam superioribus temporibus & actionibus sæpè dolens tacitis notaram cogitationibus.

Vt Doctoris Marbachij existimatio mihi curæ esset, adhortabatur me primùm ministerij autoritas, quam semper saluam & integram esse cupiui: deinde Collegij vtriusque Scholæ, & Thomæ necessitudo: rum Collegij Prædicatorum communis curatio, quæ illi & mihi commissa à Scholarchis est: Postremò ipsorum inter se Pastorum consensio in hac accusatione. Præterea gratiam multorum gratiosorum hominum in Senatu & ciuibus, quam erga parochos & D. Marbachium habent, quæ talis ac tanta est, vt absque horum offensione, etiãsi iusta esset causa Zanchij, tamen ea non defendi posset.

Hæc ex vna parte mihi consideranda veniebant. Ex altera verò parte mihi occurrebat: Zanchium autore Iacobo Sturmio honorificæ memoriæ viro, vocatum esse, & huiusmodi literis, quas ego illius & duorum collegarum iussu scripsi, ex quibus vnus adhuc superstes est, D. Fridericus à Gottesheim, quas literas Zanchius adhuc habet ab ipsis Scholarchis signatas: Et ita vocatus est, vt ego non sciam, aliquem ex nobis vocatum esse liberaliùs.

Occurrebat etiam, Zanchium exceptã curatione & œconomiã Collegij Prædicatorum, reliquis necessitudinibus æquè mihi & Collegis meis coniunctum esse, atque D. Marbachius sit.

Faciebam etiam comparationem memoriæ, doctrinæ, iudicij in differendo, quã cogitatione mediocriter commouebar. Cogitabam etiam, D. Zanchium non postremas partes in ministerio Ecclesiæ tenere: neque solùm lectorem esse hoc est, *ἀναγνώστην*: sed etiam Doctorem non solùm titulo, sed etiam reipsa.

Videbam etiam, D. Marbachium, in pace & concordia summa omnium Collegiorum, subitò ad istas decurrisse sine causa inimicitias, & concordiam & otium 8. annorum, vnius horæ offensione; nullã Zanchij iniuriã ita disrumpere, vt restitui non posse videretur: nisi eum eiici & exturbari à nobis pateremur.

Sentiebam: cùm D. Zanchius nunquam in Schola de Cœna Domini docuisset: nunquam conclusiones ad disputandum proposuisset: cùm toto quadriennio illius quæstionis docendi causa non meminisset: tamen inter sua postulata posuisse Marbachium, inuidiæ conciliandę causã. Illud verò grauissimè me mouebat, quod Zanchium dicebat, domi meæ dixisse, doctrinam Lutheri diabolicam doctrinã esse, id quod ego pernego: quã ratione Pastores sibi adiunxerat, & à Capitulo disiunxerat.

Ægrè ferebam, quod hæreseos accusaret: quod Chiliastem nominaret D. Zanchium: iccircò solùm, quod probabiliter in vtramque partem disseruisset de Fine Sæculi & Antichristo. Nam in præfracta opinione hæresis posita est, non in probabili disceptatione & argumẽtorum comparatione.

Displicebat, quod quæ ante annos 8. docuerat D. Zãchius de Electione Sanctorum, ex illis demùm eruerent duras & odiosas conclusiones, eásque non integras, sed verbis suis mutilatas: atque ita eas oppugnarent, vt totam illius doctrinam magnis conuitiis reprehenderent, ipsi nullam de hac quæstione doctrinam traderent, &

cum has conclusiones D. Zanchius in Scholis ad disputandum nunquam proposuisset, quasi ita nudæ propositæ ab illo ad disputandum essent, ita eos has diuulgare, tuli permolestè.

Atque hæc ante cognitionem Capituli: & sub illis initium fieri animaduertebam: & dolebam tacitè. Postquam verò res ad Capitulum relata fuit, vehementer commouebar duabus D. Marbachij narrationibus, in quibus nullum vestigium potui animaduertere caritatis Christianæ. Dolebam etiam, Capitulum ab eo persuasum esse, vtile esse libellis potiùs causam defendere, quàm vel collocutione, vel disputatione, siue in Scholis siue in Capitulo, siue apud viros bonos: nec meam postulationem habere locum, qui ex Apostoli autoritate petiui, vt poscenti rationem redderet fidei: si nolit Zanchio, at mihi, at Capitulo: idque de principio huius actionis, & in ipsa actione sæpenumerò.

Augebat etiam animum meum, quod Capitulum Partialitatis clàm accusarent, cùm tamen quinque hebdomadibus passi essemus D. Marbachium solum dicere, & tempus extrahere, quò minùs de re decerneretur: & ita dicere, vt D. Zanchio copiam non fecerimus respondendi, imò neque exemplum duarum narrationum dederimus: idque duas ob causas: primùm Concordiæ: deinde existimationis Doct. Marbachij, si illius argumenta & accusationes refutasset: id quod Capitulo videbatur Zanchium potuisse facere facilè. Et adhuc, cùm cogito, commoueor, Capituli considerans patientiam. Videantur Acta: interrogentur homines. Capituli interlocutorium quod in Acta relatum est, factum non fuit, nisi tùm demum, cùm intelligeret Capitulum, nolle ampliùs D. Marbachium causam suam cognosci à Capitulo, & rectà velle à Scholarchis & à Capitulo ad Tredecim Viros transfugere. Videatur etiam Replica capituli ad illorum responsionem: videbitur, angustiis temporis capitulum impeditum esse, vt ne apud Tredecim Viros anteuerteretur, si ipsi ad illos prouocassent: tempus quidem habuisse scribendi illam Replicam: non autem habuisse potestatem agendi cum illo ampliùs: fecisse tamen potestatem ostendendi eam D. Marbachio & Pastoribus.

Ad hoc Interlocutorium & ad hanc Replicam coegit nos necessitas. Nam posteaquam animaduertimus, Marbachium id considerasse, vt Scholarcharum cognitionem primo loco declinaret, deinde à nostra sese expediret, vt ne capitulum suis auribus & lingua & mente esse videretur: maluit videri aliquid dixisse iudicio, quàm sine iudicio per totam causæ cognitionem tacuisse.

Prætereo hic multas acres sententias, vehementes minas, horribiles criminationes, quas pati & dissimulare coacti sumus: & tamen tulimus & passi sumus, dum causa cognosceretur: & post cognitionem capituli passi sumus duos iam annos seditiosas & horribiles conciones, occultas calumnias, sermones, literas, nuntios, contra consuetudines bonorum virorum, contra caritatẽ Christianam. Et tamen hæc omnia illa damus, ignoscimus, veniam damus: imò complectimur ipsos vera caritate & amore, si bonis conditionibus velint redire ad pristinam concordiam. Sed si satiari animus D. Marbachij non potest, nisi eiecto Zanchio: neque hîc locum patietur habere caritatis præceptum & vinculum, nos contra caritatem pati non possumus, collegam per dedecus remoueri, & Scholam tam magnum detrimentum accipere. Si verò idem volet, quod opinor omnes nos: non recusamus, omnium iniuriarum ἀμνηστίαν fieri.

Verùm in hac concordia constituenda, ista ab illis postulo: non diffidens idem placiturum collegis meis.

I. Primùm: vt non obliuiscantur, quibus de rebus sit contentio. Dixerunt: Zanchium (vt D. Marbachius primus & solus dixit, vt in Actis apparet) hæreticam & nouam doctrinam tradidisse, & illam doctrinam hæreticam non simplicem esse: sed varias & multiplices continere hæreses, Chiliastarum, Nouatianorum, Marcionistarum, Anabaptistarum, Suenckfeldiorum, Antichristorum: ipsúmque Zanchium esse Antichristum.

II. Vt cogitent: hanc actionem ad solum Zanchium pertinere, vt si vnam hæresin probare queant, nihil dicturus sim ampliùs & passurus, vt Senatus condemnet: condemnaturum etiam me: & idem mihi promitto de collegis in eam, quæ Senatui videbitur, bonã sententiã.

III. Meminerint etiam: illud caput accusationis de doctrina noua ita explicatum esse, vt capitulum non potuerit decernere Zanchium quidquam contra doctrinam maiorum nostrorum docuisse, quoniam id suis Actis non potuerint comprobare.

IV. Sed illud etiam ipsis in mentem veniat, non solùm in hoc controuersiam positam esse, an Zanchius cõtra doctrinam maiorum nostrorum nouam doctrinam tradiderit: sed etiam an standum sit maiorum nostrorum doctrinã, quæ causa præcipuè ad Capitulum pertinet. Hîc Capitulum postulat: vel vt patiantur Maiorum nostrorum doctrinam autoritatem suam retinere: vel vt nobis probent, Magistratum nostrum à sua Confessione, id quod dicit, recessisse, & eam obliterasse: id quod nullo modo possumus concedere. Agnoscimus enim & doctrinam eorum & Magistratus Confessionem consentaneam esse non solùm Apostolicis & Patrum scriptis, sed etiam Confessioni Principum Augustanæ. Atque id volumus defendere. Neque iccircò hanc formulam proponimus, vt aliquid de autoritate Confessionis Augustanæ Principum derogemus, aut à nostra recedamus: sed vt ex hac videamus, quis vtriusque Confessionis verus sit sensus. Opinor enim Capitonem & Bucerum prudentissimos & opt. viros, optimè intellexisse, quæ fuerit Philippi Melanchthonis, qui illam conscripsit, sententia, & quæ Lutheri qui illam concessit. Habebimus igitur, quorum autoritatem sequamur: & certos nobis cancellos præscribemus, extra quos disceptando non poterimus diuagari, si istud statuetis. Deinde retinebitur existimatio Maiorum nostrorum, ne falsam doctrinam professi esse & defendisse videantur. Neque necessum erit nos alienis immiscere cõtrouersiis: quam rationem scio maiores nostros, quorum sæpè iam memini, perpetuò retinuisse.

V. Quantum verò ad Confessionem Augustanam pertinet, desinant in eo laudem victoriæ quærere, & postulare, vt illi subscribamus: cui numquam restitimus, cuius autoritatem defendere volumus, cui etiam pars nostrum subscripsit tùm cùm nostri accusatores admodùm adolescentes versarentur.

VI. Si verò veram pacem quærunt, idque verè & ex animo: sciant, se esse & fuisse homines, vt nos etiam nos esse fatemur & scimus: & hanc veniam petimus, & dabimus vicissim: sed non vt placida coëant immitibus, & vera falsis: non vt Tigribus agni geminentur, & crudelitas cum patientia cogatur societatem facere.

VII. Promittant ipsi: nos etiam promittemus: ita docturos, disputaturos, scripturos, locuturos nos de Augustana Confessione, vt nihil contrarium sit sacris literis, nihil aduersarium publicæ paci & constitutæ concordiæ, nihil repugnans cum doctrina maiorum nostrorum.

VIII. Si nobis istud promittant communiter nobiscũ: nos seorsim promittimus, in quæstione de cœna Domini, nullam nos allaturos autoritatem ex literis maiorum nostrorum, nisi ex illis libris & disputationibus & scriptis & responsis, quæ post concordiam edita sunt ab anno 36. vsque ad annum 48. cum hac tamen protestatione: quod illud verum esse defendere volumus, Mart. Bucerum in nullo dogmate Catholico vnquam mutasse sententiam, non ante concordiam, non post discessum in Angliam: sanam & orthodoxam illius doctrinam esse comprobatam ab omnibus symmistis, Capitone, Hedione, Zellio, Steinlino, Lenglino, Symphoriano, totáque Ecclesia: & si formam aliquam summámque doctrinæ requirant, intra cuius limites vtrinque continere nos debeamus: subscribant nobis cum illis articulis quos notatos habemus manu Buceri, Capitonis, Hedionis, Zellij, propositos & defensos anno 39. hoc est, 3. anno post constitutam concordiam.

IX. Postulo etiam: vt quemadmodum nos nihil disputare constituimus, concordiæ causã, neque publicè neque priuatim in his quæstionibus de quibus controuersia est, de cœna Domini, de Prædestinatione, de Perseuerantia sanctorum, de fine sæculi, & de Antichristo: sic etiam ipsi promittant arbitris: se idem facturos in Scholis & in concionibus, antequam bonum esse omnibus videbitur.

X. Istud tamen ita postulamus: vt neque nobis libertatem eripi velimus, neque illis etiam adimere, quoties necessarium erit tantum dicere, vel quantum locus aliquis in sacris literis requirit, vel inimicus Euangelij, vel seditiosus aut melancholicus homo cogit facere.

XI. Peto etiam: vt si vos arbitri prudentiss. & opt. viri, rationẽ habere velitis existimationis partis aduersariæ etiã nostri habeatis: & nos à crimine libertetis hæreseos,

cuius

cuius suspicio hæret in animis multorum mortalium.

XII. Vt verò deinceps etiam retineatur concordia: postulamus: vt de conuentu Ecclesiastico aliquid constituatur certi: vt vel patiantur Professores esse in isto conuentu, vel ipsi nihil decernant vel in doctrina vel in cæremoniis absque autoritate presbyterorum: & presbyteri non cogantur illorum suffragia & postulata facere, ante quàm primùm rem ad Scholasticum conuentum, deinde ad Magistratum retulerint, cuius summa semper esse debet autoritas.

XIII. Rogamus etiam: vt, si Professores admittere in suum conuentum nolint, & sua nosse consilia, Professores non cogantur eos in suum cœtum suáque adhibere consilia: id quod in Vniuersitatibus obseruatur: vt Artistarum & Theologorum separata sint consilia.

XIV. Illud etiam flagitat concordia: vt posthac Visitatores & Professores iubeantur à Scholarchis vnum pluresve decernere, qui in singulis intersint lectionibus & disputationibus, quo maturè ad Consilium & ad Scholarchas referre possint, si quis quid faciat immoderatiùs.

XV. In primis verò illud est necessarium, vt stipendiati omnes lectiones omnium Theologorum audiant, qui publicorum Professorum sunt auditores.

Hæc sunt clarissimi viri, quæ vobis indicanda putaui. Credo etiam, his conditionibus firmam posse constitui concordiam. Et fortassis possent aliæ rationes inueniri meliores. Sed ego ista non consilium dans scribo: sed vt vobis indicarem, quid ego & alij mecum requirant, à vobísque petamus, & postulemus à nostris accusatoribus. Neque hæc ipsa scripsissem, nisi ex vestris concionibus intellectum esset, vos ad pacem respicere, & pacem flagitare, & dissidium, quod nimis diu iam durat, componere, absque vllius, vt sentire me puto, condemnatione. Qua in re oro Deum Patrem omnium nostrorum, per filium suum Iesum Christum Dominum nostrum, vt vobis suo spiritu adsit ad eam pacem constituendam inter nos, quam Apostolis & discipulis suis dedit atque reliquit. Amen.

Anno 1563. 10. Martij.

Ioan. Sturmius.

Vide 1. Tom. Miscellan. fol. epistol. ad Landgr. p. 19. in fol.

HIERONYMI ZANCHII

Ante disputationem publicam, cuius ipsi spes facta fuerat, sed non copia, ad totum Auditorium, præsertim verò ad cõstitutos arbitros oratiuncula, qua totam controuersiam paucis complectitur.

EGo verò principiò ago gratias Deo optimo Patri, per Iesum Christum, quod posteaquam permisit biennium nos variis molestiarum fluctibus in hoc dissidij pelago agitari, tandem aliquando nostri misertus, portum aliquem quietis atque salutis nobis præmonstret hoc nimirùm colloquio, coràm clementissimis Dominis meis, doctissimis Theologis, & sapientiss. Iurisperitis, aliísque piis & doctis viris.

Gratias etiam ago clementissimis Dominis meis, pro laboribus quos nostra causa perpessi sunt hoc bienniũ, & pro cura, studio, & diligentia, quam in componendis his controuersiis nostris adhibuerunt: & tandem, quod accersitis aliunde piis & doctis arbitris Theologis atque politicis viris, hoc instituerint colloquium, in quo speramus & Deum glorificatum, & doctrinæ veritatem cognitum, & omnia inter nos dissidia sublatum, & pristinam amicitiam atque concordiam instauratum iri.

Gratias etiam ago illis Illustrissimis Principibus, & Magnifico Senatui Basiliensi, qui vt nostro clementissimo Magistratui gratificarentur, hos sapientiss. ad nos viros miserunt.

Tum etiam vobis doctiss. Legatis, qui istum laborem, istúdque onus, nostra causa subire non recusatis.

Ad extremum ago gratias omnibus, qui hîc adsunt, nostrum colloquium audituri.

Precor autem omnes in vniuersum, vt æquis auribus atque animis audire nos velint: & ne, audiendis nostris humanis contentionibus, quas Satan inter nos excitauit, fouítque totum hoc biennium, ita offendantur, vt propterea iudicent, nos interim non fuisse, aut etiam esse Christianos. Nam inter sanctissimos quoque & Apostolos & doctores & alios pios viros, orta fuisse nonnunquam grauissima, déque grauissimis rebus dissidia, docent abundè historiæ cùm sacræ, tùm Ecclesiasticæ. (Inter sanctos dissidia.) Vult enim Deus, dum hæc permittit, hac ratione patefieri & nobis ipsis & aliis, quales simus nostrapte natura, superbi nimirùm, imperiti atque mali: ac proinde vult, vt hac nostri cognitione humiliati, discamus posthac humiliùs de nobis sapere, diligentiùs sacris literis incumbere, & studiosiùs fraternam amicitiam, Christianámque concordiam inter nos colere, & Satanæ fortiùs resistere, malísque (vt in prouerbio est) principiis attentiùs obstare. (Vtilitas dissidiorum.)

Nunc quocum, aut quibuscum habeam dissidium: & quod qualéque illud sit, aperiam paucis.

1. Controuersia primò & per se, non est mihi, nisi cum D. Marbachio: secundariò verò & per accidens, cum reliquis Pastoribus. Nam initiò tota controuersia erat solùm inter D. Marbachium & me. Deinde verò, ne solus esset D. Marbachius, aut iste reliquos secum traxit, aut illi spontè sese D. Marbachio adiunxerunt contra me vnum. Dicam igitur de dissidio, quatenùs illud fuit inter solum D. Marbachium & me. Nam composita controuersia inter nos duos, composita etiam fuerit cum reliquis omnibus.

2. Illud secundò retinendum est, me fuisse & esse accusatum: Doctorem verò Marbachium accusatorem.

3. Controuersia autem inter D. Marbachium & me, 4. habet capita. I. continet theses, quas pro meis agnosco, & quas ipse tum nouitatis, tum hæreseos accusauit. II. Continet Calumnias, de doctrina. Multa enim fuerunt de me tum sermonibus, tum scriptis sparsa, quæ omninò calumnias esse, protestor. III. conuitia & contumelias propè infinitas, quibus ego traductus fui, & infamatum meum ministerium. IV. Rationem agendi: qua vsus est in hac controuersia, iniquam in se, & mihi detrimentosam, imò perniciosam.

Ratio agendi, qua vsus est D. Marbachius in hac controuersia: & est summa Actorum.

Quod ipsam agendi rationem, qua vsus est D. Marbachius in tota hac controuersia, attinet: ea non potest meliùs cognosci, quàm si legantur Acta omnia. Summam autem complectar aliquot breuibus propositionibus.

1. Per annos iam octo fueram hic habitus cùm ab aliis, tum à Doct. Marbachio, aliísque collegis pro viro bono, & bonorum virorum amicitia digno, vt etiam D. Marbachius in suis orationibus testatur. Proinde cum omnibus etiam collegis colui amicitiam: & vicissim omnes collegæ, & pastores & Diaconi mecum.

2. Docueram etiam & disputaueram cùm de aliis ferè omnibus dogmatibus Christianis, præterquam de Cœna Domini: tum speciatim de Prædestinatione, & de fide Sanctorum, déque eorundem in Fide Perseuerantia, imò de omnibus iam controuersis articulis, præterquam de Fine sæculi.

3. Etsi de aliquibus rebus aliquando contendimus seriò in disputationibus: vt de retinendis imaginibus in templis, de Cantu figurato, & similibus: in articulis tamen Fidei essentialibus, nulla inter D. Marbachium & me, fuerat publica controuersia.

4. Ac fatetur ipse in suis orationibus, de Prædestinatione non fuisse inter se & me controuersiam, nisi de modo, quo quis, volens & ipse fieri certior, & alios reddere certiores, de sui Electione & Prædestinatione, vti debeat: viáne à posteriori (vt vocant:) an à priori.

5. De Cœna, nouerat ipse de principio, hanc meam esse fidem: manducari quidem in Cœna verum corpus Domini, hoc est, Dominum ipsum: sed id fide tantùm, & à fidelibus tantùm.

ctione sanctorum, eorúmque perseuerantia in fide: quàm Capito, Bucerus, Hedio docuerunt.

Dicimus: nos non potuisse hucusque obseruare, Zanchium secùs de his quæstionibus docuisse, quàm maiores nostri, quos iam nominauimus: neque hos aliud docuisse, quàm Lutherum, neque Lutherum aliud, quàm Augustinum: neque Augustinum aliud, quàm Prophetas, Apostolos, Christum.

Dicimus: Capitonem piæ memoriæ, in suo Germanico Catechismo puerorum, ipsis pueris hanc doctrinam proposuisse, anno vno ante confessionem nostram Augustanam.

Dicimus: Zanchium quatuor annis nihil vel docuisse, vel ad disputandum proposuisse de cœna Domini.

Dicimus: Marbachium id agere, id conari, id moliri, vt nostræ vrbis Augustana confessio habeatur pro erronea: & non solùm concionatores maiores nostri: verùm etiam legati in Comitiis nostræ Reipublicæ, verùm etiam Senatus totus, totáque Respub. videatur non rectè de cœna Domini sensisse. Atque idud idem dicimus. Heshusium de nostra Rep. scribere. Qui tamen quales viri fuerint quàm graues, quàm prudentes, quàm experientes, quàm modesti, quàm pij, vobis æstimandum & commemorandum relinquimus.

Dicimus ea conditione legatos nostros Svvinfurti anno 32. fœdus oblatum ab Electore Duce Saxoniæ, & Lantgrauio, non recusasse: & iis legibus subscripsisse Augustanæ confessioni: in ea parte, quæ est de doctrina, non de cæremoniis: quasi nostræ ciuitatis & quatuor ciuitatum confessioni consentienti: atque e: de causa non solùm confessioni Principum subscripsisse: sed suam etiam retinuisse.

Dicimus, Capitonem, Hedionem, Bucerum in hac confessione nihil immutasse: Bucerum verò vsque ad extremum spiritum in postremis etiam scriptis huius Confessionis veritatem defendisse.

Dicimus: Lutherum nihil aliud à nostris concionatoribus postulasse: posteaquam in collocutionem ventum est: quàm quod in illa confessione continetur, & in Articulis concordiæ inter ipsos constitutum est.

Dicimus: à Luthero cuique Ecclesiæ liberos suos loquendi modos de cœna Domini, relictos esse: modò veram Christi & corpus eius præsentiam fateantur.

Dicimus: hanc concordiam salutarem fuisse in imperio: & huius concordiæ laudem ad solam hanc ciuitatem pertinere, propter Capitonem, Hedionem, Bucerū: qui principes eius actionis erant. Hanc autem laudem tolli ab hac Republica: ipsámque concordiam discindi, hac importunitate Marbachij & concionatorum.

Dicimus: Bucerum, & Capitonem, & Hedionem tempore eo respexisse, vt Saxonicas Ecclesias in amicitia retinerent: & Heluericas atque alias ad eandem necessitudinem pertraherent: & eundem Bucerum etiam in retractationibus honorificam fecisse mentionem Oecolampadij & zvvinglij: nostros verò aduersarios contra facere: hanc concordiam in obliuionem trahere: & de aliis Ecclesiis concionari cum magnis iniuriis atque contumeliis.

Dicimus: totis his 18. mensibus, neque in concionibus, neque in colloquiis, neque in vllis actionibus vllam significationem dedisse nobis Christianæ caritatis, sine qua Spiritus sanctus esse non potest: omni scriptura teste, quæ falsa non est.

Dicimus: eos nostram controuersiam in nulla concione populo verè proposuisse: sed ita egisse, quemadmodum intelligunt egisse qui causæ veritatem norunt.

Dicimus: quemadmodum nobiscum nullam cogitarunt coire concordiam, sed solùm, vt vel diceremus AMEN, vel, vt vltrò, coacti fastidio, abiremus: ita etiam non respicere discordias Ecclesiarum exterarum, neque earum detrimenta, sed solum vt ipsi vicisse videantur.

Dicimus hoc agi, vt abolita confessione Augustana nostræ vrbis, & autoritate Buceri, Doct. Marbachius videatur hanc vrbem à magna multorum annorum hæresi ad veram doctrinam deduxisse: idque primùm aliquot an..is post mortem Hedionis, & magna cautione: hoc vero anno, tota acie armatáque manu obtinuisse.

Dicimus agere aduersarios hic, non vt vera sententia restituatur, quæ à tempore concordiæ in hac vrbe vsque ad discessum Buceri retenta fuit: sed prætextu veritatis, & confessio nostræ ciuitatis, & confessiones tres: vna, anni 33. magnæ synodi: altera paruæ synodi, quarta 48. cui ipse Marbachius subscripsit; tollantur, vt Capitonis & Buceri vilescat autoritas: quantumuis magnis Bucerum iam incipiunt euehere laudibus. Quod si fit: videbuntur Legati ciuitatis ipséque Senatus & Ciues falsum Cæsari dixisse, non verum confessi esse, aut imperii esse & immemores Actorum Maiorum suorum, & veteris oblitos suæ Reipublicæ. Videbimur etiam nos Visitatores, qui partim 34. annorum, partim 26. annorum memoriam rerum Scholasticarum habemus, omnem neglexisse Maiorum nostrorum veritatem: *id denique agunt vnà, vt ab vna noua confessione, quatuor veteres iugulentur.*

Hæc, clariss. viri, diximus, & plura habemus, quæ verè dicere possemus. Sed quoniam illa acria essent, prætereunda duximus, neque hæc dicimus exaggerandi causâ, sed quod veritas atque dolor ea exprimat.

Sed quoniam Theologi suam, vt audimus, confessionem nudiustertius 24. Iunij, Dominis dederunt, damus etiam nos nostram breuiorem, & vt speramus clariorem, quàm eorum sit: quæ non tam est nostra, quàm Capitonis, Hedionis, Buceri, Zellij, omnium ministrorum anni 39. à qua discedere ipsi non possimus, & quam parati sumus contra omnes inimicos huius veritatis defendere vel colloquendo, vel disputando, vel scribendo, vel docendo, quam à Bucero habemus scriptam, à Capitone, Hedione, Zellio annotatam suâ ipsorum manu: id quod ipso exemplari comprobare possumus, quæ duo præcipua capita huius dissidij continet, vnum de Electione sanctorum, & propterea de eorundem perseuerantia, alterum de cœna Domini, quam confessionem, oramus, vt diligenter velitis animaduertere.

Audiuistis, clarissimi viri, quæ Pastores de nobis dicant, & nos falsa esse asseueramus: & multò plura haberemus dicere, eáque grauia, quæ temporis & concordiæ causâ præterimus. Audiuistis etiam, quæ nos de illis dicamus, asseueremus, conqueramur: & longè alia, eáque grauiora adferre possemus, non iniurias solùm, sed iniuriarum argumenta, & demonstrationes, quę iisdem de causis, temporis scilicet atque concordiæ, omittimus.

Vt tamen his incommodis & detrimentis Ecclesiæ & Scholæ resisti queat: hæc sunt, quorum causa ad vos venimus, & quæ à vobis humilibus animis precamur.

Primum. Vt cum Theologis agant; quo contenti sint quatuor huius vrbis Confessionibus Vna Magistratus, quam Augustæ anno 30. Cæsari obtulerunt quam Elector Saxoniæ, Landgrauius, & Legati Principum suæ Confessioni consentaneam esse dixerunt atque approbarunt: & ad quam Bucerus in omnibus suis scriptis, etiam postremis, in dubiis rebus suos lectores remittit. 1. Altera, quam Pastores, Capito, Hedio, Bucerus, Zellius, cæterique parochi & ministri anno 33. contra Hofmannum & hæreticos illius temporis proposuerunt. 2. Tertiò, quam ediderunt anno 39. in minore Synodo, quæ fuit concessu à Senatu, vt sexto quoque anno haberetur, ad retinendam puritatem & disciplinam Ecclesiæ: in quà apparet, quid illi magni viri senserint de his controuersiis, quæ nunc inter Pastores & Scholam versantur. 3. Quarta, quam diuulgarunt anno 48. cùm adhuc Bucerus adesset, & viueret Hedio: cui etiam Marbachius subscripsit. 4.

Quatuor Confessiones Argentinensis Ecclesiæ.

Hoc vnum est quod postulamus nobis concedi à Pastoribus. Alterum, Vt si aliquid dubij oriatur in Confessione Augustana Principum, quæ iam sæpè tetractara est: illius dubij non responsionem cogamur accipere ex libris Heshusij, aut Ioachimi VVestphali, aut ex sensu & vtilitate Marbachij, aut ex clamoribus Melchioris Speceeri, vel Hofmanniei alicuius; sed ex sacris literis & Patribus, ex scriptis, disputationibus, lectionibus Maiorum nostrorum, & quatuor nostrę vrbis, quas nominauimus, Confessionibus, & præsertim ex Apologia Confessionis quatuor Ciuitatum. Atque hęc petitio tam magni momenti est, vt nisi à Pastoribus obtineatur, nunquam futura sit concordia, nullus vnquam verè doctus possit cum illis viuere, nunquam puritas doctrinę queat retineri in hac Republica.

Aug. Conf. interpretatio.

Tertium: vt disputationes Collegio restituant, quæ iam menses 18. silent: & vt vel disputent nobiscum, siue in Schola, siue coram arbitris Senatoribus & doctis viris, siue in conuentu Theologico & Ecclesiastico, siue Scholastico, siue Capitulo S. Thomæ: vel desinant in concionibus de his quæstionibus dicere quæ falsissima sunt, & probari nunquam poterunt: & in concionibus

ita de

ita de Cœna Domini desinant de Svvermeris dicere, vt in eodem numero etiam magnos, magnos illos viros comprehendant, non solùm Zvvinglium, & qui adhuc viuunt Tigurinos: verùm etiam Ioh. Oecolampadium, Simonem Grynæum: quorum ipsi eruditionem nunquam consequentur: etiam totam Galliam, Italiam, Angliam: de quibus omnibus viris & nationibus Capito & Bucerus honorificè senserunt, etiam in ipsis Retractationibus, hoc est, clarioribus & nouis explicationibus harum controuersiarum.

Quartum: Vt decretum Senatus seruent, vt nihil decernant, aut noui aliquid instituant, absque scitu presbyterorum: neque hi aliquid absque consensu Magistratuum: & vt Conuentus Ecclesiasticus reuocetur ad antiquam suam formam: de qua Senatus sapientissimum & salutare decretum fecit anno superiore: Cui si Pastores obtemperassent, iamdudùm hæc fuisset explicata controuersia. Quæ forma si retenta fuisset: non ad has potuissent decurrere inimicitias.

Postremum: vt quoniam in Capitulo librum ostenderunt contra couclusiones D. Zanchij, quem recitare quidem in Capitulo præcipitanter, parati erant: sed relinquere Capitulo, vt diligenter examinaret, noluerunt: & quoniam Confessionem Senatui his diebus obtulerunt: rogamus Dominos nostros, vt vtrunque Scriptum nobis exhibeant: quo de vtroque possimus nostram explicare sententiam. Quod ita faciemus, vt & rationem constituendæ concordiæ, & veritatis, & obedientiæ erga Magistratum nostrum, summam videamur habuisse. Et quoniam duas orationes Marbachij aduersus Zanchium habitas nos neque Zanchio ostendimus, concordiæ spe: neque nostram de his exposuimus sententiam in Actis nostris, si neque colloqui, neque disputare volunt: vt nobis liceat ad has respondere, & huiusmodi responsionem, cùm absoluta erit, ad Acta illa adijcere. Et quoniam ipsi Acta quædam sua Tredecim viris tradiderunt, quæ nos non vidimus: & illa liceat nobis cum nostris conferre Actis, quæ dicimus esse verissima, absque vna commutata sententiola.

Atque istud postremum propterea petimus, quod absque hoc causam non posse commodè iudicari, arbitramur. Non pigebit nos huius laboris atque scriptionis: si vobis Dominis non displicebit nostra petitio, quibus omnem in nostro ministerio diligentiam, studium, solicitudinem, obseruantiam, pacem, atque con cordiam pollicemur: quanquam isto postremo labore non esset opus neque Magistratui in cognoscendo, neque nobis in scribendo, si conceditur collocutio & disputatio: sine qua, non videmus, quomodo componi istud dissidium possit, vt veritas retineatur, & doctrina pura in Schola maneat.

SVPPLICATIO CAPITULI, ad delectos à Senatu viros, in cognoscenda Theologica controuersia.

CLarissimi viri, & clementes Domini: die Sabbathi ad decimam septimam Octobris, cùm examen haberetur trium personarum, Doctoris Hieronymi Massarij, Christophori Stipitij, & Ioannis Grundlingeri: & mentionem facerent examinatores confessionis huius vrbis, quæ nobis in Examine à nostro Magistratu, anno 1539. præscripta est: quam Examinatores sequi in eligenda persona canonicali debeant: interpellauit Magister Melchior Speccerus, se non agnoscere, inquiens, nisi vnam confessionem Augustanam: Magistratum à sua confessione recessisse: & id volebat nos ex Scholarchis rogare, annon ita sese res haberet. In eandem sententiam locutus est Laurentius Englerus.

Ex horum oratione & ex aliis voculis, quæ ex ipsis auditæ erant, suspicati sunt Examinatores, Dominis nostris persuasum esse: Capitulum Augustanam Confessionem non agnoscere, aut illi aliquid derogare velle: quod publicæ concordiæ officere, aut ciuitati nostræ possit periculum creare, aut apud nos inter Professores & Pastores fouere dissidium, à quo Professores sunt alienissimi qui in istud dissidium Theologicum ab ipsis Theologis inuiti & necessariò pertracti sumus.

Ob hanc interpellationem, & ob alias aliquot voculas, quæ ante Examen per aliquot dies erant exauditæ, Rector Iohannes Sturmius Præpositus Collegij & Examinator, pro se & Christiano Herlino & Conrado Huberto, & Theobaldo Theodorico in hoc examine iuratis Examinatoribus, hanc protestationem recitauit.

PROTESTATIO EXAMINATorum D. Thomæ collegij, facta, Anno 1561. 17. Mensis Octobris, in examinatione D. Hieron. Massarij Medici, præsentibus Dominis Scholarchis, Petro Sturmio, Carolo Mügio, Friderico à Gottesheim.

Fit eius mentio in epistola supradicta.

EXaminatores fuere, D. Ioh. Sturmius; D. Georg. Nesselius; Conr. Hubertus; Theobaldus Theodorici.

Nos protestamur, ita nos retinere Confessionem Augustanam nostræ Ciuitatis, Cæsareæ Maiestati oblatam anno 30. vt etiam Augustanæ Confessioni Principum subscribamus: imò pollicemur eam orthodoxè intellectam, nos vnà cum nostra defensuros contra Pontificios, contra Sectarios, contra omnes hostes Euangelij & veritatis.

Quod verò nostræ vrbis Confessioni nominatim volumus examinando adstringere hæ nos causæ mouent.

Vna: quod tribus in locis in forma Examinis illud nobis à nostro Senatu præscribitur, qui hanc etiam nobis formam præscripsit examinis, secundùm quam examen velit fieri.

Altera causa est: quod istud facere, pertinet ad honorem & existimationem huius vrbis & ciuium, & in primis nostri Magistratus præsentis: qui, quod Maiores nostri anno 30. Augustæ Carolo quinto confessi sint, & 32. à Principibus Euangelicis Svvinfurti vltrò concessum, vt & suam retineant, & Principum Confessioni subscribant, illud etiam ipsi retineant, neque sibi eripi patiantur.

Svvinfurti enim ea conditione subscripserunt Confessioni Principum Augustanæ anno 32. vt ei parti nequaquam subscriberent, quæ est de ceremoniis: proptereà quod alios ritus, quàm Saxonica habet Confessio, obseruaret nostra Respubl. Deinde sic receperunt priorem partem Saxonicæ Confessionis (quæ est de dogmatibus & articulis fidei) vt nostræ consonantem, etiam in articulo de Cœna Domini, non solùm in articulis aliis: eòque respondebant, haudquaquam nostram Saxonicæ cedendam esse: quod est quoque à nostris factum Legatis, & à Senatu comprobatum & retentum. Atque hoc pacto Svvinfurti Legati nostræ Ciuitatis ingenuè testati sunt, à sua Confessione se haudquaquam cessuros: & ab altera parte idem concessum est. Et hic primùm Svvinfurti ad Confessionem Principum accesserunt, vt à sua non recederent.

Causæ verò huius conciliationis duæ fuerunt. Vna: quod cupiebant fœdus facere cum Ciuitatibus Germaniæ superioris, Principes. Altera: quod metuebant, Palatinum & Moguntinum Electores, tùm Commissarios Cæsaris, non velle nisi vnam Confessionem, in pacis cõditionibus admittere.

Tertia causa est: quamobrem nos etiam nostræ vrbis Confessionem cum Confessione Augustana retinendam arbitramur: quod Confessio ministrorum Ecclesiæ Argentinensis facta in synodo minore anni 39. cui subscripserunt Capito, Hedio, Bucerus, Zellius, Theobaldus Niger, Steinlinus: & Confessio altera Pastorum & ministrorum, quæ edita est anno XLVIII. cui etiam Marbachius subscripsit: consentanea sit Augustanæ nostræ ciuitatis Confessioni, in omnibus, & eam breuiter & dilucidè explicent, neque Principum Confessioni in nullo dogmate repugnent.

Quarta causa: quod verba nostræ Confessionis magis accommodata sint ad concordiam cõstitutam inter Lutherum & nostros Theologos, anno 36. vt non solùm illa retineri possit, coli & recoli: sed etiam per illam & illius articulos & verba reliquæ Ecclesiæ quæ nondum

accesserunt ad hanc concordiam, aditum ad eandem concordiam illam haberent patefactum, quæ sunt quàplurimæ in Italia, in Anglia, in Gallia quas speramus hac media ratione ad consensionem & concordiam omnium Ecclesiarum accessuros.

Quinta caussa est: vt, quæ libertas Ecclesiis concessa est in concordia anni 36. quantum ad modos loquendi attinet: eadem nobis adhuc concedatur: vt, quod Lutheri bonitas concessit, id nobis alicuius hominis, quicunque ille sit, non eripiat sæuitia. Et quod concessum fuit propter temporis illius statum: idem nobis hoc nostro necessario tempore, non auferatur.

Protestamur etiam, quod modos loquendi Saxonicarum Ecclesiarum non improbamus: in pane corpus Domini sumi, in calice sanguinem Domini bibi: sed ita, vt Lutherus, honorificæ memoriæ vir, sese explanauit, vt iste cibus, non sit cibus ventris, neque corpus Domini mutetur in panem: neque includatur in pane localiter, neque localiter lateat sub pane, & vt panis manducatio ori propriè competat, corpori verò Domini, non nisi ob sacramentalem vnionem tribuatur, & huic sacramento nihil ex opere operato concedatur. Itaque Bucerus, Capito, Hedio, Zellius has duas particulas, IN & SVB per CVM & PER interpretati sunt, aut per ablatiuum absolutè positum. Id quod Lutherus libenter concessit.

Sexta causa est: quod Magistratui nostro licitum est, quod reliquis Principibus est licitum: vt & Augustanæ Confessioni subscripserint, & suam quandam peculiarem habeant: vt illustrissimi principes, Saxoniæ Duces, Dux VVirtenbergensis, Dux Mechelbergensis, & alij aliquot Principes, præter Confessionem Augustanam, aliquam habeant priuatam Confessionem, secundùm quam suas administrent Ecclesias: cùm tamen hi suas non obtulerint Carolo Cæsari priuatas Confessiones, quemadmodum noster fecit Senatus, per legatos suos Anno 30. præsertim cùm hæc nostræ vrbis Confessio oblata fuerit anno 30. Carolo V. Cæsari, & à Principibus anno 32. admissa & comprobata.

Septima causa est, quòd hoc tempore maximè necessarium sit, Argentinensem nostram retinere & defendere: propterea quod sunt qui dicant & scribant, Argentinenses à sua confessione recessisse, & Augustanę subscripsisse, cum magno dedecore & turpitudine non solùm Magistratus illius temporis, sed etiam Theologorum, Capitonis, Hedionis, Buceri, omnium Pastorum & ministrorum. Et istud non solùm Heshusius scribit, aduersùs nostrę vrbis existimationem: sed idem in hac vrbe nostri accusatores insimulant. Quod autem subscripserint Augustanæ Principum Confessioni Legati nostri, verum est: quòd à sua recesserint, non verum.

Protestamur autem: sic nos examinaturos secundùm confessionem nostræ vrbis, vt nihil contrarium statuere velimus vtrique confessioni, Principum & nostræ, nihil etiam præscripturi Senatus nostri voluntati & potestati. Id verò quod in omnibus minoribus iudiciis licitum est facere: id nobis assumimus, iudicare secundùm nostram conscientiam.

Hanc etiam protestationem, clarissimi viri, nos etiam quorum nomina infrà posita sunt, sua singulorum manu subscripta, approbamus: & defendere, dum meliùs aliquid doceamur constituimus.

Et quod ad primum caput Protestationis attinet: idem nos testificamur, agnoscere nos Augustanam confessionem à Principibus protestantibus subscriptam, & ab iis illo necessario tempore Carolo Cæsari Augustanis comitiis anno XXX traditam, veram, orthodoxam, & catholicam doctrinam continere, secundùm sacram scripturam, & Patrum orthodoxam fidem, & eorum claras & perspicuas autoritates & testimonia intellectam.

Vnum verò deprecamur, propter quod istud dissidium ortum est: vt ne nos & præcipuè ex nobis, qui memoriam & historiam illius temporis nouimus, cogamur partim à discipulis nostris, partim à nostris condiscipulis, illius confessionis interpretationem accipere: & nobis, vestra bona pace & venia, liceat, eam autoritatibus sacrorum & sanctorum librorum, sanctorúmque Patrum, suis ipsius confessionis atque Apologiæ verbis defendere, & nostram confessionem retinere nobis liceat, declaratam & explicatam à nostris maioribus ex sententia confessionis Principum, multis disputationibus, lectionibus, editis libris, editis etiam duabus Confessionibus ministrorum Ecclesiæ Argentinensis: vna anni XXXIX. hoc est, quæ facta est tertio anno post concordiam constitutam inter Saxonicas & Germaniæ superioris Ecclesias: Altera, edita anno XLVIII. cui ipse Marbachius subscripsit.

Cùm istud petimus, postulamus, vt in ea doctrina nobis manere liceat, in qua D. Capito, piæ memoriæ, cum Zellio annis aliquot post concordiam constitutam mortui sunt, in qua etiam mortuus est Doctor Caspar Hedio: quam etiam Martinus Bucerus vsque ad annum 48. quo à nobis discessit in Angliam, docuit, illustrauit, defendit, cámque non mutauit, per reliquum vitæ spatium: vt horum, inquam doctrinam nobis ex Scholis vestris & ex nostris conscientiis non patiamini eripi. Id vos rogamus, oramus, obsecramus.

Quantum verò ad honorificæ memoriæ viros D. Matt. Lutherum, & D. Phil. Melanchthonem, & ad viros doctos qui per Saxoniam fuerunt & adhuc sunt: quantum attinet ad Academias illorum locorum, VVittenbergensem, Lipsensem, Ienensem, & eorum Professores: amplectimur eos, vt fratres, colimus vt venerandos in Christo viros, eósque & eorum consilia bona bonámque doctrinam, item vt maiorum nostrorum, piæque memoriæ patrum nostrorum, volumus & constituimus defendere, & commendare mortalibus.

Quantum verò ad Confessionem nostræ ciuitatis attinet, non aliter cupimus & volumus retinere, quàm Illustrissimi Principes, Dux Mechelburgensis in sua reformatione, & Dux VVirtenbergensis in sua Confessione: non quod à Confessione Augustana dissentiant: sed idem sentiant, aggregatæ tamen eædem sint, ad suarum Ecclesiarum & sui populi consuetudinem atque ingenium.

Et quoniam accusatores nostri dicunt: Dominos nostros a sua Confessione recessisse, & illam doctrinam (vt non obscurè indicant) non agnoscere: id apertè negamus, & contrarium ostendemus: & ex Epistola Martini Buceri, quam ad Bonifacium VVolfhardum concionatorem Augustanum post conuentum Suinfurtensem de hacre scripsit, adferemus vobis illius actionis memoriam.

Ex Epistola Buceri ad Bonifacium VVolfhardum.

Vbi ergo tandem à nostris Principibus in conuentum Suinfurtensem consensum esset: pérque hoc illo nostri vocarentur, sciscitati à nobis nostri sunt, quatenus Saxonicæ confessioni bona queant conscientia subscribere, si forsan Cæsariani illi arbitri, Moguntinus & Palatinus, solam Saxonicam Confessionem conditionibus pacis nominatim insertam vellent: vtrumque nos nostram cum Saxonica, quantum quidem ad dogmata attinet, conuenire diceremus. Ibi ego (volo enim me, quia peccatum hic putatis, primum nominare) Hedio & Mattheus, ita vt Senatus iusserat, Confessionem & Apologiam pro modo & fidei & iudicij nostri, excussimus: cùmque illa duas partes habeat (nam in priore dogmata, in posteriori ritus confitentur) priori censuimus, quoniam re ipsa nostræ conf. ssioni congruit, subscribendum: posteriori nequaquam, quippe quò alios quàm Saxonica habet confessio, ritus obseruamus. Addidimus autem: sic, vt nostra consonantem priorem Saxonicæ Confessionis partem, recipiendam: eóque nostram haudquaquam cedendam: quod est quoque à nostris factum. Nostros voco hic, etiam Vlmenses, Constantienses, Eslingenses, Memmingenses, Lindauienses, Bibracenses, & Isnenses. Consilium hoc nostrum Eslinga Blaurero, Vlma Capitoni, indicaui, quod vterque probauit. Suinfurti igitur nostri ingenuè testati sunt, à sua confessione se haud quaquam recessuros. Cùm autem ea pars Saxonicæ Confessionis, quæ exponit dogmata, cum sua confessione reipsa conueniat: non grauari & hanc cum sua subscribere.

Actio Suinfurti Anno 1532.

Bucerus quã subscripserit Aug. Cõf.

Confirmat idem paulò pòst paucioribus verbis, sed dilucidis in eadem epistola Bucerus.

Quantum ad bonos attinet: exstat nostra & Confessio & Apologia, in quibus, quantum potuimus, harum ipsarum vocum germanum sensum explicuimus: hácneque nos haudquaquam cessuros, Legati nostrarum vrbium, palàm & disertis verbis testati sunt: & ideò se præter nostram, Saxonicam quoque Conf. ssionem & Apologiam recipere, quod hæc reipsa cum nostra congruat.

Neque solùm Suinfurti de hac confessione actum atque transactum est: sed etiam anno 30. à Legatis Electoris Saxoniæ inchoata est hæc actio, vt in eadem apparet Buceri Epistola.

Anno 30. concordia Saxõ. cum Argentinensi Rep.

Nam

Nam Augustæ illis cum Saxonibus hac de re conuenit sub finem comitiorum. Etenim cùm Princeps Elector abijsset: relicti eius consiliarij petierunt à nostris, nostram de Eucharistia Confessionem. Eam visam, vltrò dixerunt suæ congruere: indéque Elector nostros primus ad fœdus sollicitauit: neque est posthac quidquam ista de re cum nostris vllis in conuentibus, quorum tamen hoc biennio multos habuerunt, disputatum.

Ex his apparet, duas Consensiones diuersis exstitisse temporibus, vnam Principum, cum Legatis Ciuitatum de vtraque Confessione Principum & ciuitatum, anno 30. & 32. alteram D. Mart. Lutheri, & concionatorum ciuitatum superioris Germaniæ: quarum duarum actionum autoritatem nos ratam & perpetuam esse cupimus: in eáque retinenda, omnē operam nostram pollicemur.

Nominantur etiam eadem epistola Legati testes eo tempore huius actionis.

Nec grauati fuissemus Augustæ, Saxonum Confessioni de Eucharistia subscribere: si non absterruisset ea pars Confessionis, quæ exponit ritus. Huius testes fide dignos nominare tibi possum Sturmium, Pharrerum, Zuiccium Cōstantiensem, & Martinum Pastorem Furstensem, & nisi fallor, de ea re & cum Michaele & Rehlingero locuti sumus.

Confirmatur etiam hæc eadem res testimonio Legatorum Principum, ipsiúsque Electoris facto.

Quantum autem ad Eucharistiam attinet, adeò ipsi Saxonum consiliarij adhuc hic perseuerantes, concordem cum sua confessione, quam ciuitates obtulerunt, agnouerunt vt Principes eorum ad fœdus, quod antea detrectauerant, illos vltro inuitarint.

Et quamquam orthodoxa erat illa Confessio Augustana Principum, vt adhuc est: tamen neque Principes ipsi alligari se passi sunt verbis Cōfessionis & Apologiæ, neque ciuitatū Legati. Veritate enim & autoritatibus sacrarum literarū malebant contendere, quàm calliditate verborum circumueniri. Cur nunc inter amicos valere debet, quod illo tempore contra inimicos valuit?

Nos neque hic, neque alibi verbis Confessionis & Apologiæ alligari nos passi sumus, ita vt arbitri cenabantur, nec minus id Saxones, quàm nos ipsi, detrectarunt. Deinde cum verba alia de Eucharistia posita essent quorundam instinctu, in quibus impiis quoque communis hic cibus fiebat: & illa reiecimus. Confessionem & Apologiam dixerunt nostri se admisisse: quia verbis scripturæ & Patrum consentiunt: nihil daturos se prætereà.

Hæc ex Epistola Doct. Mart. Buceri ad Bonif. Lycosthenem concionatorem Augustanum, quæ illius temporis & Actorum illorum pro historia esse poterit. Habemus alia etiam huius viri scripta & monumenta quæ aliquando diuulgabuntur, in quibus aperta & pia atque sancta huius temporis exstat memoria, quæ in hoc tempore breuitatis causa omittimus.

His de causis nos etiam reliqui in collegio S. Thomæ collegæ Examinatorum protestationi subscribimus: & postulamus, vt nobis liceat à Maiorum nostrorum doctrina non recedere, quæ non solum non est dissentanea à Confessione Principum: sed etiam consentanea est, & subsidio esse poterit ad defensionem religionis veræ cōtra omnes aduersarios.

Adiicimus autem superioribus capitibus protestationis, etiam illud: posse ferre nos, vt accusatores nostri, quantum ad modos loquendi attinet, suis vtamur loquendi formulis ad populum in concionibus, quas vobis probare poterunt: nobis autem in Schola eas concedant formulas & modos verborum, quibus post concordiam de cœna Domini factam, vsi sunt Capito, Hedio, Bucerus, Zellius: quibus etiam Bucerus in suis Retractationibus, quas D. Mart. Lutherus ferre potuit, & alias nullas à nobis formulas verborum requisiuit.

Oralis manducatio. Quantum attinet ad oralem manducationem, etiam ea non eripimus illis, quæ populo & vobis probare poterunt, & quæ consentanea sunt doctrinæ D. Lutheri & D. Phil. Melanchthonis: sed vt nobis permittant in Scholis & disputationibus his vti verbis: Totum Christum, Deum & hominem, corpus & carnem & sanguinem eius, animam & spiritum eius, & noui fœderis gratiam à toto homine accipi, idque verè, non fictè, non accidentaliter, sed substantialiter: neque spiritus illius solùm substantiam, sed animæ etiam & corporis atque sanguinis.

Impiorū. Quantum verò attinet ad Impiorum manducationē, non cogant nos plura dicere, quàm in suis Retractationibus Bucerus scripserit, quas neque D. Lutherus, neque D. Philippus vnquam improbauit, quàm etiam in formula concordiæ, illiúsque declaratione sint posita.

Electio. Quantùm verò pertinet ad Electionem Sanctorum, patiantur nos eam defendere contra Pelagianos, Anabaptistas, Pighianos, Hofmannicos & liberi arbitrij laudatores, & gratiæ diuinæ oppugnatores, & contra hypocritas, contra astrologos, & Stoicos secundarum causarum obseruatores & assertores, ex Augustini & Lutheri & nostrorum Maiorum sententia, idque in Scholis, extra quas nihil nobis assumimus, & non nisi necessariis temporibus & non nisi bono modo: quæ cuiusmodi sint, in nostro altero scripto quo iudicium facimus de D. Zanchij conclusionibus facilè poterunt intelligi. Quod scriptum si vos Domini postulaueritis, libenter exhibebimus.

Explosa semel falsa doctrina non reuocanda Argent. Rogamus denique clementissimos Dominos nostros: ne patiantur doctrinam, quam Maiores vestri publico decreto ex hac vrbe eiectam voluerunt, & eiecta fuit, quamdiu vixerunt Capito, Zellius, Bucerus, Hedio, nunc denuò reuocari: & concedant, vt illam, quam eodem decreto mandarunt in templis doceri & incorruptam retineri, doceamus & retineamus. Decretum habetur in libro, qui inscribitur: Ordinatio & ceremoniæ Ecclesiæ Argentinensis: *Ordnung vnd Kirchengebreuch für die Pfarherrn vnd Kirchendiener zu Straßburg. So ist auff den ersten Puncten, die Lehre vnd Secten belangendt, entschlossen vnd erkennet, bey der Confession zu Augspurg Keis. Maiestat vberantwort, vnnd den Artickeln im* Synodo *furgetragen vnnd gehandlet, zu bleiben, dieselbigen, als die recht Christliche Lehre, allhie lassen predigen, vnnd ob derselben ernstlich zu halten: auch kein Lehren vnd Secten, so derselbigen Lehre zu wider seynd, hie zu dulden, vnangesehen der langen Geschrifften, so durch Clement Ziegler, Melchior Hofmann, vnd andere, in vnd nach dem Synodo vbergeben. Vnd damit also die gesunde Lehr Christi bey menniglich allhie desto baß erhalten vnnd furgebracht, vnnd alle Irrthumb, vnnd verfuhrische Lehren abgetrieben, vnnd verhutet werden, haben vnsere Herrn, Meister vnd Raht vnd ein vnd zwantzig vber andere Weg vnd Mittel, die sie hiezu dienstlich erkennet vnnd fürgenommen, auch diß bedacht vnd geordnet: das die Kirchspilpfleger ein getrewes auffsehen haben sollen, das solche bekandte Lehre, wie die in offtgemeldter Confession, vnnd Artickeln deß* Synodi *verfasset ist, allhie getrewlich gelehret vnd geprediget werde. Vnd das niemandt vber alle, solcher Lehre zu wider in Winckeln vnnd offentlich etwas außgiesse, oder verlestere, oder auch die Leut von derselben abziehe, sondern wo sie solchs erfuhren, dasselb einem ehrsamen Rath oder den hienoch gesetzten Verhöerern anzeigen, damit darinn ein getrewlichs, vnd notturfftiges ynsehen geschehe.*

Item, *ohn eines ehrsamen Raths Zulassung, soll niemandt vberal der Lehr Christi, so allhie dafür erkennet, vnnd die zu treiben geordnet ist, etwas entgegen zu lehren, gestattet werden.*

Perseuerantia. In quæstione de Perseuerantia Sanctorum, concedāt nobis, vt D. Augustini, Lutheri & Buceri sententiam retineamus, & eam doctrinam quam nostra pars contra Mendozam & pontificios collocutores in comitiis Ratisbonensibus defendit.

Si hanc conditionem à nobis velint accipere, nos libenter eidem nos alligabimus, & cōcordiam & pacem, & amicitiam perfectam, quoad fieri poterit, colemus caritate. Sin minùs: hominum causâ, Dei causam non possumus deserere, & contra nostras agere conscientias: siue moriamur, siue agatur nobiscum quodcumque Magistratus de nobis decreuerit: ita tamen vt parati semper simus ab ipsis doceri & discere: modò in collocutionem aut disputationem non recusent descendere.

Rogamus etiam Dominos nostros, vt diligenter considerare velint, quâ de re sit quæstio. Nam absque hoc non rectum poterit fieri iudicium.

Posuit Marbachius in suis duabus orationibus, præter iniuriarum & infamiæ verba, Zanchij prælectiones plenas esse hæreseon. Et ex his hæresibus eligit, quæ docuit Zanchius de fine sæculi, de Antichristo, de Prædestinatione sanctorum, de sanctorum Perseuerantia, de cœna Domini, & hanc doctrinam dixit esse nouam & hæreticam.

Zanchius contra respondit: hanc suam doctrinam nō esse nouā neque hæreticam: quoniam de cœna Domini nihil docuit: & probat Confessionem Augustanā rectè intellectam: & quoniam idem doceat, quod docuit contra Pelagianos Augustinus, de prædestinatione: item, vt idem de Perseuerantia: & vt Ratisbonenses

mentis priuare ciues, qui suæ sententiæ non sunt, & in eo proposito exspectare opem & consilium presbyterorum: ex his quæ narraturi sumus, nullo negotio decernere poteritis, & quantum ciuibus vestris debeatis præscribere: & quantum Pastoribus in hoc biennio concedere.

Anno 1530. Conf. Argentin. approbata. Anno 30. Comitiis Imperij Augustanis, Saxonici Principes Confessionem exhibuerunt Cæsari, suæ doctrinæ & suorum rituum ac ceremoniarum. Idem fecit noster Magistratus. Quæ Confessio in hac ciuitate à Doct. Capitone, D. Hedione, & D. Bucero conscripta est & approbata statim à Constantiensibus, Bibracensibus, Lindauiensibus: & posteà magis confirmata, accessione aliarum ciuitatum.

In his comitiis, Principum Legati, qui tùm Augustæ erant, exhiberi sibi Confessionem Ciuitatis nostræ postularunt: & ea perlecta atque æstimata. Legatis nostris apertè dixerunt, nostræ ciuitatis Confessionem cum Saxonica reipsa conuenire: atque icircò deinceps nullam causam esse, quamobrem posthac non possint amicè inter se colloqui, & consilia atque operas mutuas communicare: & ex illo tempore per biennium in non paucis conuentibus, nostræ ciuitatis Legati cum Principum Legatis, atque etiam Principibus in collocutionem cum summa beneuolentia & studiorum atque voluntatum & consiliorum communicatione venerunt.

Hæc quæ narrauimus, probare possumus epistola Buceri ad Doct. Bonifacium VVolfhardum & ad Pastores reliquos Augustanos, qui nostris Pastoribus obiecerant, quod à sua Confessione vnà cum Magistratu nostro recessissent.

Hoc testimoniũ supra in protestatione Examinatorum allegatum est, 1532. Recitetur hîc testimonium ex Epistola Buceri ad Bonifacium, *Nam Augustana Legatis nostris, cum Saxonicis.*

Nondùm tùm adhuc Magistratus noster subscripserat Principum Confessioni Augustanæ: sed anno demum 32. cùm Schvvinfurti Principum conuentus fuit, in quo D. Iacobus Sturmius Legatus erat, cùm de fœdere faciẽdo ageretur. Repetiuerunt Principes, quod Augustæ dixerant, vtramque Confessionem reipsa inter se conuenire: neque quidquam obstare, quo minùs fœdus fieri possit. Sed vt illud firmius exsistat: & quoniam Palatinus & Moguntinus Electores, Cæsaris commissarij, non duas volent admittere Confessiones, rogarunt vt etiam Saxonicæ confessioni subscriberent: Ideò re benè à Senatu diiudicata, & commisso negotio Doct. Hedioni & D. Bucero, viderent, ecquid conformes ambæ Confessiones essent: inuenerunt illi, in dogmatibus, si sensus Confessionis, & Apologiarum explicationes considerentur, non dissentire: in ceremoniis autem & ritibus, esse diuersas. Quod vbi Magistratus intellexit: decreuit, Confessioni Saxonicæ subscribendum esse: sed cum hac distinctione, vt ei parti quæ de dogmatibus est, subscribant: alteri verò quæ erat de ritibus, nequaquam subscriberent: subscriberent autem dogmatibus, tamquam suæ Ciuitatis confessioni consentaneis: non autem aliter, & ita, vt à sua Confessione non recedant.

Recitetur hîc ex Epistola ad Bonifacium, testimonium Buceri.

Allegatum & hoc supra in eadem protestatione. *Vbi ergo tandem à nostris Principibus, &c.*

Item, Nec grauati fuissemus Augustæ, &c.

Bucerus igitur hæc testatur, doctrinæ subscripsisse, non ceremoniis: & subscripsisse ita tanquam nostræ consentienti: & ita vt à sua non recederent. Marbachius cum suis dicit: *Das vnsere Herren seyen von ihrer Confession abgetretten, abgeschritten, sie haben sie lassen fallen, man hab sie nicht angenommen.* Quod inimici vrbis, ignari earum rerum, quæ actæ erant, vitio verterunt, & vt crimen obiiciebant: id isti Pastores ciuium, qui periti esse harum rerum debebant, suo confirmant testimonio: nõ sine ciuitatis, quantum nos æstimare possumus, magna & graui ignominia.

Neque solùm in cæteris articulis iudicatum fuit à Legatis Principum, nostram cum Saxonica confessione consentire: sed & in articulo de cœna Domini. Recitetur testimonium. *Quantum autem ad Eucharistiam attinet, &c.*

Neque istud solùm scriptum est in ea Epistola: sed etiam in Axiomatibus Apologeticis, quæ edita sunt anno 35. hoc est, vno anno ante concordiam. Confirmatur hoc axiomate 77. his verbis: *Primi societatis Christianæ, sub finem comitiorum Augustæ, viderunt nostræ Reipublicæ Confessionem Cæsari oblatam. Iudicarunt, eam in summa rei cum sua conuenire: indéque societatem cum nostris instituerunt.* Et paulò pòst: *Interea semper concordes habiti sumus: hancque concordiam nostri ampliùs professi sunt Suinfurti, testati scilicet se & Principum Confessionem recipere.* Apertè hoc discrimen facit, inter nostram Confessionem & Principum. Et conferenda hæc verba cum verbis edicti quod Senatus edidit anno 34. de quo mox. Ait enim: *Viderunt nostræ Reipublicæ Confessionem Cæsari oblatam.* Et vocat eam *Nostræ Reipublicæ*, non quatuor ciuitatum, tametsi ab illis esset comprobata.

His igitur conditionibus, nostra vrbs Augustanæ Confessioni subscripsit, non aliis: & ita vtraque pars subscripsit, vt tamen verbis Confessionis & Apologiæ non vellent esse alligati: neque contra se agi ex illius Confessionis verbis: sed scripturæ autoritate. Recitetur testimonium: *Nos neque hic, neque alibi, &c.* Quod igitur tunc Principes Cæsari & Commissariis Cæsaris negabant: id à nobis D. Marbachius postulat: vt verbis, imò vt suæ interpretationi & responsionibus nostras astringamus conscientias. Supra in protestatione.

Hæc erat prima concordia, facta inter Principes & Ciuitates. Ex quâ apparet, retentam in hac vrbe nostræ Confessionis autoritatem, neque immeritò: quam Confessionem, iussu Magistratus, nostri Pastores conscripserant: quam Senatus, facto decreto, ad Scabinos retulerat: quam CCC. Viri comprobarant: & quæ absque illorum consensu abrogari non poterat, neque abrogata vnquã fuit, quomodo vel Magistratus tum ab ea poterat recedere, aut etiam deinceps poterit absque infamiæ dedecore eam abrogare?

Post hanc subscriptionem, atque concordiam, subsecuta est Synodus huius vrbis, in qua contra Hofmannum disputatum est. Et inter cæteras quæstiones, vna fuit de Prædestinatione sanctorum, ob quam etiam Hofmannus fuit condemnatus, in qua defenditur D. Pauli, Augustini, & Lutheri sententia. Hæc Synodus habita fuit anno 33. Cuius Synodi articulos, quoniam post subscriptionem Augustanæ Confessionis habita fuit, etiam non sine turpitudine possumus vel oppugnare vel dissimulare, si quis eos oppugnare velit. 1533. disputatio contra Hofman.

Post eam Synodum, Senatus edictum edidit, quod impressum est, in quo iubet, à Confessione quæ Cæsari oblata esset, non recedere. Et vt certum esset, intelligi istud de Confessione nostræ ciuitatis, iussit Senatus, non solùm stare Confessione Cæsari oblata Augustæ, sed etiam Articulis in Synodo propositis. Sunt autem ista verba decreti. Edictum Argentin.

Decretum editum in libro cui titulus est, *Ordnung vnd Kirchenbreuch, &c.*

Istud decretum factum est anno 34. duob. annis post subscriptionem Augustanæ Confessionis, & tribus annis postquàm Bucerus & Hedio iudicauissent, Principum Confessionem cum nostra reipsa & in summa rei conuenire. Neque dicere possunt accusatores nostri, loqui hîc Dominos de Confessione Augustana Principum. Nam additum est, eandem debere esse autoritatem Articulorum Synodi 33. in quibus ita sentitur de cœna Domini, quemadmodum inferiùs audieris.

Hæc sententia conformis est sententiæ de cœna Domini nostræ Confessionis & eiusdem Apologiæ, ita vt aduersarij negare non possint, istud de nostra Confessione esse promulgatum.

Hæ igitur grauissimæ causæ sunt, quamobrem capitulum non potest absque Magistratus iussu ab huius vrbis Confessione recedere. Prima, quod turpe esset fateri, ab anno 24. vsque ad annum 36. falsam doctrinam traditam Argentinæ, & ciuitatem Argentinensem, falsam doctrinam per suos Legatos in comitiis Imperij & conuentibus Principum defendisse. Altera, quia à Principibus & eorum legatis approbata, tanquam suæ consentanea. Tertia, quia à CCC. decreta & ab iisdem nunquam abrogata. Quarta, quia nouo edicto, vnà cum articulis Synodi 33. anni confirmata. Quinta, quia in Articulo secundo Synodi minoris, habitæ anno 39. ita habetur, *VVir halten es darfur, &c.* Cur à veteri Argent. Confessione non recedendũ. 1. 2. 3. 4. 5.

Est etiam Sexta causa, quod in Examine Municipali, quod eodem anno omnibus collegiis Canonicorum mandatum fuit, quater iubemur, examen habere secundùm nostram Confessionem, & non secundùm Saxonicam. 6.

Quod verò nostri accusatores dixerunt, quoniam anno 39. examen conscriptum est, icircò post concordiā, atque iccircò etiam dictum esse istud de Confessione Saxonica: quam id ineptum sit, quiuis potest intelligere, qui historiam nouit illius temporis, quam suprà commemorauimus.

Quare nos contra argumentamur: si 39. anno adhuc autoritatem habuit Confessio nostra, hoc est, tribus annis post concordiam constitutam: constat eam numquam obliteratam fuisse: numquam Magistratum nostrum recessisse ab ea: falsum esse, quod à Principibus dicunt non admissam. Sed dicimus, vtramque subscriptā, esse traditam Principibus & commissariis, & deinde Cesaris commissariis.

7. Preter hanc sextam causam, etiam septima est: quod quoniam Senatus noster priori parti Principum Confessionis subscripsit, quæ de dogmatibus est, posteriori verò minimè quæ est de cæremoniis & ritibus: non potuit Magistratus noster, etiamsi verum esset, quod accusatores nostri dicunt, Magistratum à sua Confessione, hoc est doctrina recessisse, quod est falsissimum: tamen non potuit Magistratus noster, examen instituere secundum Confessionem Principum. Nam id si factum fuisset, liberum fuisset reliquis collegiis S. Petri Senioris, S. Petri Iunioris, & S. Thomæ (Nam tum ad huc in Capitulo erant multi Pontificij) in suos choros candelas introducere, imagines statuere, vestibus vti sacerdotalibus, missam habere, & vti multis cæremoniis, quæ in Saxonicis Ecclesiis retentæ sunt: aut necessarium fuisset, disertè ponere hanc exceptionem, vt in dogmatibus astringerent se Saxonicæ Confessioni: in ritibus, nostræ Reipublicæ institutum retinerent.

8. Est etiam octaua causa, quamobrem Magistratus noster suam Confessionem voluit retinere. Nam & Augustani Pastores literis missis Bucero obiiciebant, quod autor fuisset Magistratui nostro, vt à sua Confessione recederet, & ad Saxonicam accederet. Idem faciebant multi in Heluetiis. Aduersùs quos Bucerus, neque Bucerus solùm: sed etiam alij symmystæ, Magistratus sunt vsi testimonio, quod ita ad Augustanam Confessionem accesserint, vt à sua non recesserint.

9. Est etiam nonum indicium, ex quo constat, nostram confessionem retentam esse. Nam post bellum protestantium Bucerus in Capitulo S. Thomæ, eam contra Iustum Velsium defendit, in his ipsis quæstionibus de libero arbitrio & de Prædestinatione: cùm Velsius sua manu librum retineret, & ex ea recitaret, quæ contra Bucerum facere videbantur.

10. Decima causa est & postrema, quamobrem numquam huius Reipublicæ Confessio ob literata sit: quod idem Bucerus in extrema sua voluntate & facto testamento, honorificeam Confessionis nostræ ciuitatis mentionem facit: & ad eandem omnes suos aduersarios, qui vel post mortem possint exoriri, remittit ac deducit.

11. Vndecima denique causa est: quod Magistratui nostro licitum est, quod & reliquis Principibus est licitum, vt & Augustanæ Confessioni subscripserint & suam quandam peculiarem habeant. Quemadmodum Illustrissimi Principes, Duces Saxoniæ, Dux VVirtebergensis, & Mechelburgensis: & alij aliquot Principes, præter Confessionem Augustanam, aliquam habent priuatam Confessionem, secundùm quam administrent Ecclesias: præsertim cùm hæc nostræ vrbis Confessio oblata fuerit anno 30. Carolo quinto Cæsari, & à Principibus anno 32. admissa & comprobata.

Hæ sunt causæ, quamobrem non possumus à confessione nostræ vrbis recedere, minùs verò improbare.

Est etiam alia causa, quamobrem illud non putamus esse nostræ Reipublicæ & Ecclesiæ & Scholæ vtile. Nam si hæc confessio retinebitur & si persistemus in doctrina Maiorum nostrorum: neque Saxonicas Ecclesias offendemus: neque prouocabimus ad inimicitias, Anglicanas, Gallicanas, Italicas: id quod fieret, si Schola se coniungeret hisce Heshusianis, Illyricis, Maioristicis controuersiis ad quas conatus est nos pertrahere Marbachius: & spes esset breui accessuras ad concordię articulos, Ecclesias harum Gentium, si concordia semel constituta retineretur.

Est etiam illa causa, quæ nos priuatim mouet, quod de sententia Confessionis Augustanæ pugnatur variè. Heshusius in quæstione de Seruo arbitrio & Prædestinatione pugnat cum Schola VVittebergensi. Francofordiæ ad Oderam, inter Islebium, Musculum, & Prætorium pugnatur de operum necessitate, hoc est, de præcipua parte doctrinæ Iustificationis. De cœna Domini, in aliquibus ciuitatibus Saxonicis magnæ sunt contentiones. Nostra Confessio, vniusmodi est, neque ab vllo vmquam oppugnata: & illustrata à Maioribus nostris, & à Bucero, posterioribus Confessionibus, & ipsis retractationibus, vt neque Lutherus neque Philippus Melanchthon in parte vna eam improbarint: Viuo enim Luthero edita ista fuit: Neque in altera parte, Ecclesiæ Gallicanæ, Anglicanæ, Italicæ, Heluetic&, habent quod iurè possint reprehendere.

Hæ causæ sunt: clarissimi viri: ob quas nobis in Examine, & in Scholis, non putamus recedendum à Confessione Ciuitatis nostræ & à doctrina Maiorum nostrorum. Et rogamus, vt pro vestra prudentia has nostras rationes, cum aduersariorum rationibus conferatis. Ferre possumus: vt nobis ad has nostras respondeant, & suas nobis exponant: quo, quàm veræ & ponderosæ sint, possimus cognoscere. Existimamus autem, nullam eos adferre posse, quam non possimus diluere. Nam quod dicunt: Dominos Naumburgensi renouatæ Confessioni subscripsisse: hic Dominorum nostrorum volumus esse iudicium: an ita subscripserint, vt à priorib us recesserint, & suam, vnà cum doctrina, improbarint.

Ergo ad protestationem Marbachij respondemus: falsum crimen esse, nos mutasse aut infirmasse examen municipale: contrà verò asserimus: nos in eodem retinendo, & retinenda nostræ ciuitatis Confessione, grauitatem, existimationem, honorem, decus huius defendere Reipublicæ.

Similiter falsum est quod dicunt: Examinatores Doctoris Massarij & Christophori Stipitij, Confessiones Zvvinglianas & Caluinianas probasse. In quo crimine, & duobus collegis nostris, & examinatoribus, & defunctis doctoribus atque pastoribus huius Ecclesiæ, immeritam faciunt iniuriam. Christophorus enim Stipitius, cùm prouideret, non se posse tam cautè suam Confessionem conficere, vt non aduersarij eius, aliquid reperire possint, quod reprehendant: secutus est non solùm sensum: sed etiam propè verba illius Confessionis, quam Doct. Capito, Doct. Hedio, D. Martinus Bucerus, Matthias Zellius, Theobaldus Nigri, Iohannes Lenglinus, pastores huius ciuitatis omnes, anno 39. hoc est, tertio anno post concordiam, in Synodo minore defenderunt. Hanc nos habemus scriptam Buceri manu, annotatam etiam manu D. Capitonis, manu D. Hedionis, manu D. Matth. Zellij. Et oramus vos, vt vtrumque audiatis, quò videatis, quàm verum sit, quod isti in vtraque protestatione nobis obiiciunt.

Idem dicimus de Confessione D. Massarij. Sed quoniam ea Latina est, & confecta ex omnibus Confessionibus tam Theologorum, quàm Senatus: difficile esset & longum hac hora conferre. Exhibemus vobis eam, vt, cùm licebit, videre possitis, vera esse quæ nos ad hoc crimen accusatorum nostrorum dicimus.

Miramur ergo, cur protestantes, has duas Confessiones, quæ omninò consentiunt cum Confessionibus Capitonis & reliquorum, maluerint appellare Caluinianas & Zvvinglianas, quàm Confessiones Capitonis, Hedionis, Zellij, Buceri, Theobaldi Nigri, Ioan. Lenglini, & Pastorum omnium, qui huic Ecclesiæ præfuerunt, à recepto Euangelio, vsque ad annum, quo Bucerus discessit in Angliam.

Venimus ad aliud crimen, quo Capitulum accusant, quod Decanum suum proposuerit spoliare iure Nominationis suæ, quod crimen æquè falsum est ac superiora duo.

Res autem habet se hoc pacto. Secundùm vetera statuta, Nominator iubebatur intra 24. horas nominare, qui in locum demortui succedat. Si id non fecisset, cadebat Nominatione: & se ipse spoliabat suo iure, & Nominatio cedebat proximo.

Nouis autem legibus, in quas, præsentibus D. Scholarchis iurauimus, prorogauimus id tempus, & hebdomadas constituimus quatuor, intra quas Nominans deberet nominare. Herlinus tres iam menses mortuus est. Neque adhuc Decanum adducere potuimus, vt nominaret, non nos nostrâ lege, non Scholarchæ suâ intercessione Ex quibus quomodo sese, hæc res habeat, quæsiumus vos, vt cognoscatis. Intelligetis, Capitulum vrsisse hāc nominationē, primum vt legi satisfieret, & Decanus

obtem-

obtemperaret maiori parti petentium. Id quod omnes facturos sese iurarunt. Deinde vt ne Capitulum & Ecclesia atque Schola detrimentum acciperet, si preces regiæ ab aliquo alio intercederent. Et quoniam examen prætexebat & controuersiam de Confessione Augustana: postulauit Capitulum, vt tres aliquos nominaret, quales sunt, Buhosius, Dasypodius, Rhemhardus, quos non opus esset examinare, quoniam semel examinati essent. Quid ad hæc responderit: malumus vos ex Scholarchis audire, quam vobis diutiùs esse molesti.

Audiuistis Domini de Confessione Augustana, de examine atque examinatis. Nunc quæsumus, vt de grauaminibus & de postulatis decem cognoscatis.

Ait: se ex Capitulo exiisse, propter grauamina quædam, quorum ipse causa non sit: & id fecisse ex officio, propterea quod administratio Capituli sit perturbata: quod grauamina illa scripto comprehenderit, & tamen neque à Præposito, neque à Capitulo quidquam factum esse, quod pertineat ad emendationem.

Ad istam protestationem ita respondemus. Si quid per eos annos, quibus fuit nobiscum in Capitulo Decanus, benè & vtiliter consultum, decretum, confectum est: eius laudis illum libenter facimus participem, sed ita, vt non alij, ei quidquam concedant vel de diligentia, vel de fide, quas duas virtutes, omnes debemus Capitulo. Sed si quid erratum sit communiter ab omnibus, quemadmodum solet fieri propè in omni societate: peccant enim securæ sollicitæque manus: si quid igitur erratum sit, aut aliquid accidit humanitùs: & ex eo luto se velit eripere, & in eodem luto alios non solùm relinquere, verùm etiam eodem socios & collegas suos commaculare: nimiùm id nobis iniquum, & nimis callidum esse videtur facinus. Perinde enim facit, ac si quis consularis homo, posteaquam annorum aliquot errata obseruasset: in Senatu assurgeret: grauamina exponeret: & in illis multos Senatores accusaret: &, quoniam ei subitò responsum non esset: è Senatu & Curia excurrere, & ad Scabinos transcurrere, optimates accusare in iis rebus in quibus ipse non minus, quàm cæteri Senatores hæreret. Eodem modo nunc Decanus nobiscum facit. Fuit in capitulo cùm per biennium cistarias rationes non reddidit Capitulo Præpositus Pfeffingerus, nobiscum doluit, & pati coactus est. Successit Decanus, Dominus Petrus Dasypodius ex Capituli sententia, comprobante Marbachio. Cunctatus iste est annos duos & ampliùs. Tulit istud etiam nobiscum: neque nobiscum potuit corrigere. Visa fuit nobis antiqua distribuendi præsentias ratio, & impia & perobscura. Idem Marbachio visum fuit. Placuit, vt noua ratio iniretur. Idem Marbachio placuit. Commissum fuit negotium cistariis: inprimis verò quæstori. Idem huic committendum præcipuè: censuit Marbachius. Confecit eam Quæstor. Nemo omnium eam improbauit. Herlinus postulauit sibi rationes ad cognoscendum, & tempus ad meditandum dari, si qua possit via melior inueniri. datum Herlino vtrunque est, consentiente Marbachio. Visum fuit capitulo, cistarios, qui essent, manere in eo officio, dùm Herlinus pararet aliquid perfectius. Nulli alij cistarij creati sunt. Accepit ipse Marbachius stipendium per annos tres. Quarto demum anno causas quærit vexandi capitulum. Quasi non satis causarum & rixarum in Scholis & Capitulo excogitarit. Istud quàm æquum aut iniquum sit, Vobis Dominis nostris æstimandum relinquimus.

Idem in Quæstore facit quod in capitulo. Mortuo Protasio Quæstore, cum Theobaldo Theodorico egit, vt, si Capitulum statuat, ipsum rectè rationibus præfici posse, non recuset: in quo persuadendo, & precibus vsus est: & rationes enumerauit, quamobrem id facere debeat. Vbi iste assentiret, re cum familia & fratre communicata, qui tamen dehortabantur, rem Marbachius cum Præposito ad Scholarchas refert. Scholarchæ vbi viderent, Quæstorem velle, sed ita, vt si non placeat conditio, quouis tempore receptum habeat & ad domum suam & ad Scholas, istud fieri permittunt. Refertur ad Capitulum: fit decretum, vt Theobaldus Quæstor fiat: canonicus maneat: locum in Capitulo retineat: Si quando Quæstor esse recuset: receptum habeat ad domum Canonicalem & ad Scholas. Et hoc decernit Capitulum, Marbachio rogante, suadente confirmante. Præest annos quinque Quæsturæ Theobaldus. Reddit quot annis rationes quæ ipsi commissæ erant. Cognoscit Capitulum: cognoscit Marbachius. Probat Capitulum: probat Marbachius. Fit potestas omnibus recognoscendi, qui velint, vt fiat subscriptio. Idem placet Marbachio. Dùm per annos quinque Marbachius, Flinnerus, Glocceius, Erythræus, Englerus rationes neque recognoscunt neque subscribunt, subitò ad protestandum decurrunt, & causas quærunt calumniandi: nunc tandē, cùm videant Capitulum videre, quorsum pertineant Marbachij consilia, & calumniantur, Quæstorem Capituli pecuniam detinere, & ex Capituli pecunia suum quæstum facere: cùm tamen quotannis post redditas rationes, postularit etiam cum dolore, subscribi rationibus suis, & pecuniam quæ superesset, & quam haberet, more maiorum nostrorum à se accipi.

Et cùm hæc sese sic habeant: tamen grauatur Capitulum & Quæstura, grauissimis & indignissimis suspicionibus: cùm capitulum & Quæstor parati sint, omnibus viris bonis rationem reddere suorum factorum & ostendere, nihil per fraudem vllam factum esse, vel non detrimento vnius oboli.

Quod verò ait Marbachius, ad decem sua postulata sibi à Capitulo responsum non esse hisce tribus mensibus: neque hisce tribus mensibus quidquam à Capitulo factum, quod ad emendationem œconomiæ pertineat: ad hanc calumniam hoc pacto respondemus breuiter.

Capitulum neque ad hæc postulata respondisse, neque ad duo alia illius scripta, propterea quod maluit pati iniuriam, quàm illi occasionem dare maioris dissidij. Sunt enim eiusmodi ab illo posita, ad quæ si respondendum verè fuisset, oportuisset illum audire, quod audire nollet: quemadmodum experietur, si experiri volet.

Quod verò ait: tribus hisce mensibus nihil à Capitulo factum esse quod ad emendationem pertineat, falsum est. Nam quàmdiu Decanus Capitulum conuocauit, illius erat, si quid emendandum putaret, proponere. Id si non fecit: non Capitulo, sed sibi vertat vitio. Posteaquam verò à Capitulo discessit: Præpositus sententiam dixit ante multas hebdomadas, se nullam repudiaturum bonam rationem concordiæ: verè se & ex animo eam petere, modò etiam verè & ex animo eam quærat Decanus. Decretum etiam erat factum, vt omnes rationes Quæstoris, recognoscerentur à singulis, & spatium datum fuit 14. dierum, intra quod tempus, qui vellet, istud facere deberet. Ex iis autem qui discesserunt nemo neque primâ venit hebdomade, vt rationes legendas atque recognoscendas posceret: neque alterâ, neque tertiâ, neque quartâ, & adhuc nemo quisquam venit: & tamen omnibus, excepto Marbachio qui abfuit, placuit hoc decretum Capituli, & omnes parati erant, etiam ipsi protestantes, Quæstoris innocentiam defendere contra illam calumniam, quinque annis rationem non esse redditam, quibus admirationi erat tanta criminatio: & gestiebant scire, vnde tamen hæc fama proficisceretur: omnibus placuit rationes recognoscere & subscribere, & ex ipsis rationibus, iustas & plenas conficere rationes cistarias. Quod caput est controuersiæ, id capitulum apprehendit. In hac dum versamur deliberatione, cui ipsi interfuerunt, quam approbarunt: illi comminiscuntur criminationes, quibus grauent capitulum: & de improuiso ad protestandum decurrunt, nobis nihil minùs exspectantibus, & dicūt, nihil capitulum egisse, quod pertineret ad emendationem œconomiæ.

Quod ad extremum, protestatur Decanus, sibi non ideircò velle auferri stipendium Decanatus, quod capitulo abstineat: neque velle ratum esse, quidquid interea temporis constituetur à capitulo.

Respondet Capitulum: hanc protestationem esse factam, vt superiorem totam protestationem, contra bonos mores: contra officium pacifici viri: contra consuetudinem omnium Capitulorum. Sed si sibi Senatus concederet in sua vrbe & reliquis huius vrbis collegiis, suo iure vti (id quod de principio religionis, Senatus omnibus promisit collegiis, quemadmodum probari potest) si inquam istud ius, quod cæteris collegiis non violari finit, etiam huic non finit: constare Capitulo, quomodo suum defendere queat: & hanc persequi iniuriam atque contumeliam: & protestatur iam Capitulum, hoc ius iure non posse eripi.

Hæc habuimus clarissimi viri & clementes Domini, quæ pro hoc tempore ad Decani protestationem respondenda putauimus.

Reliqua est protestatio quatuor canonicorū Flinneri, Glocceri, Erythræi, Engleri. Quibus quantum ad postulata decem Marbachij attinet: idem respondemus quod

Marbachio:Idem de Municipali & Examinis forma : Idem de Confessione Neuburgensi : Idem de autoritate Capituli, cuius acta probare nolunt.

Quantum verò ad id Caput attinet , de corruptione doctrinæ:fatetur Præpositus, hanc querelam ad se pertinere: & se dixisse fatetur,concionatores alia & aliter docere de Cœna Domini & de Electione sanctorũ , quàm Capito,Hedio,Bucerus,Zellius,omnes Pastores & Diaconi docuerint,legerint,scripserint,disputarint.Imò ampliùs addit, & dicit : Eos in quæstione de Prædestinatione docere contraria.Et respondet, si hoc illi credere nolunt, subscribant articulis doctrinæ Ecclesiæ Argentinensis:quam Capito,Hedio,Bucerus,Zellius, Theobaldus Nigri,Ioan Lenglinus,ceterique anno 39.tertio post concordiam,ediderunt.Subscribant summario doctrinæ Ecclesiæ Argentinensis , quod factum est anno 48. subscribant Retractationibus Buceri, quas Lutherus probauit:subscribant his quæ Bucerus scripsit in 8.& 9.Caput Epistolæ ad Rom.quæ consentiunt cum iis,quæ Lutherus scripsit in præfatione Epistolæ ad Romanos, & contra Erasmum Roterodamum: & Augustinus, & alij Patres antiqui contra hæresin Pelagianorum. Dicant,Dominos non recessisse à Confessione & doctrina sua : neque Augustæ in Comitiis anno 30. neque Suinfurti anno 32.neque vllo pòst tempore. Si hæc dicant, vult culpam deprecari, & se errasse confiteri. Dum autem sic agunt,vt agunt : non se posse aliud credere.

Quod verò dicunt,iureiurando suo cogi se,vt non cōcedant,diuturniorem dilationem & moram fieri:respōdemus,hanc moram ipsis fieri autoribus : eos moram & dilationem quærere:Capitulum decretum fecisse de recognoscendis rationibus: præscripsisse tempus , & tempus concessisse , intra quod recognosci poterant : istud decretum ab ipsis comprobatum fuisse:ipsos hoc decreto neglecto,& officio in recognoscendo deserto , nouam causam noui dissidij quærere.

Istud , capitulum quatuor canonicis simul respondet. Erythræo verò & Englero istud refert : mirari capitulum , cùm superioribus annis numquam vllum documentum dederint vllius diligentiæ:cur tam subitò diligentes exstiterint in capitulo : & cur in capitulo obseruantes esse velint iurisiurandi, & illud in Scholis negligant. Nam in conditionibus Examinis & Examinatorum esse non solùm in Capitulo,sed etiam in Scholis officium facere.

Nunc verò constare Visitatoribus dum Erythræus publicus professor fuit [fuit autem annis non paucis] nullum vnquam librum inchoatum absoluisse. Aristotelis falsò inscriptam enumerationem virtutum absoluisse: sed illum quatuor tantum paginarum: partem eum anni non dimidiatam,non tertiam , Erythræum in Scholis officium facere.

Laurentium verò,ante hoc tempus, & ante hanc illorum siue conspirationem, siue consensionem,numquam à Marbachio pro diligenti habitum:numquam pro erudito. Filios suos non diu passum esse in Laurentij classe esse. Contra illum apud Visitatores egisse : Dignum habitum, qui officio priuaretur. Et istud quod Marbachius tùm dixit : idem dixerunt & dicunt Visitatores, Professores,classici vicini Præceptores, & denique multi ciues:postulat Capitulum , vt suam diligentiam in cāpo Sagittariorum , cum altera commutet diligentia, quam præstare debet in sua classe:& cogitet, in vtro loco sit alacrior:an magis memor sit iurisiurandi in Scholis,quàm voluptatis apud Sagittariorum tela & areas:& si ignorat de classica diligentia , interroget Rectorem, Visitatores , Professores , de Sagittariorum area interrogentur ciues, qui illum locum solent frequentare.

Protestatur autem Capitulum : se virtute examinis & iurisiurandi, hac de illorum negligentia cogniturum.

Illud verò intolerabile est , quod in protestatione hi quatuor dicunt: callidè Capitulares suffragia colligere, & de rebus referendis ad Capitulum ante deliberare, quàm in Capitulum veniatur , vt ipsi suffragiis superentur:Et tamen pro decreto habetur , quidquid huiusmodi ratione proponitur. Id Capitulum dicit non solùm falsum esse:sed mēdacium eorum hominum, qui ex suis factis aliorum facta solent æstimare.

Præpositus hisce brumalibus diebus dixit:Maledictus Zanchius, si dicat, Præpositum à se sibi conciliatum esse. Iussit in eodem Capitulo prodire , si quisquam esset, qui dicere posset,se à Præposito esse prehensatum.Idem Præpositus postulat, vt singulæ personæ Capitulares iuratæ dicant , interrogati à Magistratu : an Præpositus quemquam vel vlla promissione adstrinxerit : vel rogarit,vt suarum esset partium: vel vllâ ratione callidâ prehensarit. Idem Capitulum petit, vt rogentur iurati, singuli , à Magistratu.

Contra verò probari potest , non vnum prehensatum esse à parte aduersaria.Legem habemus , vt in eligendo Canonico,tres nominentur à Nominatore. Nemo verò horum trium sciat, se esse nominatum. Hanc legem iurauimus omnes , probari potest tribus spem esse datam: nominandos à D.Marbachio, & id factum esse à Marbachio & Erythræo:quá arte quid petitum sit,relinquimus Dominis æstimandum.

Id de se Capitulum profitetur , & in eo gloriatur:nullam factam à se prehensationem,nullam promissionem, nullam conspirationem , nullam donationem : nullam fuisse præposteram sententiarum interrogationem: nullam obligationem fidei vel obedientiæ, neque in Capitulo,neque in Scholis.An verò aduersarij idem aut simile fecerint, faciántve : an iam in Canonicos futuros , si discedere cogantur,designarint: an domos Canonicales promiserint:an Quæstores cogitarint , an Scholasticos, an Custodes , an Cantores : hoc illorum relinquimus conscientiis.

Credimus , nos ad omnia respondisse , clarissimi Domini. Et quamquam omnia diligenter cognosci & iudicari à vobis postulamus : tamen nihil peræquè petimus considerari,quàm illam quæstionem quæ est de confessione & doctrina Maiorum nostrorum Si vos iudicabitis , Senatum & Legatos Ciuitatis recessisse à sua Confessione,hoc est, doctrina, quod factum est irritum , nos facere non possumus. Si verò in eadem mansisse : numquam falsam doctrinam,recepto Euangelio, defendisse: petimus , vt in hac nobis manere & hanc defendere liceat. De his duobus cognoscere atque iudicare , vestræ est autoritatis atque potestatis.

A D Marbachio postulamus,vt respondeat:veráne,an falsa doctrina Maiorum nostrorum fuerit. Si vera : cur non subscribit? Et cur vexat nos? Si falsa:cur non id nos docet? cur non colloquitur? cur non disputat? Item illud rogamus:Si veram esse doctrinam Maiorum nostrorum putat : an nos intelligere Maiorum nostrorum doctrinam arbitretur, nécne intelligere? Si intelligere:cur non idem loquitur quod nos? Si non intelligere: cur nobis non explicat, vt intelligere possimus.

Si ad hæc nobis respondere recusat , nos protestamur, id nos fecisse & facere , quod viros bonos , & memores suorum præceptorum,fecisse & facere decet: & id pati, quod collegæ à collega pati non deberent , & id passuros,retentâ veritate , quod homines constantes & Christianos pati decet.

Hæc fuit illa disceptatio inter vtrumque Theologum, agitata initiò quidem in Concilio Thomensi,posteà verò ab accusatoribus translata ad Senatum.

Capvt X.

IN QVO SCRIPTA QVAEdam Compositoribus huius controuersiæ,ante compositionem oblata: Item consensus articulorum quorūdam hactenus controuersorum, cui subscriptum fuit: atque etiam conditiones, quibus articulis his subscriptum & totum dissidium sublatum fuit, continentur.

HIERONYMI ZANCHII

EPISTOLA,

Dominis Compositoribus exhibita 6. Martij, Anno LXIII.

S.

CVm intellexissem,Domini clement. viri doctissimi ac prudentissimi , vos singulis diebus cognoscendæ nostræ

Fit huius mentio in epistola ad Landg. pag. 19. in fol.

nostræ cōtrouersiæ gratia conuenire, & scirem, non posse eam plenè cognosci, déque ea vllum certum & firmum iudicium concipi, nisi ex Actorum & eorum quæ vltrò citróque à patribus scripta sunt, attenta lectione, diligentíque examinatione: ac me non lateret, quædam ab aduersariis meis scripta fuisse contra me, plena conuitiis atque calumniis, ad quæ, quia illorum exemplum nullum mihi fuerat communicatum, non potui respondere: ideircò ne inde vllum contra me præiudicium imprudenter à vobis fieret, admonui nuper eius rei, Reuerendos viros Simonem Sulcerum & Haldricum Coccium, per epistolam, quod hoc illos nouisse, multum interesset. Ad ipsos autem, non ad vniuersos vos ideircò scripseram, quod malebam duobus tantùm veteribus amicis, quā omnibus Dominis meis, videri importunus: si tamē importunitas dicenda est, cùm ea, quæ maximè scitu necessaria sunt, admonemus. Cæterùm, quia certior factus fui, non fore ingratum vniuersis Dominis cognitoribus, si, quæ desidero, ipsis simul omnibus ea significem: ideircò ausus fui hac epistola, illa eadem vobis vniuersis significare: Nempè quæ ab aduersaria parte aduersus me scripta sunt, ea duplicis esse generis: quædam, quæ meas coniunctas habent responsiones, ea vt legatis & iudicium inde concipiatis, & placet & rogo. Quędam verò sunt, ad quæ nunquam respondi, idque propterea, quod mihi nunquam fuerunt ita communicata: vt ad ea respondere & responsiones vel Senatui vel Capitulo vel aduersæ parti exhibere licuerit. Sunt autem huius generis quæ sciam, hæc: primùm, duæ amarulentæ & contumeliosæ orationes D. Marbachij contra me: quarum vna hoc habet exordium: *Hoc primum sub noctem.* altera hoc: *Cùm Zanchij prolixam orationem.* Deinde liber quidam contra omnes meas theses, qui hunc habet titulum: *Ad Hieron. Zanchij priores tres theses, ministrorum Ecclesiæ Argentinensis Responsio.* Ex iis iudicium nullum contra me fieri aut etiam præiudicium concipi debere, antequam meas etiam legatis responsiones, quæ vestra est eruditio atque prudentia, optimè nostis. Quod attinet ad illas orationes, quia tandem aliquando eas impetraui, sed serò, ad eas etiam nunc primùm responsionem perficio: hanc, septimana insequenti, Deo fauente, vobis exhibebo, idque quamprimùm. Liber in quatuor secatur partes, in conuitia, in calumnias, in refutationem sanæ doctrinæ, & in dogmata ministrorum illorúmque confirmationem. conuitia sunt deuoranda Christianis: modò de eorum innocentia constet inter bonos. Calumnias aliquot, cùm illius libri facta mihi fuisset à quodam amico per vnam noctem & diem copia, inde excerpsi, atque depuli: depulsionémque Magnificis Dominis Tredecim Viris, cum mea Supplicatione, exhibui. Rogo itaque Dominos meos, vt illam Supplicationem legant, quia plurimùm facit ad rem. Dogmata aliquot ministrorum ex eodem libro scripta, si non vobis exhibita fuere à D. Ioh. Sturmio Rectore: ego exhibebo, cùm iusseritis. Quàm verò benè refutata sit sana doctrina, quam plerisque in locis eius libri, fatentur esse Augustini, & quam alicubi inuidiosè appellant doctrinam Gallorum & Italorum, cùm tamen sit etiam optimorum & doctissimorum Theologorum Germanorum, Lutheri imprimis atque Buceri: vos omnes pro vestra pietate atque iudicio, præsertim verò quatuor Reuerendi Theologi, facilè iudicare potestis: si librum legistis. Lectiones etiam aliquot meæ de libro vitæ, de Prædestinatione, quas ante dissidium, annos ferè 5. & 6. habueram: deinde etiam de remissione peccatorum collectæ ex commentariis studiosorum fuerunt & Dominis exhibitæ, antequam mihi recognoscendę præberentur: eas scio esse deprauatas: sed quorum culpa, ignoro. Ergo neque ex iis concipi iudicium potest: nisi ad archetypum corrigantur. Quòd scripta Germanica attinet, vos scitis optimè, nullum inde fieri iudicium contra me posse: qui neque ea legi, neque etiam intelligere, ac proinde nec respondere potui. Rogo etiam Dominos Cognitores, vt meam de tribus articulis, Prædestinatione, Perseuerantia, & Cœna, Confessionem, amplis. Senatui Latinè & Germanicè exhibitam, legant. Hæc sunt, quæ in præsentia à vobis, viri pręstantissimi peto atque postulo, haudquaquam petiturus, quod metuerem ne essem vobis molestus, nisi certior factus fuissem, me si quid à vobis peterem, rem facturum vobis haud ingratam. Valete igitur. Dominus vos spiritu suæ sapientiæ, prudentiæ, & æquitatis regat.

Hoc verò etiam adiiciendum putaui, statum controuersiæ quod ad doctrinam attinet, inter Doctorem Marbachium & me, facilem esse cognitu & iudicatu. Est enim iste: Vtrum doctrina, quam ipse accusauit nouitatis & hæreseos, & quam ego profiteor me in scholâ tradidisse, sit noua ac portentosa & hæretica, ac proinde an ego fuerim turbator Scholæ, nec ne. V I. Martij Anno M. D. LXIII.

AD EOSDEM COMPOSITORES Ioh. Sturmius Rector.

CLarissimi & prudentissimi & optimi viri: non mihi vllum est dubium, quin vester animus iisdem angarur angoribus, quibus meus angebatur, cùm res ista relata esset ad Capitulum. Vt enim ego tùm: sic, credo, vos inuitè & illibenter dissentitis à D. Marbachio, & cupitis, si quà ratione possitis, absque aduersariæ partis dedecore, illius existimationem defendere: id quod ego etiam tùm habebam propositum, & adhuc in eadem sententia sum, si qua ratio & modus bonus queat inueniri. Quomodo verò ex hac vos cognitione explicetis, non video, si eadem obseruabitis, in ipsis quæ cognoscitis Actis, quæ ego animaduerti, dum agerentur: & quæ ante cognitionem Capituli atque etiam superioribus temporibus & actionibus sæpè dolens tacitis notaram cogitationibus.

Vt Doctoris Marbachij existimatio mihi curæ esset, adhortabatur me primùm ministerij autoritas, quam semper saluam & integram esse cupiui: deinde Collegij vtriusque Scholæ, & Thomæ necessitudo: tum Collegij Prædicatorum communis curatio, quæ illi & mihi commissa à Scholarchis est: Postremò ipsorum inter se Pastorum consensio in hac accusatione. Præterea gratiam multorum gratiosorum hominum in Senatu & ciuibus, quam erga parochos & D. Marbachium habent, quæ talis ac tanta est, vt absque horum offensione, etiāsi iusta esset causa Zanchij, tamen ea non defendi possit.

Hæc ex vna parte mihi consideranda veniebant. Ex altera verò parte mihi occurrebat: Zanchium autore Iacobo Sturmio honorificæ memoriæ viro, vocatum esse; & huiusmodi literis, quas ego illius & duorum collegarum iussu scripsi, ex quibus vnus adhuc superstes est, D. Fridericus à Gottesheim, quas literas Zanchius adhuc habet ab ipsis Scholarchis signatas: Et ita vocatus est, vt ego non sciam, aliquem ex nobis vocatum esse liberalius.

Occurrebat etiam, Zanchium exceptâ curatione & œconomiâ Collegij Prædicatorum, reliquis necessitudinibus æquè mihi & Collegis meis coniunctum esse, atque D. Marbachius sit.

Faciebam etiam comparationem memoriæ, doctrinæ, iudicij in disserendo, quâ cogitatione mediocriter commouebar. Cogitabam etiam, D. Zanchium non postremas partes in ministerio Ecclesiæ tenere: neque solùm lectorem esse hoc est, ἀναγνώστην: sed etiam Doctorem non solùm titulo, sed etiam reipsa.

Videbam etiam, D. Marbachium, in pace & concordia summa omnium Collegiorum, subitò ad istas decurrisse sine causa inimicitias, & concordiam & otium 8. annorum, vnius horæ offensione; nullâ Zanchij iniuriâ ita disrumpere, vt restitui non posse videretur: nisi eum eiici & exturbari à nobis pateremur.

Sentiebam: cùm D. Zanchius nunquam in Schola de Cœna Domini docuisset: nunquam conclusiones ad disputandum proposuisset: cùm toto quadriennio illius quæstionis docendi causa non meminisset: tamen inter sua postulata posuisse Marbachium, inuidiæ conciliandę causâ. Illud verò grauissimè me mouebat, quod Zanchium dicebat, domi meæ dixisse, doctrinam Lutheri diabolicam doctrinā esse, id quod ego pernego: quâ ratione Pastores sibi adiunxerat, & à Capitulo disiunxerat.

Ægrè ferebam, quod hæreseos accusaret: quod Chiliastem nominaret D. Zanchium: ideircò solùm, quod probabiliter in vtramque partem disseruisset de Fine Sæculi & Antichristo. Nam in præfracta opinione hæresis posita est, non in probabili disceptatione & argumētorum comparatione.

Displicebat, quod quæ ante annos 8. docuerat D. Zanchius de Electione Sanctorum, ex illis demùm eruerent duras & odiosas conclusiones, easque non integras, sed verbis suis mutilatas: atque ita eas oppugnarent, vt totam illius doctrinam magnis conuitiis reprehenderent, ipsi nullam de hac quæstione doctrinam traderent, &

cum has conclusiones D. Zanchius in Scholis ad disputandum nunquam proposuisset, quasi ita nudæ propositæ ab illo ad disputandum essent, ita eos has diuulgare, tuli permolestè.

Atque hæc ante cognitionem Capituli: & sub illis initium fieri animaduertebam: & dolebam tacitè. Postquam verò res ad Capitulum relata fuit, vehementer commouebar duabus D. Marbachij narrationibus, in quibus nullum vestigium potui animaduertere caritatis Christianæ. Dolebam etiam, Capitulum ab eo persuasum esse, vtile esse libellis potiùs causam defendere, quàm vel collocutione, vel disputatione, siue in Scholis siue in Capitulo, siue apud viros bonos: nec meam postulationem habere locum, qui ex Apostoli autoritate petiui, vt poscenti rationem redderet fidei: si nolit Zanchio, at mihi, at Capitulo: idque de principio huius actionis, & in ipsa actione sæpenumerò.

Angebat etiam animum meum, quod Capitulum Partialitatis clàm accusarent, cùm tamen quinque hebdomadibus passi essemus D. Marbachium solum dicere, & tempus extrahere, quò minùs de re decerneretur: & ita dicere, vt D. Zanchio copiam non fecerimus respondendi, imò neque exemplum duarum narrationum dederimus: idque duas ob causas: primùm Concordiæ: deinde existimationis Doct. Marbachij, si illius argumenta & accusationes refutasset: id quod Capitulo videbatur Zanchium potuisse facere facilè. Et adhuc, cùm cogito, commoueor, Capituli considerans patientiam. Videantur Acta: interrogentur homines. Capituli interlocutorium quod in Acta relatum est, factum non fuit, nisi tùm demum, cùm intelligeret Capitulum, nolle ampliùs D. Marbachium causam suam cognosci à Capitulo, & tectà velle à Scholarchis & à Capitulo ad Tredecim Viros transfugere. Videatur etiam Replica capituli ad illorum responsionem: videbitur, angustiis temporis capitulum impeditum esse, vt ne apud Tredecim Viros anteuerteretur, si ipsi ad illos prouocassent: tempus quidem habuisse scribendi illam Replicam: non autem habuisse potestatem agendi cum illo ampliùs: fecisse tamen potestatem ostendendi eam D. Marbachio & Pastoribus.

Ad hoc Interlocutorium & ad hanc Replicam coegit nos necessitas. Nam posteaquam animaduertimus, Marbachium id considerasse, vt Scholarcharum cognitionem primo loco declinaret, deinde à nostra sese expediret, vt ne capitulum suis auribus & lingua & mente esse videretur: maluit videri aliquid dixisse iudicio, quàm sine iudicio per totam causæ cognitionem tacuisse.

Præterea hic multas acres sententias, vehementes minas, horribiles criminationes, quas pati & dissimulare coacti sumus: & tamen tulimus & passi sumus, dum causa cognosceretur: & post cognitionem capituli passi sumus duos iam annos seditiosas & horribiles conciones, occultas calumnias, sermones, literas, nuntios, contra consuetudines bonorum virorum, contra caritatē Christianam. Et tamen hæc omnia illa damus, ignoscimus, veniam damus: imò complectimur ipsos vera caritate & amore, si bonis conditionibus velint redire ad pristinam concordiam. Sed si satiari animus D. Marbachij non potest, nisi eiecto Zanchio: neque hìc locum patietur habere caritatis præceptum & vinculum, nos contra caritatem pati non possumus, collegam per dedecus remoueri, & Scholam tam magnum detrimentum accipere. Si verò idem volet, quod opinor omnes nos: non recusamus, omnium iniuriarum ἀμνηστίαν fieri.

Verùm in hac concordia constituenda, ista ab illis postulo: non diffidens idem placiturum collegis meis.

I. Primùm: vt non obliuiscantur, quibus de rebus sit contentio. Dixerunt: Zanchium (vt D. Marbachius primus & solus dixit, vt in Actis apparet) hæreticam & nouam doctrinam tradidisse, & illam doctrinam hæreticam non simplicem esse: sed varias & multiplices continere hæreses, Chiliastarum, Nouatianorum, Marcionistarum, Anabaptistarum, Suenefeldiorum, Antichristorum: ipsúmque Zanchium esse Antichristum.

II. Vt cogitent: hanc actionem ad solum Zanchium pertinere, vt si vnam hæresin probare queant, nihil dicturus sim ampliùs & passurus, vt Senatus condemnet: condemnaturum etiam me: & idem mihi promitto de collegis in eam, quæ Senatui videbitur, bonā sententiā.

III. Meminerint etiam: illud caput accusationis de doctrina noua ita explicatum esse, vt capitulum non potuerit decernere Zanchium quidquam contra doctrinam maiorum nostrorum docuisse, quoniam id suis Actis non potuerint comprobare.

IV. Sed illud etiam ipsis in mentem veniat, non solùm in hoc controuersiam positam esse, an Zanchius cōtra doctrinam maiorum nostrorum nouam doctrinam tradiderit: sed etiam an standum sit maiorum nostrorum doctrinā, quæ causa præcipuè ad Capitulum pertinet. Hîc Capitulum postulat: vel vt patiantur Maiorum nostrorum doctrinam autoritatem suam retinere: vel vt nobis probent, Magistratum nostrum à sua Confessione, id quod dicit, recessisse, & eam obliterasse: id quod nullo modo possumus concedere. Agnoscimus enim & doctrinam eorum & Magistratus Confessionem consentaneam esse non solùm Apostolicis & Patrum scriptis, sed etiam Confessioni Principum Augustanæ. Atque id volumus defendere. Neque iccircò hanc formulam proponimus, vt aliquid de autoritate Confessionis Augustanæ Principum derogemus, aut à nostra recedamus: sed vt ex hac videamus, quis vtriusque Confessionis verus sit sensus. Opinor enim Capitonem & Bucerum prudentissimos & opt. viros, optimè intellexisse, quæ fuerit Philippi Melanchthonis, qui illam conscripsit, sententia, & quæ Lutheri qui illam concessit. Habebimus igitur, quorum autoritatem sequamur: & certos nobis cancellos præscribemus, extra quos disceptando non poterimus diuagari, si istud statuetis. Deinde retinebitur existimatio Maiorum nostrorum, ne falsam doctrinam professi esse & defendisse videantur. Neque necessum erit nos alienis immiscere cōtrouersiis: quam rationem scio maiores nostros, quorum sæpè iam memini, perpetuò retinuisse.

V. Quantum verò ad Confessionem Augustanam pertinet, desinant in eo laudem victoriæ quærere, & postulare, vt illi subscribamus: cui numquam restitimus, cuius autoritatem defendere volumus, cui etiam pars nostrum subscripsit tùm cùm nostri accusatores admodùm adolescentes versarentur.

VI. Si verò veram pacem quærunt, idque verè & ex animo: sciant, se esse & fuisse homines, vt nos etiam nos esse fatemur & scimus: & hanc veniam petimus, & dabimus vicissim: sed non vt placida coëant immitibus, & vera falsis: non vt Tigribus agni geminentur, & crudelitas cum patientia cogatur societatem facere.

VII. Promittant ipsi: nos etiam promittemus: ita docturos, disputaturos, scripturos, locuturos nos de Augustana Confessione, vt nihil contrarium sit sacris literis, nihil aduersarium publicæ paci & constitutæ concordię, nihil repugnans cum doctrina maiorum nostrorum.

VIII. Si nobis istud promittant communiter nobiscū: nos seorsim promittimus, in quæstione de cœna Domini, nullam nos allaturos autoritatem ex literis maiorum nostrorum, nisi ex illis libris & disputationibus & scriptis & responsis, quæ post concordiam edita sunt ab anno 36. vsque ad annum 48. cum hac tamen protestatione: quod illud verum esse defendere volumus, Mart. Bucerum in nullo dogmate Catholico vnquam mutasse sententiam, non ante concordiam, non post discessum in Angliam: sanam & orthodoxam illius doctrinam esse comprobatam ab omnibus symmistis, Capitone, Hedione, Zellio, Steinlino, Lenglino, Symphoriano, totáque Ecclesia: & si formam aliquam summámque doctrinæ requirant, intra cuius limites vtrinque continere nos debeamus: subscribant nobis cum illis articulis quos notatos habemus manu Buceri, Capitonis, Hedionis, Zellij, propositos & defensos anno 39. hoc est, 3. anno post constitutam concordiam.

IX. Postulo etiam: vt quemadmodum nos nihil disputare constituimus, concordiæ causâ, neque publicè neque priuatim in his quæstionibus de quibus controuersia est, de cœna Domini, de Prædestinatione, de Perseuerantia sanctorum, de fine sæculi, & de Antichristo: sic etiam ipsi promittant arbitris: se idem facturos in Scholis & in concionibus, antequam bonum esse omnibus videbitur.

X. Istud tamen ita postulamus: vt neque nobis libertatem eripi velimus, neque illis etiam adimere, quoties necessarium erit tantum dicere, vel quantum locus aliquis in sacris literis requirit, vel inimicus Euangelij, vel seditiosus aut melancholicus homo cogit facere.

XI. Peto etiam: vt si vos arbitri prudentiss. & opt. viri, rationē habere velitis existimationis partis aduersariæ etiā nostri habeatis: & nos à crimine liberetis hæreseos,

cuius

cuius suspicio hæret in animis multorum mortalium.

XII. Vt verò deinceps etiam retineatur concordia: postulamus: vt de conuentu Ecclesiastico aliquid constituatur certi: vt vel patiantur Professores esse in isto conuentu, vel ipsi nihil decernant vel in doctrina vel in cæremoniis absque autoritate presbyterorum: & presbyteri non cogantur illorum suffragia & postulata facere, ante quàm primùm rem ad Scholasticum conuentum, deinde ad Magistratum retulerint, cuius summa semper esse debet autoritas.

XIII. Rogamus etiam: vt, si Professores admittere in suum conuentum nolint, & sua nosse consilia, Professores non cogantur eos in suum cœtum suáque adhibere consilia: id quod in Vniuersitatibus obseruatur: vt Artistarum & Theologorum separata sint consilia.

XIV. Illud etiam flagitat concordia: vt posthac Visitatores & Professores iubeantur à Scholarchis vnum pluresve decernere, qui in singulis intersint lectionibus & disputationibus, quo maturè ad Consilium & ad Scholarchas referre possint, si quis quid faciat immoderatiùs.

XV. In primis verò illud est necessarium, vt stipendiati omnes lectiones omnium Theologorum audiant, qui publicorum Professorum sunt auditores.

Hæc sunt clarissimi viri, quæ vobis indicanda putaui. Credo etiam, his conditionibus firmam posse constitui concordiam. Et fortassis possent aliæ rationes inueniri meliores. Sed ego ista non consilium dans scribo: sed vt vobis indicarem, quid ego & alij mecum requirant, à vobísque petamus, & postulemus à nostris accusatoribus. Neque hæc ipsa scripsissem, nisi ex vestris concionibus intellectum esset, vos ad pacem respicere, & pacem flagitare, & dissidium, quod nimis diu iam durat, componere, absque vllius, vt sentire me puto, condemnatione. Qua in re oro Deum Patrem omnium nostrorum, per filium suum Iesum Christum Dominum nostrum, vt vobis suo spiritu adsit ad eam pacem constituendam inter nos, quam Apostolis & discipulis suis dedit atque reliquit. Amen.

Anno 1563. 10. Martij.

Ioan. Sturmius.

Vide 1. Tom. Miscel. in fol. epistol. ad Landgr. p. 19. in fol.

HIERONYMI ZANCHII

Ante disputationem publicam, cuius ipsi spes facta fuerat, sed non copia, ad totum Auditorium, præsertim verò ad cõstitutos arbitros oratiuncula, qua totam controuersiam paucis complectitur.

EGo verò principiò ago gratias Deo optimo Patri, per Iesum Christum, quod posteaquam permisit biennium nos variis molestiarum fluctibus in hoc dissidij pelago agitari, tandem aliquando nostri misertus, portum aliquem quietis atque salutis nobis præmonstret hoc nimirùm colloquio, corãm clementissimis Dominis meis, doctissimis Theologis, & sapientiss. Iurisperitis, aliisque piis & doctis viris.

Gratias etiam ago clementissimis Dominis meis, pro laboribus quos nostra causa perpessi sunt hoc bienniũ, & pro cura, studio, & diligentia, quam in componendis his controuersiis nostris adhibuerunt: & tandem, quod accersitis aliunde piis & doctis arbitris Theologis atque politicis viris, hoc instituerint colloquium, in quo speramus & Deum glorificatum, & doctrinæ veritatem cognitum, & omnia inter nos dissidia sublatum, & pristinam amicitiam atque concordiam instauratum iri.

Gratias etiam ago illis Illustrissimis Principibus, & Magnifico Senatui Basiliensi, qui vt nostro clementissimo Magistratui gratificarentur, hos sapientiss. ad nos viros miserunt.

Tum etiam vobis doctiss. Legatis, qui istum laborem, istúdque onus, nostra causa subire non recusatis.

Ad extremum ago gratias omnibus, qui hîc adsunt, nostrum colloquium audituri.

Precor autem omnes in vniuersum, vt æquis auribus atque animis audire nos velint: & ne, audiendis nostris humanis contentionibus, quas Satan inter nos excitauit, fouitque totum hoc biennium, ita offendantur, vt propterea iudicent, nos interim non fuisse, aut etiam esse Christianos. Nam inter sanctissimos quoque & Apostolos & doctores & alios pios viros, orta fuisse nonnunquam grauissima, déque grauissimis rebus dissidia, docent abundè historiæ cùm sacræ, tùm Ecclesiasticæ. Vult enim Deus, dum hæc permittit, hac ratione patefieri & nobis ipsis & aliis, quales simus nostrapte natura, superbi nimirùm, imperiti atque mali: ac proinde vult, vt hac nostri cognitione humiliati, discamus posthac humiliùs de nobis sapere, diligentiùs sacris literis incumbere, & studiosiùs fraternam amicitiam, Christianámque concordiam intèr nos colere, & Satanæ fortiùs resistere, malisque (vt in prouerbio est) principiis attentiùs obstare.

Inter sanctos dissidia.

Vtilitas dissidiorum.

Nunc quocum, aut quibuscum habeam dissidium: & quod qualéque illud sit, aperiam paucis.

1. Controuersia primò & per se, non est mihi, nisi cum D. Marbachio: secundariò verò & per accidens, cum reliquis Pastoribus. Nam initiò tota controuersia erat solum inter D. Marbachium & me. Deinde verò, ne solus esset D. Marbachius, aut iste reliquos secum traxit, aut illi spontè sese D. Marbachio adiunxerunt contra me vnum. Dicam igitur de dissidio, quatenùs illud fuit inter solum D. Marbachium & me. Nam composita controuersia inter nos duos, composita etiam fuerit cum reliquis omnibus.

2. Illud secundò retinendum est, me fuisse & esse accusatum: Doctorem verò Marbachium accusatorem.

3. Controuersia autem inter D. Marbachium & me, 4. habet capita. I. continet theses, quas pro meis agnosco, & quas ipse tum nouitatis, tum hæreseos accusauit. II. Continet Calumnias, de doctrina. Multa enim fuerunt de me tum sermonibus, tum scriptis sparsa, quæ omninò calumnias esse, protestor. III. conuitia & contumelias propè infinitas, quibus ego traductus fui, & infamatum meum ministerium. IV. Rationem agendi: qua vsus est in hac controuersia, iniquam in se, & mihi detrimentosam, imò perniciosam.

Ratio agendi, qua vsus est D. Marbachius in hac controuersia: & est summa Actorum.

Quod ipsam agendi rationem, qua vsus est D. Marbachius in tota hac controuersia, attinet: ea non potest meliùs cognosci, quàm si legantur Acta omnia. Summam autem complectar aliquot breuibus propositionibus.

1. Per annos iam octo fueram hic habitus cùm ab aliis, tum à Doct. Marbachio, alisque collegis pro viro bono, & bonorum virorum amicitia digno, vt etiam D. Marbachius in suis orationibus testatur. Proinde cum omnibus etiam collegis colui amicitiam: & vicissim omnes collegæ, & pastores & Diaconi mecum.

2. Docueram etiam & disputaueram cùm de aliis ferè omnibus dogmatibus Christianis, præterquam de Cœna Domini: tum speciatim de Prædestinatione, & de fide Sanctorum, déque eorundem in Fide Perseuerantia, imò de omnibus iam controuersis articulis, præterquam de Fine sæculi.

3. Etsi de aliquibus rebus aliquando contendimus seriò in disputationibus: vt de retinendis imaginibus in templis, de Cantu figurato, & similibus: in articulis tamen Fidei essentialibus, nulla inter D. Marbachium & me, fuerat publica controuersia.

4. Ac fatetur ipse in suis orationibus, de Prædestinatione non fuisse inter se & me controuersiam, nisi de modo, quo quis, volens & ipse fieri certior, & alios reddere certiores, de sui Electione & Prædestinatione, vti debeat: viáne à posteriori (vt vocant:) an à priori.

5. De Cœna, nouerat ipse de principio, hanc meam esse fidem: manducari quidem in Cœna verùm corpus Domini, hoc est, Dominum ipsum: sed id fide tantùm, & à fidelibus tantùm.

6. Sed quoniam præter hæc tria capita de aliis non eram solicitus, neque etiam de iis multùm disserui in Schola: icircò non desierat colere mecum amicitiam: imò non semel & iterum promisimus mutuò, etsi de Manducatione Impiorum inter nos non conueniat: culturos tamen inter nos pacem & concordiam: modò alter alterum ferat in sua permanere sententia.

7. Cum hæc ita se haberent, fatetur ipse D.M. in suis orationibus, se nunquam ante hoc dissidium accusasse me vlla de re, vel apud Scholarchas vel apud Dominos.

8. Ergo ante istud dissidium per annos 8. constat, me habitum fuisse etiam à D.Marbachio pro viro bono, bonorúmque amicitia digno, & pro homine ac professore orthodoxo.

Mox verò excitato dissidio, vel potiùs offensis quorundam animis: factus sum infamis, indignus amicitia bonorum virorum, & hæreticus. Hoc autem modo inchoatum est dissidium.

Initium dissidij. 1. Communicatam Epistolam de Cœna Domini, cum D. Marbachio, vt si ei probaretur & vellet subscribere, mitteremus Heidelbergam. Nostrum enim consensum quidam inde petierat.

2. In ea Epistola iussit expungi mentionem Philippici iudicij, hac de causa, quod cùm ibi multi magni viri perstringantur, metueret, ne etiam multi contra illud scripturi essent, nostra autem epistola in manus multorum veniet: se autem nolle iis dissidiis de Cœna immisceri: sed conseruare Ecclesiam & nos alienos à dissidiis. Esse igitur expungendam mentionem Philippici iudicij.

3. Probaui ego illud consilium, vt sapientissimum.

4. Quia verò non conueniebat inter nos de hoc articulo, Corpus Christi non manducari ab iis, qui vera fide destituti sunt, promisit ille, se velle ferre me: modò & ego feram se & alios symmistas. Promisi vicissim & ego, id me facturum. Amicè igitur discessum fuit.

5. Interim, autore Doct.Marbachio & aliquot pastoribus, vel eodem tempore, vel paulò pòst, imprimebatur hic liber Heshusij de Cœna, in quo hæreseos damnantur, qui secum non sentiunt de Manducatione Impiorum, adiectis etiam Scholiis contumeliosioribus libro.

6. Indicaui rem D. Ioh. Sturmio Rectori: eius opera suppressus fuit liber: sed in me excogitata vltio.

7. Mox igitur decurrit ad accusationes contra me D.Marbachius. Detulit enim primùm ad Dominos, me scribere literas de Cœna contra Confessionem August. debere me à Dominis moneri, vt neque scribam, neque doceam contra Confessionem Augustanam de Cœna Domini. Ita animi alienari cœperunt: & Ego diligenter in lectionibus obseruari.

8. Paulò pòst igitur accusor grauiter de fine sæculi, item de Antichristo. Non ita multò post de Perseuerantia Sanctorum & de Prædestinatione: & quidem de iis omnibus, antequam quidquam mecum de iis contulisset, aut interrogasset me, an ita se res haberent, & quomodo ea intelligerem.

9. Detulit etiam ad conuentum, me doctrinam Lutheri appellasse diabolicam, qua calumnia omnes à me abalienari cœperunt: & me tanquam nebulonem publicum hostem, atque hæreticum auersari.

10. Curatum etiam fuit, vt mihi interdiceretur continuatione nostræ tractationis de Perseuerantia, quòd esset doctrina impia & pessima.

11. Fuit autem mihi interdictum continuatione hoc modo, vt abstinerem ab ea ad tempus: donec scilicet inter D.Marbachium & me conueniret. Parui ego mandato.

12. Cùm D.Marbachius debuisset & ipse, vt æquitas postulabat, ab eodem argumento abstinere: ipse multo magis cœpit quasi triumphare contra hominem, qui non posset se defendere.

Ita natum & educatum fuit dissidium, animique magis ac magis exacerbari cœperunt.

Nunc quomodo auctum: & qua ratione in eo tractando mecum actum sit, paucis etiam dicam.

1. Capitulum nostrum Thomanum, vt dissidium tolleretur, suam interposuit autoritatem: & iussit, vt vterque, quomodo se res haberet, explicaret: & suam quisque causam diceret.

2. Paratus ego fui, & ita significaui Capitulo, paratum me esse ex tempore & coràm dicere. D. Marbachius recusauit. Faciem enim meam se ferre non posse, causabatur.

3. Ita constituit, nolle mecum vllo modo coràm agere aut loqui, & de iis aut aliis articulis disserere.

4. Eius vel exemplum secuti, vel iussa exsecuti sunt, alij & pastores & Diaconi, etiam qui diu mei fuerant auditores: exceptis senibus, qui doctrinam veterem huius Ecclesiæ, Buceri, Capitonis, & aliorum adhuc constanter retinent.

5. Facta igitur quasi coniuratione, omnes à meo consortio & colloquio abstinuerunt.

6. E suggestis cœperunt hi controuersi articuli ad plebem proponi & disputari: ego, nomine tantùm suppresso, vt hæreticus, traduci, & qui mihi fauebant, eodem crimine inuolui: & hoc fuit per totum hoc biennium continuatum.

7. Ad hæc variis calumniis tum publicè tum priuatim grauabat.

8. Interim non poteram me defendere: neque in Schola, quia de iis rebus loqui non licebat: neque in templis, quia non eram concionator: neque priuatim apud ciues, quia linguam Germanicam ignorabam.

9. Capitulum vrgebat D. Marbachium, vt vel mecum colloqueretur, vel ad argumenta mea & autoritates responderet. Non potuit impetrari.

10. Tunc ne solus esset Doctor Marbachius, aut ipse reliquos pastores secum traxit: aut ipsi spontè ei sese adiunxerunt in hac controuersia.

11. Neglecta nostra prima causa, cœperunt illi cum Capitulo altercari, ita vt res valdè in longum extraheretur.

12. Interim licet ego & de principio petiissem per Capitulum disputationem: & posteà sæpiùs colloquium saltem amicum, vel publicum, vel priuatum: nunquam tamen impetrare potui: Traduci tamen me, semper audiebam.

13. Ego itaque necessitate coactus, contuli me ad Academias & Ecclesias per Germaniam, vt saltem cum illis de articulis mihi obiectis, & pro meis à me agnitis, conferrem.

14. Fuit hoc à me factum magnis meis sumptibus, præter labores corporis & molestias animi: relictis domi vxore & filia ægrotis.

15. Redij cum testimoniis duarum Academiarum, & aliquot doctorum virorum Germaniæ. Sed interim nihil fuit effectum: neque illi desierunt in me inuehi, méque calumniari, nomine tantùm suppresso, in hoc vsque tempus.

Nunc iudicandum relinquo Dominis meis, an hæc agendi ratio, qua vsus est D. Marbachius mecum in isto dissidio, à principio vsque ad hunc finem, fuerit æqua aut Christiana, nécne.

Quantum autem ad damna, quæ ista agendi ratio mihi attulit, hoc tantùm dico, mihi hoc dissidium constare ducentis coronatis & ampliùs. Et, si innocens agnitus fuero, æquum etiam fuerit, vt accusatores liberis meis damna resarciant.

Caput Tertium.

DE CONTVMELIIS ET *conuitijs.*

1. Quod verò attinet ad conuitia & contumelias: hæ sunt permultæ & graues, quas hic vobis exhibeo.

2. Sum quidem paratus, vt Christianus, omnia deuorare & condonare, quatenus meam tantùm respiciunt personam.

3. Cæterùm quatenus istis meum etiam ministerium infamatur: &, nisi iis infamiis liberer, nunquam in Ecclesia Dei locum habere possim: liberi quoque mei notam hanc perpetuò secum ferrent, quod essent filij hominis infamis, atque amicitia bonorum virorum indigni: Icircò peto à Dominis meis, curent, vt aut omnia ista probet D. Marbachius: aut, si non possit, mea mihi existimatio restituatur: idque ea meliori ratione, qua fieri possit.

4. Peto,

4. Peto, inquam, liberari ista infamia ciuili, tum propter ministerium, tum propter liberos, atque familiam, tum propter nationem, tum quod norim iam ingenium D. Marbachij, qui posset aliquando obiicere mihi & meis, quod appellarir me infamem, & adhuc sim, cùm non sim liberatus.

Caput Secundum,

DE CALVMNIIS.

1. Sequuntur nunc calumniæ in doctrina. Sunt eæ tot & tantæ, vt nisi priùs de illis, quæ mihi falsò obiecta esse protestor, iudicetur: nullo modo possit progressus fieri ad primum caput, quod est de doctrina, quam & ego fateor me docuisse, & aduersarij mei nouitatis & hæreseos damnarunt. Iis verò cognitis, quod reuera sint calumniæ, mox facillimè de Thesibus poterit fieri iudicium.

2. Calumnias præcipuas hîc exhibeo. Responsiones meas ad has calumnias, Domini mei habent, & peto atque rogo, vt illæ in medium proferantur.

Caput Primum,

DE DOCTRINA CONtrouersa.

1. Quantum attinet ad doctrinam controuersam, illa continetur 14. Thesibus: quas mihi D. Marbachius obiecit, & tum ipse, tum alij pastores nouitatis & hæreseos, tam libro conscripto, quàm voce & sermonibus damnarunt.

2. Vbi ad has ventum fuerit, peto, vt de iis habeatur disputatio: & singulæ discutiantur eo ordine, quo etiam fuerunt mihi obiectæ, & damnatæ. Hoc enim est æquum & iustum.

3. Quis autem sit status controuersiæ de iis Thesibus: & quid in disputatione seruari cupiam, dicam postea suo loco.

Epilogus.

1. Habetis, clementissimi Domini, post gratiarum actiones, primùm, quocum mihi sit cumprimis dissidium: nempè cum D. Marbachio. 2. Deinde quam partem Ego hîc sustineam, non accusaroris, sed accusati.

3. Postremò, quot & quæ capita sint dissidij, quod mihi intercedit cum D. Marbachio.

Peto à Dominis meis, vt faciant iudicium & iustitiā, & non secundùm faciem (vt ait Christus) sed rectum iudicium iudicent. Precor verò Dominum Iesum, cuius causa hîc grauissima agitur, mentes eorum, quorum interest de iis rebus iudicare, illuminet Spiritu sapientiæ: & eorum corda moueat spiritu fortitudinis: quo possint & velint sine vllo personarum respectu, rectum iudicium & bonam iustitiam facere.

Sequitur Consensus ab Arbitris conscriptus, & omnibus Professoribus & Ministris ad subscribendum exhibitus.

CONSENSVS,

Inter Theologos & Professores in Ecclesia & Schola Argentoratensi, factus Anno Domini M. D. LXIII. Die 18. Martij.

Eius declarationem à D. Zanchio scriptā vide in primo Tom. Miscellaneorum eius pag. 64. 65. &c. in folio impressorū.

DVo sunt præcipuè capita controuersiæ inter pastores Ecclesiæ & Professores Scholæ Argent. exortæ: Alterum de Cœna Domini; alterum de præscientia & prædestinatione Dei.

Quod ad Cœnam Domini attinet, pius consensus constitutus est, vt pariter in Schola & Ecclesia conformiter aliis piis Ecclesiis & verbo Dei, iuxta Augustanam confessionem Anno 1530. Imperatori Carolo V. à principibus & aliis quibusdam Imperij Romani ciuitatibus exhibitam & adiunctam Apologiam, Naumburgi ab Electoribus & Principibus Imperij denuo subscriptam, doceatur, eáque sit norma & regula totius doctrinæ non tam de Cœna Domini, quàm etiam reliquis articulis omnibus ex verbo Dei sincero & incorrupto in Scholis & in Ecclesiis docendo.

Ad tollendam verò de sententia commemoratæ Cōfessionis in negotio Cœnæ dissensionem, cum vtraque pars veram & substantialem præsentiam corporis & sanguinis Christi credat & confiteatur, quæ cum pane & vino exhibentur, & in Cœna vescentibus distribuuntur, ne diuersitas formularum loquendi contentionem aliquam pariat, placuit, vt formulam concordiæ inter Martinum Lutherum, & Martinum Bucerum piæ memoriæ, Saxonicarum & superioris Germaniæ Ecclesiarum ministros initam, omnes in docendo sequantur.

DE PRAESCIENTIA ET PRAEdestinatione Dei secundùm formulam sequentem pariter in Schola & Ecclesia doceatur.

DE PRÆDESTINATIONE.

QVAECVNQVE scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, vt per patientiam & consolationem scripturarum spem habeamus. Rom. 15.

Omnis ergo docendi ratio, cùm in Schola, tum in Ecclesia iuxta hanc ab Apostolo traditam regulam, ita instituenda est, ne aut cum doctrina pœnitentiæ pugnare, aut conscientiis afflictis consolationem & spem suam adimere videamur.

Constat autem ex verbo Domini, æternam Dei esse præscientiam, qua res omnes præsentes habet. Coram ipso enim nihil præteriit aut futurum est. Psal. 139.

Sic quoque æterna est Dei prædestinatio, quæ ad electos pertinet, facta priusquam mundi fundamenta iacerentur.

Hæc autem cum sit abyssus, & extra Christum considerata, in præcipitium inferni adducat, non nisi in Christo quærēda est, sicut scriptum est: *Elegit nos prius quam fundamenta mundi iacerentur.* Eph. 1.

Eo igitur modo quærenda est, quo nobis à Christo reuelata est. Matth. 11.

Est autem in verbo Euangelij reuelatum Dei æternum decretum: sicut vniuersum humanum genus per peccatum, iram Dei & indignationem eius incurrit: ita quotquot in Christum filium Dei & hominis, pro peccatis totius mundi passum credunt, gratiam Dei & vitam æternam consequantur. Ioh. 3. & 6.

Promissiones igitur cum sint vniuersales, quibus Deus hanc gratiam suam offert, ideo nemo seipsum excludat, sed cum pariter omnes peccauerimus, omnes ex æquo salutem oblatam apprehendamus.

Verissima & summa afflictarum conscientiarum consolatio, eaque vnica in his & similibus promissionibus comprehensa est: *viuo ego, nolo mortem peccatoris. Conuertimini & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus, & non erit vobis in ruinam iniquitas.* Ezech. 18.

Et Christus: *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos.* Matth. 11.

Fides autem, qua oblatam hanc Dei gratiam vniuersaliter omnibus promissam accipimus, gratuitum Dei donum est, mera Dei misericordia, nullo operum nostrorum respectu data, sicut scriptum est: *Vobis donatum est in Christo, non solum vt in eum credatis, sed vt etiam pro illo patiamini.* Philip. cap. 1.

Quod autem hæc gratia, siue hoc donum fidei, non omnibus à Deo datur, cum omnes ad se vocet, & quidem pro sua infinita bonitate seriò vocet, *Venite ad nuptias, omnia parata sunt.* Luc. 14. arcanum est, soli Deo notum, nulla ratione humana peruestigabile, Mysterium tremendum & adorandum, sicut scriptum est, *O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt iudicia eius, & imperuestigabiles*

via eius? Rom. 11. Et Christus gratias agit Deo patri, *quod hæc absconderit à sapientibus & prudentibus, & reuelarit paruulis.* Matt. 11.

Interim afflictæ conscientiæ hac Dei abscondita diuinæ voluntatis ratione non offendantur, sed voluntatem in Christo reuelatam respiciant, qui omnes peccatores ad se vocat.

Neque verò propterea dicendus est Deus peccatum velle, dum peccatorum voluntatem & viam non semper impedit, sed permittit eos in peccatis perseuerare. Verè enim Deus odit peccatum, cuius autor est Diabolus, *qui in veritate non permansit.* Ioh. 8.

Deus autem horribiliter peccato irascitur, prohibet, & iram suam omnibus transgressoribus legis suæ minatur: *Non est Deus volens iniquitatem, odisti omnes, qui operantur iniquitatem.* Psal. 5.

Ea autem est Dei bonitas, vt malo, quod permittit, benè ad nominis sui gloriam vti possit, sicut scriptum est: *In hoc excitaui te, vt ostendam in te virtutem meam, & annuntietur nomen meum in vniuersa terra.* Rom. 9. Exod. 9. Idem fit quando peccatum peccato punit. Rom. 1.

Neque verò peruersè quis inde colligat, sese vas iræ esse à Deo ad interitum formatum & præparatum, qui deceptus à Sathana & carne sua, sese multis peccatis polluit: Quin potius illud Apostoli consideret: *Si quis emundauerit se ab istis, erit vas in honorem sanctificatum, & vtile Domino ad omne opus bonum paratum.* 2. Tim. 2.

Nec sibi quisquam propter electionis gratiam, quam in seipso senserit, ita blandiatur, vt in peccata & scelera contra conscientiam ruat: Sed Apostoli admonitiones semper ob oculos positas habeat. *Si secundum carnem vixeritis, moriemini.* Et iterum: *Nolite errare, neque scortatores, neque idolis seruientes, neque adulteri, neque molles, neque fures, neque auari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces, regnum Dei possidebunt.* 1. Cor. 6. Galat. 5.

Huc eiusdem Apostoli dictum pertinet. *Qui existimat se stare: videat ne cadat.* 1. Cor. 10. Et iterum: *Non ergo regnet peccatum in vestro corpore mortali, vt obediatis concupiscentiis eius.* Rom. 6.

Qui enim concupiscentiis obediunt, fidem, quæ vera ac viua fiducia est, in misericordiam Dei per Christum, & in Christo promissam excutiunt, & Spiritum sanctum amittunt, ac tamdiu sub Tyrannide peccati, via & indignatione Dei manent, donec pœnitentiam agant, & per spiritum Christi iterum erigantur.

Cum autem duplex finis sit doctrinæ & disputationis de prædestinatione: alter vt gratia Dei, qua iustificamur sola, contra vires humanas & liberi arbitrij adseratur, in quam sententiam D. Augustini, Lutheri & Buceri scripta extant: alter, Vt in lucta carnis & spiritus, firmam consolationem afflictæ conscientiæ habeant, videlicet, salutem non in suis ipsorum, quibus facilè excuti posset, sed Christi manibus consistere, sicut scriptum est: *Oues meas nemo rapiet ex manu mea.* Ioh. 10. Ita in vtroque oratio comparanda est, ne aut altius euolemus, quàm reuelata in Christo voluntas Dei permittat: aut nimium eam deprimamus, quò viribus humanis vel modiculum tribuatur.

Quapropter phrases duriores in scripturis non vsurpatas, quibus partim Ecclesiastici etiam scriptores veteres, & Neoterici vsi sunt, vel declinemus prorsus, vel ita temperemus, ne in commemoratos scopulos Pelagianismi aut Epicureismi impingamus.

Parcè enim & admodum sobriè hoc summum salutis nostræ Mysterium in scriptura traditur. Passim verò & in omnibus locis reuelata voluntas, quæ absconditæ contraria non est, in Christo proponitur, ad quam omnes homines reuocantur, in qua etiam tutissimum est acquiescere. Die 18. Martij factæ sunt subscriptiones ab vtraque parte, sicuti ordine sequuntur.

Iohannes Marbachius Theologiæ Doctor & Ecclesiæ Argentinensis Superintendens manu propria subscripsit.
Iohannes Flinner Parochus summi templi Argent. testor hoc meo Chirographo, me sic docuisse, & deinceps per Christi gratiam sic docere velle.
Melchior Speccerus Pastor ad D. Thomam manu propria subscripsit.
Isaac Athenarius propria manu subscripsit.
Matthæus Negelin *propria manu subscripsit.*
Laurentius Offnerus Pastor apud S. Petrum Iuniorem subscripsit.
Iohannes Angelicus Maioris Ecclesiæ Argent. Diaconus senior subscripsit.
Iacobus Gloccerus Pastor Ecclesiæ Argent. ad S. Nicolaum ma. prop. ss.
Nicolaus Florus Pastor ad D. Aureliam. m. prop. sst.
Valentinus Erythræus ss.
Laurentius Englerus quartæ classis præceptor manu prop. ss.
Heinricus Grinerus Ecclesiæ VVilhelmitanæ Diaconus sst.
Engelhardus Bauhoffius Ecclesiæ D. Thomæ Diaconus sst.
VVigandus Agramus Diaconus Ecclesiæ Senioris Petri.
Casparus Gretzmannus Diaconus in summo templo sst.
Iohannes Thomas Diaconus Ecclesiæ D. Nicolai.
Andreas VValterus Diaconus S. Aureliæ.
Iohannes Libditz Ecclesiæ iunioris Petri Diaconus.
Iohannes Faber Diaconus apud D. Iuniorem Petrum.
Iohannes Mager Pastor Ecclesiæ Christi Im Ruprechtsavv, prope Argentinam animo & manu subscripsit.
Iohannes VVernerus Diaconus hospitalis, ma. prop. subscripsit.
Iohannes Sturmius Rector subscripsit.
Hanc doctrinæ formulam, vt piam agnosco, ita etiam recipio.
Ego Hieronymus Zanchius.
Conradus Hubertus Tabernamontanus sst.
Ego Hieronymus Massarius Doctor Medicinæ.
M. Christophorus Stipitius.
Iohannes Monachus sst.
Theobaldus Theodoricus sst.
Conradus Dasypodius Visitator sst.
Leonhardus Hertelius sst.
Theophilus Gollius sst.
Iohannes VVilfesheim sst.
Ionas Bittnerus sst.
Iohannes Reinhardus Alcæus sst.
Martinus Malleolus sst.
Theobaldus Lingelsheim mea manu subscripsi.
Hanc ego doctrinam sacris agnosco libellis Consermem; cœtum Christe tuere tuum.
Matthæus Hubner sst.

Legati subscripserunt.

D. Iacobus Andreæ Præpositus & Cancellarius Scholæ Tubing.
M. Cumannus Flinsbachius Superintendens Bipentinus.
M. Simon Sulcerus Rector Scholæ Basiliensis & Professor.
M. Vlricus Coccius Concionator Basiliensis.

Politici Consiliarij.

VVolff von Reteritzen D. M. VVolffgangi, Palatini Consiliarius.
Licentiatus Heinricus *Schvveblin*, eiusdem Principis Consiliarius.
Daniel von Renchen Obervogt zur Nevvenburg.
Doctor Kilian Bertz Hertzog Christoffs zu VVirtenberg Rathe.

Die 18. Martij factæ sunt subscriptiones. Postridie autem pacificatio & reconciliatio inter vtrosque.

PROTESTATIO CAPITVLI, dictata à Iohanne Sturmio, Præposito & Rectore in Capitulo, antequàm Articulis illis concordiæ subscriberetur. 17. Mar. Anno 1563.

Carissimi Fratres, scitis, in cuiusmodi dissidio annos iam duos & ampliùs versemur: & quanquam il[l]ud

nullo

nullo vel vitio vel errore Capituli excitatum sit; tamen æquè atque aliis, ad quos hæc causa potissimùm pertinet, nobis studio esse debet, vt componatur: qua in re de Senatus patientia & æquitate nequaquam possumus conqueri: imò eam egregiam & singularem vtramque virtutem libenter agnoscimus & libenter prædicare debemus: quòd, cùm aliis multis superiorum temporum significationibus intelleximus; tum vocatione eorum arbitrorum, qui in hac discordia sedanda adhuc sunt occupati. In quo officio agnoscimus eos fecisse officium bonorum & prudentium & pacificorum virorum. Laudem igitur Deo tribuere debemus, quod optima, &, vt mihi videtur, firma posuerunt fundamenta consensionis atque concordiæ: & cùm duo sint capita nostræ controuersiæ: vnum, de Cœna Domini: alterum de Prædestinatione: cui annexum est tertium de Perseuerantia Sanctorum: formulam nobis exhibuerunt, secundùm quam ipsi existimant viuendum inter nos, & legendum & disputandum arbitrantur, quam ego consentaneam esse puto Scripturæ sacræ & illorum autoritati, etiam Maiorum & præceptorum nostrorum doctrinæ: de qua si vos idem iudicium facietis, quod ego facio, spero, ope Dei omnipotentis & Domini nostri Iesu Christi, pacem inter nos veram & solidam & diu duraturam, constitutum iri. Recitabimus autem primum caput illud, quod de Cœna Domini est: deinde quis illorum sensus sit in hoc capite, vobis bona fide exponemus.

Quod ad Cœnam attinet, &c.

Iam vos scitis, fratres charissimi, nos nunquam detrectasse subscribere Confessioni Augustanæ: imo semper testificatos esse, secundùm eam & non contra illam sentire atque docuisse. Scitis etiam, cùm examen haberetur D. Massarij & D. Stipitij, Capitulum voluisse Articulorum Concordiæ factæ inter honorificæ memoriæ viros D. Mart. Lutherum & D. Martinum Bucerum esse autoritatem, quam Melchior tamen in eo examine noluit agnoscere. Sed quoniam in ista forma non fit mentio doctrinæ Maiorum nostrorum, hoc est, Præceptorum D. Capitonis, D. Hedionis, D. Buceri, D. Zellij, reuocauimus in memoriam ipsis arbitris, controuersiam inter nos esse de nostrorum præceptorum Confessionibus & doctrina: iccircò nos postulare, vt, quæ in ipsis Articulis concordiæ non satis sunt explicata, nobis liceat illa interpretari secundùm declarationem eorundem Articulorum, factam à D. Bucero, comprobatam à D. Luthero, deinde etiam retractationes Buceri, libros etiam editos à nostris præceptoribus ab anno 36. vsque ad annum 49. cum ea protestatione & testificatione: vt nihil imminutum esse velimus hac exceptione temporis doctrinæ & autoritati eorum, quam doctrinam & ante 36. annum tradiderunt, & post obitum D. Buceri retinuerunt & defenderunt. Huius autem nostræ siue exceptionis, siue petitionis, siue declarationis epistolam misimus ad arbitros quatuor Theologos D. Iacobum Andreæ, Cunmannum Flinsbachium, Simonem Sulcerum, & Huldricum Coccium: quæ vobis recitabitur.

Hanc formulam subscribendam, &c.

Simulac scriptum istud per D. Conr. Hubertum ad suprà nominatos arbitros Pastores misi, atque ipsi viderunt, miserunt ad me D. Iac. Andreæ, & Sim. Sulcerum: & responderunt suo & aliorum nomine: Quoniam ego postulaui, vt hoc nostrum scriptum subiiceretur illorum formulæ: respondere se suo & aliorum nomine libenter nobis concedere interpretationem Articulorum secundùm doctrinam Ecclesiæ Argentinensis & nostrorum præceptorum, quæ apparet in declaratione, Retractationibus, Confessionibus, libris, cum illa etiam testificatione: quod neque ipsi velint quidquam derogatum esse hac formula Confessioni fidei, & religioni nostri Magistratus & Maiorum nostrorum. Et id non solùm tùm mihi responderunt: verùm idem heri & nudiustertiùs iterarunt, & hodie confirmarunt, præsente D. Hieronymo Zanchio & Theobaldo Theodorico Quæstore nostro: atque nobis permiserunt, vt hæc in Acta referremus. Illud etiam præterea promiserunt, quoties opus nobis erit, testimonio suo testes nobis adfore harum rerum omnium. Et quod de Cœna Domini concesserunt: idem etiam de Prædestinatione absque vlla exceptione, quæ est ista:

De Prædestinatione. *Quæcunque scripta sunt: ad nostram vtilitatem scripta sunt, &c.*

Charissimi fratres: quoniam illa superiora nobis conceduntur, quæ nobis concedi semper contendimus: & quoniam hanc formulam iudico consentaneam esse veritati sacrarum literarum, & accommodatam ad pacandas conscientias, & fortem contra oppugnatores gratiæ, & acrem contra solutionem vitæ, & omnem epicureismum: promisi, me subscripturum, præsertim cùm scirem, maximam vestri partem eosdem propensos habere animos: iccircò mea sententia est, si hæc mea sententia vobis placebit, primùm vt gratias agamus Domino Deo Patri per filium suum Dominum nostrum Iesum Christum, quod nos hac cribratione diaboli & vexatione dissidij liberarit: deinde & in animis nostris confirmemus eam obedientiam erga Magistratum nostrum, quam à nobis requirit ipsa iustitia, & quam vltrò præstare deberemus: tum etiam vt gratias agamus arbitris, viris doctis & bonis Theologis, atque talibus, quales esse deprehendimus, quos ego fateor studio bono, animo candido & sincero in Actis cognoscendis versatos esse. Peto etiam à vobis, vt hæc quæ dixi atque dictaui in Acta referantur: eadémque ipsis arbitris ostendantur, si vobis placebit, propter posteritatem & veritatis testificationem.

Zanchij Responsio.

1. Placuerunt ei dictata. 2. Gratias egit D. Præposito & Capitulo pro defensione in hac causa per biennium: gratum se fore promisit pro hoc beneficio.

3. Quod ad controuersiam: dixit, se non fuisse autorem: se fuisse patientissimum: petiisse concordiam & colloquium: nullam neglexisse rationem componendi dissidij. 4. Arbitris vocatis, pro sua diligentia egit gratias: dixit, se lætatum fuisse illorum aduentu: placuisse sibi ipsorum rationem, quam ingressi fuerunt in componenda controuersia: ipsos testimonium sibi dedisse non malæ doctrinæ, dixisse etiam: partem aduersam admittere doctrinam Augustini, Lutheri & Buceri de Prædestinatione & Perseuerantia: de Cœna verò sibi concessisse, vt doceat, secundùm Augustanam Confessionem, iuxta explicationes & scripta Buceri, ab anno 36. vsque ad discessum in Angliam. Idque factum esse in ædibus Domini Rectoris: magno se inde affectum fuisse gaudio: suum gaudium Pastori Ecclesiæ Gallicanæ indicasse. 5. Articulos Concordiæ sibi fuisse oblatos, perfunctoriè eos perlegisse: animaduertisse positos esse, qui pugnent ex diametro cum iis, quæ sibi fuerant obiecta per calumniam, cùm tamen de his nō fuerit instituta controuersia: Hinc se conclusisse: cùm omnibus constet, contraria sibi obiecta esse: omnes inde illaturos, Zanchium ita docuisse: & iam, si subscribat, se videri resipuisse: displicuisse ergo, quod non positi sint Articuli controuersi: hinc sibi multas oborras fuisse suspiciones. Ideo se grauatum fuisse iis subscribere. Postea sibi fuisse secundò exhibitos, sed non concessos ad diligentem examinationem. Fassus tamen sum, quantum ex illa perfunctoria lectione potui colligere: nihil impij in illis contineri: & propterea me non grauari iis subscribere, quantum ad doctrinam attinet: non autem quatenus me alligaret nouæ formulæ, secundùm quam debeam docere. Graue etiam mihi videtur, quod, cùm Marbachius sæpè mihi obiecit: me fecisse contra meum chirographum: idem mihi iam posse euenire, si iterum subscriberem. Heri vocatus fui à Dominis arbitris: & cùm interrogatus essem ab iis, quæ esset mea sententia: Ego priùs consultis aliis bonis amicis, dixi: me non posse subscribere: nisi priùs mihi exhiberent exemplum Articulorum: vt eos diligenter examinarem. Dicebant: nos dabimus tibi: vt hic legas. Respondi: non satis mihi esse: sed me quoque petere exemplum, quod possim semper apud me habere: vt queam contra calumniatores eo me defendere. Rursum mihi fuit communicatum exemplum per noctem: nihil deprehendi impij: deprehendi admodum pauca, nec magni momenti, quæ possent emendari aut addendo aut demendo. Accessi manè Arbitros: quædam ex illis indicaui: vt de vocabulo SERIO: item de particula, ***Deum non velle peccatum.*** Dominus Sulcerus non improbauit ista, quæ admonueram. Interim iussit me se exspectare in domo Domini Præpositi. Venerunt eò

circa horam nonam. Dixi me subscripturum quibusdam conditionibus,& probaturum hanc doctrinam quæ continetur in istis Articulis tanquam consentaneis sacris literis:sed cum hac Protestatione : I. me doctrinam huic contrariam nunquam in hac Schola tradidisse.

II. ne hac mea subscriptione derogaretur quidquam meæ doctrinæ aut meis lectionibus. III. Ne quidquam derogaretur meis Confessionibus de tribus Articulis,quas ipsis exhibui. Causa huius protestationis est: I. Quia doctrina mea nondum est iudicata vtrum vera sit an falsa. Vt ergo mea existimatio & doctrina maneret integra, hæc volui iis dicere. II. De Cœna dixi, vtile esse mentionem fieri explicationis Martini Buceri & Confessionum huius Reipubl. Quod ad causam ipsorum attinet, quam obiecerunt, cur non fecerint: dixi, hanc Concordiam non pertinere ad omnes Ecclesias Germaniæ, sed tantùm huius esse Ecclesiæ, idque primùm ad tollendam omnem occasionem dissidiorum imposterum:deinde propter existimationem huius Reipubl.quia sparsum fuit,nostros Dominos recessisse à sua Confessione: tertiò ad tollendam suspicionem, Confessiones huius Reipubl. non esse consentaneas Confessioni Principum. Sed isti recusarunt: Ego perij, vt mihi liceret in mea subscriptione eius rei facere mentionem: sed noluerunt mihi hoc concedere. Ego dixi: mihi non integrum esse subscribere simpliciter absque conditionibus.

D. Præpositus.

Est ita,vt D. Zanchius exposuit. Sed quod ad me attinet:ego non puto esse necessarium. Non video, quid sit discriminis inter simplicem subscriptionem & hanc Capituli confirmationem. Capitulum est perpetuum: propterea perpetuò potest D.Zanchius habere huius testimonium. Et quanquam ego sum senex: sunt tamen aliqui ex nobis iuuenes. Videtur mihi parum æquum esse,vt propter rem paruam, occasionem demus abrumpendi dissidij: & vt aliquis deberet cum ignominia, ne quid durius dicam,discedere. Tu D.Zanchi vis tuæ conscientiæ satisfacere,& lædere plurimorum conscientias: præterea ruinam Ecclesiæ Gallicanæ adferre.

D. Zanchius.

Sola mea conscientia facit, vt non possim: nulla adducor gloriolæ cupiditate.

D. Conradus.

Charissimi Collegæ: nihil magis cuperem, quàm vt ab omnibus nobis ea fierent,quæ ad gloriam Dei pertinent. Graue est,præscribere aliorum conscientiis. Quod verò ad ipsam causam attinet: puto, ista debere satisfacere D.Zanchio,quæ dictata & scripta sunt.

D. Quæstor.

Notum est: in quibus angustiis per biennium versati simus. Duplex fuit semper nobis finis propositus. I. vt salua esset Maiorum nostrorum autoritas. II. vt posteri nostri liberi essent à similibus vexationibus. Cùm ergo videam, hos fines nobis iam offerri ab arbitris per hanc concordiæ formulam: primùm Deo ago gratias pro hoc bono. Deinde non grauor illi formulæ subscribere. III. si locus est precibus apud D. Zanchium, peterem, vt etiam subscriberet: maximè cùm nos semper habiturus sit testes.

D. Massarius.

Video: D. Zanchium obtinere hac formula Concordiæ id quod sæpe expetiuit. Ideò miror,ipsum grauari. Ego libenter subscribam.

D. Bitnerus.

Ego probo Articulos Concordiæ: quia consentanei sunt S.literis: & video à vobis etiam, qui eos examinastis, pios iudicari. Propterea miror, D. Zanchium grauari.

D. Hertelius.

Ego primùm Deo gratias ago, quod tandem res eò deducta est. Deinde ago gratias Dominis arbitris. Tertiò, quia iudico illos articulos consentaneos esse sacris literis,libenter subscripturus sum.

D.Zanchij Protestatio.

Ego protestor: me non detrectare illis Articulis subscribere,quatenus ad doctrinam ipsam attinet, si habeat æquum interpretem: sed me recusare subscribere simpliciter sine vlla protestatione quam indicaui: nempè ne quidpiam mea subscriptione derogetur meis lectionibus,Confessionibus,& testimoniis,quæ ab Academiis attuli: idque non propter meam gloriolam facio, sed propter conscientiam.

D. Rector.

Audiui vestras sententias: & quanquam in vna parte magno gaudio affectus sum, quod parati estis libenter subscribere huic formulæ:tamen dolor ex altera parte gaudium istud æquiparat: quod Collega & frater noster & amicus meus D. Zanchius recusat subscribere: propterea quod illi non permittatur subscribere huic formulæ, nisi hac exceptione addita, vt hæc subscriptio nihil diminuat doctrinæ suæ traditæ in Prælectionibus, supplicatione & Confessione. Rogo ego Doct. Zanchium vt quoniam videt, illud impetrari non posse ab arbitris: primùm quia illud permittendum esset parti aduersæ: deinde offendere posset principes & Ecclesias Saxonicas, qui de D. Zanchij doctrina audiuerunt secus quàm sese res habeat:rogo eum, vt contentus sit pro hoc tempore:si Capitulum hanc suam exceptionem ita excipiat: quatenus suam doctrinam semper paratus sit defendere secundùm doctrinam Maiorum nostrorum,si iusta daretur ei occasio & causa ab aduersariis suis:id si fieret, Capitulum fortassis paratum erit semper ei testimonium dare hac se exceptione subscripsisse. Qua de re rogabo sententias: si Capitulo videbitur.

QVO PACTO DOCTOR *Zanchius suprà positæ formulæ Concordiæ subscripserit,& totum dissidium fuerit sublatum.*

Decimo octauo die Martij,Anni 63. Cognitores controuersiæ inter Pastores Argentinenses, & me atque Professores,post lecta omnia Acta, venerunt in Senatum:& suum arbitrium, seu iudicium ad eum detulerunt. Cùm omnia (vt audiui ex D. Botshemio) retulissent:Doct.Petrus Sturminus coram toto Senatu, XIII. XV.& XXI.Viris dixit: Vbi nunc tot tantæque hæreses, quæ obiiciebantur Zanchio?

Eodem die hora quarta venimus omnes ad Compositores in eorum ædes. Proposita hîc fuit formula concordiæ,hoc est, articuli quidam de Prædestinatione: & vt de Cœna Domini doceatur, ex verbo Dei, iuxta Confessionem Augustanam, Apologiámque,nuper Naumburgi à Principibus Imperij subscriptam.

Cùm ad me fuit ventum: primùm egi gratias Deo, quod postquam permisit nos biennium variis agitari fluctibus in hoc ceu pelago dissidij,tandem misertus nostri,portum aliquem salutis, atque concordiæ præmonstret. Deinde ipsis Illustriss. Principibus VVirtembergico & Bipontino,Magnificóque Senatui Basiliensi, quod vt gratificarentur nostro Magistratui, miserint tales ac tantos viros ad tollenda dissidia nostra & concordiam faciendam. Tertiò ipsis Legatis pro labore & diligentia, quam hucusque impenderint in hac controuersia componenda. Quartò, ipsi ampliss. Magistratui nostro,pro molestiis,laboribus,quos nostra causa biennium pertulerit,& pro studio,atque cura,quam adhibuerit, vt tandem concordia fieret, tollerentur scandala, veritas doctrinæ locum haberet in Schola & Ecclesia, denique vt Dei gloria, atque religio vindicetur.

Ad propositam verò Concordiæ formulam sic respódi:Me eos articulos ter legisse. Bis quidem perfunctoriè,quod per otium non vacaret perlegere: tamen nihil me reperisse, quod, nisi à falsis interpretibus corrumpatur, pugnet cum sacris literis. Iterum verò perlegisse & perpendisse: & tandem confirmatum fuisse in eadem sententia. Me itaque bona conscientia posse illis subscribere

scribere, & subscripturum: sed cum his protestationibus. I. Me nolle, vt hac meâ subscriptione quidpiam derogetur aut præiudicetur aliis Ecclesiis & Academiis, ideóque ipsi veritati. II. Vt nihil etiam derogetur aut præiudicetur tali doctrinæ, quam hîc per decennium docui, prout exstat in meis lectionibus, disputationibus, & Confessionibus, ac supplicatione, Dominis meis exhibitis. III. Vt mihi liceat cùm hos articulos Concordiæ propositos, tùm Augustanam Confessionem & Apologiam, & Articulos Concordiæ inter Lutherum atque Bucerum, interpretari iuxta lapidem lydium sacrarum Scripturarum, item doctrinam Augustini, Lutheri, Buceri & Confessiones huius ciuitatis: omnia autem mea subiicere semper iudicio Ecclesiæ & doctorum virorum.

Cùm essemus egressi, inferiùs descendit ad me Coccius, rogauitque, ne longam facerem subscriptionem. Promisi me non subscripturum protestationem vllam aut exceptionem.

Cùm rediissemus superiùs, vocatus ego: coram omnibus D. Iacobus Andreæ dixit de Protestationib. meis quædam. Respondi: me non vsum fuisse verbo illo, nisi vt Theologum & hominem simplicem, nō vt Iurisperitos: idque feci, vt, cùm ego fuerim accusatus hæreseos, & nondum essem conuictus, neque ipsi Domini Compositores, qui legerunt omnia & me audierunt, vllius me erroris admonuerint: hac protestatione significarem, me esse innocentem, & doctrinam, quam docui, est Iesu Christi.

Cùm postea ventum est ad subscriptionem ita subscripsi: Hanc doctrinæ formulam, vt piam agnosco: ita etiam recipio. Ego Hieronymus Zanchius.

Iussi fuimus redire die insequenti hora 7.

Decima nona die Martij eiusdem anni rediimus horâ septimâ manè. primùm seorsim actum est cum Pastoribus: deinde cum Professoribus. Verba faciebat D. Sulcerus. Summa fuit: vt sicut subscripsimus formulæ doctrinæ: ita etiam nunc condonemus omnia maledicta & iniurias, & in vtriusque rei testimonium demus manus. Respondit Sturmius omnium nomine: Ego tùm subieci Primum quæ dicta à D. Sturmio fuissent, ea me confirmare. Deinde hæc adiicere: Scire me, eos hortari nos ad Concordiā non contra Dominū, sed in Domino: cùm & ipsi sint viri Dei: Concordiam autem in Domino tùm fieri, cùm primùm fit ex spiritu Domini, bonâ scil. conscientiâ, sincero corde, deinde cùm fit propter Dominū, h. e. in eius laudem, gloriam, postremò cum fit cum consensione in eandē doctrinā & religionem Dei.

Quò ad duo priora: me coram Deo testari, quod ex animo condonem: & omnia propter gloriam Dei agā, & vtilitatē Scholæ. Quod ad consensionē in doctrinam, ea in præsenti triplex est. I. est doctrina formulæ, quam proposuistis. Ea nunquam fuit controuersa. In eā igitur quia semel consensimus: ideò non est opus alia confirmatione. II. doctrina controuersa, quæ continetur illis articulis, quos D. Marbachius damnauit partim nouitatis, partim hæreseos. Ego verò contendi & contendo, doctrinam esse veterem & orthodoxam: ideóque me nō fuisse perturbatorem Scholæ. In hanc nondum consensum est. Sine consensione autē in doctrinā totam Iesu Christi ad salutē necessariam, non potest fieri aut perdurare cōcordia. Hîc D. Sulcerus intercepit. Domine, Nos hæc omnia nouimus, non est opus ea repetere. Tātùm quærimus nunc, vt & iniuriarū fiat ἀμνηστία. & Consensio in formulā doctrinæ, quā vtēdum est in Schola & Ecclesia, datis dexteris confirmetur. Nil præterea.

Ioannes Sturmius me cœpit arguere, quod interturbarem omnia. Respondebam, me non posse per conscientiam dare manum, nisi priùs constet de consensione doctrinæ, sicut Ioannes docet. Ille acriter obiurgare, sed conscientiam non placabat.

Iussi accersi D. Sulcerum. Is mox intellexit scrupulū conscientiæ meæ, ita verò abstulit. in duos tantum fines dandæ sunt dexteræ. I. in testimonium, ἀμνηστίας iniuriarū. II. in confirmationem subscriptionis formulæ doctrinæ. De reliquis cōtrouersis articulis nil hîc agi: quod nō venerint iudicatum, sed compositum controuersiam.

Ita conscientiā pacatā rediimus in hypocaustum. Et commutatis aliquot amicis verbis dedimus manus.

Quæ verò hanc qualemcunque compositionem subsequuta sint, ea in primo Miscel. tom. in Epist. ad Landgrauium, prolixè exponuntur, quo etiam lectorem remittimus.

HIER. ZANCHII,

Cùm post compositum vtcunque dissidium, iterum ingressurus esset Scholam, legendi gratia, oratio,

1563.

ANnus agitur tertius, id quod non sine dolore commemoro, optimi auditores, ex quo in hac Scholâ (vt scitis) neque docui, neque disputaui. Huius verò intermissi officij culpa neque in Amplis. Senatum, neque in clariss. Dominos Scholarchas, transferenda est. Neque enim aut ille mihi (vt multi falsò putarunt) toto dissidij tempore lectione interdixit: aut isti eam interdicendam curarunt. Ergo ego meapte sponte, quanquam non sine grauissimis causis, officium meum intermisi.

Verùm enim verò illud vos rogatos velim, auditores, ne vllo modo existimetis, me idcircò nunquam totum hunc sesquitertium annum, in Scholam ad officium meum nisi nunc primùm reuertisse, quod aut nullo, aut perexiguo erga vos affectus fuerim amore. Nam quantus ille sit, fueritq. semper ab eo tempore, quo ad hanc functionem vocatus fui, etsi non pauca, eáque minimè obscura habuistis testimonia: tamen hinc etiam colligere facilè potestis, quod, licet multæ, illæq. honorificæ conditiones, tam in Germania, quam extra Germaniā, non semel & iterum oblatæ mihi fuerint: Scholam tamen hanc deserere nunquam volui, & per hanc meam erga vos optimam voluntatem non potui. Amaui enim & amo, non vulgariter, & Scholā, & Collegas, & totam vrbem. Atque hic vnus amor effecit, vt etiam nunc in Scholam redierim, alioqui fortassis nūquam rediturus, nisi amor Christi imprimis, deinde etiam vestri, redire me compulisset. Ergo de mea erga vos bona voluntate, sinceróque amore, dubitare minimè debetis.

Spero autem, Dei beneficio, quidquid hucusque intermissum est officij, illud maiori posthac sedulitate ac diligentia à nobis cum fœnore etiam, compensatum iri. Sum enim Mosen, omnium Scriptorum tam prophanorum, quàm Ecclesiasticorum, vt antiquissimum, ita etiam optimum, & omnium Scripturarum sicut ianuam sic etiam clauem, ea (vt spero) diligentia simul & celeritate interpretaturus, vt & nihil sim, quod aut explicatione opus habeat, aut obseruatione dignùm sit omissurus: & in eo tamen non sim diu immoraturus. idque vestra tantùm causâ, vt scilicet maiorem in studiis vestris progressum facere possitis.

Cæterùm antequam aggrediar quod institui duobus hominum generibus, pro defensione Ministerij non tam mei, quàm aliorum etiam omnium collegarum meorum, breuiter respondere operæ precium est. Est enim Ministris verbi, sui semper Ministerij dignitas, ab omnium calumniis vindicanda: idque non tam propter nostram existimationem, quàm propter ipsam Ministerij functionem, vt scilicet verbum à nobis vel in Schola explicatum, vel in templis prædicatum, libentiùs, attentiúsque ab auditoribus audiatur, & maiori cùm fructu recipiatur & retineatur. Hac de causa, Paulus frequentissimus fuit in defendenda sui Apostolatus dignitate: quod alioqui contempto, aut alia ratione periclitato suo Apostolatu, periculum quoque fuisset, ne ipsum etiam Christi Euangelium, ab se prædicatum, contemneretur & reiiceretur. Suo certè exemplo, quid nobis quoque faciendum sit, cùm talis necessitas postulat, docuit.

Ministerij dignitas semper vindicāda.

Sunt igitur, qui, quoniam viderunt, quædam inter nos nata fuisse & biennium durasse dissidia, ita offensi fuerunt, vt ipsa quoque nostri ministerij dignitas atque autoritas, non parùm apud ipsos obscurata atque imminuta esse videatur.

Sunt alii, qui nostram non probent consensionem.

Est igitur hîc mihi omnium nostrum existimatio, & Ministerii nostri dignitas, tùm alias ob causas, tùm præsertim propter honorem & famam nostræ Scholæ, asserenda.

Ac primùm, quod quædā inter nos orta sint dissidia, dolendum quidem est, & quidem vehemēter dolendū: tùm quia dissidia autorem habent Satanam, & pugnant cum lege Dei: tùm quia multa secum trahunt non in-

commoda solùm, atque damna, sed etiam flagitia. Nam iis irritatur mirû in modum Deus; offenditur proximus: inflammantur diffidentium animi, ad simultates, ad odia, ad calumnias, ad conuitia, ad contumelias, ad iniurias, denique ad ipsam sæpenumerò aduersariorum necem, si non inferendam, saltem optandam. Ex odio verò personarum, sæpè veritas etiam agnita oppugnatur, veteres errores defenduntur, noui fabricantur, sectæ excitantur, Magistratus perturbantur, Scholæ dissipantur, Ecclesiæ conuelluntur, ciuitates euertuntur; denique Satanas exsultat, Antichristus triumphat, Christus & Euangelium blasphematur. Quis vel dicendo vel etiam cogitando possit assequi, quot & quanta mala ex dissidiis nostris, præsertim Theologorum, in totam Christi Ecclesiam deriuentur? Vehementer igitur dolendum est, oriri inter Christianos, præsertim verò inter Doctores Ecclesiæ, vllius generis contentiones. Proinde sunt huc omnes vires atque nerui, piis omnibus, atque inprimis Magistratibus intendendi, ne sinant in Ecclesiis & Scholis dissidia aut oriri, aut orta & nata foueri atque augeri. *Ne sint* inquit Apostolus, *inter vos schismata*. Et iterum: *Quod si inuicem mordetis & comeditis, videte, ne ab inuicem consumamini*. Et ad Corinthios, *Cùm sint inter vos æmulatio & contentio, nónne homines estis, nónne carnales estis?* Apostolus hic aperte indicat, vnde dissidia & sectæ in Ecclesia. Vndenam? Inde quod homines sumus, quod carnales sumus, & indulgemus nimirùm nostris affectibus. Item inde: quod non continemus nos in verbo Dei: sed illo quasi iam neglecto, vnus dicit, Ego sum Pauli, alter, ego Apollo, alius, Ego Cephæ.

Ex dissidiis quanta mala oriantur.

1. Cor. 1. 18. Gal. 5. 15. 1. Cor. 3. 3.

Cæterùm etsi probanda nunquam sunt dissidia, præsertim quę inter Doctores, Pastorésque Ecclesiæ, de religione agitantur: non ita tamen nos offendi illis debemus, vt propterea aliquid de solita, debitáque erga illos & illorum ministerium, reuerentia, fide, amore, accidamus: præsertim cùm & ea, quæ controuertuntur, non sunt è numero illorum, quæ maximè ad salutem sunt necessaria: & ij qui contendunt, studio veritatis adducti contendunt, & ideo contendût, quòd putent sese bonam defendere causam, parati semper cedere veritati. Neque enim res noua est, quod id genus dissensiones in Ecclesia subinde inter doctores nascantur. Etenim iamínde ab initio nascentis Ecclesiæ, singulis temporibus non leues fuerunt inter Sanctos etiam Episcopos atque Doctores, contentiones, lites, altercationes; neque tamen eam ob causam, suam in Ecclesia autoritatem apud fideles prorsus amiserunt. Non leue certè dissidium fuit inter Apostolos vna ex parte, & alios multos doctos fratres ex altera: de circumcisione & ritibus Mosaicis. Hi enim contendebant, Gentiles quoque qui ad gratiam Euangelii admittebantur, debere circumcidi, & subiici legi Mosis, sicut & Iudæi, tum quòd non possent iustificari (de istorum sententia) nisi etiam circumciderentur & legi Mosis subiicerentur: tû quod æquum non esset, vt inter Christianos vlla esset diuersitas vel in doctrina, vel etiam in ceremoniis. Cùm itaque inter eos qui erant ex circumcisione, & inter eos qui erant ex Gentibus, consensio esset in doctrina Euangelii: debere etiam esse Consensionem in obseruatione legis Mosaicæ. Fuerat hoc speciosum argumentum, à consensione & conformitate ductum, vt inter omnes Christianos esset idem in doctrina & ceremoniis consensus. Apostoli contra demonstrabant, neque necessariam esse legis obseruationem ad iustificationem (sola enim fide homines iustificari) neque æquum esse, vt Gentes ad circumcisionem, legísque Mosaicæ obseruationem adigerentur: quod hæc seruitus pugnaret cum gratia & libertate Euangelii. Compositum tandem fuit dissidium Hierosolymis: sed ita, vt Apostoli aliquid etiam concordiæ pacisque causa, aduersæ parti concesserint. Statuerunt enim, idque ex afflatu Spiritus sancti: vt etiam qui erant ex Gentibus, licet legi Mosis per se non essent subiecti, pacis tamen seruandæ gratia, conformiter cum iis qui erant ex circumcisione, abstinerent, non solum à fornicatione & contaminationibus simulacrorum, quæ per se impia erant, sed etiam à sanguine & suffocato.

Dissensiones omni tempore fuere.

Act. 15.

Quale etiam dissidium fuit illud, quod duos cariss. collegas, Paulum & Barnabam à se inuicem disiunxit? Interim sicut Paulus, sic etiam Barnabas, suam in Ecclesia apud fideles semper retinuit existimationem atque autoritatem.

Qualis fuit illa dissensio inter Paulum & Petrum, cùm Petrus indicauit, Christianos & posse cum iis, qui sunt ex Gentibus, gentiliter viuere, hoc est, omni ciborum genere, sine vllo discrimine vesci, & debere cum iis qui sunt ex Iudaismo, iudaizare, hoc est, abstinere à cibis, qui in lege prohibentur: & suo exemplo ita alios facere docuerit: Paulus verò contrà sentiret, nô esse dissimulandam libertatem Christianam, præsertim quando nostra dissimulatione, alij vel in hanc sententiam trahuntur, necessariam esse ceremoniarum legalium obseruationem: vel eam edocti sententiam, in ea etiam confirmantur: ac proinde Petrum in celeberrima ciuitate Antiochia, coram multis fratribus acriter obiurgarit, quod non rectè, iuxta veritatem Euangelij, ambularet? Nunquid propterea in minori deinceps reuerentia habitus fuit Petrus apud fideles, quàm antea haberetur? aut Paulo aliquid decessit de sua existimatione & autoritate: quia ausus fuit cum primario Apostolo Petro contendere? Minime Gentium.

Philippis haud consentiebant inter se concionatores & doctores, in prædicando, docendóque Euangelio, vt apparet ex Epistola ad Philippenses. Interim tamen retinebant omnes suam autoritatem: & Paulus de omnibus illis ait Philipp. 1. *Siue per veritatem*, hoc est, syncerè *siue per occasionem*, hoc est, in speciem: *modò prædicetur Christus: in hoc gaudeo & gaudebo.*

Atque hæc exempla è Scripturis sacris desumta, satis sunto. Venio nunc ad historias Ecclesiasticas.

Inter primitiuæ Ecclesiæ pastores, Episcopos, & Doctores, Apostolorum successores, grauissima fuit contentio de Paschatis festo, eáque durauit in Ecclesia annos propè 200. donec per concilium Nicenum fuit composita. Singuli tamen suam in Ecclesiis retinuerunt autoritatem.

Multæ & graues dissensiones fuerunt inter Patres, qui ad Synodum Nicenam conuenerunt. Nihilominus tamen Constantinus Imperator, omnes ex æquo vocauit Fratres & conseruos, & non minori vnum quàm alium honore affecit: vt videre est in vita Constantini apud Euseb. Cæsariensem.

Euseb. in vita Constant. lib.

De dissidiis multarum Ecclesiarum inter se, non tantùm de Paschatis festo, sed etiam de tempore & ratione ieiuniorum, de ceremoniis circa synaxin, de connubio clericorum, de tempore & ceremoniis circa Baptismum, de precibus Ecclesiasticis, & aliis rebus permultis: legantur historiæ Ecclesiasticæ: & præter alios, Socrates libro 5. cap. 22. Fuerunt interim omnes illæ Ecclesiæ habitæ pro veris Ecclesiis, & sese mutuo honore afficiebant. Nihil in Ecclesia perniciosius, quàm reliquas Ecclesias & reliquos omnes doctores ac ministros, qui nobiscum in omnibus non consentiunt, damnare, adde, & vatiniano nonnunquam odio odisse.

Quæ obsecro pugnæ, qui côflictus fuerût inter Cornelium ac Cyprianum Martyres & Episcopos, cum aliis aliquot Aphricæ Episcopis, vna ex parte, & inter Romanos, totiúsque Italiæ Episcopos ex altera parte, de baptizandis hæreticis: illis contendentibus, hæreticos esse repabtizandos: his verò contrarium demonstrantibus.

Quid dicam de dissidiis inter Epiphanium & Chrysostomum, Cyrillum & Iohannem Antiochenum, Hieronymum & Augustinum, aliósque Patres quamplurimos? Sua tamen cuique mansit salua semper atque integra autoritas in Ecclesia.

Cur nos non sequamur Apostolos, veterem Ecclesiam, antiquos Patres, maiores nostros?

Dolendum igitur est, lugendum, deplorandum omnibus, quædam inter nos fuisse dissidia. Sed non ita offendi vos debetis, auditores, vt propterea abiicienda sit vobis ea, qua soliti fuistis & debetis prosequi vestros præceptores ac pastores, obseruantia: amor, reuerentia, fides. Nam si hæc à vestris animis absint, aût nihil aut parùm poteritis in vestris studiis, illorum lectionibus iuuari.

Nobis verò Professoribus atque pastoribus, vitandæ semper sunt dissensiones, colendáque, quoad fieri potest, pia in rebus omnibus consensio, vt idem dicamus omnes, sicut hortatur Apostolus. Sed si fortè, quod auertat Dominus, contingat, vt aliquibus in rebus, vt fieri solet, non vsquequaque conueniamus, id quod ipsis quoque Apostolis, sanctissimis Episcopis & excellentissimis Ecclesiæ doctoribus, omnibus temporibus contigisse, anteà vidimus; non debemus propterea facere schis-

re schismata, alij alios damnare, odisse, exsecrari, traducere: atque ita nos & nostrum ministerium perpetuo exponere ludibrio: præsertim cùm nobis omnibus, idē maneat, firmúmque stet fundamentum: & omnes super illud ædificemus, quod fundamentum est, vt Apostolus docet, Dominus Iesus Christus & eius Euangelium. Tantùm quisque videat, vt inquit idem Apostolus, quid superædificet: ne scilicet adferamus ad hoc fundamētum, stipulam, ligna, fœnum, hoc est, nostras aut aliorum hominum, quæ apertum testimonium non habent ex verbo Dei, phantasias Ignis enim diuini iudicij cuiusque opus, quale sit, tandem probabit: ipse autem saluus quidem fiet: sed sic tamen, vt quasi per ignem, h.e. si per ignē probat*, firmus persliterit in fundamēto.

Regulæ ad vnitatem Ecclesiarum conseruandam necessariæ.

Duæ itaque regulæ videntur mihi esse seruandæ, si velimus vnitatem Ecclesiarum confirmare, ipsásque vitare schismata. Vna regula est fidei: altera, caritatis. Alterutra enim neglecta, statim excitantur dissensiones, & ex dissensionibus schismata oriuntur.

Prima itaque regula, seruandæ inter nos consensionis est, vt quisque se contineat intra metas verbi Dei: nec se alterius esse discipulum profiteatur, quàm Christi: nullámque aliam doctrinam sibi sequendam proponat, quàm verbum Dei, in sacris literis expressum: hoc est, vt non aliter loquatur, quàm loquitur verbum Dei: nec alia tradat dogmata, quàm quæ apertè traduntur in sacris literis: sed sequantur omnes & verba & res sacrarum literarum. Hoc enim vt faciamus postulat fides, quam profitemur, in Christum: cùm fides sit ex auditu, auditus autem tantùm per verbum Christi. Proinde regulam fidei appello.

Regula fidei.

Rom. 10.

Quàm hæc sit necessaria.

Quantum hæc regula sit necessaria, inde liquidò apparet: quia videmus, omnes in religione dissēsiones, inde semper suum habuisse initium, quod Ecclesiæ doctores & alij homines, nimium delectati vel suis, vel alienis excogitatis, paulatim incœperunt à verbo Dei, hoc est, primùm à locutionibus Scripturarum, deinde à rebus etiam ipsis: ad humanas phrases, & inde ad humana dogmata deflectere. Inter homines autem, cùm tot sint sententiæ, quot capita, & sua cuique placeant; necesse est, vt cumprimùm cœperint ab vnitate verbi Dei recedere, non solùm fiat schisma ab illis qui se continent in verbo Dei: sed etiam vt inter eos qui à verbo deflexerunt, variæ oriantur dissensiones & sectæ. Hoc ita sese habere, cum per se satis sit perspicuum: historiæ etiam non solùm veteres, sed etiam nouæ, & exempla nostri temporis confirmant. Vnde, obsecro, altercationes in Ecclesia temporibus Apostolorum, inter Christianos qui ex circumcisione, & inter eos qui erant ex Gentibus, nisi hinc, quod vel neutra pars, vel saltem alterutra non se continebat in puritate Euangelij? sed & Iudæi ad suas ceremonias: & multi ex Gentibus, ad suam aliquando philosophiam diuertebant. Vnde contentiones inter Corinthios? Apostolus apertè docet: quia scilicet paulatim ab vnitate Euangelij declinantes, alius dicebat, Ego sum Pauli: alius, ego Apollo: alius, ego verò Cephæ: alius, ego autem Christi. Iccirco eos hortatur Apostolus non solùm, vt eiusdem sint mentis & sententiæ: sed etiam eodem vtantur sermone: *Obsecro*, inquit, *vos fratres per nomen Domini nostri Iesu Christi, vt idem loquamini omnes: & non sint inter vos dissidia: sed sitis integrū corpus, eadē mēte, & eadē sententia.* Tria iubet Apostolus, quibus vera vnitas Ecclesiæ constat. I. vt idē loquamur omnes. Hic est consensus in sermone & forma dicendi. II. Vt simus eadē mente. Hic est consensus in doctrina & intelligentia Scripturarum. Vt simus etiam eadem sententia γνώμῃ. Hic est consensus in voluntatibus & studiis per caritatem. Docet igitur Paulus, tunc constare vnitatem Ecclesiæ, cùm non solùm simus eiusdem sententiæ & voluntatis per caritatem: sed eiusdem inprimis simus mētis in doctrina Apostolica: & eodē etiam sermone, formáque dicendi Apostolica vtimur. Contrà, inde oriri dissidia & schismata, cùm incipimus & animis ab inuicem alienari, & à doctrina & formis dicendi Apostolicis vel minimum deflectere. Nec sine causa Apostolus priori loco iubet, vt idem non tantùm sentiamus, sed etiam loquamur omnes. Etsi enim primò requiritur consensus mentis in doctrina: causa tamen proxima dissidiorum est, cum diuersis vtimur locutionibus: & fit, vt licet consensus sit in reipsa: tamen si variis vtamur dicendi formis, mox dissidia, hoc est λογομαχίαι excitentur. λογομαχίαι verò, sæpenumerò veras etiam αἱρέσεις gignūt: quia dùm suas quisque defendere vult locutiones, fit, vt etiam mutet

1. Cor. 1. v. 10.

sententiam. Atque hoc vnum perdit Ecclesias nostras. Prima itaque regula seruandæ vnitatis, & vitandorum dissidiorum in Ecclesia est regula fidei. vt scilicet contineamus nos in eadem Apostolica cùm doctrina, tùm forma dicendi.

Altera regula, est regula caritatis: nempè vt ita nos mutuò diligamus, vt etiamsi alter ab altero aliqua in re dissideat, sed quæ non conuellat fundamentum: illum tamen per caritatem feramus: Deum fortassis effecturum, vt alias intelligat, id quod fortè nunc non potest percipere.

Regula charitatis.

Hanc regulam tradit Apostolus, non solùm loco superiùs citato ex 1. Corint. 1. sed alibi quoque sæpius. Galatas etiam, inter quos fuerant dissensiones, postquam ad consensionem in eadem Apostolica doctrina hortatus fuisset, quæ est regula fidei: adiecit aliam regulam caritatis qua cauerentur omnia dissidia: dicens, *Per caritatem seruite vobis inuicem. Nam tota lex in vno verbo completur. Diliges proximum tuum, sicut teipsum. Quod si inuicem mordetis & comeditis: videte ne ab inuicē consumamini.* Et ad Philipp.: *Quotquot igitur perfecti sumus: hoc sentiamus. Quod si quid aliter sentitis: hoc quoque Deus vobis reuelabit.* Attamen ad id quod assecuti sumus: eadem procedamus regula, vt simus concordes. Hanc eandem regulam vbique inculcat Augustinus, & sic legit: *Quòd si quod aliter sapitis: Deus quoque reuelabit: modò in eo in quod peruenimus permaneamus.*

Gal. 5. 13.

Ac profectò mihi videtur hæc regula seruandæ inter nos consensionis, optima: nempè, vt si fortè aliqua in re frater à fratre dissideat, illum feramus, & nos inuicem toleremus. Nam si propter quamlibet dissensionem, incipiamus nos inuicem mordere atque exedere: metuēdum est, ne tandem (vt inquit Apostolus) ab inuicem alius ab alio consumamur. Mutuis enim criminationibus animi magis exacerbantur: ij verò exacerbati, odisse incipiunt: odio autē excæcantur: *Qui odit fratrem, in tenebris est*, inquit Iohannes, *& in tenebris ambulat*, excæcati verò, & veritatē impugnant, & defendunt innumeros errores. Cæci enim lucem dicunt tenebras, & tenebras lucem: vt loquitur Iesaias. Ita fit, vt ij tandem ipsum quoque fundamentū, quantum in ipsis est, conuellant. Nihil igitur salutarius ad vnitatem in Ecclesiis atque Scholis conseruandam, quàm vt primùm fide retineamus firmum fundamentum: deinde caritate nos inuicem, etiam aliqua in re dissentientes toleremus: & si quid aliter sapiamus, Deus id quoque reuelabit: (vt ait Apostolus) modò in eo in quod peruenimus maneamus, hoc est, in fide ac caritate. Apostolus comparat dilectionem vinculis seu circulis, quibus dolia constringuntur: cùm ait in Epistola ad Philipp. *Dilectionem esse vinculum perfectionis*, hoc est, coagmentationis Ecclesiæ. Dū illi circuli manent integri: periculum non est, vt vinum effluat. Si frangantur: actum est de vino. Corpus Ecclesiæ retinetur & cōseruatur integrum, ne diffluat, néve scindatur in partes, vinculo caritatis. Quòd si hæc absit: scinditur Ecclesiæ vnitas. Sic etiam hunc locum Apostoli interpretatus fuit honorificæ memoriæ, déque Ecclesia Christi optimè meritus Philippus Melanchthon in Epistolam ad Coloss. Ipsius verba, quia perpulchra sunt, non grauabor recitare. *Dilectio est vinculum perfectionis. Vocabulum perfectionis hic non intelligatur priuata perfectio vnius personæ, seu perfecta impletio legis: Sed intelligatur corporis Ecclesiæ coagmentatio, seu cōiunctionis & concordiæ conseruatio. Dilectio est vinculum coagmentationis Ecclesiæ, id est, donec retinent doctores dilectionem, etiamsi interdum accidit, vt aliud alteri videatur: tamen non mox dilaceratur Ecclesia, sed docti tolerant infirmiores, & placidè student sanare, & rursus infirmiores non grauatim audiunt alios doctores, sicut modesti filij senes parentes, sicut dicitur: ἀκεσταὶ φρένες ἐσθλῶν, id est, sanabiles sunt animi bonorum.*

1 Ioh. 2. 11.

Dissidia quo modo vitari possint.

Vitemus igitur dissidia omnia, fratres. Quod vt possimus assequi, primùm contineamus nos intra metas sacrarum literarum, vt idem quod Apostoli docuerunt, sentiamus: & idem etiam quod Apostoli, loquamur: & consensus nobis sit cum Apostolis non solùm in doctrina, sed etiam in sermone & forma dicendi. Deinde mutuam inter nos dilectionem, eámque Christianam colamus: atque ita colamus, vt corporis Ecclesiæ cōseruandi gratia, nos inuicem licet aliqua in re dissentientes, feramus. Neque quæramus gloriam nostram, sed Dei: alioqui si hac neglecta, de nostra tantùm simus solliciti, argumento est, nos non verè credere in Christum. *Quomodo enim*, dicebat Dominus Iesus ad

Ioh.5.44. Pharisæos, *poteſtis credere : qui gloriam ab inuicem quæ-*
ritis? & gloriam quæ à ſolo Deo eſt contemnitis? Certiſſi-
Act.4.32. mū eſt autem, ſi fuerimus omnes vera fide præditi, pacem inter nos futuram. *Credentium autem*, inquit Lucas, *erat anima vna & cor vnum.* Ergo vbi plus fidei, ibi etiam plus pacis : & vbi plus diſſidiorum, ibi etiam minus eſt fidei. Fides autem in noſtra non eſt poteſtate: ſed Dei donum eſt.

Rogemus igitur Dominum : vt in vera nos fide cōfirmet & ſtabiliat : & nos in huius rei ſtudium diligenter incumbamus: ac tùm demum ne dubitemus, quin futura ſit poſthac inter nos maior, quàm vnquam fuerit, caritas, conſenſio, pax eáque in Chriſto Ieſu Domino noſtro: cui ſit omnis honor gloria, poteſtas & imperium in omne æuum. Amen.

TESTIMONIVM D. IOHANnis Sturmij & quorundam Miniſtrorum & Profeſſorum Argentinenſium, de doctrina & vita Doctoris Zanchij.

DOctor Hieronymus Zanchius ea eſt vitę innocentia, vt vitæ à me non opus habeat teſtimonio ;ea vero præditus doctrina eſt, vt neque ingenij, neque veritatis opus habeat defenſionem à me petere. Sed tamen quia petit, do ei teſtimonium & pietatis atque innocentiæ in vita & in literis ſacris doctrinæ & veritatis: optimo viro, ſanctiſſimo Theologo, ſuauiſſimis motibus homini. Petiit etiam vt ſi illius contentionis autor fuit, quæ Argentinæ in Scholis & Eccleſia agitata fuit, non iuuem meo teſtimonio: ſin minùs, vt ne deſim. Dico igitur & Deum teſtificor innocentem hominem, eruditum Theologum, pacificum virum, in hanc pugnā à ſuis iniquis inuitum vt etiam Collegium Thomanum & Scholaſticum, ad hanc infeſtam dimicationem pertractum fuiſſe : fortiter & verè ſua defendiſſe: & de ſua doctrina ne latum quidem deceſſiſſe digitum. Datum Chambiaci ſexto Octobr. 1563.

Iohannes Sturmius
Rector & Præpoſitus.

Ego Conradus Hubertus Canonicus ſenior, & Diaconus D. Martini Buceri felicis memoriæ annos octodecim & deinceps aliorum Paſtorum ad S. Thomam, vſque ad annum præſentem, præmiſſa omnia ex mea conſcientia confirmo.

Conradus Daſypodius Viſitator & profeſſor Scholæ Argentinenſis teſtimonium D. Rectoris confirmo.

Ego M. Chriſtophorus Stipſius Argentinenſis Vicarius in Collegio Thomano, diſcipulus & auditor D. Capitonis & Buceri, qui modò paſtor in agro, modò Diaconus in vrbe inſeruiui Eccleſiæ Argentinenſi circiter annos triginta, quandoquidem propter chiragram non potui manu propria, curaui aliena ſubſcriptum teſtimonium D. Iohannis Sturmij, meo nomine confirmari.

Ego Hieronymus Maſſarius D. Medicinæ, Profeſſor Philoſophiæ, Summiſſimus ad S. Thomam, coram Deo & Chriſti Eccleſiis ſupra ſcriptum D. Rectoris teſtimonium confirmo.

Ego Iohannes Reinhardus Alcaus Præceptor ſecundæ claſſis & Vicarius Collegij Thomani, teſtor hoc meo chirographo D. D. Hieronymum Zanchium nec autorem noſtræ diſſenſionis fuiſſe : nec à ſua doctrina, quam hic per annos complures docuit, vnquam receſſiſſe : vita autem tali fuiſſe, qualem D. Rector ſuo teſtimonio confirmat.

Ego Martinus Malleolus Argentinenſis ſextæ claſſis profeſſor & vicarius ad S. Thomam, Rectoris teſtimonium etiam confirmo.

Ego Ioannes Monachus Argentinenſis, nonæ claſſis præceptor & Vicarius S. Thomæ Collegij, idem vt ſuprà ſcriptum, confirmo.

Ego Theobaldus Lingelshim Argentinenſis, ſeptimæ claſſis Præceptor & Vicarius D. Thomæ, D. Rectoris teſtimonium veriſſimum eſſe & affirmo & confirmo.

Ego Iohannes Schuebelius ſenior, vicarius & Ludimagiſter in Collegio S. Thomæ, quique in hac Eccleſia Argētinenſi vixi annos circiter 37. & in Schola docui annos 32. ſubſcribo teſtimonio, Domino Doctori Hieronymo Zāchio à D. Ioanne Sturmio Rectore Scholæ noſtræ & Collegij Thomani Præpoſito, dato.

Hæc ego Ioannes Schuebelius manu aliena.

Ego Ionas Bitnerus, diſcipulus & D. Buceri & Ioan. Sturmij Rectoris Scholæ Argentoratenſis, Canonicus, & Profeſſor claſſicus, confirmo hac mea manu verum id teſtimonium D. Rectoris & Præpoſiti Collegij Thomani eſſe.

Ego Theophilus Golius Profeſſor claſſicus teſtimonium clariſſimi viri Doctoris Ioan. Sturmij Rectoris Scholæ Argentinenſis & Præpoſiti Collegij Thomani confirmo eique ſubſcribo.

TESTIMONIVM M. SIMOnis Sulceri, & M. Vlrici Coccij Baſilienſium, datum Doctori Zanchio.

CVM per noſtram hanc vrbem tranſiret D. Hieronymus Zanchius, ad ſuam Eccleſiam Clauennenſem profecturus, petiit à nobis teſtimonium eorum quæ abs ſe dicta & acta fuerunt, in ipſa Argentinenſis diſſidij compoſitione per Dominos Arbitros, è quorum numero nos quoque fuimus, Menſe Martio anni 1563. facta : quòd illud ad miniſterij ſui autoritatem contra calumniatores non parùm facere videretur. Nos itaque eius petitioni, quod æquiſſimam eſſe iudicaremus, annuentes, quod conſtat ea de re paucis profitemur.

Principio poſteaquam ſicut aliorum, ſic etiam ipſius D. Zanchij ſcripta & Confeſſiones legiſſemus, & cum eo etiam familiariter tum de Prædeſtinatione & Perſeuerantia, tum de Cœna Domini contuliſſemus, atque inde non paruam ſpem conciliandæ vtriuſque partis, nobis offerri vidiſſemus : Concepimus quandam doctrinæ de Cœna & de Prædeſtinatione formulam, quā vtraque pars ſequendo, concordiam & pacem in Schola atque Eccleſia tueri poſſe nobis videretur. Eámque vtrique parti exhibuimus. D. verò Zanchius, vt de aliis taceamus, vbi eam examinaſſet, vidiſſétque, nihil in ea, ſi æquum haberet interpretem, impium contineri (id quod non ſemel faſſus eſt & adhuc fatetur) tandem dixit, ſe ei formulæ, pacis & concordiæ cauſa ſubſcripturum, modò ſibi liceret certas ob cauſas quædam proteſtari. His igitur præmiſſis, quæ ſequuntur, exceptionibus, formulæ ſubſcripſit: quarum prima, hæc eſt: ne ſua ſubſcriptione vllum fieret præiudicium aliis Eccleſiis & Academiis, quæ ſibi dederant teſtimonia. Altera, Ne aliquid derogaretur doctrinæ, quam antè tradiderat Argentinæ, quæque in ſuis Lectionibus & Confeſſionibus continebatur. Poſtrema, vt liceret ſibi formulam exponere, iuxta regulam verbi Dei, & doctrinam Auguſtini, Lutheri, atque Buceri.

Domini Arbitri, tùm quia non venerant in hoc, vt cuiquam præiudicarent, aut damnarent quemquam, tum quia iam anteà coram ampliſſimo Senatu de vtriuſque partis exiſtimatione cauiſſent, quemadmodum ipſa præfatio formulæ præmiſſa, Senatuíque exhibita, docet: iccircò eas exceptiones neque probarunt, neque refutarunt: ſed tantùm prædictam formulam vrſerunt, atque vt tandem ad ſubſcriptionem & ad reconciliationem, facta omnium iniuriarum ἀμνηστία, veniretur, hortati ſunt : Atque ita ſubſcriptio & reconciliatio ſecuta eſt. Hæc omnia hoc ſcripto teſtificamur. Baſileæ 5. Decembr. 1563.

Simon Sulcerus manu propria teſtor.

Ego Huldricus Coccius Rector Vniuerſitatis Baſilienſis ac Paſtor Eccleſiæ eiuſdem, manu ac ſigillo teſtor.

INDEX



SYNOPSIS TOTIVS HVIVS OPERIS.

IN principio huius voluminis tractuntur quædam prolegomena in vniuersa Biblia, in quibus agitur.

I. De nominibus quibus volumen hoc Bibliorum appellatur.
II. De partitione, quot modis diuidatur.
III. per quos, quando & quo idiomate, Canonici libri sint cōscripti.
IV. Vnde nā suam habeāt autoritatē.
V. De perfectione.
VI. De perspicuitate.
VII. De regulis facientibus ad verā intelligentiā Sacrarū literarū.
VIII. De linguis S. scripturæ: & quòd Hebraica sit omnium antiquissima, & cur vocetur sancta.

In prolegomenis in Iesaiam agitur

I. De officio tam docentium, quàm discētiū in Ecclesiis & Scholis.
II. De veteri & Nouo Testamento.
III. De Prophetis in genere, vbi 1. de nomine Prophetæ. 2. de varia vsurpatione huius nominis in scriptura. 3. de quibusdam Prophetarum proprietatibus. 4. de missione. 5. de doctrina 6. de officio. 7. de discrimine Prophetarum & Doctorum. 8. de scopo 9. de ratione dicendi. 10. de libris. ibid. 11. de vtilitate lectionis Prophetarum.
IV. De Iesaia.

In loco de Ecclesia, decē explicātur capita.

I. Quibus nominibus appelletur.
II. Quid sit, & in quot partes diuidatur.
III. De vnitate.
IV. De firmitate.
V. De gloria, exaltatione, & dignitate Ecclesiæ.
VI. De amplitudine.
VII. De discessu, seu defectione ab Ecclesia.
VIII. An deficiētes ab Ecclesia Romana, deficiāt ab Ecclesia Christi.
IX. De capite Ecclesiæ. Vbi multa contra primatū Papæ. Itē cōtra primatū Petri, & eū vel vnquā, vel exiguo tēpore Romę fuisse.
X. De regimine Ecclesiæ, seu de modo, quo Christus Rex suā Ecclesiā regit Vbi de disciplina Ecclesiastica. 1. quibus nominibus appelletur. 2. quid sit. 3. quotuplex. 4. in quem finē instituta. 5. Circa quid versetur. 6. Clericalis disciplina quid sit. quomodo hæc ab vniuersali differat. 7. de admonitionibus fraternis, per quos fieri debeāt. 8. in quib. casib. necessaria sit excōmunicatio, & qui casus excommunicationis in scripturis extent.
XI. De reformatione Ecclesiarū Vbi 1. quis eā reformet. 2. quādo reformetur. 3. qualis sit ista reformatio. 4. quomodo reformetur. 5. vnde inchoāda. 6. quib in reb. consistat. 7. qua ratione fieri debeat. Loco hoc de Ecclesia absoluto, tractātur alij nōnulli, videlicet,

De promissionibus diuinis.
De comminationibus diuinis.
De imprecationibus.
De reprobatione populi Iudaici.
De magistratu ciuili quæstionibus tribus.
De conuenientia & discrepantia piorum & impiorum sub cruce.
De furto, quæstionibus septem.
De sortibus.

Hos locos sequitur historica relatio eorum omnium quæ olim Argentinæ, partim in cōcilio Thomensi, partim in senatu, partim etiā corā arbitris, in cōtrouersia illa, quæ fuit inter D. Zāchiū, & D. Iohannē Marbachiū, ab vtroque parte, vltrò citróque dicta, scripta & agnita fuerūt, ex Actis fideliter collecta, & in certa capita distincta: & quæ huius tragœdiæ fuerit Catastrophe.



INDEX RERVM ET VERBORVM MEMORABILIVM.

eadem

FINIS.

